PETRI HURTADO DE MENDOZA. SCHOLASTICAE, ET MORALES DISPUTATIONES...

Pedro Hurtado de Mendoza

NAZ. CENTR.
204
10 H
2
R. BIBLIOTECA
VITT. EMAN. II
ROMA

PETRI VRTADO DE MENDOZA.

HOLASTICÆ, ET ORALES DISPVTATIONES.

TRIBVS VIRTVTIBVS THEOLOGICIS.

E FIDE

VOLVMEN SECVNDVM.

CVM PRIVILEGIIS,

Salmanticæ, apud Iacinthum Taberniel.

Anno Christiano 1631.

ERRATA.

PAgina 3.col.2.lin.3.penetras,leg.penetrans.p.10,c.2.li.41.cum ,le.eũ.p.21.col.2.li.21..cognitio,le.cognito,p.33.c.2.li.4.revelatio actio,le,revelatio (ſ. actio,pa.37.co.2.li.5.ineſt mente,le.in mente.pag.63.col.2.li.17.deleatur (tractio) pag.93.col.2.li.1.deſtructio,le.deſtructo,pa.117.col.2.li.11.la,le.ita,pa.161 col.1.li.1.ſimultate,le.ſimulate.pa.163.col.2.li.9.calor,le.color.pa 168.c.2.l.1. exercitius,le.exercitus.pag.193.col.30.delet,le.deleti.pa.194.co.2.li.3. facimus, le.facinus.pa. 198.c.2.l.18.Hæ,le.Hæc.pag.201.co.2.li 5.num,le.nunc.pag.219. col.1.li.10.Romanus,le.Romanos pag.229.co.1.li.4,affectiuas,le.affectibus. pa. 233.col.1.li.39.hæri,le.hæreſi.pa.271.col.1.li.9.dici,reſt.le.dicit eſt.pa.309.co.2. li.9.Hæ,le.Hæc.pag.310.col.2.li.10.obiecto,le.obiecta.pa.313.co.2.li.fin.quidẽ le.quædam.pa.335.col.2.li.16.Ohe quam eſt tyrom inis,le.Ohe quà eſt tyro miniſter.pa.358.co.2.li.vlt.illud,le.ilium.pa.400.co.2.li.17.dem.le.fidem.pa.550 col.2.li.3.Hiſpania,le.Hiſpani.pag.597.col.2.li 5.domos,le.domo.pag.614.col. 1.li.24.annuent.le.annuente.pa.650.col.2.li.21.ethnino,le.ethnicorum,pa.683 col.1 li.4.mortaliter,le.moraliter,pa.693.col.1.li.27.hæ,le.hæc.pa.697.col.1.li. 13.cogitato,le.cogitatio.pag.754.col.2.li.vlt.lenitates Criſtianæ conſideratione cenſeat,le.lenitatis Chriſtianæ conſideratione cenſeas.pa.771.col.2.li.5.patrem, le.patre.pag.795.col.1,li.2.quæ,le.qui.pa.843.col.2.li.15.negativè,le. negatiuæ pag.864.col.1.li.3.connatutu,le.connaturalius.pa.867.col.1.li.8.ſui, le. ſuæ.pa. 1029.col.2,li.7.tam,le.tum.pa.1031.col.2.li.5.ſit,le.ſic pa.1043.col.1.li.4.adſtilautur,le.adſtipulantur.pa.1068.col.1.li.24.decimo ſeptimo,le.decima ſeptima, pa.1068.c.2.li.13.in hanc,le.in hoc.pa.1073.col.1.li.2.fungantur,le.fungatur.p. 1081.col.2,li.4 actione,le.actiones.pa.1115.col 2.li.20.tranſeant,le.tranſeat,p. 1136.c1..l.10.eſponderet,le.reſponderet,pa.1168.col.1.li.20.per,le.pro.p 1193.c. 1.li.19.minor,le.miror.pa.1261.col.1.li.2.nullius,le.nullus.pag.1356.col.2.li.24 monenti,le.momenti.pag.1376.col.1.li.6.ceſationem,le.ceſsionem.pa.1378.co. 1.li.33.quarta,le.quanta.pa.1379.col.1.li.9.apoſtoli,le.Apoſtolo.pa.1382.col.1 li.1.nec poteſt adhibitos,le.nec poſt adhibitos teſtes.pa.1382.col.1.li.14.lave,le. lauré,pa.1383.col 1.li.21.prælatum,le prælato. pa 1388.col.1.li.2.cum, le. cum decreto obediturum.pa.1389.col.2.li.3.velare,le.reveſare.pag.1392. col.2.li.4. obiecti,le.obiecto.p.1409.c.1.li.10.dominio,le.dominium.pa.1437.col.1.li.10 fidei,le.filij.pag.1437.col.1.li,15.ſignificante,le.fingente.pa.1437.col.1.li. 17.ſi ſunt,le.iſſunt.pa.1446.col.2,lin.17.inviolabili,le,invincibili,pa.1449.co. 1.li.12 debitum,le.delictum,pa.1449,co.1.li.32.Has autem res,le,Hos auctores,pa.1451 col.1.li.59 ſi,le,Hi.pa.1453.col.2.li.41,ſaltem,le.ſalem,pa.1474.col.1.li.24.contrahi,le.contrahit,pa.1479.col.1.li.5.hoc,le.hac,pa.1480.col.1.li.4.ille, le.illi, pa.1487.col.1.li.24.maiores,le.maioris,pa.1492.col.1.li.6.dicti, le. dictis,pag. 1506.col.2.li.24 per illa,le.per illam,pa.1514.col.1.li.9.acluenodum,le.ac claudens,p.1522.col.1.li.5.illius,l.illud.pa.1523.c.1.li.15.fruẽdi,le.fovendi.p.1526 col.2.li.11.imperato,le.imparato.p.1529.c.2.li.16. peccavi,le.peccari,p.1529. c.2.li.4.diſtinctio, le.diſtricto.pa.1536.col.1.li.18.licite,le,illicite,pa.1537.co. 1 li.11.petit,le peticio.pa.1552.col.2.li.10.deberi,le debere.pa.1552.co.2.li.22. explicanda,le explicandam.pag.1560.co 1.li.10. cenſet hic, le cenſent hi, pag. 1565.co.1.li.29.vocas,le vocat pa.1567.co.2.li.9.nox,le nec,pag. 1570.co. 1.li. 11.mortalis, le mortali, pag.1570. col. 2.li.14.dicitur,le. diſcitur, pag. 1574. col 2.li.23.det,le.dent,pa.1580.co.2.li.14.bonis,le binis,p.1595.c.1.li.19. lege, le,legi.pa.1596.col.2.li.20.illi,le.ille.

His mendis correctis,conuenit hic liber cum originali auctoris,pro quorũ fide meo nomine ſubſcripſi,Salmanticæ,2,Decembris,Anno 1630.

Corrector M.Gonzalus Correa.

FACVLTAS REVERENDI PAtris Provincialis Castellani.

EGO Gaspar de Vegas Provincialis Societatis Iesu in Castellana Provincia, potestate ad id mihi facta à Reverendo admodum Patre Mutio Vitellescho Præposito nostro Generali, facultatem facio, vt liber de tribus virtutibus, scilicet, Fidei, Spei, & Charitatis á patre Petro Hurtado de Mendoça nostræ Societatis, sacræque Theologiæ professore compositus, & eiusdem Societatis gravium, doctorumque hominum iudicio approbatus typis mandetur: In quorum fidem has literas manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus, in nostra Vallisoletana professa domo, decimaquinta Aprilis die, anno sexcentesimo vigesimo octauo.

Gaspar de Vegas.
Provincialis.

Censura sapientissimi Magistri Fr. Petri de Andrade, Abbatis insignis Collegij Cistertiensium Salmanticensis.

EX cõmissione Regij Senatus vidi disputationes circa tres virtutes Theologales à, S.P.M. Petro Puente Hurtado de Mendoça, ê Societate Iesu in Salmanticensi Academia, publico Theologiæ professore, elaboratas. In quibus nihil contra fidem, multa ex Concilijs, & Patribus eruditè deducta, plurima, quæ veram virtutum cognitionem ostendunt, inveni. Vnde in publicam vtilitatem debent prælo mandari, Datum Matr. in cœnobio D. Bernardo sacro die 25. mensis Augusti anno 1625.

Fr. Petrus de Andrade.

PETRVS HVRTADO DE
MENDOZA SOCIETATIS.
IHS
PHILIPPO. IIII
VT
ARD
AT
EVAGE
QVE
MELIOR
SPERAN
TES
Did. Valen. Dias Inu.
I. de Courbes F.
Apud Hyacintaum Taberniel. Año. Christiano

PHILIPPO

QVARTO CATHOLICO: REGI, PRIMVM FIDEI CATHOLICÆ.

DEIN REGNORVM, IMPERIORUM, Marium, Regum, exercituum, armiorum, ſcientiarum.

ARGENTI, AVRI, GEMMARVM, Aromatum, Divitiarum, Deliciarum; Cunctorum, quæ ſub cœlo illuſtria, atque iucunda:

DEMVM POST HOMINVM MEMOriam Regum Maximo.

QVAM gliſcens adulator videor invido, hęretico, aperto hoſti veritatis apertę: ſyncero æſtimatori veri, verus hiſtoricus, atque ſyncerus. At arcta hiſtoriæ iura nihil patiuntur vltra fidē. Bene; multa interdum vltra captum. Divinam imitata tua Maieſtas, ô Rex! de quibus credenda multa ingenium oppugnantia, ac debellātia. Mortalium oculi Ariſtoteles & Auguſtinus, lincei mundi luſtratores, & perſcrutatores, mente inter humanas capacißima, non ceperunt, quę tu armis. Imperium non quidem humana opinione maius im-

posſibile homini opinionehominũ omniũ. Ergonec vilitatem in fide, nec in te hyperbolem, nec adulatio nem in me ſuſpicanda volo: ſed inſcriptionem probandam. In fide Catholica, cuius te Regem appello, quiſquis ſervitutem cogitat, errat.* Rex enim eligigitur non vt ſe ſe moliter curet; ſed vt per ipſum ij, qui elegerũt, bené beatéque vivant. Preſius, civium non ſervitutem, ſibi traditam, ſed tutelam.* In Hiſpania Gotticum Imperium, deteſtabili Arrianorum omine conditum extinxit Mahumetana peſtis, locuſtarũ more cœlũ obtegẽs, & operiẽs terrã. Secũdis ac Regalibus auſpicijs in Caſtellano Pelagio & Adelphonſo Vizcaino (Catholici Recharedi ſobole) in ipſo Regni ſupulchro cooptavit ſibi Chriſtus populũ latẽ Regẽbelloq; ſuperbũ. Illi Principes inermes ac pene nudi, in indigniſsima deſperatiſsimaq; fortuna pietate, nõ chalybe armati graveolẽtẽ luẽ illam abégere ferro, & abolvere. Hinc Adelphonſus primus, poſt Pelagiũ ſocerũ ſecũdus Rex Catholici cognomentũ vſurpatũ tibi hereditate legavit. RectéPolliticus dixit: Regnũ à pleriſq; captũ recté, nõ geſtũ nequefinitũ. Nec ſine lachrymis cernitur, recté à Regibus acceptũ cognomen defenſoris fidei: Chriſtianiſſimi defenſoris Eccleſiæ. At leones hamatis vngibus fidẽ dilaniant eãdem; lilia ſuperum beneficio (nunc maximé) candidiſsima, quãdoq; marcuerũt. Aquilæ roſtrarũt Eccleſiã. Tuus Catholicus Principatus, tã bene geſtus, quã initus: poſt annos ſupra nõgentos in tam longo potentiſsimorũ, & portendenter bellatorũ Regũ cenſu, nullũ aſpexit, nec per ſomnũ averſum à fide. Hanc, hyperbole non inepta originalem vobis appellem, nativam generi, non aſcitam perſonis. Ignoſce Rex; quæ dixi deparce: orignalis fidei nuncupo tutelã originalem, natam in cunis imperij. Ab his Reges ſine ſtipendio ad bellum, ſine aula ad

maie-

maiestatem, sine familia ad obsequium, quos ... dicitate fessos, ne essent insaturi pecuniarum iure timeres, tam profusi in tutanda fide, vt maiorem vberioremque manubiarum, ac fortunarum sortē douarint templis, ac Sacerdotibus ad nutriendam in Hispanis fidem, in victis captisque Mauris seren dam: contestati sibi esse magis cordi religionem, quam libertatem. Cum imperio adolescente adolevit pietas ad extruenda templorum in Europa vltra septuaginta millia. Flores vernos numeres prius, quam tuorum pietatis monumenta. Summa delubra, aræque sylvestres á culminibus vrbium ad angulos sacris locis omnia plena, præseferunt Regum pietatem, præfixis stemmatibus Regijs, fidei tu telaribus. In orbe novo ipsi etiam Pontifices, & Sacerdotes aluntur laute Regijs gazis, cum contentione non ingrata Numini. Fides pulcherrima ac ditissima quæque huic prꝑstat imperio. Hoc omnia certatim reddit in eiusdem fidei tutela absumenda: nec huic certamini finiendo locus, nec speretur: In quo solo vtilem, pulchram, honestamque video interminam litem. Quas excubias ad castellum fidei agit leo? apertis oculis etiam inter somnum, vngue minax hæreticis. In tam immenso imperio nullus permittitur impunis, quoque sit nomine. Quid? Hispanienses phari se se penetrant in obscura cogitata infidelium, ambustum vivos, quibus non illuxerint. Nec arcent leges â Regio satellitio, cubili, administratione regnorū, compactos Arabico sanguine, aut Iudaico, arcent á tribunali, & militia sacris, quibus commissa propugnatio fidei, vel vnguem tinctos, ne sapiant maiorum picem, assuetam deserendæ Fidei. Argumento mortalibus, & immortalibus illā delicatiorē apud vos quam liberos, quā coniuges, quam vosmetipsos, quam regna. Bonitatem

Carolus Scribanius in nuncupatione Pollitico Christi.

a 4 seve-

..atemque Dei refertis ab ævo: cui chari omnes ..; invisi impij omnes, bono vtrorumque, maloque fato. Beneficentiam Hispaniensem, & amicitiam experti quique fideles vbique terrarum, duram severitatem, manumque ferream infideles omnes. Prętereo quæ legimus, prętricturus qua meminimus. Fredenandus & Isabella extincto tandem in Hispania Mahumetismo; cum iudaismum evellere nō potuissent; regno pepulere sexcenties millia capitum Mosaicorum: maluerunt gratissima Regibus ęrarij crementa non videre quam videre Christicidarum ingratissimos nepotes. Carolus Quintus vastatá Africa, fugato Solimano, ducente præliatorum quinquies centena millia; hæreticis Germanię triumphatis vos reliquit onustos ęre alieno, monitos vobis emendam caro charissimæ tutelam Fidei Philippus Secundus, fractis Turcorum viribus Melitæ & Lepanti; restituta Anglis Fide, quam ademerant Henricus, & Odoardus, lata ope Catholicis Callis, impugnato Principe Bearnensi, nec regno permisso ante abiuratum Calvinismum, indicto exitiali bello cunctis infidelibus, tum maximé Hollandis, apud quos cum tota pugnavit Europa, docuit, sibi impurum imperium ingratum; desertionemque fidei à se omnibus suis igni, & ferro iri interdictum: honestiusque sibi carere Imperio in homines, quam frui in hæreticos. Philippus Tertius instructa iam in Algerianos classi, motis armis in Ioannem Federicum Palatinum, armatum Septentrionis hæreticis exercitibus, minantem ferro & flamma toti Ecclesię; levirо suo Fredenādo Secundo Austriaco, ardentissimo Fidei propunatori, veré Hispanico & Austriaco, Imperij possessione donato, captis Alarachio, & Mamora, tot Arabes eiecit e regno, quot Hæbręos Fredenandus Atavus, expertus illos tam esse Mahumetanos

metanos occultê, quam hos Mosaicos apertè. Hæ sine exemplo. Quę cum alijs Principibus communia, proceriora in vobis, quam cedrus arbustis. Furẽtem Anglorum Tyrannidem fugientes Catholici adolescentes, à Christinissimo Rege excepti Rhemis, à Pontifice Romę: à vobis tota fere Anglia & Hibernia; in Belgio nobilissimę sanctimoniales, & Principes Fœminę: Iesuitę plura implẽtes collegia: adolescentes Angli in Collegijs Vallisoleti, Hispali, Audomari: Scoti Duaci: Hiberni Lovanij, Olyssipone, Salmanticæ, Compostellæ: Anglis, Scotis, & Hibernis Madridij fundamenta iacta ad Collegia: studijs confectis ex ærario Regio, centenis aureis donantur singuli, redituri ad patriam ab hæresi vindicandam. Quid dicam? actione, non liberalitate quisquis oppressus quia Catholicus, a vobis extorquet alimenta ad honestam vitam. Testantur Hibernorum greges exulantes ob fidem, in Hispania excepti, pasti, ornati: Africani, Græci, Persæ, Armeni, Iapponi, Angli, Scoti, Hiberni locupletes vestris stipendijs in curia, in exercitibus, in præsidijs. Abyssinorũ Imperator vestris armis receptum imperium restituit nunc Ecclesiæ. Iapponi, Sinæ, immensa Orientis & lachrymanda barbaries, vestro beneficio, & sumptu cœlum iam petunt, à quo adhuc exules. O gentem soli fidei totius Hemisphęrij natam! O solá illi natam! Impatiens amplitudo vestra angustiarũ mundi tunc noti, divino furore, & audacia vltra humanam, aggressa iter in novas regiones, ignotasq;, inauditas, desperatas, armatas ignibus chymœras, importuosa maria insanis œstuantia fluctibus, cetisque furentibus, certis Argonautarum sepulchris, mixta cœlo; plus continentis & insularum Deo reddidit, quàm Asiam, Africam, & Europam. Nec à mũdi natalitijs tot gẽtes, tam barbaræ, in quibus solius

orporis habitum, humanum conijceres, tam repugnantes moribus, & ingenijs, in vnam adactæ religionem, quam vestra industria, atque potentia. Quin, post hominum memoriam nullum imperium, tam latum, aut opulentum, quám vestrum. Memorem Romanum, quod ferreo more domuit Persicum, Græcum, Assyriũ, Regesque cœteros? Nanum hoc video collatum tuo giganti. Ecquem vnquam gigãtem iocati poëtæ vicies proceriorem nano? Tuum imperium toties Romano maius. Sileamus Hispani ad fugiendam arrogantiam, & assentationem, contentis lateribus inclamant exteri sub aliorum Principum legibus, contestati, id verum, magnumque signum religionis veræ, cuius estis cunctis mortalibus argumentum. * Nulla vnquam gens (dixit Italicus Eugubinus) ex quo Adamus habuit liberos, tot nationes moribus, ac ritibus dissimiles, ad vnius religionis cultum, vel earum legum studium perduxit, vt Hispania. Vix enim quisquam poterit enumerare gentium varietatem, moresque illarum prorsus inter se diffidentes, quas Hispani sub imperium suũ miserunt, & ad Christi venerationem perduxerunt, vniusque Dei cultum. Sunt in promptu historię, legat, qui volet. Iam verô si Castellam, vel Hispaniam vniuersam Lusitania adiuncta contempleris, habes admirabilia prorsus, in quibus obstupescas. Ac primum sit illud, quod incredibile videtur res ipsas ignorantibus. Nullus vmqvam populus, aut Rex ab orbis fabricatione tantum terrarum tenuit, vt Hispanicus, qui nunc terrarum tertiam partem imperio suo coercet. Quo circa si tellurẽ diuidas in æqualia, quod nos fecimus, comperies, Hispanorum imperium Romanorum maius esse viginti ac pluribus etiam partibus. * O illustres inscriptionis meæ ab adulatione vindicias! O portendens imperium! cui fo-

Thomas Bozius, Eugubin. tom. 1. de signis Ecclesiæ lib. 1 c. 1. Consule Ioannẽ Boterum lib. 4. relationum.

fouendo,& illustrando sol incubat, nec momento aversus oculis, rependens curas vestras alterius solis cultui semper intentas.* Secundum sit Hispanorum divinitus concessum priuilegium (persequitur idem.) Nulli vmquam contigit aliquo temporis decursu, vt orbem terrarum circumdederit imperio, quod Hispanis evenit. Oras namque omnes Africæ, quas alluit Oceanus, ipsi tenent cum plurimis, quæ adiacent, insulis. Ad ostia maris rubri insulam Zachatoram, in sinu Persico Ormutium insulam, regnumque cum plurimis in Arabia, & Persia portubus, propé Indum insulam Dium, Indię verô cis Gangem propê omnes maritimas vrbes, & insulas, inde Malachæ nobilissimum regnum, quod est in aurea Chersonesso, mox in conspectu positas Maluchas, insulas innumeras, deinde Philippinas, & nouæ Guineæ regiones. His amplissima Americæ loca vastissima succedũt, quæ Oceanus ambit, interfluitque ad fretum Magallanis, á quo littora Brasiliæ petuntur, portusque his finitimi, donec Hispaniolam, Cubamque insulam invisas, à quibus pervenitur ad Canarias, aut etiam si velis, Tertieras insulas, ac tandem quos velis Hispaniæ portus, ita vt orbem totũ circumdederis, Hispani semper imperij terras pertingens. * Aliorum Principum ditiones docti vel pueri, Hispaniensis imperij amplitudinis indocti etiam doctissimi Faxit Deus, vt eam noverint admistri, & administrent, glutires herclé formicas istas, quæ nos mordent. Excedente Philippo Patre, sperádum nobis pueriles tuos humeros pares tantæ moli, superiores ne optandũ: animula infans, ac recens animo Augusto, tractoque de cœlo spiritu animata vicit spem publicam, & vota. Inter laudes Fredenandi atavi, Caroli proavi, Aui Philippi, & Philippi Patris, minimé inferior â capta vno ictu Navarra, ob

inter-

interclusum iter ad Pontificem contra Gallos iuvandū, à devictis Germaniæ hæreticis, & Saxone spoliato, & restituto, à Turcis fugatis, & ab impedito regno Principi Bearnensi adiutisque Catholicis: ab exercitu vigintiquinque millium, bellatorum misso ad Fredenandum Secundum captisque Alarachio, & Mamora. Hos quatuor Heroes vno æquasti momēto, vnà præhensum sceptrum, instauratum bellum Hollandis dudum intermissum, victa eorum clasßis ad fretum Gaditanum, capta Brida, Regibus circa vallum frementibus, aliti ijdem exercitus, apud Bohemiam fusus haud sine miraculo Draco Palatinus, occupatus Palatinatus alio tuo exercitu: Palatino, cui septrentio angustus, latum Hollandicum xenodochium, medens illius furori: cui inanes rugientes vxoris leones: Auvnculo Fredenādo imperium, & pax donata. Anglus de repente visus Madridi cū stupore ambiens connubium cum serenisßima sorore, missus humanê negata hæretico Infantissa cū plausu Catholici Theatri. Clasßis Anglica maior, & elegantior visis, é gaditano litore turpiter eiecta, exercitu prælio fuso: mare plenū instructis ad prælia navibus Brasilia celerrime recepta, pulsi Hollandi ex Oriente, ex insulis occiduis Angli, Galli, Hollandi: missa clasßis ad opem Gallo: coniunctis armis cum Avunculo, capta Mantua, Cassalium cum admiratione oppugnatū decristatis, & auxiliarijs Gallis, spoliatus dynastia Mantuanus, coercita aliorum regum arma, alij Principes, nec mutire. Esto macte adolescens Auguste, novennio par nō Philippo, aut Carolo, aut Fredenando, sed Fredenando, & Carolo, & vtrique Philippo. Te manet orbis, ardoris præmiū quo fidem tueris. Hæc ab heroico tuo animo, sed ciū administris, in consilijs, in clasßibus, in exercitibus vnum á te solo puero, consilio nec puerili, nec huma

no

no,sed iniecto divinitus: iuvenum Regum æquã sortem, aut iniquam de familiarium, quorum se fidei dedunt, æquitate, aut inæquitate pendere, pleręque ętates expertæ, nec sine lacrymis penê omnes, quorũ ambitiosæ avaritiæ, & luxui minime satis opes regnorum, quę nõ tõdẽda curãt, sed de glubenda, & decerpenda sibi, locupletibus ab egestate Regum, atque regnorum. Mirandum tuum consilium in deligendo ad familiaritatem Gasparo Guzmano, Comite Duce Olivarensi, exemplo regnis ad pietatem cum admiratione pręlucente, flagrante studio propugnandę, & propagandę fidei: Hollandos, Anglos, & innumeros imperij, & fidei simulatos hostes (quorũ muneribus, & blandimentis pelliceretur Rhadamantus) ferrea arietante fronte, vtente solo cunctorũ administrorũ consilio, & industria, ad cunctorũ fatigationem: versa in carcerẽ aula ad insenescendum negotiosis cogitationibus, & actionibus, carente publico, & curię oblectamẽtis, sine quibus vix degenda vita, addicto curis, sollicitudini, & angoribus rerum publicarum: vigilante, & excubante noctu, & interdiu ad omnium stuporem: & (quod in tanto Principe vix auditum, lectumve) nec pede ex regio patrimonio auctus, nec nummo ex infinita eius opem implorantium turba, posteris exemplo prudentis, vigilantis, & integerrimi Regum Ministri. Cui cum plurimum ego devinctus, tum maximé, quod me, & familiolam non semel augendam oraverit, â te nolui laudibus separatum; quẽ collatione curarum, nec momento abiunctum patris, vt ego animum ostendam gratum, nec apud te ausim cuivis adulari, ne dum mentiri. Clausula

nun-

nuncupati libri non sit nostrà,sed Cyrilli ad Hispanum Imperatorem. * Supremũ humanæ gloriæ culmen Christianissime Rex, longé maximo discrimine cæteris antecellens præstansque,præclara itidem sors munusque perllustre â divina excellentia,& maiestate in vos defluxit, nempe quod summę illius celsitudinis, & dignitatis aliquod quoque vestigium,& quasi simulacrum in terris extaret.Igitur vt summo illi Numini omne genu in curvatur, Troniq, Dominationes,Principatus, & potestates prona submittentes colla congruis illud laudibus & hymnis venerantur, nec non cœlum terramque plena eiusdem gloria & maiestate esse profitẽtur,ita in vestra quoque serenitate apprime conspicua,& gloriosa venustam quandam summæ illius gloriæ imaginem intueri licet;vos enim omni terreno fastigio superiores amplissimarũ dignitatum fontes estis, vos humanæ fœlicitatis principia,& origines;clemẽtissimis maiestatis vestræ nutibus, nemo non ad iustam honestamque vivendi rationem promovetur. Denique quidquid vsquam est gentium hoc totum regni vestri solijs prostratũ est. Quod si qui sunt qui iugum detrectent,illi vestra potentia nullo pene negotio superati succumbunt;imô vero si regium scutum,vel semel concussum micuerit,vana illorum consilia, àtque studia in ventos mox abeunt;quippe qui amentiam suam missum facientes, ad genua vestra sese provolvant supplicesq; veniam exposcant, nimirum vestræ. belli cosissimę choortes militarisque disciplinæ, përitissimę,ac triumphis agendis numquam non assuefactæ terrarũ orbem subiugarunt. Vos proinde totus oriens, vos totus canit occidẽs omnique

que laudum genere prosequitur, vos qui ad Austrum vergunt, miris encomijs extollunt, vos qui ad Aquilonem pertinent festivis gratulationibus exornare nunquam desinunt, supremum autem pijssimi, clarissimique imperij vestri firmamẽtũ est Dominus noster Iesus Christus (per hũc enim, vt scriptum est, Reges regnãt, & legum conditores iusta decernunt) cuius voluntas est potentissima omnisque boni, si solum annuat, copiã dilargitur: is ergo amicis suis munera in primis præclara, & quæ in pretio habeantur quam maximé idonea, & id quidem ad modum alacriter, & prõpte. Quod hic dicimus, vel ea sola quæ maiestati vestræ ab eo donata sunt, & olim adhuc (quemadmodum confidimus) donabuntur, verum esse evidenter ostẽdunt.* Hæc per divinationem de te Hispano Regi ab Anstite prædicta in Hispano Imperatore. Te longęvum Deus donet nobis, orbi, Ecclesiæ.

Post Augustæ manus osculum.

Puente Hurtado
de Mendoça.

Suma del priuilegio.

TIene el Autor priuilegio por diez años, para que nadie dentro del Reyno imprima este libro de tribus virtutibus Theologicis ni le venda impresso fuera del Reyno, como largamente se contiene en su original firmado por su Magestad, y refrendado por D. Sebastaian de Cōtreras. En Balbastro à primero de Febrero de mil y seyscientos y veynte y seys años.

T A S S A.

YO Lazaro de Rios Angulo Secretario del Rey nuestro señor, que por su mandado hago oficio de escrivano de Camara, de los que en su Consejo residē. Certifico, que auiendose visto por los señores del vn libro intitulado, *disputationes de tribus virtutibus Theologicis*, compuesto por Pedro Puente Hurtado de Mendoça Religioso de la Compañia de Iesus Catedratico de Theologia de la Vniuersidad de Salamanca, en dos tomos, que con licencia de los dichos señores fue impresso, tassarō cada pliego del dicho libro a quatro marauedis, y parece tener los dichos dos tomos quatrociētos y diez y nueve pliegos, sin los principios, y tablas, que al dicho respeto monta mil seyscientos y setenta y seys marauedis, y á este precio, y no mas mandaron se venda: y que esta tassa se ponga, y asiente al principio de cada libro de los que se imprimieren, como consta del decreto de la dicha tassa, que originalmente en mi oficio queda, á que me refiero, y para que dello conste doy esta certificacion en la villa de Madrid a veynte y quatro dias del mes de Deziembre de mil y seyscientos y treynta años.

Lazaro de Rios.



DISPVTATIONES DE TRIBVS VIRTVTIBVS THEOLOGICIS.

AVCTORE PETRO HVRTADO DE Mendoza, Valmasedano; è Societate IESV: *in Salmanticensi Academia, pro Regio eiusdem Societatis Collegio, primo sacræ Theologiæ Professore: in Regio item Generalis Inquisitionis Consilio Censore.*

DE FIDE.

DISPVTATIO I.

Fidei significatus.

§. I. RIMA, inter omnes virtutes Theologicas & morales, est fides: substantia, basis, & fundamentum, cui vniuersi spiritalis ædificii fabrica innixa, eius significatus multiplex. Tullius 1. officiorum: *Fides est* (inquit) *dictorum conventorumque constantia & veritas*. Igitur virtus standi promissis & pactis, est fides. Inde fidem dare, est, quasi se oppignorare, ad efficiendum aliquid. Item, fidem violare, frangere, aut servare: se item in alicuius fidem recipere, est confugere ad tutelam, & patrocinium alicuius.

§. II. P. Valent. Pater Valentia disp. quæst. & punt. 1. varias subiicit fidei significationes: plures itẽ Glossa tituli de Summa Trinitate, & Fide Catholica, initio: e quibus, quæ nostro instituto magis facit, est, quæ hæreticis magis displicet, fide significari assensum firmum & certum, quo credimus alicuius dictis. Quod quàm absonat delicatis hæreticorũ auribus! Philippus Melancthon, Laurentius Valla, & alij eiusdem farinæ, censent, fidem vsurpari barbarè, pro assensione credẽdi. Arbitror non alia de caussa; nisi ne apud hæreticos nominetur fides, quam tantopere sunt exosi. Nonnulla testimonia, ex auctoribus bene Latinis, adducit P. Valentia suprà. Cicero de partitione: *Fides est firma opinio*. In Topicis: *Argumẽtum est ratio rei dubiæ faciens fidem*, id est, argumentum est ratio persuadens, quod dicitur: secundo de diuinatione: *Adhibenda fides somniantium visis nõ est*. Ad Herennium: *Fidem orationi abrogat, meditationis & artificij suspicio*. Pro Sylla: *Tribuere fidem testimonio alicuius*. Hæc produxi ad oppilanda hæreticorum ora, vt in ipsa certaminis frõte pateat, quàm sint ipsi perfricatâ, vt dicant, quæ vel pueri deprehendent esse mendacium, adito Ambrosio Calepino, aut Mario Nizolio. Legant item Melancth. Valla. Cicero.

S. Thō. q. 1. Art. 1. elegiam septimam Ouidianam 1, tristium.
Ouid. *Omnia iam fient, fieri quæ posse negabam:*
Et nihil est, de quo non sit habenda fides.

§. 3. Significat etiam fides fiduciā, qua quis dicitur *fidens*. Quam vocem non reprehendunt hæretici, cùm non sit tàm frequens apud Latinos: vt enim sunt inimici fidei assentienti Deo, ita sunt amicissimi inani fiduciæ, qua confidunt se beatum iri. Est igitur fides fidentia, siue fiducia, qua quis sibi persuadet, Deum aliquod illi beneficium præstiturū. Hæc est illa fiducia, siue fides,
Matt. 21. qua Christus Dominus dicit, montes eradicādos, & in mare mittēdos: qua mulier sanguinis fluxum patiens, certa erat, se morbo liberandam, si Christi vestium tāgeret orā.
1. ad Cor. 13. 2. Cuius fidei meminit Paullus 1. ad Corint. 13. 2. *Et si habuero omnem fidem, ita vt montes transferā.* De quo testimonio agēdum disp. 52, Cuius etiam meminit Apostolus eadē
P. Cornel. epist. 1. cap. 12. vers. 9. vt exponunt P. Cornelius & alij. Hæc autem fides includit fidē catholicam, & assensum de beneficio accipiēdo: insuper & spem oppositam timori. Propterea Christus Dominus, vt mulieris
Matth. 9. ægræ timorē abigeret, ei dixit: *confide filia.* Hæc igitur confidentia clauditur in fide, cuius nunc significatum explano.

§. 4. Nunc fidē accipio pro vna è tribus virtutibus Theologicis, quas cōmendat Apos-
1. ad Cor. 13. tolus 1. ad Corinth. 13. *Fides, Spes, Charitas, tria hæc.* Quæ virtus est habitus, quo credimus testimonio Dei. Eius autem actus sunt assensiones rerum dictarum à Deo, quia ab ipso dictæ. Qui autem voluerit omnes fidei significationes, adeat Patrem Suarez disp. 1. de fide sect. 1.

DISPVTAT. II.

De obiecto in communi.

§. 1. De obiecto dixi non pauca, in procemio Logicæ & Metaphysicæ: quæ omittenda censerem, ne illis descriptis, prolixiores euaderēt libri, nisi me mouissent S. Augu-
S. Augus. stini verba tom. 7. initio lib. 2. de Baptismo, contra Donatistas. *Noui etiam (inquit) quēadmodum solet contristare lectorem, cùm à libro, quem gerit in manibus, quando in aliquem nodū quæstionis inciderit, in alium mittitur, vbi eius solutionem requirat, quam fortè non habet. Quapropter, quæcunque in alijs libris iam diximus, si necessitas præsentium quæstionum breuiter iterare compulerit, ignoscant scientes, ne offendantur nescientes: satius est enim offerre habenti, quā differre non habenti.*

A

SECTIO I.

De obiecto formali & materiali.

OBIECTVM ab obijciendo, est quod cognoscitur, vel amatur. Quæ enim potentiæ cognoscunt, vel amant, ea illis obijciuntur, id est, quasi proponuntur ob oculos. Subiectum dicitur à Logicis, illa pars propositionis, de qua aliquid dicitur; prædicatum autem vocatur altera pars propositionis, quæ prædicatur, aut dicitur; vnio verò vtriusque, est illorū connexio. Igitur obiectum propriè significat totam propositionem; sumitur autem aliquando pro subiecto, vt cùm dicitur: Deus est obiectum attributionis Theologiæ, perinde est, ac Deum esse subiectum attributionis. §. 2.

Obiectū propriè est id, quod cognoscitur, vel amatur proximè. Inter hæc nōnulla cognoscūtur, aut amātur, ratione sui, id est in ipsis est id, quod mouet ad amorem, vel cognitionem. Alia autē cognoscuntur, aut amantur, proximè quidem & in se, id est, actus potentiarum illa verè attingunt, ita vt illi actus non possint consistere, illis obiectis amotis; at verò ratio prima, ob quam amantur, aut cognoscuntur, non est in ipsis; sed in alijs: v. g. amat aliquis sanitatem, & phlebotomiā: sanitatē quidem ratione sui, quia in ipsa est ratio, ob quam ametur, & se ipsa, est cōueniens homini; phlebotomia verò amatur quidem, non tamen est in ipsa ratio, ob quam amatur: quia se ipsa, non est conueniens animali; sed, tantummodò in genere caussæ efficiētis instrumētariæ, sicut potiones & alia medicamēta; illa autem ratio, ob quā amatur, est in sanitate. Quia igitur phlebotomia, quāvis se ipsa non sit cōueniens homini, tamē est vtilis ad sanitatē adipiscēdam: ideò amatur. De quo genere obiectorum agemus ex Tullio & alijs, disputationibus de Charitate. §. 3.

Illa obiecta, quæ ratione sui amantur, & cognoscuntur, vocantur obiectum formale *quo*. Obiecta autē, quæ ratione illorū attingūtur, vocantur obiectum formale *quod*: nā formale vocatur vtrumque: quia vtrumque attingitur in se. *Quo* verò dicitur illud, quod ratione sui attingitur: quia est principium obiectiuum, quo manuducimur ad attingendum aliud obiectum: vt sanitas est, qua mouemur ad secandam venam; & præmissis mouemur ad conclusionem. *Quod* autem vocatur illud, ad quod manuducimur per aliud: vt conclusio est obiectum formale, §. 4.

quod

quod intellectus, & medium ad consequendum finem, est obiectum formale *quod* voluntatis. Ab alijs verò obiectum primariũ vocatur absolutè *obiectum formale*; secundarium autem vocatur *obiectum materiale*. S. Thom. Quod præstitit S. Thom. secunda secundæ quæst. 1. art. 1. vbi præmissas, sive principia scientiarum vocat *rationem formalem*; conclusiones verò *materialem*: quem, hac in parte, sequar toto hoc opere. Est igitur obiectum formale, quod ratione sui cognoscitur, vel amatur: & quod est, ex parte obiecti, ratio, vt alia cognoscantur, aut amentur. Obiectum autem materiale est, quod ratione alterius cognoscitur, vel amatur.

§. 5. Hìc dissident inter se nonnulli, & ego ab vtrisque. Censent alij, vt aliquid sit obiectum formale, debere eodem actu attingi cum materiali: verbi gratia, præmissas & conclusionem debere attingi eodem actu intellectus: similiter finem & mediũ; alioquin neq; finis erit obiectum formale mediorum, nec præmissæ conclusionis. Probant, quia obiectum alicuius actus debet per illum cognosci, vt patet ex definitione obiecti, §. 2. & 3.

§. 6. Respondeo, vitandam hic quæstionem de voce. Aliud obiectum est impulsivum, aliud terminativum. Hoc cognoscitur semper actu, quem terminat; illud est terminativum respectu actus ad ipsum, & impulsivum actus, ad quem impellit potentiam: vt medium in præmissis, impellit intellectum ad conclusionis actum. Quia igitur impellit vt cognitum, ideò vocatur obiectum primarium. Sufficit ergò, vt sit obiectum in syllogismo, quamvis non sit obiectum cognitum per conclusionem. Neque negari potest, conclusionem tunc esse mediatam: quia verè pendet à medio disposito in præmissis. Ad argumentum respondeo, obiectum terminativum debere cognosci actu, cuius est obiectum; non tamen actu, comparatione cuius est impulsivum. Conclusio autem attingit tũc obiectum formale *quod*: vel, in mea sententia, obiectum materiale proximum. Equidem quamplurimi distinguũt intentionem finis, ab electione mediorum; non tamen propterea cogitant, de neganda fini caussalitate formali, obiectiva.

§. 7. E contrà; alij opinantur, non posse esse obiectum formale & materiale, nisi attingantur per actus realiter distinctos. Probant, quia obiectum formale est caussa, ob quam cognoscitur, aut amatur materiale; sed non potest esse eiusmodi caussa, nisi actus sint realiter distincti, ergo. Respondeo, in Deo esse obiectum formale & materiale: ipse enim & beati, cognoscunt per se primò divinitatem, ex qua cognoscunt creaturas possibiles. Item Angelus eodem actu comprehendit ignem, in illo penetrãs calorem. Ratio à priori, quia, vt sit obiectũ formale, tantùm requiritur, vt in ipso sit ratiò, ob quam, tàm illud, quàm cætera cognoscantur, vel amentur; sive vno, sive pluribus actibus: vt qui amat sanitatem & sectionem venæ, amat quidem sanitatem, quia est ipsi, ratione sui, conveniens; sectionem verò amat, non quia, secundum se est ipsi conveniens; sed quia est vtilis ad sanitatem. Igitur, vt sunt in se, amantur; sive vno, sive pluribus actibus. Ad argu. Ad argumentum, nego minorem. Nam illa caussalitas est obiectiva tantùm, & non physica: id est, quia, ex parte obiecti, reperitur in vno vis & ratio, ob quam aliud attingatur. Quòd si volunt, distinguãt ratione, in vno actu, duos respectus: alterum ad obiectum formale; alterum ad materiale.

§. 8. Obiectum formale, aliud est absolutè formale; id est, quod ante omnia cognoscitur, aut amatur, quin pendeat ab alio obiecto prius cognito, vel amato: qualis est essentia in prima demostratione à priori, & Deus respectu charitatis. Aliud obiectum est formale secundarium: quia in aliquo syllogismo disponitur, vt medium in præmisis, ex quo infertur conclusio. Item, in sententia constituente fines intermedios, sectio venæ est obiectum formale, comparatione voluntatis accersendi Phlebotomum. Hæc obiecta sunt formalia secundum quid, & non absolutè: quia absolutè formale est, quod ita est formale, vt non sit materiale: & quia ista secundaria, sunt absolutè materialia, & non habent carentiam dependentiæ ab alio: ideò non sunt absolutè formalia.

§. 9. Adverte, quod est obiectum formale intellectus, posse esse obiectum materiale voluntatis, & è contrà. Nam potest voluntas per se primò, velle scire existentiam Dei, aut animi immortalitatem, videns autem se id consequuturam, per cognitionem creaturarum, illam etiam vult consequi. En cognitio creaturarum est obiectum materiale voluntatis, quia amatur gratiâ cognitionis Dei; attamen intellectus prius cognoscit creaturas, postea verò Deum. Quia igitur intellectus potest cognoscere prius, id, quod voluntas amat posterius, ideò obiectum formale vnius potentiæ, potest esse materiale alterius.

S.Tho.q. 1. Art. 1. §. 10. Obiectum materiale aliud est proximum; aliud remotum. Proximum est quod secundum se verè attingitur: vt conclusio obiectiva, attingitur per formalem, & medium per electionem. Materiale remotum est, quod non cognoscitur ratione sui, neque actus terminatur ad ipsum, sed ad aliquod accidens ipsius, ratione cuius denominatur cognitum: vt substantia dicitur oculis videri, non quòd visio illam attingat; sed quia attingit colorem hærentem substantiæ. Denominationes enim accidentium adscribuntur substantiæ: quemadmodùm homo dicitur tangi, quamvis non tangatur, nisi vestis, S. August. qua induitur. Ita Sanctus Augustinus sæpè ait, Deum visum à Prophetis, non quòd divinitas fuerit visa; sed quod visum fuerit aliquod corpus, specialiter assumptum à Deo. Hoc genus obiectorum est omninò per accidens: nam eadem omninò numero visio perseverat, illo existente, aut amoto: vt sacerdos retinet eandem visionem specierum panis, ante & post consecrationem. Quo argumento clarè concluditur, obiectum & caussam remotam esse obiectum & caussam per accidens; non per se ac propriè: nam ab obiecto & caussa per se ac propriè, ita pendent cognitio & actio, vt repugnet eas numero, esse sine illis; at verò eadem numero visio & actio perseverant, existentibus & corruptis substantijs illorum accidentium: ergo tales substantiæ non sunt per se ac propriè obiectum nec caussa illarum actionum.

SECTIO II.

Alia de obiecto.

§. 11. OBIECTVM adæquatum est, quod attingitur per omnes actus alicuius habitus, vel potentiæ. Exempli gratia, obiectum adæquatum visus, est obiectum omnium visionum: & obiectum adæquatum fidei, aut charitatis, est quod cognoscitur, vel amatur per omnes actus illorum habituum. Ratio à priori, quia potentia & habitus, non habent aliud obiectum, præter obiectum actuum: quia in obiectum tendunt, vt *quod*; per ipsos actus, vt *quo*: ergo obiectum adæquatum potētiæ & habitus, est obiectum adæquatum omnium actuum. Inter hæc, nonnulla sunt obiectum adæquatum formale; alia, obiectum adæquatum materiale; alia, obiectum adæquatum attributionis. Collectio autem ex his omnibus, est obiectum adæquatum simpliciter: quia tota illa, & nihil aliud, verè & propriè cognoscitur per omnes actus.

In obiecto voluntatis communiter dicitur: *quod est prius in intentione, est posterius in executione*, id est, quod prius amatur, constituitur à parte rei posterius. Quod ne, quæso, intelligas, de omni obiecto formali & materiali voluntatis: nam Deus per charitatem amatur prius, quàm proximus; non tamen existit posterius. Accipe igitur adagium de fine, non existente; sed quem volumus existere: hic amatur prius, quàm media; sed existit posterius: quia producitur per media, vt per veras caussas & physicas, quæ sunt prius natura, quàm effectus: vt sanitas amatur prius, quā curatio; & existit posterius, quia per illam existit. §. 12.

Item, est in veteri proverbio: *quod est prius in intentione, est posterius in resolutione.* Resolutio est actio, qua composita dissolvuntur. Nam quia partes ipsæ abiunguntur, quæ per vnionem in composito fuerant colligatæ; ideò illarum abiunctione, compositum dicitur resolvi in sua principia, id est, in partes, quibus constabat. Ita conclusiones & media resolvuntur in sua principia, id est, illorum principia, & obiecta formalia redduntur pro ipsorum caussis. Igitur intentio & resolutio habent ordinem inversum. Intentio enim incipit ab obiecto formali primario, & sistit in vltimo materiali: verbi gratia, voluntas primò amat sanitatem, secundo sectionem venæ, tertiò accersitionem phlebotomi: similiter intellectus incipit à præmisis, & sistit in conclusione. At verò resolutio incipit ab vltimo, vbi stetit intentio. Rogatus enim puer, cur accersat phlebotomum? non respondet: vt sanetur herus; sed, vt secetur vena. Rogatus autem, cur secunda sit vena? respondet: vt valeat herus. Ecce, in reddendis caussis rerum, quas facimus, vltimam reddimus, quæ nos movit prima. Idem contingit in assensibus intellectus. Hanc ob caussam, Doctores reddentes rationem suæ doctrinæ, dicuntur à malè latinis *modo resolutorio, vel resolutoriè*, procedere. §. 13.

Quæ autem requirātur ad obiectum formale, persequar disp. 5. sect. 3.

DISP.

DISPVT. III.

Vtrùm fides pendeat à cognitione auctoritatis, & revelationis Dei?

§. 1. INCIPIMVS disquisitionem eorum, à quibus fides in assentiẽdo depẽdet, vt ab obiecto, vel conditione sine qua non.

SECTIO I.

Opinio negans.

§. 2. *Prima opinio negãs. Scotus.* SCOTVS in secundũ, distinctione 23. §. *Aliter potest*, ad medium, refert à nonnullis censeri, fidem pendere ab existentia revelationis Dei, ita, vt non possit exerceri actus fidei diuinæ circa Trinitatem, verbi gratia, nisi Deus reveleteſse Trinitatem. Qua in parte, nihil ab illis dissideo. Aiunt præterea, existente iam revelatione Dei, posse exerceri fidem circa Trinitatem, quin cognoscatur revelatio de Trinitate. Itaque pendet fides à revelatione existente; non tamen à revelatione vt cognita. *Gabriel.* Gabriel in tertiũ, distinct. 23. quæst. 2. art. 1. hanc opinionem adscribit Okamo, *Okam.* quodlibet. 3. quæst. 7. quam ipse Gabriel censet probabilem, & in eam videtur inclinari distinct. 24. notabil. 2. *Primũ argumentũ.* Dicunt, habitum fidei per se primò ferri in mysteria revelata; revelationem autem esse necessariam, vt per illam sit obiectum intentionaliter præsens; sed potest esse intentionaliter præsens per revelationem, quin ipsa cognoscatur: ergo est necessaria existentia revelationis, non tamen cognitio. Quàm sit falsa illa minor propositio, ostendam §. 12. eam neque probant, neque possunt.

§. 3. *Secundum argumentum.* Secundò possumus argumentari ex Scoto. Nam, rem esse revelatam, non est obiectum formale fidei: ergo fides non pendet à revelatione cognita, ergo fides fertur immediatè in mysteria revelata, vt in obiectum formale. Probat antecedens; quia, rem esse revelatam, est ens rationis, quod non potest esse obiectum formale habitus realis. Huic argumento respondeo: primùm, primam consequentiam esse malam: quamvis enim revelatio non esset necessaria, vt obiectum formale cognitum, posset esse necessaria, vt conditio; quemadmodum propositio Ecclesiæ est cognita necessariò, vt conditio sine qua non; non tamen, vt obiectum formale. Secundò, secunda consequentia est mala: quia, quamvis fides non penderet à cognitione revelationis, posset pendere à cognitione auctoritatis diuinæ, vt pendet omnis fides ab auctoritate dicentis. Tertiò, antecedens est falsum: ad probationem respondeo, duo esse genera entium rationis: alterum chymericum, effectum intellectus fictione, qualis est, *hirco-ceruus*; alterum est per extrinsecam denominationem, quod genus entis rationis est simpliciter ens reale, vt abundè probavi disput. 1. Logicæ, latiùs autem disp. 19. Metaphysicæ sectione prima: quia in illo ente rationis, verbi gratia, rem esse cognitam, non reperitur, nisi obiectum cognitum, & forma cognoscens, à qua formaliter dicitur *cognitum*; vtrumque autem est ens reale. Hoc genus entis cognoscibile est per se primò per habitum realem, vt patet in Logica, quæ quidem habitus est realis, id est, existens realiter. Ita fides potest per se primò terminari ad revelationem mysterij: non quidem cognoscendo relationes inde resultantes, more logico; sed cognoscendo existere revelationem de Trinitate. Quo autem pacto cognoscantur entia rationis ficta, non est huius loci; semper tamen cognoscuntur habitu reali. Vno igitur verbo: fides, ex cognitione revelationis, movetur ad cognitionem revelati; vt obedientia, ex cognitione præcepti, movetur ad amorem rei præceptæ. In quo, nescio quid offenderit Scotum, aut cur non possit per se primo cognosci actu reali. Addi disputationē 5. §. 28.

§. 4. *Tertiũ argumentũ.* Tertium fundamentum: quia si priùs assentiremur revelationi, & propter illam revelatis, nunquam Trinitas crederetur fide diuina immediatè, ergo, Probat antecedens: quia semper assentiremur media revelatione. Respondeo, ly *immediatè* duos habere sensus: primum, vt significet, ex parte obiecti, semper intercedere revelationem, vt medium cognoscendi Trinitatem; quemadmodum, in syllogismo, præmissæ intercedunt, vt medium ad conclusionem. Secundus sensus est, assensum de Trinitate, non effici immediatè ab habitu fidei; sed inter habitum, & assensum, intercedere revelationem, vt principium actiuum: quemadmodum inter calorem ma-

S. Tho. q. 1. Art. 1. nus & ignem, intercedit calor ignis, efficiens calorem manus. Ad argumentum in forma: non assentiremur per fidem immediatè revelatis, distinguo antecedēs: immediatione se tenente ex parte obiecti, concedo antecedens; immediatione se tenente ex parte habitus, vt principij efficientis, nego antecedens. Omnes enim actus supernaturales, tam circa obiectum formale, quàm circa materiale, efficiuntur immediatè ab eodem habitu per se infuso: vt patet in beatis, qui eodem lumine gloriæ, & eodem habitu charitatis, attingunt Deum immediatè, & creaturas medio Deo, vt obiecto formali. Item posset responderi, revelationem non esse obiectum formale, sed conditionem sine qua non, vt de propositione Ecclesiæ dixi §. 3.

§. 5. *Quartū argumentum.* Quartum fundamentum: quia certior esset assensus de revelatione, quàm de Trinitate, ergo. Probat antecedens: quia omnis assensus de præmissis, est certior assensu conclusionis. Quid inde? Nam, si vera est probatio huius antecedētis, nullum est absurdum, actus fidei esse inæqualiter certos, quamvis sint certiores omni actu naturali; si verò conclusio est tàm certa, quàm præmissæ, nullum est argumentum: quia est negandum antecedens cum sua probatione. Hæc autem de re, me video disput. 58. acturus de certitudine fidei. Adde, nihil vrgere argumentum: quia nunc tantùm contendo, necessariam esse cognitionem revelationis, ad quod sufficit, eam esse conditionem sine qua non: quæ in casu, est negandum antecedens, & ad probationem dicendum, id esse verum, inter præmissas & conclusionem: quia huic comparantur illæ, vt obiectum formale materiali; non tamen habet locum, inter conditionem & obiectum; vt cognitio de propositione humana Ecclesiæ, non est certior, quàm actus fidei de mysterio revelato: quia illa propositio tantùm est conditio sine qua non mysterij revelati.

SECTIO II.

Cognitio revelationis est necessaria ad assensum fidei circa revelata.

§. 6. *Prima conclusio.* DICO primò: non possumus per fidem infusam assentiri mysterijs revelatis, quin cognoscamus ea esse revelata à Deo. Posset probari hæc conclusio, quia opposita sententia tribuit fidei, pro obiecto formali, omnia entia creata, & increata: omnia enim illa possunt à Deo revelari. Quod arbitror esse absurdum: nam lumen gloriæ habet, pro obiecto adæquato formali, solum Deum; scientia autem infusa habet, pro obiecto formali adæquato, solas creaturas; fides verò, suo obiecto formali, ambiret obiectum formale luminis gloriæ, & scientiæ infusæ. Quamvis hoc ita censeam, abstineo tamen ab eo argumento: quia non habeo, quo illud illustrem. Possunt enim adversarij respondere, non esse absurdum, habitum per se infusum, ita porrigi ad obiecta multa; neque tamen propterea, erit perfectior lumine gloriæ, aut scientiâ infusâ: quia minus perfectè attingit suum obiectum.

§. 7. *S. August.* Negare autem, revelationem, vt cognitam, esse necessariam; est parum tutum. Primùm, quia Sanctus Augustinus sexcenties testatur, revelationem Dei esse rationem credendi. Tomo quinto libro vigesimo primo de Ciuitate Dei capit. septimo ait: *Nam, quæ melior, & validior ratio de rebus redditur, quàm cùm Omnipotens, ea posse facere, perhibetur, & facturus dicitur?* Tomo 6. toto libro de vtilitate credendi, totus est, in impugnandis Manichæis, somniantibus nulli esse credendum.

§. 8. *Ad Roma. 3. 3. Glossa. Tullius.* Ad Romanos 4. 3. *Credidit Abrahā Deo;* credere autem alicui, est fidem habere illius testimonio. Ita Glossa Interlinearia: *Credidit Abraham Deo dicenti.* Rectè dixit Tullius pro Sexto Rosc. *nemo credit, nisi ei, quem fidelem putat.* Et de natura Deorum: *prædicanti credere.* Ratio à priori, quia, quæ ego dico, potest aliquis credere, nesciens, ea à me dici: tunc, ille mihi non credit: quia non movetur mea auctoritate; neque illi gratiam habeo: non enim censet me esse hominem frugi, & dignum fide. Si autem meum testimonium cognoscit, & illo movetur, ad credenda obiecta, iam mihi credit, & illi ego gratiam habeo: quia opinatur testimonium esse verum, quia est meum. Si igitur Abraham credidit Deo, sanè sibi persuasit, & existere testimonium Dei, & esse verum, quia erat Dei.

§. 9. *Ioan. 1. 8.* Ioannes epistola prima capit. quinto: *Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei maius est. Qui credit in Filium Dei, habet testimonium Dei in se.* Accipere autem testimonium Dei, est illud acceptare per assensum. Accipit enim testimonium meum,

meum, qui sibi persuadet, illud esse verum: quemadmodum non accipit, & reijcit testimonium, qui censet illud esse falsum, vt ibidem dixit Apostolus idem: *Qui non credit filio Dei, mendacem facit eum, quia non credit in testimonium, &c.* Quod si non esset opus assentiri testimonio, quorsum Christus Ioannis 3. conquestus est de Iudæis, quia non credebant eius testimonio? Aut quare Sãctus Augustinus, Patres omnes, & ipse Deus, exigunt veritatem in testimonio; nisi vt, cognita eius veritate, moveamur ad assensum dictorum? Vide tomo 9. tract. 14. in Ioan. idem esse, accipere & non accipere testimonium, ac esse fidelẽ, & infidelem.

Ioan. 3.

S. Augu.

§. 10. Ratione probatur primò, ex fide humana, qua credimus homini, propter eius testimonium cognitum; ita, vt cognitio veritatis testimonij humani, nos ducat in cognitionem rei dictæ ab homine: ergo fide divina credimus Deo, eadẽ ratione. Cõsequẽtia patet: quia fides humana, & divina non differunt, nisi quòd obiectum alterius sunt auctoritas & testimoniũ hominis; alterius autem auctoritas & testimoniũ Dei. Antecedens patet ex §. 8. quia ratio formalis, quæ nos movet, vt credamus homini, est, quia ex eius frugalitate, censemus eius testimonium esse verum. Quæ ratio à priori tàm est efficax, vt vix posit homo de ea dubitare.

§. 11. *Secunda probatio.* Secundò probatur: quia existentia revelationis est necessaria ad fidem; sed si nõ esset necessaria eius cognitio, non esset necessaria revelationis existentia: ergo ad fidem est necessaria cognitio revelationis. Maior admittitur ab adversarijs: nam vbi nullum testimonium, quis fidei locus? Minor probatur 1. quia tota auctoritas Ecclesiæ, miracula, & cætera argumenta, quibus mysteria fidei redduntur credibilia, sunt ad persuadendam nobis revelationẽ Dei quam qui acceptat, est fidelis; infidelis, qui respuit. Quod si hæc cognitio non esset necessaria, superfluerent hæc omnia argumenta credibilitatis. Secundò probatur eadem minor propositio; quia existentia revelationis esset per accidens fidei: nullo enim modo esset principium assensus, quia, nisi vt cognita, non est principium.

§. 12. *Obiectio.* Dices, revelationem esse necessariam, vt per illam sit obiectum intentionaliter præsens: quod fieri potest, absque cognitione revelationis. Huius argumenti memini §. 1. & hic impugnandum reicei. Obiectum est intentionaliter præsens, quando vel est in intentione & potentia cognoscitiva, per actualem cognitionem; quæ, quia est imago & præsentatio obiecti, illud facit præsentatum & præsens: (nam quæ actu cognoscimus, dicuntur nobis esse actu præsentia, & ante oculos obversari) quod est esse præsens intentionaliter in intellectu, præsẽtia actuali & expressa: vel potest esse obiectum intentionaliter præsens, præsentia in actu primo proximo cognitioni, & hęc prę sentia fit per speciẽ impressã, quæ est imago virtualis, & repræsentatio obiecti, id est, virtus faciendi imaginẽ formalem. Non loquũtur hi auctores de prima præsentia intentionali, sed de secunda: quia revelatio de morte Christi, v. g. est necessaria, vt producat speciem impressam de morte Christi: quam speciem necessariò producit, vt cognita. Si igitur esset species de morte Christi, quin cognosceretur revelatio, exerceretur fides. Cognitio igitur, vt cognitio revelationis, est per accidens assensui fidei; est autem per se, vt est principium activum speciei impressæ. Nescio sanè, quo alio in sensu, hi Doctores possent intelligi.

§. 13. *Impugnatur.* Quos tamen impugno, ex hac hypothesi. Demus, mortuo Christo, nullam esse Dei revelationem de eius morte; sed præcisè, de eius incarnatione: tunc posset exerceri fides circa mortẽ Christi, quin existeret revelatio: ergo revelatio non est conditio per se requisita ad fidem. Probo antecedens: quia tunc essent obiectum formale, & materiale fidei: nihil enim deesset, præter revelationem, quæ per te, non est obiectum per se fidei. Item obiectum fidei esset intentionaliter præsens: quod probo, quia sine revelatione existente, posset aliquis dicere: *Christus mortuus est*; tunc autem, tàm produceretur species vera de morte Christi Domini, quàm nunc producitur per revelationem: ergo obiectum fidei esset intentionaliter præsens: ergo existentia revelationis non est per se necessaria. Probo secundam consequentiam: quia per te revelatio præcisè requiritur, vt producatur species, quod absque revelatione præstatur.

§. 14. *Obiectio.* Dices primò, non posse prudenter elici assensum fidei, sine aliquo principio persuadente. Bene: ergo fides, ad suum assensum, pendet ab alio obiecto priùs cognito; sed hoc est revelatio: ergo. Probatur minor, tùm, quia proprium est fidei inniti testimonio; tùm ex Sancto Augustino adducto §. septimo: *nam quæ melior, & validior ratio redditur?*

S. Augu.

§. 15. *Secunda obiectio.* Dices secundò, in casu proposito §. 13. posse exerceri fidem de morte Christi Domini. Contrà; ergo fides per se non dependet à testimonio, & auctoritate Dei, ergo non est fides. Nihil enim creditur, sine dependentia à testimonio, & auctoritate lo-

S.Tho.q. 1. Art. 1. quentis: nam si quis sibi persuadet probabiliter, aut certò aliquod obiectum, ob solã apprehensionem terminorum, exercet aliã facultatem; non tamen fidem. Adde puerũ fidelem, apprehensa damnatione Iudæ, posse illam credere: quia habet habitum, & obiectum intentionaliter præsens per apprehensionem.

§. XVI. *Aliud argumentũ ab absurdo.* Tandẽ proponatur fideli revelatio Dei, de damnatione Iudæ, & ipse dicat: ***non credo Deum id revelasse; credo tamẽ Iudam damnatũ;*** iste ex hac opinione non esset hæreticus, sed fidelis. Consequentis absurditas patet, quia non componitur fides cum negatione hæretica testimonij Dei, & propositionis

S. August. Ecclesiæ, circa idem obiectum: vt ex S. Augustin. probavi §. 9. Maior probatur: quia tunc non ageret contra fidem; cùm nullum eius obiectum negaret: solùm enim negaret revelationem, & Ecclesiæ propositionẽ de eadem revelatione. Hæc autem, cùm ex hac sententia, neque sint obiectum, neque conditio necessariò cognoscenda, quid interest, si negetur? Qui vero nõ credit Ecclesiæ, est infidelis; vel quia negat obiectum fidei, nempè revelationẽ Dei; vel quia negat revelationem de auctoritate Ecclesiæ, vel

Pat. Suar. quia imprudẽter negat aliquã è conditionibus per se fidei. Pater Suar. disp. 3. sect. 3. num. 2. alia infert absurda, ex hac sententia: quia fide vteremur indeliberatè, & more belluino.

§. XVII. *Okamus. Vindicatur.* Okamus non favet illi opinioni: nam quodlib. 3. quæst. 6. & 7. cõstituit fidem infusam terminatam ad omnes articulos immediatè; acquisitã verò ad vnũ tãtũ: quia habitus acquisiti non extenduntur vltra vnum obiectum; secus infusi. Ly autem ***immediatè***, non excludit revelationem, sicut neque acquisita fides excludit testimoniũ loquentis. Significat ergò Okamus fide attingi mortem Christi Domini immediatè, id est, vt obiectum formale ***quod***, ita, vt secũdum se illam attingat; non verò vt obiectum remotum, medio aliquo accidenti ipsius; alioqui non esset obiectum per se, sed per accidens, de quo egi disp. 2. §. 10. sic ex-

Gabriel. Item. pone Gabrielem, quamvis non tam clarè. Equidẽ Okamus in 3. quæst. 8. littera G. satis est à sententia communi, his verbis: ***Obiectum proximum fidei, est hoc complexũ: omne revelatum à Deo est verum, eo modo, quo revelatur.*** Idem repetit litterà L. constituens necessitatem assentiendi revelationi Dei, & auctoritati Ecclesiæ.

(.?.)

SECTIO III.

Cognitio auctoritatis Dei est necessaria ad fidem.

DICO secundò; cognitio auctoritatis diuinæ est per se necessaria ad fidem. Conclusio tàm certa, vt à nullo catholico negata. §. XVIII. *Secũda conclusio.*

Recognosce S. Thomam quæst. 1. art. 1. & interpretes Magistri in 3. dist. 23. & 24. Patet ex Tullio adducto §. 8. nisi enim arbitremur aliquem esse fidelem, illi non præstabimus fidem: esset namque animi levis, credere scurræ, quod clare patebit disp. 5. à §. 1. S. Augustinus tom. 5. lib. 10. de Civitate cap. 31. ***Divinæ auctoritati humana credat infirmitas.*** S. Leo serm. 7. de Nat. ***Divina est enim auctoritas, cui credimus.*** Ioan. adductus §. 9. ***Qui non credit filio Dei, mendacem facit eum, quia non credit in testimonium, &c.*** Quibus docet dissentiri testimonio Dei, esse opinionem de mendacitate Dei; assentiri autem testimonio, esse persuasionem de veritate Dei. *Magist. S. Thom. Tullius. S. August. S. Leo. Ioann.*

Præsto est ratio, quia fides ea necessario cognoscit, quæ necessaria sunt ad assensũ dictorum; sed non solùm est necessaria cognitio testimonij Dei, sed etiam auctoritatis, ob quam mihi persuadeo, testimoniũ esse verũ: ergo necessario cognoscẽda est auctoritas. Maior patet; quia fides habet vim assentiendi rebus dictis; ergo & omnibus ad id necessarijs. Minor probatur; quia ex præciso testimonio non sequitur assensus dictorum, ergo præter testimonium, est cognoscenda auctoritas. Probo antecedẽs: nam, nisi quis sibi persuadeat Deum esse veracem, in ferendo testimonio; non sibi persuadebit dicta, ex sola persuasione testimonij. §. XIX. *Probatio.*

Itaque ad assensum dictorum ex parte obiecti, requirũtur hæc duo principia: ***omne quod Deus dicit, est verum.*** Item: ***dixit Christum mortuũ esse.*** E quibus infertur hæc conclusio: ***ergo verum est mortuum esse Christum.*** Neutrum solum sufficere, patet: nam quãvis omnia, quæ Deus dicit, sint vera; non tamen propterea præcise verum est Christũ esse mortuum: nam potuit Christus non esse mortuus, & Deus esse verax in omnibus; tũc autem non diceret, Christum esse mortuũ. Igitur ex sola auctoritate, nõ infertur mors Christi. Neque item infertur ex sola revelatione, sine persuasione de auctoritate. Si enim quis sibi persuadeat, Deum mentiri; vel non sibi persuadeat eius auctoritatem; ex eius testimonio non colliget dictũ; quia §.XX.

pote-

poterit dicere: *nescio, an mentiatur Deus*. Ex vtroque verò principio, rectè infertur cõclusio. Quo autem pacto credenda sit veritas testimonij per fidem, dicam disputatione sequenti.

DISPVT. IIII.

Quid sit credere propter auctoritatem?

§. I. ONSTAT ex disput. 3. fidem, in exercendis suis actibus, pendere à cognitione auctoritatis, & reuelationis Dei; nunc disquirendum, quid sit, auctoritate & revelatione moveri, ad credendum? Auctoritas est principium, quo Deus loquitur vera; & quo illi repugnat dicere falsum. Quam auctoritatem disp. 6. ostendam esse Dei sapientiam, qua cognoscit res, vt sunt: item virtutem veritatis, per quam inclinatur, ad dicendam rem, vt eam sentit. Hæc auctoritas, quæ in actu primo, in Deo, est ipsemet Deus, explicatur per actum secundum, qui est actuale testimonium Dei infallibilis veritatis. v. g. hac propositione vniuersali: *Omne quod Deus dicit, est necessario, vt dicit*: siue: *omnis revelatio Dei est necessariò vera*.

SECTIO I.

Qua ratione moveamur auctoritate Dei?

§. II. MOVERI igitur auctoritate Dei, est cognoscere Deũ pollere principio loquendi vera necessariò, ita, vt nec fallere posit, nec falli. Qua cognitione cognoscimus omnem revelationẽ, & testimoniũ Dei esse, infallibiliter verũ. Item cognitio huius veritatis, est principiũ, vt assentiamur rebus dictis à Deo. Itaque sicut in quovis syllogismo, assentimur maiori propositioni, & ille assensus est principium, vt simul cum minori propositione, eliciatur assensus conclusionis: ita assensus de auctoritate divina, simul cum assensu de revelatione, est principiũ assentiẽdi dictis à Deo. Et quemadmodum, propter eam rationem, assensus præmissarum efficiunt, vt propter ipsos eliciamus conclusionem: ita assensus de revelatione, & auctoritate Dei efficiunt, vt propter ipsos assentiamur revelatis. Item, sicut obiecta præmissarum per cognitionem sui, determinant intellectum ad assentiendum obiecto conclusionis, & propterea dicimur assentiri conclusioni propter præmissas: sic dicimur assentiri mysterijs, propter auctoritatem, & revelationem Dei. Igitur illa causalitas obiectiva, & causalitas actuum præmissarum in actum conclusionis, explicatur hac propositione: *assentiri vni propter aliud*. Vide, quæ de obiecto formali dixi, comparatione obiecti materialis disp. 2. §. 3. & 4.

Vt ex parte auctoritatis, movemur ad credenda revelata, propter auctoritatem infallibilem Dei: ita ex parte revelationis Dei, opus est, vt cognoscamus duo: alterũ, existentiam revelationis; alterum veritatẽ eiusdem. Existentiam non cognoscimus per auctoritatem Dei, id est, cognitio de auctoritate Dei, non est principium inferendi cognitionem de existentia revelationis. Ratio à priori, quia potest consistere tota auctoritas divina in actu primo, & cognosci; quin aliquid revelet aut dicat: ergo ex cognitione auctoritatis Dei, non potest inferri cognitio de existentia revelationis. Vt igitur in syllogismo hoc: *omnis homo currit, Petrus est homo*: non infertur minor propositio ex maiori, aut è contra; sed vtraque est propositio per se nota: ita in hoc syllogismo fidei: *omne quod Deus revelat, est; sed Deus revelat Christum Dominum fuisse mortuum*: neutra præmissa pendet in cognitione ab altera; sed vtraque est immediata. §. III.

Veritas revelationis potest ex triplici capite cognosci. Primò immediatè, evidenter, & fortè probabiliter, ita vt assensus de veritate revelationis, non pendeat aliunde; sed immediatè in illam feratur, sicut assensus fidei de existentia revelationis, fertur immediatè in ipsam revelationem, indepẽdenter ab alio obiecto formali cognito. Vt si Angelus, per scientiam infusam intueretur revelationem Dei immediatè, & eo intuitu, penetraret eius veritatem: Hæc cognitio de veritate revelationis, duceret necessariò Angelum in cognitionem revelati, nam ea veritas habet necessariam connexionem cum obiecto, vt sæpe ex Aristotele dixi, valere consequentiam ab actu vero ad obiectum. §. IIII.

Hic tamen assensus non est propter auctoritatem Dei. Probatur: veritas & existentia revelationis cognoscuntur per eum actum, independenter ab auctoritate Dei: ergo non est propter auctoritatẽ Dei. Probo antecedens, quia ille actus est intuitivus revelationis similiter & veritatis. Et vt §. 3. dixi, existentiam revelationis cognosci; quin propter auctoritatem Dei: ita iste intuitus cognoscit veritatem ipsius revelationis, §. V.

S.Tho. q. 1. Art. 1. ni, quam propter auctoritatē Dei. Itē assensus de mysterio revelato, nō est propter auctoritatem Dei. Probatur: quia cognitio de mysterio revelato, adæquatè pendet à cognitione de existentia, & veritate revelationis; sed hæc cognoscuntur independenter ab auctoritate Dei: ergo & mysterium cognoscitur independēter ab auctoritate Dei: & consequenter non cognoscitur per fidem.

§. 6. *Confirmatur.* Confirmatur: fides quælibet, ideò exigit cognitionem de auctoritate loquentis, vt propter illam nobis persuadeamus, testimonium loquētis esse verum; sed, in hoc casu, nobis persuademus testimonij veritatē, independenter ab auctoritate Dei: ergo auctoritas Dei nihil refert ad illos actus. Maior patet, quia nihil aliud possumus deprehendere ex auctoritate Dei, vtile ad assensum de revelatis, nisi quòd ex illa auctoritate cognoscamus derivari veritatem in testimonium. Si enim cognitio auctoritatis nos nequaquam ducit in cognitionem de existentia revelationis, neque in cognitionem de veritate ipsius; quid refert eius cognitio, magis quàm si non esset? loquēti igitur vera credendum est, quia vera loquitur. Propterea dixit Christus Dominus Ioā. 8. 46. *Si veritatem dico, quare non creditis mihi?* Verum enim, vt verum, est obiectum intellectus, illique est assentiendum, quamvis dicatur à mendacissimo, etiā volente mentiri. Tunc namque non assentimus propter eius auctoritatē, quia nulla est; sed propter veritatem immediatè cognitam. *Ioan. 8.*

§. 7. Secundò potest cognosci veritas revelationis, per alia principia distincta ab auctoritate Dei; v.g. cognoscit quis revelationem esse veram, quia est actus supernaturalis, hunc syllogismum efformans: *Omnis actus supernaturalis est verus; sed hæc revelatio est actus supernaturalis: ergo est vera.* Vnde posset inferri hæc secunda consequentia: *ergo obiectum huius revelationis est, sicut revelatur.* Neque isti actus essent fidei: quia non penderent à cognitione de auctoritate loquentis. Quod probatur eadem ratione, qua suprà dicta §. 5. & 6. Dæmoni enim loquenti verum, est assentiēdum propter veritatem; non tamen propter eius auctoritatē: nam si ego cognoscerē Dæmonē invitū moveri à Deo, per cognitionē supernaturalem, ad aliquod obiectum, deberem illi assentiri propter veritatem actus supernaturalis, & non propter auctoritatem Dæmonis. Item, quando ego, propter revelationem diuinam, credo mysteria revelata, illa fides non est propriè in Prophetam: quia nō me movet auctoritas humana Prophetæ; sed diuina Dei.

Tertiò potest cognosci veritas revelationis ex auctoritate Dei, id est, quia ego mihi persuadeo, Deū loqui, per auctoritatē impotē mēdacij, & falsitatis: ideò mihi persuadeo, omnem revelationem Dei esse necessariò veram. Nam per hanc propositionem vniversalem: *omnis revelatio Dei est necessariò vera*: dixi §. 1. explicari auctoritatem infallibilem Dei: quo actu explico, ab auctoritate Dei, derivari infallibilem veritatem in omne testimonium Dei. Itaque in hoc syllogismo fidei. *Omne quod Deus dicit, est necessariò verum; sed dicit Christum Dominū mortuum fuisse: ergo Christum Dominum fuisse mortuum est necessariò verum*; in maiori propositione, cognoscitur veritas revelationis de morte Christi Domini, quæ revelatio, quoad existentiam ponitur in minori propositione. Veritas autem cognoscitur in maiori: quia in illa ponitur veritas omnis revelationis; in propositione autē vniuersali includūtur omnes singulares, vt in hac: *omnis homo currit*, continētur hæ: *Petrus currit, Antonius currit*. Minor verò propositio est necessaria, non ad cognoscēdam veritatem revelationis, quæ iam erat cognita in maiori; sed ad cognoscendam existentiam, quæ non erat cognita, eratque necessario cognoscenda ad credēdum. Hic autem syllogismus formaliter, aut virtualiter debet efformari, quoties assētimur revelatis propter revelationem, & auctoritatem Dei; alioquin non concluderetur certa cognitio de revelatis. Hæc tertia ratio cognoscēdi veritatem revelationis, est, quæ maximè convenit fidei: quia ex assensu de bonitate, & sapientia Dei, assentimur veritati revelationis: ex quo assensu, & ex assensu de existentia eiusdem revelationis, certò assentimur mysterijs revelatis. Vnde cōstat, eum, qui credit alicui, de illo bene mereri, quia bene opinatur de illius sapientia, & bonitate. §. 8.

SECTIO II.

Qui movcamur auctoritate humana?

NONNVLLI ex recentioribus hæreticis, apud Patrem Gretserum, in defensione Bellarminiana, tàm stultè desipiunt, vt Illustrissimum Cardinalem Bellarminum carpant, quod vtatur, ad ipsos hæreticos confutandos, auctoritate Sanctorum. In quem sic ratiocinantur: ... capiunt: *Bellarminus vtens auctoritate Augustini, sic argumentatur: omne quod Augustinus dicit, est verum; sed hoc dicit:* §. 9. *Gretser.*

dicit; ergo hoc est verum. Hæc calumnia eò tēdit, vt evertant hæretici fundamenta ab auctoritate, nobis imponentes, nos ita credere Sanctorum dictis, vt illa habeamus pro oraculis: quo nos cogant respondere, nos non credere omnibus Sanctorum dictis, quia aliquando sapuerunt hominem. Quo audito, cachinnis obicijūt: vnde sciamus Augustinum, hac in re, non fuisse deceptum? Quo sycophantantur, non esse credendum auctoritati Sanctorum. Cùm autem ipsi, præ inscitia, & dolo, sint incredibiles; volunt, nec Sanctos esse credibiles. Equidē novi isti hæretici, non sunt absimiles antiquis Manichæis, respuentibus auctoritatē, in disputationibus: in quos ait Augustinus (S. Augus.) tom. 1. lib. de moribus Ecclesiæ, cap. 1. & 2. *Naturæ quidē ordo, ita se habet, vt cùm aliquid dicimus, rationē præcedat auctoritas; sed quoniā, cum his nobis res est, qui omnia contra ordinem, & sentiunt, & loquuntur, & gerunt, nihilque aliud maximè dicunt, nisi rationem priùs esse reddendam, &c.* Volo igitur ostendere, qua ratione argumentum valeat, ab auctoritate humana.

§. 10. Auctoritate opus est, vt ea manuducamur, ad cognoscenda obiecta, quæ non possumus penetrare perfectè. Ad ea enim, quorum veritatem possumus evidenter attingere, nullius egemus auctoritate. Quod (S. Augus.) dixit eleganter. S. Augustinus to. 1. lib. de moribus Ecclesiæ, ca. 2. *Sed quia* (inquit) *caligantes hominum mentes, consuetudine tenebrarū, quibus in nocte peccatorum vitiorumque velantur, perspicuitati synceritatique rationis aspectū idoneum intendere nequeūt; saluberrimè cōparatum est, vt in lucem veritatis aciem titubantem, velati ramis humanitatis opacata inducat auctoritas.* Quamobrem idem Augustinus docet, adolescētes præcipuè indigere auctoritate; iuvenes indigere minus; minimè autem viros. Rationem arbritror esse, quia adolescētes vix possunt firmè attingere veritatem; iuvenes verò possunt, nō tamen fixo pede; viri autem eam callent. Hinc ortum adagium: *oportet addiscentē credere*. Quia igitur, quæ ad religionem spectant, prætervolant mentis aciem, ideò, ad ea percipienda, indigemus Auctore Deo: deinde Doctoribus, qui ingenio, studio, & vitæ sanctitate, meruerunt mysteriorum veritatem assequi. Non posse vitam degi, sine fide in homines, etiam argutè docet S. Augustinus, toto lib. de vtilitate credendi contra Manichæos, stolidè negantes fidem auctoritati. Nisi enim hæretici credant matribus, testantibus eos susceptos à viris suis; non se censebunt legitimos; nisi etiā fidem habeant obstetricibus affirmantibus, eos fuisse partos ab illis fœminis, quarum filij habentur, non capessent earum hæreditatem. Quòd si Livianæ historiæ fidem abrogent, nihil credent de Scipionibus, Caio Mario, aut Caio Cæsare; imo nihil poterūt agere, per servos aut liberos, nisi illis credant,

At (inquiunt) sæpe humana auctoritas fallit, teste August. tom. 1. 2. de ordine cap. 9. ergo non est, cur credamus auctoritati humanæ. In eos argumentum quadrat: sæpè enim; imò sæpissimè mentiuntur hæretici, ergo vix, aut rarò est illis credendum. Fallit igitur plerumq; humana auctoritas: vel quia homo non fuit veritatem assequutus, vel quia voluit decipere. Plerumque etiam non fallit: & quia mente pollet, ad veritatem penetrandam, & virtute veracitatis, ad eam affirmandam. Considerandum igitur est, quis loquatur, qua scientia, & quibus moribus? de quo sermo redibit disput. 6. Cùm igitur loquuntur viri docti & pij, est illis habenda fides, dum ratio non monstrat oppositum. Quod docuit Augustin. tom. 2. (S. Augus.) epist. 111. ad Fortunatum ante finem, his verbis: *Neque enim quorumlibet disputationes, quamvis Catholicorum, & laudatorum hominum, velut scripturas canonicas habere debemus vt nobis non liceat, salva honorificentia, quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorum scriptis improbare, atque respuere; si fortè invenerimus, quòd aliter senserint, quàm veritas habet, divino adiutorio, vel ab alijs intellecta, vel à nobis. Talis ego sum, in scriptis aliorum; tales volo esse intellectores meorum.* §. 11.

Igitur non efformamus hoc argumentū: (vt hęretici mentiūtur) omne quod August. dixit, est verū; sed hoc dixit: ergo hoc est verū. Sicut nō efformamus hoc: omne quod mater hæretici dicit, est verū; sed dicit hūc hæreticū esse filiū legitimū, ergo hic hæreticus est filius legitimus. Efformamus autē hūc syllogismū: omne quod August. dixit, est probabiliter credēdū: quia est probabile esse, sicut dixit, dū nō apparet manifesta ratio in cōtrariū; sed hoc dixit August. neque apparet manifesta ratio in cōtrarium: ergo probabile est, hoc ita esse, & potest probabiliter credi. Ergò, dum nobis non constat veritas evidenter, vel efficaciori ratione nō probatur opposita sententia, quam reddunt probabilem graves Doctores; si autem veritas cōstiterit, illi sunt deserēdi: assentimur enim illis, ex defectu argumenti evidentis. Similis syllogismus efformatur, quoties fide humana creditur. Divina autem vtitur hac propositione: *Omne quod Deus dicit, est necessariò verum.* In præfatione voluminis tertij ostendam, quo sale accipienda sit auctoritas Sanctorum. §. 12.

DIS-

S. Tho. q. 1. Ar. 1.

DISPVTAT. V.

Utrùm auctoritas, & revelatio Dei sint obiectum formale, & adæquatum fidei divinæ?

§. 1. ONSTITVTA iam necessitate assentiendi divinæ auctoritati & revelationi, ad exercendos actus fidei: ostenso item, quid sit moveri auctoritate alicuius, ad credenda ab eo dicta; propius accedimus nostro scopo: an videlicet divina auctoritas & revelatio necessariò cognoscantur, vt obiectum formale, & adæquatum fidei? An verò vt conditio sine qua non?

Scopus disputationis.

SECTIO I.

Opinio Scoti de revelatione.

§. 2. *Prima opinio. Scotus. Primũ argumentũ. Secundum argumentum.*

QVI in 3. dist. 23. §. *cõtrà, si fides*, opinatur, revelationem cognosci, vt conditionem sine qua non, per habitum distinctum à fide in Deum; fidem autem opinatur non tendere in articulum revelatum, quia est revelatus. Movetur primò: quia articulum esse revelatũ, est ens rationis. De quo argumento, & eius solutione egi disput. 3. §. 3. acturus etiã infrà §. 28. Secundò movetur: quia Deum esse Trinum, esset minus certũ, quàm Deum id revelasse. De quo argumento egi eadem disp. 3. §. 5.

§. 3. *Tertiũ argumentũ.*

Tertium argumentum; quia sequeretur nos non assentiri per fidem, Deũ esse Trinum; ergo. Probat antecedens, quia sine fine abiremus, in reddendis causis nostræ fidei, ergo. Probat antecedens, quia si crederemus Trinitatẽ, quia est revelata, priùs crederemus existere revelationem; hoc autem crederemus per aliam revelationem: quia prior revelatio est obscura, & nõ cognita ex terminis; sed cognoscenda est per aliam: & cùm hæc secunda sit etiam obscura, indigemus aliã tertia, ad eam cognoscẽdam: & cùm hæc sit etiã obscura, esset cognoscenda per quartam, estque eadem ratio de quavis revelatione.

§. 4. At argumentum retorqueo contra Scotum: nõ possumus credere Trinitatẽ immediatè, neque per aliquod medium inevidens: ergo debet credi per aliquod medium per se notum; hoc autem nullum est, ergo nunquam creditur Trinitas. Trinitatem nõ esse per se notam, patet: quia propositio per se nota est, ad quam determinatur intellectus per solam apprehẽsionem terminorum. Dicit Scotus, hanc propositionem, *Trinitas est*, esse immediatam, quamvis obscuram, & dependentem à revelatione cognita vt cõditione. Contrà primò: revelatio cognosci debet per aliquem habitum realẽ; hic autem est impossibilis per te: quia per te, rem esse revelatam, est ens rationis (vt patet ex disp. 3. §. 3.) ergo. Contrà secundò: ergo dicam, existentiam revelationis esse obiectum immediatum fidei catholicæ, quamvis sit obscurum; dependere tamen à propositione Ecclesiæ, vt a conditione sine qua non, vt tu dicis de Trinitate. Ad argumentum ex §. 3. nego antecedens. Ad probationem, nego antecedẽns. Ad probationem concedo, priùs cognosci revelationẽ, immediatè quidem & in se, vt obiectũ formale, sine alia revelatione reflexa; dependenter tamen à propositione humana Ecclesiæ, vt à conditione sine qua non, in quo nulla est infinita progressio: quia hæc propositio Ecclesiæ est evidens, & per se nota, redditque evidenter credibilem existentiã revelationis. De quo disputatio septima nõ erit brevis.

§. 5. *Quartũ argumentũ.*

Arguit quartò: sequitur assensum de Trinitate, esse minus certum assensu naturali, ergo. Probat antecedens: quia ideò credo Trinitatem, quia revelationẽ credo; hãc autẽ ideò credo: quia credo humanæ propositioni Ecclesiæ, qui assensus est naturalis. Nego antecedens. Ad probationem, qui censerẽt auctoritati humanæ Ecclesiæ credi, vt obiecto formali, dicerent, assensum præstitum ei auctoritati esse supernaturalem: obiectum enim naturale potest attingi actu supernaturali. Respondeo tamen, propositionem Ecclesiæ cognosci, more conditionis, & non obiecti formalis: assensus autem de conditione non est tàm certus, quàm assensus fidei, vt ipse Scotus dicit, de revelatione cognita vt conditione. Recognosce disputationem 3. §. 5.

§. 6. Quintũ argumentum: quia Deum esse veracem, est evidens naturaliter, potestque cognosci, & scientiã, & fide humana: ergo ex solo naturæ lumine, possumus credere Trinitatem revelatam. Contrà: hoc argumentum non solùm probat, revelationem non esse obiectum formale; verùm neque conditionem: quia auctoritas Dei potest naturaliter sciri. Poterunt ergò cognosci evidenter mysteria revelata, quod non dicit Scotus. Abstineo nunc à quæstione: vtrùm obiecta supernaturalia possint cognosci actu naturali? aut è contrà, naturalia super-

supernaturali? Consequentia autem Scotica est nulla: nam ex sola cognitione auctoritatis Dei, non posse cognosci Trinitatem, aut mortem Christi, abunde ostendi disp. 3. §. 20. Est igitur opus divina revelatio, quam non possumus cognoscere solo lumine rationis: est namque libere producta à Deo, & nos latens, neque enim à priori, aut à posteriori, aut intuitiuè eam possumus assequi.

SECTIO II.
Aliorum opinio.

§. 7. CENSENT alij, solâ divinâ veracitatem esse obiectum formale fidei; revelationem autem esse conditionem sine qua non, more applicationis, vt propositio Ecclesiæ est applicatio revelationis. His accense Aragonem 2. 2. q. 1. art. 1. §. *Hæc opinio*, eam adscribentem Theologis sui temporis, quos nuper sequutus Pat. Luisius Turrianus, vir doctus & eruditus è nostra Societate in 2. 2. disp. & dub. 2. §. *Vt rem explicem.*

Arag. *P. Luis.*

§. 8. Possunt arguere primò: quia fides est virtus Theologica, ergo eius obiectū formale non potest esse creatum. Cardinalis Caietanus familiari acumine in art. 1. §. *Ad secundū dubium*, distinguit revelationem actiuam & passivam: activam nō distinguit ab essentia Dei, & eius libera voluntate producendi in Propheta revelationem passivam; hanc autē distinguit ab essentia Dei: quia est actus propheticus, productus per revelationem activam. Igitur revelationem activam Dei constituit obiectum formale fidei; non passiuam. Movetur, quia distinguit actionem Dei à passione: hanc cōstituit in effectu; illam in Deo operante formaliter per voluntatem.

Caietan.

§. 9. In Philosophia ostēdi sæpius, actionem & passionem, neque ex natura rei, neque ratione distingui: recognosce disp. 11. Phy sicor. & 16. Metaph. Admissa tamen ea Caietanica doctrina, impugnatur quod dicit, nempè, revelationem activā Dei esse obiectum formale fidei: nam illa revelatio activa non est cognoscibilis immediatè; sed à posteriori per effectum, nimirum, per passivam revelationem: ergo passiva revelatio est obiectum formale prius cognitum, quā activa. Item, ex revelatione passiva cognita, simul cum cognitione auctoritatis Dei, cognoscitur necessariò mysterium revelatum: ergo revelatio passiva est obiectum formale fidei. Hanc consequentiam ex ijs præmissis probabo, sect. 3. & 4. Probo autem præmissas, quia à revelatione passiva ad activam valet consequentia, vt ab effectu ad caussam; à revelatione autem activa ad mysterium revelatum, valet consequētia: ergo à revelatione passiva ad mysterium valet consequentia.

§. 10. *Ad argumentum.* Ad argumentum ex §. 8: nego consequentiam: nam virtus Theologica est idē, quod *Dei Logica*, id est, loquens de Deo, à *Logos & Theos*, id est, *sermo Dei*. Vt autem virtus sit Theologica, sufficit eam agere de Deo, vt obiecto formali; quamvis simul agat de creatura: virtus enim attingens Deum & creaturam, verè attingit Deum: ergo agit de Deo, ergo est Theologica; quamvis simul agat de alijs, vt ostendam disputat. 97. sect. 7. & 8. visionem beatam esse obiectum formale spei Theologicæ. Fidem autem agere de Deo, ostendi disp. 3. prosequuturus disput. 6. auctoritas enim Dei, Deus est: igitur, quia pars obiecti formalis fidei est Deus, fides est Theologica. Non enim potest dici *non Theologica*: nam hæc vox est negativa, significans Deum non cognosci fide. Hoc autem est falsum: quia, si cognoscitur partialiter, non potest dici, non cognosci. Adi disp. 96. §. 33.

§. 11. *Obiectio.* Dices: homo non dicitur spiritalis; quāvis constet altera parte, spiritu: ergo neque fides dicitur Theologica, quamvis constet altero obiecto, Deo: quia denominationes deteriores sumuntur ab altera parte, vt homo dicitur ignobilis, quamvis ab altero solùm parente ignobili. Nego consequentiā. Ad probationem respondeo, *spiritale* absolutè, fundare negationem divisionis: vndè spiritale est indivisibile; quæ vox est vniversalis propter negationem: si igitur homo absolute diceretur spiritalis, diceretur absolutè indivisibilis; quod falsò diceretur: quia, cùm homo sit absolutè divisibilis, non potest dici absolutè indivisibilis. Potest autem dici indivisibilis in parte, sicut & spiritalis. Ad probationem respondeo, non semper accipi denominationes deteriores: nam à corpore irrationali, non dicitur homo irrationalis, sed rationalis, ab animo rationali. Igitur denominationes ortæ à toto composito deficiunt, deficiente vtravis parte; at verò denominationes partiales oriuntur etiam à partibus: negativæ autem non possunt oriri ab vna parte, vt irrationalitas non oritur à corpore, propter vniversalitatē, quam includit negatio. Quæ vniversalitas redditur falsa, ratione alterius partis: vt homo falsò diceretur indivisibilis, quia ratione corporis, est divisibilis: falsò item diceretur irrationalis, quia ab animo est rationalis. Exemplum de nobilitate nihil probat: quædam enim nobilitas requiritur ab vtroque parente, v.g.

S. Tho. q. 1. Art. 1. v.g. ad religiones militares; quædam autem à solo patre, vt ad immunitatem à tributis.

§. 12. *Secundum argumentum.* Secundò arguit Arag. quia revelatio se habet, vt apprehensio terminorũ, quæ non est principium assentiẽdi; sed tantũ conditio sine qua non: principium autem est lumen intellectus, & habitus principiorum. Contrà: apprehensio terminorum non cõcurrit ad iudicium sui obiecti, vt obiectum cognitum; sed vt formalis repræsentatio obiecti, cum aliqua imitatione speciei impressæ se tenentis ex parte potẽtiæ, quam complet in ratione principij activi. Revelatio verò concurrit ad obiectum revelatum, sicut obiectum cognitum, ducens in cognitionem alterius. Quod est proprium obiecti formalis. Quod autem de lumine obijcitur, examinabo sect. 6.

§. 13. *Tertium argumẽtum.* Tertiò arguitur: quia in sola veracitate Dei in actu primo, continetur vis terminativa assensus; revelatio autem est applicatio, ergo. Probo antecedens primò: quia veracitas & revelatio se habẽt, vt calor & cõiunctio cum ligno, tota autem vis calefactiva est in solo calore. Secũdò: quia hæc propositio sufficit: ***Omne quod Deus revelat, est verum***: ergo non est opus alia revelatione in speciali. *Confirmatio prima.* Confirmatur primò: quia ad credendum fide diuina, Christum cõtineri sub his speciebus hic & nunc consecratis, non est opus revelatione quòd species hic & nũc sint consecratæ. *Secunda.* Confirmatur secundò: quia ad credendum, Petrum esse conceptum in peccato originali, sufficit propositio vniuersalis: ***omnis homo*** (excepta Maria Deipara) ***est conceptus in peccato originali.*** *Tertia.* Confirmatur tertiò: quia revelatio divina comparatur veracitati divinæ, vt propositio Ecclesiæ revelationi; sed propositio Ecclesiæ est conditio ad revelationem: ergo & revelatio ad veracitatem divinam.

§. 14. *Ad argumentum.* Nego antecedens: nã cũ integra veracitate Dei, cõponi potuit absolute veritas huius propositionis: ***Christus non est mortuus***, quia potuit nec mori, nec revelari, vt ostẽdi disp. 3. §. 20. Ad primã probationẽ, nego similitudinem: quia applicatio caloris cum ligno activè sumpta, est motus localis adiungens activa passivis; formaliter autem est ***vbi*** productum per illum motum: quo ***vbi*** agens & passum sunt contigua. Motus verò & ***vbi*** non concurrunt in genere caussæ efficientis cum calore, ad calorem, totaque vis activa est in calore. At revelatio Dei concurrit cum auctoritate in eodem genere, nempe, vt obiectum cognitum. Itaque hæc obiecta habent cõcursum symbolum: quia vtrumque cognoscitur prius mysterio, & vtrumque ducit in necessariam cognitionem mysterij. Calor autẽ, & applicatio habent caussalitatem asymbolam, ac proptereà est inutile argumentum. Secunda probatio nihil probat: nam quãvis verum sit omne, quod Deus revelat; potuit esse falsum, Christum Dominum esse mortuum, neque tunc revelaretur. Exigitur ergò revelatio de morte Christi, quæ non benè colligitur ex illa propositione vniuersali.

Ad primam confirmationem respõdeo, eam esse abs re, sicut & totum hoc tertium argumentum: nam neque revelatio de existentia Christi in Eucharistia, esset necessaria vt conditio. Vt ergò tu illam constituis conditionem necessariam, ita & ego obiectum. Quod dicitur de existẽtia Christi Domini in Eucharistia, respondeo, iam esse aliam revelationem, qua asseritur, Christum contineri sub omni specie ritè consecrata, quæ revelatio distinguitur ab illo principio: ***Omne quod Deus revelat, est verum.*** Est autem alia quæstio: vtrùm propositio vniuersalis sufficiat, ad credendas omnes singulares in illa contentas? Vtrùm verò possit cognosci consecratio harum specierum in singulari, ita vt possimus de illa tam prudenter opinari, vt credamus fide diuina ibi contineri Christum? disquiram disp. 11. §. 15. *Ad primã confirmat.* *Ad secũdã cõfirmationem.* Secunda confirmatio non vrget, nam in illa propositione: ***Omnis homo concipitur in peccato originali***, includitur immediatè Petrus. De quo longè disput. 11. *Ad tertiã confirmationem.* Ad tertiam confirmationem respondeo, longè disputandum disp. 7. vtrùm propositio humana Ecclesiæ sit obiectum formale fidei? est enim grauissima difficultas. Nunc autem est clarum discrimen: quia revelatio non habet pro obiecto auctoritatem Dei; sed mysteriũ revelatũ: verbi gratia, revelatio de morte Christi, habet pro obiecto mortem Christi, & non auctoritatem Dei; propositio verò Ecclesiæ habet pro obiecto revelationem de morte Christi. Vnde propositio Ecclesiæ potest esse applicatio revelationis: hoc enim genus applicationis est coniunctio obiecti cum potentia. Coniungit autem intellectui propositio revelationem, quia illam repræsentat: revelatio verò non coniungit auctoritatem Dei, quia illam non repræsentat.

SECTIO III

Quid sit obiectum formale?

§. 16. CVM acriter concertent Doctores, vtrũ revelatio sit obiectũ formale, vel conditio sine qua nõ? vix meminere, quid sit obiectum formale, & cõditio sine

sine qua non? A quo gemino ovo nunc ordiendum. Aristoteles 1. Priorum cap. 1. sic diffinit syllogismum: *ratiocinatio est, in qua, quibusdam positis, aliud quippiam ab ijs, quæ posita sunt, necessariò accidit, eo quòd hæc sunt.* Nos sic possumus clarius describere: *Syllogismus est, in quo, quibusdam positis, aliud sequi necesse est, eo quòd hæc ponantur.* Hanc diffinitionem explicui disp. 10. logicæ. sect. 10. Quam hic nostro muneri aptabo. Ly *quibusdã positis* significat præmissas syllogismi, maiorem & minorem propositionem, quæ sunt obiectum formale, quo ducimur ad cõclusionem. Ly *aliud sequi* significat conclusionem, quæ necessariò sequitur ex præmissis. Itaq; ex Aristotele, obiectum formale, quo ducimur in syllogismo ad conclusionem, affert intellectui necessitatem assentiendi conclusioni, eo præcisè, quòd illi assentiamur. Ly *quibusdam positis* potest accipi obiectivè, & formaliter: obiectivè; quia in obiecto præmissarũ, ita disponitur medium, vt ex vi dispositionis, sequatur aliud obiectum, nempe obiectum conclusionis, aliud (inquam) ratione nostra: nam quia extrema conclusionis ostensa sunt in præmissis; ideò necessariò infertur, ea extrema esse idem inter se, ex cõmuni adagio: *quæ sunt eadem vni tertio, sunt idem inter se.* Formaliter autem possunt intelligi illa verba, quia in intellectu ponuntur præmissæ formales, quibus cognoscimus obiectivas, ita vt ex formalibus sequatur necessariò (saltem quoad speciem) assensus conclusionis, sive hoc fiat pluribus, sive vno actu: semper enim cognoscitur cõclusio, quia cognoscuntur præmissæ. Ratio à priori: quia quæ cognoscũtur esse eadem vni tertio, non possunt negari esse idem inter se: vnde sequitur assentiendi necessitas quoad speciem. Quod explicant Dialectici communi adagio: *dici de omni: dici de nullo.* De quibus latè egi disput. 10. Logicæ, sect. 16. De hac necessitate assentiendi conclusioni ex præmissis, agam disp. 6. sect. 1.

Aristotel.

§. 17. Obiectio.

Obijcis primò, posse aliquod obiectum formale intellectus cognosci, quin ex illo necessariò cognoscantur obiecta materialia: ergo obiectum formale vt sic, non infert necessitatem assentiendi obiecto materiali. Probo antecedens; quia beati vident Deũ; nec tamen necessariò creaturas. Item possumus cognoscere quidditativè aliquam caussã, quin cognoscamus omnes effectus. Adverte, obiectum formale posse cognosci immediatè, vt obiectum formale formaliter, vel vt obiectũ formale materialiter: id est, quoties cognoscitur immediatè, cognoscitur more obiecti formalis, cum quo convenit in immediata cognitione. Quando actus, quo cognoscitur, habet vim inferendi cognitionem obiecti secundarij, vel illud attingit simul cum obiecto primario; tũc cognoscitur, vt obiectũ formale formaliter: quia, & cognoscitur immediatè, & est caussa, vt aliud cognoscatur. Sic necessariò infert cognitionẽ obiecti materialis: quia hæc cognitio cõtinetur virtualiter in cognitione obiecti formalis, vt in causa naturali adæquata; vel est idẽ cũ actu de obiecto formali. Vtraq; autẽ ratione, habet necessariam connexionẽ actus de obiecto materiali, cum actu de obiecto formali. Quando verò obiectum formale non habet vim inferendi obiectum materiale, propter imperfectionem actus, quo cognoscitur; tunc cognoscitur obiectum formale materialiter: quia non cognoscitur adæquatè, vt obiectum formale. Vt enim forma dicit ordinem ad materiam; ita obiectum formale adæquatè, ad materiale. Ex vi autem illius actus, non potest elici actus circa obiectum materiale.

§. 18. Ad argumentum.

Ad argumentum ex §. 17. distinguo antecedens: obiectum formale potest cognosci, vt formale formaliter, quin ex illo necessariò sequatur cognitio obiecti materialis, nego antecedens; potest cognosci, vt obiectum formale materialiter, quin sequatur cognitio obiecti materialis, concedo: quia tunc non cognoscitur adæquatè, vt obiectum formale. At verò medium in syllogismo, cognoscitur vt obiectum formale formaliter, quia idemtitas extremorum cum vno tertio, est principium evidens cognoscẽdi idemtitatem eorumdem inter se. Secundò respondeo, Aristotelẽ loquutũ de obiecto formali disposito in syllogismo legitimo, quod necessariò infert cõclusionem; illa autem obiecta, de quibus in argumento in §. 17. non ita disponuntur; sed cognoscuntur vno actu, quo aliquando obiectum penetratur; aliquando non. At verò tàm evidens est, quæ sunt eadem vni tertio, esse idem inter se, vt quocumque actu cognoscatur, necessariò quoad speciẽ inferatur conclusio. Nobis autem in præsenti hoc sufficit: quia auctoritas & revelatio Dei cognoscuntur, vt medium in syllogismo dispositum. Igitur vt aliquod obiectum ita disponatur, vt medium, illi debet convenire diffinitio Aristotelica.

§. 19. Obiectio 2.

Obijcis secundò: finis respectu voluntatis, & mediorum, est obiectum formale; neque ducit necessariò in electionem mediorum: ergo etiam in intellectu poterit esse obiectum formale, quin ex illo sequatur necessariò conclusio. Respondeo primò, necessitatem assentiendi conclusioni ex præmissis, tàm fatalem esse, ad legitimũ syllo-

S.Tho. q. 1. Art. 1. syllogismum, vt hic non possit esse absque illa. Tota enim vis syllogistica illi necessitati nititur, eaque ratione, tam multi scribuntur canones de forma syllogistica, ad disponendū mediū, ita vt cōclusio negari nō possit: quod si negari potest, est illegitimus syllogismus. Ad argumētum in forma, nego consequentiam. Discrimen est, quia finis non movet ad media, per identitatem sui cum illis: sic enim necessario moveret, medium autem syllogismi obiectivi, movet ad conclusionem obiectivam, per identitatem sui cum illa: vnde, qui, concessis præmissis, negaret conclusionem, deduceretur ad impossibile. Secundo, nego ex intentione finis, non sequi necessario electionem aliquam medij. Aliquando finis est obtinēdus vnico solo medio, quia non est aliud: tunc intentio finis determinat voluntatem, ad electionem illius medij. Quando vero sunt multa media, est eligendum necessario aliquod vage, & non determinate: quia electio, eo præcise est necessaria, vt per illā assequamur finem; cum autem sunt plura media, est necessarium aliquod vage, id est, hoc, vel illud: non vero est necessarium hoc in particulari. At in syllogismo, quia in medio ostenditur identitas horum extremorum cum hoc medio: ideo necessario infertur identitas horum extremorum inter se, in conclusione.

SECTIO IIII.

Conclusio.

§. 20. Conclusio. S. Thom. DICO, auctoritatem & revelationem Dei esse obiectum formale fidei. Ita præcipui Theologi. S. Tho. quæst. 1. art. 1. constituit obiectum formale fidei, divinam veritatem, dū aliquid revelat. Caietan. Durand. S. Bonau. Gabriel. Okam. Bañez. Valentia. Caietanus §. *Ad secundum dubium*, Durandus in 3. dist. 23. quæst. 6. num. 6. S. Bonaventura ibidem art. 1. quæst. 1. prope finem: Gabriel quæst. 2. litera F. Ocamus in 3. quæst. 8. litera G. Quibus subscribit Bañez dubio 1. P. Valentia disput. quæst. & puncto 1. §. 4. & 5. adducit egregia testimonia Patrum, quæ tamen probant, revelationem divinam esse necessario cognoscendam, an autem sit obiectum formale, vel conditio sine qua non, non disputant.

§. 21. Prima probatio. Suar. Aliqui, vt Pater Suar. disput. 3. sect. 2. num. 4. probant hanc doctrinam: quia revelatio comparatur auctoritati divinæ & obiecto, quemadmodum vnio comparatur extremis; at vnio non est conditio sine qua non compositi, sed ratio formalis illius: ergo revelatio est ratio formalis obiecti, & non conditio sine qua non. Verum in Metaphysicis argutiis, non est locus metaphoricæ considerationi: qua enim facilitate dicitur, negatur: ego namque dicam, revelationem esse, vt est applicatio ignis ad lignum, & alias mille metaphoras.

§. 22. Ratio ergo à priori sumitur ex §. 16. quia omne medium in syllogismo dispositum, est obiectum formale conclusionis, sed auctoritas & revelatio Dei, sunt medium in syllogismo dispositum, & articulus revelatus est conclusio: ergo auctoritas & revelatio Dei sunt obiectum formale; articulus autem materiale. Maior constat disput. 2. à §. 3. Minor patet hoc syllogismo, quo assentimur revelatis: *Omne quod Deus revelat, est verum; sed Deus revelat Trinitatem: ergo est vera Trinitas*: in quo syllogismo, maior propositio continet auctoritatem Dei, vt constat disput. 4. §. 1. Minor vero continet revelationem; vtramque autem esse necessario cognoscendam, ostendi disput. 3. §. 6. igitur auctoritas & revelatio Dei, disponūtur necessario vt medium, in syllogismo. Item, ex illis necessario sequitur conclusio revelata, eo præcise, quod illæ ponantur: ergo habent perfectam rationem medij & obiecti formalis. Consequentia patet ex sect. 3. Antecedens probo, quia hæc est bona consequentia: *Deus revelat Trinitatem, ergo est Trinitas*, quia suppletur hæc propositio: *omne quod Deus revelat, est*. Ex quibus efficitur syllogismus tam perfectus, quàm hic: *omnis homo currit; Petrus est homo: ergo.*

§. 23. P. Lusius. P. Luisius adductus §. 7. ait, hæc fore vera, si fides vteretur discursu: nam inter rationes articuli revelati, vna est revelatio Dei, quia vero fides non vtitur discursu, revelatio non est obiectum formale fidei. Contrà: admitto, disputandi gratia, fidem carere discursu formali, & probo, inde non bene excludi revelationem ab obiecto formali: nam, certe, fides habet, pro obiecto formali, auctoritatem & testimonium internum Dei; pro obiecto autem materiali, habet interdum conceptus Dei, ratione distinctos ab obiecto formali, v. g. cum revelatur Trinitas, interdū autē habet obiecta realiter distincta à formali, vt cū revelatur Antichristus. Sic argumentor: ab auctoritate & testimonio interno Dei ad articulum revelatum, progreditur fides sine discursu, vt ab obiecto formali ad materiale: ergo etiam poterit sine discursu progredi, à revelatione ad obiectum revelatum. Probo consequentiam: quia, quemadmodum potest fides concipere hæc tria obiecta, nēpe, auctoritatem, & testimonium internū, & Antichristum, & ex duobus primis cognoscere tertium: ita potest concipere auctoritatem, & revelationem externam simul

mul cum testimonio interno, vel sine illo, & ex illis duobus, aut tribus, poterit concipere Antichristum. Vndè concludo, revelatio nem non excludi ab obiecto formali, ex eo quòd fides non sit formaliter discursiva: sicut non excluduntur authoritas & testimonium internum.

§. 24. *Obiectio.* *Respond.* Dices, fide non posse concipi tàm multa obiecta. Contrà: non concipiatur testimonium internum (vt distinguitur ab authoritate) sed concipiantur divina authoritas & revelatio externa. Sic arguo: externa revelatio est necessariò cognoscenda, quia testimoniū latens Dei, nō potest nobis aperiri, nisi per externā revelationē; à revelatione autem externa & authoritate Dei, valet cōsequentia ad articulum revelatum: item, illa duo sunt necessariò cognoscenda, ergo illis cōvenit diffinitio obiecti formalis. Adverte; duobus modis posse cōcipi revelationem externam: altero, quin per illam concipiatur testimonium internum; tuuc autem clarior est nostra sententia: nam cognitio articuli revelati infertur necessariò ex sola revelatione externa & authoritate; neque tunc concipiuntur ex parte obiecti formalis, nisi duo obiecta, vt per te cognoscuntur authoritas & testimonium internum. Altero modo potest concipi revelatio, ita vt ex illa cognoscatur immediatè testimonium internum. Tunc sic: fides sine discursu attingit testimonium internum per externum, ergo sine discursu movetur fides à revelatione externa ad suum obiectum. Patet consequentia: quia à testimonio externo movetur ad internum, & ex interno ad articulum. Antecedens probo; quia non est cur magis moveatur sine discursu à testimonio interno ad articulum, quàm à testimoni externo ad internum.

§. 25. Ratio à priori: quia vt aliquid sit obiectum formale, præcisè vendicat, vt sit priùs cognitum, & vt necessariò inferat cognitionem obiecti materialis, sive id fiat per formalem discursum, sive per virtualem. Nam beati, & Angeli cognoscunt creaturas in Deo, & calorem ex igne; cùm tamen neque beati, neque Angeli discurrant formaliter: sufficit enim vno actu concipere vtramque præmissam, vel totum obiectum formale, & inde inferre cognitionem alterius obiecti distinctam realiter, vel ratione, à prima cognitione.

§. 26. 1. *Obiectio* *Respondet.* Obijcis primò, revelationem non esse formam rei revelatæ, neque motivum formale specificativum: ergo non est obiectum formale. Respondeo, authoritatem & testimonium internum Dei non esse formam rei revelatæ, magis quàm revelationē ipsam; & tamen authoritas & testimonium internū constituuntur obiectū formale, ergo. Probo maiorē: quia revelatio est forma extrinseca rei revelatæ, omnis enim propositio habet pro obiecto & materia rem, de qua agit. Ratio à priori, ob quam non est opus, vt obiectum formale sit forma, est, quia sufficit vt sit præmissa inferens necessariò conclusionem, vt calor, in demonstratione à posteriori, est obiectum formale ignis; ignis verò, in demonstratione à priori, est obiectum formale caloris; cùm tamē ignis nō sit forma caloris; sed subiectum. Idem patet in demōstratione à posteriori de Deo: hisque obiectis convenit esse motivū formale specificativum, aliæque id genus metaphoræ, quibus explicantur obiecta formalia. De quo argumento agendum vberiùs §. 28.

§. 27. 2. *Obiectio* *Respond.* Obicijs secundò, propositionem Ecclesiæ esse priùs cognitam, & ducere nos necessariò in cognitionem revelationis; sed tamen non est obiectum formale illius: ergo. Grauissima est hæc difficultas, nos diù vexatura disput. 7. Neganda autem erit maior, vel minor.

§. 28. 3. *Obiectio* *Caiet. Opinio.* *Impugnatur à Suar.* Obijcis tertiò, revelationem esse extrinsecam obiecto, quia esse revelatum est ens rationis. Caietanus artic. primo respondet, revelationem non esse extrinsecam Deo, quia est idem cum eius actu. Pater Suarez disputatione tertia, sectione secunda, num. quinto, rectè respondet, revelationem esse extrinsecam Deo; & ego quidem ostendam disputatione decimatertia, revelationem esse aliquid creatum. Præterea, multa obiecta creata creduntur, propter revelationem, quæ illis est extrinseca. *Respond.* Respondeo igitur, nihil interesse ad obiectum formale, esse intrinsecum, aut extrinsecum obiecto materiali: sanitas enim extrinseca est cibo, quem appetit æger propter ipsam. Ratio à priori est, quia illud est obiectum formale intellectus, quod primò cognitum ducit necessariò in cognitionem alterius: & quia revelatio per se primò cognoscitur, & necessariò ducit in cognitionem revelati; ideò est obiectum formale illius, quamvis sit illi extrinseca. Recognosce disputationem tertiam §. tertio.

§. 29. *Obiectio.* *Respond.* Obijcis quartò, habitum fidei esse rationem, qua constituitur obiectum credibile in ratione credibilis, sicut ab intellectu constituitur obiectum intelligibile. Respondeo, habitum fidei esse, quo res constituitur credibilis, quasi activè: quia est principium activum actuum credendi, à quibus obiectum est creditum, & credibile; at verò ex parte obiecti res

S.Tho.q. 1.Art. 1. res sunt credibiles propter revelationem Dei, quæ per se primò est credibilis, sicut lux visibilis. Nec tamen fides terminatur ad revelationem sub ratione credibilis, vt est denominatio ab ipsis actibus; sicut nec visus ad lucem sub ratione visibilis, ita vt terminetur actus ad se ipsum; sed fides terminatur ad revelationem, quia revelatio est, sicut visus ad lucem, quia lux est. Alia parui momēti vide apud P. Suarez.

SECTIO V.

Vtrùm Deus sub alio conceptu distincto à veraci & revelatore, spectet ad obiectum formale fidei?

§. 30. IN Deo sunt multa attributa virtualiter distincta, quibus ipse præstat, quæ nos multis virtutibus distinctis realiter. Est controversia, vtrùm præter Deum, prout est principium loquendi res infallibiliter, vt sunt, sit alia ratio obiectum formale fidei? Ac primùm pono, omnia attributa divina cognosci immediatè; quando immediatè cognoscitur eius authoritas: quia omnia habent realem, & ex natura rei identitatem cum veracitate; nihilominus propriæ attributorum rationes, vt ratione, & virtute distinguuntur à veracitate, possunt cōsiderari, vt vtiles, vel invtiles, ad extorquēdum assensum fidei.

§. 31. 1. Conclus. Dico primò: multa attributa, vt ratione distinguuntur ab authoritate, & principio loquendi, per se non conferunt ad obiectum formale fidei. Probatur, quia attributum, quod non spectat ad sapientiam infallibilem Dei, & ad voluntatem certam non fallendi; nihil confert ad faciendam fidē; sed multa attributa formaliter sumpta, non spectant, neque ad sapientiam Dei, neque ad voluntatem non fallendi, ergo. Minor non eget probatione: immensitas enim non spectat ad intellectum, neque ad voluntatem; nec æternitas, nec omnipotentia, neque id genus alia. Maior patet, quia duo nos movent ad credendum: alterum, vt is qui loquitur, cognoscat obiecta, vt sunt; alterum, vt illa loquatur, vt cognoscit. Pone Deum non esse immensum, vt arbitratus est Aristoteles, & cum illa negatione immensitatis, esse eum impotē & erroris in suo intellectu, & deceptionis activæ in voluntate: certè si tunc loqueretur, tàm esset fide dignus, quā nunc: quod probatur ab exemplo Christi, qui vt homo non est immensus; vt homo autem est dignus fide summa: quia eius humanitas cognoscit, vt est, id quod loquitur, & illud loquitur, vt cognoscit. E contrà verò si Deus esset immensus; posset tamen fallere, aut falli, non esset tàm dignus fide: ergo conceptus immensitatis non est per se obiectum formale fidei?

§. 32. Resp. Obijcis primò, immensitatem esse idem cum authoritate Dei; sed authoritas Dei est obiectum formale fidei: ergo & immensitas. Respondeo: accepta immensitate materialiter, concedo totum argumentum; acceptâ autem immensitate formaliter, vt præcisè consideratur ratio Deum in loco constituens, non est obiectum formale fidei: existere enim vbique, non dat authoritatem loquenti, explicatur autem rectè nostra sentētia ex hypothesi impossibili, quia deficiente immensitate Dei, non deficeret formaliter eius authoritas; neque hæc esset formaliter, deficiente veracitate, tametsi esset immensitas.

§. 33. 2. Obiectio Obijcis secundò, supremum Dei dominium esse rationem ob quam ei credimus; sed dominium non spectat ad authoritatem: ergo. P. Suarez, disput. 3. sect. 4. num. 3. refert Guillielmum Parisiensem opinatum, nos credere Deo, non quia verax est; sed quia id nobis præcipit. In quam sententiam inclinari videntur Holchotus, Aliacus, & alij referendi disput. 19. censentes, Deum posse loqui rem, aliter ac est; docent autem, nos teneri Deo credere; non quòd non possit nos fallere, sed quia præcipit vt illi credamus. Respondeo tamen assensum intellectus non terminari ad dominium Dei; sed ad infallibile eiusdē testimonium; affectum autem pium credendi, posse terminari ad honestatem obediendi Deo, vel ad alia obiecta formalia alius affectivæ virtutis.

P. Suarez. Holchotus Aliacus.

Respond.

§. 34. 2. Conclus. Dico secundò: nullum attributum distinctum à principio loquendi rem infallibiliter, vt est, pertinet ad obiectum formale fidei. Probatur, quia fides habet pro obiecto adæquato formali, quidquid est per se necessarium ad infallibilem assensum rei testatæ, præter quod nihil aliud attingit, vt formale obiectum; sed sola principia loquendi rem infallibiliter, vt est, spectant ad infallibilem assensum rei testatæ: ergo illa sola sunt obiectum formale fidei. Maior est certa: quia cùm fides sit habitus assentiens rei testatæ, quia est ab aliquo testata, non potest non attingere pro obiecto formali, quidquid ad hunc assensum exigitur; quidquid autem invtile est ad huiusmodi assensum, est omninò invtile ad eius formale obiectum. Minor verò est per se nota: quia, qui non potest falli in obiectis

cognos-

cognoscentis, nec fallere in ipsis dicendis, & aliunde illa potest dicere, nihil desiderat ex parte sui ad infallibilem assensum fidei terminandum. Est enim hæc bona consequentia: *Hic non potest falli, nec fallere: & dicit Christum esse; ergo Christus est.* Pone, Deum carere omni alio attributo, hisque solis gaudere, quis dubitet eum tunc futurum tàm dignum fide, quàm nunc, & consequentiam propositam tunc futuram æquè certam?

§. 35. Vndè deduces, Deum sub nullo alio attributo esse obiectum formale fidei, neque vt auxiliatorem, nec sub vllo alio conceptu: quia nec auxilium, neque aliquis alius conceptus creatus, aut increatus, spectat formaliter ad faciendam fidem. Pone Deũ auxiliantem, vt aliquis fidem habeat infallibilem ex parte modi alicui creaturæ; ipsum autem posse rem loqui aliter atque est: tunc non esset ipse dignus tam infallibili fide. Pone item Deum loquentem infallibiliter rem vt est, & impotem auxilij ferendi: tunc tam esset bona consequentia ab eius testimonio ad rem, quàm nunc: ergo ad obiectum formale fidei, minimè spectat Deus vt auxiliator.

§. 36. *Obiectio. Respondet.* Obijcies: nisi Deus auxilietur, non erit assensus infallibilis, ergo Deus vt auxiliator, est principium assẽsus infallibilis. Distinguo antecedens: non erit assensus infallibilis, ex defectu obiecti formalis, nego antecedens; ex defectu principij activi, concedo antecedens: quia nisi Deus præstet supernaturales vires, fides non erit certa. Distinguo item consequens: fides pendet à Deo auxiliante, ex parte principij activi, concedo consequentiam; ex parte obiecti, nego consequentiam: non enim est opus, vt fides cognoscat principia activa, à quibus per se pendet, vt patet in alijs actibus intellectus & voluntatis.

SECTIO VI.

Utrùm fides pendeat à se ipsa, vt obiecto formali?

§. 37. *1. Sentent. Arag. Bañez. Canus.* PETRVS Aragon, Dominicus Bañez, & Melchior Canus, referendi, & refellendi disp. 13. à §. 116. cõstituerunt obiectum formale fidei authoritatem, & testimonium Dei; diuinam autem revelationem censuerunt esse infusionem habitus. Hos ea disput. 13. impugno, quia habitus infusio, non est revelatio Dei: ille enim cui Deus aliquid revelat, percipit loquutionem ipsius Dei, & tamdiu nobis aliquid revelaret Deus, quamdiu in nobis conservaret habitum. Hæc autem esse falsa monstrat experientia: quia pueros Deus donat habitu fidei, & nos eiusdem conservatione; neutri tamen sentimus Deum nobiscum loquentem, aut agentem: ergo habitus infusio, nec est loquutio, nec revelatio Dei. P. Molina 1. parte, quæst. 1. art. 3. disput. 2. §. *notandum* 3. censet, reuelationem Dei non esse rationem, *sub qua* obiecti fidei; eam autem rationem esse scibilitatem per revelationem. P. Suarez disp. 3. sect. 3. num. 4. trahere conatur P. Molinam in sententiam Cani: quia censet à P. Molina censeri revelationem divinam, nõ esse integram rationem credendi; sed hanc consummari per habitudinẽ ad ipsum lumen fidei. Existimo tamen P. Molinam fuisse in longè alia sententia: distinguit enim in obiecto, rationem formalem obiectivam se tenentem, vt medium ex parte obiecti; hoc autem dicit esse revelationem Dei, in quo clarissimè est à nostra sententia. Constituit item in obiecto rationem scibilis, quam dicit esse diversam in in obiecto, pro diversitate potentiarum, à quibus idem obiectum cognosci potest: quam doctrinam repetit art. 7. disput. 1. §. *ad primum*. Arbitror tamen scibilitatem obiecti constitui à P. Molina, non vt sit ex parte obiecti sciti; sed ex parte actuum & potentiarum, quibus scitur: est enim extrinseca denominatio ab actibus, vt ostendam disputat. 13. §. 120. & ostendi in procemio Metaphysicæ. Ita autem ago nunc sola ratione formali obiectiva, animaduerte Dominicum Bañez, q. 1. art. 1. dubio 1. notabili. 3. conclusione 6. & ad tertium, ab hac esse sententia: quia illustrationem ex parte habitus, non constituit ex parte obiecti cogniti, sed ex parte potentiæ cognoscentis.

P. Molina

P. Suarez.

Explicatur P. Molina.

Explicatur Bañez.

§. 38. *Conclus.* Dico igitur, obiectum formale fidei esse adæquatè distinctum ab ipso habitu, & actibus fidei. Quæ sententia communis est Authorum, quos P. Suarez adducit disput. & sect. 3. & sequitur num. 5. Probatur 1. quotidiano experimento, quia quoties credimus, cognoscimus revelationem, & authoritatem Dei: nam cùm illis moveamur, non possumus illas non apprehendere; sed non apprehendimus neque aliquid infusum, neque auxilium, neque actus ipsos: ergo hæc non spectant ad obiectum formale fidei. Probo consequentiam, quia si ad illud spectarent, non possemus illa non cognoscere: sicut non possumus non cognoscere præmissas, quando

P. Suarez. 1. Probatio

S.Tho. q. 1. Art. 1. cognoscimus conclusionem, & non amare finem integrum, quando medium amamus.

§. 39. Secunda probatio. Secundò, quia nullum aliud obiectum desideratur, nisi quod habeat necessariam connexionem cum obiecto revelato, & infallibiliter ducat in eius assensum verū, sed solùm testimonium, & authoritas Dei habent necessariam hanc connexionem in ratione obiecti, ita, vt ex parte obiecti hæc duo, absque vllo alio obiecto, habeant hāc infallibilem connexionem; ergo ex parte obiecti, nihil aliud desideratur.

§. 40. 3. probat. Tertiò, quia habitus fidei non se habet pro formali obiecto: nam obiectum habitus fidei est idem ac obiectū actus fidei; sed actus fidei pro obiecto formali non habet, neque se, neque suum habitum, ergo. Minor probatur, tum communi ratione, quia nullus actus creatus tendit in se, vt in obiectum formale; tùm etiàm, quia rogatus quilibet fidelis, quid credat? respondebit, se credere mortem Christi; quia Deus eam revelat: vbi non dicit, se credere suā fidem.

§. 41. P. Suarez. P. Molin. P. Suarez. P. Molin. Argumenta nonnulla proponētur, atque solventur, disp. 13. §. 119. Alia etiam levis armaturæ solvit P. Suarez ea sect. 3. num. 13. Vnum negotium potest facessere ex P. Molina, quia solà revelatio, & authoritas Dei non possunt distinguere fidem divinam ab humana; ergo aliud obiectum est asignandum. Patet consequentia, quia omnis habitus sumit speciem ab obiecto. P. Suarez num. 14. ait, non posse credi ex motivo proprio fidei; absque auxilio gratiæ. Respondeo tamen nullum esse obiectum supernaturale, quod (quantùm attinet ad rationē obiecti supernaturalis) attingi non posit actu naturali, à qua disputatione nunc supersedeo: gratia enim per Christum non est necessaria ad attingendum vtrumque obiectum; sed ad illud attingendum, vt oportet ad salutem: id est, actu supernaturali quoad substantiam, vel modum. Quapropter P. Molina locis adductis dicit, obiectum proprium fidei esse revelationem divinam, vt credibilem fide Catholica. Vbi conclusit non solùm obiectum formale; sed etiam modū illud attingendi: qua ratione, actus naturalis non potest tendere in supernaturale obiectum; quia non habet modum supernaturalem.

§. 42. Obiectio. Ad argumentū ex §. 41. primū respondeo, omnem habitū distingui per ordinē ad obiectū; nō tamē adæquatè: vnde duo habitus specie, distincti possunt esse de eodē obiecto: quia possunt esse distincti ex parte modi, nam obiectum est terminus extrinsecus, qui potest attingi diversis modis, vt eadē materia prima diversis formis, & eadem lux diversis animantiū visibus. Secundò respōdeo, testimoniū, & authoritatē Dei nō esse obiectū formale fidei naturalis, sed solius infusæ. P. Suarez num. 15. rationē arbitratur, quòd hæreticus amittat Catholicā fidē circa omnes articulos, quia illius obiectū formale erat diuina revelatio, quā negat; sed nō amittit fidem naturalē, ergo hæc nō habet idē obiectum formale, quod illa. Probat consequentiam, quia illa cōnexio fidei infusæ in omnes articulos, oritur ex connexione rationis formalis cū materiali: ergo si fides naturalis habet idē obiectum formale, peribit circa omnia obiecta, quādo perijt circa vnum. P. Suarez

§ 43. Respōd. 1. Respōd. 2. Huic argumento respondeo, fidem Catholicam non corrumpi ex natura sua, per dissensum hæreticum; sed tantùm demeritorie, vt abunde ostendam disp. 60. Vnde hinc nullum sumitur argumentum. Secundò respondeo, admissa oppositione physica hæresis, & habitus fidei infusæ, nullum esse argumentum ad naturalem: quia infusa est vna simplex qualitas, tendens in omnia obiecta; hæc autem qualitas, si destruitur circa vnum, non potest circa alia haberi: quia non potest idem simul esse, & non esse. At verò fides naturalis includit qualitates multas, pro diversitate specifica revelationum: quapropter destruitur illa fides partialis, quæ habet pro obiecto revelationem, quam negat hæreticus; cæteri autem habitus circa alias revelationes, nō corrumpuntur, quia non negantur illorum obiecta.

§. 44. Ratio ob quam fides naturalis non habet pro obiecto formali revelationem, petenda est ex §. 16. 17. & 18. vbi ostendi, obiectum formale illud esse; quod per se primò cognoscitur, & ducit necessariò in cognitionem obiecti materialis: & quia fides humana non cognoscit per se primò revelationem Dei, sed propositionem humanā Ecclesiæ, aut aliam; ex quā necessariò sequitur assensus ipse naturalis; ideò motivum aliquod humanum est obiectum formale fidei humanæ, in sensu, in quo nonnulli volunt fidem Catholicam pendere, vt ab obiecto formali, ab humana propositione Ecclesiæ: de quo longus redibit sermo disp. 7. sect. 2. Ita fides humana semper nititur vt obiecto primario, alicui rationi naturali, ex qua sequitur necessariò actus naturalis fidei; at verò divina fides non sequitur ex his motivis, vt constabit disp. 7. præsertim §. 78.

SE-

SECTIO VII.

De obiecto fidei quædam expediuntur.

§. 45. SOLET ab Authoribus hîc disputari, vtrùm prima veritas, vt cognoscibilis ratione naturali, aut fide humana, sit obiectū formale fidei? an verò, vt credibilis fide diuina? Hęc tamen quæstio minimè spectat ad obiectum formale fidei: agimus enim de obiecto formali; quod attingit per se primò infusa fides, & ex quo deducit infallibilem assensum; hoc autem obiectum, sæpiùs dixi nihil esse, præter authoritatem, & testimonium Dei. Si verò nomine rationis formalis, intelligatur modus ipse tendendi, certum est, fidem Catholicam tendere in obiectum formale, vt credibile actu supernaturali: quia ipsa connotat supernaturales actus, qui involuuntur in illa ratione obiecti, quod voluerunt P. Molina, & Magister Bañez. Et quamvis veritas Dei sit evidens naturaliter, potest terminare actum supernaturalem: quia Deus in sua entitate potest dare speciem actui supernaturali, meliùs quàm gratia. Item veritas Dei in testimonio vt sic, est euidens; non tamē in testimonio supernaturali: quia huius possibilitas non est evidens.

P. Molina. M. Bañez.

§. 46. 1. Conclus. Alium sensum habet hæc quæstio, nempè: vtrùm fides pendeat à cognitione aliqua naturali evidenti, aut obscura? Dico primò: cognitio evidens de infallibili authoritate Dei, non est per se necessaria conditio ad assensum supernaturalem: quam doctrinam docet P. Suarez disp. 3. sect. 6. nu. 4. Probatur primò, quia multis non est nota per scientiam infallibilitas testimonij Dei, quæ nō potest ita facilè demonstrari, etiā à peritis philosophis; nec tamen propterea non sunt fideles, qui ea ignorantiā laborant. Secundò, quia fides tantū exigit, vt conditionē, prudentem applicationem sui obiecti; ita vt non possit illud sine crimine refutari, vt constat de applicatione revelationis. Verū est, posse philosophū cum demonstratione infallibilis veritatis Dei, illā credere actu supernaturali fidei Catholicæ, qui tunc primam veritatem repræsentat evidenter: actus enim naturalis est insufficiens præmissa ad inferendum assensum supernaturalem fidei.

P. Suarez. 1. Probatio

§. 47. 2. Conclus. Dico secundò: fides acquisita de existētia revelationis Dei est conditio per se, & necessaria, ad assensum fidei. Quæ conclusio docetur à Scoto in tertiū distinctione 23. vers. de primo; Gabriel, q. 2. art. 2. conclus. 1. estque omniū Theologorum. Probatur

Scotus. Gabr.

apertè, quia fides infusa nō potest exerceri, nisi proposita evidenti credibilitate reuelationis: nā fides exercetur prudēter, quę prudētia pendet à prædicatione, propositione humana Ecclesiæ, & alijs, quæ nō credūtur, nisi fide humana: de quibus agitur, disp. 6. sect. 2. & 3. & disp. 14. præsertim à sect. 5.

DISPVT. VI.

Vtrùm authoritas Dei sit obiectum formale primarium fidei?

OSTENDI revelationem & authoritatē Dei esse obiectum formale fidei, quia ab vtraque simul ad mysterium reuelatum valet consequentia: nunc disquiro, vtrùm authoritas diuina sit obiectum formale primarium absolutè? an verò formale secundum quid, & secundarium, pendens in sui cognitione ab alio obiecto priùs cognitio? quod de revelatione disquiram disput. sequenti. Dixi disp. 1. §. 8. obiectum formale, aliud esse formale absolutè & primarium; aliud formale secūdum quid, & secundarium. Disquiro ergo, vtra ratio obiecti formalis spectet ad authoritatem Dei? §. 1.

SECTIO I.

Quid sit authoritas diuina?

AVTHORITAS est excellentia, qua aliquis est illustris. Ita homines graves, & conspicui, dicuntur esse, *viri authoritate*. Aliquando authoritas capitur à nobilitate, ob quā homines magni fiunt, & dicuntur illustres, id est, lucidi atq; conspicui. Est autem authoritas vniuersim, ratio physicè, aut moraliter existens in aliquo, ob quam illi deferimus honorē, obedientiā, aut fidem. Ita nobilitas existens in homine, nos mouet ad illius honorē: iurisdictio ad parendum Principi, sanctitas verò ad colēdū iustum. Est igitur authoritas testimonij, ratio existens in teste, à nobis extorquēs assensū ipsius testimonij. Sępè credimus hominibus è media plebe, re ipsa, propter illorū authoritatē, quæ est frugalitas & scietia rei dictę; vulgò tamen nō dicimur credere propter illorum authoritatē, quia non excellunt sapiētiā, aut probitate, quàvis habeāt quod requiritur, vt sint fide digni. Qua propter testes ingēti doctrinā, aut sāctitate, dicuntur omni exceptione maiores §. 2.

S.Tho.q. 1.Art. 1. tores: quia nulli prudenti est locus dubitandi de veritate illorum testimonij. Disquirimus nunc authoritatem Dei in dicendo: nempe, quid sit in Deo, quo valeat ad faciendam sibi fidem? hoc autem est id, ob quod credimus Deum loqui vera: nam veritas testimonij nos movet ad assensum rei testatæ.

§. 3. Vt aliquis dicat vera, opus est, vt dicat obiectum, qua ratione est: quod Philosophi dicunt, testimonium ferre, aut assertionem Aristot. obiecti. Nam ex Aristotele, *ab eo, quòd res est, vel non est; propositio dicitur vera, vel falsa.* Cicero. Cicero 2. de inuentione: *veritas est, per quam immutata, ea quæ sunt, aut antè fuerunt, aut futura sunt, dicuntur.* Id igitur erit in Deo authoritas, per quod mouetur ad dicendum quæ sunt, eo modo, quo sunt.

§. 4. Hæc authoritas primò includit infallibilē sapientiā Dei, per quam ita cognoscit omnia, vt nihil eū possit latere. Quod rectè obCaiet. seruaverunt Caiet. art. 1. §. *ad euidentiam*, & P.Valent. P. Valentia disp. 9. & punct. 1. §. 5. vers. *ex his.* Ratio est manifesta: nam ego mihi persuadeo loquentē decipi, qui possū propter eius testimonium aliquid mihi suadere: & quo magis, aut minus sumus certi de illarū rerū cognitione, quas dicit testis, aut timbamus de illarum veritate, aut sumus certi. Eā ob caussam difficile credimus pueris, aut alijs malo intellectu: quia quantumvis sint homines frugi, longéque absint à voluntate decipiendi; facilè tamen decipiuntur: quamobrem eorum testimonium parum valet apud Iudices. Exigit ergò authoritas sapientiam ex parte intellectus.

§. 5. Præterea requiritur in voluntate virtus veracitatis, quæ inclinat ad dicendū quod sentitur, quo modo sentitur, sine cavillo & fraude. Nā quòd ego opiner Petrū esse rectè conscium rerum, non sufficit ad habendam illi fidem, si mihi persuadeo illum esse subdolum, & nolle dicere, quæ scit. Ex eo enim quòd omnia sciat, non sequitur eum vera dicere; cùm possit dicere, vt scit, & contrà: opus est ergò mihi persuadere, eum Tull. velle dicere rem, vt scit. Rectè dicit Tullius ad Herennium, *in testimonio inspiciendam esse vitam testium*, & 2. de offic. *prudentia sine iustitia, nihil valet ad faciendā fidē*, & de senectute: *non cani non rugæ repentè authoritatem arripere possunt; sed honestè acta superior ætas.* Hinc reijcit ius perditorum hominū testimonia.

§. 6. Explicatur: illa principia sunt authoritas sufficiens, quæ necessario deducunt in assensum testimonij; sed neq; sola voluntas dicendi verū, neq; sapientia sola sufficit: ergò neutra sola est adequatè authoritas. Probatur minor: quia est mala cōsequētia: *Petrus scit, quæ gesta sunt, & hoc dicit: ergo hoc ita gestum est*; nā potuit dicere aliter, ac scit. Item hæc est mala consequētia: *Petrus vult dicere verum, & hoc dicit: ergo dicit verum*: nam volens hoc dicere, potuit decipi.

§. 7. At vero à sapientia & inclinatione dicēdi rē, vt est, bona est consequentia ad rē ipsā: ergo sapientia & inclinatio conflant authoritatē. Antecedēs probo; quia, qui sentit rē vt ipsa est, & eā dicit vt sentit, eā dicit, vt est: nā in intellectu testis est res, vt in se ipsa, in ore autē est, vt in intellectu; ergo in ore est, vt in se ipsa. Igitur authoritas diuina est ratio excellens, existens physicè in Deo, cōflata ex sapientia, per quam non potest falli; & inclinatione dicendi rem, quam sapit, quā non potest fallere.

§. 8. Obiectio. Dices, sapiētiā diuinā nō pertinere intrinsecè ad authoritatē Dei; sed extrinsecè connotari per veracitatē, quæ est inclinatio dicēdi rē, vt eā Deus scit infallibiliter: ergo sola veracitas est authoritas Dei. Probo antecedens: quia veracitas connotat sapientiam Dei; sapientia autē Dei est infallibilis, ergo connotat sapiētiā infallibilē. Nego anteceResp. dens. Ad probationem concedo veracitatē connotari sapiētiā infallibilē materialiter, nō verò formaliter, vt infallibilē: sicut connotatur sapientia immensa, omnipotens, & æterna materialiter; non verò formaliter. Materialiter quidē, quia omnes illæ perfectiones sunt sapiētiæ Dei, non verò formaliter, quia ex præciso cōceptu sapiētiæ effor mato per veracitatē, tantū cognoscimus esse in Deo sapientiā. Veracitas enim, vt distincta ratione à cæteris atributis, tantū dicit inclinationem infinitam, per quam Deus dicit quod sentit, vt sentit: qua autē ratione id sentiat, cognoscitur ex alijs principijs; nō verò præcisè ex conceptu veracitatis, sicut nō cognoscitur immēsitas. Secūdò, nego consequentiā: nā sive sapientia cognoscatur immediatè, sive in obliquo connotata per veracitatem, necessario debemus cognoscere Deum pollēre sapientia infallibili, vt moveamur certò & sine hæsitatione, ad assentiendum eius dictis. Vnde cōcludo, authoritatem immediatè conflari ex sapientia & veracitate; sive mediatè, sive immediatè cognoscantur.

§. 9. Quia verò censent nonnulli, solam Dei veracitatem asse authoritatem illius in dicendo; sapientiam autem præsuppositivè tantùm (vt aiunt) libet has duas respōsiones firmare. Veracitas vt sic connotat esse in intellectu assensum aliquem de obiecto testato: quia est inclinatio ad dicendum rem vt sentitur; veracitas autem Dei connotat assensum Dei de obiecto testato. Dicunt ij authores: veracitas Dei supponit apud nostrum intellectum assensum

Dei

Dei de re testata, quem assensum concipimus infallibilem, conceptione præsupposita ante conceptum de veracitate, quæ nos movet ad certò credendum Deo. Duo hic præstanda curabo: alterum, ex conceptu veracitatis diuinæ non formari conceptum de infallibili sapientia Dei; alterum, talem conceptum includi in syllogismo formali, aut virtuali Fidei; & sapientiam Dei esse formale fidei obiectum.

§. 10. Probatur primũ: quia veracitas vt sic præcisè, connotat in loquente assensum de rebus dictis; item, est virtus eas dicendi iuxta eum assensum: ergo veracitas Dei tantùm connotat assensum Dei de rebus dictis, eumque inclinat ad eas dicendum iuxta talem assensum: quia veracitas Dei addit veracitati vt sic, solam differentiam Dei; hæc autem differentia constituitur partim ratione, quasi subiecti, quæ est essentia Dei; & cõnotat asſẽsũ Dei. At veracitas vt sic nõ connotat assensũ fallibilẽ, aut infalibilẽ; sed præcisè assensum: quia ad cõceptũ eius virtutis vt sic, per accidens est, assensũ esse talem; per se autem exigit, esse inclinationẽ ad loquendũ rem, vt sentitur. Vnde homo verax loquitur rem, vt eam sentit; sive fallatur, sive veritatem attingat, eâdemq; ratione, vtroq; eventu, meretur apud Deum (si cætera adsint): ergo cõceptus veracitatis vt sic, est per accidens, rẽ sentiri, vt est, aut aliter; sed exigitur, vt eam loquamur, vt sentimus: ergo veracitas Dei præcisè est inclinatio Dei ad loquendũ rẽ, vt eam sentit; & connotat per se assensum Dei, præcisè vt Dei assensus est.

§. 11. Obiectio. Respondet. Dicent, eo ipso quòd supponatur assensus Dei, supponi eum infallibilem. Contrà: supponitur asſẽsus infallibilis materialiter; nõ verò formaliter: quia quoties apprehẽditur cõceptus Dei de rebus, nõ est opus, vt apprehẽdatur, vt infallibilis. Nã infallibilitas est attributũ scientiæ diuinæ; non verò de conceptu quidditativo: quia certitudo est extra conceptũ formalẽ affirmationis, & negationis vt sic, in quibus cõsistit asſẽsus rerũ. Nec opus est, vt ex veracitate colligamus perfectionẽ scientiæ Dei: quia ex veracitate nec colligimus obiectũ formale sciẽtiæ divinę, nec modũ quo in illud tẽdit, ad quẽ spectat certitudo. Etenim perfectiones sciẽtiæ Dei colligũtur à priori per essẽtiã Dei, aut ex cõceptibus ipsius scientiæ; ex voluntate autem nõ colligũtur: quia veracitas non indicat, ad qualem assensum ostendendum inclinet; sed eam inclinare ad loquendum ex animi sensu; qualiscumque ille sit.

§. 12. Cõfirmat. Confirmatur: demus ab Aristotele negatã Deo certam de futuris cognitionem, & à nonnullis negari sciẽtiam infallibilem metaphysicè de futuris conditionatis: Deus adhuc loqui posset de illis futuris; nec illi negaretur veracitas diuina. Tunc non esset infallibilis consequentia à veracitate ad sapientiam infallibilem, nec ad rem testatam: ergo conceptus veracitatis diuinæ non est formaliter, ad assensum infallibilẽ Dei explicandum; sed ad rem dicendam, vt sentitur à Deo. Quamvis enim Deus posset falli; esset tamen verax, vt nos etiam sumus. Christus Dominus, nec diuinitùs potest mentiri; potest autem diuinitùs falli, vt homo est.

Esto tamen colligatur ex veracitate Dei eius infallibilis sapientia; probo vtramque, vt cognitam, concurrere ad credenda revelata. Quia si solùm cognoscatur infinita inclinatio Dei ad loquendum rem, vt eam sensit, & non concipiatur expresſè, eum illam sentire infallibiliter, vt est; non possumus ei assentiri certò, & absque formidine. At persuasi infallibilem assensum Dei de re testata, & persuasi summam Dei veracitatem: item & revelationem actualem, assentimur obiecto revelato, sine formidine: ergo tàm sapientia Dei, quàm veracitas, vt cognitæ, concurrunt ad credenda mysteria. Prima pars antecedentis liquet, quia certitudo nostræ fidei pẽdet ab infallibili testimonio loquentis, quæ infallibilitas nõ potest persuaderi, nisi ex assensu infallibili loquentis, & cõformitate loquutionis cum assensu. Quia, licèt nobis persuadeamus, loquutionem esse cõformem assensui, non erimus certi, dum nobis non persuaserimus, assensum loquentis esse conformem obiecto. Item, licèt assensus credatur esse conformis, non erimus certi, nisi voluntas loquendi adsonet assensui. Consequentia verò huius argumenti constat: quia obiectum formale est, quod necessariò cognoscitur, & ducit necessariò in cognitionem conclusionis, aut obiecti materialis. §. 13.

Obijcis, cognitionem de sapientia concurrere remotè. Contrà: omne obobiectum necessariò præcognitum, ex quo sequitur necessariò conclusio, & quod redditur pro ratione conclusionis, est obiectum formale talis conclusionis; sed hæc omnia quadrant in sapientiam Dei, quæ necessariò est præcognita, & simul cum veracitate ducit necessariò in cognitionẽ conclusionis, & redditur pro ratione illius: quia hęc est causalis recta: ***ergo credo, quia Deus dicit rẽ infallibiliter, vt est***: ergo sapientia est obiectũ formale Fidei. Eã autẽ præmitti cognitã, §. 14. Obiectio. Respond.

S.Tho.q. 1.Art. 1. antequàm veracitas cognoscatur, non obest obiecto formali; sed prodest: quia obiecta primò cognita necessariò, & inferentia necessariò cognitionẽ de aliis obiectis, sunt absolutè obiecta primaria, & formalia.

§. 14. Confirmatur: possemus etiam dicere, solam revelationem esse obiectum formale; veracitatem autem esse obiectum remotum cognitum præsuppositivè. Quia eo ipso, quòd est revelatio Dei, est à veracitate, quã reuelatio connotat in obliquo. Hoc argumentum est efficax ad hominem, comparata reuelatione cum veracitate, sicut ipsi cõparant veracitatem cum sapientia.

§. 15. Rogas, vtra ex his sit magis præcipua? Si quæstio sit de excellentia illorum attributorum in se, non interest huius instituti; si autem sit de necessitate ad extorquendum assensum, vtraque est æqualis: mendacium enim ęquè potest oriri ex prava voluntate, atque ex intellectu pravo falsitas. Cur Tullius 2. de offic. dixit: *ad faciendam fidem, iustitia plus pollet: quippè cùm ea, sine prudentia, satis habeat authoritatis; prudentia, sine iustitia, nihil valeat ad faciendam fidem?* Respondeo, Tullium loquutum de testimoniis hominum frugi, de rebus, quarum sunt satis docti, quamvis nõ sint admodum prudentes; tamen æquè est neganda fides iusto decepto in testimonio, ac prudenti iniusto. *Tull.*

§. 16. *Obiectio.* Dices; ex hac doctrina sequi, à rusticis paucissimos exerceri actus fidei: quia rarò apprehendunt sapientiam, & veracitatem diuinam. *Resp.* Respondeo, communem hanc esse hominum ærumnam, qui sæpius deflectunt ab exercitio verarum virtutum, propter inconsiderationem, & ignorantiam earum obiectorum. Sæpè tamen rustici credunt, quia à Curionibus proponitur infallibilitas reuelationis Dei: vbi, quamvis imperfectè, apprehendunt totam authoritatem diuinam. Quod si Curiones admodum sint incuriosi, & illis credũt rustici propter eorum authoritatem, aut aliam humanam solum, tunc non exercent actum fidei infusæ.

SECTIO II.

Authoritas diuina est primariũ obiectum formale fidei.

§. 17. *S.Thom.* DICO, authoritatem diuinam esse obiectum formale primarium fidei. Sic cum S. Thoma cõmuniter Theologi cõtra Aureolum. Probatur: illud est obiectum formale primariũ fidei, quod per se est necessarium ad credendum, quæ dicuntur; sed authoritas diuina est per se necessaria; ergo. Maior probatur, quia fides ea sola attingit, quæ per se sunt necessaria ad credendum; quæ autem per se necessaria non sunt, non attingit. Nulla enim virtus versatur, nisi circa obiecta per se spectantia ad ipsam; quæ non spectant per se, non attinguntur, vt obiecta per se. Illud igitur erit obiectum primarium fidei, quod per se ita spectat ad fidem, vt sine illo non possit esse actus fidei; cum illo autem sunt omnia, quæ requiruntur ex parte obiecti formalis. Minor verò probatur, quia quod per se primò requiritur ad extorquendum assensum fidei, est veritas testimonii, in ratione testimonii; sed hæc veritas cognoscitur deriuari à testis authoritate, vt dixi disp. 4. §. 8. ergo authoritas per se primò requiritur ad fidẽ. Confirmatur: pone hominem sentientem rem, vt est, & eam loquentem, vt sentit; si ego id mihi persuadeo, quid deest ad concipiendum totum obiectum formale fidei? Itaque sapientia Dei est per se primò necessaria: deinde testimonium consentaneũ sapientiæ; cætera sunt invtilia formaliter ad fidem. Hæc cùm ita sint, graues patiuntur difficultates, quas iam supero.

SECTIO III.

Prima difficultas de Deo immediato obiecto fidei.

OBIICIS primò: impossibile esse authoritatem diuinam esse obiectum primarium fidei: nam authoritas Dei est Deus; sed Deus non potest esse obiectum primariũ fidei, ergo neq; authoritas Dei. Probo minorem, quia Deus in via non potest cognosci à nobis immediatè, ergo neque per fidem. Probo antecedẽs, quia Deus est obiectum cognitum per creaturas, ergo non immediatè. Hoc argumentum probaret nullam esse scientiam, cuius obiectum primarium essent substantia & Deus: vt enim Deum non cognoscimus, nisi per effecta, ita nec substantiam, nisi per accidentia: ergo, vt propterea excluditur Deus ab obiecto formali, sic excludetur substantiæ. Imò Metaphysica non habebit obiectum formale primarium: nam nullum efformamus conceptum de ente, neque de substantia materiali, aut immateriali, nisi per accidentia sensilia. Quòd si nunquàm habemus obiectum primarium, nisi cognitum immediatè, nullum habebimus obiectum formale primarium, præter accidentia sensilia. Vt igitur tueamur propositiones per se notas, §. 18. 1. Obiectio

v. g. *hominem esse animal*: item, vt tueamur distinctionem scientiarũ, & illis assignemus obiectum formale primarium substantiã; ineunda nobis est aliqua via, quã constituamus etiam Deũ obiectũ formale primarium fidei, & Theologiæ.

§. 19. Duo habemus genera cognitionum: alterum, cum primam omnium cognitionem habemus de substantia creata, & increata. Hãc cognitionẽ discursu venamur, ex creaturis, & accidentibus: V. g. cùm primùm cognoscimus esse substantiam corpoream, id præstamus discursu ex cognitione accidentium; cùm autem cognoscimus Deum, id fit discursu ex creaturis, & repugnantia infiniti processus caussarum per se, vel ex prouidentia. Obiecta formalia horum discursuum sunt accidentia ipsa, & creaturæ, quæ per se ipsas fuerunt cognitæ; ex quibus deducimus has conclusiones: *ergo substantia est: ergo prima caussa est*.

§. 20. Secundum genus cognitionis est, quando genito iam discursu, exercemus nouos actus circa illa obiecta: *Deus est: substantia est*. Hæc secunda cognitio non pendet ab actuali cognitione de creaturis, aut acciden tibus: quia conclusio illa prima de substantia & Deo, produxit speciem in intellectu, repræsentantem substantiam & Deum immediatè, sine vlla dependentia ab actuali cognitione de accidentibus, aut creaturis. Cognitiones ortæ ex his speciebus, sunt immediatæ de Deo & substantia: immediatæ, inquam, actualiter, id est, sine actuali dependentia a cognitione de accidentibus, aut creaturis; quamvis remotè sit ab illis dependens: non vt ab obiecto proximo, aut remoto, vt dicam disp. 8. sect. 1. & 2. sed vt à principio efficienti remoto; vt ibidem ostendam. De hoc secundo genere obiecti immediati, & eius cognitionis, egi disp. 7. de anima, sect. 3. & 7. & disp. 13. sect. 2. Hæc in præsenti nobis sunt peruttilia, & consonã doctrinæ S. Thom. infrà, quæst. 27. art. 3. ad 2.

§. 21. 1. Probatio. Probo hanc sententiã, de hoc secundo genere cognitionis immediatæ. Primùm, quia non haberemus scientias naturales, considerantes per se primò substantias. Secundò experientiã: nam sæpe contingit, doceri quem doctrinam aliquam, & illam sibi persuadere per aliqua argumenta; posteà accidit, vt oblitus argumentorum, memoriâ teneat conclusionem, illique hæreat. Quòd si velit illam alicui probare, studet inueniẽdo argumento; & si in illud incidit, recordatur camesse rationem, quã in animum induxit sentẽtiam illam: ergo possumus posteà habere cognitionem de conclusione, & obiecto materiali, quin repetatur cognitio de præmissis, & obiecto formali. Consequẽtia patet, quia si hoc non possemus, non possemus cognoscere conclusionem, obliti rationis, quã ei assensimus. Hæc experientia est manifesta multis in rebus: nam si ad cognoscendam actu conclusionem, egeremus cognitione actuali de obiecto formali, nunquàm possemus materiale cognoscere, sine formali. Eâdem ratione, quando cognoscimus tertiam, quartam, & alias posteriores conclusiones, necessariò cognosceremus actu, omnia obiecta formalia illarum: quia quinta non potest cognosci sine quarta, quæ est obiectũ formale quintæ; neque quarta sine tertia, neque tertia sine secunda, neque secunda sine prima; neque prima sine essentia cognita; hoc autem quis vnquã experitur? Mathematici, centum demonstrationes iisdem liciis texunt; an ne tunc actu meminere centum obiectorum formalium? Idem contingit, cùm grammaticam docemur, cuius præceptis imbuimur, ipsa Magistri voce, & lectione canonum; initio autem vix possumus verbum facere, aut scribere; nisi linguã & calamo titubante, hærẽte tertiò quoque verbo. Quoties manũm, & linguam mouemus, refricando memoriã præcepta, aut canones? Iam autem exercitis, ab ẽinsident animo phrases, & stylus, cum oblivione præceptorum; & canonum: ergo diversa ratione cognoscimus obiecta iam exerciti, ac tyrones. Nam in tyrocinio, vix percipimus obiecta, nisi simul cũ principiis, quæ nos ad illa mouere; exerciti autem non egemus illis scipionibus, sed mens ipsa exercita defigitur in obiecta. Quoties nobis aliquid persuasimus authoritate Petri? posteà eandem rem credimus, penitus obliti authoritatis Petri: & cùm eam credamus, nõ meminimus, à quo eam audiuimus. Quæ sunt argumenta manifesta, repeti mẽte eadem obiecta materialia, obiecto formali non repetito.

Nec sufficit asserere, repeti medium confuse, & in communi, quasi quis dicat: ego aliqua ratione fui inductus ad hanc conclusionem. Etenim hoc medium confusum, nõ ducit in conclusionem singularem: quia non habet necessariam connexionem cum illa; medium autem ducit in conclusionem, per connexionem extremorum cum ipso: & dum hæc connexio non repetitur in particulari, non repetitur medium, ex quo deducta fuit conclusio. Adde, priùs repeti cõclusionem, quàm medium confusum: ideò enim nobis persuademus, nos habuisse aliquam rationem, quia fixi fumus conclusioni; hoc autem non contingit absque medio: vnde ex recordatione conclusionis colligimus, nos aliquod medium habuisse. §. 22.

Tho. q. 1. Art. 1. §. 17. Probatio.

Secundò probatur à priori, quia obiecta sunt productiua specierum sui. Quando obiecta sunt præsentia, & proportionata potentijs, ea simulacra potentijs inurunt immediatè per se ipsa; si verò aut absunt, aut sunt improportionata, ea producunt per alias caussas supplentes, hac in parte, obiectorum vices. Nam obiecta sensilia consignant externos sensus speciebus impressis, quasi sigillo; quia verò hæc obiecta nō possunt tangere sensum internū, in eum traijciunt speciē, per neruos opticos, eā efficiente sensione externa, loco obiecti. Pulsatus autem intellectus, vi phātasmatis, producit speciem spiritalem (vel Deus, loco obiecti.) Ita cognitio illa de substantia & Deo, habita ex primo syllogismo, produxit in mente speciem impressam sui obiecti, per quam excitatur immediata cognitio eiusdem obiecti, sine depēdentia actuali à cognitione præmissarum. Nam, vt species producta in phātasia per sensionem externam, potest mouere phantasiam ad cognitionem sui obiecti, quin pendeat à sensione externa: quid ni, & species spiritalis mouebit intellectum ad cognitionem sui obiecti, quin pendeat ab actualibus præmissis?

§. 24. 1. Obiectio

Obijcis primò, etiam posse hanc secundam cognitionem esse principium novæ speciei impressæ, quæ producet novam cognitionem. Hæc autem noua cognitio producet aliam speciem principium alius

Refellitur

nouæ cognitionis in infinitum. Quid inde? intellectus & voluntas possunt sine fine producere actus diuersarum specierum; semper quidem sistetur in numero certo cognitionum: nam producta secunda specie, nō statim illâ exercemur ad nouum actum. Deinde posset dici, non produci speciem immediatam; nisi quando intellectus illa caret. Nam obiecta possunt cognosci mediatè, & immediatè: ad cognitionem mediatam movemur præmissis; ad immediatam mouemur specie relicta ex conclusione. Deinde non egemus noua specie.

§. 25. 2. Obiectio

Obijcis secundò, noua illa specie nō produci actum immediatum; sed repetentem

Respond.

integrum syllogismum: quemadmodum habitus mouet ad cognitionē similem illi, per quam genitus est. Respondeo, disparem esse rationem habitus acquisiti, & speciei. Habitus enim non dat posse; sed facilè posse: supponitque integram potentiam ad actum: quam inclinat, vel nihil omninò in actum efficiens, vt in Animastica dixi; vel efficiens

P. Vazq.

solum modū facilitatis, vt opinatur P. Vazquez; vel attingens substātiam ipsam actus per accidens: id est, vt principium minimè necessarium, nisi ad solam facilitatem: ac propterea inclinat potentiam ad actus similes his, quibus genitus est. Species autem impressa est, ex genere suo, principium necessarium ad substātiam actus: quapropter intellectus cum specie impressa, est principium per se actuum, specie distinctum ab intellectu cum præmissis; intellectus autem cum habitu acquisito, non est potentia per se distincta ab intellectu sine habitu, quia habitus non dat potentiam.

Obijcis tertiò, hinc sequi, esse plures propo- §. 26. 3. Obiectio
sitiones per se notas, quas meritò Philosophi non agnoscunt: v. g. cognita risibilitate per admirationē, relinquitur species immediata de risibilitate; per hanc speciem cognoscetur immediatè risibilitas, ergo risibilitas est propositio per se nota. Respondeo, Respond.
propositionem per se notam posse dici, vel absolutè, vel respectiuè: absolutè per se nota est, quæ neque per illum habitum, neque per alium est demonstrabilis à priori: v. g. *homo est animal*, cognoscitur immediatè in Physica, & est indemōstrabilis à priori per caussam intrinsecam. At verò per se nota respectiuè, est comparatione illius habitus, quo attingitur sine actuali dependentia ab alio obiecto prius cognito; est tamen demonstrabilis à priori intrinsecè per alium habitum. Talis est risibilitas, & aliæ id genus.

Adverte, in mea sententia, hæc facillimè §. 72.
explicari: nam in Animastica ostendi, conclusione formali nō cognosci integrum syllogismum; sed solam conclusionem obiectiuam. Huius speciem relinquit conclusio formalis, ac propterea conclusio obiectiva repræsentatur per talem speciem. In sententia censente conclusione formali attingi integrum syllogismum, dicendum, produci duas species: alteram repræsentantem syllogismum totum; alteram, quâ repræsentatur sola conclusio, vel sola præmissa. Posteà verò iam exerceri hanc, iam illā. Ratio est, quia quælibet obiecta sunt productiva specierum sui: cùm autem conclusio contineat eminenter species singulorum obiectorum, illas producit; vel, si non producit, nisi vnam speciem, hæc potest producere vnam cognitionem vnius obiecti, & omnium aliam; vt de Angelis communiter dicitur.

Ad argumentum ex §. 18. facillimè res- §. 28. Ad argumentum.
pondetur, negata minori. Ad probationem, negatur antecedens. Ad probationem, distinguo antecedens: Deus in via cognoscitur per creaturas prima vice, concedo antecedens; cognoscitur per creaturas sequentibus vicibus, nego antecedens.

SECTIO IIII.

Secunda difficultas ex Aureolo.

§. 29. *Opinio adscripta Aureolo.* COMMVNITER adscribitur Aureolo, censuisse obiectum primarium fidei non esse veracitatem Dei in dicendo, sed naturam diuinam: nam vltima resolutio fidei est in naturam Dei, ergo natura Dei est obiectum primarium fidei. Consequentia patet ex disput. 2. §. 13. Antecedens probo: nam ideò credimus à Deo omnia verè revelari, quia Deus verax est; sed ideò credimus Deum esse veracem, *Bonum argumentum* quia credimus Deum esse, ergo fidem nostram & veracitatem Dei vltimò resoluimus in naturam Dei. Probo minorem, quia veracitas Dei est attributum naturæ diuinæ, & conceptus secundarius illius; natura autem Dei est ratio & quasi caussa attributorum, ergo ideò cognoscimus Deum esse veracem, quia cognoscimus Deum esse.

SVBSECTIO. I.

Caietanica doctrina.

§. 30. *Caietan.* CAIETANVS art. 1. §. *ad euidentiam*, & §. *ex his præmissis*, non potuit expediri à tricis huius argumenti. Quod videtur inconstanter tractare, *P. Valent.* vt etiam observavit P. Valentia puncto 1. §. 5. versu *ex ijs*. Primum censuit Caietanus, Aureolum neutri Thomæ adversari; neque Aquinati, neque Caietano. Quod arbitror esse falsum: nam Aureolus censuit esse distinctionem inter naturam & veracitatem Dei; naturam autem esse veluti radicem, in quam resoluenda est ipsa veracitas Dei. Itaque ex Aureolo non sistitur in veracitate; sed in natura distincta à veracitate: Caietanus verò dicit sistendum esse in veracitate & natura, quæ idem sunt ex Caietano: opponuntur ergò contradictoriè duo Cardinales. Aureolum autem aduersari Sãcto Thomæ patet, quia S. Thomas distinguit, vt Aureolus, attributum veracitatis à natura: at fidem resolvit vltimò in veracitatem; Aureolus verò vltimò in naturam, ergo opponuntur S. Thomas & Aureolus.

§. 31. Secundò docet Caietanus non differre in Deo veritatem à natura: quia veritas est idem quod natura connotans cognoscibilitatem ipsius naturæ, vt est. Ostendi enim disp. 7. Metaphy. sect. 1. veritatem transcendentalem non distingui ab entitate, quia veritas conceptu suo connotat extrinsecam cognitionem, qua ipsa entitas cognoscitur, vt est. Verùm illa veritas, non est veritas in dicendo; sed in essendo, in quam nulla fides resoluta. Nam potest aliquis esse verus Petrus, quin Petrus verax; cum autem aliquis illi credit, non credit, quia loquitur verus Petrus; sed quia Petrus verax. Cùm enim Dæmones, & homines mendaces mentiuntur, loquuntur veri Dæmones, & homines veri; non tamen veraces, quia mendaces. Ratio à priori; quia hæc veritas Caietanica, tantùm est entitas fundans passivam cognitionem sui, vt est; veracitas autem in dicendo fundat cognitionem veram de obiecto dicto. Igitur fidem resolvimus in hanc virtutem Dei, per quam dicens res, vt eam sentit, fundat cognitionem veram de eadem re. Stabilita ergò veritate Dei in ratione Dei, quæritur: an quando loquitur verus Deus, loquatur per veracitatem, quin nos decipiat? Qui enim dicunt, Deum posse fallere; quando dicunt eum loqui, dicunt loqui verum Deum, non tamen verè; ergò distinguuntur veritas in essendo, & in dicendo. Respondeat ergo Caietanus, in vtram vltimò resolvatur fides?

Confirmatur: potest concipi adæquatè verus Deus; vt distinguitur ab Idolo & Deo falso, quin concipiatur veracitas in dicendo, ergo hæc distinguitur à veritate in essendo. Probo antecedens, quia si concipiamus Deum, entem à se, cui debentur omnes perfectiones simpliciter simplices, concipimus adæquatè Deum sub ratione Dei; tunc autem abstrahitur Deus à conceptu expresso loquendi, sicut abstrahitur ab expressa misericordia: ergo vt misericordia distinguitur à veritate Dei in essendo, ita & veritas in dicendo. §. 32. *Confirmatio.*

Tertiò dicit Caietanus, hanc Aureoli quæstionem esse impertinentem: siquidem agitur de obiecto fidei, qua ratione habet vim terminandi assensum; huic autem scopo inutilis est quæstio de caussis physicis huius obiecti. Ostendam §. 35. hanc quæstionem esse apprimè necessariam; nunc verò ostendo, hæc non dici constanter. Nam Caietanus dixit, Aureolum non dissidere à S. Thoma & veritate, sed ab vtroque idem dici: at S. Thomas nihil dixit impertinens ad hoc institutum, ergo neque Aureolus re ipsa id dixit: quia nihil dixit alienum à S. Thoma ex Caietano. Quòd si quæstio est impertinens, ergo quæstione impertinenti dissidet à S. Thoma. §. 33.

SVB-

S.Tho.q. 1. Art. 1.

SVBSECTIO II.

Opinio P. Valentiæ.

§. 34. P. Valent. P. Luisius

ADDVCTI §. 23. quē sequuntur P. Turrianus disp. 2. dub. 1. §. *dicendum verò est*, & alij multi, prementes vestigia Caietani §. *ex ijs præmissis*. Hi omnes conveniunt, stultā esse quæstionem: *cur credendum sit veritati diuinæ?* nā cùm veritas sit obiectum formale intellectus, & prima veritas loquatur necessariò veritatem, non est quærendum, quare credamus veritati primæ? quia ipsa est ratio formalis, vt credatur. Quemadmodum erit fatua quæstio: cur amanda sit bonitas divina? cùm nulla sit alia ratio tam digna amore. Neque verò quærendum est, vndè sciamus esse veritatem divinā? Hęc enim quæstio spectat ad caussas physicas veracitatis; non autem ad vim terminatiuā assensus: nā vndecunq; sit illa veritas, illi est credendum propter ipsam. Quemadmodum est amanda bonitas Dei propter ipsam, vndecumque sit. Igitur veracitas diuina in quæstionibus quasi physicis de ipsa, resolvitur in naturam Dei, à qua, quasi physicè, habet esse; in quæstionibus autem de vi terminativa assensus, sistitur in illa, quin progrediamur ad naturam Dei. Quamobrem omnes hi Doctores, Aureolum accusant fatuitatis; quàm tamen immeritò?

§. 35. Duas enim quæstiones possumus instituere: alteram, cur credamus veritati divinæ? Fateor hanc esse perquàm stultam, à qua abstinet Aureolus. Alteram, vndè sciamus Deum habere veritatem? Hanc iniustè calumniantur hi Doctores esse stultam.

1. Argum. Primò, quia necessariò est credendum Deū esse veracem: ergo, vel cognoscitur immediatè, vel per medium aliquod. Immediatè non posse credi, probant argumēta Aureoli, quibus nec verbum respondent; cùm oporteret ostendere rationem, ob quam attributum Dei cognoscitur immediatè, & non per essentiam priùs cognitam: tamque longè absunt à respondendo, vt Aureolum carpant, atque discerpant, quòd quæstionem invtilem & fatuam instituat. Si autem veracitas Dei creditur mediatè, ergo non est obiectum formale primarium.

§. 36. 2. Argumentum ab exemplo. Secundò probatur; fides assentitur huic propositioni: *Deus est verax*, vt assentitur huic: *Deus revelat mortem Christi*; sed hæc secunda propositio cognoscitur per authoritatem Ecclesiæ, aut miracula, & in illa resolvitur; non in quæstionibus physicis, sed in quæstionibus de assensu terminando, ergo etiàm illa propositio: *Deus est verax*, resolvitur in simili quæstione, in aliquod principium, quo moveamur ad illius assensum. Patet consequentia: quia revelationi divinæ credimus per se, & credimus illam esse, ad quem assensum terminandum habet vim, vt eam habet veracitas diuina; sed quin obstet hæc vis, redditur aliqua ratio de revelatione, & non censetur stulta hæc quæstio: *vndè scis esse revelationem?* Cui quæstioni multis multa respondemus; ergo quamvis veritas Dei habeat vim ad terminandum assensum; adhuc non est stulta quæstio: *vndè scis Deum esse veracem?* Quòd si nullam habeamus rationem illius veritatis, respondendum est, eam esse immediatè & per se notam. Item respondendum est ad optima argumenta Aureoli: & quidem, si quis roget fidelem, vndè sciat Deum esse veracem? respondere tenetur ex Metaphysicis principijs; quemadmodum roganti, vndè sciamus esse revelationem Dei? respondemus ex prudentibus principijs authoritatis Ecclesiæ, & miraculorum: quamvis hæc principia non sint obiecta formalia fidei. Vno verbo; hæ duæ propositiones sunt necessariæ: *Deus est verax: revelatio est:* vtraque est confirmanda. Igitur obiectum illud, quo confirmantur, est obiectum formale illarum; hoc autem, comparatione veritatis Dei, dixit Aureolus esse naturam divinam. Si verò illæ propositiones non sunt probandæ: quia sunt per se notæ, ostēdēdū est, qua ratione sint per se notæ, cùm revelatio sit obscura, & veritas Dei sit attributum, & conceptus secundarius, cognoscendus per naturam. Hoc sanè ipsi nequaquàm præstant; sed potiùs conviciantur Aureolo.

SVBSECTIO III.

Aliorum responsio.

ALII opinantur, Deum sub ratione Dei esse obiectum formale primarium fidei: quia obiectum formale fidei est authoritas divina; hæc autem non distinguitur ratione à natura Dei, ergo. Probo minorem, quia authoritas Dei constituitur cognitione actuali Dei; sed resolvitur fides vltimò in cognitionem actualem Dei, ergo resolvitur vltimò in naturam Dei. Hi dant Aureolo, naturam Dei esse vltimam resolutionem fidei; negantes autem distinctionem rationis inter naturam & authoritatem, docent contra Aureolum authoritatem esse vltimam resolutionem. Hos tacitè refert P. Luisius disp. 2. dub. 1. §. *dicen-* §. 37.

P. Luisius

§. *dicendum verò est*, & impugnat; quia natura divina non constituitur actuali cognitione. Verùm abstinēdum est ab hac quæstione, de distinctione rationis inter naturā & cognitionem Dei: esset enim è carceribus egredi, & tangere metas primæ partis. Vt autem hanc solutionem impugnem, do adversarijs identitatem rationis inter naturam & cognitionem Dei: & ostendo illos neque effugere Aureolum, nec fugere.

§. 38. Primò; quia authoritas Dei, præter sapientiam, includit veracitatem voluntatis, in quam vltimò partialiter resolvitur fides, vt ostendi §. 5. sed veracitas est attributum ratione distinctum à natura & cognitione Dei; ergo vltima resolutio non est in solam naturam Dei. Nunc redeunt omnia Aureolana argumenta: nam resolutio non fit vltimò in solam authoritatē Dei; cuius oppositum hi volunt. Veracitas enim est pars authoritatis, & hæc resolvitur in naturam Dei. Itē redit quæstio: vtrùm veracitas cognoscatur mediatè, vel immediatè? Dicent; vltimò tandē sisti in authoritate Dei, quia sistitur in natura. Contrà primò, iam non sistitur in veracitate, quia hęc consistit in sola voluntate. Contrà secundò: fides de Antichristo futuro resolvitur in cognitionem de Antichristo futuro; hæc autē cognitio, simul cum veracitate, constituit adæquatam authoritatem Dei distinctam à natura: ergo non omnis authoritas resoluitur vltimò in naturam Dei.

Obiectio.
Refell. 1.

§. 39. Secundò arguo, & explico quæ dixi. Nā cognitio Dei de Antichristo futuro, vt futuro, & voluntas dicendi Antichristum futurum vt cognoscitur, est authoritas, ob quam credimus Antichristum futurum; sed hæc authoritas tota distinguitur ratione à natura diuina, ergo fides nō resolvitur semper in naturam divinam, vt in authoritatem; sed vt in radicem authoritatis, quod conatur Aureolus. Maior patet ex §. 7. quiá per illam scientiam, est Antichristus in mēte Dei, sicut est in se ipso: & per revelationem Dei, est Antichristus in ore Dei, sicut in intellectu, ergo per revelationem, est Antichristus in ore Dei, sicut in se ipso, ergo ad credendum futurum Antichristum, non egemus alio obiecto formali. Probo minorem illam: nempè totam hāc authoritatem distingui à natura Dei; nam cognitio de Antichristo futuro, vt futuro, non constituit ratione nostra naturā Dei: hæc enim est adæquatè necessaria; scientia autem de futuro, vt futuro, non est adæquatè necessaria: quia vel includit formalitatem; vel connotationem, vel denominationem liberam; sed vt est scientia libera reduplicatiuè; est authoritas ad illum articulum; ergo vt authoritas, distinguitur à natura Dei. Probatur minor, quia scientia de futuro, non potest nos movere ad futurum, vt futurum, credendum; nisi apprehendamus, Deum habere scientiam de illo, vt futurum est: nam scientia de necessarijs præcisè, non potest movere ad credenda libera formaliter. Ergo hi non fugiunt Aureolum, cuius argumenta adhùc stant.

SVBSECTIO. IIII.

Responsio.

§. 40. *1. Conclus.*

DICO primò: Deus, qua ratione Deus est, saltem partialiter est obiectum formale primarium fidei. Ita P. Suar. disp. 3. sect. 1. num. 6. Probatur; quia quando credimus, cognoscimus Deum loquentem, ergo cognoscimus suppositum loquens. Patet consequentia; quia non possumus apprehendere sola accidentia loqui: est enim loquutio actus ortus, vel immediatè à solis substantijs; vel medijs accidentibus inhærentibus substantiæ. Quod, saltem ex naturâ rei, in creatis est necessarium; in divinis autem nullo modo potest oppositū contingere: quia attributa Dei, quæ ratione nostra, & logicè sunt quasi accidentia Dei, non possunt physicè separari à substātia Dei, ergo quoties concipimus Deum loquentem, concipimus substantiam Dei, vt principium illius loquutionis. Primum antecedens probo, quia quando exercemus actum fidei, credimus Deo loquenti: alicui enim credimus, cùm credimus, ergo tunc cognoscimus Deum loquentem, cui credimus: sicut cognoscimus authoritatem, qua loquitur, & ob quam credimus. Explico: accidentia creata non possunt operari ex natura rei, nisi hęreant substantiæ; cùm autem operantur à substantia separatâ, id fit, operante Deo miraculosè illorum separationē; eaquepropter, non est de conceptu accidētis creati inhæsio actualis; sed aptitudinalis. Accidentia verò logica Dei; non sunt separabilia ab ipso Deo, ac proptereà semper concipiuntur, vt quasi actu afficientia substantiam Dei; ergo neque vis loquendi, neque authoritas, per quam loquitur Deus, possunt cognosci, quin cognoscatur Deus: & quidem ridiculum esset opinari; quasi accidentibus haberi fidem; non verò substantijs, ac si quis in creaturis diceret, amicitiam iniri cum sola gratia habituali; vel cū pulchritudine accidentaria; & non cum substantia grata; aut pulchra. Neque arbitror hoc negari: concipi enim Deum vt princi-

P. Suar.

S.Tho.q. 1.Art. 1. principium loquendi, cui poterat esse dubium, cùm nullus dubitet illi credi? De ratione autem, ob quam illi credimus, est dubium cum Aureolo.

§. 41. 2.Conclus. Dico secundò: authoritas divina, siue sit ratione distincta, sive non, à natura Dei, immediatè cognoscitur per fidem; & non à priori, ex natura priùs cognita. Est contra Aureolum; sed S. Thomæ, & omnium adversantium Aureolo. Recognosce quæ sect. 3. dixi ex S. Thoma, de speciebus impresśis, relictis ex conclusione obiectorū materialium. Ibi docui ex hac conclusione: *ergo Deus est*, relinqui speciem immediatā Dei: ita, cognita substantiā Dei, & eius infinita perfectione, deducimus hanc conclusionē: *ergo Deus verax est*. Hæc conclusio relinquit speciem immediatam authoritatis infallibilis Dei, per quam speciem producitur cognitio immediata de authoritate Dei, independens ab actuali cognitione medij, ex quo deducta fuit prima conclusio. Authoritatem Dei possumus prima vice cognoscere: vel per scientiam naturalem, quasi à priori, per divinitatem priùs cognitam; vel à posteriori, per effectus Dei; vel per fidem humanam. Quocumque verò modo cognoscatur, relinquitur species immediata de illa. Cùm autem exercenda est fides, infunditur à Deo nova species supernaturalis, respondens speciei naturali, de eadem authoritate, per quam speciem supernaturalem, & habitum fidei, producitur primus actus fidei, quo dicimus: *Deus habet vim & authoritatem loquendi infallibiliter*: quare immediatè cognoscimus Deum, & eius authoritatem. Ita, cùm credimus alicui homini, nobis persuademus eius authoritatem, ex moribus, & ratiocinatione, vel alio principio extrinseco. Quando autem ijs movemur, non movemur propriè fide humana; sed ex alijs principijs haurimus hanc conclusionem: *ergo hic homo habet authoritatem in dicendo*. Ex hac conclusione relinquitur species de authoritate humana, per quam speciem producitur immediata persuasio de authoritate humana, quæ persuasio spectat formaliter ad humanam fidem.

§. 42. 3.Conclus. Dico tertiò. Quando cognoscimus authoritatem Dei, quasi à priori, per essentiā cognitam, v.g. quia natura divina est quasi radix illius: ille actus non spectat ad fidem. Est contra Aureolum resolventem fidem in naturam Dei, vt in quasi caussam authoritatis divinæ. Probatur: omnia illa quæ sunt præter authoritatem & principium loquendi, sunt per accidens ad fidem; sed fides non tendit in ea, quæ sunt per accidens ad ipsam, ergo. Minor videtur certa: quæ enim virtus tendit in aliquod obiectum per accidens? Maior probatur, quia ad assentiēdum alicui, parum refert, illum esse finitum aut infinitum, cunctipotentem, vel aliqua potentem: nam si esset omnipotens, & posset mentiri, non esset illi credendum, nisi cum formidine; quamvis autem nō sit omnipotens, si tamen res benè callet, & eas ex sensu loquitur, illi est credendum. Nam omnipotens mentiens, non haberet res in ore, sicut sunt in se ipsis; creatura autem verum dicens, haberet res in ore, sicut in se ipsis sunt: ergo tota ratio formalis per se spectans ad authoritatem, est scientia rerum infallibilis, & voluntas illas dicendi, vt sentiuntur, & principium eas loquendi.

§. 43. 1. Obiectio contra primam conclusionem. Obijcis primò, contra primam conclusionem: demus apprehendi loquutionem Dei, ortam ab authoritate infallibili, & principio loquendi quasi accidentibus logicis: tunc possemus assentiri per fidem, vel saltem per locum intrinsecum, ille habitus esset fidei: ergo substantia Dei est per accidens ad fidem, vt in tertia conclusione diximus de alijs perfectionibus Dei. Dices, hoc repugnare: quia non possunt concipi accidentia sine substantia. Contrà: neque possunt concipi effectus Dei, sine actu libero ipsius; sed tamē actus liber nō spectat ad obiectū formale, ergo. Respondeo, implicari terminos: quia accidentia semper concipiuntur in ordine ad substantiam, extrinseco suo conceptu; cùm autem illa substantia Dei sit inseparabilis ab accidentibus logicis, semper hæc in illa concipiuntur. Actus liber disparatur à natura, quòd actus liber nō concipiatur, ex conceptu proprio, & indigentia effectuum: nam si Deus ageret necessitate naturæ, haberet tam infallibilem authoritatem, quàm nūc; requiritur autem libertas, propter perfectionem modi, quo Deus operatur. Secūdò respondeo, admisso toto casu antecedentis, habitum illum non esse fidei: fides enim est habitus credendi alicui, propter eius authoritatem. Quòd si non apprehendatur ille, cui credimus, non exercetur hæc fides; sed alius habitus infallibilis, de obiecto adæquato accidentario logicè. Quemadmodum, si quis sibi complaceat in gratia, & pulchritudine, separatis à substantia, exercet quidem habitum amoris; non tamen habitum amicitiæ: quia hæc habet subiectum, quod amet, & accidens ob quod. Ita fides habet obiectum, quod credit; & rationem, propter quam.

Respond.

§. 44. 2. Obiectio contra 3. cōclusionem. Obijcis secundò, contra tertiam conclusionem: authoritas Dei, & principium loquendi connotant alias perfectiones Dei, ergo. Respondeo, illas connotari: non vt principium necessarium, vt ex illo cognito, cognos-

Respond.

cognoscatur authoritas, sed connotari more physico, sicut authoritas humana; immo & omnes effectus habent plura connotata. Similiter authoritas diuina non accipit vim terminandi fidē ab alijs principijs, sed illā includit, in solo suo cōceptu quidditativo. Quādo igitur cognoscitur per aliud obiectum prius cognitum, totum hoc est per accidens ad fidem. Quo differt à charitate: quia hæc adæquatè versatur circa bonum diuinum, vt sic: nam omne illud est amabile per se; fides autem præcisè versatur circa principia infallibiliter loquendi; cætera verò sunt per accidens. Quòd si hæc authoritas à priori cognoscitur, aut à posteriori, iam mutat obiectum formale, omnino per accidens ad credendum, creditque ille habitus alterius rationis.

§. 45. *Ad arg. Aureoli.* Ad argumentum Aureoli in §. 29. nego antecedens. Ad probationem distinguo minorem: credimus prima vice, Deum esse veracem, quia credimus Deum esse, concedo minorem; credimus alijs vicibus, Deum esse veracem, quia credimus esse Deum, nego minorem. Ad probationem minoris, prætermissa maiori, distinguo minorem: natura Dei est ratio attributorum, concedo minorem; item concedo eā ratione esse principium, vt veracitas cognoscatur prima vice per illam; cæteris vicibus, nego minorem. Recognosce §. 28. vbi respondi simili argumento facto in §. 18. Rogas, vtrùm fides reddat rationem veracitatis diuinæ? Respondeo, per habitum Fidei non posse eam reddi; fidelis autem potest per alios habitus, vt de reuelatione dixi §. 36.

SECTIO V.

Vtrùm aliquis actus internus Dei sit obiectum formale fidei?

§. 46. *Opinio Caietani.* OPVS est vestigare omnia, quæ existentia intrinsecè in Deo, sunt obiectum formale fidei. Caietanus voluit reuelationem actiuam Dei esse obiectum formale fidei, hanc autem reuelationem, dixit, esse actum liberum Dei. *P. Turrianus.* P. Turrianus, explosa reuelatione externa ab obiecto formali, recurrit ad testimonium internū Dei. Hoc testimonium (quod possum de ipso conijcere ex disp. 2. dub. 2. §. *Sed dicendum*) est scientia Dei, quā cognoscit Antichristum futurum v. g. quia ait, reuelatione externa compleri actum internum Dei, vt est cognitio testificata, & pertinet ad præscientiam. Hunc autem satis impropriè vocaremus testimonium; est enim testimonium, quo testis manifestat suum sensum alijs; hæc autem cognitio nihil manifestat, nisi ipsi Deo in genere quasi causæ formalis. Testimonium item est instrumentum, & principium actiuum, vt audiens percipiat rem testatam. Forte hic author pro testimonio vsurpat volūtate liberam Dei testandi externè rem, quā sentit: nam dub. 1. §. *Secundò dicendum*, ait obiectum formale fidei esse veritatem primā in testificando. Quam docet conflari ex scientia, & virtute veracitatis; ergo ex eius mente, testimonium internū includit actū liberum. Quod minus impropriè dicitur testimonium, non tamen admodum propriè, cùm sit principium testimonij: vt enim voluntas calefaciendi, non est calor; ita nec voluntas testandi, est testimonium. Tertiò, forte voluit testimonium internū formaliter componi, ex præscientia & actu libero. Contra eum autem, & Caietanum eodem argumento agendum, & *de eadem fidelia vterque parites dealbandus.*

§. 47. *Argumentum pro Caietan.* Argumentum pro Caietano sit: voluntas libera Dei, testandi aliquid, prius cognita, ducit necessariò in cognitionem rei reuelatæ: ergo est obiectum formale illius. Cōsequentia hæc ex me patet disp. 5. sect. 3. Antecedēs probo, quia voluntas efficax Dei de reuelando aliquo, habet necessariā connexionem cum reuelato: nam tam impossibile est, Deū velle dicere falsū, quàm id dicere; ergo ab efficaci actu Dei ad obiectum valet consequentia. Hunc actum esse necessariò cognoscendum patet, quia non potest cognosci Deum loqui verè; nisi cognoscatur loquutionem esse effectū veracitatis: nam loquutio externa infallibilis apprehenditur vt actus honestus veracitatis; ratio autem illius honestatis est formaliter actus Dei internus honestus illius virtutis, qui est liber: ergo actus liber est necessariò cognoscendus. Idē ferè argumentū efformo pro P. Turriano, quia à præscientia Dei ad obiectum præscitum valet consequentia: Deus enim non potest falli; sed hæc præscientia est cognoscēda per fidem; ergo præscientia est obiectum formale fidei. Eadem ratione argumentor ad probādum præscientiam simul cum actu libero esse obiectum formale: quia vterque actus est cognoscendus necessariò, & ab vtroque ad obiectum valet consequētia: ergo vterque est obiectum formale.

§. 48. Contrà: neuter illorum actuum potest esse obiectum formale primarium; neque vterque simul: ergo tam diuisim, quàm copula-

S.Tho.q. 1. Art. 1. pulatim excluditur ab obiecto formali primario. Probo antecedens, quia neuter actus potest immediatè cognosci per primũ actũ fidei, seu per fidem prima vice; sed vt essent obiectum primarium, deberent sic immediatè cognosci per fidem, ergo. Probo maiorem: tùm, quia Deus non cognoscitur à nobis sic immediatè; tùm, quia actus liberi cognoscũtur per effectus, vt specialiter ab illis dependent. Vndè cõstat, voluntatē liberam revelandi cognosci ex revelatione ipsa: sicut voluntas creandi mundũ, ex mũdo ipso existente. Ex quo argumentor: revelatio cognoscitur priùs quàm actus liber revelandi, & ex illa ad actum liberum revelandi valet consequentia: ergo revelatio est obiectũ formale actus liberi, ergo actus liber non est primum obiectum formale; sed potiùs revelatio externa est primum.

§. 49. 1. Obiectio Dices primò, revelationem externam esse obiectum formale respectu actus liberi, vt cognoscitur per alium habitum; non verò vt cognoscitur per fidem. Contrà: revelatio externa est verè testimonium Dei, per se ducens in mysterium revelatũ, ad quod, ab illo authoritate Dei, valet consequentia: ergo revelatio & authoritas cognoscuntur habitu fidei. Antecedens non est dubium: nam externa loquutio Dei, tàm est testimonium Dei, quàm nostra nostrum. Illud autem testimonium ducere ad mysterium revelatum, patet: tùm ex nobis, quorum voces nos movent ad credendum; tùm etiam, quia quando ego audio propositionem externam, concipio per illam obiectum dictum: item concipio illam esse infallibiliter veram, qua ratione propositiones vocales sunt veræ, & concipio voces illas esse conformes, tùm obiectis, tùm cognitioni Dei. Vndè concludo, illis cognitis, necessariò cognosci obiectum revelatum: ergo revelationem cognosco, vt testimonium me ducens necessariò in rem testatam. Primam consequentiam probo, nempè, hæc cognosci habitu fidei: nam omne testimonium Dei spectat ad fidem. Fides enim per se nititur testimonio & authoritati Dei: nam ea per se fides attingit, quæ, in ratione testimonij, manifestant rem testatam. Quòd si dixeris cum P. Turriano, fidem non esse discursivam, respondeo, vt disp. 5. §. 23.

Refellitur

§. 50. 2. Obiectio Obijcis secũdò, reuelationem externam esse testimonium instrumentale, & non formale. Contrà: actus liber non est formaliter testificatio; sed est voluntas testificandi. Externa autem revelatio est formaliùs testificatio: tùm, quia est manifestatio sensus interni Dei; tùm, quia est repræsentatio & signum obiecti; tùm tertiò, quia nondum intelligitur testis falsus, antequàm testimonium falsum dicat: ergo neque testis verus. Illa igitur erit formalis testificatio, quæ est formalis loquutio; hoc autē non congruit voluntati loquendi, sed externæ prolationi. Tandem caveatur quæstio de nomine: illa prolatio externa est infallibilis, in ratione testimonij, & loquutionis Dei; ergo non est, cur non pertineat ad fidem. Nam tàm est effectus virtutis veracitatis, & habet necessariam connexionem cum re testata, quàm quodlibet aliud testimonium; imò actus internus & externus, quoad vim movendi ad assensum, nulla ratione differunt.

Respond.

Obijcis tertiò, ex revelatione Dei relinqui speciem de actu interno Dei, quæ species producit immediatam cognitionem de eodem actu, & hæc cognitio est primus actus fidei. Contrà: non est opus, vt revelatio relinquat speciem de actu libero: nam hæ species relinquuntur per sensus externos, de obiectis intuitivè cognitis; in intellectu autem relinquuntur species de obiecto materiali per discursum, quo inferimus conclusionem de tali obiecto, vt dixi sect. 3. At verò non est opus ad credendum, cognoscere per discursum hanc conclusionem: *ergo Deus vult loqui*; sed præcisè loquutio Dei cognoscitur in recto per fidem, connotando actum liberum Dei, vt principium physicũ talis loquutionis: sicut connotatur immensitas & omnipotẽtia. Nõ tamē propterea relinquitur species directè & in recto repræsentans ea attributa; sed quoties per speciem de revelatione cognoscitur directè revelatio, connotatur semper in obliquo actus liber, sicut connotatur omnipotentia: & sicut omnipotentia non propterea est obiectum formale fidei; ita neque actus liber. Adverte, actum liberum & omnipotẽtiam non connotari, vt dent revelationi externę complementum, & vim ad terminandum assensum fidei; sed præcisè requiri, vt illi dent existentiã in genere caussæ extrinsecæ efficientis. Producta enim semel revelatio, habet vim intrinsecam ad terminandam cognitionem sui, sicut habet vim ad terminandum amorem. Quòd si cognitio de revelatione connotat actum liberum & omnipotentiam, est propter communem rationem omnium effectuum Dei, qui sunt ordo transcendentalis ad Deum. Igitur veritas revelationis cognoscitur per authoritatem Dei; existentia autem creditur immediatè, vt dixi disp. 4. §. 8.

§. 51. 3. Obiectio

Refell.

§. 52. 2. Respõsio Secundò respondeo, concedens relinqui speciem immediatam de actu libero & sciẽtia Dei. Dico, per illam speciem produci actum fidei, terminatũ immediatè ad actus internos Dei: quæ cognitio est principium cognoscendi infallibiliter revelatum. Verùm

rùm distinguendi sunt duo actus fidei: primus, quo cognoscitur revelatio externa, & ex illa cognoscuntur actus interni. In hoc syllogismo formali, aut virtuali, obiectum formale est revelatio externa; actus autem interni sunt obiectum materiale. At verò in alijs syllogismis, quorum præmissæ sunt actus interni, ipsi sunt obiectum formale; cum dependentia tamen radicali à revelatione externa. Hæc clarius patebunt disp. 13. vbi constituam obiectum fidei diversa genera testimoniorum Dei.

§. 33. P. Turr. Adverte à me propositos §. 46. tres sensus opinionis P. Turriani. Si dicat, solum actum præscientiæ esse testimonium internum Dei, est impugnandus ad hominem asserentem, obiectum formale fidei includere virtutem veracitatis divinæ: at præscientia non pertinet ad vllam virtutem moralem, neque est veracitas; ergo ex eius sententia, sola præscientia non est testimonium internum Dei. Secundò est impugnandus, quia actus præscientiæ non est testimonium Dei: non est enim loquutio Dei, nec manifestatio obiecti ad nos, iuxta mentem Dei. Si verò dicat, testimonium conflari ex vtroque actu, est impugnandus: quia, ex eius principijs, negari debet, fide attingi actum liberum Dei: nam per externam revelationem venimus in cognitionem præscientiæ Dei, quin revelatio sit obiectum formale; præscientia autem Dei sola, habet necessariam connexionem cum obiecto, ergo actus liber per accidens est ad rationem obiecti, quamvis sit per se, in ratione principij activi, vt est omnipotentia: vndè frustrà quæritur veracitas divina, ad rationem obiecti formalis. Igitur non requiritur, ex parte revelationis & testimonij, nisi cognoscere existentiam revelationis externæ, aut actus liberi interni; infallibilitas autem horum testimoniorum, cognoscitur in maiori propositione: *Omne quod Deus revelat, est infallibiliter verum*: vbi ponitur præscientia inclusa in authoritate, vt dixi §. 4.

§. 43. Ad argu. Ad argumentum ex §. 47. respondeo, antecedens esse de subiecto (vt aiunt) non supponente. Ponit enim, à cognitione immediata actus liberi Dei ad obiectum, valere consequentiam; talis autem cognitio non reperitur in primo actu fidei. Vndè nulla est consequentia: sine antecedenti enim, quæ consequentia est? Erat ergò probandum, actum liberum cognosci immediatè per primum actum fidei, cuius oppositum ostendi §. 48.

(***)

DISPVT. VII.

Vtrùm revelatio sit obiectum primarium fidei? An autem authoritas humana, & propositio Ecclesiæ sint obiectum primarium?

ANTE hanc disputationem, videbatur agendum de infallibilitate revelationis divinæ: est enim proprium authoritatis Dei, nec posse falli, nec fallere. Id tamen omisi: tùm, ne intercideretur filum obiecti formalis adæquati fidei; tùm etiàm, quia aptior est locus his difficultatibus, post disputationem de loquutione & revelatione Dei: nam veritas est attributum propositionis. Quæstionem instituo arduam, ad quam arma expedienda, & equi: sunt enim complures difficultates debellandæ. Ago item de authoritate Ecclesiæ; non quod sit illi privata difficultas: est enim communis miraculis, & alijs argumentis nostræ fidei; sed quòd frequentior sit authoritas Ecclesiæ. Dixi, *de authoritate humana*: nam in Ecclesia & miraculis, est aliquid divinum, nempè, assistentia infallibilis Spiritus sancti; & operatio supra vires totius naturæ creatæ. Ab his nunc abstineo. Est item aliquid purè humanum, & etiàm aliquid supernaturale excludens è suo conceptu formali divina, aut potens amitti peccato gravi, aut componi cum deceptione passiva, aut mendacio levi, qualis est scientia & sanctitas Ecclesiæ: cum quibus componi possunt deceptio, aut leve mendacium. Eiusmodi item est propositio miraculorum: quamvis enim miraculo nihil falsum confirmetur; potest tamen miraculum falsò proponi. Quæro igitur, vtrùm hæc propositio: *Deus revelat mortem Christi*, sit tàm immediata in fide, quàm hæc: *Deus est verax?* An verò: *Deus revelat*, sit mediata dependens ab hac, vt ab obiecto formali: *Ecclesia authoritate humana, dicit esse revelationem de morte Christi?*

Vt autem quæstio sit explicatior revelationem vsurpo pro loquutione Dei, qua ipse cum creatura rationali loquitur, explicans rem, vt eam sentit. Quæ revelatio actio externa, qua producitur auditio in mente Prophetæ; vel est ipsa auditio. §. 52

S. Tho. q. 1. Art. 1. Hæc revelatio externa est distincta ab habitu fidei, & se tenet ex parte obiecti cogniti. Explico ab humanis: cũ aliquis loquitur profert verba, quibus auditis, gignitur in audiente hic assensus: *hic loquitur de morte Christi*: qui assensus vocatur auditio, cuius obiectum est loquutio externa. Ita concipimus fide Deum loqui de morte Christi: cuius conceptionis obiectum est vel ipsa loquutio externa Dei; vel actus prophetiæ. Vtrumque enim esse loquutionem Dei & obiectum fidei, patebit disp. 13. Est igitur quæstio: vtrùm hæc revelatio externa Dei sit obiectum primarium fidei?

SECTIO I.

Difficultas quæstionis.

§. 3. *Ratio quæstionis* HVIVS quæstionis difficultas oritur, quia revelatio Dei nõ potest à nobis cognosci immediatè, sed ex propositione humana Ecclesiæ priùs cognita, ergo propositio humana Ecclesiæ est obiectum formale revelationis; revelatio verò non erit obiectum primarium, sed secundariũ fidei: quia pendet ab alio priùs cognito. Consequẽtia liquet ex disp. 2. §. 5. Antecedens probo: quia revelatio Dei nõ potest cognosci fide per speciem propriã illa clare repræsentantẽ: id enim repugnat fidei, cuius obiectum formale est illi obscurũ, quod illi convenit propter revelationẽ obscuram: ergo debet cognosci per aliud medium, quod voco propositonem humanam Ecclesiæ.

§. 4. Hoc explico: quia revelatio potest cognosci, vel à priori per caussam: v. g. cognita efficaci voluntate Dei de revelanda morte Christi; vel cognoscitur à posteriori per aliquem effectum, si habet: vt si cognosceretur per scientiam infusam in aliquo actu fidei, aut ex propositione humana Ecclesiæ; neutro autem modo est obiectum formale: qui cognoscitur mediate; & non per se. Vel potest cognosci immediatè: idque bifariã.

§. 5. Primò, per speciem claram, quod repugnat fidei: est enim proprium scientiæ infusæ, aut prophetiæ perfectæ, cognoscere evidente testimonia Dei. Item, quia, si species esset evidens, raperet intellectum ad necessarium assensum: nam evidentia est, quã intellectus necessitatem patitur circa obiecta. Item nullus posset dissentiri revelationis existentia, cuius oppositum cernitur passim in hæreticis, cum magno ipsius fidei incommodo. Vnde liquidò constat, per speciem claram, non cognosci immediatè revelationem. Neque item cognoscitur per speciem immediatam obscuram: nullum enim est principium, vnde traijciatur. Nam ego credo nunc revelationem Isaiæ, cuius revelationis, vnde possum ego habere immediatã speciem?

Dices, à Deo infundi speciem immediatè repræsentantem revelationes. Contra: illa species est obscura, qua nõ possumus vti prudenter, nisi manuducti probabili aliquo fundamento priùs cognito. Nam cùm existentia revelationis sit omnino contingens, opus est ad asserendam alteram partem cõtradictionis, vt sit probabile fundamẽtum: quia simul cum illa specie, est etiam species de non existentia revelationis. Ratio à priori, quia quilibet assensus obscurus propter obscuritatem est liber, pendens à libero voluntatis imperio. Hæc autem, nè temerè moveatur, eget prudenti principio priùs cognito, quo sibi persuadeat, probabilẽ esse hãc partem. Vt ego habeo speciẽ de somno Turcæ; item de paritate & imparitate stellarũ: quis, obsecro, nõ me censebit proiectum, si absque alio fundamento assever ẽ: *Turca dormit, stellæ sunt impares?* ergo species immediata obscura, nõ sufficit ad immediatũ assensum obiecti, sine alio obiecto priùs cognito, me ducẽte ad illud. Hoc autẽ est obiectum formale: ergo revelatio pẽdet ab alio obiecto formali. §. 6. *Obiectio. Refellitur.*

§. 7. *Confirmatur.* Confirmatur, quia habens aliquis speciẽ infusã de revelatione, potest illi negare inculpatè assensũ: ergo species de revelatione non sufficit sola. Probo antecedens: tum ex August. in epist. contra fundamentũ. asserẽte, *Euangelio non crederẽ, nisi me ad id Ecclesiæ moveret authoritas*: tùm à priori, quia non peccatur contra fidẽ, nisi violetur lex prudentiæ in credendo; sed licèt negetur revelatio, cuius speciẽ habemus, nõ violatur lex prudentiæ; nisi repugnemus authoritati Ecclesiæ. Quid enim peccat negans revelationem, de qua nihil accepit à Doctoribus, ab Ecclesia, aut per miracula? *August.*

§. 8. *Obiectio refellitur.* Dices, necessariam esse propositionẽ Ecclesiæ, ad formandũ primum assensũ de revelatione; eo autẽ præstito, relinqui speciẽ immediatam de revelatione, cuius vsus spectat ad habitum fidei: vt in simili dixi disputatione 6. sectione 3. Contra: ergo in illo primo assensu, propositio humana Ecclesiæ fuit obiectum formale revelationis. Patet consequentia: quia revelatio deducta est ex propositione Ecclesiæ, sicut articulus deducitur ex revelatione. Vnde arguo: cognitio articuli deducitur immediatè ex revelatione; cognitio autem revelationis deducitur ex propositione Ecclesiæ: ergo cognitio articuli deducitur ex propositione Ecclesiæ, vt ex obiecto formali absolutè; ex

ex revelatione verò, vt ex obiecto formali secundum quid. Hunc habitum esse fidei in Deum patet: quia verè creditur eius testimonium & authoritas; propter hæc autem creditur articulus: ergo est fides in Deum.

§. 9. 2. Obiectio Refell. 1. Obijcis, illam fidem non esse in Deum: quia non nititur per se primò testimonio Dei; sed hominum fallibili. Contrà primò id vertitur in controversiam: nam propter obscuritatem revelationis, non potest eius existentia cognosci; nisi ex alio obiecto cognito. Contrà secundò: ergo species relicta ex iudicio, per propositionem Ecclesiæ, erit incerta physicè. Patet consequentia: quia species non est certior, quàm iudicium; sed iudicium non fuit physicè certum: quia deductum fuit ex authoritate humana Ecclesiæ. Vnde concludo, vel non infundi speciem supernaturalem: sicut, per te, non deducitur actus supernaturalis; vel, si infunditur species supernaturalis, erit incerta: sicut, per te, esset incertũ tale iudicium. Hoc dico de iudicio, nõ totius, Ecclesiæ: id enim, etsi ab authoritate humana, est moraliter certum, quamvis non physicè.

§. 10. Obiectio. Dices, ex iudicio deducto ex propositione Ecclesiæ, produci duas species specierum: alteram ex actu falso, si forte deducitur aliquando ex propositione humana, quæ species est falsa; & non supernaturalis. Altera species producitur ex actu vero Ecclesiæ; hæc autem species est supernaturalis, & certa. Refell. Contrà: vt producitur illa species, cur non producetur actus supernaturalis? Nam eadem ratio videtur repugnare supernaturalitati specierum, quæ repugnat supernaturalitati actuum. Deinde possemus dicere, revelationem cognosci vt conditionem sine qua non, vt per illam excitetur species de mysterio revelato. Nam ad fidem sufficit dependentia à testimonio dicentis: ergo.

§. 11. Igitur voluntas fidelis, ad inclinandum intellectum ad assensum de existentia revelationis, pendet à cognitione de propositione humana Ecclesiæ; sed hæc propositio prius cognita, ducit necessariò in cognitionem revelationis: ergo ea propositio est obiectum formale revelationis. Consequentia patet, ex me, disput. 5. sect. 3. quia omne obiectum prius cognitum ducens necessariò in cognitionem alterius, est obiectum formale illius. Ex hac propositione Ecclesiæ, sequi necessariò revelationem, patet: quia Ecclesia est infallibilis in proponenda revelatione.

§. 12. Quia hoc argumẽtum nos distrahet per lõgas ambages, vt faciliùs illi respondeamus, libet illud in forma proponere. Authoritas humana Ecclesiæ est obiectum necessariò cognoscendum priùs quàm revelatio, & ex eo cognito sequitur necessariò cognitio revelationis: ergo propositio humana Ecclesiæ est obiectum formale revelationis. Quod patet hoc syllogismo: *Omne quod Ecclesia dicit esse, est necessariò verum; sed dicit esse revelationẽ de Trinitate: ergo revelatio de Trinitate est necessariò vera.* Maior est fidei; minor sensibus patet.

SECTIO II.

Opinio cõstituens propositionem humanam Ecclesiæ obiectum formale fidei.

FORTE succumbet aliquis argumento: quòd legitimè concludat, neque reddatur vnquàm discrimen inter revelationem, comparatione articuli revelati; & propositionem Ecclesiæ, comparatione revelationis: cùm vtraque concurrat, vt obiectum prius cognitum, ducens necessariò in aliud. Item rogati, cur credamus incarnationem? respondemus: quia est revelata à Deo. Rogati autem, cur credamus eam esse revelatam? respondemus: quia Ecclesia ita proposuit. Resolvitur ergò existentia revelationis in authoritatem Ecclesiæ: sicut veritas eiusdem revelationis resoluitur in authoritatem Dei, & sicut articulus in revelationem. §. 13.

SVBSECTIO I.

Durandus & alij vindicati.

MELCHIOR Canus 2. de locis c. 8. §. *Cui & tertium*, hæc ait: *Eorum hic errorem dissimulare non possum, qui asseruerunt fidem nostram eò, tanquàm in vltimam credendi caussam, reducendam esse, vt credamus Ecclesiam esse veracem, cui priùs (inquiunt) assentimur fide acquisita, quàm per infusam.* Hæc ille: quibus damnat erroris sententiam propositam §. 13. pro qua allegat, in margine, Durandum, Gabrielem, & Scotum. Eandem notam ei sententiæ invsserе Magistri Bañez dub. 4. §. *secunda conclusio*, & Aragon, §. *tertiò, id quod Scotus*, quamvis Aragon mitiùs agat in illam. Hac in parte, duo sunt expedienda: alterum, nullum Catholicum ausum resolvere fidem in authoritatem humanam Ecclesiæ, quidquid obstrepant hæretici: de quo agetur subsectione tertia. In authoritatem autem divinam Ecclesiæ resolvi partialiter fidem, censuit Michael Medina, apud §. 16. Canus. Durand. Gabr. Scotus. Bañez. Medina.

S.Tho.q. 1.Art. 1. *P. Luis.* apud Patrem Luisium disput.2. dub.4.§.2. *opinio*. Alterum expediendum: quid senserint tres Authores accusati à Cano?

§. 15. Quos per iniuriam momordit Canus. Hoc vt pateat, adverte duas Ecclesiæ authoritates: alteram humanam, vt est cætus multorum hominum insigni sapientia, & sanctitate, qui nec facilè decipiuntur, & decipiunt difficilè; quamvis vtrumque possint. Hanc authoritatem opinio è §.13.cōstituit obiectum formale fidei, de qua loquuntur Canus, Bañez, & Aragon: deducunt enim fidem fore incertam, si inniteretur huic testimonio incerto. In quo sensu, nusquam Durandus, Scotus, aut Gabriel opinati, eam esse obiectum formale fidei; neque hanc in illam resolui, nisi vt in conditionem.

§. 16. *Durand. Gabriel. Scotus.* Durandus enim in 3. dist. 24. quæst. 2. num. 4. ait, fidem non posse esse falsam, propter eius obiectum formale infallibile, quod est divina veritas. Hoc autem esset falsum, si in obiecto formali fidei, admitteret testimoniū fallibile. Gabriel dist. 23. quæst.2.art.1.ante finem, expresè dicit, fidem divinam resolvi in solam authoritatem Dei; humanam autem in authoritatem Prophetæ, aut Ecclesiæ, quibus humana fide assentimur. Item ait, fidem esse tàm certam, quàm visionem beatam, propter infallibile obiectum formale fidei. Scotus verò, neque in revelationem resolvit fidē, vt in obiectum formale; sed vt in conditionem. Dicunt tamen hi Authores (& meritò) fidem infusam, in exercendo assensu, pendere ab humana, vt à conditione. Quod, præter illos, adstruxere S.Bonaventura, multi antiqui, & recētes multi: de quo agendum disp.14. 15.&.16.sect.5.

§. 17. Altera Ecclesiæ authoritas est divina: quia Spiritus sanctus illi ita adest, vt eam non sinat falli, aut fallere. Tunc enim loquitur Ecclesia, vt instrumentum Dei loquentis per illam: quemadmodum Isaias & Ioannes loquuti sunt, afflati Spiritu sancto. Quibus cùm credimus, non credimus propter illorum authoritatem; sed propter divinam, quæ in illis loquitur. Hanc authoritatem non dixit Durandus esse obiectum formale fidei; sed eam esse vnum ex articulis revelatis, quæ sunt obiecta materialia. *Durand.* Equidem Ecclesiam hac authoritate vigere, soli hæretici negant hæreticè. Quod autē peculiare censuit Durandus, est, hanc Ecclesiæ authoritatem esse primum articulum credendum ante omnes; vt ex illo credantur cæteri: nam omnes diffinitiones, & approbatio Scripturę pēdent ab authoritate Ecclesiæ. Quod patet ex eodem Durando dist.24.q.1.& 3. vtrobiq; nu.8. quē Canus videtur per imposturam reprehendisse.

Neque opinio relata §.13.agit de hac secunda authoritate Ecclesiæ; sed de prima, humana & fallibili ex se. Nam authoritas divina Ecclesiæ est tàm difficilis creditu, quàm Incarnatio & alij articuli: creditur enim per revelationem; quæ revelatio est tàm difficilis cognitu, quàm cæteræ; est autem proponenda revelatio, non per ipsam authoritatem infallibilem; sed per humanam Ecclesiæ: nam vt Trinitas non est conditio antecedens in cognitione revelationem sui, sed potius cognitio revelationis antecedit Trinitatis cognitionem: ita revelatio de authoritate divina Ecclesiæ, antecedit ipsam authoritatis cognitionem; propositio autem revelationis antecedit revelationis cognitionem: ergo propositio revelationis antecedit in cognitione authoritatem divinam Ecclesiæ. Circulus verò est impugnandus disp. 18. vbi agetur de resolutione fidei. §. 18.

SVBSECTIO. II.

Explicatio, & communis impugnatio huius sententiæ.

ITAQVE sententia è §.13.ita resoluit fidem: *Credo Deum factum hominem, quia id ipse revelavit: credo enim omnem eius revelationem esse veram, quia est eius testimonium. Credo verò, Deum id revelasse, quia tot homines graues, quot sunt in Ecclesia, id asserunt; credo autem eorum assertionem esse veram, quia pollent virtute & doctrina.* Igitur hæc authoritas humana Ecclesiæ, est primum obiectum formale partiale, me movens ad credendam existentiam revelationis, in quod partialiter fides resolvitur vltimò. §. 19.

Adverte, propter testimonium Ecclesię, non credi, nisi existentiam revelationis; huius autem veritas creditur propter authoritatem Dei. Mysterium verò revelatum creditur immediatè, propter existentiam revelationis, & authoritatem Dei; non autem propter authoritatem Ecclesiæ, quæ de illo nihil egit: v. g. ego credo propter authoritatem Ecclesiæ, Apocalipsim revelatam Ioanni, in qua continetur revelatio de Antichristo; Antichristum autem ego credo, propter authoritatem & revelationem Dei factam Ioanni. Vt si Rex scribat Prætori futurum bellum: ego, propter testimonium Prætoris, credo Regem id scripsisse; futurum autem bellum credo, propter testimonium & authoritatem Regis. Quod indicavit Durandus distinct.23. quæst. 1. num. 8. Item ego recito ex Augustino, gratiam Christi esse necessariam: §. 20.

discipulus, propter meam authoritatem; credit, me id vidisse in Augustino; necessitatem autem gratiæ credit, nō propter authoritatem meam; sed propter Augustinianam.

§. 21. Canus. 1. Ioan. 5. Canus & alij acriter invecti in hanc sententiam, multa congerunt testimonia & argumenta leuis armaturæ. Nam quod Ioannes dixit, credentem habere testimonium Dei in se, est verum in hac sententia, in qua acceptatur testimonium, de quo creduntur duo: & quòd existit, & quòd est verum; at verò Ioannes non negat, existentiam huius testimonij cognosci per Ecclesiam. 1. Ioan. 5. 10. Cùm autem dicit, à non credente mendacem fieri Deum, est certum in hac sententia, vt in communi: nam si quis sibi persuadeat, dici falsum à Deo, eum facit mendacem in vtraque sententia; si verò negat existentiam revelationis, Deum etiam facit mendacem eodē modo, in vtraque sententia. Sive enim propositio Ecclesiæ sit cōditio fine qua nō, sive sit obiectum formale, in vtraque sententia negatur veritas propositionis Ecclesiæ, & existentia revelationis Dei. Hoc autem cur Deus fiat mēdax, patebit inferiùs; nunc mihi sat est ostendere, difficultatem esse communem vtrique sententiæ.

§. 22. Explicat. Paullus 1. ad Thess. 2 Adducunt Paullum 1. ad Thessaloni. 2. agentem gratias Deo, quòd verbum Dei acceptum fuerit Thessalonicæ, non vt verbum hominis; sed, vt erat verè, verbum Dei. Respondeo ex §. 20. duo à Paullo doceri: alterum, Dei verbum acceptum fuisse, vt verbum Dei: quod quidem ita fuit: Thessalonicenses enim sibi persuasere, Deū revelasse mortem Christi, quam credi derunt, propter illud verbum Dei. Alterum, quod docet, est, verbum illud Dei acceptū fuisse à Paullo, contestanto illud esse verè verbum Dei. Hæc autem sententia dicit, Thessalonicenses accepisse existentiā verbi Dei, propter testimoniū Paulli, vt propter obiectum formale; sententia verò communis, non nisi vt propter conditionem; neutra tamen contradicit Paullo, in neutram partem inclinanti. Eādem ratione respondetur ad Hæbr. 6. Hebræ. 6. voluit enim Deus promissione & iureiurando ostendere firmitatem consilij sui: itāque de re promissa à Deo sumus certi, ipso promisso & iuramento; at verò de existentia promissionis & iuramenti sumus certi, humano testimonio Mosis: vt exemplo Prætoris constat §. 20. Ioan. 4. Item Ioann. 4. *Iam non propter tuam loquelam credimus: ipsi enim audivimus & scimus.* Nam Samaritani non meminere revelationis Dei; sed experientiæ & scientiæ suæ: Petrus exponitur. prius enim crediderant, propter testimonium levis mulierculæ; ostendunt autem se iam niti meliori testimonio, nempè sermoni Christiano.

§. 23. Ex Patribus non probant plus: illi enim apertè aiunt, nos credere propter Dei authoritatem & testimonium. At verò Patres non negant, testimonium illud credi propter humanam authoritatem Ecclesiæ; sed potiùs Augustinus ait, se credere Evangelium ob authoritatem Ecclesiæ. August.

§. 24. Rationibus agunt primò, quòd fides est divina, donum Dei, infallibilis, & alia. Respondeo, esse divinam: quia eius obiectum formale partiale est Deus. Eadem ratione est donum Dei. Item, quia gratis infunditur à Deo. Infallibilis verò est, quia necessariò attingit testimoniū verum Ecclesiæ; ab actu autē vero, vt vero, valet consequētia ad obiectū. Igitur oportet cōtra hāc sententiam nervos & latera contendere.

SVBSECTIO. III.

Primum argumentum contra eam sententiam.

§. 25. SENTENTIA relata §. 13. adeò est invisa Catholicis omnibus, vt nullus eam ausus. S. Thom. Sanctus Thomas, art. 1, Caietan. Caietanus, & omnes ex eā factione, solam admittunt authoritatem Dei revelantem: ex S. Bonau. quibus multi, ei adspergunt labem erroris, Durand. aut temeritatis. S. Bonaventura in 3. dist. 23. art. 1. quæst. 3. vbi fidei adscribit vnum obiectum formale: quod in ea sententia esse non potest; Gabr. clariùs autem art. 2. q. 2. Durandus dist. 24. q. 2. num. 4. Gabriel q. 2. art. 1. ante finem, & art. 2. conclus. 1. recentesque omnes, Bañez, Aragon, PP. Turrianus, & Valentia, P. Suarez, in manuscriptis; disp. 3. sect. 1. conclus. 1. eam damnat erroris. Bañez. Arag. Turr. Val. Suarez. Gretserus. Tandem P. Gretserus tom. 1. pro Bellarmino, tractatu de agnoscendis scripturis Canonicis, cap. 8. sæpiùs repetit, authoritatem humanam Ecclesiæ, esse conditionem fine qua non, vt obsistat Paræo, & Pappo, alijsque hæreticis, calumniantibus, quòd Catholici censeant, authoritate humana Ecclesiæ gigni fidem infusam. Quod ipse explicat de conditione sine qua non, vt illis è manibus ansam abripiat calumniæ.

§. 26. 1. Argumentum. Primum argumentum: fides divina est infallibilis ex obiecto; sed si eius obiectum formale esset authoritas humana, non esset infallibilis ex obiecto: ergo humana authoritas nō est obiectū formale fidei. Maior adeò est certa, vt negari tutò nō possit. Primum

S.Tho.q. 1. Art. 1. B. August. tom. 5. lib. 21. de Civitate, ait: *nam quæ melior, & validior ratio de rebus redditur, quàm cùm Omnipotens ea posse facere perhibetur, & facturus dicitur?* Vbi obstruit Ethnicorum ora, irridentium mysteria nostræ religionis; rationem autem reddit, à testimonio infallibili Dei: quod per se notum est, esse immune falsitate. Quòd si in obiecto fidei non esset infallibilitas per se nota Ethnicis, nulla esset argumentatio Augustini: quia Deus decipi posset, aut decipere. Sed ex hac sententia infringitur hæc argumentatio: quia constituitur obiectum fidei expositū falsitati, ergo. S. Leo serm. 7. de nativitate, mysteriorum nullam rationem reddit, nisi authoritatem divinam, cui credimus. Possent autem infideles respondere, esse nugas, quæ fides prædicat: nam revelatio Dei nulla est; sed proponitur falsò authoritate humana mendaci, cui nos credimus. Opus ergò est vindicare fidem ab his calumnijs.

B. Aug.

S. Leo.

§. 27. Pono promissionem Dei, & iuramentum, esse quasdam species loquutionis, & revelationis Dei. Promissio enim, præter internum propositum, addit affirmationem externam beneficij futuri: vltra hāc addit iuramentum invocationem Dei testis; hæc autem non fiunt, nisi formaliter loquendo & revelando. Hinc argumentor ex Paullo ad Hebræos 6. 18. deducente nostræ spei fortissimum solatium ad impossibilitatem, vt Deus mentiatur. *Vt per duas res immobiles* (inquit) *quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus.* Voluit ergò Paullus nos certos reddere hæreditatis futuræ, duplici ratione, vtrâque infallibili: nempè promissione, & iuramento. Strabus, *si autē homini*, inquit, *qui mendax est, per iuramentū creditur, quanto magis Deo credendum est, qui mentiri non potest?* Lyra securitatem deducit ex impossibili mendacio Dei. Quòd si fides inniteretur testimonio compoti mendacij; Paullus nō concluderet propositum: quia quamvis Deus mentiri non possit, potest physicè mentiri Ecclesia, dum precisè vtitur authoritate humana; sic autem labefactatur tota fortitudo solatij. Item 1. ad Thessal. 2. 13. *ideò, & nos gratias agimus Deo, sine intermissione, quoniam cùm accepissetis à nobis verbum auditus Dei, accepistis illud, non vt verbum hominum; sed sicut est verè, verbum Dei.* Id autem Paullus ideò adstruit, vt suos confirmet in fide: quia quæ acceperunt, non acceperunt vt dicta ab homine potente mentiri; sed, vt à Deo impotente mendacij. Cui adsonat Petrus epist. 2. 1. *et, & habemus firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes.* Sermo autē Petri tàm certus erat in se, quàm propheticus, cùm etiam esset propheticus. Rationem autem reddit B. Augustinus: quia Petri testimonium poterat infidelibus esse suspectum: nonnulli enim dicebant Apostolos, homines rudes, deceptos præstigijs Christi. A qua calumnia erat immunis propheticus sermo, factus multo ante Christū vt hominem. Vnde concludo, Apostolos nervos contendisse, ad probandū, obiectum fidei esse infallibile.

Ad Heb. 6

Strabus.

Lyra.

1. Thes. 2.

2. Pet. 1.

Ratio Augustini.

§. 28. Respondebis, eos loquutos de ipso mysterio revelato, quod Deus testatur, impos mentiendi, & cui assentimur, propter testimonium infallibile Dei; at verò hæc revelatio pendet à propositione Ecclesiæ, vt ab obiecto. Contrà: Apostoli recurrunt ad verbum verè Dei, & non hominum: ad propehticum sermonem; & non Apostolicum, in sensu ex Aug. reddito: & ad impossibilitatē, vt Deus mētiatur, vt ex parte obiecti, reddāt fortissimū solatiū nostræ spei, & assēsū vndique certum; atqui id nequaquā esset, si authoritas humana esset obiectū formale fidei: ergo. Probatur minor: quia licèt Deo esset impossibile mendaciū, & propheticus sermo infallibilis; adhuc, propter fallibilitatē obiecti formalis, deficeret fortitudo solatij: neque haberemus, vnde dignosceremus nostrū assēsū esse vndiq. firmū: ergo. Probo minorē: nam propheticus sermo & iuramentū Dei cognoscerentur existere, per authoritatē humanā Ecclesiæ: ergo ex hoc capite deficeret fortitudo solatij. Vt si mihi proponatur à Prætore promissio iurata Regis, de me donando munere, non sum certus de munere quamvis certissimus de Regia fidelitate: quia non sum certus de veritate Prætoris proponentis. Quia igitur in authoritate humana proponente mihi iuramentum Dei, non est certitudo physica, neque impossibilitas mentiendi, ideo non possum esse certus de mysterio. Ratio à priori, quia de articulo revelato, & obiecto materiali, non habeo maiorem certitudinem, quàm de revelatione, & obiecto formali: sed revelatio est obiectum materiale; propositio autem humana est formale: ergo de revelatione non habeo maiorem certitudinem, quàm de authoritate humana; neque de mysterio, quàm de eadem revelatione, & authoritate: ergo, in credendis mysterijs, deficit fortitudo solatij, quamvis immediatè credantur, propter testimonium Dei: quemadmodum conclusio Theologica est minus certa fide, quia deducitur ex principio naturali minus certo.

Obiectio præcluditur.

Ita

§. 29. Itaque, in obiecto primo fidei debet esse tanta certitudo, quanta in promissione & iuramento Dei impotis mentiri, & quanta in prophetico sermone, alioquin inanis esset argumentatio Paulli, & Petri recursus ad testimonium propheticum. Cur autem Paullus tam diligenter exclusit testimonium hominum, & Petrus testimonium suum, statueruntque aliud solius Dei & Prophetæ, si in ipso primo limine & actu fidei, offendimus testimonio hominum, auferente fortitudinem solatij? Hæc igitur sententia diruit aperte fortitudinis solatij fundamenta, quæ tam accurate iecerunt Apostoli.

§. 30. Ratione satis clara probatur eadem maior propositio è §. 26. nempè, fidem esse infallibilem ex obiecto, & hoc ab Apostolis contentum. Nam non videmus clarè mysteria fidei, neque huius certitudinem contemplamur, nisi ex obiecto. Obiectum enim est Philosophis commune principium, ad dignoscendam perfectionem habituum circa illud. Igitur Apostoli, more bonorum Philosophorum, statuerunt puncta fixa in obiecto fidei, vt inde metirentur certitudinem & infallibilitatem fidei. Nam, quando obiectum est supernaturale, illi respondet habitus supernaturalis, quo attingatur proportionatè: entitas enim supernaturalis est cognoscibilis naturâ sua supernaturaliter. Ex qua entitate, si qua entia naturalia cognoscantur, aut amentur, fit eodem habitu supernaturali: quia obiectum formale derivat in materiale perfectionem illam amoris, aut cognitionis: vt cùm charitate amamus substantiam hominis, & visione Dei cognoscimus lapidem. Obiectum autem naturale non petit naturâ sua habitum supernaturalem circa se; sed naturalem. Quòd si ex obiecto formali naturali derivatur amor, aut cognitio circa supernaturalia, talis actus est naturalis: nam actus de obiecto materiali, non est perfectior, quàm de formali. Cùm ergò authoritas humana sit naturalis, non eget habitu supernaturali: & cùm ex hac authoritate cognoscatur, per te, existentia revelationis divinæ; cognoscetur quidem habitu naturali. Vndè constat, Apostolos nobis ostendisse fortitudinem solatij, & certitudinem fidei, ex huius obiecto certo & infallibili.

§. 31. Adverte, posse per accidens esse habitū supernaturalē circa obiectū naturale: v.g. circa authoritatem humanam Ecclesiæ, & eius veram propositionem. Tunc autem, ex obiecto non possemus colligere, habitum circa illud esse supernaturalem, certum & infallibilem. Nam obiectum nequaquam illum exigit: ergo ex obiecto non possumus venire in cognitionem certitudinis & infallibilitatis habituum; sed potiùs, cùm nobis aliunde constaret de horum certitudine & infallibilitate, ex illis veniremus in cognitionem de veritate propositionis Ecclesiæ. Itaque ipse habitus esset principium cognoscendi veritatem Ecclesiæ; hæc autem non esset principium cognoscendi certitudinem habitus. E contrà verò, ex obiecto supernaturali & infallibili, venimus in cognitionem supernaturalitatis & infallibilitatis habituum. Cùm igitur hæc regula adeò sit familiaris & certa, illâ vsi sunt Apostoli, vt nos facerent certiores de certitudine nostræ fidei, & confirmarent fortitudinem solatij spei.

§. 32. Probo autem minorem è §. vigesimo sexto; nempè authoritatem humanam Ecclesiæ non esse infallibilem physicè: nam illa authoritas nō includit infallibilē assistentiam Spiritus sancti, & est purè humana, vt est cætus plurimorum hominum; sed horum testimonium potest ex duplici capite esse falsum: ergo est fallibilis physicè hæc authoritas. Probo minorem: primùm, ex vitio mentiendi: nam ***omnis homo mendax***, id est, sibi permissus, est obnoxius mentiendi facultati. Secundò, ex errore intellectus: nam & Propheta Nathan proposuit Davidi, pro voluntate Dei, vt templum ædificaret: in quo deceptus fuit: & Apostolorum Princeps reprehensus fuit ab Apostolo. B. Augustinus tom. 7. lib. 2. contra Donatistas, cap. 1. inquit: ***si ergò potuit Petrus non rectè in aliquo ingredi ad veritatem Evangelij, &c.*** Recognosce totum illud testimonium. Neque verò nostra mysteria sunt tam clara, quàm Indiarum existentia, quam censent nonnulli non credi; sed sciri ex duplici principio evidenti: nempè, quià infiniti homines affirmant, se vidisse Indias, in quo non potuerunt decipi. Item, impossibilè esse, vt tot homines, tot sæculis, convenerint ad mētiendum, nullo detegente mendacium. At verò homines in revelationibus facilè decipiuntur: tùm, quia non fiunt omnibus; sed paucis: tùm, quia sæpè videmus eos decipi, quibus fieri solent: non modò illusas mulierculas; sed interdū ipsos Prophetas, vt patet ex 2. Reg. 7. & ex 3. Reg. 13. 18. Itē, Deus dicitur immittere aliquando Prophetis spiritum erroris: id est, permittere.

Ps. 115. 2.

Nathan. 2. Reg. 7.

Ad Gal. 2. 11.

August.

2. Reg. 7.

3. Reg. 13. 18.

§. 33. Obiectio 1. Dices primò, obiectum formale fidei esse propositionem veram Ecclesiæ; non verò falsam. Quòd si propositio Ecclesiæ sit falsa, non terminabit fidem Dei; sed humanā falsam.

S.Thó.q. 1.Art. 1. falsam. Quemadmodum, in sententia communi, pendet fides, vt à conditione, à propositione vera Ecclesiæ: cuius propositio de revelatione, si falsa sit, non est conditio ad fidem. Contrà: si sententia communis & hæc, in eadem salebra hæreant, levis animi est, inire aliam viam nõ magis expeditam. Tunc enim volo ego, esse in eadem alea cũ cæteris, quando paradoxæ sententiæ nulla sors ostenditur magis æqua.

§. 34. Animadu. Adverte; hîc posse esse quæstionem de certitudine & infallibilitate obiectiva, & de formali. Obiectũ impropriè dicitur certum & infallibile: certitudo enim & infallibilitas proriè sunt in actibus intellectus. Nam, qui ita oritur ex suis principijs, vt necessariò sit verus, eo ipso, quòd à talibus principijs sit, est certus & infallibilis; idest, sine periculo errandi à veritate. Obiectũ autẽ dicitur certũ & infallibile, quãdo eo ipso, quòd attingatur, vt est, non patitur actum esse falsum: quia ita connectitur cum obiecto materiali, vt in illud ducat necessariò. Obiectum ergò est fallibile, quando fundat cognitionem, ex qua potest oriri actus falsus circa obiectum materiale: quia cum illo non habet necessariam connexionem. Exẽpli gratiâ: revelatio Dei est obiectum infallibile respectu mysterij revelati: quia, quamvis illa contingenter existat; tamen eius existentia habet necessariam connexionem cum articulo revelato: fides autem attingit existentiam revelationis exercitam. At verò propositio humana Ecclesiæ habet duas contingentias: alteram ad existendum, sicut revelatio; alteram ad veritatem. Quamvis ergò fides attingat existentiam propositionis Ecclesiæ; adhùc nihil infallibile physicè attingit: quia existentia illius propositionis non habet necessariam connexionem cum revelatione proposita. Item, potest esse certitudo ex parte habitus, propter modum tendendi.

§. 35. Non disputo nunc, vtrùm possit esse habitus infallibilis ex parte modi, circa obiectum ex se fallibile? De quo subsectione 5. Dico tamen hanc sententiam è §. 13. sic explicatam, esse contra Apostolos adductos §. 27. qui fortitudinem solatij & certitudinem fidei, de futura vita & divinitate Christi, ostendunt, non ex quacumque certitudine fidei; sed ex certitudine & infallibilitate obiectiva: nam illi principio innixi, ostendunt, non posse fidem esse falsam. In hac verò sententia deficit hoc argumentum: quamvis enim posset esse fides infallibilis ex parte modi, circa obiectum fallibile; tamen illa certitudo fidei non potest ostendi ex obiecto; sed potiùs ex modo fidei, ostenditur veritas obiecti. At fides, de qua Apostoli loquuntur, cognoscitur esse certa, ex obiecto certo: nẽpè, ex testimonio Prophetico, & promissione, ac iuramento Dei. Recognosce §. 31.

§. 36. Animadu. Adverte, aliud esse, actum esse verum; aliud, esse certum. Sæpè enim credimus testimonio hominis vero; non tamẽ proptereà certo. Pone opinionem, actum esse accidentariè verum: ita, vt eadem met substantia posit esse falsa. In hac opinione, hoc numero testimonium posset fide humana falsa cognosci. Pone item opinionem, veritatem non distingui à substantia actus: quamvis ergò ille numero actus, necessariò connectatur cum obiecto; adhùc non est certus: quia homo circa idem obiectum potuit mentiri, quod est in se. Nã principia, per quæ loquitur verè, sunt indifferentia ad loquendum falsum: quemadmodum, in alia sententia, idem numero actus est indifferens ad falsitatem. Et quemadmodum, in illa sententia, veritas est suppositio accidentaria substantiæ actus: ita, in alia, actus per essentiam verus, est suppositio accidentaria authoritati humanæ, quæ loco actus veri, potuit dicere falsum. Item, quando attingimus actum verum, etiàm attingimus eius veritatem, sive illi sit accidentaria, sive essentialis; actus tamen est fallibilis: quia veritas est contingens ipsi actui, vel authoritati loquentis; quãvis ipsa veritas sit necessariò connexa cum obiecto. Actus igitur est absolutè fallibilis; & infallibilis secundum quid, & ex suppositione veritatis. Hinc argumentor: veritas testimonij attingitur per fidem, propter loquentis authoritatem, vt propter obiectum formale; vt dixi disputatione 4. §. 8. sed authoritas fallibilis ducit contingenter in veritatem sui actus: ergo. Probo minorem: quia ducit in illam veritatem, per connexionem, quam authoritas habet cum veritate; sed hæc connexio est contingens, & fallibilis: ergo ducit contingenter. Probo minorem: quia authoritas humana indifferens est, ad testimonium verum & falsum: quo differt ab authoritate divina, quæ necessariò est determinata ad testimonium verum, cuius veritas cognoscitur necessariò, ex ipsa authoritate Dei. Veritas autem testimonij humani, quamvis sit essentialis ipsi testimonio, non connectitur necessariò cum authoritate loquentis. Quod est præ oculis habendum, & recognoscenda illa disputatio 4. à §. 4. vbi proposui tres rationes cognoscendi veritatem testimonij: illam autem solam dixi pertinere ad fidẽ, quâ, ex authoritate loquentis, cognoscitur veritas testimonij. E quibus evidẽter patet, in sententia, quam

quam impugno, non posse colligi certitudinem fidei, ex infallibilitate obiecti: quod est contra Apostolos adductos §. 27.

§. 37. *Respondetur obiect. ex §. 33.* Quod obiicitur §. 33. esse eandem difficultatem huic sententiæ & communi, est falsum. Nam, in sententia communi, nullus exercetur actus fidei, nisi infallibilis ex obiecto; in hac autem sententia exercentur multa circa obiectum fallibile: ergo, in communi sententia, vtimur regulâ infallibili Apostoli; secus in hac. *Interrog.* Rogas, quo pacto habeamus fortissimum solatium, si nostra fides pendet à propositione humana Ecclesiæ, vt à conditione sine qua non? *Resp.* Respondeo, aliud esse, vtrum fides sit secundum se infallibilis, non solùm ex parte modi, sed etiam ex parte obiecti? Hoc autem apertè monstratur in communi sententia: quia obiecto supernaturali, & infallibili debetur habitus proportionatus, vt dixi §. 30. At verò, in hac sententia, cum obiectum non sit supernaturale, nec infallibile, non habemus, vnde probemus infallibilitatem habitus. Aliud autem est, vnde cognoscamus, hanc infallibilitatem hic & nunc esse in nostris actibus? Nam secundùm se, & in communi, satis ostenditur, fidem, quę est in tota Ecclesia, esse omnino infallibilem. Respondeo, non posse id evidenter cognosci: neque enim habemus evidentem cognitionem de nostra fide supernaturali. Sumus quidem certi, ex obiecto formali fidei, omnes fideles habere illam certitudinem. Vtrum autem hic numero homo fidem supernaturalē exerceat? nescimus. Sumus verò sæpè moraliter certi, nos exercere fidem supernaturalem: sumus etiam certi metaphysicè, illam fidem esse infallibilem omninò, idque scimus ex obiecto. At, in hac sententia, & caremus evidentiâ, quòd in particulari habeamus fidē: item caremus principijs obiectivis, ex quibus cognoscamus, fidem illam, quæ est in Ecclesia; & quam nos piè opinamur habere, esse certam, & omnino infallibilem.

SVBSECTIO IIII.

Secundum argumentum.

§. 38. *Secundum Argumen.* SECVNDVM argumentum conficiunt Gabriel, Aragon, & alij: quia fides, in Angelo & omnibus hominibus, est eiusdem speciei: ergo in omnibus habet idem obiectum formale: quæ duæ propositiones negari non possunt. Sed *Gabr. Arag.* in Angelo, & singulis hominibus, nō habet pro obiecto formali propositionem humanam Ecclesiæ: ergo neque in nobis. Probo antecedens: quia Angelus nō accipit mysteria fidei, per doctrinam hominum; neq; Adamus fuit instructus ab alijs hominib^9.

§. 39. *Resp.* Responderi facilè potest, habitum per se infusum esse, secundum speciem indifferentem ad Angelum & hominem: & illum qui est in Angelo, potuisse esse in homine, in quo posset pendere, in suis actibus, à doctrina hominum. Imò Angelus potuisset mysteria fidei doceri ab homine. Beata enim Virgo rectè potuit esse Angelorum doctrix. Id quod explicatur exēplo quātitatis, quę secūdū se apta est divisioni, in cęlo autē est diuisioni inepta: nō quidē per se; sed per accidēs, ratione subiecti inepti divisioni. Ad argumentū distinguo minorē: fides in Angelo, & Adamo non habuit pro obiecto propositionē Ecclesiæ actualiter, & per accidens, concedo antecedens; non potuit habere per se; nego. Equidem, etiā in sententia communi, ita est respondendum: si enim habitui Angelico secundum se, repugnat dependentia ab authoritate humana, vt à conditione, specie differt à nostro. Nam essentialis repugnantia ad aliquam conditionem, arguit essentialem distinctionem ab habitu habente essentialem aptitudinem ad illam, propter prædicata repugnātia, quæ vtrique conveniunt.

§. 40. *2. argumē. melius proponitur.* Hoc argumentum sic efformo: actus angelici & Adamici, habuerunt diversum obiectum formale primarium ab obiecto nostrorum actuum, sed actus diversorum obiectorum formalium, non sunt eiusdē habitus in specie: ergo habit^9 Angelicus & noster, sūt diuersarū specierum. Minor probatur, quia diuersitas obiecti formalis primarij discriminat habitus. Adverte, à me non probari, habitū Angelicū habere obiectū aliquod, quo noster careat; sed probari, stā diversitatē obiectorum, non posse eodē habitu comprehendi. Nā inter hæc obiecta, sunt authoritas humana & divina, & earū testimonia, quæ sibi vendicant habitus specie distinctos: quia humana & diuina tantum differunt, vt attingantur habitibus distinctis. Quod confirmo exemplo charitatis in Deum, quæ distinguitur *Cōfirmatur exemplis.* specie, à charitate morali, in proximū: itē dulia & latria specie differunt, quia dulia respicit excellentiā creatam; increatā latria: ergo eadē ratione, fides attingens solum authoritatem & testimonia Dei sola, specie differt à fide attingente authoritatē Dei & humanā. Ostendā autē, Prophetas non indigere aliquo testimonio, ad credendā existentiā revelationis Dei.

§. 41. *1. Obiectio Respond.* Dices primò: actus charitatis habent diversa obiecta formalia, quæ amplectitur idē habitus: ergo idē poterit esse in fide.

 Mala

S. Tho. q. 1. Art. 1. Mala consequentia: posset etiàm deduci contra distinctionem Latriæ, & Duliæ; charitatis Dei, & proximi. Distinguo igitur antecedens: habent obiecta diversa, distincta à natura divina, sola ratione nostra, concedo antecedens; habent obiecta distincta à natura divina, & tam dissimilia inter se, quantùm creata & increata, nego antecedens & consequentiam. Quia authoritas humana & divina tantùm distinguuntur, quantùm Deus & accidens.

§. 42. 2. Obiectio. Dices secundò, fidem amplecti authoritatem divinam & revelationem, quæ distinguuntur specie: ergo rectè poterit attingi per fidem authoritas humana cum divina.

Respond. Distinguo antecedens: possunt attingi vno actu primo fidei, quin attingātur alio etiàm primo, nego antecedens; possunt attingi per omnes actus primos, concedo antecedens, & nego consequentiam. Nam, in sententia, quā impugno, nos attingimus primo actu fidei authoritatem humanam & divinam simul; Angelus autem & Adamus non attigerunt, nisi solam authoritatem Dei. Itaque potest aliquis habitus habere pro obiecto partiali Deum: item & creaturam; vtrumque autem pro obiecto adæquato: vt patet in fide & spe. At verò repugnat ex natura habituum, posse adæquatè moveri à solo Deo, per vnū actum primum; & per alium, dependere à creatura.

§. 43. 3. Obiectio Resp. Dices tertiò, authoritatem Dei cum suo testimonio, non posse patêre, nisi per authoritatem humanam. Contrà: Prophetis patet revelatio cognita per fidem, absque authoritate humāna: ergo illa fides Prophetæ distinguitur specie à nostra, quæ dependet ab alio obiecto formali. Item hac de re est disputatio; quia enim sequeretur fidem Prophetæ & nostram esse distinctarum specierum (quod est absurdum) cogimus adversarios, vt fateantur, propositionem humanam Ecclesiæ non esse obiectum formale fidei; sed conditionem sine qua non, in aliquibus actibus.

§. 44. Confirmatur. Confirmatur: inter obiecta partialia fidei, essent multa sibi vendicantia habitus specie distinctos: ergo. Probo antecedens: quia authoritas Angelica potest esse obiectum formale fidei: nam homo potest ab Angelo imbui præceptis fidei; at verò authoritas Angelica poscit habitum distinctum, sicut & dignitas poscit distinctum cultum. Item miracula maximè differunt à sanctitate, authoritate Ecclesiæ, & testimonio Martyrum. Cùm igitur pietas in patrem, sit distincta à gratia in cæteros beneficos, quidni & fides in tam distincta testimonia & veritates? Cur autem eadem fides attingat revelationes specie distinctas, præsto est ratio: quia obiectū præcipuum fidei est authoritas divina cum suis actibus secundis loquendi, quorum veritas cognoscitur per ipsam authoritatem. Omnia igitur testimonia, quæ movent ad assensum testati per, authoritatē Dei priùs cognitā, pertinent ad fidem; testimonia verò, quorum veritatem credimus ex authoritate creata, non pertinent ad fidem divinam.

SVBSECTIO V.

Tertium argumentum.

DIXI §. 35. disquirendum fore in præsenti, vtrùm possit esse fides supernaturalis infallibilis, circa obiectum fallibile? Canus, P. Suarez & alij censent, non posse esse habitum certum circa obiectum incertum. Primùm arbitror, obiectum contingens posse cognosci habitu infallibili ex parte modi. Probatur primò, quia revelatio divina, in sua existentia, est obscura & contingens; & tamen cognoscitur actu infallibili fidei infusæ: ergo potest esse obiectum contingens cognitum habitu infallibili. Secundò probatur à priori: quia non repugnat habitum per se infusum versari circa suum obiectum, vt existens re ipsa, ita, vt nullum actum exerceat, nisi existente obiecto; sed ille habitus esset infallibilis, & obiectum contingens: ergo de obiecto contingenti potest esse habitus infallibilis. Minor patet: quia tunc omninò repugnaret habitum falli: nam repugnaret cognoscere rem, nisi existentem. Itaque si ille habitus dicat: *Petrus currit*, iam supponit Petrum currentem re ipsa; habitus autem supponens necessariò Petrum currentem, non potest falli, affirmando Petrum currere. Quo distinguitur infusa fides ab humana: quod hæc est de testimonio vero, & existente realiter, vel apparenter; illa verò de obiecto existente, & vero realiter, & non solùm apparenter. Probo autem maiorem primò, quia potentiæ sensitiuæ non movētur ex natura sua, nisi ab obiecto existente realiter: ergo poterit esse habitus per se infusus supponēs obiectum existens: sin, assignent duas propositiones reciprocè cōtradicentes, quæ sequātur hunc habitū. Sic scientia visionis est infallibilis: item sciētia creata per se infusa, quia semper supponunt existentias rerum, quæ ex suppositione, quòd existant, iam non possunt non existere, neque actum reddere falsum.

§. 45. 1. Opinio. Canus. P. Suarez.

§. 46. 1. Conclus. His positis, dico primò: veritas testimonij humani Ecclesiæ potest immediatè cognosci,

noſci, per habitum per ſe infuſum. Probatur ex dictis §. 45. quia ſicut non repugnat habitus, qui cognoſcat actum realiter exiſtentem, & non apparenter tantum; ita non repugnabit habitus cognoſcens veritatem teſtimonij Eccleſiæ exiſtentem realiter, & non apparenter tantum. Ex hoc actu, poteſt ſequi neceſſario alius, circa rem dictam ab Eccleſia, hoc ſyllogiſmo: ***Omne quod verè dicitur, eſt; ſed Eccleſia dicit verè, eſſe revelationem de incarnatione: ergo eſt.*** Maior propoſitio eſt evidens: minor eſt tam per ſe nota illi habitui, quàm exiſtentia revelationis eſt per ſe nota noſtræ fidei; conſequentia autē negari non poteſt. Quare, ſententia propoſita §. 13. iam dat habitui fidei obiectum habens neceſſariam connexionem cum revelatione; illud autem obiectum eſt veritas teſtimonij Eccleſiæ. Adverte tamen, hanc illationem ſequi per ſe ex actibus ſupernaturalibus, propter modum tendendi infallibiliter in obiectum: vnde, ex ſuppoſitione actuū præmiſſarū, ſequitur neceſſario actus cōcluſionis, cui cōcluſioni eſt eſſētialis illa ſuppoſitio. At verò reſpectu obiecti, nō ſequitur per ſe actus infallibilis; ſed per accidens: nā, cùm obiectū formale ſit naturale, non petit per ſe modum infallibilem, ex parte habitus. Item, quamvis veritas actus habeat infallibilem connexionem cū obiecto; at per accidens eſt teſtimonio humano Eccleſiæ, eſſe verum: nam vel ille numero actus potuit phyſicè eſſe falſus: vel pro actu vero ſubrogari potuit falſus. Quia ergò veritas cognoſcitur in teſtimonio humano, cui phyſicè contingens eſt, ideò ex parte obiecti, non eſt conſequentia neceſſaria abſolutè; ſed ſecundum quid. Vndè, ſi cognoſceretur actu humano, vt petit, cognoſceretur actu indifferenti phyſicè ad veritatem & falſitatem. Quia verò illa ſuppoſitio accidentaria teſtimonio humano, eſt eſſentialis habitui per ſe infuſo; ideò actus ſupernaturalis concluſionis ſequitur per ſe abſolutè ex ſupernaturalibus actibus præmiſſarum. At quia hæc ſuppoſitio eſſentialis habitui infuſo, eſt contingens habitui naturali; ideò habitus naturalis eſt contingens ad concluſionem falſam: quia circa veritatem teſtimonij humani, potuit eſſe præmiſſa naturalis falſa.

§. 47. 2. Concluſ. Dico ſecundò: veritas teſtimonij humani non potuit habitu per ſe infuſo cognoſci, ex authoritate humana Eccleſiæ, tanquā per obiectum formale. Ita arbitror opinatos Canum, Aragonem, Bañez, P. Suarez, & alios, tam veteres, quàm novos, invrentes notam erroris opinioni propoſitæ §. 13. Probatur, quia habitus ſupernaturalis deduçit obiectum materiale ex formali, conſequentiâ infallibili; ſed ex authoritate humana, non poteſt deduci, infallibili conſequentiâ, neceſſaria veritas teſtimonij humani: ergo ex authoritate humana, vt ex obiecto formali, non poteſt deduci, per habitum infuſum, veritas teſtimonij humani. Minor probatur, quia deducere neceſſariò vnum ex alio, eſt aſſentiri, concluſionē deduci, ex eo quòd præmiſſæ ponantur; & ita deduci, vt non poſſit oppoſitum eſſe, ex ſuppoſitione præmiſſarum. Nam obiectum formale ſyllogiſmi, neceſſariam habet connexionem cum obiecto materiali, quod eſt concluſio, vt ex Ariſtotele oſtendi diſp. 5. §. 16. Sed ex authoritate humana diſpoſita in ſyllogiſmo, nō ſequitur neceſſariò, neceſſitate phyſica, veritas teſtimonij: nam cum iiſdem præmiſſis potuit teſtimonium phyſicè eſſe falſum; ergo ex authoritate humana, non poteſt neceſſariò deduci veritas teſtimonij humani. Probo minorem, quia authoritas humana, quantumcumque diſponatur in præmiſſis, eſt indifferens ad teſtimonium verum, vel falſum: ergo ex illa non deducitur neceſſariò verum, cùm poſſit & falſum. Probo antecedens, quia authoritas humana non continet, niſi principium loquendi, cum intellectu cognoſcente obiectum, & voluntatis inclinatione, ad loquendum quod ſentit; ſed hæc ſunt indifferentia ad loquendum falſum: nam in intellectu poteſt eſſe error, & cum illa inclinatione voluntatis, poteſt eſſe voluntas fallendi: ergò, quantumcumque diſponatur authoritas humana, eſt indifferens ad verum, vel falſum.

Confirmatur: non poteſt authoritas humana Eccleſiæ hoc modo diſponi: ***Omnis propoſitio humana Eccleſiæ, eſt neceſſariò vera, ex eo quòd ſit ab authoritate humana Eccleſiæ.*** §. 48. Cōfirmat. Hæc enim vniverſalis propoſitio eſt falſa; quia ex eo præciſè, quòd Eccleſia loquatur authoritate humana, non loquitur neceſſariò verum, neceſſitate phyſica, vt dixi §. 47. Neque item diſponitur hoc modo: ***authoritas Eccleſiæ habet repugnantiam cum falſitate***: id enim etiam eſt falſum. Neque item ita diſponitur: ***Eccleſia hic & nunc loquitur verum, quia habet authoritatem humanam***: quia, quamvis id ita ſit, non poteſt authoritas humana eſſe principiū obiectivum id cognoſcendi. Nam in authoritate humana conſiderata in actu primo, tantum reperiuntur cognitio & inclinatio ad verum; quæ ſecundum ſe & in actu primo, non habent neceſſariam connexionē cum actu vero: ergo ex authoritate in actu primo, non potuit cognoſci veritas teſtimonij actualis. At verò, præter authoritatem in actu primo, non reperitur, niſi loquutio: hæc & eius veritas debent cognoſci immediatè,

quæ

S.Tho.q. 1.Art. 1. quę non sunt authoritas; sed effectus authoritatis. Vndè concludo evidenter, authoritatem humanam, non posse esse principium deducendi necessariò veritatem sui testimonij. Hæc accipe de physica necessitate; de morali autem alibi loquar.

§. 49. Probo primam maiorem propositionem è §. 47. nempè, habitum per se infusum deducere infallibiliter obiectum materiale ex formali: quia habitus per se infusus non est expositus errori; sed habet certitudinem absolutam & infallibilem, vt de actibus fidei ostendam disp. 18. & 19.

§. 50. 1. Obiectio Dices primò, id fieri posse, attingendo authoritatem humanam Ecclesiæ: sicut attingendo veritatem actus, potest infallibiliter deducere obiectum, infallibilitate se tenente ex parte habitus; quamvis non ex parte obiecti per se. Contrà: infallibilitas ex parte modi, attingit aliquid in obiecto formali, necessariò connexum cum materiali; sed in authoritate humana (quæ est intellectus & inclinatio voluntatis) nihil tale reperitur, quia illa duo sunt indifferentia ad verum, vel falsum: ergo. Probo maiorem: primò, exemplo adducto ab arguente: nam actus seu testimoniū verū, ratione veritatis, habet connexionem cum obiecto: quam connexionem habet veritas ex natura sua, eandemque connexionem supponit, & attingit habitus fidei. Secūdò probatur, quia si ex parte obiecti formalis, omnia quę attinguntur, sunt indifferentia ad verum & falsum: qua ergò ratione fundari potest modus infallibilis ex parte habitus? sicut in sola omnipotentia Dei, non potest cognosci aliquis effectus existens: quia omnipotentia est indifferens ad existentiam & non existentiam effectus; quamvis Deus illum faciat, quia est omnipotens. Quamobrem ex authoritate Dei colligit fides veritatem revelationis; quia cum illa habet necessariam connexionem; existentiam autem revelationis non colligit fides ex authoritate Dei: quia noncon nectitur cum illa necessariò.

Respond.

§. 51. 2 Obiectio Respond. 1 Dices secundò, ex propositione humana Ecclesiæ, deduci existentiam revelationis. Respondeo primò, non deduci, tanquam ex obiecto formali; sed tanquàm ex conditione sine qua non. Respondeo secundò, non deduci ex quocumque testimonio Ecclesię; sed ex testimonio vero, quod ratione veritatis, habet connexionem cum obiecto: quam connexionem & veritatem essentialiter supponit fides infusa. At verò authoritas humana nihil habet, quod attingatur, habens connexionem aliquam cum testimonio vero, magis quàm cum falso.

§. 52. 1. Conclus. Dico tertiò: assensus ille de quo §. 46. non potest esse fidei. Probatur evidenter, ex disp. 4. à §. 2. vbi ostendi, ex tribus modis cognoscendi veritatem testimonij, solùm pertinere ad fidem illum, quo ea veritas cognoscitur ex authoritate loquētis: quod non est opus repetere. Vndè deduco, contra opinionem è §. 13. hanc fidem, non fore fidem in Ecclesiam, neque habituram, vndè cognosceret veritatem Ecclesiastici testimonij; sed, in ea sententia, esse easdem angustias, quæ in communi. Nam vt, in communi, existentia revelationis est obscura, & indiget propositione humana Ecclesiæ: ita veritas testimonij Ecclesiæ est obscura, & indiget alio obiecto eam indigitante. Hoc autem obiectum nullum est: ergo recidit hæc sententia in angustias easdem, in quas communis. Neque audeo, eam sententiam dicere esse probabilem: cùm neque vrgenti ratione probetur, & improbetur efficacibus, sitque Catholicis omnibus invisa, & solis hæreticis grata, vt calumnientur Catholicis, quòd authoritati humanæ tàm certò assentiātur, quàm divinæ; immò certiùs, in multorum sententia, opinantium certiorē esse actum de obiecto formali, quàm de materiali. Nam authoritas humana est obiectum formale; revelatio autem Dei, materiale: ergo certiùs assentiremur testimonio humano, quàm divino. Hanc eandem sententiam, in alio sensu, latè impugnabo disp. 13. sect. 9.

SVBSECTIO VI.

Argumenta soluta.

§. 53. 1. Argum. PRO sententia §. 13. præter argumentum è §. 12. solvendum §. 79. & 84. arguitur primò: quia Deus per Apostolos & Prophetas, se nobiscum gessit, vt Rex cum subditis per legatum, cui vult credi. Respondeo, etiàm Deum, velle credi legatis suis, duplici fide: divina, propter revelationem Dei loquentis per illos: & humana, propter propria eorū authoritatem. Quia verò illæ authoritates tàm sunt absimiles, vendicant sibi duas fides; authoritas autem Regia & legati, sunt eiusdem rationis, spectantes ad eandem speciem fidem.

Respondet.

2. Argum. Secundò, quia Christus Dominus eā fidem exegit, quæ non excluderet rationes humanas. Ioann. 4. *Multi crediderunt in eum, propter verbum mulieris.* Itē c. 10. *Si mihi non vultis credere, operibus credite*, & c. 11. *Lazarus mortuus est: & gaudeo, propter vos, vt credatis.* Respōdeo vno verbo, omnia illa; vt habent aliquid humanū, esse cōditionem sine qua non

Ioan. 4. 10. 11.

Respond.

non; non verò obiectum formale.

Tertiò: quia Apostoli nunquàm distinxerunt fidem divinam ab humana, ex hac diversitate revelationis Dei & propositionis humanæ; immò B. Augustinus de fide & operibus inquit, fidē sine operibus esse Dœmonum: & de spiritu & litera, cap. 34. ait, credi non posse, nisi aliqua ratone suadeatur. Respondeo, constare à §. 27. quid senserint Apostolorum Principes. Ad Augustinum (abstineo à sententia Durandi, constituente in Dœmone fidem per se infusā) respondeo, nihil inde probari. Nam sive fides sit de revelatione immediatè, vel mediatè; de propositione autem humana sit, vel tāquā de obiecto, vel tāquā de conditione: rogo, vtrùm Dœmones habeant fidem per se infusam, vel non? Si habent, quid infertur contra nos, in hac parte, de obiecto formali? Si non habent, quorsum argumentantur? Dicetur autem fides Dæmonum, quia sine operibus non iustificat: & nihil habet fidelis, quo glorietur de filiatione Dei, sine qua inanis est omnis gloria. Nam etiam cum dæmonibus convenimus, in credendo; quamvis discriminemur, in modo credendi; vtrumque verò est inane ad vitam æternam, sine operibus. Est autem opus suasio humana, vt conditio, non verò vt obiectum formale: vide disp. 59. de fide Dœmonum.

D. August.

§. 56. Quartò: assensum de revelatione non resolvi in alium; videtur excogitatum à recentibus Theologis, sine gravi fundamēto. Respondeo, constare è §. 25. hanc opinionem semper fuisse communem omnibus Philosophis novis, & antiquis; adeò vt oppositam censeant errorem redolere. Fundamenta verò ieci à §. 29. Hæc autem argumenta, pro contraria sententia, vel halitu dissipantur. Est quidem grave, quod proposui §. 12. eiusque solutionem per tàm longos anfractus disquirimus.

4. argumē Respondet.

SECTIO III.

Propositio humana Ecclesiæ est conditio sine qua non.

§. 57. DOCTORES scholastici variè torquentur, vt argumento respōdeāt. Inter quos accuratius, & doctius respondit P. Valentia quæst. & punt. 1. Cuius doctrinam, opus est, vt accuratè etiàm examinemus.

Scholastici argumento variè respōdent. P. Valent. accuratiùs.

SVBSECTIO I.

Opinio P. Valentiæ,

QVI distinguit asseveratione Ecclesiæ de articulo fidei, ab ipsius Ecclesiæ propositione, de revelatione divina v.g. dicat Ecclesia: *iustitia est inhærens iustis*, hæc est asseveratio de iustitia inhærente. Dicat item Ecclesia: *Deus revelavit Isaiæ incarnationē*. Hæc est propositio de revelatione, per quam Ecclesia proponit fidelibus credendam revelationem Isaiæ. Asseverationem, dicit P. Valentia, esse revelationem, sicut est, quæ fit Prophetis, esseque obiectum formale partiale fidei, in quo illi assentior; propositionem autem Ecclesiæ dicit esse; respectu nostri, conditionem sine qua non. Quod probat: quia propositio Ecclesiæ est actus fidei per se infusæ, existētis in proponēte ipso: ergo nō est obiectū fidei: probat antecedēs, quia ille actus habet pro obiecto divinam revelationem, quæ est obiectū proprium fidei. Consequentiam probat, quia vnus actus fidei non est obiectum alius actus eiusdem fidei: ergo. Probat antecedens, quia sumpta hinc tota collectione actuum fidei infusæ: illa collectio, neque in toto, neque ex parte est obiectum habitus; sed continet omnes actus, per quos habitus tendit in suum obiectum. §. 58.

Eius opinio.

Contrà: hæc ratio non diluit argumentum è §. 12. Nam propositio Ecclesiæ est præcognita ante revelationem, & ducit necessariò in revelationem ipsam, ergo est obiectum formale revelationis. Consequētia patet ex disp. 5. sect. 3. Antecedens patet, quia ab actu fidei ad obiectum valet consequentia: nam actus fidei est necessariò verus; sed ex P. Valentia, ille actus est fidei: ergo habet necessariam connexionē cum obiecto, & ad illud valet consequentia. Quòd si hoc est absurdum, dicendum alterum è duobus: vel propositionē Ecclesiæ non esse actum fidei infusæ; vel fidem non habere obiectum adæquatè distinctū ab omnibus suis actibus. §. 59.

P. Valent.

Contrà secundò: actus fidei infusæ est obiectum alius actus eiusdem fidei infusæ: ergo tota collectio actuum fidei non est de obiecto distincto adæquatè ab eadem collectione. Probo consequentiam, quia in illa collectione reperitur aliquis actus, qui est obiectum alterius actus eiusdem collectionis. Nam si vnus actus attingit alium, iam non vagatur tota collectio extra se ipsā: ergo ex eo quòd propositio Ecclesiæ sit actus fidei infusæ, non propterea excluditur §. 60.

2. impugn.

S.Thô.q. 1.Art. 1. tur ab obiecto eiusdem fidei. Primum antecedens probo, quia Deus potuit revelare Ioanni fidem Petri, & fidem ipsiusmet Ioãnis; sed tunc per fidem cognosceretur fides actualis Petri & Ioannis: ergo vnus actus fidei potest esse obiectum alius. Maior patet, quia Deus cognoscit fidem Petri, sicuti est, & potest eam dicere, sicut cognoscit: ergo potest eam loqui. Equidem, quis dubitet Deum posse mecum sermocinari de fide & infidelitate aliorum? Probo nunc illam fidem cognosci per fidem: quia obiectum formale fidei sunt authoritas & revelatio Dei; materiale autem est, quidquid per illas cognoscitur; sed tunc fides Petri esset revelata, & cognosceretur per authoritatem & revelationem: ergo tunc fides Petri esset obiectum fidei.

§. 61. *Obiectio. Respond.* Dices, posse vnum actum fidei esse obiectum materiale alius; non verò formale. Contrà: ergo, accepta ex vna parte tota collectione actuũ fidei, & ex alia, tota collectione obiectorum, nõ potest secunda collectio adæquatè distingui à collectione prima: ergo præcisè, ex distinctione obiecti adæquati à collectione omnium actuum, non rectè probatur repugnare, cognosci per fidem propositionem Ecclesiæ: cui fundamento innititur P. Valentia. Præterea, nulla redditur ratio, ob quam repugnet, actum fidei esse obiectum formale illius, magis quàm materiale. Nam, cùm habitus per se infusus sit vniversalis, more potentiarum, poterit vno actu reflectere in aliũ, vt id præstat intellectus. Ostendam item, posse actum fidei esse obiectum formale alius disp. 13. agens de loquutione Dei.

§. 62. Ad hæc: actus internus fidei Ecclesiæ, non est obiectum magis cognitum per se, quàm revelatio ipsa, quam proponit: ergo, vt hæc pendet à propositione Ecclesiæ, ita actus fidei eiusdem Ecclesiæ pendet ab alio obiecto cognito. Probo antecedens, quia fides Prophetæ, & cuiusuis hominis, tam obscura est mihi, quàm prophetia eiusdem hominis. Consequentia patet, quia propter eam obscuritatem eget prophetia alio obiecto magis claro, quo manuducamur ad ipsã prophetiam: ergo etiàm fides indiget alia manuductione ad se. Et sicut hæc fides manifestatur à fideli, per verba externa: ita & prophetia manifestari poterit. Vndè interdum Prophetæ dicebant: ***hæc dicit Dominus, factum est Verbum Domini;*** interdum verò prædicabant mysteria ipsa, quin meminissent revelationis. Vt David: ***dixit Dominus Domino meo***, & Christus Dominus id

Psal. 109. passim dicebat.

§. 63. Adde à P. Valentia non responderi huic quæstioni, quà rogatur: vtrùm authoritas & humana propositio Ecclesiæ sit obiectũ formale fidei; an sola conditio? nam alterum è duobus necesse est esse. Actus autem fidei Ecclesiæ non sit authoritate humana illius; sed virtute supernaturali fidei: qui actus habet infallibilem connexionem cum obiecto materiali. In quo, non habent vim argumenta, quæ fiunt pro sententia communi, deducentia oppositam ad absurda incertitudinis in obiecto formali.

Ad argumentum ex §. 58. primò nego antecedens: nam supernaturalis propositio Ecclesiæ non est actus fidei distinctus à prophetia; sed est actus prophetiæ, non secùs ac asseveratio eiusdem Ecclesiæ est revelatio Dei. Itaque Deus revelat Ecclesiæ revelationem Isaiæ, quam cognoscit ipsa Ecclesia per prophetiam: sicut cognoscit articulum, cùm illi revelatur. Recognosce §. 60. vbi ostendi, Deum posse loqui mecum fidẽ alius. Quo autem obiecto formali Ecclesia movetur per prophetiam ad aliam revelationem? dico eodem, quo ex P. Valentia, movetur per asseuerationem ad articulum: ipse viderit, quodnam sit illud? de quo agendum disp. 13. Fides verò versatur circa revelationem, per actum, qui non sit loquutio Dei; at propositio divina Ecclesiæ est loquutio Dei. Vtrùm autem distinguãtur omnes actus fidei ab omnibus prophetijs? dicam eâdem disp. 13. §. 64. *Ad arg. §. 58. Resp. 1.*

Secundò, nego idem antecedens ex §. 58. quia non agimus de authoritate supernaturali; sed de humana. Tertiò, nego consequentiam, vt patet ex §. 60. & 61. nam habitus fidei est directus, & reflexus. Est autem commune cuivis habitui reflexo, posse per vnum actum attingere alium elicitum ab ipso habitu, vt contingit ipsis potentijs. §. 65. *Resp. 2.*

SVBSECTIO. II.

Aliorum responsa.

EX P. Turriano reddi potest hoc discrimen: fides non est discursiva à propositione Ecclesiæ ad obiectũ revelatum: ergo propositio Ecclesiæ non est obiectum formale fidei. Quod argumentum ipse fecit contra revelationem; & ego impugnavi disp. 5. §. 23. Quibus addõ, hoc argumento non discriminari revelationem Dei, à propositione humana Ecclesiæ; cùm tamen ex communi sententia, magnum sit discrimen, ob certitudinem & infallibilitatem revelationis, & incertitudinem propositionis humanæ. §. 66. *Alia respõsio. P. Luis.*

Aragon §. ***quarta conclusio***, ait, propositionem §. 67. *Arag.*

tionem humanã Ecclesiæ, esse in fide, quod in disciplinis, doctrina magistri, quæ est conditio sine qua non; non verò formale obiectum. Quod mutuatus fuit ex Cano. Affert vterq; Samaritanos obiicientes mulieri: *Iam non propter tuam loquelam credimus: ipsi enim vidimus.* Cumque rem inculcent tertio quoque verbo, nusquàm discrimen reddunt.

§. 68. Hoc facilè refello: nam auditores solent non penetrare vim argumenti propositi à magistro: tunc assentiuntur, non scientia; sed humana fide innixa authoritati præceptoris, vt obiecto formali: vt faciunt, qui iurati subscribunt alicui authori. Si autem auditores callent argumẽti nervos, nequaquàm moventur authoritate magistri; sed convenientia ipsa obiecti. v.g. si demonstratio est à priori, moventur per caussam ad effectum; vel è contrà, si est à posteriori. magistri verò præcepta præcisè serviunt ad excitandam apprehensionem, aut speciem evidentem obiecti, cui assentiuntur, propter convenientiam subiecti & prædicati. Neque aliter serviunt verba magistri, quàm si dicerentur à psitaco, aut essent scripta in pariete. Quòd si etiam movet authoritas magistri, exercentur simul fides humana & scientia. At in nostrâ fide longe aliter se res habet: cùm enim existentia revelationis sit omninò obscura, authoritas humana Ecclesiæ eam indigitat, illam faciens credibilem: non præcisè, quia de illa præbet species; sed quia ipsa authoritas est argumentum probans existentiam revelationis: vt, in physica, existentia effectus, est argumentum probans caussam: ergo, vt effectus est obiectum formale caussæ, ita authoritas Ecclesiæ, est obiectum formale ducens in revelationem. E quibus patet adhùc stare argumentum è §. 12.

§. 69. Responsio P. Suarez. P. Suarez disp. 3. sect. 2. §. *dices inde*, ait, revelationem esse, quasi vnionem Dei in esse obiecti credibilis cum fide, ac propterea pertinere ad obiectum formale illius; & non esse conditionẽ sine qua non: quemmadmodum vnio materiæ & formæ, est de ratione formali compositi. E quibus videtur concludi, propositionem humanam Ecclesiæ non esse obiectum formale: quia non est vnio Dei cum fide. Nam authoritas diuina in actu primo, constituitur per potentiam loquendi infallibiliter; in actu autem secundo, cõstituitur loquutione actuali infallibili: quemadmodum pars informativa constituitur informans actu per informationem: quæ autem non sunt informatio, non pertinent ad rationem formalem informandi. Ita propositio humana Ecclesiæ, quia non est loquutio Dei; sed hominum, non pertinet ad rationem formalem vniendi Deum cum habitu; sed tantùm est conditio sine qua non.

Hæc sunt metaphoræ. Fateor propositionem humanam non pertinere ad rationem formalem constituentem Deum loquentem; at non propterea excludetur ab obiecto formali fidei. Nam per fidem humanã possumus credere, Deum loqui, moti tamquàm obiecto formali, propositione & authoritate humana: ergo similiter id poterit esse in fide divina. Ratio à priori, quia cùm Deus loquens, sit obiectum omnino obscurum, quamvis in ratione loquentis non pendeat aliunde, neque in ratione formali, neque in conditione sine qua non; at interminanda cognitione, pendet aliunde, & vt pendet à propositione humana, vt à conditione, quid ni, & vt ab obiecto formali? Ad argumentum ergò, nego Deum adæquatè esse vnitum fidei, per solam revelationem, propter eius obscuritatem; ac propterea in ratione obiecti pendet etiam à propositione humana Ecclesiæ, quæ prius cognita ducit in cognitionem revelationis, quod est esse obiectum formale. Vnde sumitur discrimen, quia applicatio materiæ formæ & vnionis, est vbicatio earumdem, quæ cùm accidens sit, est extra essentiam substantiæ, & non habet alium effectum formalem, nisi suum subiectum in loco constituere; vnio autem non habet hunc effectum formalem; sed alium. At verò propositio Ecclesiæ movet ad revelationem vt cognita; sicut ipsa revelatio vt cognita movet ad mysterium: ergo sicut revelatio est obiectum formale mysterij, ità propositio humana Ecclesiæ erit obiectum formale revelationis, illique convenient omnes metaphoræ, quibus loquimur de obiecto formali, vt esse formam extrinsecam habitus, specificativum illius, &c.

SVBSECTIO III.

Primum discrimen.

§. 71. REFRICO memoriã quæ dixi sect. 2. præsertim §. 15. 16. & 17. item §. 63. Ecclesiam pollere duabus authoritatibus indicendo. Altera est supernaturalis, quæ non est in Ecclesia, nisi vt in instrumento; est autem in Deo loquẽte per Ecclesiam, cui infallibiliter assistit, ne possit errare. Item in miraculis est aliquid supernaturale, incapax deceptionis. De hac authoritate divina non est hæc cõtroversia: nam propositio divina Ecclesiæ, tàm

Canus. Ioan. 4.

§. 70.

Ad arg.

S.Tho.q. 1.Art. 1. tàm est loquutio & revelatio Dei, quàm revelatio facta Isaiæ: vt cùm P. Valentia dixi §. 58. dicturus latiùs disp. 13. hæc ergò revelatio Ecclesiæ est obiectum formale fidei, non secùs ac revelatio Isaiæ. Neq; sententia proposita §. 13. agit de hac authoritate. Altera authoritas est purè humana, in qua nihil est divinum, nec supernaturale physicè incompossibile cum deceptione.

§. 72. Pono totam hanc authoritatem humanam, & propositionem, secundũ se, & physicè consideratam, esse capacem, tùm erroris ex parte intellectus, tùm mendacij ex parte voluntatis; quamvis moraliter neutrius sit capax. Hanc doctrinam apertè cõstat esse Melchioris Cani, Dominici Bañez, P. Suarez, Durandi, S. Bonavent. & aliorum, quos adduxi §. 14. & 25. qui propterea sententiæ è §. 13. adscribunt notã erroris, aut temeritatis: quia deducit vltimam resolutionẽ fidei in obiectum formale fallibile. Eandẽ manifestè docuit S. August. to. 7. li. 2. de baptismo, contra Donatistas, cap. 5. *homines* (inquit) *sumus. Vndè aliquid aliter sapere, quàm se res habet, humana tentatio est.* Quãvis enim agat privatim de S. Cypriano, qui erravit in baptismo ab hæreticis collato; ratio tamen est communis. Dum enim in nobis nihil est altius, quàm humanum, humana tentatio est deceptio. Item cap. 1. eius libri dixit: *si ergo potuit Petrus non rectè in aliquibus ingredi ad veritatem Evangelij, &c.* lege totum illud testimonium, quo manifestè docet, posse homines fallere, aut falli. Quapropter Canus lib. 2. cap. 8. dixit: *oportere humana quædam, & exteriora adminicula inter venire, ad credendum; nec tamen ea esse idonea per se.* Neq; arbitror de hac doctrina posse esse quæstionem, quam à priori probavi §. 32.

Canus. Bañez. P. Suarez. Durand. S. Bonau. August. Canus.

§. 73. E quibus evidenter concludo, authoritatem humanam Ecclesiæ, non posse esse obiectum formale fidei. Quia obiectum formale fidei, debet habere necessariam connexionem physicam, cum obiecto ab ipsa dicto; sed authoritas humana Ecclesiæ, non habet eam connexionem: ergo non est obiectum formale fidei. Maior patet ex disputatione 5. sect. 3. Minor latè est probata §. 47. vbi ostendi, authoritatem humanã non posse esse obiectum formale, ducens infallibiliter ad rem dictam. Quod patet exemplo authoritatis divinæ, à qua & eius testimonio, valet consequentia ad rem testatam: quia eo præcisè quòd existat testimoniũ Dei, non potest nõ esse res dicta. At verò, existente testimonio humano, potest non existere res testata: ergo ab eo testimonio ad rem testatam, non valet consequentia. Tandem vno verbo: obiectum formale fidei, ita disponitur in præmissis obiectivis, vt eo præcisè quòd illæ præmissæ sint, non possit non esse conclusio: quod est commune omnibus præmissis, maximè autem speciale præmissis fidei; sed authoritas humana Ecclesiæ, & eius testimoniũ, disposita in præmissis, non inferunt necessariò existentiam revelationis, eo præcisè quòd ponantur: ergo non sunt obiectum formale illius. Minor patet à §. 47. ad 51. Minor autem, hanc rationem petitam à definitione obiecti formalis, sic prætermissam à contrarijs.

§. 74. 1. Obiectio. Obijcis primò, à propositione vera Ecclesiæ, ad existentiam revelationis, valere consequentiam: ergo propositio humana Ecclesiæ, potest esse obiectum formale.

Refell. Contrà: veritas illius propositionis, debet cognosci ex authoritate humana Ecclesiæ, vt patet disp. 4. sect. 1. Nam, vt sit fides, veritas testimonij cognoscitur ex authoritate loquẽtis; sed ab authoritate humana Ecclesiæ, ad veritatem illius testimonij, non valet consequentia, vt probavi §. superiori, & §. 47. ergo authoritas humana Ecclesiæ, nõ potest esse obiectum formale; immò neque cognosci habitu per se infuso, vt dixi §. 47. Omnem autem consequentiam debere deduci ex authoritate humana, cũ formidine & probabilitate tantùm, ostendi disp. 4. §. 12. Quod intellige de formidine metaphysicè, non moraliter.

§. 75. 2. Obiectio Refell. 1. Obijcis secundò, non credi veritatẽ propositionis, ex authoritate humana; sed immediatè: à qua veritate ad obiectum, valet consequentia. Contrà primò: ergo reciditur in angustias sententiæ communis: nam ideò hæc sententia ex §. 13. confugit ad propositionem Ecclesiæ, quia revelatio est obscura, & non potest immediatè attingi; sed tàm obscura est veritas propositionis Ecclesiæ: ergo dependet ab alio obiecto; vel nec revelatio dependet. Contrà secundò: hæc solutio nihil defert authoritati Ecclesiæ, quod non deferatur cuivis homini; immò & Dœmoni. Nam, credendum esse cuivis propositioni veræ, etiàm si proferatur à Dœmone, dixi disp. 4. §. 4. Quod autẽ defertur authoritati, est, vt propter illam credamus veritatem testimonij, vt dixi ab eodem §. 4. eaqueproptér exigitur in Ecclesia multitudo Doctorum, sanctitate & doctrinâ illustrium. Cõtrà tertiò: ille actus non esset fidei, vt constat ex §. 52. & ex disputat. 4. à §. 4. ergo fides non esset complete & adæquatè fides. Contrà quartò: neque à propositione vera Ecclesiæ, valet consequentia absolutè; sed secundum quid. Nam, in sententia distinguente veritatem ab actu, iste numero actus potuit esse sine

ne veritate: ergo absolutè à testimonio vero non valet consequentia; sed tantùm secundùm quid, ex suppositione accidentaria veritatis. Recognosce §. 26. At verò, si veritas est essentialis actui, non propterea est certus absolutè: quia oritur à principio, à quo potuit oriri actus falsus circa idem obiectum: quapropter non habemus, vndè cognoscamus certò eius veritatem. De quo egi disputatione octaua de Anima. Et quamvis esset actus supernaturalis, ex quo inferretur conclusio formalis supernaturalis; at id non esset de ratione obiecti, sed per accidens, ratione actus: vt patet ex §. 31. E quibus omnibus constat apertè, authoritatem humanam, aut eius propositionem, non esse obiectum formale ducens fidem in revelationem.

§. 76. 3. Obiectio. Respondet. Obijcis tertiò, nos teneri, credere fide divina testimonio humano Ecclesiæ: ergo est obiectum illius. Nego antecedens; sed tenemur, illi credere fide humana, quæ, ex parte voluntatis, caret formidine. Quòd si tunc Ecclesia verè proponit revelationem Dei, illam credimus immediatè fide divina. Si autem Ecclesia verè non proposuerit, non exercebimus fidem divinam; sed humanam, eamque prudenter: quia moraliter errare non potest, authoritate autem divina, nec potest errare physicè. Sæpè monui, Ecclesiam duplici hac authoritate pollere: divina, nempè, & humana: & hanc esse infallibilem solùm moraliter; illam verò etiàm physicè, non minus, quàm testimonium cuiusvis Prophetæ, quo, vt instrumento, vtitur Deus. Quoties ergo dico, propositionem Ecclesiæ esse conditionem sine qua non, id non dico de propositione orta ab authoritate divina: hæc enim propositio est revelatio Dei spectans ad obiectum formale fidei. Est igitur conditio sine qua non propositio humana Ecclesiæ: id est, quæ oritur ab authoritate humana hominum doctorum, & piorum, qui manuducti Scripturis, & ratione naturali, alijsque prudentibus argumentis, aliquid proponunt, vt revelatum à Deo. Hæc propositio non est revelatio Dei, nec obiectũ formale fidei; sed est testimoniũ humanũ indicans revelationẽ Dei. Quod, quia nec est revelatio Dei, neq; physicè certũ, non spectat ad obiectum formale fidei. Quia verò est moraliter certum, nos potest movere, ad credendã existentiam revelationis sine formidine, ob quod est applicatio sufficiens admovendã voluntatem, vt imperet intellectui assensũ fidei de existentia revelationis. Hæc toties repeto, ne in re tã gravi erroris irrepat occasio: satius enim est, rẽ apprimè necessariã inculcare, quàm occasionem labendi alicui præbere.

§. 77. 4. Obiectio. Respondet. Obijcis quartò: Ecclesia semper proponit verè revelationẽ: ergo tenemur illi credere, ergo propositio Ecclesiæ est obiectũ revelationis. Distinguo antecedẽs: proponit verè necessariò, nego antecedens; proponit verè cõtingenter, concedo, & concedo primã consequentiã: nego autẽ secundã: quia à propositione vera contingenter, nõ valet consequentia absolutè. Dixi *contingenter*, de contingentiâ physica; non verò morali.

§. 78. Adverte discrimen inter fidem humanã & per se infusã. Humana habet pro obiecto formali disposito in præmissis, authoritatẽ & propositionẽ humanam, hoc syllogismo: *Omne quod authoritate humana dicit Ecclesia, est, sed dicit, esse revelationẽ de Antichristo: ergo est.* Hæc consequentia, in ratione consequentiæ, est evidẽs ratione formæ, vt potest esse in quovis syllogismo probabili. At verò consequens & conclusio, tantũ sunt probabilia physicè; quamvis moraliter evidentia (quod semper dictũ esse volo, cùm ago de humana Ecclesiæ authoritate.) Nam eadem conclusio obiectiva infertur ex maiori falsa, sicut ex vera. Cõcessis enim præmissis veris, vel falsis, consequentia est necessariò concedenda. Itaque, in illo sylogismo, eo præcisè quòd ponantur illæ præmissæ, sequitur necessariò actus fidei humanæ. Quæ fides tendit in testimonij veritatem realẽ, vel apparentẽ: & quia ex illis præmissis apparet veritas, ideò ex illis infertur hæc fides. At verò ex illis præmissis nõ sequitur fides divina, vt conclusio: quia hæc fides tendit in veritatẽ existentem realiter, & nõ apparenter tantũ: estq; infallibilis, non solũ certitudine consequentiæ; sed consequẽtis. Quã certitudinem non habet conclusio ex illis præmissis: quia cũ illis potuit physicè cõponi carentia existentiæ; tunc autẽ nõ posset exerceri fides divina, sicut humana. Propter quod illæ præmissæ sunt obiectũ formale fidei humanæ; non tamen divinæ: quia humana necessariò quoad speciẽ, sequitur ex illis; non verò divina. Et quia hæc non sequitur necessariò; sed potest cõtingenter sequi; ideò illæ præmissæ, non sunt obiectũ formale fidei divinæ; sed conditio sine qua non. Igitur assensus fidei divinæ primò incipit, & terminatur immediatè ad revelationem, quando ex his præmissis infertur actus verus fidei naturalis: quia tunc comparatur species immediatè repræsentans revelationem, & illius credibilitatem. Si autem conclusio naturalis non esset vera, tunc non exerceretur fides supernaturalis, propter carentiã revelationis. Et quia ex illis præmissis potuit sequi & non

S.Tho.q. 1.Art. 1. non sequi revelatio, & fides supernaturalis: ideò illæ præmissæ sunt conditio sine qua non; & non obiectum formale. Semper autem ago de authoritate humana directa per providentiam Dei, compossibilem ex se & physicè cum falsitate testimonij Ecclesiæ. Nam huius testimonium directum per assistentiam Spiritus Sancti repugnantem falsitati, esse obiectum formale fidei, dixi cum P. Valentia §. 58.

§. 79. Argu- mentū ex §. 12. Argumentum ex §. 12. iam habet facilem explicatum, negata secunda parte antecedentis, qua dicitur, ex propositione humana Ecclesiæ necessariò sequi revelationem: non enim sequitur, nisi contingenter. Vnde negatur maior sequentis syllogismi ibidem propositi: Ecclesia enim authoritate humana dicit verum contingenter; non verò necessariò. Vnde autem sciamus, eam dicere verum, patebit disputatione 14. Nam, quando nulla apparet ratio verisimilitudinis in contrarium, increduli & temerarij animi est, suspicari falsitatem; quamvis illa non repugnet physicè, moraliter autem repugnat.

SVBSECTIO. IIII.

Discrimen secundum.

§. 80. SECVNDO constituo discrimen idem, alio ex capite. Admitto, disputandi gratiâ, totam Ecclesiam, vt pollentem authoritate humana, nec posse fallere, nec falli; adhùc dico, eius authoritatem humanam, vt requiritur ad fidem, non posse esse obiectum formale. Nam, vt requiritur ad fidem, est fallibilis; immò fallitur interdùm: ergo non est obiectum formale fidei. Consequentiam probavi millies: antecedens probo: quia non requiritur, vt Papa, aut totum Concilium generale mihi loquatur, & dicat, esse revelationem de incarnatione; sed sufficit, vt mihi loquatur pars Ecclesiæ, quæ me possit prudenter movere; sed hæc pars, quæ ita me potest movere, est fallibilis, & sæpè fallitur: ergo authoritas humana Ecclesiæ, vt requiritur ad fidem, est fallibilis. Maior constat: quia ego spero de misericordia Dei, me esse Catholicum, & fide per se infusa credere mysteria fidei; nec tamen mihi vnquàm loquutus est Papa, neque Ecclesia tota. Ratio à priori: quia fides non exigit propositionem Ecclesiæ, nisi vt per illam fiat prudenter credibilis revelatio, ita vt prudentissimus quisque possit dignè illi assentiri, & dissensus sit temerarius: Qua propositione excitatur fides ad credendam revelationem, si existat; si autem non existat, quàvis exerceatur prudenter fides humana; non tamen divina. Quia ad hanc requiruntur duo: &, vt revelatio existat, &, vt prudenter applicetur, si autem; vel non existit revelatio, vel non applicatur prudenter, non exercetur fides infusa. De quo agendum disp. 11. §. 24. & disp. 14. Probo autem minorem, nempè, hanc partem Ecclesiæ posse fallere, & interdum falli. Nam, si quinquaginta Episcopi pij & docti mihi contestentur, se præsentibus, definitam Tridenti gratiam inhærentem, idque ego viderim typis evulgatum in Hispania, satis prudenter moveor; quis autem neget, illos quinquaginta Episcopos & Typographum fallere potuisse, & falli?

§. 81. Confirmatio ex S. Aug. exēplis Cypriani, & S.P. Quod explico ex Beato Augustino, tomo septimo, libro secundo de baptismo contra Donatistas, in quo totus est in ostendendo, sanctum Cyprianum cum multis Episcopis Catholicis, & doctis, & cum toto Concilio Africano, non solùm potuisse decipi; sed re ipsa fuisse deceptum, in sententia de re baptizandis ijs, quos ritè baptizaverant hæretici: affertque, S. Petrum etiàm fuisse deceptum, & emendatum à S. Paullo. Ad Gal. 2. 11. Item nonnulla Concilia generalia antiquiora emendata esse per alia recentiora: quod intellige de Concilijs generalibus illegitimis, aut non approbatis à Papa. Sic argumentor: si S. Cyprianus cum tota Ecclesia Africana, proponeret homini etiàm mediocriter docto, Deum revelasse duo: alterum, sacramenta esse septem; alterum, rebaptizandos esse filios hæreticorum: quis dubitet, illum hominem prudenter assentiri posse, existere duas illas revelationes, dum nihil ipsi improbabile pateret? §. 92. Quòd si tota illa Ecclesia rediens ex Concilio generali, contestaretur, id ita definitum, animi esset increduli & temerarij, tunc ipsi abrogare fidem. In quo casu exerceretur fides divina circa revelationem de septem sacramentis; humana verò solùm, circa revelationem de rebaptizandis pueris. Exemplū Iaponorū & Sinarū. Quæ confirmo, quia multæ Provinciæ intrât in Ecclesiâ, motæ authoritate non maioris ponderis: quàm S. Cypriani & Ecclesiæ Africanæ. Quis enim neget, Iapones & Indos, conversos in dustriâ sanctissimi Xavieri, illorum Apostoli, verè esse fideles & Catholicos? S. Xavie. Indiarum Apostolus at illorum prædicator non fuit maioris authoritatis, quàm S. Cyprianus; nec pars

Socie

Societatis Iesu, quæ in illorum conversione desudat, est tanti ponderis, quanti fuit Africa tota: ergo fide divina possumus assentiri, moti authoritate gravi; obnoxia tamen falsitati.

§. 82. Vndè argumentor: authoritas humana Ecclesiæ, vt est per se requisita ad fidem infusam, est indifferens, vt componatur cum revelatione, quam proponit, & cum eius carentia: ergo non ducit necessariò in revelationem existentem: ergo non est obiectū formale illius. Antecedens patet, ex §. 81. consequentias probavi sæpiùs.

§. 83. *Obiectio.* Dices: revelatio, ex me, est obiectum formale, quamvis pendeat à propositione fallibili, vt à conditione: ergo similiter authoritas humana Ecclesiæ: quia est infallibilis, erit obiectum formale fidei; quamvis pendeat à propositione fallibili.

Refellit. Adverte, posse comparari authoritatem humanam totius Ecclesiæ & eius testimonium, cum revelatione & authoritate Dei: ita vt vtraque sit obiectum propositum prudenter; sed fallibiliter, &, vt pars Ecclesiæ dicit: ***Deus revelat mortem Christi***: dicat etiam: ***tota Ecclesia, authoritate humana, dicit esse revelationem de morte Christi***, sic eadem esset vtriusque ratio, & vtraque terminaret fidem infallibilem. Verùm authoritas divina cum suo testimonio, terminaret fidem Catholicam per se infusam, distinctam specie à fide, quam terminaret authoritas humana cum suo testimonio, vt dixi à §. 38. In hoc sensu non loquitur sententia in §. decimo tertio, nec potest. Quia recideret in angustias sententiæ, quam impugnat: nam vt testimonium Dei, quia est obscurum, indiget alio testimonio manifesto; ita & testimonium humanum Ecclesiæ. Alio modo concurrit testimonium partis Ecclesiæ: non quòd habeat pro obiecto aliud testimonium ex authoritate humana Ecclesiæ; sed habeat pro obiecto revelationem ipsam Dei: dicebat enim Sanct. Cyprianus: ***Deus revelavit, esse rebaptizandos filios hæreticorum***; Prophetæ autem dicebant: ***hæc dicit Dominus***. Itaque habebant pro obiecto proposito revelationem divinam; non verò testimonium humanum. A qua propositione ad revelationem non valet consequentia.

Ad argu. Vndè ad argumentum, nego consequentiam: quia propositio humana totius Ecclesiæ non est obiectum propositum à parte Ecclesiæ, quæ pars solùm proponit revelationem Dei.

§. 84. Ex hac subsectione facilior est solutio argumenti è §. duodecimo, distinguo enim antecedens: revelatio sequitur necessariò ex testimonio totius Ecclesiæ, transeat antecedens; sequitur necessariò ex testimonio humano Ecclesiæ, vt per se requiritur ad fidem, nego antecedens. Eadem ratione respondeo ad maiorem propositionem syllogismi, in eodem §. 12. Itaque, si consideres totam Ecclesiam, demus illam physicè errare non posse: quia toti illi Spiritus sanctus adsistit, ne erret in doctrina. Sic eius propositio erit obiectum formale fidei: quia oritur, non ab authoritate humana; sed divina. Si autem consideres partem Ecclesiæ, hic & nunc applicantem mihi revelationem: hæc pars potest errare physicè, in ea proponenda; moraliter autem errare non potest. Quarè eius propositio est per se sufficiens, in ratione applicationis; nō tamē est obiectū formale fidei divinæ, sed conditio sine qua non.

SVBSECTIO V.

Difficultas emergens.

§. 85. HINC deducitur difficultas non levis: nam posset, in aliquo casu, authoritas humana Ecclesiç cum suo testimonio, esse obiectum formale fidei: ergò. Probò antecedens, ex hypothesi, quòd aliquis intersit legitimo Cōcilio Generali cum Papa, & videat ab omnibus Conciliarijs affirmari, esse revelationem de Incarnatione.

Argum. Sic argumentor: ab eo testimonio & authoritate, valeret consequentia ad revelationem: ergo authoritas & propositio humana Ecclesiæ esset obiectū formale, ad credendum per fidem illam revelationem. Probo antecedens: quia revelatio tunc cognosceretur ex duobus principijs evidentibus, necessariò connexis cum revelatione. Primum principium est hoc: ***Quidquid tota Ecclesia dicit, est necessariò verū***: quod à me admittitur, disputādi gratiā. Alterum principium est: ***tota Ecclesia dicit, esse revelationem de Incarnatione***: quod esset evidens ei, qui interesset Concilio.

Resp. Respondeo primùm, in hoc casu, nō habere vim primū, nec tertium argumentum proposita §. 26. & 45. haberet tamen vim secundū argmentum à §. 38. Tunc enim exerceretur fides humana distincta à Catholica, pro distinctione obiecti formalis primarij, quod tunc esset authoritas humana & propositio totius Ecclesiæ. Cui obiecto, quia est purè naturale, non debetur habitus per se infusus. Quòd si illa authoritas Ecclesiæ includat veracitatem supernaturalem, terminabit

S.Tho.q. 1.Art. 1. fidem infusam distinctam à Catholica: vel potiùs non exerceretur tunc fides vlla; sed alius habitus evidens: repugnat enim fidei vt sic, cognoscere evidenter totum suum obiectum formale.

§. 86. Secundò respondeo, tunc non deduci per se actum fidei supernaturalis, ex propositione totius Ecclesiæ. Nam idem numero actus fidei deduceretur ex propositione prudenti, facta à parte Ecclesiæ, qui deducitur ex tota Ecclesia: ergo propositio illa, vt est à tota Ecclesia, est per accidens ad fidem. Consequentia patet: quia caussa per accidens est, qua posita & ablata, oritur effectus idem numero, & eodem modo: ergo illa authoritas, vt est à tota Ecclesia, non est obiectum formale fidei. Patet consequentia: quia obiectum formale, non est caussa per accidens conclusionis; sed per se. 2. Respon.

§. 87. Obiectio. Dices, totam propositionem Ecclesiæ esse caussam per accidens cõclusionis obiectivæ; non tamen conclusionis formalis. Quia, quamvis hæc numero revelatio potuerit cognosci, quin per authoritatem totius Ecclesiæ; tamẽ hic numero actus fidei per se pendet ab hoc obiecto: quod sufficit, vt illud sit absolutè obiectum fidei.

Cõfirmat. Confirmatur: quia per fidem humanam potuit cognosci aliquod obiectum, per authoritatem partialem Ecclesiæ: idemque obiectum potuit cognosci per authoritatem totius Ecclesiæ; tunc autem inferrentur conclusiones formales diversæ, quãvis eadem obiectiva.

Resp. Respondeo; illam authoritatem esse caussam per accidens conclusionis obiectivæ & formalis. Quia ille numero actus fidei infusæ non pendet per se à præmissis naturalibus; sed Deus infundit principia supernaturalia, quibus producatur. Hæc autem principia, in sui productione, dependent à propositione humana prudenti, vt à conditione. Dum igitur est prudẽns propositio, est conditio requisita ad infusionem speciei supernaturalis, per quam producitur actus; illa autem numero species produceretur, si propositio esset à tota Ecclesia. Quia quod additur applicationi, vltra id, quod requiritur ad eius prudentiam, est per accidens. Itaque deveniendum est ad aliquod principium actuum supernaturalium, dependens per se, vt à conditione, ab applicatione prudenti; dependens autem per accidens ab ijs, quæ non requiruntur ad prudentem applicationem.

Ad confir. Ad confirmationem respondeo, actus naturales per se pendere & essentialiter à præmissis naturalibus, pro quarum varietate, sunt & conclusiones formales variæ; secùs actus supernaturales, qui per se pendent immediatè à principijs supernaturalibus; à naturalibus autem præmissis remotè, vt à cõditionibus necessarijs ad sua principia supernaturalia, quæ sunt eadem numero, posita hac, vel illa conditione.

SECTIO IIII.

Qua ratione propositio humana Ecclesiæ serviat fidei?

EXPLICANDVM superest, cui muneri seruiat humana propositio Ecclesiæ? Ac primùm, quando ex authoritate & propositione humana Ecclesiæ, infertur conclusio vera de existentia revelationis: verbi gratiâ, in hoc syllogismo: *omne quod Ecclesia authoritate humana dicit, est; dicit Deum revelasse Incarnationem: ergo Deus revelavit Incarnationem*: quando, inquam, disponitur hic syllogismus, cum certitudine morali, & infertur illa conclusio vera: tunc producitur species immediatè repræsentans revelationem de Incarnatione. Cum qua specie immediata concurrit habitus fidei ad assensum supernaturalem, immediatè repræsentantem revelationem, & exercetur hic assensus immediatus fidei: *Deus revelauit Incarnationem.* Qui assensus est certus: quia licèt revelatio sit contingens; tamen fides essentialiter supponit illam existentem, ac proinde non potest esse falsa, vt dixi §. 34. Obiectum est sectione prima, non posse produci speciem certam, ex iudicio incerto. Respondeo, speciem, quâ vtitur fides, esse supernaturalem, dependentem à iudicio naturali, præcisè vt à conditione: quapropter, non sequitur incertitudinem ipsius iudicij. Si autem quis neget species supernaturales, dicat illam speciem esse contingentem ex se; vt verò coniungitur habitui infuso, producit assensum certum: quia ille habitus non potest vti ea specie, nisi ex suppositione obiecti. Quo differt hæc species ab actu fidei, si deduceretur ex obiecto formali fallibili: quia non haberet ex obiecto suo formali fides, aliquid necessariò connexum cum revelatione. De hoc genere specierum relictarum ex iudicio, abundè egi dispu- §. 88. Ad obiect. è sect. 1.

disputatione 6. à §. 14. Itaque servit primò propositio Ecclesiæ vt conditio, ad complendum intellectum specie impressa, per quam producat assensum fidei.

§. 89. Obiectio è §.6. Respons. Quia verò hæc species est obscura, & de obiecto contingente & latente, obiectum est §. sexto, pendere eius cognitionem ab alio obiecto formali clariori. Hoc nego. Obscuritas enim obiecti ita vincitur, & propositio Ecclesiæ ita facit revelationem evidenter credibilem, vt quivis prudens dicat: *ego possum prudenter credere, revelationem esse*. Quo iudicio completur voluntas, ad volendum prudenter imperare intellectui actum fidei. Itaque fides, propter obscuritatem obiecti, est actus liber pendens, in genere caussæ efficientis, ab habitu, intellectu, & specie impressa: à voluntate autem, vt à principio imperante. Vtramque potentiam complet propositio humana Ecclesiæ, vt conditio: nam voluntati repræsentatur bonitas actuum credendi, quæ bonitas est sufficiens, in ratione obiecti, ad terminandum amorem efficacem: intellectus etiàm acquirit speciem, vt minimum, verosimilem; veritas autem probabiliter apparens sufficit ad terminandum assensum. Quo constituitur intellectus potens obedire voluntati. Hoc passim cernitur in humanis, quoties probabili hæremus opinioni, & assentimur homini prudenti. Quid mirum, si hæc sufficiant ad assentiendum Deo, cum applicatione moraliter certa?

SECTIO. VI.

Epilogus harum disputationum.

§. 90. HABET ergò Fides duo prima principia, in ipsa per se nota, & non aliunde probabilia per aliud principium ipsius Fidei. Primum principium est: *Omne quod Deus dicit, est necessariò verum*, sive: *Deus habet infallibilem veritatem*. Quod principium est à priori demonstrabile in Metaphysica, per essentiam Dei. At relinquitur species evidens, repræsentans immediatè veracitatem Dei: & loco speciei impressæ naturalis evidentis, datur à Deo alia evidens supernaturalis, quæ, simul cum habitu infuso Fidei, exercet actum supernaturalem quoad substantiam, & frequenter evidentem, quo illud obiectum cognoscimus, prout oportet ad salutem.

Secundum principium per se notum est: *Deus revelat Trinitatem*, e. g. Hoc principium est obscurum. Nec mirum: nam in libris Logicæ ostendi, esse principia per se nota probabilia: quia sistimus in vna prima propositione probabili. His primis principijs probabilibus assentimur immediatè, propter ipsa; quin propter aliud obiectum priùs cognitum. At verò intellectus non potest assentiri, propter obscuritatem; nisi per imperium efficax voluntatis, quæ movetur ad imperium, propter aliquod bonum amatum: verbi gratiâ, quia est opinio alicuius Doctoris amici, quem volo honorare, eius sequens opinionem probabilem.

§. 91. Ita fides primum actum exercet, circa existentiam revelationis cognitæ immediatè, sine alio obiecto priùs cognito. Applicationes Ecclesiæ, & miraculorum, faciunt revelationem plusquàm probabilem, vt minimum; imò & credibilem absque formidine: ita, vt prudenter appareat, assensum illi præstitum non fore temerarium; sed prudentissimum. Voluntas item, ad eum assensum imperandum, habet sufficientem bonitatem, ob quam amatam, amet assensum, & illum sic imperatum exercet intellectus.

§. 92. Vnde efficitur hic syllogismus: *Omne quod Deus dicit, est; dicit Trinitatem: ergo Trinitas est*. Maior est evidens. Minor est valde certa, cui assentior immediatè obscurè. Movetur voluntas per argumenta, non solùm probabilia, vt in opinione humana; sed tam efficacia, vt ostendant hominem grauiter peccaturum, nisi assentiatur absque formidine.

Itaque devolvitur negotium ad duo principia evidentia. Primum evidens absolutè: quia impotentia, vt Deus mentiatur, est evidens absolutè. Quamvis enim non cognoscimus evidenter, esse possibiles loquutiones Dei supernaturales; scimus tamen Deo repugnare mentiri. Secundum principium est obscurum physicè; evidens tamen moraliter: quia per applicationes cognoscimus, non posse nos illi absque peccato dissentiri. Huic rei servit propositio Ecclesiæ, & alia quævis applicatio.

§. 93. Syllogism. Fidei. Authoritas autem humana Ecclesiæ, vt exigitur ad fidem, est conditio sine qua non: quia sine illa cognita, aut sine alio motivo humano, non potest exerceri fides divina. At non est obie-

S.Tho.q.1.Art.1. ctum formali: quia hoc habet necessariam physicè connexionem cum obiecto materiali, vt patet ex definitione syllogismi; authoritas autem humana Ecclesiæ, vt exigitur ad fidem, habet quidem necessariam moraliter connexionem; physicè verò contingentem. Vndè consequentia nō est absolutè necessaria, ob quod deficitur ab obiecto formali.

DISPVTAT. VIII.

Vtrùm fides pendeat à revelatione actu cognita?

§. 1. *Aperitur quæstio.* SENSVS quæstionis constabit, si revocentur in memoriam, quæ dixi disputatione 6. à §. 14. relinqui ex iudicio conclusionis, speciem immediatè repræsentantem obiectum ipsius conclusionis: quæ species immediatè concurrit cum intellectu ad assensum conclusionis, independenter à cognitione de obiecto formali, per quod cognita fuit conclusio, prima vice. Eodem modo potest dubitari, vtrùm ex conclusione fidei, relinquatur species repræsentans immediatè mysteriū revelatum, v.g. Trinitatem; quin tunc repræsentetur revelatio & authoritas divina; sed actus productus per illam speciem, feratur in Trinitatem ipsam, quin tunc cogitetur de authoritate, aut revelatione Dei? Item, Vtrùm vsus illius speciei spectet ad habitum fidei; an verò ad alium?

SECTIO I.

Relinquitur immediatè species mysteriorum.

§. 2. *1. Conclus.* DICO primò: quandò in syllogismo fidei concluditur mysterium Trinitatis, aut quodvis aliud: ille asſēsus relinquit speciē supernaturalē, quę repræsentet immediatè mysterium; quin pendeat ea cognitio à revelatione aliqua tunc cognita. Probatur primò: quia omnes aliæ cognitiones relinquunt similem speciem, vt ostendi disputatione sexta §. decimo quarto: ergo & assensus fidei relinquit speciem sui obiecti. Probo cōsequētiā: quia quoad hoc nō ostēdetur aliquod discrimē inter cæteros asſēsus, & hūc. Nam hæc vis reperta in actibus, ad producendas species suorum obiectorum, non videtur oriri ex aliqua ratione particulari; sed ex communi actuum humanorum, quorum alteri excitant species, quibus posſint alij produci. Discrimen enim naturalium, & supernaturalium, non est in producenda & non producenda specie: nā actus materiales & spirituales retinēt suū discrimē; cū tamen vtrique sint productivi specierū. Discrimen verò est, quòd actus naturalis producit speciem naturalem; supernaturalis autem supernaturalem: quemadmodùm spiritalis, spiritalem; & materialem, materialis. Cùm igitur tota differentia actuum naturalium & supernaturalium retineri posſit, cum hoc discrimine specierum: vnde constabit, non posse produci speciem immediatam, ex conclusione fidei, eo quòd conclusio ea sit supernaturalis: sicut non potest probari discrimen illud, inter cognitiones spiritales & materiales?

§. 3. Secundò probatur experientiâ: quia sæpisſimè contingit, nos cogitare de Deo, de Trinitate, de Christo in Eucharistia, nobisque persuadere ea mysteria certisſimè, & sine vlla hæsitatione; immò exercere actus amoris, religionis, & obedientiæ, quin tunc meminerimus authoritatis in dicendo, aut revelationis Dei; sed illi actus sunt supernaturales: ergo habemus species immediatè repræsentantes illa mysteria, relictas ex actibus fidei. Ex ijs relinqui, videtur certum: quia non est, cur eas hauriamus aliunde. Minor item videtur certa: tùm, quia obiecta illa sunt ex se supernaturalia, & petunt cognitionem supernaturalem, non minùs, quàm revelatio. Vt ergò Deus nos donavit principijs, ad cognoscendam revelationem, cognitione apta illi obiecto, quæ cognitio est supernaturalis: cur Trinitas, Incarnatio, & Eucharistia non cognoscentur aptè actu supernaturali? Tum etiàm, quia per illos actus diriguntur affectus supernaturales, qui vel necessariò indicant cognitiones supernaturales; vel saltem aptius ex illis oriuntur. Maiorem autem me experientia docuit.

§. 4. *Obiectio.* Dices, nunquàm cognosci Trinitatem, sine revelatione actu cognita; quia verò sumus assueti eiusmodi cognitionibus, non reflectimus in omnia earum

earum obiecta. Quod contingit multis in rebus: nam Musici fides pulsant, ex scientia; sæpè tamen non animadvertunt. Respondeo, sæpè contingere eiusmodi distractionem; tunc autem distrahimur ab omni obiecto eius cognitionis, à qua ita distrahimur: nam cùm illa per suam essentiam indivisibiliter, repræsentet tria obiecta, non potest nos reddere attentos ad vnum obiectum, quin & ad alia. Musici enim, tàm sunt obliti præceptorum materialium, quàm obiectorum formalium, per quæ illa didicere. Cùm ergò experientiâ constet, nos assentiri illis mysterijs, & ea adorare, distractos à revelatione Dei, apertè concluditur, eam cognitionem esse de solis mysterijs; & non de revelatione.

Respond.

§. 5. Confirmatur: nam si ad singulos illorum actuum, est necessaria cogitatio de obiecto formali fidei, impossibile est, illos à nobis exerceri, oblitis obiecti formalis. At verò obiectum formale fidei tàm multa includit, vt propterea verè dicatur de fide, quod de virtute dixit alius: *longis ambagibus itur*. Nam revocanda est in memoriam sapientia infallibilis Dei, impotentia mentiendi, revelatio Prophetæ, illius credibilitas, propositio humana Ecclesiæ. Hæc omnia erant oblivioni mandanda, & in solum mysterium advertendum? Item quoties adoro Sacramentum, necessariò sum dicturus: *Omne quod Deus dicit, est: quia habet authoritatem infallibilem; sed dicit Christum esse in Eucharistia: quia Ecclesia id ita proponit. Item dicit, adorandum esse corpus Christi: ergo volo illud adorare.* Item, totus iste processus iterum est legendus, ad erogandam stipem, ad colendum festum, ad obediendum, & alia. Longi sunt isti anfractus, vt prætereantur cum distractione. Mitto, quæ possunt obijci: quia sunt communia, & facilè dilui possunt ex disputat. 6. à §. 14.

SECTIO II.

Quibus probetur, eos assensus non esse fidei?

§. 6. HAC in parte, quidquid proferatur, vetusto carebit Authore: quia quæstio recens, nascitur à parente etiam recente. Eam quæstionem in vtramque partem differtabo: rem in medium proferam, quàm vos, sui nominis pondere, penditote. Assensus productos per eas species, non pertinere ad habitum fidei, probatur primò: actus enim non dependens ab obiecto formali fidei, non est fidei. Quod adeò per se notum videtur, vt propterea sit probatu difficile. Nam, neque charitas amat, nisi propter Deum; neque religio, nisi propter cultum: ergo neque fides, nisi propter revelationem. Ratio à priori: quia obiecta formalia sunt normæ, quibus metimur, qui actus ad quam virtutem spectent? Sed actus producti per illas species, non pendent ab obiecto formali fidei: ergo non sunt fidei. Minor probatur: quia obiectum formale fidei, sunt authoritas & revelatio Dei; sed hi actus non attingunt authoritatem, nec revelationem Dei. Non, inquam, attingunt vt obiectum terminativum: quia illas non repræsentant; neq; vt obiectum impulsivum: quia tunc de illis non cogitatur: ergo illi actus non pendent ab actuali cognitione de revelatione & authoritate. Obiectum autem formale illorum actuum sunt, iam Trinitas, iam Incarnatio, iam Christus, iam Antichristus: quia omnia illa cognoscuntur per conclusiones fidei, ex quibus relinquuntur species immediatæ, ad hos actus.

§. 7. Obiectio. Dices, authoritatem & revelationem Dei, non esse obiectum proximum illorum actuum; esse autem remotum: eaque propter, omnes illi actus sunt fidei.

Refellit. Contrà primò: nam obiectum formale Physicæ & Metaphysicæ remotè dependet ab obiecto sensuum externorum; quod tamen non est absolutè obiectum formale Physicæ, aut Metaphysicæ: ergo neque authoritas & revelatio Dei erunt absolutè obiectum formale horum actuum. Patet consequentia: quia eodem modo pendent hi actus à revelatione, quo obiectum Physicæ & Metaphysicæ à sensibili obiecto. Et sicut, post primas cognitiones substãtię, deductas ex accidentibus, incipit nova series cognitionum Physicarum, & Metaphysicarum, tendentium immediatè in substantiam, & propter eam rationem, constituentem novam scientiam: ita, post primas cognitiones fidei, incipit alia nova series actuum, tendentium immediatè in mysteria revelata: ergo eâdem ob caussam, constituent novam facultatem.

§. 8. Quod explico à priori, ex discrimine inter obiectum remotum, &, principium efficiens remotum: vt inde probem,

S.Tho.q. 1. Art. 1. bem, authoritatem & revelationem esse principium activum remotum horum actuum; non verò obiectum remotum. Nam obiectum remotum est illud, quod primò cognitum, ducit immediatè in aliud obiectum; hoc autem, per cognitionem sui, ducit in aliud tertium. Quod fuit obiectum proximum respectu secundi obiecti, est remotum respectu tertij: ad quod tertium nunquàm ducit, nisi per actualem cognitionem secundi. Itaque per bonas consequentias, à primo itur ad secundum, & à secundo ad tertium. Quod patet in scientia de homine, in qua prima demonstratio est de admirativo ex rationali, secunda verò est de risibili ex admirativo. Vbi rationale est obiectum proximum admirativi; remotum verò respectu risibilis: admirativum autem est proximum risibilis. Ita tamen, vt risibile nunquàm cognoscatur vt conclusio formaliter, sine cognitione admirativi. Hæc non reperiuntur in ijs actibus: nam revelatio non ducit in mysterium revelatum mediatè; sed immediatè. Mysterium enim infertur proximè in conclusione, ex sola authoritate & revelatione: ergo hæc non est obiectum ducens in mysterium, per alias cognitiones de obiectis intermedijs: ergo non potest dici obiectum remotum. Neque item est proximum: quia non cognoscitur per illos actus: ergo nullo modo est obiectum illorum.

§. 9. Esse autem authoritatem & revelationem principium efficiens remotum illorum actuum, probo: quia illa obiecta, per cognitionem sui, concurrunt, quasi efficienter, ad conclusionem formalem de Incarnatione; hæc autem conclusio concurrit efficienter, ad speciem immediatam de Incarnatione; hæc verò species concurrit efficienter, ad cognitionem immediatam de Incarnatione. Ecce de primo (vt aiunt) ad vltimum, authoritas & revelatio Dei sunt principium activum remotum actuum immediatorum de Incarnatione, in quos nullum alium influxum habere, est certum. Hunc autem non sufficere, vt illi actus pendeant à revelatione, vt obiecto formali, patet: nam revelatio præcisè influit, vt principium activum remotum; sed hic concursus non est obiecti formalis: ergo. Probo minorem primò: quia Deus est principium activum proximum specierum repræsentantium creaturas; nec tamen propterea est obiectum formale illarum specierum. Secundò: quia conclusio formalis est principium activum remotum horum actuum; & tamen illa conclusio non est obiectum formale talium actuum: ergo cùm obiectum præmissarum sit principium multò remotius, non erit obiectum illorum actuum.

Dices, præmissas formales & conclusionem, non concurrere ad illos actus, vt obiectum cognitum, sicut concurrunt authoritas & revelatio. Contrà: in illa serie actuum, qui oriuntur per speciem relictam ex conclusione fidei, non concurrit revelatio vt cognita: quia nullo illorum actuum cognoscitur; tantùm autem concurrit, vt cognita per primam seriem actuum, qui respectu seriei secundæ, fuerunt præcisè caussa efficiens. Quod à priorio probatur: quia, vt aliquid concurrat, vt obiectum formale, opus est, vt extremitatum idemtitas inter se, concludatur ex earumdem idemtitate cum medio; sed illa series actuum attingit idemtitatem extremitatum inter se, quin illam deducat ex alio medio: ergo non habet aliud obiectum formale. Confirmatur: quia si isti actus penderent à revelatione, vt ab obiecto remoto, implicaret, vt iste actus: *Incarnatio est*, esset supernaturalis, aut existeret, nisi existente revelatione Incarnationis. Nam deduceretur ex actibus fidei veris, terminatis ad revelationem Incarnationis, qui non possent existere non existente revelatione: quia essent falsi. Cùm enim revelatio esset obiectum remotum actuum, de quibus disputo, ad illos esset deveniendum, per obiecta intermedia, & actus veros. Sed isti numero actus potuerunt existere, & esse veri, quin existeret revelatio de Incarnatione: ergo non pendent ab ea revelatione, vt ab obiecto. Probo minorem: quia illa numero species impressa, quæ producta fuit per conclusionem fidei, potuit produci à solo Deo: nam omnis effectus absolutus caussæ secundæ, potest produci à solo Deo; nisi obstet aliqua turpitudo effectus. Illa autem species sic producta à solo Deo, posset producere eumdē numero actū, quē nunc: qui actus, tàm esset verus, quàm nunc. Potuit enim Deus incarnari, quin id revelaret: ergo iste numero actus potuit existere, revelatione non existente: ergo non dependet ab illa, vt ab obiecto: ergo spectat ad alium habitum.

Dices, eundem habitum per se infusum, posse se extendere ad omnes actus pendentes à revelatione Dei, vel tanquàm ab obiecto, vel vt à principio. Quo differt habitus infusus ab acquisito: quòd hic facilè variatur, pro distinctione obiectorum; infusus autem porrigitur ad multa. Contrà: cōmune

§. 10. Obiectio.

Refell.

Confirm.

Obiectio.

Refellitur

mune est Theologis, discriminare habitus per se infusos, ex discrimine absoluto obiectorũ; sed, hoc in casu, obiecta vtrorũque actuum sunt absolutè diversa: quia revelatio non est absolutè obiectum secundorum actuum: ergo. Quod patet in naturalibus: licèt enim, pro diversitate obiectorum, cõstituamus diversos habitus acquisitos; tamẽ non constituimus diversas facultates, nisi obiecta primaria sint absolutè diversa. Vnde omnes habitus circa substantiam corpoream, conflant scientiam Physicam; Metaphisica autem non incipit, nisi circa substãtias incorporeas, quæ in prima cognitione dependent ab obiecto Physicæ: ergo hoc genus dependentiæ constituit obiecta primaria omnino diversa.

§. 12. *Animadversio bon.* Hæc intelligo, quando relinquuntur species, de obiectis distinctis à testimonio Dei: v.g. infertur aliquando hæc conclusio Fidei: *Trinitas est.* Hoc obiectum, quando cognoscitur immediatè, est per habitum distinctum à fide, ex hac sententia. Aliquãdo autem infertur hæc conclusio fidei: *ergo Deus revelavit Isaiæ Trinitatem*: aliquando hæc: *ergo Deus voluit revelare*: quia, vt Deus revelavit Isaiæ Trinitatem, mihi revelat revelationẽ Isaiæ, quæ tũc est obiectũ materiale. Hæc duo obiecta, quando postea cognoscuntur immediatè, pertinent ad fidem, ad quam spectat omne testimonium Dei, & voluntas testandi, vt dixi disp. 6. sect. 5. dicturus latiùs disp. 13. Ratio à priori, quia hæc duo obiecta, cum authoritate Dei, sunt per se principia credendi; non minus quàm revelatio, per quã ipsa cognita fuerunt: ergo vsus illius speciei spectat ad fidem, sicut vsus speciei de prima revelatione. Cætera autem obiecta, quia per se non spectãt ad credendum, ideò immediatè cognitiones de illis non sunt fidei. Fateor, doctrinam traditam hac tota sectione nervos habere.

SECTIO III.

Ad quem habitum spectent ij actus?

NON sufficit, eos actus expungere è serie actuum fidei; sed oportet assignare, ad quos spectent? Ac pri-
§. 13. mùm, dicet aliquis, illos pertinere ad habitum per se infusum, tendentem, vt in obiectum formale, in omnes conclusiones fidei, cum aliqua attributione ad Deum obiectum princeps. Quæ sententia videtur indicata à Grabriele. Eam tamen impugnavi disp. 3. quia vnus numero habitus haberet pro obiecto formali omne ens: quod non convenit lumini gloriæ tendenti adæquatè in Deum, vt in obiectum formale; scientia verò per se infusa tendit in creaturas: ibidẽ etiàm observavi, tenacem hujus habitus, non posse impugnari; nisi admirationibus. *Impugnatur Scotus.* Objicienti autem novitatem huius habitus, respondebitur, eum esse, ab origine mundi, genitum ex fide, in Adamo; de illo verò nihil dictũ à Theologis, sicut neque de hac difficultate. Immò Scotus illius meminit, eumq; ego impugnavi, & ipsum Scotũ, qua parte dicit illũ esse fidei, vt patet ex dis. 3. In hoc autem sensu, posũt explicari illius authores. Quòd si novitas accusatur, etiam erit accusanda in adversarijs: quia nullus Theologus dixit, esse habitũ fidei, qui tendit in obiectum formale distinctum ab authoritate & revelatione Dei, qualis est iste, de quo disputamus.

Quòd si displicet vniversalitas huius habitus, possumus dicere, vsum specierũ relictarũ ex articulis revelatis, spectare ad duos §. 14. habitus per se infusos, quorũ alter sit Theologicus, agens de Deo eiusque attributis, & in obiecto formali respondeat lumini gloriæ, habenti Deum obiectum adæquatum formale. Hic habitus erit inferior fide: quia naturâ sua pendet à fide, vt à radice. Quãvis enim à Deo infundatur; semper tamen est, præeunte fide. Secundus habitus sit nõ Theologicus; habẽs obiectũ formale adæquatum, creaturas; & respondens scientiæ per se infusæ.

SECTIO IIII.

Opposita sententia.

HAC in parte vix possumus, nisi hallucinari. Dico primò non repugnat esse per potentiam absolutam eiusmodi habitus: Quia, cùm sint per se infusi, & indepẽdentes à suis actibus, possunt amplecti obiecta pluriũ habituum. *1. Conclus.* *§. 15.* Dico secundò, non repugnat fidem solam amplecti ea omnia obiecta. Quia, cùm radicaliter pendeant ab authoritate & testimonio Dei, omnes illi dicuntur actus credendi formaliter, aut radicaliter. *2. Conclus.* Dico tertiò, probabilius esse, sola fide exercesi omnes illos actus. *3. Conclus.* Nam communis Theologorũ assensus, soli fidei adscribit omnes actus quoquo modo pendentes à revelatione Dei: neque sunt geminandi habitus, absque vrgenti funda-

autem dub. 4. dicit, censeri à Caietano, fidē & charitatem excedi à Deo: quia non attingunt omnia, quæ in Deo sunt.

§. 5. *Impugna. Caietan. in exposit. Bañez.* Impugnatur Caietanus iuxta interpretationem Dominicanam: primò, quia beati possunt amare singillatim omnia, quæ sunt formaliter in Deo: ergo fides catholica potest cognoscere omnia, quæ Deus revelat singillatim. Probo antecedens: quia nihil est formaliter in Deo, quod non posit à beato cognosci: ergo nec, quin amari. Consequentia patet: quia omne bonum cognitum potest amari. Antecedens probo: quia omne ens divinum est verum: ergo est cognoscibile à beato. Quamvis enim omnia nō possent collectim cognosci; possunt tamen singillatim. Secundò, sunt abs re, quæ dicuntur à Caietano dici: quia quamvis fides non posset cognoscere omnia, quæ sunt formaliter in Deo, neque charitas amare; quidni poterit privata, quæ privatim revelantur? Vt enim potest credere Trinitatem, quin posit attingere omnia, quæ sunt in Deo; cur, obsecro, impedietur à cognitione de obiecto privato?

§. 6. *Item in exposit. P. Valent.* Iuxta Gregorianam expositionem impugnatur Caietanus: primò, quia videtur parum constans: nam dicit Deum, secundum conceptum revelantis secundum se, & sine limitatione, esse obiectum formale fidei catholicæ; non verò, vt revelantem privata. Hæc pugnare mutuò probo: quia Deus revelans secundum se, & sine limitatione, extenditur ad omnia, quæ revelat: ergo extenditur ad privata, quæ revelat: ergo hæc non habent limitationem. Probo antecedens: quia homo secundum se, nullum hominem excludit; sed communis est omnibus. Item Deus loquens secundum se, & sine limitatione, comprehendit omnes conceptus Dei loquentis; alioquin iam esset loquens cum limitatione, sed Deus loquens omnia, extenditur ad privata, quæ loquitur: ergo Deus loquens sine limitatione, extenditur ad privata. Confirmatur: quia fides vtitur Deo revelatore activè secundum se: ergo eadem fides cognoscit omnia, quæ pasivè revelantur. Patet consequentia: quia cognitio Dei revelatoris activè, ducit in omnia, quæ pasivè revelantur.

§. 7. *Bañez. P. Valent. P. Vazq.* Magister Bañez, & P. Valentia adducti §. 5. censent, fide catholica non credi, nisi revelationes publicas. Et P. Vazquez in 1.2. disp. 210. à num. 27. qui tamen non loquitur de obiecto privato, cum revelatione privata ipsius, sed sine illa; verissimum autem est, sine revelatione, nihil pertinere ad habitum fidei.

1. Argum. Primum argumentum: quia fides propterea dicitur catholica: quia versatur circa vniversalia: ergo non versatur circa privata. *Respondet.* Nego consequentiā: quia nomen imponitur aliquando ab vno solò munere, quin excludantur cætera; revelationes autem publicæ, sunt præcipuum obiectum fidei, & ab earum assensu sortitur vocabulum *catholica*; non tamen propterea illi negatur vis assentiendi privatis. Nam animus dicitur rationalis, à discursu; cum tamen sit etiàm sensitivus. Est enim malum argumentum, ab affirmatione vnius effectus, negare alium: vt si, ex affirmatione discursus, negetur sensio. Adverte, fidem posse accipi, vt catholicam formaliter; vel posse accipi materialiter, pro habitu, qui est catholicus. Assentimur ergò revelationibus privatis, per fidem catholicam materialiter: nam assentiri per catholicam formaliter, est assentiri per illam, vt explicatur per obiectum publicum. Sicut intelligimus per animam sensitivam materialiter; non verò formaliter: quia, vt sensitiva, non connotat discursum, sed sensionem.

§. 8. *2. Argum.* Secundum argumentum: quia Deus dedit quosdam Apostolos; alios Evangelistas & Doctores, in ædificationem Ecclesiæ: ergo fides catholica solùm credit ea, quæ spectant ad publicam ædificationem. *Respondet.* Non capio hanc consequentiam. Cur enim fide catholica non credemus revelationes privatas, & eâdem fide credemus publicas? Fidem namque esse fundamentum spiritalis ædificij, cur officiet assensibus privatis, quibus possumus etiàm ædificari? Nam, si mihi Deus revelet, quid sibi sit magis placitum: possum ego illud exequi, animo placendi Deo: item & illud manifestare alijs: quo ædificabimur placentes Deo.

§. 9. *3. Argum.* Tertium argumentum: quia non quævis revelatio est obiectum fidei; sed illa, quę modificatur per propositionē Ecclesię: ergo revelatio privata non est obiectum fidei. *Respond.* Nego antecedens: Adamus enim fide catholica credidit revelationem Dei: quod de Eua est certum; nec tamen illa revelatio proposita fuit ab Ecclesia. Illa modificatio est extrinseca denominatio, per quam revelatio fit credibilis: potest etiàm fieri credibilis, ex alio capite.

§. 10. *Lorca.* Lorca disp. 5. num. 7. ait, aliquas revelationes privatas, posse cognosci per habitū catholicum; multas verò non ità. Nam revelatio privata potest pertinere ad Deum aliquo modo: vt, quæ agit privatim de aliquo beneficio Dei, posito apud hominem priuatum. Hanc censet credi fide catholica: quia non solùm pendet ab obiecto formali *quo* fidei, sed etiàm spectat ad obiectum formale *quod*. Alia autem revelatio privata, potest non pertinere ad Deum, quæ non credi-

S.Tho. q. 1. Art. 1. creditur fide catholica (ex hoc Authore): quia non sufficit, obiectum aliquod pendere ab obiecto formali *quo* fidei; sed oportet, vt spectet ad obiectum formale *quod*.

§. 11. Mitto, multas revelationes publicas non pertinere ad Deum, magis quàm privatas: v.g. Tobiam habuisse canem. Licet enim hæc revelatio spectet ad integram historiã Tobiæ; tamen ipsa, cur magis spectat ad Deum, quàm somnus Turcæ? Neque ad historiam, vt spectantem ad Deum, erant necessariæ illæ minutiæ. Probo omnes revelationes privatas spectare ad Deum: nam omnis revelatio, aut est de Deo, aut de creatura, aut de ente rationis: de alio enim obiecto esse non potest. Si est de Deo, res est clara; si de ente rationis, eius cognitio pertinet ad Deum. Nam eadem facultas agit de oppositis: Theologia, de virtutibus & vitijs; Physica, de loco & vacuo: Metaphysica, de ente reali & rationis. Sed ens rationis quia est non ens per essentiam, opponitur Deo enti per essentiam: ergo revelationes de ente rationis & Deo, spectant ad eandem fidem. Si autem revelatio est de creatura, pertinet etiàm ad Deum. Nam omnis effectus essentialiter dependens ab aliqua caussa, refertur, in esse scibili, ad eãdem caussam (vt in Philosophia ostendi, in prooemijs singulorum librorũ); sed omnis creatura est effectus, per essentiam pendens à Deo: ergo potest referri, in esse scibili, ad Deũ. Minor patet de caussa efficiẽti, saltem per concursum generalem. Item, Deus est caussa finalis rerum omnium, actionesque pravas permittit, propter se vltimum finem. Item, omnis creatura manifestat providentiam Dei, specialem, aut generalem: ergo, hanc ob caussam, non est excludenda revelatio privata à fide catholica.

§. 12. 2. Impug. Secundò argumentor: quia obiectũ formale *quo* fidei catholicæ & privatæ est idẽ: ergo privatim revelatum, est obiectum formale *quod* fidei catholicæ. Antecedens datur ab hoc Authore, asserente obiectum formale *quo* esse idem, in revelatione privata & publica. Et quidem est certum, si sermo sit de obiecto formali *quo* principali: hoc enim, ostendi sæpiùs, esse ipsum Deum, vt potentem infallibiliter loqui. Consequentiam probo: quia illud est obiectum formale *quod* alicuius habitus, quod immediatè cognoscitur, ex obiecto formali *quo* ipsius habitus; sed obiectum revelatum privatim, est, per te, immediatè cognitum, per obiectum formale *quo* fidei catholicæ: ergo illud obiectum privatim revelatum, est obiectum formale *quod* fidei catholicæ. Maior patet: quia, ex hac sententia, obiectum formale *quod* est idem, quod, in mea, obiectum materiale proximum, vt constat ex disp. 2. §. 4. Nam conclusio est, in hac sententia, obiectũ formale *quod*; in mea verò, est obiectũ materiale proximum: ergo obiectum formale *quod*, est quod immediatè cognoscitur per formale *quo*. Quia materiale proximum, est quod immediatè cognoscitur per formale.

§. 13. 1. Cõfirm. efficax. Confirmatur primò, in ipso Deo, qui eo præcisè est obiectum formale *quod*: quia est obiectum revelatum, pendens, in cognitione, à revelatione cognita. Omnia enim, quæ sunt in Deo, vt cognita per revelationem, sunt revelata vt *quod*; authoritas verò & revelatio, sunt *quo* cætera revelantur. Nam, qua alia ratione, Deus est obiectum *quod*; authoritas autem & revelatio *quo*, nisi quia Deus est obiectum cognitum proximè per revelationem & authoritatem: Ita, vt authoritas & revelatio, sint medium dispositum in præmissis; Deus autem ipse, sit conclusio ex illis deducta? Ergo eâdem ratione, revelata privatim, sunt obiectum formale *quod* fidei catholicæ. Patet consequentia: quia nõ alia ratione cognoscitur obiectum privatum, per authoritatem & revelationem, quàm cognoscitur Deus.

§. 14. 2. Cõfirm. Confirmatur secundò: quia, in ipsa revelatione privata, reperiuntur obiectum formale *quo* & *quod*. Formale *quo*, sunt ipsa authoritas Dei & revelatio; formale *quod*, est res ipsa revelata, quæ eo præcisè est formale *quod*: quia proximè cognoscitur per revelationem: ergo omne obiectum proximè cognitum, dependenter ab obiecto formali *quo*, est obiectum formale *quod*. Ratio à priori: quia obiectum formale *quo*, est principium obiectivum cognoscendi formale *quod*; hoc autem est quod cognoscitur cum tali dependentia. Vnde concludo, non posse non esse obiectum formale *quod* fidei, illud quod immediatè & adæquatè cognoscitur, per obiectũ formale *quo*. Fateor, Deũ esse obiectum formale *quod* attributionis; hoc autẽ non obest, quominùs cætera sint obiectum formale *quod* attribuendum. Redeundum igitur est ad revelationem privatam, vt ad obiectum formale *quo* partiale. An videlicet ea posit cognosci fide catholica?

SECTIO III.

Conclusio.

§. 15. Conclus. P. Suarez. DICO, eodem habitu indivisibili fidei catholicæ, cognosci revelationes publicas & privatas. Ita P. Sua-

P. Suarez. Vega. Corduba. Catharin. P. Turr. Aragon. P. Vazq.

P. Suarez disp. 3. sect. 10. adducens Vegam, Cordubam, & Catharinum, quos sequitur P. Turrianus disp. 5. dubio 1. §. *explicandum*, cum Aragone, & alijs recentibus, & P. Vazquez lib. 2. tom. 2. disp. 210. num. 27. Quamvis enim fidem privatam distinguat à catholica; tamen agit de fide, sive fiducia non innitente testimonio Dei. Omnem autem fidem illi testimonio innixam, docet esse eundem habitum.

§. 16. Probatur primo ex Innocētio III.

Probationi præmitto, posse revelationem privatam fieri evidenter credibilem; quin per propositionem totius Ecclesiæ. Quod probo primò ex Inocentio III. cap. *Cùm ex iniuncto* de hæreticis. Vbi Pontifex docet eum, qui prædicat non missus à Prælatis Ecclesiæ, debere ostendere se internè missum à Deo; vel speciali aliquo testimonio Scripturæ agente de ipso; vel aliquo miraculo. Nam Ioannes Baptista produxit testimonium Isaiæ, agens de ipso: *Vox clamantis in deserto.* Vbi advette, censuisse Pontificem, ad faciendam credibilem missionem internam, sufficere alterum è duobus: vel testimonium Scripturæ, vel miraculum; sed revelatio probata ex Scriptura, est evidenter credibilis: ergo & revelatio probata miraculo, est evidenter credibilis. Adverte item, hîc esse sermonem de revelatione credenda, non solùm ab habente ipsam; sed etiàm ab alijs. Item, de revelatione credenda, non solum à tota Ecclesia per testimonium Scripturæ; sed etiàm à privatis, petentibus à Concionatore rationem missionis internæ: quam missionem debet ipse illis persuadere miraculo. Verba Pontificis suprà sunt hæc. *Potest rationabiliter responderi, quòd, cùm interior illa missio sit occulta, non sufficit cuiquam nudè tantùm asserere, quòd ipse sit missus à Deo; sed oportet quòd adstruat illam missionem invisibilem, per operationem miraculi, vel Scripturæ testimonium speciale.*

Ioan. 1. Animad.

Innoc. 3. suprà.

§. 17. Prob. 2. ex Tridēt.

Secundò probatur ex Concilio Tridentino session. 6. canone 16. *Si quis magnum illud vsque in finem perseverantiæ donum, se certò habiturum, absoluta & infallibili certitudine dixerit; nisi hoc speciali revelatione didicerit, Anathema sit.* Hæc verba manifestè probant, posse aliquem, ex speciali revelatione, credere suam perseverantiam, certitudine absoluta & infallibili: ergo revelatio privata potest esse evidenter credibilis, certitudine absoluta & infallibili. Consequentia patet, abactu ad potentiam affirmativè. Antecedens probo: quia illa verba *nisi &c.* manifeste significant, posse esse certitudinē ex speciali revelatione: tū quia *exceptio firmat regulam in contrarium*; tum etiàm, quia sæpius in Scriptura, multa hac ratione affirmantur: Ioannis 5. 19. dicit Christus, se non posse facere, *nisi quod viderit Patrem facientem*. Item, cap. 3. 2. *nemo potest hæc signa facere, nisi fuerit Deus cum eo*, quasi dicat: si Deus fuerit cum aliquo, potest facere hæc signa; si non, non. Et cap. 6. 22. *turba vidit, quia navicula alia non erat ibi, nisi vna*; id est, vidit turba, ibi esse vnam naviculam; & non aliam. Tum etiàm: quia illa propositio est exceptiva, quæ affirmat vnum, & negat aliud: nam, quamvis non sit expressè exceptiva; tamē illi æquivalet. Dicere enim: *ego non feci, nisi legere*, perinde est, ac dicere: *ego tantùm legi.*

Explicā t. verba Cōc.

Ioan. 5. 19. 3. 2. 6. 22.

§. 18. Obiectio.

Dices, à Concilio non dictum, posse aliquem infallibili certitudine credere revelationem suam privatam, sed negasse, non posse certò sciri perseverantiam, nisi ex speciali revelatione. Non tamen propterea affirmatur, id fieri posse ex speciali revelatione: vt siquis dicat, nullum animal beandum, nisi hominem: negat beatitatem cæteris animalibus; at eam non affirmat de homine ex eo præcisè, quod sit homo. Item, nullus salvabitur, nisi fidem habeat; at non quicumque habet fidem, salvabitur.

Respōdet. affirmatio partialis & totalis. Luc. 13. 3.

Respondeo, semper illam adversativam esse affirmativam: affirmatio autem potest esse partialis, aut totalis. Quando est totalis, affirmatur absolutè id, quod est post adversativam, vt: *omnes peribitis, nisi pœnitētiam egeritis*, penitentia est tota ratio non pereundi: nam perfectè pœnitens, dum nō revocat pœnitentiam per peccatum mortale, non potest perire, de lege communi. Potest autē adversativa esse partialis: quia affirmat partem eorum, quæ necessaria sunt, vt: *non possumus ire Madridum, nisi vitam habeamus*: quo explicamus, vitam esse necessariam, ad faciendum iter; non tamen sufficit sola: sunt enim alia plura necessaria, quibus positis, possumus iter. Quæ autem sit adversativa partialis, aut totalis: colligendum est, ex natura rerum, de quibus agitur: ex Scripturis, & alijs. Nam non sufficit humanitas ad beatitudinem, nisi divinitus elevetur: quod colligitur ex natura hominis, & beatitudinis. Neque item sufficit sola fides; vt constat ex Scriptura: quibus respondetur obiectioni. Sed illa adversativa Concilij est totalis: ergo nihil requiritur ex parte obiecti, ad certitudinem infallibilem. Probo minorem: quia ex parte obiecti formalis, præcisè exigit fides authoritatem & testimonium Dei; sin minus, assignent, quid aliud requiratur, quod cum revelatione privata possit movere fidem certam & infallibilem? Nam revelationem privatam posse saltem partialiter

Adversativa partialis, & totalis.

S. Thõ. q. 1. Art. 1. liter illam movere, patet ex verbis Concilij.

§. 19. Probatio ex Scriptura. 1. Cor. 14. 24. Tertiò probatur ex 1. ad Corinth. 14. 24. his verbis: *si autem omnes prophetent, intret autem quis infidelis, vel idiota: convincitur ab omnibus, dijudicatur ab omnibus: occulta enim cordis eius manifesta fiunt, & ita cadens in faciem adorabit Deum, pronuncians, quòd verè Deus in vobis sit.* Hæc verba Paulli exponuntur, partim de explicatione mysteriorum, per quam docentur Idiotæ & infideles; partim etiàm explicantur de vera prophetia, quâ per revelationem manifestantur secreta cordis idiotarum & infidelium: vt expressè advertit Lyra & sequũtur, vt cõmuniorem expositionem, nostri Iustinianus & Cornelius, viri planè & plenè docti, & de Paullo plusquàm mediocriter benemeriti. (Lyra. P. Iustin. P. Cornel.) Sive autem sit expositio de doctrina; sive de revelatione secreti, sic argumentor: Catholici, sive plures, sive pauci, præditi eo genere prophetiæ, de quo Apostolus, possunt movere idiotam & infidelem, ad cognoscendum, Deum esse in tali Propheta, & ad credendum quæ à Propheta dicuntur: ergo revelatio privata potest esse evidenter credibilis. Patet consequentia: tum, quia illæ revelationes, de quibus Paullus, erant privatæ, & non publicæ: qui enim Corinthi in Ecclesiam cõvenire poterant, erant pauci homines privati, ad quorum pedes provolvi poterat infidelis, & cognoscere Deũ illis loquutũ, præcisè propter cognitam prophetiam. Tũ etiàm: quia, si Prophetia cognita evidenter potest movere infidelem, vt credat toti Ecclesiæ: eadem prophetia cognita evidenter poterit movere eumdem infidelem, vt credat Prophetæ privato. Probo: quia prophetia privata tàm cognoscitur esse à Deo, quàm publica. Item revelatio privata de secreto cordis, vel de doctrina, tàm cognoscitur esse à Deo in homine privato, quàm in tota Ecclesia. Quod videtur ex terminis notum.

§. 20. Cõfirmat. efficax. Confirmatur: S. Petrus Alexandrinus fecit evidenter credibilem Achillæ & Alexandro privatam suam revelationem, de futura hæresi Arriana. Nam, in cõfirmationẽ revelationis, prædixit Achillam sibi successurum in Pontificatu; Alexandrum verò Achillæ. Quod cùm videret Alexander, debuit obedire præcepto Sancti Petri, de interdicenda Ecclesia Arrio. Quòd si S. Petrus viveret, posset Alexander cadere ante eius pedes, adorans Deum in ipso habitantem per donum prophetiæ. Item, si S. Petrus, mortuorum suscitatione, & revelatione secretorum, probaret Alexandro suã revelationem: non dubium, quin Alexander posset tàm prudenter credere illam revelationem, quàm qui ob similia miracula crediderunt Apostolis. An Iaponorum Apostolus Sanctissimus Xavierus, tribus mortuis suscitatis, tàm apertis prædictionibus, & revelationibus secretorum, nõ posset facere evidenter credibiles privatas revelationes, quibus tertio quoque instanti illustrabatur? (S. Xavier. mortuorũ suscitator.)

§. 21. Argumentum in forma. Vnde argumentor: revelatio privata est evidenter credibilis, simul cum authoritate Dei: ergo illi possumus assentiri, certitudine absoluta & infallibili. Patet consequentia: tum, ex Tridentino adducto §. 18. tum, quia eadem sunt principia infallibilitatis in hac revelatione, ac in publica. Primò: quia authoritas divina eadem est, & æquè infallibilis in privatis & publicis: æquè enim repugnat, Deum mentiri homini privato, ac toti Ecclesiæ. Secundò, ex parte revelationis eadem est ratio: quia revelatio privata tàm est supernaturalis & loquutio Dei, quã publica. Tertiò, ex parte applicationis est eadem ratio: quia applicatio reddit revelationem privatam evidenter credibilem: ergo ex parte obiecti omnia reperiuntur, ad terminandum actum absolutè & infalliibiliter certum.

§. 22. Obiectio. Bañez. Refell. Dices cum Magistro Bañez, nos illi posse assentiri sufficiẽter per fidem humanam. Contrà: fides humana non est absolutè & infallibiliter certa: quia ex se non repugnat tendere in revelationem existentem apparenter tantùm; Concilium autem adductũ §. 18. dixit, posse ex revelatione privata haberi certitudinem absolutam & infallibilem: ergo Concilium non agit de fide humana; sed infusa. Deinde, omne obiectum cognoscitur habitu sibi proportionato: nã disp. 7. abundè ostẽdi ex Paullo, ideò inferri habitum supernaturalem & infallibilem, quia obiectum est etiàm supernaturale & infallibile: ergo hæc revelatio privata non cognoscitur proportionatè & sufficienter, nisi per habitum infusum. Quidquid autem sit de facto, certè, esse posibilem eiusmodi habitum, videtur extra controversiam: nam Deus loquens privatim tàm est credibilis proportionatè, quàm loquens publicè. Itẽ, vt Dulia distinguitur à Latria, propter excellentiam creatam & increatam: ita propter testimonium & authoritatem Dei, distinguitur fides in Deum à fide humana & naturali, tendente in testimonium & authoritatem humanam. Quod est evidens.

§. 23. Deinde impugnatur hæc doctrina: quia Adamus fide catholica credidit revelationem sibi factam à Deo privatim, quin penderet ab alia propositione Ecclesiæ; Eva autẽ & Abel potuerunt eàdem fide catholica credere

credere revelationem Adami: ergo habitus catholicus non dependet per se à publicitate revelationum. Quod si dixeris, posse aliquem credere revelationem privatam sibi factam; non tamen factam alijs: contrà primò: quia Abel credidit revelationem
Innocēt. 3. Adami. Secundò, Innocentius III. adductus §. 17. & Paullus adductus §. 20. loquuntur de credentibus revelationes priuatas factas alijs. Tertiò: ergo iam ex conceptu revelationis privatæ non repugnat, ad eam porrigi habitum catholicum: ergo non repugnat, eam credi ab alijs per eundem habitum. Patet consequentia: quia diversitas subiectorum non mutat in præsenti rationem obiecti: nam potest fieri evidenter credibilis revelatio aliena, tàm sufficienter, quàm propria.

§. 24. Lorca. Resp. Minus abs re respondet Lorca opinans, eas revelationes credi actu supernaturali, naturâ sua spectante ad habitum per se infusum specie distinctum à catholico. Illum tamen habitum negat existere: quia istæ revelationes non sunt frequentes, ac proptereà defectus habitus suppletur per auxilium, vt in multis alijs casibus. Duo sunt impugnanda: alterum, hunc habitum non existere; alterum, distingui specie à catholico. Primum probo: quia, proposita semel revelatione privata cum sufficienti credibilitate, potest quis frequentem exercere fidem: ergo non est negandus habitus. Patet consequentia: quia ea ratione negatur à Lorca, quòd actus sunt exercendi raro, & per accidens; ad actus autem frequentes datur habitus, sicut & ad alios. Antecedens probo primum: quia multæ revelationes publicæ non sunt factæ, nisi semel, vt patet in Prophetis: aliæ factæ sunt bis, aut ter; & tamen frequentem circa illas exercemus fidem: ergo & circa privatas, quamvis non contingant, nisi semel. Secundò à priori: quia, ad assentiendum frequenter obiecto, non requiritur, nisi vt sit, & sufficienter proponatur; sed revelatio semel tantum existens, est obiectum fidei exercendæ post longum tempus, & potest sufficienter proponi: ergo potest frequenter credi.

§. 25. Probo nunc, revelationem privatam non distingui sufficienter à publica, ad discriminandos habitus. Nam eadem numero revelatio, quæ modò est privata, potest esse publica: ergo eademmet numero potest credi fide catholica. Probo antecedens: quia, esse publicam revelationem, est extrinseca denominatio à propositione totius Ecclesiæ. Nam propositio Ecclesiæ est quædam affirmatio, quâ dicitur, Deum fecisse illam revelationem, cuius affirmationis obiectum est ipsa revelatio; esse autem obiectum propositionis, est terminare extrinsecam denominationem propositionis. Sed eadem numero revelatio potest terminare illam propositionem, quam anteà non terminabat: ergo eadem numero revelatio potest esse publica & privata. Probo minorem: quia Ecclesia potest modò affirmare, revelationem factam S. Petro Alexandrino, aut S. Catharinæ Senensi, esse verè revelationem Dei. Idemque patet, quoties Ecclesia primùm adscribit aliquem librum canonicis: v. g. cùm libros Machabæorum decrevit esse canonicos; aut si nunc decerneret, tertium, aut quartum Esdræ esse canonicum. Ratio à priori: quia Deus potest manifestare Ecclesiæ revelationem, quam ipse fecit alicui Prophetæ, & illam præcipere credi ab vniversa Ecclesia. Vnde probo, privatas & publicas revelationes non posse discriminare habitus: quia per illam propositionem Ecclesiæ non mutatur substantia obiecti, neque aliquod accidens illi intrinsecum: nam fides præcisè tendit in authoritatem & revelationem Dei, vt ostendi; sed hæc non mutantur intrinsecè, in nostro casu: ergo obiectum manet idem, & consequenter potest terminare eundem habitum. Probo minorem: quia tota mutatio, è revelatione privata in publicam, est per mutationem non propositionis, in propositionem Ecclesiæ, quam dixi esse denominationem extrinsecam.

Video posse responderi, non negari, cognosci fide catholica revelationem privatam, §. 26. Respons.
quia privata est: hoc enim & rectè consutatur, & negatur à Lorca; sed eius fundamentum est, de revelatione privata non spectante ad Deum, vt ad obiectum formale quod fidei catholicæ. Quod fundamentum retuli §. 11. & everti 12. Nunc sic arguo: omnis revelatio privata, sine vlla mutatione sui, potest effici publica; quamvis in se non agat de Deo: ergo omnis huiusmodi potest credi fide catholica. Consequentia non potest negari catholicè, nec negatur ab hoc Authore. Nam revelatio de cane Tobiæ creditur fide catholica; quamvis non agat de Deo: eo præcisè, quod est pars historiæ Tobianæ, propositæ ab vniversa Ecclesia. Probo antecedens: quia omnis eiusmodi revelatio, potest esse pars alicuius historiæ, conscriptæ authoritate Dei, & propositæ ab vniversa Ecclesia. Quod quidem heret, absque vlla mutatione intrinseca substantiali, aut accidentali ipsius revelationis, vt ostendi §. 25.

Rogas primò: cur S. Augustinus in epistola contra fundamentum dixerit, se non §. 27. August.
crediturum Evangelio, nisi motum authoritate totius Ecclesiæ? Respondeo primò: quia Resp. 1.
ipse

q. 6. q. 1. Art. 1. ipse non habuit revelationem privatam, neq; vidit aliã sufficienter propositã: vndè nulla illi superfuit ratio credendi; nisi per
Resp. 2. authoritatem totius Ecclesiæ. Respondeo secundò, numerum sacrorum librorum reservatum à Deo toti Ecclesiæ: quia sunt fundamenta religionis. Si cui autem revelatur privatim aliquis liber; tamen illa revelatio non fit evidenter credibilis alijs, nisi per authoritatem Ecclesiæ.

§. 29. Interrog. Rogas secundò: vtrùm amitteret fidem, & esset hæreticus, qui culpatè negaret revelationem privatam? Respondeo, hanc quæstionem pendere ex oppositione fidei & infidelitatis. Si opponuntur physicè, non dubium, quin destruatur fides. Si opponuntur solùm moraliter, pẽdet ab alia quæs-
Resp. tione: vtrùm Deus pro quocumque peccato auferat fidem; an verò per solam negationem authoritatis divinæ, aut revelationis publicæ? quæ suis in locis aptè disputabuntur; neque hic sunt vellicanda.

DISPVT. X.

Vtrũ fides vtatur duabus propositionibus revelatis; an verò sola revelatione?

§. 1. ISPVTANDI occurrunt complures modi, quibus divina authoritas & revelatio coniugari queunt. Primùm enim disponi possunt, more præmissarum, divina authoritas & revelatio solæ: v. g. ***omne quod Deus dicit, est; dicit Christum esse Deum***: ex quibus deducitur hæc conclusio fidei: ***ergo Christus est Deus***. Possunt item componi, non solæ; sed simul cum obiectis revelatis: vt cùm, more syllogismi, disponuntur in præmisis duæ propositiones revelatæ: v.g. ***Spiritus sanctus habet naturam Patris; sed natura Patris est divina***: è quibus duobus articulis, infertur hæc cõclusio: ***ergo Spiritus sanctus habet naturã divinã***. Quæstio hæc instituitur de hac cõclusione, vt præcisè infertur ex his præmisis; non considerata alia revelatione, de divinitate Spiritus sancti. Quæro igitur, vtrũ hæc conclusio, licèt non sit immediatè revelata his terminis expresis, sit de fide; an verò, vt præcisè deducitur ex his præmisis, nõ spectet immediatè ad fidem; sed ad Theologiam distinctam à fide?

SECTIO I.

Pars affirmans.

EAM conclusionem esse de fide, ab illaque produci, non aliter, ac si immediatè deduceretur ex authoritate & revelatione Dei, opinor cum S. Gregorio Nazianzeno, quem adducam §. 42. Aureolo in prol. pag. 11. §. *in processu*: Andrea Vega lib. 9. cap. 39. Melchiore Cano lib. 6. cap. vltimo, §. *sed his postremò*: qui etiàm loquuntur de propositione illata ex altera præmissa fidei, & altera naturali evidenti. Ipsis subscribit P. Vazquez 1. part. disp. 5. num. 6. & cum alijs, apud Patrem Suarez, disputat. 6. sect. 4. §. 5. adstipulantur, qui Theologiam non distinguunt à fide infusa: vt Scotus, in dist. 35. & Okamus in prologo quæst. 3. principali, lit. G. in margine autem habet, ad secundum. §. 2. Nazianz. Aureol. Vega. Canus. P. Vazq. P. Suarez. Scotus. Okam.

Probationi præmitto, illas duas præmissas, de quibus agimus, quasq; proposui §. 1. habere pro obiecto formali adæquato primario, & proximo, authoritatẽ & revelationem Dei: ita, vt sint immediatè de fide. Quæ duæ præmissæ, in primo syllogismo fidei, sunt conclusio, & obiectum materiale; in secundo verò syllogismo, sunt præmissæ, & obiectũ formale, ex quo infertur conclusio. Quemadmodũ prima passio est conclusio, in prima demonstratione à priori per essentiã, in qua admirativum, v.g. monstratur ex rationali; in secunda verò demonstratione, est præmissa, ex qua risibile monstratur. Hoc genus prẽmissarum, disp. 2. §. 8. ostẽdi, non esse obiectũ formale absolutè, sed absolutè materiale; formale verò secundũ quid. Itẽ illæ duæ præmissæ creduntur actu fidei infusæ, idque in duplici sententia: nonnulli enim censent, eodem actu conclusionis attingi intrinsecè præmissas; alij censent, solam attingi conclusionem obiectivã. Quæstio igitur est, in sententia vtraque: in prima, vtrùm conclusio immediatè deducta ex authoritate, revelatione Dei, & ex conclusione revelata, sit etiàm de fide? in secunda verò sententia: vtrùm conclusio deducta ex duobus articulis revelatis, creditis fide divina, sit credenda eâdem divina fide? §. 3.

§. 4. Hinc argumentor: habitus per se infusus attingit immediatè omne obiectum materiale, sive formale *quod*, quod adæquatè cognoscitur dependenter à suo obiecto formali *quo*, & primario; sed fides catholica est habitus per se infusus: ergo immediatè attingit omne obiectum materiale, sive formale *quod*, quod adæquatè cognoscitur dependenter ab authoritate & revela-

revelatione Dei, vt à suo obiecto formali *quo*, & primario. Sed in nostro casu, conclusio deducta dependet, vt à primo obiecto formali & adæquato, ab authoritate & revelatione Dei (quę sunt obiectū formale adæquatū fidei) ergo hæc conclusio immediatè attingitur à fide. Probatur minor ex §. 3. vbi ostendi, obiectum formale primarium illarum præmissarum esse authoritatem & revelationem Dei: quæ eo ipso sunt obiectū formale, vel proximum, in prima sententia relata §. 3. vel remotum, in secunda.

§. 5. Probo autem primam propositionē maiorem è §. 4. in primis exemplo charitatis, quę vno simplici habitu amat Deum propter ipsum, & hominem propter Deum; homini verò procurat bona propter ipsum. Hic reperiuntur tres actus, circa tria obiecta realiter distincta, cū dependentia tertij obiecti à secundo, & secundi à primo. Primus amor est in Deū propter ipsum, independenter ab omni alio obiecto. Secundus est circa proximū, derivatus & dependens ab amore Dei: qui secundus actus habet pro obiecto terminativo proximum; Deū verò pro obiecto formali movente ad ipsum. Tertius actus est circa bona spiritualia proximi: qui actus derivatur, vt à prima radice, à primo amore Dei; immediatè verò derivatur ab amore proximi. Itaque, neq; Deus, in ratione obiecti, est caussa totalis illius tertij actus: neque solus actus amoris Dei, est principium quasi activum tertij actus, ad quem concurrunt, & amor proximi, vt principium activum, & proximus ipse, vt obiectum. Præsto est ratio: quia finis proximus, *cui* hæc bona procuramus, est proximus ipse, & non Deus; finis autem primò movens, & in quem vltimò referuntur hæc omnia, est Deus. Sed isti tres actus, & obiecta, hoc ordine, attinguntur eâdem indivisibili charitate in Deū, vt constans est omnium Theologorum sententia: ergo eodem habitu per se infuso attingitur omne obiectum materiale, quod dependet, vt ab obiecto adæquato primario, ab obiecto ipsius habitus.

§. 6. Item, probatur eadem maior exemplo misericordiæ, quæ, eodem habitu per se infuso, amat per se primò levamē inopis: deinde levaminis gratiâ, amat erogationē stipis: tertiò, ad erogandā stipem, vult aperire crumenam. Iste tertius actus est honestus: quia est moralis, de bono opere, fine, & alijs circumstantijs; sed non est in alia specie virtutis, nisi misericordiæ: ergo obiectū materiale remotū spectat ad eamdē virtutem, ad quā obiectū primariū adæquatū, à quo remotè dependet. Adverte, hos tres actus misericordiæ spectare, in naturalibus, ad eādē virtutē misericordiæ: sive hæc sit vna simplex qualitas, amplectens omnia obiecta materialia dependentia ab eodē formali; sive sint plures habitus specie distincti, pro diversitate obiectorū materialiū. In supernaturalibus autē est certū, vno habitu per se infuso attingi omnia obiecta, quæ pēdēt ab eodē obiecto formali. Hæc cōfirmantur primò, à sanitate, qua amamus salutem per se primò; phlebotomiā, ratione salutis; & accersitionē phlebotomi, ratione phlebotomię. Secundò in vitijs: nā ad idē vitium iniustitiæ spectat voluntas occidendi, & volūtas instrumenti comparandi ad necem, & voluntas conquirendi pecuniā ad emendū instrumentum. De quibus omnibus, apertè constat, ad eadem virtutem & vitiū spectare omnes actus, & obiecta, quæ pendent ab eodem obiecto formali primario, & adæquato: quæ est maior propositio in §. 4.

Tertiò probatur eadem maior propositio ratione efficaci: quia conclusio illa (idē est de quocumque alio obiecto cuiuscumq; habitus) remotè pendens ab obiecto formali fidei, dependet immediatè, & adæquatè, ab obiecto formali secundario eiusdem fidei: ergo attingitur illa conclusio est fide. Antecedens liquet ex §. 1. Nā præmissæ ibidem propositæ sunt creditæ fide divina (alioquin, nulla est quæstio) item, illæ præmissæ, sunt ratio formalis cognoscendi conclusionem; ac propterea sunt obiectum formale secundarium, & adæquatum in ratione secundarij: quia non inferuntur ex alio. E quibus deducitur, obiectum formale immediatum illius conclusionis, esse obiectum fidei. Consequentiam probo: quia ideò prima conclusio, sive primum obiectum materiale, sive primum obiectum formale *quod*, spectat ad fidem: quia immediatè & adæquatè infertur ex obiecto fidei: ergo eadem ratione, tertium obiectum pertinebit ad fidem: quia immediatè & adæquatè deducitur ex obiecto fidei. Nam obiectum deductum ex primario obiecto formali *quo* fidei, ideò pertinet ad fidem: quia tale obiectum formale *quo*, est fidei; sed etiām est fidei obiectum formale *quod*, ex quo deducitur tertium obiectum: ergo hoc tertium pertinet ad fidem, sicut secundum. §. 7.

Dices, primò, primū obiectum formale *quod*, vel primū materiale, pertinere ad fidē non præcisè, quia infertur ex quocumq; obiecto fidei; sed quia infertur ex obiecto formali primario: tertiū autē obiectum nō depēdet immediatè ab obiecto formali primario; sed à secūdario: ac propterea non est fidei. Ratio à priori: quia inter obiectū tertiū & primum, interijcitur secundum, quod est §. 8. 1. Obiectio

distin-

S.Tho.q. 1. Art. 1. Resp. distinctum ab obiecto formali primario. Contrà : oporteret reddere rationem, ob quam obiectum primarium constituat in specie sui habitus secundum obiectum; hoc verò secundum non possit id præstare respectu tertij. Eam autem doctrinam, in habitibus voluntatis, esse perquàm falsam, patet : quia quando ego ex amore Dei & proximi, procuro bona ipsi proximo, amor horum bonorum est à charitate in Deum : inter quem, & tertium obiectum interijcitur proximus, vt proximum obiectum formale : ergo, quòd interijciatur obiectum formale secundarium distinctum à primario (spectans tamen ad eundem habitum) nō tollit, quominùs tertium obiectum spectet ad habitum secundi, & primi. Hæc confirmari possunt exemplis adductis §. 6. Quibus adde lumen gloriæ, quo cognoscitur Deus in se, & essentia hominis in Deo, & proprietates hominis in eiusdem essentia.

§. 9. Ad rationem à priori ex §. 8. Respondeo, inter primum & tertium obiectum, posse interijci secundum, non pertinens ad habitum primi, v.g. si inter Deum & bona spiritualia proximi, interijciatur aliquod obiectum non charitatis vel fidei: tunc tertius actus & obiectum tertium non spectant ad charitatem vel ad fidem : non quòd esset aliud obiectum formale, vtcumque distinctum à priori; sed quia esset obiectum non spectans ad charitatem aut fidem, & esset amatum vel cognitum per actus aliarum virtutum : vndè non penderet adæquatè ab illarum obiectis. Vel potest interijci obiectum secundarium, spectans proximè ad fidem, & cognitum actu producto immediatè à fide; tunc autem tertiū obiectum spectat ad fidem, sicut secundum. Nam obiectum formale *quod* tantam vim habet, ad trahendum ad suum habitum obiectum cognitū ex ipso obiecto formali *quod*; quantam habet obiectum formale *quo* ad trahendum obiectum formale *quod*. Cùmque vtrobique sit eadem ratio, vtrūque obiectum spectat ad eumdē habitum. Ratio à priori : quia vtrumq; obiectū cognoscitur adæquatè, ex obiectis fidei. Ea enim ratione, omne obiectum formale trahit ad speciem suæ virtutis omnia obiecta materialia. Quod quidem manifestè cernitur in voluntate.

§. 10. 2. Obiectio Dices secundò : habitus intellectus & voluntatis disparari, quòd voluntarij eodē actu attingunt obiectum formale & materiale: v.g. amatur gratia propter proximū, & proximus propter Deum; Deus autem propter se. Cū amatur gratia, amatur eodē actu proximus & Deus: vnde non mirū, si omnes illi actus spectent ad eamdē charitatem: quia semper attingitur Deus propter se; omnes autē hujusmodi actus esse charitatis, quis inficiabitur? Habitus verò intellectualis attingit conclusionē obiectivam, quin eodē actu præmissas attingat: ac proptereà nō mirū, pertinere ad diversos habitus: quia non attingūt idē obiectū formale. Refell. 1.

Cōtrà primò: multi ex adversarijs ratiocinātur sine discrimine, de habitib' vtrisq; Alij enim censent, nullo actu circa obiectū materiale attingi obiectū formale: quia hoc arbitrātur, esse impulsivum respectu actus circa obiectū materiale : vt sunt præmissæ respectu conclusionis, & finis respectu medij. Alij autē censent obiectū formale, non solùm esse impulsivum; sed etiàm terminativū respectu actus de obiecto materiali: v.g. electione medij attingi intrinsecè finē, & conclusione formali attingi intrinsecè, totum syllogismum obiectivum. In quorū sententia est nullum hoc discrimen.

§. 11. Refell. 2. Contrà secundò : tota ratio, ob quam aliqui moventur ad distinguendū habitum huius conclusionis à fide, est : quia præter obiectum formale primarium fidei, additur articulus revelatus, vt obiectum formale secundarium; ille autem articulus distinguitur ab obiecto formali primario fidei. Vndè iam inveniunt, respectu huius conclusionis, aliquod obiectum formale distinctum ab obiecto formali fidei : vbi verò sunt distincta obiecta formalia, iam sunt distincti habitus. Sed hæc eadem ratio reperitur in charitate, quāvis singulis actibus ametur Deus: ergo. Probo minorem : quia actu, quo amatur gratia, amatur aliud obiectū formale secundariū, distinctū ab obiecto primario charitatis : ergo est eadem ratio distinguendi habitus charitatis. Probo antecedens : quia gratia non amatur propter solū Deum; sed propter Deum & proximum : finis enim immediatus, cui amatur, est proximus, vt dixi §. 5. E quibus deduces, hāc meā sententiā cōmunē esse opinantibus, totū syllogismū obiectivū attingi cōclusione formali, & opinantibus, eā attingi sola obiectivā. Imò, si hæc ratio obiectio aliquid concluderet, concluderet etiā non credi articulum revelatū habitu fidei: quia in eorū sententia, præmissæ obiectivæ nō attinguntur conclusione formali. Quòd si fides eodē actu cognoscit obiectū formale & materiale, eodem etiā cognoscet duas præmissas revelatas, & conclusionē ex illis deductā: audito enim toto syllogismo, vno actu illi assentietur, vt illi cōtingit in primo syllogismo. Igitur, sive obiectū formale sit præcisè impulsivum, sive terminativum actuum tendentium in obiectū materiale,

sem-

semper est eadem ratio distinguendi, vel non distinguendi habitus, propter additionem alicuius obiecti formalis secundarij. Nam sicut obiectum voluntatis est absolutè obiectum formale; ita & obiectum intellectus. Et sicut obiectum formale secundarium intrinsecè amatum non discriminat habitum; ita neque obiectum secundarium intellectus extrinsecè impellens.

§. 12. Ratio à priori; quia obiectum illud formale secundarium, quod interijcitur inter formale primarium & inter materiale tertium, est obiectum eiusdem habitus. Vnde, quando adæquata ratio formalis non est extra obiectum fidei aut charitatis; non est cur obiectum materiale per illam cognitum vel amatum, pertineat ad alium habitum. Hæc enim est ratio, ob quam primum obiectum materiale spectat ad eandem virtutem, ad quam obiectum formale: quia ratio adæquata ob quam cognoscitur, vel amatur, est eiusdem habitus; sed ratio adæquata ob quam cognoscitur obiectum tertium, est etiam fidei: ergo obiectum tertium est fidei. Quam argumentationem arbitror evidentem. Quòd si dixeris, eas duas præmissas non credi fide divina, iam evertitur tota quæstio, vt ostendi §. 3. & 7.

§. 13. 3. Obiectio. Dices tertiò, ex eo quòd obiectũ primarium fidei concurrat ad obiectum tertium, non benè colligi obiectum illud tertium spectare ad fidem. Nam conclusio Theologica remotè pẽdet ab obiecto formali fidei: item, & ab obiecto formali Metaphysicę; & tamen non pertinet ad fidem, aut ad Metaphysicam: ergo neq; in casu quæstionis.

Respondet. Respondeo, id rectè probari, & exẽplo charitatis, & rationibus adductis. Ad probationem, distinguo antecedens: assensus Theologicus dependet adæquatè ab obiecto formali fidei, aut ab obiecto Metaphysicæ, nego antecedens; dependet inadæquatè, concedo antecedens. Nam solum principium Metaphysicum non potest inferre hanc cõclusionem Theologicam: *Christus est risibilis*: neque item sola authoritas & revelatio Dei; sed necessariò sunt coniungenda illa obiecta primaria duarum facultatum: vt abundè ostendam disp. 12. Inde nego consequentiam: quia fides deducit obiectum tertium adæquatè ex suis principijs, sine ope alicuius obiecti peregrini. Est autem malum argumentum, probare distingui habitus habentes idem obiectum formale primarium: quia distinguũtur habentes diversa obiecta formalia primaria.

§. 14. 2. Argum. Secundò probo eandem sententiam: conclusio deducta immediatè ex duabus præmissis fidei, est immediatè revelata à Deo; sed omne obiectum immediatè revelatum à Deo, est obiectum fidei: ergo illa conclusio est fidei. Probo maiorem: ea conclusio obiectiva est idem quidditativè (saltem inadæquatè) cum vtrâque præmissa; sed vtraque præmissa est immediatè revelata à Deo: ergo illa conclusio est obiectum immediatè revelatum à Deo. Maior constat disp. 10. Logicæ §. 61. & 119. & disput. 11. §. 105. quam ego latè probabo disp. 11. à §. 13. Eam enim ob caussam, qui in syllogismo legitimo primæ figuræ, cõcessa vtrâque præmissa, negat consequentiam, ad igitur in angustias impossibiles admittendi duas propositiones reciprocè contradicentes: quia, negata consequentiâ, debet necessariò concedere propositionem contradicentem conclusioni negatæ. Hac autem cõcessa, cogitur, vel negare alteram è præmissis; vel admittere duas contradictorias. Ratio à priori: quia tota vis syllogistica nititur principio in naturalibus per se noto: *quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se.* Huic principio Metaphysico innituntur duo logica: *dici de omni, dici de nullo.* Quapropter illi soli sunt recti syllogismi, in quibus ostenditur idemtitas duorum terminorum cum vno tertio, vt ex illa colligatur, in conclusione, identitas duorum terminorum inter se.

Dices primò, ex parte obiecti, esse idẽ realiter conclusionem cum vtrâq; præmissa, at verò, ex modo concipiendi, distingui. Et quamvis revelatio attingit realiter conclusionis obiectum; non tamen explicitè: hoc autem efficit, ne conclusio obiectiva sit formaliter revelata, & credatur fide. §. 15. 1. Obiectio

Contrà: illa diversitas obiecti, est sola ratione nostra; nõ verò ex parte obiecti. Itaq; revelatio attingit realiter conclusionẽ obiectivam, quando attingit vtramq; præmissam; quamvis terminis, non tàm explicitis, quàm in conclusione. Sed hoc non tollit, quominùs absolutè, & immediatè reveletur, & pertineat ad fidem: ergo. Probatur minor primò, exemplo: quia de fide est, & immediatè revelatur, Christum esse animal rationale, & compositum corpore & animo rationali; sed hoc præcisè cognoscitur fide: quia revelatur, Christum esse hominem: ergo revelatione de humanitate Christi, revelatur animal rationale: item corpus, & anima. Maior patet: quia qui negaret, Christum esse animal, negaret immediatè Christum esse hominem: nam qui negat essentiam alicuius rei, negat, ipsis terminis, rem ipsam: vt qui dicit definitionem rei, dicit rem ipsam formaliter. Item hæretici declarati sunt ab Ecclesia: quia negando Christo verum corpus, aut animam, contradicebant Scripturis, §. 16. Refellitur

S.Tho.q. 1. Art. 1. ostendentibus, Christum esse hominem: cui revelationi contradicitur formaliter, negatione corporis, aut animi. Minor etiàm est certa: sin, proferant Scripturæ testimonia, vbi dictum sit, Christum esse animal rationale, aut compositum ex corpore & animo rationali. Vndè cõcludo, posse aliquid in alio revelari minùs explicitè, quàm si revelaretur in se ipso; & tamen absolutè revelari, & credi fide divina. Sed eàdem ratione revelatur conclusio in præmissis, qua animal rationale in homine: ergo. Probo antecedens: quia sicut, negato animali, negatur immediatè homo revelatus; ita, negata conclusione, negatur immediatè altera præmissa revelata.

§. 17. Secundò probatur eadem minor: nempè, illum modum revelationis confusè non officere, quominùs obiectum sit absolutè revelatum, & credendum fide divina: nam quoties revelatur aliquid habens partes quidditativas, revelantur immediatè ipsæ partes; sed conclusio est aliquid quidditativè pertinens ad vtramque præmissam: ergo revelata vtrâque præmissa, revelatur immediatè & absolutè conclusio. Maiorem probo: primò, quia quando aliquid revelatur, revelatur conceptus quidditativus ipsius: nam res ipsa revelatur; at res ipsa, est eius quidditas. Homo enim formaliter est animal rationale: eaque propter non potest homo revelari, quin formaliter reveletur animal rationale. Ratio à priori: quia, quando aliquid revelatur, debemus formare conceptum rei revelatæ; non conceptum accidentarium: ergo quidditativum. Vndè revelatio, sive loquutio Dei, supponit terminos quidditativos: alioquin non formaretur conceptus (vt vocant) *quid rei*; sed tantùm *quid vocis*. Secundò probatur eadem maior: quia ea omnia revelantur, quæ non possunt negari, manente integra revelatione; sed partes quidditativæ non possunt negari, manente integra revelatione rei constantis illis partibus: ergò. Minor probata est §. decimo sexto: quia, negata parte quidditativa, negatur essentia, ex ipsis solis terminis, sine vllo alio distincto. Maior patet: quia si præcisè per negationem vnius termini, non manet integra revelatio: ergo ille terminus est pars obiecti revelati.

§. 18. Probo minorem è §. 17. nempè, conclusionem esse de quidditate præmissarum. Hoc syllogismo: *omnis homo currit; Petrus est homo: ergo Petrus currit*. Illæ extremitates, *Petrus*, *&* *currens*, continentur quidditativè in omni homine currente; sed omnis homo currens continetur in præmissis: ergo illæ extremitates continentur in præmissis quidditativè. Minor patet: quia omnis homo currens est in maiori, in qua quidditativè continetur, *Petrus currens*, ex parte obiecti. Nam, *omnis homo*, ex parte obiecti, includit essentialiter omnes homines, vt latè probabo disp. 11. à §. 13. Minor autem propositio, *Petrus est homo*, tantùm deservit, ad complendum confusum conceptum maioris propositionis de omni homine. Si enim omnis homo conciperetur adæquatè, & quidditativè, deberet concipi Petrus, cũ cæteris hominibus: quia verò per actum maioris propositionis, non fuit conceptus quidditativè omnis homo, ideò adiecta fuit minor propositio, & illata conclusio: quæ continetur in maiori propositione in omni homine currente. Vndè, si quis negaret conclusionem, negaret etiã maiorem propositionem. Nam, qui negaret: *ergo Petrus currit*, teneretur dicere: *ergo Petrus non currit*. Item teneretur dicere: *Petrus homo non currit*. Nam in minori propositione, cognovit Petrum esse hominem; Petrus autem homo non currens, opponitur omni homini currenti. Vnde ea negatio conclusionis directè contradicit maiori. Quod patet, ex reductione ad impossibile, in qua, neganda esset aliqua è præmissis concessis. Quam doctrinam clariùs ostendam ex 2. & 3. obiectione.

§. 19. 2. Obiectio. Dices secundò, risibilitatem radicalem esse idem, ex parte obiecti, cum humanitate, & tamen non revelatur risiblitas, quamvis revelatur humanitas: ergo non sufficit revelari confusè, vt credatur fide divina.

Respondet. Distinguo antecedens: risibilitas pro radice, est idem quidditativè cum humanitate, nego antecedens; est idem accidentariè logicè, sive in ratione attributi, concedo antecedens. Adverte, ad cognitionem quidditativam rei revelatæ, non esse opus cognoscere attributa, sive accidentia logica: quia hæc sunt extra conceptum quidditativum rei, vt sæpiùs ostendi. At verò, ad formandum conceptum essentialem rei, opus est concipere eius quidditatem; alioquin non concipitur res. Vt autem cognoscatur obiectum revelatum, non est opus comprehensione illius; alioquin nihil ferè crederemus: est tamen opus cognitione quidditativa, sine qua non formatur conceptus *quid* rei revelatæ. Cùm igitur risibilitas, etiàm pro radice, non sit de quidditate hominis, neque aliunde sit revelatio de illius connexione cum homine, non est opus illam concipere, ad concipiendum quidditativè revelatum. De quo exemplo risibilitatis, plurima

plurima dicam disputat. 12. à §. 12.

§. 20. 2. Obiectio. Refellitur. Dices tertiò, neque revelatione de homine explicari connexionem animalis rationalis cum homine. Contrà: eo ipso quod reveletur homo, revelatur connexio animalis rationalis cum illo: nam eo ipso revelatur eius quidditas; alioquin non revelatur homo. At verò: quia connexio risibilis cum homine, non est quidditativa homini; ideò, revelato homine quidditativè, non revelatur illa connexio. Vndè deprehendes manifestum discrimen: quia, negato risibili, adhùc potest retineri à Catholico conceptus quidditatiuus hominis, & Christi. Quare qui negaret Christum esse risibilem per ignorantiam philosophicam, posset dicere catholicè: *Christus est homo*: quia sic retinet totum conceptum quidditatiuum rei revelatæ. Qui verò negaret Christum esse animal: vel non esset Catholicus: quia ipsis terminis negaret humanitatem Christo; vel non formaret conceptum hominis, & Christi. Qui autem de his format conceptum quidditatiuum, non potest catholicè negare animalitatem Christo. Hac ratione, non potest negari conclusio: quia, ipsis terminis, negaretur altera è præmisis concessis & revelatis.

§. 21. 3. Argum. Vndè argumentor tertiò satis efficaciter: quia dissensus conclusionis deductæ ex duabus præmisis fidei, est, ipsis terminis, hæreticus: ergo assensus est, ipsis terminis, fidei. Consequentia patet: quia assensus hæreticus est, qui contradictoriè opponitur revelationi Dei: ergo assensus oppositus est conformis revelationi Dei. V.g. dicit Deus: *Christus est homo*; dicit autem hæreticus: *Christus non est homo.* Hic dissensus est hæreticus: quia contradictoriè opponitur assensui divino. Dicat verò Catholicus: *Christus est homo*: eo præcisè, eius actus est catholicus: quia contradictoriè opponitur hæretico: qua oppositione, est formaliter conformis assensui divino. Vndè patet, esse catholicum assensum oppositum dissensui hæretico. Probo antecedens: quia dissensus eius conclusionis immediatè contradicit revelationi Dei: ergo est hæreticus. Consequentia non eget probatione: quia per eam oppositionem, aut Deum facimus mendacem; aut negamus eius revelationem. Antecedens probo: nam negatio conclusionis perfecti syllogismi est formaliter oppositio contradictoria cum altera è præmisis. Cui principio innititur tota syllogismorum ad impossibile deductio. Nā qui admittit contradictionem conclusionis, cum illa, & cum altera præmissa concessa, cogitur negare alteram; vel duas contradictorias simul admittere: ergo negatio conclusionis est formalis & expressa contradictio alicuius præmissæ. Sed vtraque præmissa, in nostro casu, est immediatè & formaliter revelata à Deo: ergo negatio conclusionis, de qua agimus, est formalis & expressa contradictio revelationis Dei.

§. 22. Obiectio Lorca. Lorca disput. 6. num. 9. censet, hanc esse hallucinationem claram. Quem, in parte, excuso: quia agit de assensu Theologico, vt infertur ex altera præmissa fidei, & altera naturali; in parte verò non excuso. Nam etiàm agit de conclusione deducta ex duabus revelatis: quam conclusionem censet non esse fidei; neque oppositam hæreticam. Primò: quia animam Christi vidisse divinam essentiam ab instanti conceptionis, est conclusio Theologica deducta ex duobus principijs revelatis. Secundò argumentatur num. 14. hanc conclusionem non inniti authoritati divinæ, nisi remotè. Contrà: omnis propositio, ipsis terminis, contradicens revelationi divinæ, est hæretica; sed propositio opposita huic conclusioni, contradicit immediatè revelationi divinæ: ergo est hæretica. Minor patet è §. 21. Vndè fallitur Lorca, opinans eam propositionem remotè solùm opponi revelationi: nam immediatè, & proximè, opponitur alteri è præmisis: ergo immediatè opponitur revelationi. Patet consequentia: quia ea præmissa est immediatum obiectum revelationis: ergo qui illam negat, negat immediatè obiectum revelationis. Ad primam probationem respondeo alterum è duobus: vel, propositionem illam non deduci ex duobus principijs revelatis; vel esse de fide. Quid autem sit? non est huius loci. Ad secundam probationem respondeo; eam propositionem esse immediatè revelatam in ipsis præmisis: quia in illis continetur quidditativè, vt animal revelatur in homine, & Petri peccatum originale revelatur in omni homine concepto in peccato originali. Refellit. Lorca.

§. 23. 2. Obiectio. Animad. Dices secundò, dissensum illius conclusionis non esse formaliter hæreticum; esse tamen erroneum: quia ex illo, per bonas consequentias, deducitur aliquid contra fidem. Vt impugnem hoc responsum, adverto, dupliciter posse probari aliquid contra fidem. Primùm, per principia aliena à fide: quia, quando neque authoritas divina vt loquens, neque propositiones revelatæ sufficiunt ad ostendendum aliquid: tunc Theologus accersit subsidia Philosophiæ naturalis, & vni propositioni revelatæ adiun-

adiungit aliam naturalem: è quibus infert conclusionem purè Theologicam. Vt cùm monstratur Christi risibilitas ex eius humanitate, & quia omnis homo est risibilis: quæ conclusio non est fidei. Et quāvis ex opposita, per bonas consequentias sequitur, Christum non esse hominem; tamen non sequitur præcisè per negationem alicuius revelationis. Nam, si aliquis idiota sibi persuadeat, non esse risibilem omnem hominem; potest credere, Christum esse hominem, & non risibilem. De quo agendum disputatione duodecima. Secundò potest ostendi aliquod absurdum contra fidem, ex sola revelatione & revelatis; quin indigeatur peregrino medio: tunc conclusio deducta est fidei: quia tota ratio formalis est fidei. Item, quia est revelata in præmissis, vt aliquid quidditativè pertinens ad illas. Propositio autem illi opposita est hæretica: quia immediatè contradicit premissæ revelatæ. Quæ contradictio ostenditur ex solis principijs fidei; quin mutemus aliquem terminum, nisi fortè addendo aliquod syncathegorema, quo nō mutatur substantia termini; sed præcisè ostenditur clariùs contradictio.

SECTIO II.

Aliorum sententia.

§. 24. PATER Molina 1. parte quæst. 1. art. 2. disputatione 2. Pater Valentia quæst. & punct. 1. §. *in contrariū*, & §. *quòd si quæras*, & tomo 1. disp. & quæst. 1. punct. 5. constituunt, principia Theologiæ esse propositiones fidei: ex quibus deducuntur conclusiones, non fidei, sed Theologiæ. Cōsentire videtur P. Vazquez 1. part. disp. 5. num. 5. vbi, ex suppositione quòd Theologia deducat conclusiones ex principijs creditis fide infusa; adhùc distinguit Theologiam ab ea fide. A numero tamen sexto non parum nobis favet, defendens opinionem Cani, & Vegæ. Horū sententiam sequitur Pater Suarez disp. 6. sectione quarta: Magister Lorca disputatione sexta. Tandem P. Turrianus, negans discursū fidei, disp. 3. dub. 3. Estq; hæc sententia plurium, graviūque Doctorum.

P. Molina. P. Valent. P. Vazq. Canus. Vega. P. Suar. Lorca.

§. 25. *1. argum.* Primum argumentum ex Patre Molina (quod tacitè mutuatus est Lorca) quia ita se habet fides, ad conclusiones deductas evidenter ex articulis revelatis; ac se habet scientia naturalis, ad conclusiones deductas ex suis principijs; sed habitus principiorum distinguitur, in naturalibus, ab habitu conclusionum: ergo & habitus circa principia fidei distinguitur ab habitu conclusionū. Minor probatur: quia assensus principiorum specie differt ab assensu conclusionis ergo pertinēt ad diversos habitus.

Eodem argumento probaretur, distingui habitum charitatis in Deum, ab habitu, quo propter Deum amamus bona proximis: primò, quia in naturalibus, habitus circa principia voluntatis (nempe circa finem) distinguitur ab habitu circa media (quæ possumus vocare conclusiones voluntatis). Nam actus circa finem specie distinguitur ab electione mediorum. En tuum argumentum quàm malam conclusionem deducat! Secundò: quia, vt habitus rationales habent sua principia, & conclusiones; ita habitus appetentes habent suos fines & media: quæ respondent medio & conclusioni habituum rationalium. Ergo, sicut ex comparatione naturalium & supernaturalium, infertur distinctio essentialis inter fidem & Theologiam; ita, ex eadem comparatione, inferetur distinctio habituum circa finem & media. Item, eodem argumento probaretur, distingui specie habitum circa revelationem, & circa revelata: quia revelatio est principium, mysterium verò est conclusio. Quod autem potest obijci de discursu, inpugnabo §. 29. §. 26.

Ad arg. è §. 25.

§. 27. Ad argumentum ex §. 25. distinguo maiorē: fides & facultas naturalis se habent symbolè circa principia & conclusiones, quoad actus, concedo maiorem: quoad habitus, nego. Nam actus vtrobique sunt distincti; habitus verò non sunt distincti: quia habitus naturalis comparatur efficienter per actus, ad quos in specie inclinat; & non ad alios: vt ostendi disputatione 16. de Anima; habitus autem per se infusus, non comparatur efficienter per actus. Item est principium vniversale, more potentiæ se porrigentis ad plures actus. Inde nego consequentiam. Ad probationem, nego consequentiam: quia tot sunt habitus acquisiti in specie, quot actus, quibus acquiruntur; secus in per se infusis. Immò hinc retorqueo argumentū: quia, in naturalibus, habitus principiorum & conclusionum conflant vnam scientiam: vel simplicem qualitatem, vel conflatam ex pluribus; est tamen vna logica v.g. & vna temperantia: ergo, in per se infusis, vnus simplex habitus attingit ea omnia obiecta, quæ spectant ad vnam virtutem, aut facultatem. Patet consequentia: quia non est charitas conflata ex pluribus habi-

habitibus; sed vno simplici amantur omnia, quæ propter Deum: & vna spe amantur omnia, quæ propter beatitatem.

§. 28. *2. Argum.* Secundò arguit: si Deus, per possibile, vel impossibile, ostendat alicui articulos revelatos, nihil revelans de conclusione: si iste propria industriâ inferret conclusionem, haberet actus & habitus distinctos specie ab ijs, quibus assensus fuit præmissis. *Respondet.* Respondeo, de actibus non esse quæstionem. De habitibus autem distinguo antecedens: habitus conclusionis esset distinctus specie, ab habitu principiorum per se infuso, nego antecedens; esset distinctus ab habitu per se acquisito, concedo antecedens. *Animad.* Adverte, posse hominem habere habitum per se infusum principiorum, qui amplectatur etiàm conclusiones, deductas adæquatè ex suis obiectis. Potest item habere habitum infusum per accidens, & acquisibilem per se: hic habitus distinguitur specie ab habitu conclusionum. Mitto hic nonnulla argumenta Lorcæ: quia ex parte diluta manent, dum negat, conclusionem hanc revelatam esse à Deo: quod esse falsum sæpiùs ostendi: partim, quia sunt levia, neque egent responsione.

§. 29. *3. Argum. P. Valent. P. Suarez.* Tertium argumentum præstringit P. Valentia, adductus §. 24. & latè prosequitur P. Suarez, quo frequenter vtuntur Authores, quibus cum disputo: quia fides solum innititur authoritati & revelationi Dei; habitus autem circa hanc conclusionem vtitur alio obiecto formali primario: ergo habitus circa illam conclusionem, non est fidei. Probo minorem: quia hæc conclusio innititur illationi discursivæ, quæ distinguitur ab authoritate & revelatione Dei.

§. 30. *Respondet.* Nego minorem. Ad probationem respondeo; illationem discursivam non esse aliquid cognitum ex parte obiecti; sed esse actum ipsum conclusionis formalis. In syllogismo reperiuntur duo, aut tres actus: alteri versantur circa præmissas, quæ in prima demonstratione sunt immediati absolutè, & independentes ab alio obiecto prius cognito; alter actus versatur circa conclusionem obiectivam, & necessario oritur ex præmissis, vt ex definitioni syllogismi patet, disputatione 7. à §. 16. Illa necessitas, qua tertius actus oritur à præmissis, explicatur his vocibus ergo, *igitur*. Quasi dicamus: si concedis præmissas, necesse est, concedas conclusionem. Igitur illis verbis nihil significamus ex parte obiecti, præter connexionem extremitatum inter se, fundantem necessariam cognitionem sui, ex suppositione quòd cognita sit earumdem idemtitas cum medio. Vt enim, quæ sunt eadem vni tertio, sunt necessariò idem inter se (in naturalibus): ita, quæ cognoscuntur esse eadem vni tertio, cognoscuntur necessariò esse idem inter se. Nam, sive requiratur cognitio reflexa de bonitate illationis; sive non sit necessaria, semper illatio est actus conclusionis; ex parte autem obiecti nihil est distinctum à præmissis. Hoc tertium argumentum esse contra idemtitatem habitus circa revelationem, & circa revelata, ostendam §. sequenti. Vide autem de hoc argumento, disputationem 39. à §. 23.

§. 31. *P. Suarez.* Vidit hoc Pater Suarez, & argumentum aliò deflexit: quia sequeretur, actum fidei non esse certiorem actu naturali; hoc autem est falsum: ergo. Probatur maior: quia illa conclusio inferretur ex connexione extremorum cum medio, ex qua infertur evidenter connexio extremorum inter se; sed huius connexionis cognitio non est certior actu naturali: ergo. Probatur minor: quia illa cognitio est naturalis. Non capio, in quo sit huius argumenti vis. Æquè enim impugnat meam sententiam, hac in parte, & communem omnium Theologorum, qui censent, mysterium revelatum cognosci ex illius connexione cum revelatione Dei. Sæpè enim ostendi, fide ita disponi authoritatem & revelationem Dei, vt ex illis concessis, non posit negari mysterium revelatum. Formatur itaque hic syllogismus obiectivus: *omne dictum à Deo, est; sed mors Christi est dicta à Deo: ergo mors Christi est*. Ecce in maiori propositione est authoritas Dei, qui sentit rem, sicut est, & eam dicit, vt sentit; in minori autem est revelatio Dei: è quibus præmissis non potest negari mors Christi. Non disputo nunc, vtrum fides verè discurrat syllogismo formali; sive enim totum illud obiectum cognoscat discursu, vel sine illo; at certè totum illud cognoscit: authoritas enim & revelatio ducunt credentem in mysterium. Vndè concludo, cognosci mysterium, propter eius idemtitatem cum vno tertio, quæ idemtitas infert evidenter idemtitatem extremitatum inter se. Est igitur eadem difficultas, in mea, communique sententia. Respondeat ergò ipse Pater Suarez argumento suo.

§. 32. *Resp.* Ego, pro vtroque, nego sequelam. Ad probationem, distinguo maiorem: illa conclusio inferretur ex connexione extremorum cum medio, cognita actibus certioribus, quàm est actus naturalis, concedo ma-

S.Tho.q. 1. Art. 1. iorem: quia illa connexio extremitatum cum medio cognoscitur in præmissis actibus fidei catholicæ. Inferretur conclusio ex ea connexione extremitatum cum medio, cognita actibus non magis certis, quàm naturalibus, nego maiorem. Distinguo item minorem: illa cognitio non est certior actu naturali, quando infertur ex præmissis certioribus actu naturali, nego minorem; concedo autem minorem, quando præmissæ non sunt certiores actu naturali. Ad probationem respondeo, illam connexionem in singulari non inferri actu naturali præcisè; sed etiàm supernaturali spectante ad fidem infusam.

§. 33. Animad. Adverte, idem obiectum posse cognosci actu naturali & supernaturali: vt existentia Dei cognoscitur actu naturali, ex creaturis cognitis; eadem autem existentia cognoscitur actu supernaturali, ex revelatione Dei. Hic secundus assensus est certior primo: quia præter infallibilitatem obiecti, qua gaudet assensus vterque, habet supernaturalis infallibilitatem, ex principio supernaturali, & modo tendendi. Ita omnis actus de hoc principio: *quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se*, est certus ab obiecto; quando autem illud principium cognoscitur in singulari, circa obiecta supernaturalia, & actibus supernaturalibus: tunc isti actus sunt certiores primis, propter perfectius principium, & modum tendendi.

§. 34. Obiectio. Arguis, hinc sequi, eam conclusionem non esse fidei: quia, præter authoritatem & revelationem, innititur tanquàm obiecto, huic principio: *quæ sunt eadem vni tertio, sunt idem inter se*: ex quo infertur conclusio ex duabus præmissis revelatis. Resp. Respondeo, hinc probari, mysterium revelatum non cognosci per fidem: quia non solùm ex authoritate & revelatione cognoscitur; sed etiàm ex hoc principio. Nam identitas extremi reuelati cognoscitur ex illius identitate cum medio constante ex authoritate & revelatione Dei: vt dixi contra Patrem Suarez §. 32.

Animad. Adverte, non esse necessarium, cognoscere vniversim illud principium generale, sed in actu exercito: vt in quovis syllogismo cuiusvis facultatis, cognoscitur identitas extremorum cum medio, quæ sic cognita ducit necessariò in cōclusionem; quin sit opus repetere illud principium generale. Ita cognoscitur articulus revelatus, ex illius connexione cum medio fidei; quin interveniat obiectum peregrinum à fide. Ita etiam, in nostro casu, infertur conclusio ex duobus articulis revelatis, propter illius connexionem cum medio, quæ per se cognita ducit necessariò in cōclusionem; quin interijciatur aliud obiectum alienum à fide. Idque est manifestum, in sententia affirmantium non requiri ad conclusionē cognitionem reflexam de bonitate illationis. In sententia verò exigente hanc necessitatem cognitionis reflexæ de bonitate illationis, dicāt ipsi, vtrùm hoc impediat, quominus assensus de articulo revelato sit fidei, cùm pendeat à cognitione reflexa de bonitate illationis ex authoritate & revelatione Dei? Respondeo ergò, neque in hac sententia mutari obiectum fidei: quia illa cognitio reflexa est logica, reperta in omnibus syllogismis omnium facultatum, quæ habet pro obiecto actum intellectus, vt est deducibilis ex præmissis; actus autem ipse deductus dependet ab hac reflexa cognitione, non vt ab obiecto cognito; sed vt à principio dirigente intellectum, ex præscripto logicæ.

Quartò arguunt Patres Valentia & Suarez, probantes fidem nullo vti discursu: item, quia conclusio esset evidens. Hoc secundum non me vrget. Esset enim evidens in ratione consequentiæ; consequens autē esset obscurum: id est, esset evidens, syllogismum esse rectè dispositum, & consequentiam bonam; at vtraque præmissa non esset evidens, ac propterea nec consequens. Estque hoc commune articulo revelato, vt constat ex §. 31. & 34. Primum autem de discursu, facilem habet explicatum: quia, omissâ quæstione de discursu fidei, dico, posse fide credi, sine discursu, conclusionem deductam ex duobus articulis revelatis: sicut mysterium revelatum cognoscitur, sine discursu, ex authoritate & revelatione Dei. Nam, vt hæ tres propositiones: *omne quod Deus dicit, est; sed dicit mortem Christi: ergo mors Christi est*, cognoscuntur vno, aut duobus actibus, sine discursu formali, qua ratione ipsi id dicunt: cur eadem fides, vno aut duobus actibus, non feretur, sine discursu formali, in has tres propositiones: *Pater habet naturam divinam; Spiritus sanctus habet naturam Patris: ergo Spiritus sanctus habet naturam divinam?* Nam, quamvis illæ duæ præmissæ, quasi divulsæ, terminent actus realiter, immò & specie distinctos; tamen, vt iam copulantur ad eliciendam conclusionem, conclusio obiectiva cognoscitur eodem actu, quo minor propositio; tunc autem nullus est discursus formalis. Quod contingit etiā in articulo revelato: nam revelatio sola terminat assensum fidei, distinctum specie ab assensu revelati; quando verò simul coniungitur cum authoritate Dei, infert, §. 35. 4. Argum. P. Valent. P. Suarez. Respond.

ex

ex horum Patrum sententia, conclusionem sine discursu formali. Quid ni, & in nostro casu?

§. 36. 5. Argum. Resp. 1. Quintũ argumentum: quia obiectum remotum non est propriè obiectum formale; sed impropriè, & in caussa; at revelatio Dei est obiectum remotum conclusionis, de qua agimus: ergo non est propriè obiectum illius. Respondeo, idem argumentum esse in habitibus voluntarijs: Deus enim remotè movet ad medium remotum, electum ad ipsius gloriam, de quo egi latè à §. 4. Resp. 2. Secundò respondeo, revelationem esse obiectum remotum cõclusionis vt cognitæ clarè & explicitè in se; non verò vt cognitæ in præmissis, & vt est pars quidditativa illarum: vnde, in præmissis revelatur immediatè. Ad arg. in forma. In forma, nego maiorem: non enim revelatur conclusio in præmissis, vt in caussa; sed quasi in toto, cuius est pars quidditativa. Item, dico obiectum formale remotum esse propriè obiectum impulsivum, respectu actus & obiecti materialis remoti. Quod sufficere ad identitatem habitus per se infusi, ostendi tota sectione 1.

§. 37. 6. argum. Sextum argumentum: quia sequeretur, conclusionem Theologicam esse fidei, si ex duabus præmissis revelatis inferretur conclusio fidei: ergo. Respond. Respondeo, me facilius concessurum, Theologiam non distingui à fide, quàm negaturum, esse fidei conclusionem deductam ex duabus revelatis; neutrum tamen faciam. Nego enim antecedẽs: quia Theologia est habitus depẽdẽs partialiter à revelatione Dei, vt ab obiecto primario, cui annectit aliud obiectũ primarium partiale peregrinũ à fide, nempe, principiũ aliquod philosophicum. Conclusio autem, de qua agimus, non pendet ab aliquo principio philosophico; sed præcisè à revelatione Dei, vt ab obiecto primario; à revelatis verò, vt à secundario.

§. 38. Obiectio. Considera Argum. Obijcis, etiam si Theologia authoritati & revelationi Dei adiungat aliud obiectũ formale philosophicum; adhuc conclusio Theologica esset fidei, si conclusio deducta ex revelatis esset fidei: ergo. Probo antecedens: quia, quando vna virtus attingit suum obiectum formale, cum alia virtute; adhuc producit actum spectantem ad ipsã: v.g. Iustus considerans, cultũ placere Deo, illum exercet, quia ipsi Deo placet: qui actus pertinet ad charitatem. Videns item, illo cultu recognosci authoritatem Dei, illum exerceret, ex affectu religionis: hic actus potest esse vnus numero, deductus ex obiecto religionis & charitatis, & habens honestatem charitatis ac religionis. Ratio à priori, quia, qui assentitur propter testimonium Dei, verè attingit eius testimoniũ & authoritatem, &, propter illa, conclusionem: ergo credit. Ergo, quamvis aliud obiectum adiungatur, credit. Patet consequẽtia: quia illa adiunctio non tollit, quominus assensus derivetur ex authoritate & testimonio Dei. Bonum argumentum ad probandum, conclusionem Theologicam esse fidei infusæ; si tamen probasset duo: alterum, posse duos habitus coniungi, ad eliciendum vnum actum; alterũ, si redderet rationem discriminis, inter conclusionem Theologicam certam, & probabilem: esse enim rationem eamdem, monstrandũ disp. 12. Vtrumque autem deglutiens ostendo, elumbum esse argumentum.

Adverto, obiectum formale bifariam attingi per virtutem, v.g. intellectualem, in qua clarior erit doctrina: primò, si obiectũ illud ita amatur aut cognoscitur, vt præcisè ex vi illius inferretur amor, aut cognitio circa obiectum materiale. Itaque debet attingi obiectum, tàm accommodatè ipsi virtuti, vt ipsa posit se exercere circa obiectum materiale, suo more, acsi nullum aliud obiectum formale attingeretur: v.g. circa hanc conclusionem: *Deus est*, potest exerceri fides ex suo obiecto formali, ita disposito, vt præcisè ex vi illius inferat illam conclusionẽ: quia idemtitas extremorum ostenditur in præmissis convenire vni tertio, ita vt, absque vllo principio Metaphysico, posit fides credere, Deum esse. Item, circa eamdem conclusionem potest disponi medium Metaphysicum, tàm benè, vt independenter ab alio obiecto, posit deduci conclusio Metaphysica. Idem patet in amore: si enim charitas attingit suo more Deum, ex vi illius poterit amare cultum, independenter ab obiecto Latriæ. In hoc casu, do huic argumento, disputandi gratiâ, posse eumdem numero actum oriri ab vtroque habitu. Ille actus distinguetur specie ab actu solius fidei, aut Metaphysicæ solius charitatis, aut religionis. Neutra enim virtus potest illum actum: quamvis potest tunc tendere in idem obiectum per alium actum, independenter ab altera; at verò per illum actum, necessario tendit vtraque. Qui actus est formaliter charitatis & Latriæ; fidei & Metaphysicæ: quia licèt non sit in duplici specie; est tamen in vna, quasi mixta ex vtraque. Ille actus habet totam certitudinem & supernaturalitatem fidei; item totam evidentiam Metaphysicæ. Neque negari potest ea cõclusio, quin negetur obiectum formale fidei. Quas ob caussas, do illum habitum fidei & Metaphysicæ: quia eius obiectum ita attingitur, vt vtravis virtus illud inferret, independentèr ab alia. Ratio huius doctrinæ:

§. 39. Bona animadversio. Duplex modus attingendi obiecti form.

S.Thó.q. 1. Art. 1. quia, in eo casu, tota bonitas obiecti formalis vtriusque virtutis concurrit ex parte obiecti. Tunc autem actus ille fidei esset perfectior propter concursum Metaphysicæ, quàm si à sola fide eliceretur. Idemque dixerim de habitibus voluntatis: nam actus charitatis & religionis perfectior esset, quā solius charitatis: quia, præter perfectionem ex obiecto formali adæquato charitatis, sumitur nova perfectio ex obiecto formali religionis. Vndè, si vna virtus creata haberet, pro obiecto adæquato, totum obiectum charitatis & religionis, esset perfectior, quàm hæc charitas, atque hæc religio. Ita, si esset vnus actus tendens in obiectum fidei formale, sufficienter dispositum ad conclusionem, & simul tendens in obiectum formale Metaphysicæ, perfectior esset, quàm actus huius fidei.

§. 40. Secundò potest adiungi virtuti obiectū formale alius: quia suum non sufficit, non modò ad inferendum actum, quasi mixtum; verùm neque ad attingendum obiectum illud materiale vllo actu. Nam testimonium & authoritas Dei ita disponuntur, vt ex vi illarum non possit cognosci conclusio: v. g. *Christus est risibilis*, non potest cognosci ex solo testimonio & authoritate Dei: quia, his concessis, potest negari ea conclusio: de quo late disput. 12. Idem dico de obiecto Metaphysicæ. Tunc illa conclusio, neque attingitur fide, neque Metaphysica; sed tertio habitu, Theologiâ. Quod probo: quia conclusio fidei est, quæ ita deducitur ex testimonio & authoritate Dei, vt, positis his, non possit illa negari: nam fides vim habet disponendi suum obiectum, vt possit inferri conclusio; alioquin, quæ fides erit? Idem dico de Metaphysica. Sed ad illam conclusionem non potest sufficienter disponi obiectum fidei: quia, concesso toto obiecto formali fidei, potest negari conclusio: ergo ille assensus non infertur fide catholica, neque Metaphysicâ perfecta; sed Theologiâ, imperfectè fide, & Methaphysicâ imperfectè. *Animad.* Adverte, in virtutibus voluntatis, nihil amitti perfectionis, ex aliarum coniunctione: quando totum obiectum formale cuiusque amatur accommodatè; quamvis sit obiectū partiale: vt dixi §. præcedenti. Sic neque amitteretur perfectio fidei, si illi adiungeretur obiectum Metaphysicæ; ita tamen, vt obiectum formale fidei sufficienter disponatur, vt quantum est ex parte præmissarum authoritatis & revelationis Dei, ostendatur conclusio mysterij revelati. Si autem non ostendatur conclusio sufficienter, præcisè ex vi authoritatis & revelationis, amittitur perfectio fidei. Fides enim perfecta ostendit conclusionem sufficienter, ex vi solius authoritatis & revelationis; cætera autem media non sunt necessaria. Hoc deficit in habitibus voluntatis: si enim attingunt totum obiectum formale accomodatè, accipiunt ab illo totam perfectionem.

Ad argumentum ex §. 38. nego antecedens. Ad probationem, distinguo antecedens: quando vna virtus, ex indigentia obiecti, accersit aliud obiectum formale, actus productus pertinet ad primam virtutem, nego antecedens quando vna virtus, non ex indigentia obiecti; sed præcisè ex concomitantia alterius, actus productus pertinet ad illam, cōcedo antecedens. Ad rationem à priori respondeo, in hoc casu, indigentiam obiecti tollere, quominùs credamus propter authoritatem & testimonium Dei, sufficienter dispositum ad conclusionem: quod non fit, quando illa adiunctio non est ex indigentia obiecti; Theologia autem, ex hac indigentia, vtitur medio Metaphysicæ. §. 41. *Ad argu. ex §. 38.*

Dixi §. 2. meam sententiam esse Sancti Gregorij Nazianzeni: quem Colophonē addo, & sententiæ, & argumento proposito à §. 14. Theologus igitur oratione 37. quæ est 5. de Theologia, agit de Spiritu sancto, cuius divinitatem probat contra hæreticos. Obijcit enim, idemtidem rogitari ab hæreticis, quo Scripturæ testimonio probetur Spiritus sancti divinitas? Respondet autem Gregorius, revelatam esse eam divinitatem, non terminis expressis; sed alijs, qui concedi non possunt, nisi admittatur divinitas Spiritus sancti: v. g. *Patrem esse ingenitum.* Ita ait: *Rursùm, vnde nam tu, arces illas tuas, ingenitum, & Anarchū* (hoc est, principij expers) *accepisti; aut nos etiàm immortalitatis vocem? hoc nominatim & expressè ostende, ac ea vel reijciemus: quia in Scriptura non extant; vel expungemus. Atqui ita, tuismet ipse principijs oppressus, interibis: eversis nimirùm sibi vocabulis illis, perfugijque manibus, in quibus confidebas. Nonne perspicuum est, hæc de his sumpta esse, ex quibus colliguntur, tametsi minimè dicantur? Quibus tandem? Ego sum primus: & ego pòst, & ante me non est alius Deus. His à Scriptura acceptis, illud quidem, quòd ante eum nihil sit; neque antiquiorem vllam ipse caussam habeat, Anarchum & ingenitum appellasti; quòd autem nunquàm esse desiturus sit, immortale, ac interitus expers.* Quibus verbis perbellè ostendit Sanctus Gregorius, sententiam nostram & argumenti vim: nempè, vt aliquid reveletur in Scriptura, non esse opus, id verbis expressis revelari; sed sufficere, vt revelentur alia, in quibus id continetur. Et adiecit: *quòd si te, bis quinque, aut bis septem dicente, decem,* §. 42. *Nazianz.*

decem, aut quatuordecim ex vrbis tuis colligerem; aut ex eo, quòd animal ratione præditum & mortale dicens, hominem eße concluderem, an tibi nugari viderer? nequaquàm profectò, cùm tua dicerem. Cùm igitur conclusio tàm contineatur in præmissis, quàm homo in animali rationali: tàm vere eam dicit, qui præmissas dicit; quàm hominem, qui animal rationale. Eam autem in præmissis contineri, ostendi §. 17. latiùs ostensurus disput. sequenti.

DISPVTAT. XI.

Vtrùm revelatio vniversalis sufficiat ad actum Fidei circa obiectum singulare?

SECTIO I.

Explicata quæstio.

§. 1. DEVS potest revelare aliquid tàm clare, distinctè, & in singulari, vt nihil aliud exigatur ad assensum fidei, præter sufficientem applicationem revelationis, & rectam apprehensionem subiecti, de quo est revelatio: ita, vt nullus possit tergiversari, de illo loquutū esse Deum. V. g. cum revelatur: *Deus est homo.* Vel quando agens Deus cum Propheta, illi dicit: *tu es prædestinatus*: tunc, apprehensis rectè terminis: *Deus, homo: Propheta, prædestinatus*, nullus potest dubitare, de quibus sit sermo: quia illi termini sunt tàm per se noti, vt, nisi barbarè ignaro, sint perspicui. Qui autem illis propositionibus dissentiretur, esset hæreticus, videns eas revelari à Deo.

§. 2. Secundò, potest Deus revelare aliquid, non in singulari, neque distinctè, & clarè; sed vniversim, confusè, & cum alijs. Verbi gratiâ, revelat Deus: *omnis homo est conceptus in peccato originali:* (excepta Mariâ, quod semper intelligo) hac revelatione comprehenditur Petrus; non tamen adæquatè: quia cum illo comprehenditur & Paullus; neque in singulari: quia comprehenditur cum ratione communi cæterorum. Nam, licèt Deus actu suæ sapientiæ, quo iudicat, omnem hominem esse conceptum in peccato originali, fertur in Petrum singularem, & in singulari, tàm clarè, & distinctè, ac si de illo solo loqueretur; at verba externa Dei, non est opus, vt significent Petrum in singulari; sed sufficit, generali ratione à Propheta cognosci, omnes homines in peccato conceptos. Nam vniversalis propositio: *omnis homo est conceptus in peccato*, ex parte obiecti, comprehendit omnes singulares: quia, *omnis homo*, sunt omnes homines singulares, sive est collectio omnium singularium. Vnde hæc propositio: *omnis homo est conceptus in peccato*, continet, ex parte obiecti, & in subiecto, omnes singulares: *Petrus est conceptus, Ioannes est conceptus, &c.* §. 3.

Hæc autem revelatio vniversalis potest esse dupliciter. Primùm enim potest Deus revelare aliquid in communi, cuius singularia adeò sunt per se nota, vt nihil aliud possit intelligi: v. g. revelat Deus omnem hominem peccare: tàm clari sunt singulares homines, vt non possint ignorari. Quis namque dubitet, Petrum esse hominem? Neque enim agō de Petro, vt dicit nominis impositionem. Nam, vt ego meum canem voco, *Selinum*; sic Turca potest suum vocare, *Petrum.* Accipio igitur Petrum, vt à nobis cõcipitur, pro hoc homine singulari: de quo, an sit homo, & contineatur in omni homine? nullus potest ambigere. Quis enim neget, hunc hominem esse hominem? est ergo evidens, Petrum contineri in subiecto eius propositionis.

Potest secundò esse revelatio vniversalis de omni homine: ita vt, quamvis sit per se notum, Petrum aut hunc hominem esse hominem; non tamen sit per se notum, hoc individuum esse Petrum, aut hunc hominem. Revelat enim Deus, omnem hominem debere baptizari ad salutem; dubitatur de hoc individuo, an sit homo, an verò Diabolus præstigiator? vel dubitatur de hoc animali in singulari, an sit homo? Cõtigit enim Palentiæ, hac ætate, dubium, an singulare quoddam animal repertum in sylva, esset homo? Anceps semper caussa fuit: nam corporis habitus hominem præ se ferebat; cætera bestiam inhumanam, expertem omnis vestigij mentis; participem verò ferinæ sævitiæ: quod animal sub conditione baptizatum fuit. Item revelat Deus, omnem ritè baptizatum & non ponentem obicem, esse in gratia: item, corpus Christi esse in omni hostia ritè consecrata. At non constat, hunc numero baptismum esse canonicum, & sine obice; neque hãc hostiam esse legitimè consecratam. Quæstio igitur est, vtrum, præter revelationem vniversalem, exigatur singularis revelatio, ad credendum fide catholica, Petrum, & hoc individuum, esse conceptum in peccato: hunc infantem esse in gratia, & Christum in hac hostia?

SE-

S.Tho.q. 1.Art. 1.

SECTIO II.

In singularibus per se notis sufficit revelatio universalis.

§. 5. Conclus. Aureol. Scotus. Canus. Vega. Caietan. P.Vazq. P.Suarez. HÆC conclusio traditur ab Aureolo, Scoto, Cano, Vega & alijs adductis disp. 10. §. 2. Quibus accense Caietanum 2.2. quæst. 171. art. 5. *§. ad obiecta contra primam.* P. Vazquez 1. p. disp. 5. cap. 3. & tom. 2. disp. 135. num. 6. Vbi docet, non inferri singularem propositionem ex vniversali: quia singularis continetur formaliter in vniversali: & P. Suarez, disp. 3. sect. 1. num. 6. Estque sententia catholica.

§. 6. Probatur Probatur: omne quod Deus dicit, & sufficienter proponitur, esse credendum fide divina iam est probatum; sed cùm dicit, omnem hominem esse in peccato conceptum, dicit Petrum esse conceptum in peccato, idque sufficienter proponitur: ergo, quãdo nobis proponitur illa revelatio vniversalis, credendum est fide divina, Petrum esse conceptum in peccato. Probatur minor: quia *omnis homo* ita formaliter continet Petrum, vt sit per se notum, de Petro dici, quidquid de omni homine: ergo, cùm Deus revelat peccatum omnis hominis, est per se notum, revelari peccatum Petri. Probo antecedens: quia *omnis homo* habet syncathegorema vniversale, hominem distribuens per singulos homines; ita, vt omnes attingat per descensum distributivum: quo descensu adscribitur singulis hominibus, quidquid omni homini. *Omnis enim homo currit*, complectitur per distributionem, omnes singulares propositiones, vt *Petrus currit, Antonius currit, & cæteri singulares homines currunt*. Id namque significat *distributio*, id est, attributio prædicati per singulos homines: non enim continentur singularia in vniversali distribuendo, vt anima in toto: nam prædicata totius, non conveniunt parti. Non enim est per distributionem, sicut est vniversalis propositio. Itaque illud subiectum, *omnis homo*, continet Petrum quidditativè.

§. 7. Obiectio. Dices, in propositione vniversali affirmari peccatum de singulis hominibus confusè, & non explicitè: ergo credenda est de singularibus confusè, & non explicitè. Animad. Adverte; propositionem vniversalem posse cognosci adeò confusè, vt nullum individuum cognoscatur in particulari: tunc non cognoscitur quidditativè, ob rationem reddendam §. 13. Respond. In eo casu, sufficit Catholico credere confusè, quod vniversim revelatur: quia, cùm nullum singulare cognoscat in particulari, non potest in particulari illud credere. Potest item cognosci propositio vniversalis, cognitis omnibus, vel aliquibus singularibus: tunc, quidquid videt revelari de omni homine, v. g. tenetur credere fide divina explicitè, id convenire illis individuis. Ratio à priori: quia illa confusio propositionis vniversalis non tollit, quominus propositio vniversalis habeat pro obiecto immediato omnia singularia, per quæ est necessariò distribuendum prædicatum commune, idque manifestè cognoscitur à cognoscente in singulari singularia: ergo fide divina debemus credere explicitè, prædicatum convenire singularibus. Probo antecedens: quia obiectum illius actus petit singularia individua, vt ratione illorum sit verus: ita vt, per exceptionem claram alicuius singularis, reddatur falsus: ergo revelatio vniversalis attingit omnia singularia, vt obiectum. Consequentia patet: quia, nisi illa attingeret immediatè, eius obiectum non exigeret immediatè singularia, ad sui veritatem. Antecedens probo: tum, quia propositio vniversalis confusa redditur falsa, præcisè per exceptionem expressam vnius singularis: vt dicam §. 11.

Tum etiam; quia illa confusio cum syncathegoremate distributivo, petit descensum per omnia singularia, quoquomodo noscantur. §. 8. Quo differt hæc propositio distribuenda: *omnis homo currit*, ab hac singulari: *Petrus currit*, quòd hæc cursum affirmat de solo Petro; illa verò de Petro, Antonio, & cæteris alijs; sive confusè, sive clarè noscantur: quia omnes illi continentur quidditativè in illo subiecto, *omnis homo*. Quod autem affirmatur de Petro, & Antonio; tam propriè affirmatur de Petro, quàm si de illo solo. Vt, si ego dicerem: *Petrus & Paullus currunt*, tàm propriè prædico cursum de Petro confusè cognito, quàm si de solo illo clarè cognito illum prædicarem. Petro autem non currente, esset illa propositio falsa; sive clara esset, sive confusa. Vt, si ego dicerem: *omnes mei discipuli sunt prædestinati*; sive illos clarè, sive confusè cognoscerem, non est dubium, quin Antonius arbitraretur, de ipso dici prædestinationem: quia clarè videt, se quidditativè contineri in illo subiecto, *omnes mei discipuli*. Vnde constat, tàm esse de fide, conceptum fuisse Petrum in peccato originali, quàm omnem hominem.

Secundò probatur: quia hæc propositio: §. 9. 2. Probat. Conclus. *Petrus non est conceptus in peccato originali*, reddit immediatè, & terminis ipsis, falsam hanc revelationem: *omnis homo est conceptus in peccato originali*: ergo cognoscens, eam vniversalem esse à Deo, si pronunciaret singu-

singularem, faceret Deum mẽdacem. Consequentia patet: quia, qui affirmat aliquid, quo videt falsum reddi testimonium Dei, arbitratur mentiri Deum: quia eius testimonio opponitur. Si enim me dicente: ***Petrus currit***, alius id sciens, diceret: ***Petrus nõ currit***, mihi contradiceret formaliter, adspergens mendacij labem: tunc sic: ergo illa propositio: ***Petrus non est conceptus in peccato originali***, est hæretica. Probo consequẽtiam: quia nulla est impudentior hæresis, quàm ea, quâ negamus veritatem Dei: gravior enim est hæresis negãs veritatem Dei, quàm negans revelationem. Ioannes damnans hæresis negantem testimonium Dei, dicit: ***mendacem eum facit***: ergo hæc: ***Petrus est conceptus in peccato originali***: est immediatè dicta à Deo. Patet consequentia: quia ideò eius contradictoria est hæretica: quia falsificat propositionẽ Dei; sed illam præcisè falsificat, dum excipit Petrum à peccato originali: ergo propositio inclusit Petrum in peccato originali.

§. 10. Adverte, doctrinam à me traditam disp. 4. summularum sect. 7. Vbi ostendi, omnem oppositionem duarum propositionũ, oriri ratione contradictionis repertæ in obiecto. Nonnulli Summulistæ arbitrati à me negari oppositionem cõtrariam, & subcontrariam; & solam admissam contradictoriam: de quo numquàm cogitavi. Nam contradictoriam voco, cum cœteris, quâ duæ propositiones repugnant, tàm in veritate quàm in falsitate: ita vt, si altera est vera; altera sit necessariò falsa. Quia, si vtraque esset falsa, vel vtraque vera; obiectum esset simul, & non esset. At verò aliæ propositiones ita opponuntur in veritate, vt non in falsitate, vt contrariæ. Quia ex falsitate vtriusque, non infertur contradictio aliqua in obiecto: infertur autem ex vtriusque veritate. Subcontrariæ verò ita opponuntur in falsitate, vt non in veritate: nam ex vtriusque veritate, nulla sequitur contradictio in obiecto; sequitur autem ex falsitate vtriusque. Itaque, omnis oppositio est. quia ex parte obiecti essent duo cõtradictoria, & sequerentur duæ propositiones singulares cõtradictoriæ. Quod explico, in nostro casu; quia propositio singularis negativa, ideò falsificat vniversalẽ affirmativam: quia ex veritate vtriusque, sequerẽtur duo obiecta, & duæ propositiones singulares contradictoriæ. Nã hæc: ***omnis homo est conceptus in peccato***, est vera in Petro; alioquin non est vera: ergo si hæc singularis est vera: ***Petrus non est conceptus in peccato***, sequitur Petrum esse, & non esse conceptum in peccato. Item, si singularis est falsa, est: quia Petrus fuit conceptus in peccato: quòd si vniversalis est vera, est propter eamdem rationem: quia Petrus re ipsa est conceptus in peccato: ergo singularis negat de Petro, quod affirmat vniversalis. Ergo hæc singularis contradicit vniversali. Itaque singularis dicit de Petro, quod vniversalis negat; vel è contrà. Vnde concludo, propositionem illam negativam singularem, esse immediatè hæreticam.

Explicat.

§. 11. Hæc, quæ firma sunt, quatiuntur logicis argutijs. Nam vt aliqua cõclusio sit credenda fide divina, necesse est, vt vtraque præmissa sit revelata, & credita fide divina; sed propositio singularis: ***Petrus est conceptus in peccato***, quamvis continetur in vniversali de fide; tamen non infertur ex vtraque præmissa revelata: ergo non creditur fide divina, quamvis continetur in vniversali revelata. Minor probabitur disp. 12. cõtra Canum, & Vegam. Minor patet: quia illa propositio infertur hoc syllogismo: ***omnis homo est conceptus in peccato; Petrus est homo: ergo Petrus est conceptus in peccato.*** Vbi minor propositio non est revelata: nullibi enim dixit Deus, Petrum esse hominem. *Obiectio.*

1. Confir. Confirmatur primò; ex sola hac propositione: ***omnis homo currit***, non infertur hæc: ***Petrus currit***; nisi addatur, Petrum esse hominem: vt dixi disp. 10. Logicæ §. 100. ergo similiter, ex hac sola propositione: ***omnis homo est conceptus in peccato***, id non sequitur de Petro; nisi addatur, Petrum esse hominem. Confirmatur secundò: quia admisso, omnem hominem esse conceptum in peccato, potest negari, Petrum esse hominem; in quo nihil dicitur contra fidem: ergo, integra fide, negari potest, Petrum esse conceptum in peccato: quæ propositio nõ est hæretica; sed erronea. Respondebitur in forma §. 14. & 20. *Confir. 2.*

§. 12. Adverte, esse propositionem formalem, & obiectivam. Formalis, est actus intellectus, quo aliquid iudicamus; obiectiva, est obiectum illius actus. Quoties propositio formalis elicitur per habitum fidei, obiectiva etiam est fidei: quia omnis actus fidei versatur circa obiectum fidei; fides enim non potest divagari extra suum obiectum. At propositio obiectiva potest esse fidei, & non cognosci per fidem: quia vel non est fides in intellectu; vel si est, non satis applicatur obiectum. Discrimẽ est clarum: quia propositio formalis est effectus obiectivæ: ab effectu autem ad caussam bona est affirmatio; mala verò à caussa ad effectum. Igitur propositio fidei obiectiva potest per accidens non cognosci per fidem; ipsa tamen absolutè est fidei: quia eius obiectum est absolutè revelatum; item absolutè potest benè applicari. Videamus, an hæc propositio

S.Tho.q. 1.Art. 1. sitio obiectiva: *Petrus est conceptus in peccato*, sit absolutè de fide?

§. 13. Hic terminus, *omnis homo*, potest cognosci confusè & quidditativè: confusè cognoscitur, quando individua hominis non cognoscuntur clarè, audita voce, *omnis homo*; quidditativè autem cognoscitur, quando, audita ea voce, cognoscuntur clarè singulares homines. Compositum, qua ratione compositum est, habet partes quidditativas, quibus coalescit eius quidditas, quæcumque illa sit. Dum istæ partes non cognoscuntur clarè, non cognoscitur quidditativè compositum. V. g. homo non cognoscitur quidditativè Metaphysicè; nisi cognito clarè animali rationali; neque physicè, absque cognitione de corpore & animo. Idē patet in ente per accidens: v.g. Româ, quæ non cognoscitur quidditativè, nisi cognoscantur clarè domus, calles, vici, fora, & alia. His enim cognitis clarè, cognoscitur Roma quidditativè: quia quidditas eius entis per accidens, sunt illa. Ita, *omnis homo*, ex parte obiecti, est cōpositus ex omnibus hominibus, quibus ignoratis, non cognoscitur *omnis homo* quidditativè. Quemadmodum, *omnis Apostolus*, componitur ex Petro, Andrea, & alijs: quorum vno ignorato, non concipitur quidditativè, *omnis Apostolus*. Ita potest cognosci, *omnis homo*, confusè: quo conceptu non cognoscitur clarè Petrus; estque opus alio actu claro, quo Petrus cognoscatur esse homo. Ea ratione, ex propositione vniversali & singulari, efficitur legitimus syllogismus, inferens conclusionem singularem obiectivam, conceptam diverso modo, ac in præmissis. Quia in præmissis, concepta fuit confusè in maiori propositione. Propter quod, cōfusè cognoscēs obiectum vniversale, indiget minori propositione clara, per quam supplet defectum propositionis vniversalis: v. g. cognoscimus, *omnis homo currit*: si illa cognitio esset quidditativa, deberet ibidem cognosci, Petrum currere, clarè atque distinctè: quia clarè atque distinctè deberet in subiecto, *omnis homo*, concipi Petrus, tamquàm pars quidditativa eiusdem subiecti: ex parte autem prædicati, cursus adscriberetur Petro; non secùs, ac omni homini. Quia verò ex parte subiecti Petrus non fuit clarè conceptus: ideò prædicatum non fuit illi adscriptum clarè in maiori. In minori autem propositione: *Petrus est homo*, suppletus fuit defectus cognitionis quidditativæ de subiecto. Nam in minori cognoscitur clarè, Petrum esse hominem, quod debuerat cognosci in subiecto propositionis vniversalis. In quibus duabus præmissis, cursus adscriptus fuit omni homini clarè; non tamen Petro in particulari: in minori autem Petrus accensus fuit omni homini. Restat ergò, vt illi tàm clarè adscribatur cursus, quàm omni homini. E quibus evidenter cōstat, quod in logica disp. 10. sect. 15. ostendi contra P. Vazquez, posse inferri conclusionem singularem, ex vniversali & singulari. Quia hoc modo, prædicatum numquàm adscribitur in præmissis subiecto singulari, clarè & distinctè; adscribitur autem clarè, in conclusione.

Ad argumentum ex §. 11. distinguo maiorem: vtraque præmissa debet esse revelata, quando infertur conclusio ex præmissis, concedo maiorem; quando non infertur ex præmissis, nego maiorem: quia est de subiecto (vt aiunt) non supponente: nam tunc tātùm debet inferri, ex authoritate & revelatione Dei. Ad minorem respondeo, propositionem singularem: *Petrus est conceptus in peccato*, fide numquàm inferri ex vniversali; sed in illa clarè cognita cognoscitur fide: infertur autem in conclusione per fidem ex authoritate & revelatione Dei, quæ attingens clarè omnem hominem in ordine ad Petrum, cognoscit clarè Petrum in omni homine. Quòd si *omnis homo* confusè revelatur in ordine ad Petrum, propositio singularis: *Petrus est conceptus in peccato*, infertur non per fidem; sed per Theologiam ex vniversali revelata: *omnis homo est conceptus in peccato*, & ex hac singulari: *Petrus est homo*. Distinguo etiàm consequens: ergo non creditur fide divina, quando infertur ex vniversali confusè cognita, concedo consequentiam; nego autem, quando cognoscitur in vniversali clarè cognita. Itaque hæc conclusio obiectiua (quæ per se est fidei): *Petrus est conceptus in peccato*, non cognoscitur fide divina; sed Theologiâ, quando in hac propositione: *omnis homo est conceptus in peccato*, non concipitur Petrus clarè conceptus in peccato. Quia tunc, ad inferēdam conclusionem, assumitur obiectum partiale naturale, de quo nihil est revelatū; & actus circa tale obiectum, est naturalis. Ad primā confirmationem, concedo antecedens, quādo *omnis homo* concipitur confusè: concedo item consequentiam, quando conclusio infertur ex vniversali confusè cognita. Ad secundam confirmationem, distinguo antecedens: potest negari, Petrum esse hominem, si *omnis homo* concipiatur quidditativè, nego antecedens: quia si in illo subiecto videtur clarè, Petrum esse hominem, & partem quidditativam omnis hominis, non potest posteà negari, Petrum esse hominē: ac propterea non potest negari, eum esse conceptum in peccato: quia oppositum affirmatum fuit clarè & explicitè in maiori.

§. 14. Ad arg.

Ad 1. cōfi.

Ad 2. cōfi.

14. Vndè obiectum fidei est in illa maiori propositione, quā iam suppono clarè cognosci. At verò, si vniversalis cognoscitur confusè, potest negari, Petrum esse hominem: quia, quamvis Petrus contentus fuit in maiori; non tamen clarè. Vndè, per accidens, & ex mala applicatione obiecti; conclusio obiectiva fidei non cognoscitur fide. Quòd contingere potest, in omni propositione revelata, dum non cognoscitur quidditativè.

§. 15. Præterea, potest cognosci hoc subiectū, *omnis homo*, quidditativè: idque, vel adæquatè, vel inadæquatè: id est, ex parte illius subiecti, possunt cognosci quidditativè omnia, vel aliqua singularia. Nam *omnis homo* nihil est, præter Petrum, Paullum & Antonium (suppono claritatis gratiâ, nō esse alios: nam de cæteris etiā est eadem ratio). Qui cognoscit quidditativè adæquatè omnem hominem, opus est, vt quidditativè cognoscat Petrum, Paullum, & Antonium: quia, vt compositum quidditativè cognoscatur, debent cognosci clarè eius partes: vt dixi §. 13. exemplo hominis & Romæ: nā, cùm homo nihil aliud sit, præter partes vnitas; neque Roma, præter plateas & vicos: oportet ea clarè cognoscere, vt quidditativè cognoscamus hominem, & Romam. Ita; debent clarè cognosci Petrus, Paullus, & Antonius, vt quidditativè cognoscatur *omnis homo*. Sic cognitus *omnis homo* non potest inferre propositionem aliquam singularem: v.g. ex hac propositionem: *omnis homo currit*, cognita clarè, non potest inferri hæc: *ergo Petrus currit*. Ratio à priori: quia in cōclusione prædicatum dicitur de subiecto diverso modo, quàm in præmissis: vt patet ex definitione modi sciendi disp. 10. Logicæ sect. 1. & ratione manifesta: quia ea ratione infertur conclusio; vt extremitates clariùs cognoscantur conclusione inter se convenire, quàm cognitum fuit præmissis; alioquin non manifestaretur ignotum. Item essent nugæ, ac si quis diceret: *Petrus currit: ergo Petrus currit*: est enim idem per idem. Sed conclusio non cognosceret sua prædicata diverso modo, quàm præmissæ: ergo non potest inferri. Probatur minor: quia præmissæ cognoscunt clarè & distinctè Petrum currere, non secùs ac conclusio. Nam hac vniversali: *omnis homo currit*, visus fuit clarè Petrus currere cùm Paullo, & Antonio: quia visus fuit clarè omnis homo currere, in quo visus fuit clarè contineri Petrus.

§. 16. Obiectio. Dices, Petrum conceptum fuisse in vniversali propositione diversâ ratione, ac in singulari: nam in vniversali cognitus fuit cum alijs; in singulari solus. Refellit. Contrà: illa cognitio fuit diversa quoad alia obiecta; nō verò quoad Petrum. Nam licèt vniversali actu visi fuerint alij; at Petrus in se eodem modo fuit visus actu vniversali, ac singulari: vndè conclusio non manifestat ignotū. Confirmatur: si ego viderem clarè: *Petrus & Paullus currunt*, non possem inferre: *ergo Petrus currit*: quia cursum Petri eodem modo vtrobiq; video. Hanc ob caussam, Deus nullam infert conclusionem singularem ex vniversali: quia eius vniversalis est clarissima circa omnia singularia. Qui autem ita cognoscit vniversalem, in sua mente non infert singularem; potest tamen eam inferre quoad alios non concipientes quidditatiuè vniversalem. Vndè adverte, qui vniversalem quidditativè cognoscit, non indigere singulari propositione: vt enim cognoscat Petrum currere, non eget hoc syllogismo: *omnis homo currit; Petrus est homo: ergo Petrus currit*: quia totum illum syllogismū obiectiuū cognoscit clarè in maiori quidditativè cognita, in qua clarè cernit Petrum esse hominem, & Petrum cum omni homine currere. In quo sensu arbitror loquutum Patrem Vazquez, dum negavit inferri singularem ex vniversali; debuerat tamen id declarare, & non excludere illationem singularis ex vniversali confusè cognita. P. Vazq.

§. 17. Cùm Deus loquitur Prophetis, supponit terminos quidditativos rerum, de quibus agit; alioquin non possemus efformare conceptum dictorum Dei. Ita est de fide, Christum esse animal rationale: quia revelans Deus humanitatem Christi, supponit terminos quidditativos illius. Neque egemus hoc syllogismo: *omnis homo est animal rationale; Christus est homo: ergo Christus est animal rationale*; sed præcisè audita voce; *Christus est homo*, apprehenditur animal rationale: egemusque hoc syllogismo: *omne quod Deus dicit, est; dicit Christum esse animal rationale: ergo Christus est animal rationale*. Quod si rogemur, vbi Deus dixerit, Christum esse animal rationale? respondebimus, quando dixit eū esse hominem: quia homo & animal rationale sunt quidditativè idem; & eodem modo, quo dicitur homo, dicitur animal rationale. Ita, cùm revelat omnem hominem esse conceptum in peccato, supponit terminos quidditativos illius subiecti *omnis homo*: hi autem termini sunt Petrus, Paullus, & Antonius.

§. 17. Cùm ergò dicit Deus: *omnis homo est conceptus in peccato*, vt concipiamus Petrum esse conceptum in peccato, non egemus hoc syllogismo: *omnis homo est conceptus in peccato; Petrus est homo: ergo Petrus est conceptus in peccato*; sed egemus hoc: *omne quod Deus dixit*;

S.Tho.q. 1. Art. 1. *cit; est; sed dicit Petrum esse conceptum in peccato: ergo Petrus est conceptus in peccato.* Si autē rogemur, vbi Deus id dixerit de Petro? respondebimus, id dictum expresse hac propositione vniversali: *omnis homo est conceptus in peccato*: cuius propositionis pars quidditativa est Petrus; non secùs, ac animal est pars quidditativa hominis.

§. 19. Cōfirmat. Confirmatur: si Deus diceret Petro: *omnes Apostoli sunt prædestinati*, statim Petrus id crederet de se ipso sine hoc syllogismo: *omnes Apostoli sūt prædestinati; ego sum Apostolus: ergo sum ego prædestinatus.* Nam minorem propositionem obiectivam cognosceret in maiori clarè & explicitè. Itē non indigeret hac minori singulari propositione: *sed Andreas est Apostolus, & Ioannes est Apostolus*: nam vt in illo subiecto cognovit se comprehendi; ita cognovit comprehendi Andreā & Ioannem. Eâdem ratione, cùm audit omnem hominem, cognoscit se & Andream & Ioannem ibi comprehensos. Si autem prima vice non cognouit quidditativè in ordine ad Andream omnem hominē, aut omnem Apostolum; sed indiguit singulari propositione: *Andreas est homo*: tunc non credit fide divina conclusionem; relinquitur tamen species vtriusque præmissæ obiectivæ, & secunda vice cognoscit quidditativè omnem hominem. Sic autem fide divina credit de Andrea, ex solis præmissis de authoritate & revelatione Dei, quidquid credit de omni homine.

§. 20. Ad arg. Ex his patet ad argumentum ex §. 11. distincta maiori: nam; vt conclusio sit fidei, requiritur authoritas & revelatio Dei disposita in præmissis; vel requiruntur duæ præmissæ revelatæ. Ad minorem respondeo, Petrum esse conceptum in peccato deduci immediatè ex authoritate & revelatione Dei dispositis in præmissis; non verò ex hac propositione: *Petrus est homo.* Nā Petrum esse hominem concipitur [illegible], conceptu quidditativo omnis hominis: de quo egi à §. 13. Nego igitur consequentiā. Neutra confirmatio facit contra conclusionē sic explicatam de conceptu quidditativo propositionis vniversalis; sunt tamen è re, quādo vniversalis propositio concipitur confusè: recognosce §. 24. Itaque *Petrus est homo*, non cognoscitur fide; sed fides id supponit per se notum evidentiâ physica: vt si ego dico tibi meo fratri: *frater meus est doctus*, non est opus, vt ex me credas: *ego sum frater ille*; sed hoc aliunde cognito, vides me de te loqui. Idem contingit nobis Deum audientibus.

§. 21. Hinc deduces eum, qui mortaliter peccat, credere fide divina se tunc esse obnoxiū pœnis æternis. Nam fide divina credit omnem peccantem mortaliter esse obnoxium illis pœnis: item euidenter cognoscit se cōtineri in illa propositione vniversali revelata; revelationemque ipsam tàm immediatè & formaliter esse de ipso, quàm de omni peccante mortaliter. Nam, quod dicitur de omni peccatore, dicitur de ipso & cæteris peccatoribus; quod autem videt de ipso & cæteris dici, videt de ipso dici. Item, qui ritè baptizat infantem, tenetur credere fide divina illum esse in gratiâ, hoc syllogismo: *omne quod Deus dicit, est; sed dicit hunc esse in gratia: ergo hic est in gratia.* Minorem propositionem credit fide, in hac vniversali revelata: *omnis ritè baptizatus sine obice, est in gratia*: quia videt infantem esse vnū è baptizatis ritè sine obice: & quod dicitur de omni ita baptizato, vidēt dici de hoc. Item, si vera est sententia constituens esse de fide hunc numero hominem esse Papā, tenetur ipse credere fide divina Christum contineri in hostia ab ipso consecrata: quia videt illam hostiam esse vnam de ritè consecratis. Duo prima corrolaria concedunt Canus, Vega, & Pater Suarez. Item Pater Vazquez, 1. 2. tom. 2. disputatione 200. num. 49. Canus. Vega. P. Suar. P. Vazq.

§. 22. Obiectio. Obijcis; aliud esse Petrum & hunc infantem fuisse conceptos in peccato, & esse in gratia; aliud autem hoc individuum substantiæ esse in gratia, aut conceptum in peccato. Primum est de fide: quia Petrus & hic infans accipiuntur pro duobus individuis hominibus, qui quidditativè continentur in omni homine. Secundum non est de fide: quia hoc individuum potest esse Dæmon præstigiator, qui, assumpto aere, apparet homo, vt contingit non rarò. Nonnulli pressi hoc argumento censent, hoc individuum esse conceptum in peccato non credi fide divina absolutè; sed conditionatè, id est, credo hoc individuum esse conceptum in peccato, si est homo. Contrà: tunc absolutè non exercetur fides. Probo: nam fides credit revelationem existere; & ex eius existentia credit mysterium revelatum; sed illo actu non credimus existere revelationem de peccato illius individui: ergo ibi non exercetur fides. Probo minorem: quia non habemus hunc assensum: *Deus revelavit hoc individuum esse conceptum in peccato.* Dicere autem: *ego credo, si hic est homo*, per indé est ac dicere: *dubito de revelatione huius, & de eius peccato*; dubitans verò de revelatione non credit eam esse. Neque item est actus fidei assensus conditionatus. Tantùm enim terminatur ad veracitatem Dei, ac si dicat: *tàm verax est Deus, vt ego crederem, quidquid ille diceret.* Qui autem affirmaret: *ego non crederem, etsi Deus diceret*, præcise negaret autho-

authoritatem Dei. Vndè ille actus conditionatus: *ego credo, si Deus dicit*, pertinet ad fidem, qua parte fides nititur authoritati Dei; non verò quâ fides nititur revelationi. Quia revelatio non creditur fide divina; nisi vt existens. Item passim vti deberemus illis actibus conditionatis: v.g. *ego te baptizo, si es homo: ego consecro hostiam, si sum Sacerdos*, & alijs ridendis.

§. 23. *Ad arg.* Respondeo, vtrumque credi fide divina, & Petrum & hoc individuum esse conceptum in peccato, quando verè individuum illud est homo. Hac enim hypothesi, sunt omnia requisita ad fidem divinam, quæ sibi vendicat duo: alterum, vt revelatio existat verè; alterum, vt proponatur sufficienti prudentia, qua moveri possit prudētissimus quisque. Neque enim fides exigit ab homine, nisi quod homo potest; at non potest esse humanitùs prudentior applicatio revelationis, quàm per evidentiam physicam, cui, nisi præter naturam, non potest subesse falsum. Anima enim pendet à sensibus, & iudicat de obiectis, ex recta sensuum apprehensione; nisi corrigatur fide. Cùm ergò, viso illo individuo, ego possim licitè iurare me vidisse hominem, non est locus dubitandi iudicium illud esse prudentissimum. Igitur ex suppositione quòd individuum illud sit homo, idque evidentiâ physica cognoscatur: tunc exercetur absolutè fides. Si autem individuum illud non sit homo, tunc non exercetur fides divina circa illud: non ex defectu applicationis prudentis; sed ex defectu revelationis, sine qua nihil potest credi divina fide. Exercetur autem fides humana prudentissima, quæ innititur testimonio apparenti prudenter. Quam doctrinam diligenter observa, ad solvendos multos quæstionum nodos. Adverte, si contingat hoc individuum non esse hominem, non propterea reddi falsam revelationem Dei, quæ nulla est de illo individuo.

SECTIO III.

Utrùm ad credenda singularia moraliter per se nota, sufficiat revelatio universalis?

§. 24. *2. Conclus.* DICO secundò: sufficere revelationem vniversalem, ad credendū fide divina singularia per se nota moraliter, vt sect. 2. dixi de singularibus per se notis physicè. Evidentia moralis dicitur ratio assentiendi, innixa tot doctorum hominum testimonijs, ac circūstantijs, vt nulla sit probabilitas partis oppositæ. Dicitur evidentia moralis: quia, ad extorquendū assensū, tantùm valet apud prudētes rerum æstimatores; quantùm valeret evidentia physica. Igitur quamvis res, si præcisè consideretur potentia physica, non repugnat esse aliter, quàm vulgò circūfertur; tamen tot argumentis probatur aliqua pars, vt de illa nullus possit prudenter dubitare. Igitur ea fundamenta, quę nō sinunt titubare prudentem, dicuntur facere evidētiam moralem: v. g. certum est moraliter, Concilium generale à Papa annis superioribus coactum esse Tridentum, ibiq; definitū, gratiam esse inhærentē. Nam tot graves authores id dicunt verbo, & de scripto, nullo reclamante iisdē ipsis temporibus, vt nullus nisi amens possit dissentiri, nec nutare. Ecquis vnquā dubitet de Cæsarū gestis, de Pompeij, de Luculli, & aliorum? quæ tamen accepimus per historias & traditiones humanas, physicè & secundum se capaces erroris. Idem dixerim de Concilio Nizęno, & alijs, quorum memoria à priscis tēporibus ad nos perennat, sine vlla cōtroversia inter authores novos aut veteres. Eadē ratione est certū moraliter cuivis Ethnico, aut hæretico; nisi animo barbaro aut insipienti, Christum vixisse Hierosolymis, & mortuum, eiusq; historiā conscriptam à discipulis: de quo nō possunt magis dubitare, quàm de historia Livij, & Suetonij. Item est moraliter certum, etiàm hæreticis Antipapistis, damnatam esse à Clemente VIII. absolutionē sacramētalem in absentia. Quia tàm publicè est evulgatum de scripto, per Quæsitores fidei, & alios ministros Pontificios, sine contradictione Romæ, vt nullus possit dubitare. Quamvis enim res absolutè possit aliter esse; tamen sola potentia physica non potest afferre dubiū. Vt ergò evidentia vt sic est necessitas ad assentiendum: evidentia physica, ad assentiendum iuxta physica principia; & Metaphysica, iuxta Metaphysica: ita evidentia moralis, est necessitas assentiendi iuxta regulas moris: quia alioqui peccaretur contra illas: sicut contra physicas ageret, qui non moveretur evidentiâ physica.

Conclusionem hanc docet Pater Suarez disput. 3. sect. 11. num. 6. vbi ait, certum esse fide, Concilium Tridentinum fuisse legitimum, sicut & Nizænū & alia tria generalia: item hunc hominem esse Papam. Et Bellarminus tom. 1. lib. 2. de Cōcil. authoritate, cap. 9. vbi probat credēdos fide divina Concilij canones: quia illorum legitima Congre- §. 25. *P. Suar.* *Bellar.*

S·Tho.q. 1. Art. 1. Congregatio constat fide humana certissima; neque negatur à Chatolico vllo.

§. 26. *Probatio.* Probatur eadem ratione, qua prima cõclusio §. 5. quia Deus revelavit immediatè & formaliter, omne Cõcilium legitimè congregatum errare non posse in doctrina fidei:(hoc dico, exempli gratiâ: est enim eadẽ ratio huius,& aliarũ rerũ,de quibus nobis nõ cõstat ;nisi per moralẽ evidẽtiã) ergo id revelavit immediatè de Concilio Tridentino. Probo consequentiam: quia Tridentinum est vnum è legitimè congregatis, & continetur in ***omni Concilio generali legitimo***, estque pars quidditativa illius: sicut Petrus continetur in ***omni homine***, vt pars quidditiva ipsius: idquè cognoscitur evidentiâ morali tàm per se nota, vt à nullo, nisi insano, negari posit: vt negari non potest, hoc individuum esse hominem: quia cognoscitur evidentiâ physica. Itaque Concilium Tridentinum cognoscitur evidentiâ morali, esse pars eius subiecti ***omne Concilum.***

§. 27. *1. Confir.* Confirmatur primò: quia fides nõ exigit, nisi revelationem existentem, & eius applicationẽ tàm prudentem, vt sufficiat ad extorquendum assensum ab homine quantũcumque prudenti, vt dixi §.24. Sed hæc concurrunt in morali evidẽtia: ergo. Probatur minor: quia revelatio de infallibili assistẽtia Dei in Concilio Tridẽtino, iam est facta: siquidẽ illa revelatio vniversalis, est immediatè de omnibus Cõcilijs singularibus: Applicatio autem est tàm prudẽs, vt à nullo sano negari posit, cũ cõstet communi eius sæculi consensione, in quo coactum fuit Conciliũ. Hæretici autem non dissentiuntur canonibus Tridentinis, quòd dubitent Conciliũ illud fuisse legitimè congregatum, Romano & Papali ritu; sed quòd negent hæreticè vniversalẽ illam revelationẽ, de infallibili assistentia Spiritus Sancti in Cõcilijs, vocatis Romano & Papali ritu. Si enim eam revelationẽ admitterent, admitterent etiam Tridentinos canones: quia nõ dubitant Concilium illud coactum, ex consuetudine Romana. Catholici autem, quia credunt revelationẽ illam vniversalem, nõ possunt dissentiri, aut dubitare de auctoritate Concilij Tridentini: sicut non possunt dubitare hoc individuum esse hominẽ, & cõceptũ in peccato. Vt ergò asserunt Petrũ esse partem ***omnis hominis***; sic & Tridentinum esse partem ***omnis legitimi Cõcilij.***

§. 28. *2. Confir.* Confirmatur secundò: quia nisi hæc ita essent, vix esset aliquid credendum fide divina: nam Scriptura approbata est authoritate Ecclesiæ, & Evangelia conscripta fuerunt ab Apostolis & discipulis. De his, antecedenter ad fidem infusam, non habeo nisi historias & traditiones humanas. Traditio enim vniversalis Ecclesiæ, per Dei inspirationẽ, & revelationem ipsius Dei, facta fidẽ Ecclesiæ, vel Evangelistis, vel Prophetis, nõ est facta mihi evidenter; neque de illa ego corã consului ipsos Prophetas; nec, si consuluissẽ, haberem applicationẽ evidentẽ physicè revelationis ipsorum: vt nunc eã non habeo revelationis factæ vniversæ Ecclesiæ. Applicatio autem illarum revelationũ & traditionis per Spiritum Sãctum, facta est mihi per evulgatos libros, per historias & Legatos: qui, & falli, & mentiri potuerunt. Vndè concludo, nos teneri, credere eiusmodi hostorijs moraliter certis, quando ex earum assensu pendet fides mysteriorum, quæ proponit Ecclesia: vt teneor credere dictis bonorũ testium, contestantium esse obligationẽ audiendi hodie sacrum.

§. 29. *Obiectio.* Obijcis, non posse constare evidentiâ morali, de legitimitate huius Concilij. Cõstat quidem, Concilium coactum Tridentũ, ex Episcopis Ecclesiarum, quæ Romæ censentur, & Legatis Papæ. At, vt Concilium legitimè cogatur, opus est, eos Episcopos esse, maiori ex parte, ritè baptizatos, & Catholicos: de quo nulli potest constare evidentiâ morali. Hæc obiectio non est absolutè contra conclusionem: in qua agitur de singulari obiecto, de quo nullus potest, nisi insanè, dubitare. Quia verò res est, & gravissima, & nostri muneris, libet respondere.

§. 30. *Bellarm.* Bellarminus adductus §. 25. respondet, sufficere ad legitimitatem Concilij, convenire eos, qui externè regunt Ecclesiã; quãvis sint, aut non baptizati, aut hæretici. Quo solveretur omnis modus; nisi alius texeretur implicatior: vidit enim ipse Cardinalis, hoc quã sit ægrũ. Nam durum admodùm videtur, velle Deum, in administranda Ecclesia, vti tã flagitiosis instrumentis. Deindè, dubitare quis posset, vtrũ illi homines regant verã Ecclesiam Dei? Nã illorũ subditi non sunt magis immunes suspicione, quàm ipsi Episcopi. Possumus enim dubitare, an sint baptizati, aut hæretici? vt dubitatur de Episcopis. Tunc autem oritur eadẽ difficultas, nõ posse constare evidentiâ morali, de legitimitate Concilij, cũ non constet, illud vocari veram Ecclesiã Dei: de quo sermo redibit disp. 37. §. 32.

§. 31. Quarè ipse Bellarminus secũdò respondet, constare ex Scriptura de providentia Dei, in administranda Ecclesia per Catholicos Pastores: in cuius clavo non patitur hæreticos. Verùm ea de re non admodùm constat in Scriptura, in qua sæpè Deus queritur de Pastoribus flagitiosis,

&

& hæreticis; quos, ob mille caussas honestas, patitur: maximè, cùm hæresum virus non effundunt in plebem. Itaque possunt illi congregari, & definire dogmata fidei: quod §. superiori dixi esse durum. Secundò, constet id ex Scriptura; inde nihil concluditur: quia Scriptura est exponenda de Pastoribus veræ Ecclesiæ; at vndè constat evidentiâ morali, Episcopos Hispanos, Gallos, Italos, & Germanos, qui convenerunt in Concilium, præesse veris Catholicis, cùm potuerint esse subditi, vel non baptizati, vel animo hæretici?

§. 32. Respondent alij, in ipso Concilio definiri ipsius legitimitatem: qua definitione frontem consignat, vt habeatur pro
Bellarm. Catholico. Respondet Bellarminus primò, id non factum in omni Concilio generali, de cuius legitimitate occurrit hæc dubitatio; neque solvitur definitione vlla Concilij. Neque verò id statuitur authoritate divina, vt revelatum à Deo: nam sine vlla revelatione singulari, de legitimitate illius Concilij, Patres Conciliarij, visa congregatione omnium Catholicorū, decernunt authoritate humana, Concilium iam esse legitimè congregatum: vt contingit in comitijs religionum, & in Senatibus Civitatum, vbi statuitur, Senatum & comitia esse legitima. Idē præstat Concilium generale, contestans nihil deesse legitimitati Concilij, ex his, quæ externè requiruntur, vt ea de re constet apud omnes. Quod fieri solet per Scribas & Tabellarios, asserentes adesse Legatos Pontificis, Episcopos Ecclesiarum, Legatos Principum, vocatos hæreticos ad disputationem cum salvo conductu, & alijs, quæ minimè pendent à revelatione divina.

§. 33. Bellarm. Tertiò respondet idem Bellarminus, definitionē illam nihil interesse. Aut enim constat de legitimitate Concilij, aut non? Si constat, non est necessaria illa revelatio singularis; oportet autem ostendere, vndè constet? Si verò non constat, adhùc illa revelatio singularis est sub lite, sit ne à Deo? Nam vt ego mihi persuadeam illam esse revelationem, ex infallibili assistentia Dei in Concilio generali, opus est, vt mihi persuadeam illud esse legitimum Concilium: dum autem dubito de legitimitate Concilij, dubito de eius authoritate; dubius verò de il-
1. Cōfirm. la, non possum certò illi assentiri. Confirmatur primò: demus, me opinari Conciliū aliquod esse Conciliabulum, vt re ipsa aliqua fuerunt: quia illegitimè congregata. Hoc Concilium præfigat suæ fronti definitionem de sui legitimitate: ego arbitrarer somnium illud esse, ab authore Dæmone.

Confirmatur secundò: quia, dum adhûc dubitamus de legitimitate alicuius veteris Concilij, illius definitionibus nullam fidem divinam facimus: nam idem dubium habemus de legitimitate ipsa, ac de definitionibus. Ratio à priori: quia, quamvis credimus omnes definitiones legitimi Concilij esse à Deo; adhùc incerti sumus, vtrùm hæc sit definitio legitimi Concilij? Vt possum esse dubius, vtrùm hoc individuum sit conceptum in peccato originali? quia sum dubius, vtrū sit homo? quamvis sum certus omnem hominem esse conceptum in peccato.

Vndè refellitur, quod aliqui dicunt, credendum esse fide divina, hunc hominem esse Papam, quando aliquid definit, aut aliquem scribit in Sanctorum nomenclatura: §. 34.
quos impugno: quia antequàm mihi persuadeam certò, hunc esse Papam, parui facio eius definitiones. Nam illarum veritatem cognosco, ex legitimo eius Pontificatu, cui adsistit Spiritus sanctus; si autē dubius sum de hac assistentia, non possum esse certus, ex illa derivari veritatem infallibilem in definitionē. Si verò certus sum de eius Papatu, non est opus, illum credere ex revelatione sequenti, cùm iam supponatur creditus. Demus, ab Antipapa aliquid definiri, aut canonizari aliquē: quis non irrideret eā actionem? quia cognoscitur non esse in eo humine authoritatem infallibilem. Ergo eadem ratione, dum sum dubius de eius Pontificatu, non possum certò assentiri eius definitioni. Igitur, ad credendam fide divina definitionem Papæ, opus est, aliunde cognoscere certò, illum esse Papam.

Ad argumentum ex §. 29. nego antecedens: est enim moraliter certum, maiorem §. 35. Ad arg.
partem Episcoporum Ecclesiæ externè servantis fidem catholicam, esse catholicam. Idem dixerim de maiori parte Episcoporū coacta in Concilium: sicut est idem moraliter certum, de maiori subditorum parte. Nam vbi fides externè viget, est moraliter impossibile, maiorem partem esse hæreticam. Hæresis enim infrigidat externas actiones fidei, quas cùm detestentur hæretici, non possunt illas seriò & crebrò exercere. Ebulliunt passim depravati animi sensus. Episcopi autem non possent se cohibere: neque hæreticorum mores tàm sunt pacifici, vt possint delitescere. Nihil enim meditantur, nisi perduelliones, rebelliones, tumultus, seditiones. Vnus aut alter poterit simulare fidem; tot capita non possunt. Etenim crebrò tentarent vada & pectora vicinorū: se mutuò cognoscerent, (vt vulgò fertur de latronibus) & agmine facto, irruerēt in sacras ceremonias, quas oderunt. Neq; verò quis prudēter potest revocare

S.Tho.q. 1.Art. 1. care in dubium fidem tot hominum pro sit dimicantium. Ostendam autem disput. 37. hunc hominem esse Papam, debere credi fide divina: vbi ostendam, qua ratione superari debeant difficultates, quibus id impugnatur.

SECTIO IIII.

Vtrùm revelatio universalis sufficiat ad credenda singularia probabiliter cognita?

§. 36. HÆC difficultas non est levis, in qua occurrunt hi casus: primus, vtrùm aliquis possit credere fide divina, se esse in gratiâ? Secundus, vtrùm id possit credere de alio? Tertius, an quòd Christus sit in hac hostia consecrata? Quartus, an quòd infans ab alio baptizatus sit in gratiâ? Difficultas est: quia fides tantùm videtur requirere applicationem prudentem revelationis divinæ; sed prudenter potest applicari revelatio divina in his casibus: ergo possunt credi fide divina. Maior patet: quia dum est obiectum prudentiæ, est obiectum ad terminandum actum supernaturalem: cur ergò ille actus prudentiæ non poterit movere voluntatem, vt imperet actum fidei. Supponimus enim tunc esse revelationem; applicatio autem prudens videtur sufficere: ergo. Minor primi syllogismi probatur: nam homo potest à conscientia sua habere prudens testimonium: est enim certus, vitam priùs profundere, quàm Deum graviter offendere. Est item certus, se acerbè deplorasse anteacta vitæ flagitia. Fide etiam credit, Deum præsto esse suis auxilijs, & ab illo neminem privari sufficientibus. Vndè valde prudenter concludit, se exercere actus supernaturales pœnitentiæ & amoris Dei: è quibus eâdem prudentia concludit, se esse in gratiâ Dei. Idem patet in sanctitate aliorum, quos videt quàm diligentissimos, in observanda lege Dei: vt si quis vitam ageret cum Sancto Dominico, Francisco, Ignatio & Xaviero; an non concluderet prudentissimè, illos esse amicos Dei. Idem patet, si quis videat sacrum fieri ab vno ex his Sanctis, aut infantem baptizari.

§. 37. 1. Conclus. Dico primò: sine speciali revelatione, nullus potest credere fide divina, se esse in gratiâ Dei. Præmitto, Calvinum & alios sectarios delirasse, nullum posse iustificari, neque absolvi à peccatis; nisi certò, & absque vlla dubitatione credat, se esse absolutum, & iustificatum. Quem errorem damnat Ecclesia sess. 6. Tridentina, cap. 9. Inter Catholicos autem fuit controversia, vtrùm posset aliquis, citra revelationem particularem; credere fide divina infallibili, se esse in gratiâ? Nonnulli opinati id non posse; è contrà alij reclamârunt, etiam in ipso Concilio, inter quos fuit Ambrosius Catharinus. Hi dissimili innixi scipioni: non enim arbitrabantur, hominem iustificari illa sola fide; (nam de hoc nulla vnquàm fuit controversia Catholicis cum Catholicis; sed cum hæreticis.) Censebant autem posse aliquem tamdiù piè vivere, vt certò arbitraretur se esse in gratiâ Dei. Vtrosque arbitror damnatos Tridenti, cum discrimine: quòd Catholicis est damnata doctrina, non persona; hæretici autem anathema patiuntur cum doctrina. Trident. Catharin.

§. 38. Probo igitur conclusionem: primò, ex sess. 6. Tridentina, cap. 9. his verbis: *nam sicut nemo pius de Dei misericordia, de Christi merito, deque Sacramentorũ virtute, & efficacia dubitare debet: sic quilibet, dum se ipsum, suamque propriam infirmitatem & indispositionem respicit, de sua gratiâ formidare & timere potest, cùm nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consequutum.* Vndè argumentor: omnis fides divina habet certitudinem, cui non potest subesse falsum; sive sit fides privata, sive catholica (vt dicam disput. 14.) sed absque speciali revelatione, nulla potest esse fides tàm certa, cui non possit subesse falsum: ergo non potest esse fides divina de propria iustificatione. Adverte hac definitione Concilij perstrictam sententiam Catharini: nam hæc propositio non solùm agit de hæretico inani fide præsumente, se esse iustum; (hic enim anathemate est vsus, initio capitis; cuius argumentum est præcipuè contra inanem hæreticorum fiduciam, vt patet ex titulo capitis) verùm agit de quovis etiam pio: vt enim nemo pius potest dubitare de misericordia Dei; ita nemo pius potest omnino ita esse securus, vt non possit dubitare, propter propriam infirmitatem & indispositionem. Hæc verò ratio communis est viris, etiam sanctissimis, ob quam asserit Concilium, quemlibet, quamtumvis iustum, posse dubitare de sua iustitia: ergo non solùm egit Conciliũ contra inanem hæreticorum fiduciam; sed etiam contra Catholicorũ sententiam. Probo consequentiam: quia Concilium non solùm excludit illam inanitatem fidei, quæ est propria hæreticorum, & nequaquàm Catholicis communis; sed rationem petit à propria

propria indispositione & infirmitate, quā etiàm pij in se recognoscunt. Cùm ergò Concilium doctrinam extendat etiàm ad viros pios, (de quibus senserant Catholici posse esse certam fidem) proculdubiò omnium sententias damnavit. Immò, cùm priùs Concilium damnâsset errorem hæreticorum, rationem sumit ab his, quæ etiàm iustis contingunt. Vndè conficitur hoc argumentum à maiori ad minus: iusti, qui diū piè viuunt, non possunt, propter suam infirmitatem & indispositionem, certitudine infallibili credere, se esse in gratiâ Dei: ergo hæretici impiè viuentes minùs id possunt credere. Neque verò invsitatum est Concilijs, obiter damnare doctrinam aliquorum Catholicorum, quando opus est, inde argumentum sumere, ad damnationem hæreticorum. Vt patet in eadem sessione sexta, cap. septimo, & can. 11. vbi definitur contra Petrum Lombardum Magistrum sententiarum, gratiam iustificantem esse inhærentem: quia ita expediebat, ad damnandas præsentes hæreses de imputatione iustitiæ Dei, & Christi.

§. 39. 2. Probat. Conclus. Secundò probatur ratione insinuata à Concilio: quia vnusquisque habet sufficiens fundamentum formidinis, in propria infirmitate & indispositione; sed vbi potest esse formido prudens, non potest esse fides divina: ergo. Maior patet: tum ex verbis Concilij; tum etiàm: quia actus bonus, præsertim supernaturalis, pendet à tàm multis circumstantijs, vt nullus possit prudenter esse omninò securus, se exercuisse actum bonum. Nam sæpissimè fallimur vitiantes actus, tum ex prava intentione, tum ex circumstantijs indebitis: idque tàm frequenter contingit, vt nihil frequentius sancti viri timeant, suosque hortentur, quàm, vt lynceis oculis se conspiciant, ac millies circumspectent, qua ratione se gerant in exercitio virtutum. Minor autem patet: quia fides divina non est compossibilis cum formidine: est enim omninò certa, & tendit in obiectum vt credibile super omnia. Ostendam enim disputatione 14. à sectione quarta, fidem pendere ab evidentia credibilitatis, quæ dependet ab applicatione moraliter infallibili. Itaque actus fidei pendet à credulitate expellente, cum fundamento moraliter evidenti, omnem formidinem ab intellectu & voluntate. Quo differt à scientia naturali composibili cum opinione, sine formidine actuali: cum qua tamen opinione potest esse formido actualis. Fides namque actualis non solùm expellit actualem formidinem; sed etiàm pendet à voluntate, non solum prudenti; sed etiàm orta ex evidentia morali. De quo agendum latè disput. 14.

§. 40. Obiectio. Cathar. Obijcit Catharinus primò, Deum fore admodùm rigidum, si à nobis exigeret, quod non possumus præstare, nisi valdè ægrè: secundò, nullum posse, absque peccato, accedere ad Eucharistiam: quia nescit, vtrùm sit in gratiâ. Resp. Ad primum, nego rigorem: quæ enim difficilia sunt, possunt à nobis cum divina gratiâ præstari, etiàm si non possimus ea certò & infallibiliter scire. Nam illorum exercitium non pendet ab eorumdem visione, quæ est naturâ illis posterior. Ad secundum, nego antecedens: sufficit enim cognoscere probabiliter, se fecisse, quod in se est; neque se, data operâ, aut malitiosè, aliquid omisisse ex necessarijs ad cœnam Eucharisticam. Hoc tamen non obest, quin possit quisque formidare; vitatur autem peccatum, cum scientia illa probabili atque prudenti. Et quidem hæc argumenta probarent, singulos iustos cognoscere certò & infallibiliter, se esse in gratiâ: nam à singulis exiguntur bona opera sine illo rigore; item singuli peccarent. Hoc autem nusquàm Catharino venit in mentem. Vide Vegam lib. 9. à cap. 6. & Patrē Vazquez tom. 2. in 1. 2. disputat. 201. à cap. 5. Hac de re sermo recidet, disp. 14. §. 53. Vega. P. Vazq.

§. 41. Sotus. Ruard. Addo contra Sotum, Ruardum, & Vegam, lib. 9. cap. 46. nullum iustum, absque speciali revelatione, posse habere fidem moraliter certam de sua iustificatione. Quamvis enim hoc non sit definitum in Concilio; tamen satis efficaciter probatur. Quia, quóties habemus fidem humanam moraliter certam & infallibilem, habemus etiàm fidem divinam de revelatione existente circa illud obiectum, vt ostendi sectione tertia. Nā tunc existit revelatio de iustitia huius hominis: quia pono illū esse iustum, & retinuisse baptismalem innocentiam, ac esse vnum ex ijs, de quibus existit revelatio vniversalis, illos esse amicos Dei: iam ergo est obiectum formale fidei. Item est illius sufficiens applicatio: ergo creditur fide divina. Probatur minor; quia in multis alijs rebus, non requiritur maior applicatio, quàm per fidem moraliter certam. Confirmatur: qui habet eam fidem, non potest prudenter dubitare de sua iustitia; sed Concilium dicit posse quemlibet iustum dubitare: ergo. Probo minorem ex §. 24. vbi ostendi evidentiam moralem esse, quæ tàm benè extorquet prudentem assensum, ac si esset physica. Quis enim vnquàm dubi- Confirmat.

S.Tho.q. 1.Art. 1. dubitat, Concilium coactum Tridentum, historiam Cæsarum esse Suetonij? Adde ab his authoribus censeri, tàm esse certum alicui iusto, se esse in gratia, quàm esse Romam; sed de hoc nullus, nisi insanus, dubitare potest: ergo neque ille de sua iustitia. Quid ergò illi deest, vt credat fide divina? Vndè reijcio, quod aliqui dicunt, fidem moraliter certam sufficere, ad credendum Concilijs: quia eo fine revelatur illorum authoritas, vt credatur huic & illi generali; secùs in revelatione de propria iustificatione. Contrà enim arguo: quia, vel fides moraliter certa est absolutè sufficiens dispositio; vel non? Si non est; neutrobique sufficiet; si autē est, sufficiet vtrobique. Nam intentio revelantis est per accidens, nisi adhibeat conditiones ex se sufficientes. Item, omnis revelatio fit ex intentione, vt credatur, si sufficienter applicetur; secùs, si non applicetur: considerandа ergò est applicatio per se sufficiens.

§. 41. *Alia Obiectio. Refell.* Dicent, illi fidei moraliter certæ posse subesse falsum; non tamen divinæ. Contrà: etiam fidei humanæ (à qua, vt à conditione, pendet assensus fidei divinæ) potest subesse falsum; & tamen est sufficiens dispositio ad assensum fidei divinæ: ergo etiàm in præsenti. *Animad.* Adverte, instum posse habere fidem humanam de hoc obiecto: ***ego feci quantum in me est, cum gratia Dei***, de quo obiecto nihil est revelatum. Posita autem hac fide moraliter certa, occurrit revelatio vniversalis, ob quam credimus fide divina; ***facienti quod in se est cum divina gratia, Deus non denegat gratiam***, & videt se tunc illa definitione comprehendi. Vt cùm cognoscit evidenter moraliter hoc individuum esse hominem, & apprehendit revelationem vniversalem de omni homine concepto in peccato, & videt hoc individuum illâ contineri. Hoc casu, iam ostendi fide divina credi, hoc individuum esse conceptum in peccato: quia de illo, & est revelatio, & sufficiens revelationis applicatio; sed in casu, de quo disputamus, est revelatio de iustitia huius hominis facientis quod in se est cum divina gratia, & est sufficiens applicatio: ergo tàm creditur fide divina iustitia huius hominis, quàm conceptio in peccato originali. *P. Vazq.* Vide Patrē Vazquez ea disputatione 201. capite octavo. At fine revelatione, nō est sufficiēs fides humana moraliter certa de propria iustitia, vt dixi §. 40.

§. 42. *2. Conclus.* Dico secundò: non possumus scire fide divina, sine speciali revelatione, alium adultum, aut infantem baptizatum ab alio esse in gratia. Hæc conclusio non est tàm certa, quàm præcedens. Concilium enim non egit de iustificatione alterius, sed de propria; ratio tamē reddita à Concilio est eadem. Nam omnes homines, quàntumvis iusti, habent propriam indispositionem & infirmitatem; sed hæc, ex mente Concilij, impedit mihi certitudinem infallibilem de propria iustificatione: (vt patet ex eodem Concilio) ergo & de aliena. Patet consequentia: quia, vbi est idem fundamentum timendi; est etiàm idem impedimentum certitudinis fidei; immò multo certior possum ego esse de mea iustificatione, quàm de aliena. Alienam enim tantum ego conijcio ex operibus externis; propriam autem cognosco ex actibus meis internis, quos video evidenter non esse malos, data operâ, & quasi ex instituto. Neque verò ego operor tūc ex malitia, timeo autē, ne illis aliquid desit, ex infirmitate, indispositione, & ignorantia culpata, aut inculpata: cæteros verò non ita conspicio; sed ex operibus odoror; opera autem externa magis sunt exposita dolo, quàm interna. Ecquis non possit prudenter timere de sanctitate huius hominis, cùm audierit multos alios in exterioribus huic similes, fuisse pseudoiustos? Neque hòc illis irrogatur iniuria, aut aliquis contra humilitatem agit. Poterit enim quis prudenter sentire, illos non esse tàm inertes, quàm ipse est; at verò omnino esse certus nemo potest, sine revelatione aut miraculo id confirmāte. Concludo ergò, esse locum formidini; quamvis actu non formidemus.

§. 43. *3. Conclus.* Dico tertio: non possumus credere fide divina, absque speciali revelatione, Christū esse in hac hostia. Hæc conclusio docetur à Patre Vazquez tomo secundo in 1. 2. disputatione 201. numero 49. & 50. *P. Vazq.* Patre Suarez tomo tertio in tertiā partē disputatione 65. sectione secunda: *P. Suar.* & colligitur ex Caietano 1. 2. quæstione 171. articulo quinto §. ***ad obiecta contra primam***: *Caietan.* vbi docet non esse propositionem de fide, quæ non potest in singulari cognosci ex solis principijs fidei. Neque arbitror oppsitam esse alicuius auctoris; nisi Catherini, quem non leviter reprehēdit P. Vazquez. *P. Vazq.* Probatur evidenter: quia, ***hanc hostiam esse ritè consecratam***, non est evidenter credibile: ergo de illa non potest esse fides divina. Consequentiam probabo disp. 14. vbi ostendā non posse esse actū fidei divinæ, sine evidēti credibilitate. Antecedēs probo: quia signa cōsecrationis

non

non sunt tàm clara, quin aliquis possit de illa formidare: nam quivis prudens poterit apud se dicere: *fortè hic non est legitimus Sacerdos; aut non habuit intentionem consecrandi*. Confirmatur: sæpè contigit pseudosacerdotes simulasse sacra facere, quos Quæsitores fidei punierunt. Item sæpè contingit, ob aliquem defectum, non consecrari panem, aut vinum: ergo, cùm eædem circũstantiæ semper occurrant, poterit esse eadem formido.

Cõfirmat.

§. 44. 1. Obiectio

Dices primò, sæpè contigisse Parochum, aut Episcopum decipi, in proponendis articulis fidei; & tamen, quando illos verè proponunt, illos credimus fide divina. Respondeo, non credi à nobis fide divina, nisi quando prudenter cognoscimus propositionem Parochi, aut Episcopi, esse communem in toto regno Catholico, in quo hæretici non sunt impunes. Vndè non ex sola authoritate vnius Parochi, aut Episcopi; sed totius regni Catholici, sumitur evidens credibilitas. At verò, in nostro casu, ex sola voluntate vnius hominis pendet credibilitas: quæ propterea non est evidens, id est, non est tàm efficax, vt non det portam suspicioni.

Respondet.

§. 45. 2. Obiectio

Obijcis secundò: ergo non possumus adorare hostiam absolutè; sed sub conditione, si est ritè consecrata. Patet consequentia: quia exponimur periculo idololatriæ. Nego consequentiam: ad probationem respondeo, nos non exponi periculo idololatriæ, quæ defert cultum divinitati fictæ, & non veræ: item movetur imprudenter ad opinandum esse divinitatem, vbi non est: vt Ethnici censebant imagines Deorum repræsentasse veram divinitatem. At, in nostro casu, cultus fertur in veram divinitatem, cui vnitum est corpus Christi: Item prudenter movemur ad opinandum illud corpus hac hostiâ contineri: vndè non movemur imprudenter; sed prudenter. Dixi autem, in disputationibus de peccatis, sufficere iudicium prudens ad honestandum actum. Mitto aliorum solutiones: quia hæc doctrina hic præstingi debet; non extendi.

Resp.

§. 46. 3. Obiectio

Obijcis tertiò, hinc sequi non exerceri actum supernaturalem adorationis Christi: nam voluntas supernaturalis per se pendet à cognitione supernaturali; hæc autem nulla est circa existentiam Christi in hac hostia: ergo neque voluntas supernaturalis. Probo minorem: quia hic actus: *Christus est in hac hostia*, quamvis est prudens; tamen aliquando est falsus, neque potest esse supernaturalis: aliquando verò est verus; est tamen humanus. Respondeo, censeri à nonnullis voluntatem supernaturalem oriri posse à iudicio naturali prudenti, quamvis falso. Deinde, admissa necessitate cognitionis supernaturalis, posse exerceri multos affectus supernaturales: nam circa adorationem corporis Christi, non potest præcedere actus falsus. Fide enim divina creditur, illud corpus esse adorandum, in quod fertur cultus Eucharistiæ, saltem partialiter. Deinde potest adorari cum hac hostia, actu interno conditionato, & non absoluto: verbigratiâ, *ego volo exercere hunc cultum, quem dirigo in hoc Sacramentum, si verè est Sacramentum; si autem non est Sacramentum, dirigo in solum Christum*. Hic actus non pendet ab aliquo iudicio falso; sed à duobus supernaturalibus: altero fidei, quo credimus Christum adorandum in Eucharistia, quando ibi est; altero prudentiæ supernaturalis, qua censemus prudenter debere credi, Christum esse in illa hostia. Tertiò possunt exerceri actus absoluti, directi per cognitiones supernaturales: prima est fidei, & vniversalis, qua credimus adorandum esse Sacramentũ Eucharistiæ; secunda, qua nobis prudenter persuademus, oportere credere fide humana prudenti, hoc esse verum Sacramentum: ita vt efformetur hic syllogismus: *adorandum est Sacramentum, quoties prudenter creditur adesse; sed prudenter credimus hoc esse Sacramentum: ergo est adorandum*. Totus hic syllogismus est verus, & potest esse à principijs supernaturalibus. Vndè concludo, posse exerceri latriam supernaturalem in illius cultu. Vide disp. 14. §. 54.

Respondet.

§. 47. 4. Conclus. Probat.

Dico quartò: non possumus credere fide divina, absque speciali revelatione, infantem baptizatũ ab alio esse in gratiâ. Probatur ijsdem rationibus: quia non habeo evidentẽ credibilitatem de intentione baptizantis; sed possum de illa dubitare, aut formidare. Confirmatur: potest aliquis credere quidquid Deus revelavit de baptismo, absque vlla formidine, & dubitare de baptismo huius infantis: ergo non credit fide divina hunc baptismum. Probo consequentiam: quia fides divina non potest componi cum dubio aut formidine. Antecedens probo: quia dubium aut formido de hoc baptismo, non oritur ex dubio aut formidine de revelationis existentia aut veritate; sed oritur ex parte subiecti: an videlicet sint hinc omnia requisita ad legitimum baptismum? Quamvis enim Deus revelaverit hunc infantem esse in gratiâ: quia re ipsa est baptizatus, & cõtinetur in propositione vniversali; tamen mihi non constat sufficienter de illa revelatione; quia

Confirmat.

S. Tho. q. 1. Art. 1. quia mihi non constat, illum esse partem subiecti, de quo Deus revelavit legitimum baptismum.

§. 84. *Ad arg.* Ad argumentum ex §. 36. nego maiorem: quia fides dependet ab applicatione prudenti evidenti moraliter; non verò à quacumque prudentia. Nego item minorem: quia nulla est ibi evidentia moralis. Ad probationem maioris, distinguo antecedens: vbi est prudentia, est principium actus voluntatis supernaturalis, cōcedo antecedens; est principium ad assensum fidei supernaturalis, nego antecedens: quia assensus prudens est compossibilis cum formidine, secùs assensus fidei infusæ. Ad probationem minoris respondeo, posse aliquem formare prudentem assensum naturalem, se esse in gratia; non tamen fidei: quia non scit infallibiliter, suos actus esse vndequaque bonos. Idem dixerim de sanctitate aliorum: formatur enim prudentissimum iudicium, illos esse in gratia; non tamen certum & infallibile, dum illorum sanctitas non ostenditur aliquo principio supernaturali.

DISPVTAT. XII.

Vtrùm ex altera præmissa fidei, & altera naturali evidendenti inferatur assensus Fidei?

§. 1. HÆC quæstio est de assensu Theologico, vtrùm spectat ad fidem; an verò ad aliam facultatem, quæ vocatur Theologica? Exempli gratiâ; hæc conclusio: ***Christus est risibilis***, deducitur ex hoc principio naturali: ***omnis homo est risibilis***, & ex hoc fidei: ***Christus est homo***; ex quibus evidenter infertur: ***ergo Christus est risibilis***. Quæro igitur, vtrùm conclusio huius syllogismi sit fidei; an verò Theologiæ distinctæ à fide?

§. 2. Adverte primò, illam propositionem vniversalem dici evidentem: quia adæquatè terminatur ad omnem hominem carentem divinitate, aut alio principio supernaturali: nam actus Methaphysici evidentes non habent pro obiecto aliquid supernaturale; sed naturale. Homo includit duos conceptus: alterum suppositi; alterum naturæ. Suppositum non est principium influens in potentias & actiones naturæ; sed tantùm est illius complementum. Quando ergo dicitur: ***omnis homo est risibilis***, reddit hunc sensum: omnis humanitas est principium per se ridendi: ita, vt principium per se & *quo* sit natura; persona autem vt *quod*, ratione naturæ. Vndè defectus huius propositionis vniversalis: ***omnis humanitas in supposito est risibilis***, suppletur per hanc minorem: ***Christus habet humanitatem***: vndè infertur evidenter conclusio.

§. 3. Adverte secundò, quæ dixi disput. 10. §. 39. obiectum Metaphysicæ posse per fidem attingi; non ex indigentia obiecti fidei: quia hoc ita disponitur, vt, absque ope alius obiecti, possit inferre suam conclusionem; attingitur autem aliud, per coniunctionem alterius habitus. Ibidem dixi, assensum ita deductum esse fidei, & Metaphysicæ: id est, habere supernaturalitatem certitudinemque fidei, & evidentiam Metaphysicæ. De hoc non est quæstio; sed de assensu ita deducto ex principijs fidei, vt ex illis solis non possit inferri, absque ope Metaphysicæ: quia obiectum conclusionis nullo actu potest inferri, nisi dependente ab obiecto Metaphysicæ: vt patet in risu Christi, qui non potest inferri per Physicam, ex hoc principio evidenti: ***omnis homo est risibilis***: quia Physica non attingit Deum hominem; neque potest inferri ex hoc principio fidei: ***Deus est homo***: quia de risu hominis nihil revelavit Deus. Pendet ergò illa conclusio obiectiva ab obiecto fidei partialiter: item ab obiecto Metaphysicæ partialiter, ab vtroque autem adæquatè.

SECTIO I.

Negantium pars.

§. 4. *Conclus.* OPINANTVR multi (cū quibus & ego) illum assensum neque esse fidei, neque Philosophiæ; sed Theologiæ, quæ distinguitur essentialiter ab vtrâque. *S. Thomas* S. Thomas in Prologo sentent. art. 3. quæstiuncula 2. distinguit habitum fidei à Theologia: hanc vocat acquisitam; illum autem infusum. Quem sequitur *Caietan.* Caietanus 1. part. quæst. 1. art. 2. §. ***ad quartum***: *Capreol.* Capreolus, & omnes Thomistæ: *Gregor.* Gregorius in Prologo, quæst. 2. art. 2. contra Aureolum; præcipue autem *Canus.* articulo 4. cōclus. 4. Canus 12. de locis, cap. 7. præceptione 8. ad hanc doctrinam regreditur, oppositam, quam docuerat, explicans,

P. Valent. P. Molin. P. Suarez. Okam. Maiorem.

cans, & decantās. Patres Valentia, Molina, & alij adducti disp. 10. §. 14. & P. Suarez disp. 13. sect. 11. num. 7. pro hac sententia refert, & sequitur Ochamū, Grabrielē Maiorem, & complures alios.

§. 5. 1. Probat.

Probatur primò: conclusio Theologica pendet naturâ sua partialiter ab obiecto fidei: item partialiter ab obiecto Philosophiæ: ita vt illa conclusio obiectiva necessariò pendeat ab obiecto formali fidei, & Philosophiæ; adequatè autem pendet ab vtroque: vt de hac propositione: *Christus est risibilis*, dixi §. 3. ergo illa conclusio neque est fidei, neque Philosophiæ. Patet consequentia: quia conclusio obiectiva fidei, non indiget obiecto formali distincto ab obiecto formali fidei: idem dixerim de Philosophia. Nam, quoties aliqua conclusio obiectiva pendet, ad rectam illationem sui, ab obiecto formali distincto ab obiecto fidei; jam extrahitur à fide: quia neque fides, neque alius habitus attingit obiectū aliquod formale distinctum ab obiecto formali adæquato suo. Conclusio autem deducta ex illo novo obiecto formali, spectat ad habitum, ad quem totum obiectum formale; sed totum obiectum formale non est fidei: ergo neque illa conclusio est fidei.

§. 6. 1. Obiectio.

Dices primò, conclusionem illam obiectivam pertinere ad fidē, & ad Metaphysicam simul: quia pendet ab vtriusque formali obiecto: vnde neque est fidei solius, neque Metaphysicæ solius; sed vtriusque.

Refell. 1.

Contrà primò: si ille actus esset Metaphysicæ, esset evidens, aut probabilis, aut falsus: omnes enim actus Metaphysicæ tales sunt; sed neque est evidens, neque falsus, neque probabilis: ergo non est Metaphysicæ. Item, si esset fidei, esset tàm certus, vt nullo modo negari posset absque peccato: quod esse falsum, infrà patebit: ergo non est fidei. Contrà secundò: fides non attingit conclusionem obiectivam, nisi ostendendo extremitatum connexionem cum medio fidei, tàm efficaciter, vt, illa ostensa, non posit negari conclusio; sed cōclusio Theologica non ostenditur connecti cum medio fidei, tàm efficaciter, vt non posit negari, concesso etiàm omni obiecto formali fidei: ergo illa conclusio nō est fidei. Minor cōstat ex §. 3. nam, admissa tota revelatione Dei, & toto obiecto revelato, adhuc, ad connexionem extremitatum ostendendam in conclusione, egetur alio obiecto formali peregrino à fide. Maior probatur: tū quia omnis habitus certus ita disponit suum obiectum formale, vt ex sola vi illius ostendatur conclusio; immò & habitus probabiles sufficienter disponūt sua media, ad illationem conclusionis probabilis. Itaque omnis habitus certus, clarus, aut probabilis, habet consequentiam evidentem, quamvis consequens sit obscurū; illorum autem discrimen non est in illatione: hæc enim in omnibus est evidens; est autem discrimen in præmisis & consequenti. Nam, in syllogismo probabili, aliqua præmissa est probabilis, & propter illam cōsequens etiàm probabile; in fide autem obscurum, propter obscuritatem alterius præmissæ: consequētia verò in omnibus est evidens. Vnde concludo, nullum habitum venire ad conclusionem, nisi per extremitatum connexionem cum medio. In fide clarè patet: quia vtitur hoc syllogismo: *omne quod Deus dicit, est; sed dicit mortem Christi: ergo mors Christi est.* Itaque ex his præmisis infert immediatam conclusionem; mediatas verò ex solis mysterijs revelatis. Vt ergò fides moveatur, ab his obiectis moveri debet; non verò à peregrinis.

Syllogism. Fidei.

§. 7. Confirmat.

Confirmatur: fides non potest moveri ad conclusionem, nisi ex obiecto formali per se credendi: cætera autem non movent fidem; sed conclusio Theologica deducitur ex aliquo principio non spectante ad credendum: ergo illa conclusio non attingitur à fide. Minor patet: quia ad credendū per se requiruntur auctoritas & testimonium; cætera verò sunt invtilia, vt dixi disp. 6. At verò, præter authoritatem & testimoniū Dei, dependet conclusio Theologica à principio Philosophico: ergo depēdet ab aliquo principio non spectante ad credendum. Nihil est frequentius, in disputationibus de virtutibus & vitijs, quàm virtutē & vitium mutari pro quacumque mutatione obiecti formalis.

§. 8. 2. Obiectio.

Dices secundò, posse fidem concurrere per suum obiectum formale adæquatum ad conclusionem, simul cum Metaphysica cū eius obiecto formali adæquato: ita vt alterutrius obiectum formale esset sufficiens ad illam conclusionem obiectivam: vt patet ex disp. 10. §. 39. ergo etiàm fides concurrens inadæquatè per suum obiectum formale, poterit attingere conclusionem Theologicam. Nego consequentiam: quia, in casu antecedentis, ita concurrit fides vt per solam dispositionem sui medij inferat conclusionem obiectivam; adeò, vt hæc non posit negari, admisis fidei præmisis: vbi servat totum suum modum disponendi obiectum formale. Hoc autem deficit, in casu cōsequētis: vnde malè arguitur ab obiecto formali sufficienter & adæquatè disposito, ad idē dispositum insufficienter & inadæquatè.

Respond.

Interrog.

Rogas, cur ad conclusionem formalē posit cōcurrere fides partialiter cum Metaphysica, vt principium efficiens partiale

S.Tho.q. 1. Art. 1. tiale, & non possit concurrere ad conclusionem Theologicam per obiectum suum partialiter? Respondeo, illum influxum activum à me adhùc non admissum; sed permissum adversarijs disp. 10. §. 39. Discrimen autem est: quia, quoties coniunguntur duo principia activa diversarum rationum, coniungunt suas vires, ad producendum effectum dissimilem ei, quem producerent singula: vt patet in congressu duorum animalium diversarum specierum. Ita contingeret in illo casu: quia fides, per dispositionem sui medij, impellitur necessariò ad hanc conclusionem obiectivam: *Deus est*, ad quã etiã impellitur necessariò Metaphysica, per solum suũ obiectum formale. Cùm igitur vnaquæq; necessitatem habeat producendi cõclusionem formalem circa illam obiectivam, quãdo coniunguntur, producunt conclusionem formalem distinctam specie ab ea, quã singulæ producerent: vt Leopardus est distinctus specie à Leæna & Pardo. At verò, quando obiectum formale adæquatum fidei nõ disponitur satis benè, hæc non potest ire ad conclusionem obiectivam: quia illi deest dispositio sui medij, à qua necessariò pendet.

Resp.

§. 9. **3. Obiectio** Dices tertiò, conclusionem Theologicã dupliciter posse considerari: primò, vt deductam ex præmissis: altera fidei; & altera naturali: secundò, non vt deductam; sed vt explicatam. Quia, vt illi assentiamur, indigemus sufficienti terminorum explicatione: quam explicationem captamus ex principijs naturalibus; eam autem explicationẽ adepti, vtimur fide ad assentiendum conclusioni Theologicæ. Qui hoc dicunt, voluerunt explicare doctrinam à me traditam disp. 11. à §. 11. vbi ostendi, posse credi fide divina has propositiones: *Christus est animal rationale, Petrus est conceptus in peccato*: quia, si quidditativè apprehendantur hæ propositiones revelatæ: *Christus est homo, omnis homo est conceptus in peccato*, apertè cognoscitur, ibi revelari Christum esse animal rationale, & Petrum in peccato conceptum. Voluerunt (inquam) id ij explicare; sed non explicârunt. At verò illæmet propositiones possunt cognosci per Theologiam distinctam à fide, vt ibidem dixi, & ij explicãt hac voce, *vt deducta*. Constanter tamen ibidem negavi, eas propositiones esse absolutè Theologicas: quia sunt absolutè de fide. At verò conclusio Theologica, de qua nunc disputo, neque vt explicata, neque vt deducta est fidei. Nam, quantumcumque explicentur revelatio & obiectum revelatum, nihil dicitur de risibilitate Christi. Dicitur autem de eius rationalitate: quia hæc est pars quidditativa humanitatis revelatæ de

Respond.

Christo, & eo ipso quòd revelatur humanitas, revelatur eius quidditas: vndè ad credendum rationalitatem esse in Christo, non est opus, nisi credere humanitatem quidditativè explicatam. Risibilitas autem est extra conceptum quidditativum hominis: & præter huius explicationem, est opus alio obiecto formali peregrino à fide: ergo quãtumvis explicentur quidditativè revelatio & revelatus homo, non cognoscetur ex vi solius revelationis risibilitas, sicut cognoscitur rationalitas.

Dices quartò, ad fidem spectare omnia, quæ sequũtur per se revelationem; sed risibilitas, & omnis conclusio Theologica sequitur per se revelationem: ergo spectat ad fidem. Probo minorem: quia humanitatem Christi sequitur per se risibilitas: ergo sequitur per se revelationem de humanitate. Distinguo maiorem: quod sequitur per se solam revelationem, spectat ad fidem, cõcedo maiorem; quod sequitur per se revelationem cum alio obiecto formali peregrino, spectat ad fidem, nego maiorem. Distinguo item minorem: risus Christi sequitur per se solam revelationem, nego minorem; sequitur per se illam cum alio obiecto peregrino, concedo minorem. Nego item consequentiam. Ad probationem minoris, distinguo antecedens: risus Christi sequitur physicè solam humanitatem Christi, concedo antecedens; sequitur intentionaliter, in mente credentis, ex sola humanitate Christi, nego antecedens. Sequitur enim cognitio risibilitatis Christi ex his duobus principijs: *omnis homo est risibilis; Christus est homo*. Nego item consequentiam: nam, sequi aliquid ex revelatione, est revelationẽ esse sufficiens principium, vt aliquid cognoscatur; sequi autem adæquatè, est in ipsa sola esse sufficiens principium, ad cognoscendum id, quod sequitur in conclusione. Quia igitur, præter revelationem, est necessarium aliud obiectum formale, ad inferendam conclusionem Theologicam; ideò hæc non sequitur per se solam revelationem. At verò risibilitas Christi sequitur per se adæquatè obiectum revelatum, quod est humanitas: sicut sequuntur multa alia accidentia, quæ non cognoscuntur per fidem. Ratio à priori: quia revelatio Dei non declarat consequutionem illam physicam risibilitatis ex humanitate. Vndè, licèt ipsa humanitas sit principium physicum adæquatum; tamen quia id non declaratur revelatione de humanitate; ideò revelatio de humanitate non est sufficiens principium ad cognoscendam risibilitatem.

§. 10. **4. Obiectio**

Resp.

Secundò argumentor: illud obiectum non spectat ad fidem, quo negato, nihil negatur

§. 11. **2. Probat.**

negatur spectans ad fidem, vt obiectum formale aut materiale; sed, negata conclusione Theologica, non negatur obiectũ aliquod formale aut materiale fidei: ergo conclusio Theologica non est obiectum fidei. Maior probatur: quia, si cum negatione alicuius obiecti retinetur omne obiectum fidei, tàm formale, quàm materiale: ergo obiectum illud negatum est extra totam collectionẽ obiecti fidei; alioquin non posset componi negatio illius obiecti cum omni obiecto fidei: quia non potest componi obiectum negatum cum sui negatione. Minor probatur: quia, Deo reuelante: *Christus est homo*, si quis dicat: *ego credo Christum esse hominem, & animal rationale*, affirmat omne, quod Deus de Christo reuelat, cognitum clarè & quidditatiuè. Nam, vt affirmetur omne quod Deus reuelat, non est opus, nisi illud reuelatum clarè & quidditatiuè cognoscere, illudq; affirmare. Quando enim aliquid dicimus, id præcisè dicimus, quod quidditatiuè significant voces; sed, affirmato homine cognito quidditatiuè, potest negari risibile de ipso homine: ergo, negata conclusione Theologica, nihil negatur obiecti formalis aut materialis fidei. Probo minorem: quia contingere potest, ab homine ignaro non penetrari risibilitatem omnis hominis: hic potest eam negare: quia dependet à noua demonstratione, quam potest aliquis ignorare.

§. 12. *Confirma.* Confirmatur: demus, ab homine cognosci hominem esse animal rationale, ibique sisti: quia Deus negat concursum, ad nouam demonstrationem de risibilitate hominis: iste potest credere fide diuina hanc propositionem: *Christus est homo*: quia conceptus hominis potest formari quidditatiuè absque conceptu de risibili; tunc autem, quid illi deesset credendum, ex ijs, quæ Deus reuelat? ergo obiectum adæquatum reuelationis fuit conceptus quidditatiuus hominis, extra quem est risibile. Et quidẽ, ad concipiendum quod aliquis dicit, sufficere conceptum quidditatiuum rei dictæ, quin concipiatur comprehensiuè, patet: tum, quia quidditas rei est res ipsa clarius explicata: ergo, ad cognoscendam rem, sufficit concipere eius quidditatem: tum etiàm quia, si egeremus comprehensione, vix crederemus aliquod obiectum: nullum enim comprehendimus in via. Ergo, quamvis negemus conceptus non quidditatiuos; non tamen propterea negatur id, quod reuelatur. Cùm ergo risibilitas non sit de conceptu quidditatiuo, sed comprehensiuo hominis, ad credendum hominem, non est opus, credere risibile.

§. 13. Dices primò, negato risibili, negari aliquod obiectum fidei; non proximum; sed remotum. Contrà: obiectum remotum fidei est, quod per solos articulos reuelatos potest cognosci: quia fides nullum habet obiectum, præter authoritatem Dei, reuelationem, reuelata, & quæ ex illis deducuntur; sed risibilitas non deducitur ex illis: ergo non est obiectum remotum fidei. Vnde patet discrimen inter hoc obiectum & alia fidei: quia, negato animali, aut rationali, negatur homo, absque vllo alio termino negato: ita vt non retineatur conceptus hominis, neque rei reuelatæ à Deo; si quis autem crederet Christum esse hominem, & non animal, iste non cognosceret *quid rei*; sed *quid vocis*. Cognoscens ergò quidditatiuè hominem, non potest negare animal: item cognoscens quidditatiuè omnem hominem conceptum in peccato, non potest negare Petrum in illo conceptum. At verò concipiens quidditatiuè hominem, potest negare risibile, si ei negetur concursus ad nouam demonstrationem: ergo non spectat risibile ad obiectum fidei; spectat autem rationale. *1. Obiectio. Refellit.*

§. 14. *2. Obiectio.* Dices secundò, negato risibili, negari etiàm hominem: ergo risibile spectat ad obiectum fidei. Probo antecedens: quia homo, sine risibili, est chymæra: ergo qui negat risibile, negat hominem. Probo antecedens: quia isti duo termini sunt repugnantes. Hoc argumentum est commune rebus sexcentis, de quibus non potest esse dubium: nam à parte rei, Angelus non potest discurrere; aut potest? Supponamus eum posse. Ex hac suppositione, Doctores affirmantes Angelum non posse discurrere, non agunt de Angelo, sed de chymæra: quia Angelus impotens discurrere, non est Angelus; sed chymæra: sicut homo impotens ridere. Idem dixerim in sententia opposita: nam, si Angelus non potest discurrere, qui dicunt illum posse, agunt de chymæra. Sic, qui dicunt hominem intelligere absque termino distincto ab actione, agunt de chymæra: quia talis homo non est posibilis. Item, qui cõstituunt in Deo iustitiam propriam, agunt de chymæra: quia Deus iustus propriè, est tàm chymæra, quàm Deus dolens; vel saltem in opposita sententia erit chymæra. Ad argumentum in forma, distinguo antecedens: negato risibili, negatur homo formaliter, & ex suis terminis, nego antecedens; negatur radicaliter, & ex alijs terminis, cõcedo antecedens: quia illud negans potest per Philosophica principia cõuinci ad negandum hominem, si negat risibile; non tamen per sola principia fidei, etiàm quidditatiuè cognita: & nego consequentiam. Ad probationem antecedentis, distin- *Resp.* *Ad arg.*

S.Tho.q. 1. Art. 1. distinguo antecedens: homo sine risibili, est chymæra à parte rei, concedo antecedens; chymæra in intellectu, nego antecedens, & consequentiam. Ad probationem antecedẽtis distinguo antecedens: *homo nõ risibilis*, sunt termini repugnantes à parte rei, concedo antecedens; sunt termini repugnantes in intellectu, nego antecedens.

§. 15. 3. Obiectio. Dices tertiò: termini, qui à parte rei sunt chymæra, sunt etiam chymæra in intellectu; sed, *homo nõ risibilis*, sunt à parte rei chymæra: ergo etiam in intellectu sunt chymæra. Resp. Nego maiorem. Discrimen est manifestum: primò, quia, quæ à parte rei repugnant, non repugnant in mente. Nam à parte rei repugnat homo præcisus à risibilitate: quia à parte rei non datur præcisio inter duos conceptus realiter eosdem; at verò in intellectu datur ea præcisio. Secundò à priori: quia intellectus attingit obiecta, non penetrando illorum quidditates & attributa: ex qua impenetratione oritur præcisio rationis; præcisio autem realis, est realis separatio vnius conceptus ab alio, quæ repugnat. Ita non repugnat in mente affirmatio de homine cum negatione de risibili: quia hæ oriuntur ex imperfecta cognitione quidditativa hominis. Vndè in mente non repugnant immediatè, nisi conceptus, ex quibus comprehendimus cõtradictionem in obiecto: vt ostendi disput. 10. de Anima. Conceptus autem non affirmantes duas contradictorias, quales affirmant: *est homo, non est homo*; aut conceptus, ex quibus non videntur sequi contradictoriæ, non repugnãt in mente. Vndè, *homo & non risibile*, non repugnant in mente: quia non sunt formaliter contradictoria; neque necesse est videre contradictionem ex illis sequi. At verò à parte rei negatio vnius esset realis separatio, quæ non potest esse inter duas formalitates realiter easdem.

§. 16. Hinc colliges, non benè deduci, obiectum esse tàm chymæram in intellectu, quã esset à parte rei. Nam à parte rei, si non esset radix risibilitatis (hanc voco *risibile*) non esset à parte rei homo: itaque nullus conceptus hominis existeret, nisi existeret risibile. At verò in intellectu existit aliquis conceptus hominis, non existente in ipso intellectu conceptu de risibili: nam, quando ego dico: *homo existit, & non est risibilis*, in mea mente existit humanitas, & non existit risibilitas. Quod confirmo à conceptu præcisivo: quia à parte rei non potest esse humanitas præcisa à risibilitate; & tamen in mea mente præscinditur. Nam à parte rei nihil existeret hominis, si esset præcisa risibilitas: quia cum illa destrueretur humanitas: ergo non est obiectum in intellectu chymæra, sicut est à parte rei. Ita, qui credit Christum esse hominem, illi tribuit aliquem conceptum verum hominis: nam principium discurrendi, quod illi tribuit, verè est conceptus hominis: qui cõceptus habet à parte rei risibilitatem. Vndè illi non tribuitur aliqua chymæra: nam illi tribuitur homo, qui habet veram risibilitatem cognitam materialiter & confusè, quãvis negatam expressè: quæ negatio, ex parte obiecti, est chymera, essetque homo chymæricus, si in se haberet realiter illam negationem: quia verò illam non habet, non est homo chymæricus: nam subiectum, cui tribuitur illa chymæra, verus homo est; quamvis prædicatum est chymæra: quod oritur ex imperfecta cognitione obiecti. Idque passim contingit. Adi disputationum 69. vbi agetur de hoc argumento §. 16.

Ex his patet, conclusionem Theologicam, vt conclusio est, non pertinere ad fidem; sed Theologiam esse habitum distinctum. Adverte varietatem opinionum. Nonnulli aiunt, conclusione formali repeti totum syllogismum obiectivũ. In hac sententia, conclusio formalis Theologica pertinet ad tres habitus. Primùm, ad fidem: quia repetitur altera è præmissis obiectivis, quæ est fidei: secundò concurrit etiam Metaphysica, dum eius obiectum (quod erat altera præmissa obiectiva) repetitur: tertiò concurrit habitus Theologicus: quia cognoscitur conclusio obiectiva, quæ est distincta ab obiecto fidei & Metaphysicæ. Alij non admittunt habitum conclusionis distinctum à præmissis: hi dicent, Theologiam esse aggregatum ex fide & Metaphysica, vt imperfectè concurrunt ad conclusionem. Alij distinguunt habitum conclusionis ab habitu præmissarum: qui meliùs explanant rem hanc. Ego existimo, habitum Theologię non distingui à speciebus impressis repræsentantibus conclusionem obiectivam, vt distinguitur à præmissis. Vtrùm autem hic habitus sit naturalis, aut supernaturalis? non est huius loci: cùm enim reiectus sit à fide, non est de illo disputandum. §. 17.

SECTIO II.

Adversantium opinio.

VEGA 9. de gratiâ, cap. 39. §. *cùm igitur*, docet, propositionem deductam ex altera præmissa fidei, & altera evidenti, esse fidei: consentit Canus, lib. 6. §. 18. Vega. Canus.

lib. 6. cap. vltim. §. *sed id postremò*; quamvis inconstanter, vt constat ex §. 4. Subscribunt alij adducti disp. 10. §. 2. quibus adde
P. Vazq. §. 19. P. Vazquez 1. part. disp. 5. n. 6. & alios.
1. argum. Probant primò: quia multa sunt de fide, quæ non colliguntur, nisi ex vna præmissa de fide, & altera naturali evidenti; sed conclusio Theologica ita deducitur: ergo est fidei. Maiorem probant primò: quia Christum esse animal rationale, & constare corpore & animâ, est de fide; nec tamē cognoscitur, nisi ex præmissa naturali evidenti: ergo. Secundò: quia Petrum esse conceptū in peccato est de fide, & deducitur ex hac præmissa naturali: *Petrus est homo*. Tertiò: hūc infantem à me baptizatū esse in gratia, est mihi de fide; de cuius baptismo mihi cōstat, evidentiâ naturali. Quartò: quia peccator fide credit se esse inimicū Dei: quod colligit ex evidentia peccati. Quintò: fide creduntur canones Tridentini, de cuius legitima coactione constat, certitudine morali. Sextò: Christum habere duas voluntates, & intellectus duos, & operationes Theandricas, est fide sanctum; quod tamen nō colligitur, nisi ex hoc principio: *ōnis homo est animal rationale habens intellectum & voluntatem*. Hoc argumentum potuit quidem eos movere.

§. 20. Resp. Nego maiorem. Ad primā probationē patet ex disp. 10. §. 16. esse de fide, Christum esse animal rationale compositum ex corpore & animâ: quia sunt partes quidditativæ hominis; quidditas autem revelatur cum re ipsa. Iā verò ostendi disp. 11. à. §. 17. non esse necessarium syllogismum ad eum assensum fidei; sed tan'um apprehensionem quidditativam terminorum. Quòd si terminos non apprehendimus quidditativè, egemus syllogismo cōstante præmissâ naturali evidenti. Tunc autem conclusio obiectiva est de fide, quamvis conclusio formalis per accidens nō est fidei: vt dixi disp. 11. §. 12. Ad secundam probationem, eodem modo respondetur, quo ad primam: nam si *omnis homo* concipitur confusè, & non quidditativè; tunc conclusio formalis non est fidei per accidens, quāvis obiectivè est fidei: vt patet ex disp. 11. §. 12. 13. & 14. Si autē, *omnis homo*, cognoscitur quidditativè, non est opus præmissa naturali, ad credendum Petrum esse conceptum in peccato: vt patet ex disp. 11. à §. 15. ad 20.

§. 21. Ad tertiam & quartam probationē respondetur eodem modo, quo ad primam & secundam: de quibus egi disp. 11. §. 12. Ad quintam patet ex disp. 11. sect. 3. maximè à §. 26. Ad sextam respondetur, dupliciter posse cognosci potentias accidentarias, & operationes humanas Christi. Primò, ex hoc syllogismo: *omnis homo habet intellectum, voluntatem, & operationem creatam; Christus est homo: ergo habet ea accidentia*. Hæc conclusio, si præcisè consideretur, vt deducitur ex hoc syllogismo, non est de fide: est enim eadem ratio de his potentijs, ac de risibili; nisi quòd clarius revelatur potentia intellectiva: quia rationale revelatur, quod explicatur in ordine ad intellectionem humanam; non verò in ordine ad risum. Secundò possunt hæc accidentia cognosci, non per illum discursum; sed quia sunt formaliter revelata: dixit enim Christus Ioan. 14. 31. *Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio*. Ioan. 14. Facere autem mandatum Superioris, includit quidditativè operationem voluntatis creatæ, dependentem ab intellectu creato: obedire enim est actus voluntatis, per quē creatura rationalis est volens; *volens autem* est complexum ex voluntate & volitione. Item, connotat quidditativè intellectum creatum: quia omne volūtarium est à principio intrinseco cognoscente singula. Item. Isaias 11. 2. & 3. prædixit Christum repletum iri spiritu sapientiæ & intellectus, & timoris Domini: & cap. 7. 15. comesturum butyrum & mel, vt sciat reprobare malum, & eligere bonum; timor autem in Christo, non est actus voluntatis divinæ; sed humanæ. Paullus item dixit de Christo Heb. 5. 8. *didicit ex ijs, quæ passus est, obedientiam*: vbi omnia dixit Apostolus, intellectum & intellectionem humanam: divina enim nihil discit. Obedientia autem est actus voluntatis creatæ; operationē verò explicuit per obedientiam: cæteras facultates, per passionem. De risu nihil est dictum; neque est de conceptu quidditativo hominis: cur ergò est credendus fide divina? Isa. 11. 7. Hebr. 5. Obiectio.

§. 22. Respondet. Dices: quia, destructio risibili, destruitur homo revelatus à Deo. Hac de re abūdè egi à §. 14. Vndè, qui concedit Christū esse hominem, si per ignorantiam negat eum esse risibilem, non est hæreticus. Qui autem rectè penetraverit hominem, nō poterit negare Christum esse risibilem: quia ipse videt omnem humanitatē esse risibilē. Contrà negātem risibilitatē Christi fit hoc argumentum: *omnis homo est risibilis; Christus non est risibilis: ergo Christus non est homo*. Quā ob caussam, minor propositio huius syllogismi est erronea: quia ex ea sequitur evidenter in Baroco propositio hæretica. Et quia cognoscens evidenter maiorem propositionem, non potest fugere alterum è duobus: nempè, aut negare minorem, concedendo Christum esse risibilem; aut concedere conclusionem hæreticam: ideò necessariò debet negare minorem; non præcisè propter revelationem, sed propter evidentiam

den-

S.Tho.q. 1. Art. 1. dentiam principij physici de omni homine risibili. Vndè Angelus comprehendens humanitatem Christi secundum naturalia, nō potest, nisi per hæresim, illi negare risibilitatem; quia ad illam negandam, vel est neganda hæc propositio vniversalis: *omnis homo est risibilis*, vel hæc singularis: *Christus est homo*. At vniversalem non potest Angelus negare: quia eius veritatem evidenter cognoscit: ergo necesse est, vt neget singularē, quod fit per hæresim. Non tamen proptereà conclusionem credit fide divina: quia ipse videt, de ea nihil revelari. Quòd si negatur hæreticè, non est propter formalem negationem conclusionis; sed propter negationem minoris singularis: vt contingit in multis alijs accidentibus, quæ hominem comitantur, de quibus Deus nihil revelavit.

§. 23. 2. Obiectio. Dices secundò: homo est à parte rei risibilis, reali identitate humanitatis cum risu radicali: ergo, quando revelatur humanitas, revelatur etiàm risibilitas. Probo consequentiam: quia nullum prædicatum intrinsecum aut extrinsecum potest convenire humanitati; quin etiàm conveniat omni rei identificatæ cum illa; sed humanitati convenit revelari: ergo etiàm radici risus convenit revelari. Hoc argumento probaretur, Christum existere in loco, per vbicationem distinctam: item esse principium intelligēdi, per qualitatē distinctā ab actione: quia radix ita existēdi & intelligēdi, est idem cum humanitate; sed omne prædicatum intrinsecum, vel extrinsecum convenit illis eadem ratione: ergo vtrique convenit revelari. Vt argumento respondeam, abstinebo à propria sententia, vt doctrina huius difficultatis latiùs pateat. Multi censent, distinctione rationis ratiocinatæ, cōstitui in obiecto diversas formalitates: ita, vt formalitas rationalis terminet clarè aliquē actum; quin illū terminet clarè animalitas. Hi respōdebunt ad argumētū distinctione antecedentis: radix ridendi & humanitas sūt idē realiter, sive materialiter, cōcedo antecedens; sunt idem formaliter, nego. Distinguo item consequens: ergo risibilitas revelatur materialiter, concedo consequentiam; revelatur formaliter, nego. Ad probationem respondent, prædicata secundæ intentionis convenire formaliter vni formalitati, quin alteri. Quod, qua ratione defendant, non est hîc examinandum: eos latè impugnavi disp. 6. Metaphysicæ sect. 4.

Resp.

§. 24. Ego censeo, nulla distinctione rationis constitui in obiecto duas formalitates, sed totam illam distinctionem esse formaliter & adæquatè in solo intellectu; in obiecto autem per solam extrinsecam denominationem. At verò homo formaliter est tota entitas humanitatis & risibilitatis, concepta actu intellectus cognoscente cum illa operationes sensiles & rationales; risibilitas autē est eademmet entitas humanitatis concepta cū operatione ridendi. Ad argumētū distinguo consequens: revelatur risibilitas in ordine ad sensionem & discursum, concedo consequentiam; revelatur in ordine ad risum, nego. Ad probationem, concessa maiori, distinguo minorem: humanitati convenit revelari in ordine ad sensionem & discursum, concedo minorem; humanitati convenit revelari in ordine ad risum, nego. Distinguo item consequens; ergo radici risus convenit revelari in ordine ad sensionem & discursum, concedo consequentiam; convenit revelari in ordine ad risum, nego. Vndè risibilitati non convenit absolutè revelari: nam ita revelari, est manifestari cum ordine ad risum, & quia cum eo ordine non manifestatur, ideò non revelatur absolutè. Ad arg.

§. 25. 3. Obiectio. Dices tertiò, posse esse duos assensus de risibili: alterum deductum per discursum, qui assensus non est fidei; alterum non ita deductum, sed terminatum ad obiectum ipsum, dependenter à discursu naturali, vt à conditione: hic secundus assensus erit fidei. Hanc difficultatem attigi §. 9. Neuter ergò assensus erit fidei: quia neuter deducitur ex authoritate & testimonio Dei sufficienter dispositis ad ipsum; sed egentibus principio Metaphysico, ad eam conclusionem obiectivam. Sive igitur hæc obiectiva conclusio cognoscatur per discursum; sive immediatè, non est de fide, propter defectum obiecti formalis. Resp.

§. 26. 2. Argum. Secundum argumentum: assensus deductus ex revelatione & præmissa evidenti, est certus, obscurus, & supernaturalis: ergo est fidei. Confirmatur: qui negaret eā conclusionem, puniretur, vt hæreticus: ergo cōclusio est fidei. Respondeo, supernaturalitatem eius assensus, & esse dubiam, & minus communem. Est enim eadem ratio de assensu probabili falso, ad quem concurrit præmissa fidei, non secus, ac ad conclusionem certam: quia ad vtramque concurrit vt cognita: cui cognitioni adiungi potest alia præmissa evidens aut inevidens, cum qua disponitur medium in aliquo modo legitimè concludente. At non admittemus, assensum supernaturalem fidei infusæ esse falsum. Omisso tamen toto illo antecedenti, distinguo consequens: ergo est fidei Catholicæ (de qua agimus) ita disponentis authoritatem & testimonium Dei, vt ex vi illorum præcisè sequatur conclusio, nego cōsequentiam: ergo est fidei imperfectæ pendentis

Confirmat.

Respondet.

dentis ab alio obiecto formali, ad inferendam illam conclusionem obiectivam, concedo consequentiam. Vtrùm autem hæc fides imperfecta sit naturalis, vel supernaturalis? disquiram disputationibus de Deo, ipso favente.

§. 27. *Ad confir.* Ad confirmationem distinguo antecedens: puniretur, vt hæreticus, quando constaret, hominem illum esse mediocriter in Philosophia doctum, concedo antecedens: puniretur, vt hæreticus, quando prudenter constaret, illum per ignorantiam negare omnem hominem esse risibilem, nego antecedens. Tunc enim traderetur erudiendus Philosophicis præceptis; non tamen Christianis: quia ipse catholicè assentiretur omni doctrinæ catholicæ explicatæ quidditativè. Præsto est discrimen: quia homini docto, quantumcumque clamitet se credere Christum esse hominem; censere tamen non esse risibilem omnem hominem, non est credendum; sed censendum est, ab illo non negari sententiam in Philosophia (cuius ipse est peritus) evidentem, & prudenter credendum, ab ipso negari obscuram fidei propositionem. Homo autem rudis & ignarus, facilè potest negare conclusionem naturalem evidentem, vel propter stuporem intellectus; vel defectum doctrinæ: cum qua ignorantia componi potest assensus circa omne obiectum fidei. Vt enim sibi persuadet, esse aliquem verum hominem non risibilem; quid ni sibi persuadebit Deū esse verum hominem, non risibilem?

DISPVTAT. XIII.

De revelatione.



TERTIO quoque verbo sonamus revelationem Dei, quā expedit enucleare: quia, cū sit obiectū formale fidei, hūc sibi locum vendicat; nec
§. 1. sine illa potest fides adamussim explanari: vt habitus nullus, absque obiecto. Revelatio, à *revelo*, id est, *velum aufero*. Velo enim res tegitur, & dicitur *velari*, *revelare* autē est
Ovid. detegere & ostendere. Ita dixit Ovidius: *ore revelato*. Velare enim os, est illud velo tegere & abscondere; revelare, detegere &
1. Corinth. 13. 12. ostētare. Sic dixit Apostolus, Deum visum iri revelata facie, id est, sine cortinis & involucris creaturarum cognitarum prius: è quibus Deus cognoscitur in ænigmate; *tunc autem* (vt ait) *facie ad faciem*, id est, in speculo divinitatis immediatè conspectæ & ostensæ. Revelatio significat actionem ostendendi aliquid, aut detegendi; sive loquutione, sive quavis alia ratione ostendatur: vt Deus revelatur beatis. Frequentius tamen *revelatio* vsurpatur à Theologis, pro actione aliquid à nobis conceptū detegēdi, per verba aut signa ostendentia rem ipsam, vt à nobis cognitam. Sumitur igitur revelatio pro loquutione & sermone Dei: eam vt à radice expediam, opus est, illam ordiri à gemino ovo loquutionis Angelicæ & humanæ.

SECTIO I.

Humana loquutio.

SVBSECTIO I.

Quid includat ex parte loquentis?

HOMINES frequenter loquuntur prolatis vocibus, significantibus obiecta à loquente concepta. §. 2. Quæ voces formantur linguâ, & subrogantur pro conceptu mentis, quo loquens scit obiecta quæ loquitur. Cùm enim non possimus aliorum mentes intueri, neque nostras manifestare, nisi per signa; vtimur vocibus significantibus, quæ significant obiectum idem, quod cognitio. Has voces, in Summulis dixi, supponi pro conceptibus; non verò pro rebus ipsis: quia supplent defectum conceptus mentis; non verò rerum ipsarum. Est autem hæc loquutionis species, *prolatio vocis rem significantis, vt concipitur à proferente*. Ly, *vt concipitur*, potest designare iudicium de re dicta, aut apprehensionem solam. Nam, ad proferendam vocē significativam, sufficit cognoscere, qua ratione sit proferenda, & quid significet; non est autem opus iudicare de obiecto significato per vocem, eo modo, quo significatur. Quod patet in mentiente, qui iudicat de obiecto dicto, diverso modo, quo illud dicit: apprehendit tamen illud; alioquin non posset velle illud persuadere mendacio. Tenemur autem iure veracitatis, non vti his signis, ex sola apprehensione rei significatæ; sed ex iudicio. Vndè potest ly, *vt cōcipitur*, significare iudicium existens in loquente; non actu, sed debito: id est, debet rem dicere, vt de ea sentit. Qui autem voce absonat iudicio, mentitur: quia (vt aliqui volunt) it contra mentem. Melius diceretur, *ementiri*: quia extra mentem it, & loquitur. In loquutione potest esse aliqua vox non significa-

S.Tho.q. 1.Art. 1. nificativa ad placitum, vt in hac propositione: *Blitiri non est vox significativa ad placitum.* In qua propositione, omnes voces sunt loquutio: quamvis enim *Blitiri* nihil significat per se; at vt subiectum propositionis, supponitur materialiter, ad significandum se, loco conceptus mentalis repræsentantis vocem illam non esse significativã ad placitum. Si verò ea vox formetur sola, non erit loquutio propriè: quia neque aliquid significat, neque ex alijs vocibus adiunctis dignoscitur, eam subrogari pro conceptu mentis, & supponi materialiter.

§. 3. In loquente reperiuntur primò cognitio & voluntas faciendi verba, vocis flexu, & tono, quibus aer intersectus variè sonet. Quod vocatur à Summulistis, *sonus articulatus*: id est fractus in articulos, aeris appulsu, atque depulsu. Si autem vox non secaretur, & flecteretur, non esset humana; sed ferina. Hæc voluntas & cognitio sunt communes psittacis, turdis, & alijs bestiolis referentibus hominem vocum articulis: illi enim motus sunt arbitrarij, quos potentia hominis non exercet, absque voluntatis aut appetitus imperio.

§. 4. Secundò reperitur in loquente cognitio obiecti, quod loquitur. Primò: quia homo loquens differt à turdo loquente, quòd hic profert voces, quin cognoscat earum significatum; loquutio autem humana oritur à cognitione obiecti significati per vocem. Secũdò: quia loquutio est manifestatio rei, vt concipitur à loquente: ergo in loquente est cognitio eiusdem rei; alioquin non posset esse significatio rei, vt conceptæ à loquente. Huc spectant veritas & mendaciũ: illa est voluntas proferendi verba significãtia rem, ex animi sensu; mẽdacium verò est voluntas eam loquendi, contra animi sensum. Immò cognitio rei significatæ, est principium eam loquendi: dixit enim benè Tullius: *rerum copia verborum copiam gignit.* (Cicero.) Tertiò: quia loquutio est significativa ad placitum: ergo opus est placito significandi, id est, voluntate, quam antecedit cognitio. Tandem: qui verba facit, aut vult significare, aut non? si non vult, non loquitur: vt qui, illudendi socios gratiâ, mussitat absque significatione vocum, vt eos faciat attendere. Si autem vult aliquid significare: ergo illud apprehendit.

§. 5. Tertiò reperitur in loquente alia voluntas, quâ vult ab audiente percipi, quæ dicuntur. Hæc voluntas habet, pro obiecto, cognitionem audientis de ipsa voce: item cognitionem de re dicta per vocem ipsam prius cognitam. Probatur primò: quia loquutio humana pendet à cognitione rei significatæ per vocem; sed hæc cognitio non est necessaria; nisi ad voluntatem loquentis, vt percipiatur ab audiente: ergo loquutio humana pendet ab hac voluntate. Minor patet: quia illa cognitio significati, nulli alij muneri potest servire. Nam præcisè ad proferendam vocem est invtilis: psittaci enim eam proferũt, absque ea cognitione. Secundò: quia loqui est significare ad placitum: ergo, qui loquitur, vult significare ad placitum, quæ loquitur. Patet cõsequentia: quia, qui loquitur, vult loqui; sed significare ad placitum dicit relationem liberè significantis ad percipientem: ergo voluntas ita significandi, est ad perceptionem audientis: ergo. Confirmatur: quia finis intrinsecus loquutionis, est manifestatio rei, vt concipitur. *Confirm.*

§. 6. 1. Obiectio. Obijcis primò, psittacos & asinam Balaam loqui; sed illæ bestiæ non habent voluntatem, vt percipiantur: ergo. Respõdeo; (Respondet.) illas bestias nequaquàm loqui, loquutione propria; vulgari verò dicuntur loqui: quia efformant voces, quibus nos pandimus animi sensa, & quas, ex communi instituto, deprehendimus esse significativas. Quod patet: quia sæpè psittacus eiulat, gemit, ostentat mærorem ex sua captivitate; cùm tamen nihil illi doleat: illæ autem voces sunt in hominibus signa doloris. Item, quando compellant prætereuntes, non volunt illos conuenire. Audientes verò illorum sermonibus plaudunt: non quòd illis aliquid significetur, vt oriuntur ab animante; sed quia admirantur illius facilitatem, in discenda formatione vocum.

§. 7. 2. Obiectio Resp. Obijcis secundò, amentes & dormie[ntes] interdum loqui, absque voluntate vt percipiantur. Respondeo, illos sæpè non differre à psittacis ac bestijs, & formare voces, ex sola illarum apprehensione; nec tunc loqui. Interdũ verò percipi volunt, vt cùm amẽtes panem aut vinum flagitant. Quorum verba tunc ea ratione sunt loquutio perfectior aut imperfectior, quo est perfectior cognitio rei significatæ, & voluntas eam significandi.

§. 8. 3. Obiectio Resp. 1. Obijcis tertiò, nos interdum loqui absque ea voluntate: neque enim credibile est, in longa confabulatione, nos semper velle ab auditore percipi. Respondeo, quamdiu durat voluntas rationalis loquendi, durare voluntatem vt percipiamur. Nam, si credimus nos ab auditore non percipi, repetimus verba, & illum revocamus ad attentionem: quòd si dubitamus, illum rogamus; immò nonnulli adeò sunt molesti, vt tertio quoque verbo dicant audienti: *an me audis? me percipis?* Præterea: quia, cùm iam desperamus nos perceptum iri ab audiente, cessamus: quæ sunt manifesta signa, loquentem velle

velle percipi ab audiente. At illā voluntatē vix percipit loquens, propter consuetudinem, & facilitatem: sicut non percipit voluntatem movendi labia; neque nos percipimus voluntatem gradiendi, quando
Resp. 2. inambulamus. Secundò respondeo; sufficere ad loquendum, initio moveri ad facienda verba, animo vt percipiantur: à qua voluntate tota loquutio est humana; vt quando quis consecrat distractus.

§. 9. 4. Obiectio Respond. Obijcis quartò: qui æquivocè loquitur, non vult percipi ab audiente; sed potius vult non percipi; & tamen loquitur. Respondeo; in sermone amphibologico esse voluntatem virtualem, aut formalem, vt audiens percipiat verba amphibologica, in sensu non intento à loquente. Videns enim futuram eam cognitionem in audiente, & illi dans caussam, vult eam saltem virtualiter. Et fortè, ad vtendum æquivocatione absque mendacio, opus est voluntate formali, vt percipiatur in sensu ab ipso intento.

§. 10. 5. Obiectio Obicijs quintò, nos sæpè cum bestijs, & saxis loqui: vt cùm quis queritur ad ripas, & vociferatur. Ita Mezentius Virgilianus alloquutus est Phœbum suum, ne dorso Troianos exciperet: & S. Antonius sermonem fecit piscibus. Tunc autem deest voluntas manifestandi proprium sensum, & relatio signi ad percipientem: ergo hæc
Resp. non sunt de conceptu loquutionis. Nego antecedens. Illa enim non est loquutio; sed inanis prolatio vocum, quibus ignis, quo æstuant corda, vomitur. Mezentius autem illis vocibus significavit, suo equo esse Troianos indignos: nō quòd vellet id percipi ab equo suo, sed à circūfusis amicis. Beatus verò Antonius non habuit propriè sermonē bestijs; sed eo miraculo probavit hominibus sanctitatem, & doctrinam. Eadem ratione, qui verba facit ante surdum, non loquitur propriè: ita neque, qui Cantabricè loquitur Castellanis, aut Græcè Latinis; quia non vult ab illis percipi. De quo redibit sermo, §. 62.

§. 11. Tandem reperitur in loquente labiorum latio, seu motus localis, quo frangitur aer: vnde resultat qualitas vocata *sonus*, producta post labiorum motum, & aeris ictū. Hęc latio & sonus sunt effectus cognitionis & voluntatis, quarum memini §. 3. Item qualitas soni est obiectum auditus, vt lux visus.

§. 12. Mille alijs modis possumus loqui, scripto, nutu, signis, accensis ignibus, & alijs; non aliter ac vocibus. Quod nostrates dicunt; *hablar por señas, loqui per signa.* Sic speculatores ignibus ostendunt adventare hostem: item quot afferat naves, aut quantum distet. Tubæ autem & tympana sunt lingua ducum, qua significant militibus, iam pugnam, iam receptum: item in religiosorum familijs cymbala sunt pro lingua, qua significatur, quid quaque hora faciendum. Quæ genera loquutionum differunt à voce, sola diversitate signorum materialium. Cætera verò omnibus sunt communia, nisi quòd scriptura & vox sunt aptiores ad pandendum animum; vox autem omnium facillima & iucundissima.

SECTIO II.

Qualis voluntas exigatur in loquente?

DIXI §. 5. in loquente reperiri voluntatem, vt percipiatur ab audiente. Nunc occurrit disputandum, vtrùm hæc voluntas, non solùm sit, vt manifestetur audienti id, quod loquens dicit; sed etiàm, vt manifestetur loquentis iudicium, de re, quam loquitur. Exempli gratiâ: loquor ego amico, hostem venire: volo, vt audiens percipiat per mea verba adventum hostis. Dubitatur, vtrùm etiàm, ad loquendum formaliter, opus sit, vt ego velim, vt Petrus intelligat, à me iudicari hostem venire; an verò sufficiat voluntas, vt percipiat adventum hostis præcisè? §. 13.

Voluntas aliquid faciendi, alia est virtualis; alia formalis. Formalis, est voluntas expressa terminata ad aliquod obiectum in se ipso: verbi gratiâ, voluntas scribendi, est formalis voluntas movendi manum cum calamo, & atramento. Virtualis autem dicitur, quæ non amat effectum aliquem; amat tamen caussam, ex qua sequitur necessariò. Hæc potest esse cum cognitione effectus, & absque illa: absque illa, quando amatur caussa, ex qua sequitur necessariò effectus; qui tamen non prævidetur sequendus. Vt qui iaculum mittit, nihil cogitans de nece inde sequuta: quæ voluntas potest vocari virtualis purè physica. Cum cognitione autem est, quando prævidetur effectus caussam sequuturus: quæ voluntas est moraliter de ipso effectu. Verbi gratiâ, ex longa scriptione, sequitur fatigatio manus: qui vult diù scribere, non vult propterea fatigari; videns autē fatigationē necessariò sequēdā, ex diuturna scriptione, fatigationē vult virtualiter: id est, formaliter vult virtutem, ex qua videt necessariò sequendam fatigationem. Vndè diuturna scriptio dicitur voluntaria directè; quia voluntas in ipsam fertur, quasi recta §. 14.

S. Tho. q. 1. Art. 1. via; fatigatio verò dicitur voluntaria remotè, indirectè, & in caussa: quia non amatur in se; sed tantùm amatur caussa, ex qua sequi prævidetur. De quo egi in disputationibus de voluntario; quantum autem valeat hoc voluntarium indirectum, ad imputationem moralem, ostendi in disputationibus de peccatis.

§. 15. P. Vazq. Scotus. In hac controversia, Scotus & P. Vazquez digladiantur extremè. Scotus in secundum distinctione 9. quæstione 2. *§. ad quæstionem istam*, & sequentibus, non exigit ad loquutionem, nisi, vt loquens imprimat audienti cognitionem rei, quam ipse cognoscit, & loquitur: v. g. Michael cognoscit voluntatem Dei, de exitu Hebræorum; & ipse imprimit Gabrieli cognitionem repræsentantem Dei voluntatem de eodem exitu: Michael, in sententia Scoti, hac præcisa ratione loquitur Gabrieli; quamvis Michael nullam habeat aliam voluntatem, vt Gabriel cognoscat iudicium ipsius Michaelis de obiecto illo. Scotum cum Scoticis sequuntur & alij.

§. 16. P. Vazq. Pater Vazquez 1. parte disp. 211. num. 12. affirmat, loquutionem non esse quamcumque productionem cognitionis, de re, quam sentit loquens; sed necessarium esse, vt audiens cognoscat quid loquens sentiat de tali re: v. g. ego cognosco ignem existere, & efficio fumo, aut alio signo naturali, vt Petrus cognoscat etiàm ignem esse; ita tamē, vt non possit cognoscere, me sentire ignem esse: tunc non sum loquutus Petro; quamvis effeci, vt cognosceret idem quod ego. Si autem signum do, quo Petrus cognoscat, & ignem esse, & id à me cognosci: iam sum loquutus. E quibus constat, voluntatem repertam in loquente: esse formalem voluntatem, vt per signa audiens intelligat meum conceptum, & rem dictam.

§. 17. S. Thom. Quam sententiam expresisse videtur S. Thomas 1. parte, quæst. 107. art. 1. his verbis: ***nihil est enim aliud loqui ad alterum, quàm conceptum mentis alteri manifestare.*** Equidem toto eo articulo tàm clarè est ab hac sententia, vt nulla ratione posit à legente negari.

§. 18. 1. Probat. Probatur primò: quia loqui est efficere, vt is, cui loquimur, intelligat, non solùm rem, quam nos intelligimus, & loquimur; sed etiàm nostrum conceptum de tali rē: ergo voluntas loquendi est voluntas manifestandi, & rem, & nostrum de illa conceptum. Consequentia est certa: quia voluntas loquendi est voluntas faciendi per loquutionem, quod ipsa loquutio facit necessariò, ratione loquutionis. Antecedēs probatur: quia, si loqui esset præcisè manifestare rem conceptam is, cui loquimur, non posset discernere, an eam rem sciret per loquutionem? neque à quo? sed quicumque loquutione scit aliquid, scit se id scire per loquutionem, & scit à quo id audiat: ergo loquutio facit vt cognoscamus, & rem, & conceptum. Maior patet: quia potest Angelus habere cognitionē alicuius obiecti, per speciē acceptā aliunde. Minor autem constat communi experientiā.

§. 19. 2. Probat. Secundò probatur: quia Deus manifestat per creaturas obiecta, quæ ipse scit, & efficit in nobis illorum cognitionem; nec tamen propterea præcisè Deus nobis propriè loquitur: ergo loquutio plus includit, quàm effectionem cognitionis de re cognita à loquēte. Adverte, Metaphoricè, omnes creaturas dici loquutionem & verbum Dei; Deumque ipsum nobis loqui per illas. ***Dies enim dici eructat verbū: & nox nocti indicat scientiam.*** Psal. 18. 3 ***Ipse fecit nos; & non ipsi nos.*** Psal. 99. 3 Hæc tamen loquutio non est illa exacta, quam disquirimus.

SVBSECTIO. III.

Impugnatur Scotus.

§. 20. 1. Conclus. DICO primò: voluntas loquendi est voluntas virtualis, vt audiens percipiat dicentis cognitionem de re dicta, in sensu explicato §. 14. Quæ conclusio est expressa S. Thomæ adducti §. 17. S. Thom. Eam efficaciter probant duo argumenta P. Vazquez in §. 18. & 19. quæ ita confirmo: voluntas virtualis de aliquo obiecto, est voluntas formalis & efficax caussæ alicuius, ex qua sequitur necessariò tale obiectum: vt probavi §. 14. Sed ex prolatione verborum significantiū, sequitur necessariò in audiente cognitio, de conceptu loquētis circa rē dictam: ergo voluntas efficax & formalis loquendi, vel proferendi verba significantia, est voluntas virtualis, de manifestando conceptu loquentis ipsi audienti. Minor constat ex disputatione 8. logicæ §. 17. item ex hac disp. §. 2. & 3. vbi dixi, prolationem verbi significantis esse effectum cognitionis, quam de tali re habet loquēs. Maximè autē disputatione sexta ostendi, authoritatem in dicendo esse, & scientiam testis, & bonitatem: nam quia testis benè sentit de obiecto, & virtute veracitatis inclinatur, ad dicendum obiectum, vt illud sentit; ideò testimonium eiusmodi testis, valet ad faciendam fidem: quia testimonium est effectus iudicij, quod testis facit, de re, quam testatur, & vo-

& voluntatis, qua inclinatur ad illam testandam; sed omnis effectus ducit necessariò in cognitionem suæ caussæ: ergo loquutio ducit necessariò audientem in cognitionem, quam loquens habet de re dicta.

§. 21. Hanc cognitionem in audiente, de cognitione loquentis de re dicta, sequi necessariò ex prolatione verborum significantium, patet: quia loquens præbet principia sufficientia ad talem cognitionem, quàtum est ex parte sui. Nam, supposita communi significatione, prolatio vocis ducit in cognitionem obiecti significati per illam. Item, ducit in cognitionem ipsius loquẽtis: quia, vt quisque experitur se neque loqui, neque scribere, nisi ea quæ apprehendit, vt ea apprehendit; ita intelligit verba & scripta, quæ audit, aut legit, esse à sciente obiectum dictum aut scriptum.

§. 22. *Animad.* Adverte, significationem vocum esse liberam, nullaque voce significari necessariò eius obiectum, neq; cognitionem loquentis de eo obiecto. Instituta autem libere communi significatione, non possumus vocibus vti rationabiliter ad significandũ; nisi præeunte iudicio, vel simplici apprehensione de obiecto dicto: quæ cognitio est principium necessarium ad loquendum. Item infertur evidenter ex voce, cognita in ratione signi: nam, si non percipiatur vt signum, non percipitur vt loquutio; vt patet, cùm eam percipimus à Psittaco. Tunc autem non arguitur cognitio loquentis de obiecto vocis: quia, vt tunc profertur, non habet obiectum. Item adverte: si quis non percipiat cognitionem loquentis, audita voce, id non est, ex defectu loquentis; sed ex audientis tarditate, aut distractione: loquens enim, quantum est ex se, non potest aliam caussam præbere, ex qua cognoscatur sua cognitio.

§. 23. Deinde arguo contra Scotum: quia loquutio, in ratione loquutionis, est formaliter significatio rei, vt conceptæ à loquente: ergo voluntas formalis de loquutione, est voluntas virtualis, qua loquens vult manifestare audiẽti cognitionem suam de re dicta. Antecedens probatur: primũ, testimonio Christi: *quod scimus, loquimur: & quod vidimus, testamur.* (Ioã. 3. 11.) Arguit etiam Christus loquentes, quæ nesciunt: id est, non quòd nõ cognoscant vllo modo, aut apprehendant, quæ loquũtur; sed quia per errorẽ illa cognoscunt. Secundò probatur ex virtute veracitatis, & vitio mendacij: verax enim dicitur, qui verba profert adsonantia suę mẽti; mendax autẽ est, qui ea facit absonantia iudicio, & adsonantia soli apprehensioni. Itaque, qui dicit rem aliter ac de illa iudicat, est mendax, qui autem rem dicit, vt eam sentit, est verax. Quod disp. 17. §. 3. ostendã ex B. Augustino. (B. Aug.) Quarè, eo ipso quod aliquis loquitur, aut loquitur verè, aut loquitur falsò: ergo loquitur, vt sentit, vel aliter. Vndè concludo, loquutionem rei esse illius manifestationem, vt iudicatur; vel saltem, vt apprehenditur à loquente. Primam autẽ consequentiã probo, nempè, ibi contineri eam virtualẽ volũtatẽ: nam, qui loquitur, videt se præbere fundamentum, vt alter percipiat obiectum, vt ab ipso cognoscitur: ita, vt possit alius iudicare, illum mentiri, aut esse veracem: non quòd hæc cognitio reflexa reperiatur in omni loquutione; sed quòd voluntas loquendi in homine compote rationis, sit principium, vt audiens possit id efficere. Item, loquens videt cognitionem illam in audiente, de obiecto, vt ab ipso cognito, esse sequendam.

§. 24. *Obiectio.* Dices, re ipsa ita esse; nempè, fundamentum præberi à loquente, vt audiens percipiat eam cognitionem; at non quoties loquimur, est necessaria cognitio, quòd sequetur in audiente tale iudiciũ. Possumus enim loqui, absque cognitione expressa & reflexa, de nostra loquutione & re dicta, vt constabit §. 27. ergo non est voluntas virtualis. Probo consequentiam: quia voluntas virtualis est formalis voluntas caussæ, cum cognitione de eventu futuro. Fateor, in hoc sensu, non esse necessariã voluntatẽ virtualẽ, neq; Scotum impugno, (*Respond.*) hac in parte; sed quia ipse præcise requirit, in loquente, cognitionem obiecti, & effectionem loquutionis: debet enim esse loquutio effectus eius cognitionis. Vndè, si quis præcisèe faciat loquutionem, non ex apprehensione rei significatæ per illam, non loquetur: v. g. Deus, concursu generali, concurrit ad nostram loquutionem, ita, vt ipse cognoscat loquutionis obiectum: & per illam facit, in audiente, cognitionem de tali obiecto; nec propterea præcisè loquitur: quia illa loquutio non oritur ex iudicio, quod Deus habet de obiecto significato per loquutionẽ; sed oritur ex alio iudicio, nempè, practico de facienda re: idemque est, etiãsi Deus solus faceret illam loquutionem. Requiritur ergò, vt loquutio fiat ex cognitione obiecti significati per illam; neque sufficit, vt sint concomitanter: quia, si essent concomitanter; neque esset loquutio vera, neque falsa, neq; posset argui iudicium loquentis de re dicta, neque convinci falsitas aut veritas.

§. 25. Dices: loqui est verba facere; sed Deus, & quicumque loquitur ex iudicio concomitanti, verba facit: ergo loquitur. Adverte, non esse quæstionem de loquutione mentali,

Tho. q. Art. 1. tali, qua quisque dicitur sibi loqui, producendo in se verbum, quod est terminus actionis intelligendi. Sic enim, in Trinitate, solus Pater loquitur: quia solus producit Verbum ad intra, per actionem intellectivam. Est autem quæstio de loquutione, qua quis manifestat alij obiectum. Sic distinguo maiorem: loqui est verba facere, quæ cognita ducant in cognitionem obiecti, vt cogniti à loquente; concedo maiorem. Nam debent verba fundare, in audiente, cognitionem de veracitate loquentis: quod fieri non potest, nisi loquutio oriatur à cognitione loquentis de re dicta. Deus enim loqueretur falsum, & mentiretur, quoties nos mentimur, si sufficeret cognitio concomitans. Nam quando nobiscum producit actum falsum, concursu generali, licèt percipiat obiectum, quod nos falsò loquimur; tamen non producit nostram loquutionem, ex perceptione illius obiecti: sicut non producit loquutionem veram, ex cognitione de obiecto ipsius loquutionis; sed ex cognitione de sola ipsa loquutione. Item, nos possumus scire obiectum, & proferre verba illud significantia; & tamen non ideò præcisè loquimur obiectum illud: quia non movemur illa cognitione; sed aliâ. Verbi gratiâ, si quis cognoscat equum esse nigrum, & ignarus linguæ Latinæ, dicat: *equus est niger*, non volens id significare, hic non loquitur equum, neque mentitur, neque est verus. Ergo ad loquendum, plus requiritur, quàm illa concomitantia. Distinguo item minorem: Deus facit verbum, ex cognitione de eius obiecto, ita, vt propterea sit verus, vel falsus, nego minorem; facit verbum, non potens ducere in cognitionem Dei de obiecto ipsius verbi: item facit verbum ortum aliunde, quàm ex cognitione obiecti, concedo minorem, & nego consequentiam.

SVBSECTIO IIII.

Impugnatur formalis voluntas.

§. 26. 2. Conclus. DICO secundò: ad loquendum nõ est necessaria voluntas formalis, qua loquens velit audienti manifestare suam cognitionem, de obiecto quod loquitur. Probatur primò: quia non sunt exigendæ plures voluntates in loquente, quàm probant argumenta adversariorum proposita §. 18. & 19. sed ea argumenta non probant voluntatem formalem; sed virtualem: ergo. Maior est clara: quia non est admittenda aliqua voluntas, de qua non possimus reddere rationem: neque enim videmus intuitivè voluntatem, qua loquimur; sed eam colligimus, ex natura loquutionis. Vndè non sunt admittendæ plures voluntates, præter quas cogimur constituere, ex natura loquutionis. De minori autem propositione constabit à §. 33. vbi illa argumenta solventur.

Secundò probatur à priori eadem sententia: quia voluntas formalis loquendi, est voluntas significandi obiecta vocum, vt à nobis cognoscuntur; sed hæc voluntas potest esse, quin formaliter velit significare conceptum loquentis: ergo voluntas loquendi non est voluntas formalis manifestandi conceptum loquentis de re ipsa. §. 27.
Maior patet: quia loquutio non significat directè conceptum mentis; sed rem ipsam, quam concipimus: conceptio autẽ loquentis connotatur, non vt obiectum significatũ per verba; sed vt principium, quo fiunt verba. De quo egi in Logica, disp. 8. sect. 3. Minor probatur: quia voluntas loquendi, est voluntas significandi rem, vt à nobis concipitur; quin habeat pro obiecto conceptionẽ nostram internam: ergo potest esse voluntas loquendi; quin formaliter velit manifestationem conceptus loquentis. Consequentia est certa: quia non possumus velle manifestare conceptum; quin cognoscamus reflexè conceptum ipsum: sicut non possumus velle manifestare dolorem, aut Deum; quin cognoscamus Deum & dolorem. Quod est ex terminis notum: quia voluntas manifestandi rem, vult vt audiens cognoscat talem rem: quod præstari non potest; quin loquens apprehendat talem rem. Antecedens patet: quia, ad loquendum, & manifestandum rem, vt à me concipitur, non est opus; nisi concipere talem rem; & cognoscere, qua ratione sit loquenda; & velle, vt audiens eam cognoscat. Nam sine cognitione reflexa, quâ ego cognosco meam cognitionem de tali re, possum cognoscere talem rem. Similiter, sine ea cognitione reflexa, possum cognoscere vocem significantem eam rem, & modũ formandi talem vocem. Item, sine ea cognitione reflexa, possum proferre eam vocem, ex animo, vt audiens rem talẽ cognoscat. Cùm enim hæc obiecta sint directa, & distincta realiter à cognitione, qua ego ea cognosco; possum illa omnia cognoscere, quin reflexè cognoscam, me illa cognoscere. Item, in manifestanda tali re, sine vlla cognitione reflexa meæ cognitionis, possũ reperire rationẽ boni: v.g. ego video amico immi-

imminere periculum, & volens eum eripere, clamo: *periculum imminet.* Finis huius vociferationis, est ereptio amici: medium est, vt ipse amicus periculum animadvertat. Principium huius animadversionis, est mea vox; principium autem huius vocis, sunt cognitio periculi & voluntas illud manifestandi. Ad hæc, quid opus est hac reflexa cognitione: *ego cognosco me cognoscere periculum: & volo, vt amicus cognoscat illud periculum, & meam de illo cognitionem?*

§. 28. *Obiectio.* Dices, loquentem habere voluntatem formalem manifestãdi suam cognitionem, de re quam loquitur, eo præcisè, quòd velit manifestare rem, vt ab ipso cognoscitur: ergo implicat velle loqui, sine hac formali voluntate.

Respond. Contrà: potest aliquis loqui rem, vt ab ipso sentitur, quin velit explicitè suum illum manifestare sensum: ergo. Probo antecedens: quia rem explicamus, vt sentimus, eo præcisè, quòd cognitio sit principium loquendi, & loquutio sit significativa rei, vt à nobis concipitur: id est, vt prolatio vocis sit similis sensui interno: seu, vt talis sit res in ore, qualis in mente. Nam, si ego sentio, Petrum esse nigrum, & formo hanc propositionem vocalem: *Petrus est niger,* dico rem, vt eam sentio: id est, eam ore affirmo, sicut mente. E contrà verò, qui mentitur, eam dicit aliter, ac sentit: nam sentit, Petrum esse nigrum; & ore dicit, eum non esse nigrum.

§. 29. *1. Cõfirm.* Confirmatur primò: qui sentit rem, vt est; ideò præcisè eam sentit, vt est: quia res talis est intentionaliter in mente, qualis, re ipsa, est in se. Nam, *ab eo, quòd res est; vel non est: propositio dicitur vera; vel falsa.* Item propositio vocalis significat rem, vt est, eo præcisè, quòd sit illi conformis: ergo eadem ratione, loquimur rem, vt eam sentimus, quando loquutio externa adsonat sententiæ internæ. Quemadmodùm pictor pingit hominem, vt eum habet in exemplari, quando penicillo ducit lineas tales, quales sunt in exemplari. Ad quod non est opus, vt ipse reflexè velit rem pingere, vt eam cognoscit in exemplari. Nam absque cognitione reflexa sui exemplaris, potest directè cognoscere effigiem, per exemplar ipsum: item per actum practicum, potest cognoscere motum manus. Quod passim contingit: quoties enim movemur, absque vlla cognitione reflexa de nostra cognitione & voluntate, quibus movemur? Ratio à priori: quia ipsa cognitio obiecti, & modi illud exequendi per potentiam externam, sufficit, vt illud exequamur. Collatio autem reflexa non est necessaria, ad agendum ex arte; sed est necessaria ad cognoscendum reflexè, vtrùm opus sit exemplari simile. Item, eo ipso, quòd volumus loqui, loquimur, vt volumus; quin reflexè cognoscamus illam voluntatem loquendi: ergo eadem ratione, eo præcisè, quòd cognitio obiecti est principium loquutionis similis ipsi cognitioni, loquimur rem, vt eam cognoscimus. Itaque illa vox, *vt,* non significat cognitionem esse obiectum voluntatis loquendi; sed esse principium loquutionis ipsi similis.

Confirmatur secundò: prolatio vocis, non est aliter manifestatio rei vt cognitæ, quàm scriptio; sed per scripturam possumus loqui, sine voluntate formali, vt percipiatur noster conceptus: ergo & per vocem. §. 30. *Confirmat.* Probo minorem: quia, si quis formet significantes characteres, sine alia voluntate, nisi eos scribendi: qui eos legerit, concipiet rem, vt à scribente conceptam: pono enim scribentem rem scripsisse, vt ab ipso sentiebatur, sine vlla voluntate, vt aliquis legeret characteres. His characteribus res fuit scripta, vt erat cognita à scribente, quod negari non potest: ergo, vt res sit scripta, aut picta, vt cognoscitur à scribente, vel pingente, non est opus voluntate formali, manifestandi scribentis iudicium de tali re. Tunc sic: demus scribentem voluisse, manifestare legenti rem illam scriptam, sine vlla cognitione reflexa suæ cognitionis de tali re: hic iam vult manifestare rem, vt ab ipso cognoscitur, sine illa voluntate reflexa & formali. Nam ille scribit rem, vt eam sentit; & vult eam manifestare, vt scribit: ergo eam vult manifestare, vt eam sentit; idque absque voluntate formali, manifestandi suum conceptum.

Tandem, sic argumentor: quia si, per possibile, vel impossibile, aliquis verba faciat significantia obiectum, quale est in sua mente, cum sola voluntate manifestandi obiectum illud; quin cognoscat cognitionem suam, neque illam velit manifestare: manifestabit audienti, per vocem, obiectum illud, vt ab ipso cognitum fuit: ergo loquetur. §. 31. Probo antecedens: quia audiens concipit obiectum, eodem modo, quo loquens: item, si attendat, potest cognoscere; se id didicisse à loquente: item, potest cognoscere, per ipsas voces, iudicium loquentis de obiecto ipso.

(.?.)

S.Tho.q. 1. Art. 1.

SVBSECTIO. V.

Respondetur argumentis.

§. 32. P.Vazq. S.Thom. SVPEREST respõdere argumẽtis propositis à P.Vazquez. Ad S.Thomam adductum à §. 17. dico, eum loquutum de voluntate virtuali, quam explicui, §. 14. Neque enim aliud probant, neque verba, neque rationes Thomisticæ.

§. 33. Ad 1. arg. Ad primum ex §. 18. concedo antecedens, & nego consequentiam. Quia te ipsa efficimus, vt audiens, si advertat, cognoscat nostrum conceptum: nam ad id sufficit, audire voces significantes, ab homine rationis compote. At verò id fit per voluntatem virtualem loquentis; non autem per formalem. Ad probationem consequentiæ dico, voluntatem loquendi esse voluntatem formalem faciendi, quod ipsæ voces faciunt necessariò & primariò: nempè, repræsentare obiectum, qualiter concipitur à loquente. Est autem voluntas virtualis aliorum effectuum, qui secundariò sequuntur; non verò necessariò per se primò: neque enim opus est, vt audiens semper apprehendat conceptum loquentis. Quòd si id necessarium est, id præstatur sola voluntate virtuali: nam, cùm prolatio vocis sit effectus iudicij loquẽtis, qui vult loqui, dat caussã, vt cognoscatur iudiciũ.

§. 34. Probatio antecedentis apertè concludit, esse necessariam voluntatem virtualem; non verò formalem. Nam videns loquutionem, eam percipit; omnis autem loquutio, in ratione loquutionis, dicit respectum ad loquentem, vt ad caussam particularem significantem aliquid per illam. Vndè, inter nos, debet audiri vox, aut legi character, aut videri aliud signum, ex quo, cum cognitione de significatione communi, percipimus nobis aliquem loqui. Si autem iam cognovimus, aut manum amici, aut vocem; facilè dignoscimus, quis loquatur; secùs, si id non cognoscimus. Angeli verò vident voluntatem loquentis, qua cognita, facilè percipiunt, quis quid loquatur. Itaque, cognito signo, quo loquimur, facilè cognoscuntur eius caussæ, sine voluntate formali, vt cognoscantur: vt cognoscitur ipsa voluntas loquendi, quin reflexè sit alia voluntas, vt ipsa cognoscatur.

§. 35. Ad secundum è §. 19. distinguo antecedens: Deus facit in nobis cognitionem rerum, quas ipse cognoscit, per voluntatem virtualem, vt cognoscamus ipsius iudicium de obiecto significato per res ipsas; nego antecedens; facit cognitionem, sine ea voluntate virtuali, concedo: & distinguo consequens: ergo loquutio plus exigit, quàm effectionem cognitionis concomitantem, concedo consequentiam: exigitur enim effectio cognitionis, orta ex iudicio loquentis, & voluntate virtuali illud manifestandi; nego tamen exigi voluntatem formalem. Quod autem dicitur, fumo neminem loqui, nisi faciat, vt audiens percipiat iudicium loquentis, non vrget. Quia; cùm fumus non sit signum inter homines institutum, ad significandum ignem esse aut non esse, effectio fumi non oritur à voluntate virtuali manifestandi conceptum loquentis. Si verò fumus sit institutus, ad significandum adventum hostis, aut existentiam ignis, tunc excitatio fumi, cum voluntate manifestandi adventum hostis, est à voluntate virtuali manifestandi iudicium loquentis. Hæc autem voluntas habet duo: primum est, voluntas excitandi fumum, propter cognitionem audientis de hostis adventu; secundum, vt sit orta ex iudicio, vel apprehensione eiusdem adventus. Quando igitur audiens videt excitari fumum, qua ratione conventum est inter homines, vt excitetur, ad significandum adventum hostis: tunc intelligit aliquem sibi loqui; secùs, si nesciat institutionem fumi, aut circumstantias.

SVBSECTIO. VI.

Duo animadverto.

ALTERVM, nos posse loqui multis auditoribus; quin cum aliquo loquamur: item loqui multis; quin loquamur, nisi cum vno. Nam alicui loqui, est proferre voces, quas video ab illo percipiendas, & manifestaturas obiectum, quod per illas loquor; at loqui cũ aliquo, est in illum dirigere sermonẽ. Quæ directio est actus voluntatis, quo volo, vt speciatim ipse animadvertat: & hunc actũ explicamus vocibus, in secũda persona: v.g. si multis audientibus, ego dico: *tu es Iudæus*: omnibus quidẽ id loquor; nõ tamẽ cũ omnibus loquor, neque omnibus id dico; sed id dico illi, de quo id affirmo. Illi autẽ speciali ratione loquor: quia ita illi manifesto meum conceptum, vt ex vi eius voluntatis, eadem ratione manifestaretur, ac si nullo alio audiente, id diceretur. Itaque voluntas illa ineundi sermonem cum aliquo, qui sermo petit ab alio responderi: illa, inquam, volũtas est directio ad eũ, cũ quo §. 36. 1. Animadversio.

quo loquimur. Quando autem sermo ita instituitur, vt nullum responsum petat ab aliquo audiente: tunc non dirigitur ad illum. Vt, si ego de rebus priuatis loquor cum amico, responsum expecto ab amico; non verò à prætereunte audiente. At quando aliquis secum loquitur, à nullo responsum expectat.

§. 37. *Animad.* Secundò adverte, ad loquendum non exigi voluntatem in loquente, vt audiens percipiat rem ignoratam ab ipso audiente. Id est, non requiritur in audiente ignoratio rei, vt cognitæ à loquente; sed possumus loqui cum aliquo de rebus, quas scimus ab audiente scitas, non aliter ac à nobis: sæpè enim amici colloquuntur obiecta reciprocè cognita. Est autem necessaria voluntas faciendi signum, ex quo possit audiens cognoscere obiectum, vt est cognitum à loquente; hæc tamen voluntas est difficilis explicatu.

§. 38. Etenim difficultas occurrit, vtrùm propriè loquamur Deo verbis externis? Censeo, nostrā cum illo loquutionem esse vulgarem; & non exactam: innixā rudi modo, quo concipimus Deum & nostra; non verò innixam ipsi naturæ loquutionis. Probatur: quia loquutio externa naturâ sua est instituta, ob imperfectionem audientis, qui naturâ sua potest ignorare obiectum, vt exprimitur à loquente; sed Deus non habet hanc imperfectionem: ergo Deo non loquimur externè, nisi vulgariter. Probo maiorem: quia loquutio est species signi instrumentalis: *quod, præter speciem, quam ingerit sensibus, facit nos in alterius rei cognitionem venire.* In quo est relatio significantis ad percipientem per signum. Hoc autem signum, naturâ sua institui, propter ignorantiā audientis, patet: quia signa hæc instrumentalia originem traxerunt inter personas, quæ non poterant se cõmunicare, nisi per signa. Nam, ad manifestanda sensa cordis, vtimur signis externis: cum absente verò loquimur, non vocibus, qui illùc non possunt traijci; sed scripto: cum cæco, & surdo, nec scripto, nec voce loquimur; sed ictu: Angeli autem non egent nostris vocibus, neque signis; sed ipsa voluntate loquuntur, quam mutuò intuentur. Recognosce in hunc sensum B. Thom. 1. p. q. 107. art. 3.

B. Thom.

§. 39. Immò ea ratione Michael indiget voluntate, qua velit à Gabriele percipi secreta cordis: quia Gabriel non potest intueri ea secreta, neque aliunde ea cognoscere evidenter. De obiectis autem per se notis Angelis, ipsi non loquuntur; sed præcisè de illis, quæ neque per se, neque aliunde noscuntur evidenter. Quapropter Deus nō indiget eiusmodi voluntate: nam illa secreta cordis Angelici, & occulti hominum sensus ipsi prius sunt noti: vndè non indiget alio principio, ex quo illos cognoscat evidenter. Itaque priùs naturâ, quàm Angelus habeat voluntatem manifestādi Deo, aut alij Angelo secreta: & priùs naturâ, quàm homo velit loqui, iam Deus necessariò videt obiecta, quæ homines & Angeli loquūtur. Quare, ea visio est omninò independens à loquutione hominis, & Angeli: ergo respectu Dei invtilia sunt illa signa: immò & impossibilia: quia illorum necessitatem & vtilitatem invexit ignoratio audientis.

§. 40. *1. Obiectio.* Dices primò, Deū posse cognoscere effecta per caussas, & caussas per effecta: ergo potest Deus per loquutionē cognoscere rē significatam. *Resp.* Respondeo, antecedens negari à maiori parte Theologorum, asserentium Deum omnia cognoscere in se ipso, neque alia ratione: de quo neutram in partem disputo. Distinguo autem consequens: ergo Deus potest per loquutionem cognoscere omnes caussas, à quibus pendet naturaliter, concedo consequentiam: nam etiàm loquutiones cognoscit per easdem caussas; potest cognoscere per loquutionem obiectum & principia, à quibus pēdet, cum necessitate illius, nego consequentiam: quia priùs naturâ, quàm existat loquutio, iam Deus cognoscit obiectum. Vndè illud cognoscit: non præcisè, quia loquutio est; sed quia hęc habet relationē transcēdentalē cū obiecto. Angeli autem non discunt à nobis aliquid, per loquutionem externam; sed per internam voluntatem loquendi. At verò divinitùs possumus cum illis loqui per voces: quia & possunt ignorare actus internos.

§. 41. *2. Obiectio.* Dices secundò: sæpè loquimur amicis, quos, certi sumus, scire ea, quę loquimur: ergò etiam possumus loqui Deo. *Resp.* Negò consequentiam: quia amicus tunc efformat conceptum rei dictæ per voces priùs cognitas: qui conceptus potest esse, quin audiens priùs cognoverit rē dictā. Quapropter cognitio prior per accidens est huic conceptui, qui pendet à voce externa. Deus autem priùs ratione, quàm formetur vox, cognoscit voluntatem internam, ex qua cognoscitur sensus internus: vndè vox est Deo omninò invtilis. Eadem ratione non eget cognitione nostræ voluntatis, neque Angelicæ: quia antequàm illam videat, videt obiectum per illam significatum.

§. 42. *3. Obiectio.* Dices tertiò: ergo Deo non loquimur, magis quàm saxo, aut bruto. *Respondet.* Nego consequentiam: quia cum bruto neque loquimur propriè; neque per metaphoram superiorem; Deo autem quamvis non lo-

S. Tho. q. 1. Art. 1. quimur propriè; loquimur tamen per metaphoram superiorem. Nam bruto ideò non loquimur: quia non potest percipere obiectum per vocem; neque sensum, ex quo oritur vox, propter imperfectionem ipsius. Deo autem non loquimur, propter eius perfectionem: quia prius cognoscit obiectum, quàm illius signum. Deus item reflexè cognoscit significatum nostrarum vocum: quid significent, & cui? Item, vtrùm benè aut malè loquamur? & alia id genus. Quapropter possumus dici, loqui cum Deo eminenter: quia præstamus signa, quæ Deus cognoscit multo melius, quàm nos.

§. 43. Rogas, quare loquamur Deo? Respondeo: quia habemus affectum, vt ipse nos donet munere, quod petimus. Est autem nobis commune, verbo petere, quod mente: apprehendimusque Deum, more nostro, & reflexè cognoscimus, eum non indigere nostris vocibus, vt nos percipiat. Item, oratio vocalis est quoddam genus adorationis: & ea signa damus, ad recognoscendam excellentiam Dei. Quòd si brutis loquimur: quia ea voce significamus affectum, quidni loquemur Deo? loquimur autem propriè, petendo aliquid à Deo: quæ loquutio, est ipsa petitio in Deum directa; eius verò manifestatio, non est propriè loquutio.

SVBSECTIO. VII.

Quæ requirantur in audiente?

§. 44. PRIMVM est in audiente, auditio vocum externarũ; aut visio characterum; sive perceptio sensitiva de signo, quo loquimur. Quod commune est etiàm brutis, quibus alloquimur impropriè: percipiunt enim vocem & tonum. Secundò requiritur iudicium, quo audiens iudicat, aliquem ipsi audienti loqui. Exempli gratiâ: Beatus Petrus, audita hac voce Christi: *Petre, amas me?* iudicauit, Christum ad ipsum Petrum direxisse sermonem. Hoc iudicium, tantùm requiritur in audiẽte, ad quem speciatim dirigitur sermo; non verò in alijs, in quibus excitatur assensus, de voluntate iudicij internè loquentis, si attendant. Item hoc iudicium de existentia vocum, & sermonis directione; est intuitivum: de quo non potest dubitare, nisi cæcus, aut surdus.

§. 45. Tertiò requiritur iudicium de re significata per vocem, fundatum in imperfectione & necessitate audientis: quale iudicium Deo negavi, subsect. 6. Quo etiàm carent bruta, aliam ob caussam, nempè: quia non possunt percipere significatum ad placitum.

Obijcis multa, de canibus, equis, & elephantis: quæ non possunt esse vera; nisi per voces percipiant significata. Refert enim Lipsius, equos Sybaritarum solitos, referre pedes ad numerũ, motos fidium pulsibus; & equum signis, respondere quæstionibus nonnullis. De Elephanto refertur à Lusitanis, noluisse navim ingredi: quia Elephantarius ei dixit: *ne ingrediaris.* Canes autem videmus quotidiè saltare pro Rege Hispaniæ; non verò pro Galliæ, neque pro Turca. §. 46. Obiectio. Lipsius.

§. 47. Resp. Respondeo, bestias non percipere, quæ vocibus dicuntur; neque illarum significatione moveri, quam omninò ignorant; sed moveri apprehensione alicuius boni, aut mali, cuius speciem accipiunt, simul cum specie vocis, aut alicuius signi. Cuius evidens argumentum est, iisdem vocibus non moveri, si cum diverso tono proferantur. Nam Magister canis, quando vult canem saltare pro Rege Hispaniæ, vocem flectit in fine, accentu leni; quia eum docuit, cum eo accentu saltare, impacto fuste. Si autem tono aspero, & accentu inflexo, ei præcipiat, vt saltet pro Rege Hispaniæ, non saltabit: quia expertus est canis fustem, quando saltat cum eo accentu. Quòd si accentu leni, illi præcipiatur saltus pro Turca, saltabit. Magis tamen mirandus est canis Regis Lusitaniæ, qui, audito nomine alicuius domestici Regis, eũ accersebat, dẽtibus apprehensa veste. Ego etiàm canẽ novi, qui comitans heram, auditoque cymbalo significante sacrum, eam vrgebat, vt citaret gressum. Respondeo tamen, falsa esse, quæ de cane Lusitano dicuntur. Multa itẽ fieri, adiuvante Dæmone, vt aliquem decipiat; vel saltem, cum specie nominum, impressam fuisse cani speciem hominis: quòd si aliud nomen audiret canis; non accerseret eum, cuius erat nomen. Canis autem ille Valmasedanus, non apprehendebat sacrum; sed tantum, ingressum in templum, cuius speciem acceperat, cum pulsu campanæ. Quemadmodum ego vidi Pompelonæ molossum eiulantem, quando audiebat fæmineos eiulatus, in obitu virorum: canem enim illum docuerat puer eiulare, eiulans apud ipsum canem, ridendi gratiâ; quoties autem canis audiebat voces tristi accentu, ipse quoque eiulabat. De Elephantis multa quoque per fabulam dicuntur. Demus autem equorum choreas, vt ego vidi Madridi in equili Regio exiguum equum, qui, audito sono, inter petras, virgâ

virgâ tenui excitato, saltabat, etiàm ad motum, quem Hispani vocant, *Zarabanda*, quem finiebat, impactis quinquies calcibus in ostium equilis. Hæc autem omnia faciunt bruta, acceptis simul speciebus illorum duorum obiectorum. Quemadmodũ effecit quidam, vt cati fugerent, audita eius voce; eum tamen non videntes: quia eos in saccum conclusos sæpius diverberavit, præmissa voce ante verbera: hâc posteà audita, fugiebant cum crebro vlulatu. Vndè concludo, bruta non moveri vocis significatione; sed comitanti specie, ita respondent, audita vna voce, & fugiũt, audita alia. Homines verò non tàm moventur tono, & accentu; quàm vocibus ipsis.

SVBSECTIO VIII.

In quo consistat formaliter loquutio?

§. 48. HÆC quæstio non tàm est de rebus ipsis, quàm de ipsarum significatu. Constat enim, qui actus & signa sint in audiente, & loquente. Quæ autem actio dicenda sit loquutio? quæstio est de nomine. Sunt tamen varia hominum placita, quæ refert P. Vazquez 1. part. tom. 2. disp. 211. Aliqui censẽt (& suo iudicio, cum Aristotele) verba & loquutionem, esse sonum productum labiorum motu: de quo egi, §. 11. Scotus opinatur, non distingui loquutionem ab auditione; sed vtramque esse eumdem numero actũ existentem in audiente: qui actus, vt dicit relationem ad loquentem, vt ad caussam efficientem, est loquutio; vt autem respicit audientem, vt recipientem, est auditio. Quod explicari potest exemplo motus; qui, vt egreditur ab agente, est actio; vt autem recipitur in passo, est passio.

P. Vazq.

Opinio Scoti.

§. 49. In Logica disp. 8. sect. 2. subscripsi huic Scoticæ sententiæ, dum loquutionem formalẽ constituit in actu intellectus, quo audiẽs percipit, quod per vocẽ dicitur. Quæ sententia nõ leviter insinuatur ab Apostolo, 1. ad Corinthos 14. cum expositione Augustiniana.

1. Corint. 14.

§. 50. Præmoneo tamen, revelationem, prophetiã, atque doctrinã, esse species loquutionis: loquutio enim genus est: quia significat manifestationẽ rei, vt cognoscitur ab aliquo: manifestationem, inquam, ab ipso loquente, per signa significantia rem ipsã. Hæc autẽ signa dãtur interdũ discipulis à Magistro, quibus eos docet præcepta, vt ab ipso sentiuntur. Interdum etiàm dantur homini à Deo, manifestante conceptum suũ: quæ manifestatio dicitur revelatio. Itaque doctrina & revelatio sunt species loquutionis.

Distinguo item loquutionem formalem ab instrumentali: loquutio enim est signi species. Nam loquutione facimus aliquem venire in cognitionem alicuius rei. Signũ autem partimur in instrumentale & formale. Formale, est cognitio rei significatæ, effecta per instrumẽtale, estque, se ipsâ, imago rei: quapropter dicitur signum formale. Quia omnes effectus, quos præstant res per se ipsas, independenter ab aliquo alio, dicuntur effectus formales. Cognitio verò, se ipsâ, repræsentat obiectum; ac propterea est illius repræsentatio formalis: vt dixi, in explicatione vocum, quam præmisi Logicæ §. 1. Instrumentale autem signum est, quod est instrumentum, quo cognoscimus aliud: v.g. vox est instrumentum efficiens cognitionem rei significatæ. Quare, hoc signum non est formale; sed effectivum: quia non se ipso repræsentat obiectum; sed faciendo cognitionem ab ipso distinctam. Sic species impressa potest vocari signum instrumentale: quia est virtualis repræsentatio obiecti; at verò, quia repræsentat, quin prius cognoscatur, potest in parte vocari signum formale: vt dixi disp. 8. Logicæ sect. 1. Ita divido loquutionem formalem, & instrumentalem. Formalis, est cognitio audientis de re dicta, effecta per voces, aut signa loquentis; instrumentalis verò sunt ipsæ voces & signa, quibus efficitur talis cognitio. Rationem à priori sumo: quia loquutio vt sic, est species signi, ac tãtùm dividitur, quantùm signum ipsum. §. 51.

Dico ergò primò, voces externas, & quodvis aliud signum, quod prius cognitum, ducit in cognitionem rei dictæ, esse loquutionem instrumentalem. Probatur: quia sunt signum instrumentale, significãs audienti rem, vt cognitam à loquente. De qua conclusione dubitat nemo; immò apud vulgus, hæc est frequens vsurpatio loquutionis. Si enim quis persuaderet vulgo, neminem loqui absolute per voces; sed præcise per conceptus internos audientis, existimaretur imponere plebi. Præterea Paullus 1. ad Corinth. 14. 2. docet, *spiritu* (id est, linguâ) nos loqui. Quod clarius constabit ex §. sequenti. §. 52. 1. Conclus.

1. Corint. 14.

Dico secundò, loquutionem formalem esse cognitionem audientis, effectam per instrumentalem. Immò, vsurpata loquutione proprie, Metaphysice, & non vulgariter, sola hæc auditio est formaliter loquutio; instrumentalis verò, est loquutio secũ- §. 53. 2. Conclus.

S.Tho.q. 1. Art. 1. dum quid. Quam conclusionem docent Scotus & alij multi, quos sequutus P. Antonius Fernandius in Visiones veteris testamenti; Præludio 3. num. 5. Eam non leviter insinuat Paullus 1. ad Corinth. 14. 2. *qui enim loquitur linguâ, non hominibus loquitur; sed Deo: nemo enim audit. Spiritu autem loquitur mysteria: nam, qui prophetat, hominibus loquitur, ad ædificationẽ.* Quibus docet Apostolus conclusionem primam: nam proferre verba, etiàm coram non percipiente, dicitur ab Apostolo, *spiritu loqui.* Docet præterea hanc eamdem conclusionem: monet enim Corinthios, vt compescant aviditatem loquendi linguis, & ament docere plebem. Ait autem eum, qui loquitur linguâ coram non percipiente, loqui soli Deo; non verò ei, coram quo loquitur. Hoc tamen non dixit, quòd absolutè non proferantur verba, & audiantur ab eo, coram quo proferuntur: nam versu 23. eis idem persuadet: quia si, conveniente integra plebe, & tota illa loquẽte linguis, intret in templum idiota, arbitrabitur illos insanire. Ergo quando versu 2. dixit Apostolus, loquentem linguis, neque loqui audientibus, neque audiri; non egit de hac loquutione externa, & auditu per aures; sed de loquutione & auditu internis. Ait namque: *qui enim loquitur linguâ, non hominibus loquitur; sed Deo*, rationem autem reddit: *nemo enim audit*, id est, nemo percipit, quæ dicuntur; nisi solus Deus. Ergo antequàm percipiantur, quæ dicuntur, deest aliqua species loquutionis & auditus; sed non deest loquutio, neque auditus externus: ergo deest auditus & loquutio interna. Addit Apostolus: *nam, qui prophetat, hominibus loquitur*, id est, percipitur ab hominibus, quibus, vel occultos pandit sensus, vel præcepta catholica tradit. Itaque Paullus non existimat mecum aliquem loqui, neque illum à me audiri, dum nõ percipio, quæ dicuntur: quantumvis aerem & aures diverberet, prolatis vocibus. Quod etiàm

P. Anton. Fernand.

1. Cor. 14.

Gen. 11. 7. colligitur ex illo Genes. 11. 7. *Venite igitur, descendamus, & confundamus ibi linguam eorum, vt non audiat vnusquisque vocem proximi sui.*

§. 54. *Augustini sententia.* In sensum hũc Augustinus traxit Paullũ non invitum, hoc in loco, tom. 3. lib. 12. de Genesi ad litteram, cap. 8. & 9. Cuius verba præteriri nõ possunt: quia luculenter hanc conclusionem illustrant. Sunt autem hæc: *Sed ex illo vno modo, quem invenimus in epistola ad Corinth. quo spiritus à mente distinguitur, evidentissimo testimonio. Si enim oravero, inquit, linguâ, spiritus meus orat; mens autem mea infructuosa est. Cùm ergò lingua intelligatur, hoc loco, dicere obscuras, & mysticas significationes, à quibus si intellectum mentis removeas, nemo ædificatur, audiendo quod non intelligit. Vndè etiàm dicit: qui enim loquitur, non hominibus loquitur; sed Deo: nemo enim audit. Spiritus autem loquitur mysteria satis: indicat, eam se linguã, hoc loco, appellare, vbi sunt significationes, velut imagines rerum, ac similitudines, quæ vt intelligantur, indigent mentis intuitu. Cùm antem non intelliguntur, in spiritu eas dicit esse; non in mẽte. Quia ergò etiam linguã, id est membro corporis, quod movemus in ore, cùm loquimur, signa vtique rerum dantur, non res ipsæ proferuntur: propterea, translato verbo, linguam appellavit quamlibet signorum prolationẽ priùsquàm intelligantur: quò cùm intellectus accesserit, qui mentis est proprius, fit revelatio, vel agnitio, vel prophetia, vel doctrina.* Hæc Augustinus.

Quibus clarè docet hanc nostram doctrinam. Etenim inanem prolationem vocum, antequàm percipiantur, vocat, non prolationem rerum; sed signum sufficiẽs, ad cognoscenda obiecta; illum autem sonum non esse prophetiam, neque revelationem: hanc enim cõstituit in intellectu audientis. Itaq; antequàm ille, cui Deus loquitur, percipiat quæ dicũtur, nõ est prophetia, neq; revelatio; quamvis dentur signa ad cognoscẽdum. Item, antequàm discipulus percipiat doctrinam magistri, non est doctrina: quamvis magister verba faciat, quibus doceri possit discipulus. Concludit autem Augustinus: *proinde, quibus signa, per aliquas rerum corporalium similitudines, demonstrabantur in spiritu; nisi accessisset mentis officium, vt etiàm intelligerentur, nondum erat Propheta.* Alij meliùs legunt, *nondum erat Prophetia.* §. 55.

Vndè argumentor primò: perceptio audientis est revelatio, prophetia, atque doctrina, vt constat ex Apostolo, & Augustino; sed revelatio, doctrina, & prophetia, sunt species loquutionis: ergo perceptio audientis est species loquutionis. At non est species loquutionis instrumentalis: quia omnis huiusmodi loquutio movet audientem, vt priùs cognita: ergo est species loquutionis formalis. Adde: antequàm audiens percipiat, non est absolutè revelatio, neque prophetia, neque doctrina: ergo absolutè prophetia & revelatio sunt species perceptionis audientis. Antecedens constat ex Paullo, & Augustino asserente, externam loquutionem esse rerum signa; non verò earum prolationem, id est, esse signa instrumentalia; non verò absolutam expressionem. §. 56.

Secundò argumentor: quia, quando aliquis docet, aliquis docetur: nisi enim quis doceatur, quis manet doctus illa doctrina? Item, posse significare, est posse manifestare obiectum: ergo significare in actu, est actua- §. 57. 2. Argum.

actualis manifestatio; at nihil manifestatur, nisi percipiatur ab audiente: ergo. Recognosce hæc argumenta dispu. 8. Logicæ sect. 2. Animadverte à S. August. tom. 8. in Psal. 118. Concione 17. hæc, verbum pro verbo, asseri: ***At verò*** (inquit) ***scientia, quam tertio loco posuit in his, quæ ait, doce me, docendo datur. Nam, quid est aliud docere, quàm scientiam dare? & hæc duo ita sibi connexa sunt, vt alterum sine altero esse non posit. Nemo enim docetur, nisi discat; & nemo discit, nisi doceatur, &c.*** Perlege integrum locum, vbi per *dicere* intelligit, facere verba instrumentalia: quod in doctrina non admittit.

August.

§. 58. Tertiò probatur à priori: quia quando aliquod prædicatum convenit duabus rebus: alteri instrumentaliter; alteri formaliter: illud prædicatum absolutè cōvenit rei, cui formaliter convenit; cui autem instrumentaliter convenit, metaphoricè & impropriè. Sed esse loquutionem, convenit vocibus instrumentaliter; cognitioni autem audiētis convenit formaliter: ergo esse loquutionem, absolutè & propriè convenit cognitioni audientis; vocibus autem, metaphoricè & impropriè. Minor iam est probata: quia loquutio est species signi: vndè, qua ratione loquimur, significamus aliquid per voces: ergo loquimur per voces. Loquimur autem & significamus instrumentaliter: quia vocibus efficimus signum, vel significationem formalem in audiente. Maior verò constat primò, in luce & calore: hic enim est propriè & absolutè calor: quia est formaliter & se ipso calor; lux autem nō est formaliter & absolutè calor; sed secundum quid & impropriè: quia solùm habet virtutem ad calorem. Item, cognitio est absolutè repræsentatio obiecti: quia est formalis repræsentatio; species autem impressa non est absolutè repræsentatio obiecti: quia præcisè est repræsētatio virtualis, quæ potest efficere formalem repræsentationem. Tertiò probatur, in pharmaco sano: quæ sanitas illi convenit secundum quid, & impropriè: quia est instrumentum ad sanitatem; animal autem est absolutè sanum: quia habet sanitatem formaliter. Quartò à priori: quia omne, quod est absolutè tale, debet in se habere conceptum formalem, à quo oritur illa denominatio; sed, quæ sunt instrumentaliter talia, non habent conceptum formalem, quo datur illa denominatio: ergo.

§. 59. 1. Obiectio. Respondet. Dices primò, signa instrumentalia esse absolutè signa: ergo hoc prædicatum, non solùm convenit signis formaliter. Probo antecedens: tum, quia illa signa nos faciunt venire in cognitionem rei significatæ; tum, quia rogamus, quid significet hoc signum? Nego antecedens. Ad primam probationem, distinguo antecedens: nos faciunt venire in cognitionem rei significatæ instrumentaliter, concedo antecedens; formaliter, nego antecedens. sicut pharmacum nos reddit sanos efficienter, & non formaliter. Signum ergò instrumentale formaliter habet virtutem activam, ad repræsentationem formalem; vt lux, ad calorem: & sicut hoc, est esse calorem secūdum quid; ita & illud, esse signum secundum quid. Ad secundam probationem respondeo, illam interrogationem perinde esse, ac interrogare, quid possimus cognoscere per illud signum?

Dices secundò, nos loqui cum pœnitentibus & infantibus, quando illos absolvimus, aut baptizamus; tunc autem, neque infans nos percipit, & potest pœnitens non percipere: vt si post confessionem, & ante absolutionem, corripiatur deliquio. Distinguo antecedens: loquimur instrumentaliter & impropriè, concedo antecedens; loquimur formaliter, & absolutè, nego antecedens. Forma autem sacramenti, est loquutio instrumentalis, vt subest intentioni Ministri. Ita reservantur etiàm nonnulla peccata, quæ verbis proferimus, tametsi nō audiantur actu: quia, quod attinet ad forum exterius, iam sunt in statu, quo per se possint disquiri: vt hæresis externa. §. 60. 2. Obiectio Resp.

Adverte, cognitionem audientis, ad loquutionem, indigere denominatione quadam extrinseca, non immediatè in ipsa; sed in loquutione instrumentali: v. g. Petrus loquitur apud se solum, cum voluntate, vt à nullo audiatur. Illa vocis prolatio, non est absolutè loquutio, etiàm instrumentaliter: quia Petro deest voluntas, vt ab aliquo percipiatur. Ita cognitio illius vocis, & rei significatæ per illā, nō est in audiente absolutè auditio, neq; loquutio loquētis: quia nō est producta per voluntatem loquentis. Nisi fortè dicamus, non esse necessariam voluntatem formalem, vt alius nos percipiat; sed sufficere virtualem, nempè, voluntatem faciendi signa de se apta, ad cognitionem rei significatæ per illa. Nollem tamen hærere in salebris quæstionum de voce. §. 61.

SECTIO II.

De loquutione Angelica.

NON possumus omittere disputationem de loquutione Angelica: quia obiectum fidei est etiàm revelatio Dei Angelis facta: quam revelationem non possumus perfectè cognoscere nisi, §. 62.

S.Tho.q. 1. Art. 1. nisi cognoscamus reciprocam Angelorum cognitionem, ad cuius imitationem, illis Deus loquitur. Neque item possumus hanc disputationem ad vivum resecare. Sufficit indicare rationes diversas, quibus Authores censent Angelos, mutuos inire sermones. S.Thom. P. Molin. P.Vazq. De quo videri possunt S. Thomas, 1. part. quæst. 107. P. Molina, quæst. 106. art. 1. & P. Vazquez disp. 211.

§. 63. Scotus. Scotus in secundum, dist. 9. quæst. 2. §. *ad quæstionem istam*, & §. *ad vlteriorem*, censet, Angelum cum alio loqui, efficiendo in illo cognitionem rei, quam loquitur. Quam cognitionem, in audiente, vocat auditionē, vt in illum recipitur; vt autem illemet actus oritur à loquente, vocatur à Scoto, *loquutio*. Cuius sententiæ eruditam explicationem P.Vazq. videbis, apud P. Vazquez, ea disp. 211. cap. 2. Poterit autem Angelus audiens cognoscere, loquutionem illam esse loquutionem Michaelis, aut Gabrielis: quia potest habere actum reflexum, quo, comprehensa ea loquutione, iudicet illam effectam à Michaele, aut Gabriele: item poterit iudicare, loquentem verè, aut falsò loquutum. In hac sententia, Angeli sermonem faciunt, absque loquutione instrumentaria: quia non efficiunt aliquod signum, quòd priùs cognitū, ducat in cognitionem rei, quam loquuntur; sed solùm reperitur loquutio formalis. Angelis autem loquetur Deus, efficiendo in illis cognitionem obiecti, quod illis manifestat.

§. 64. Richard. P. Molin. P. Albert. Richardus & alij Doctores antiqui, quos refert & sequitur P. Molina 1. part. quæst. 106. art. 1. §. *secunda conclusio*, & P. Francisc. Albertinus, q. 11. Theologica, in 10. Corrolarium, docent, Angelos secum loqui, aliquibus signis externis, quibus ad placitum significant res, vt ab ipsis concipiuntur: quę loquutio præcisè differt à nostra, in qualitate signorū: quia nostra sunt corporea; illorum verò spiritualia. Attamen in significatione ad placitum, & directione sermonis, & voluntate cum hoc potiùs, quàm cum illo loquendi, similia sunt omninò nostra illorumque signa. In qua sententia, Deus loquetur Angelis, similibus signis, vt loquitur hominibus.

§. 65. S.Thom. Tertiò: Sanctus Thomas 1. p. quæst. 107. art. 1. docet, Angelum cum alio loqui, dirigendo, per voluntatem, conceptus sui intellectus, ad alium Angelum. Hæc sententia multis visa est impossibilis intellectu, & explicatu: cui fundamentum præbuit Caietan. Caietanus, & alij Thomistæ, obscuris interpretationibus, quibus excitatur invidia in eam sententiam; quam tamen sic facilè explano. Directio illa voluntatis, est voluntas Angeli loquentis, quâ vult, secreta sua percipi ab audiente. Hac voluntate existente, Deus infundit speciem Angelo audienti, vt percipiat voluntatem Angeli loquētis: qua cognita, percipit secretum cordis; vel saltem, excitat speciem præexistentē, vt percipiat ea obiecta. Hæc loquutio est similis nostræ; qua ratione volūtas Angelica priùs cognita, ducit audientem in cognitionem rei, quam loquitur Angelus: item, qua ratione audiens cognoscit, quis sibi loquatur. Est tamen discrimen, quòd vox nostra auditur ab omnibus circumfusis hominibus: quia, illâ prolata, non possumus cohibere, ne producat speciem sui per aerem diffusam. Angelus autem solum auditur ab eo, à quo vult: quia species impressa præcisè datur illi ex natura rei; & non alijs. Hæc voluntas Angeli loquentis, est illa lingua Angelica commendata ab Apostolo, 1. ad Corinth. 13. 1. Cognitio verò audientis, producta per illam voluntatem, est formalis loquutio, & auditio. Deus autem Angelis loquetur, per similem voluntatem. 1. Cor. 13.

SECTIO III.

De loquutione Dei, per voces & signa externa.

§. 66. DEUM non posse propriè loqui creaturis irrationalibus, inde cōstat, quòd illæ non possunt percipere Deum; neque cognoscere rem per signa; neque dijudicare, cuiusnam sit illa loquutio. Potest autem Deus loqui Angelis, animæ separatæ, homini vtenti ratione, & puero non vtenti: de quibus instituenda Scotus. quæstio. Ac primùm constat, contra Scotum, à §. 20. necessariam esse voluntatem virtualem, qua Deus velit, vt audiens percipere possit, quid sentiat Deus ipse de obiecto, quod loquitur. Quæ voluntas virtualis, est actus efficax, quo facit aliquod signum, quod priùs cognitum ducat in cognitionem rei significatæ: quia signum illud fit ex cognitione ipsius Dei, de re significata per signum; alioquin non erit propria loquutio.

§. 67. Conclus. Dico, Deum interdum hominibus loqui, per voces & signa sensilia: ita, vt formentur voces in aere, per quas pulsentur aures, quibus loquitur Deus: & ex quibus cognitis, cognoscantur dicta Dei, vt ab ipso cognoscuntur: item cognosci possit, Deum ipsum loqui. Doctrina est S. Thomæ 2. 2. q. 173. S.Thom. art. 3. vbi etiàm confirmat, quæ de voluntate virtuali dixi, §. 26. & 32. Adde, Authorem

rē libri de essentia divinitatis, post mediū, qui liber circumfertur tomo, 4. operum B. Augustini; opinatur autem Martinus Lipsius, Authorem eius libri fuisse S. Eucherium. Ibi docetur Deum loquutū Moysi in rubo; Abrahamo, & alijs, per Angelos. S. Augustinus, eodem tom. 4. lib. 2. quæstionum in Exodum, quæst. 149. *Deus* (inquit) *illos occultiùs diligebat, qui manifesta voce terrebat.* Et quæst. 151. *quoniam illæ omnes visiones Dei, quæcumque mortalium præbebantur aspectibus, ex quibus fiebat sonus, quo mortalis tangeretur auditus.* Et tom. 3. lib. 2. de Trinitate cap. 6. hæc ait: *ad hoc enim corporis rerum illarum extitit species:* item cap. 7. *propter has ergò corporales formas, quæ, ad eam significādū &, sicut humanis sensibus oportet, demonstrandum, temporaliter extiterunt.* Cap. autem 10. docet apertè, Deum specie humana apparuisse, & loquutum Adamo. Cōsentit S. Gregorius Magnus, lib. 28. Moral. cap. 2.

Lipsius. August. S. Greg.

§. 68. Obiectio. Obijcis, S. Eucherium adductum §. superiori, dixisse, in loquutione Dei non esse strepitum vocum. Resp. Respondeo, eum loquutum de necessitate; non verò de potentia, vt constat indidem: id est, censuit non esse necessarium strepitum vocis; dixit autem esse possibilem. Exponitur P. Suarez. Sic expono P. Suarez tom. 1. in 3. part. disp. 27. sect. 2. §. *sed occurrit secunda difficultas,* vbi docet, Deum non loqui per signa aut verba ad placitum significantia; sed solùm per conceptus intellectuales naturaliter repræsentantes: quod non est intelligendum de repugnantia, vt Deus loquatur per hæc signa; sed de necessitate: quia Deus potest absque illis signis loqui.

§. 69. 1. probat. Genes. 3. Probatur primò ex cap. 3. Genes. vbi Deus describitur specie humana, sermonē miscens cū Adamo & Eva. Recognosce P. Benedictum Fernandez, sect. 20. & 21. in illud cap. id confirmantem ex compluribus Patribus. Quibus adde Augustinum tom. 3. lib. 2. de Trinitate cap. 9. & lib. 11. de Genesi ad litteram cap. 33.

P. Bened. Fernand. August.

§. 70. 2. Probat. 1. Reg. 3. 4. Secundò probatur ex lib. 1. Reg. 3. 4. Vbi Deus loquutus fuit Samueli, referens vocem Sacerdotis Heli, tam expressè, vt arbitraretur puer, se vocatū ab eodem Heli. Eas autem fuisse veras voces, constat, tū ex textu: quia, ijs auditis, cucurrit Samuel ad sacerdotem Heli; tùm etiàm ex interpretibus: maximè Tostato quæst. 3. Neque dubitari potest, Abrahamum vidisse Angelos, & convenisse: à quibus ipse & Sara audierunt futuram prolem. Neque verò somnia fuerunt, visio trium iuvenum, illorū vocatio, & exceptio, adoratio, lotio pedum, occisio vituli, Saræ risus, & alia. Quis autem dicat, Lot & vniversam Sodomam, inter somnia, vidisse Angelos, quorū pulchritudine allecti Sodomitæ vniversi, eos petiverunt ab vtendos.

Tostat. Genes. 18. Genes. 19.

Tertiò, ratione: quia Deus, & se solo, & per Angelos potest formare voces, quibus nobis loquatur: ergo id factum fuit. Probo cōsequentiam: quia Scriptura sæpè narrat, id accidisse; sed, quæ narrātur historicè, sunt historicè accipienda; nisi quid nos cogat, alios vestigare sensus: ergo. Vtrùm autem Deus immediatè loquatur, vel per Angelum? parùm refert præsentis instituti: quacumque enim ratione loquatur, verba sunt accipienda, vt ab ipso Deo: quia, vel ab ipso solo efformantur; vel eius imperio, ab Angelo bono. P. Antonius Fernandez visione 6. comment. 2. sect. 1. cum multis Patribus censet, Deum aliquando loquutum per se ipsum; quin per Angelum. Multi autem Patres censent oppositū: quia Deus numquàm adsumpsit corpus ad loquendum; sed id adsumptū est ab Angelo, quoties dicitur Deus alicui apparuisse. Quod manifestè docent Magnus Gregorius, 28. Moral. cap. 2. & Augustinus, tom. 3. lib. 8. de Trinitate cap. 27. & alibi.

§. 71. 3. Probat. P. Ant. Fernand. Gregor. August.

SECTIO IIII.

Ad quem habitum spectet hæc Dei loquutio?

HARVM disputationum scopus est, vestigare naturam & attributa fidei; præcipuo autem ex cap. vestigatur ex obiecto formali, quod dixi esse revelationem Dei; Dei verò reuelatio est eiusdem loquutio. Revelatio autem & loquutio Dei, alia est instrumentalis; formalis alia: vt de loquutione in communi dixi, §. 60. & 68. Est igitur quæstio, vtrùm obiectum formale fidei sit sola revelatio formalis, quæ est cognitio audientis, effecta per hæc signa Dei? an verò etiàm revelatio instrumentalis sit obiectum formale fidei: quæ revelatio instrumentalis, sunt hæ voces signaque Dei? §. 72.

Deo loquente per voces, sunt in audiente, quæ in nostra loquutione. Auditur enim sonus ipse, vt à Samuele & Adamo; aut videntur signa, vt characteres in pariete à Daniele & Balthasaro. Secundò, iudicātur illæ voces, aut characteres esse signa rei dictæ. Tertiò, assentimur obiecto, propter ipsa verba Dei. Quartò, possumus cōijcere sententiā Dei de obiecto, quod loquitur. §. 73. Daniel 5.

Item,

§. 74. Item, loquutio formalis & instrumentaria Dei possunt cognosci bifariàm: nempè, clarè, & obscurè. Clarè quidem, dum cognoscimus loquutionem illam esse à Deo, volente nobiscum agere, absque Angelico famulatu; vel agere per Angelum, gerentem vices Dei: vt B. Augustinus exponit familiarem sermonem Dei cum Moyse collatū fuisse per Angelum; & non immediatè à solo Deo. Itaque hæc cognitio evidenter repræsentat Deum, vt loquentem eo genere sermonis: de qua satis longus instituetur disp. 28. Secundò, potest cognosci revelatio Dei obscurè: quamvis enim intueamur ea verba; ignoramus tamen, an facta sint à Deo, nec ne? vt contigit Samueli audienti verba Domini, quæ adhuc ignorabat, quoad hoc munus faciendi verba: quæ Dei credidit esse testimonio Heliano. Vt nos credimus testimonio Ecclesiæ, revelationem Isaiæ fuisse à Deo; movemur tamen evidentiâ credibilitatis: qua item possumus moveri, ad credendum à Deo factas has voces, è quibus cognoscimus obiecta à Deo dicta. In quo casu versatur nostra difficultas, an illæ voces cognoscantur per fidem? an per alium habitum?

B. August.

SVBSECTIO. I.

Ad fidem spectant illæ voces.

§. 75. Conclus. DICENDVM censeo, illas voces sic obscurè cognitas, pertinere ad fidem, ad quam spectat revelatio formalis. Pro hac sententia nullum authorem adducere possum: quia nullum adhùc vidi, qui hanc quæstionem attigerit. Censeo tamen ab illa esse omnes, qui revelationem Dei constituunt distinctam realiter ab ipso Deo. Nullus enim dixit revelationem formalem obscurè cognitam, pertinere ad habitum distinctum, ac instrumētarium; sed indiscriminatim asserunt, omnem revelationem Dei esse obiectum formale fidei. Immò, quoties agitur de testimonio alicuius, prius nobis occurrit instrumentalis loquutio, quàm formalis: & vix pauci Metaphysici argutantur, in distinguenda loquutione instrumentali à formali. Quamvis enim eas distinguant; frequenter tamen meminimus testimonij instrumentarij, & non formalis. His iam scriptis, prodijt liber de fide Patris Suarez docentis conclusionem hanc, disputat. 8. sect. 5. num. 3. & sect. 6. num. 4.

P. Suarez.

Probatur primò à simili: quia fide humana credimus homini, propter eius loquutionem instrumentalem: ergo divina possumus credere Deo, propter idem testimonium. Consequentia patet: quia quæ, ex parte hominis loquentis, possunt terminare fidem in hominem; eadem, ex parte Dei loquentis, possunt terminare fidem in Deum: solumque est discrimen, quòd authoritas humana est infinitè inferior divinâ, testimoniumque Dei habet nobiliorem actionem: testimonium item & authoritas divina terminant fidem infusam, longè antecellentem nostræ. Secundò probatur eadem consequentia: quia, vt loquutio instrumentalis hominis est ipsius instrumentarium testimonium; ita loquutio externa Dei est eius instrumentarium testimonium. §. 76. 1. Probat.

§. 77. Antecedens autem probatur communi experientiâ: raró enim reflectimus in auditionem nostram, quæ est testimonium formale, productum per instrumentarium. Nam, cùm aliquem audimus, non exercemus hunc actum: *ego audio testimonium instrumentale hominis*; sed præcisè directè illud audimus: quo audito, percipimus obiecta, quæ dicuntur; cognita autem loquentis authoritate, illi assentimur, aut dissentimur. Exercemus enim frequenter hunc syllogismum: *credendum est homini frugi, quando aliquid loquitur, & non habemus fundamentum partis oppositæ; sed hic est homo frugi, & loquitur, neque habemus fundamentum partis oppositæ: ergo huic est credendum.* Hunc syllogismum virtualiter, aut formaliter efformamus, quoties alicui credimus: in quo nulla est cognitio reflexa, terminata ad nostram cognitionem, percipientem testimonium instrumentarium; sed omnes cognitiones sunt directæ de authoritate loquentis, de eius vocibus, & de obiecto, quod loquitur. Equidem vix vnquàm rationem nostræ fidei reddimus, ex auditione formali; sed ex ipsis vocibus, aut characteribus. Cùm enim aliquis, ob alicuius litteras credit, pro ratione credendi, reddit easdem litteras; non verò cognitionem per illas excitatam.

§. 78. 1. Obiectio. Dices primò, non posse testimonium instrumentarium cognosci; quin cognoscatur loquutio formalis: ergo non possumus credere, propter solum instrumentarium. Probo antecedens: quia testimonium instrumentarium est per ordinem ad formale; ita vt dicat, in ratione instrumenti, essentialem ordinem ad cognitionem: quemadmodum sanitas pomi non potest concipi, nisi per ordinem ad sanitatem animalis. Nego antecedens. Ad probationem respōdeo, testimonium instrumentarium posse cognos-

cognosci, vel reflexè, in ratione testimonij; vel directè audiri, absque conceptu reflexo. Primo modo, debet cognosci cum connotatione ad testimonium formale; secundo autem modo, non est opus ita cognosci. Nam, vt potest audiri mente, & per illud cognosci obiectum, quin reflexè cognoscamus auditionem; ita potest cognosci testimonium materialiter. Præsto est ratio: quia consuetudine loquendi & audiendi, generantur species repræsentantes vocem & rem significatam; quin tunc excitetur cognitio, de impositione significationis, & alijs: ita excitatur species directa signi & rei significatæ.

Respon. 2. Secundò respondetur, omisso antecedenti, & negata consequentiâ: quia, quamvis cū voce percipiatur reflexè cognitio; tamen ratio formalis eam tunc cognoscendi, est testimonium instrumentale: vndè in illud, vt in vltimam rationem formalem, resolvitur assensus fidei.

§. 79. *2. Obiectio* Dices secundò, non posse testimonium instrumentarium, esse obiectum formale fidei per se infusæ. Primò: quia clarè videtur ab audiente, quod est contra rationem fidei. Secundò: quia illud testimonium non est propriè signum, neque revelatio; sed impropriè, & in actu primo.

Resp. 1. Respondeo primò, primam difficultatem esse communem loquutioni formali existenti in audiente, per quam revelatio instrumentalis percipitur. Nam illa loquutio formalis, cognoscitur evidenter ab eam vidente: v. g. Isaias evidenter cognovit, se habuisse cognitionem percipientem loquutionem instrumētalem Dei; non secus, ac evidenter audivit voces ipsas Dei.

§. 80. *Resp. 2.* Secundò respondeo, negato antecedenti. Ad primam probationem respondeo, ad fidem præcisè requiri cognitionem obscuram alicuius principij, propter quam, mysterium credatur obscurè. Hoc autem principium, in fide humana, est authoritas loquentis, quæ debet obscurè cognosci: nam testimonium, naturâ sua, est evidenter cognoscibile. Itaque fides humana evidenter cognoscit existentiam testimonij; veritatem autem obscurè. E contrà verò fides divina evidenter cognoscit veritatem testimonij Dei, quādo illud cognoscit esse Dei; obscurè tamen cognoscit eius existentiam. In præsenti ergò cognoscitur evidenter authoritas Dei, sive veritas testimonij divini in communi; at verò, quamvis evidenter cognoscitur, illas voces existere; non tamen cognoscitur evidenter; illas esse Dei: vndè existentia testimonij Dei, vt Dei, tàm obscurè cognoscitur, quàm, cum proponitur ab Ecclesia. Quare, veritas illarum vocum cognoscitur obscurè: quia hæc veritas cognoscitur, ex existentia testimonij Dei, vt Dei; hæc autem existentia cognoscitur obscurè: ergo & veritas.

Ad secundam probationem respondeo, revelationem instrumentalem, quamvis non sit formale signum; esse tamen sufficiens principium obiectivum, ad repræsentandum ad placitum obiecta significata: item, naturaliter posse repræsentare iudicium Dei loquentis, de re, quam loquitur: quia illud iudicium est caussa vocum; audita autem voce significativa, excitatur auditio mentalis illius vocis, & obiecti significati per illam. Item, ex illa auditione spirituali, & alia præmissâ, possumus discere iudicium Dei. Ex hac etiàm auditione mentali formatur hic syllogismus: ***omne quod Deus loquitur, est verum, loquitur Trinitatem: ergo Trinitas est vera.*** Cuius præmissæ sunt directæ. Minor autem terminatur ad vocē, & eius significatum. Nam, quemadmodum frequenter loquimur, sine frequenti reflexione in impositionem significationis; ita frequenter audimus, sine reflexione frequenti in auditionem ipsam. §. 81.

Secundò conclusionem probo: quia, in casu, quem disputamus, movemur ad assensum mysterij revelati, ex authoritate Dei in dicendo, & ex eius testimonio obscurè cognito; sed hæc sunt obiectum formale adæquatum fidei, vt constat ex disp. 6. ergo actus ex testimonio instrumentali, est fidei. §. 82. *2. Probat.*

Maior probatur quoad authoritatem: quia loquutio, tàm instrumentalis, quàm formalis, eo præcisè, quòd sit à Deo loquente, est vera: æquè enim repugnant Deo, loquutio instrumentalis ac formalis falsa: quia omninò repugnat Deo voluntas faciendi verba externa, absonantia iudicio Dei loquentis: sicut repugnat, faciendi verba interna in audiente, per illa externa. Itaque virtus veracitatis divinæ inclinat, ad facienda signa instrumentalia, quæ sint principium cognitionis veræ; immò actus honestus aut vitiosus loquendi verè aut falsò, completur in loquutione instrumentali: ergo loquutio instrumentalis habet conformitatem cum obiecto, eo præcisè, quòd sit à virtute veracitatis: ergo eius veritas cognoscitur ex authoritate loquentis. Antecedens patet: quia mendacium completur actione externa humana; hæc autem actio est prolatio vocis, aut scriptio characteris. Nam assensus falsus non sequitur necessariò, ex prolatione vocis falsæ: potest enim audiens non assentiri. Vndè possumus efficere hunc syllogismum: ***quoties Deus externè loquitur, verè loquitur; sed externè loquitur Incarnationem: ergo verè loquitur Incarnationem.*** Quæ consequētia est evidens: maior autem propositio conti-

S.Tho.q. 1. Art. 1. continet authoritatem infallibilem Dei: minor verò continet existentiam testimonij Dei.

§. 83. Tandem à priori: quia testimonium externum, aut internum tantùm requiritur, vt ex illo cognoscamus, quid Deus de obiectis sentiat? item, vt cognoscamus, illud oriri à veracitate divina. Quia, cùm res ipsas non cognoscamus, neque in se, neque ex causis, neque ex effectis, manuducimur ad illarum cognitionem, iudicio ipso Dei de his rebus. Nam Deus non potest falli: vndè, omne quod cognoscit, est, vt ab ipso cognoscitur: item, omne quod vult loqui, est, vt ab ipso cognoscitur. Ex quibus duobus principijs, cognoscimus obiectum testatum: nam, quia Deus cognoscit rem, vt est; & eam vult loqui, vt cognoscit; eam vult loqui, vt est. At hæc cognoscuntur, cognito testimonio instrumentario, quamvis non cognoscatur nostra auditio: ergo, cognito testimonio instrumentario, movemur sufficienter authoritate & testimonio Dei. Probo minorem: quia repugnat, vt testimonium instrumentarium oriatur, nisi à veracitate Dei, quæ est principium eius testimonij: ergo ex solo testimonio instrumentario, cognoscitur sufficienter obiectum, vt testatum à Deo. Tandem, moraliter perinde est, assentiri obiecto, propter testimonium instrumentarium; ac propter formale: quia vtrũque est argumētum veritatis obiecti, propter authoritatem Dei loquentis.

SVBSECTIO II.

Argumenta diluo.

§. 84. 1. Argum. PRIMVM sumitur: quia hæc verba non sunt formaliter testimoniũ. Cui feci satis, à §. 90. Nam, etiàm in humanis, credimus, propter testimoniũ instrumentarium. Item, tàm propriè oritur ab infallibili authoritate Dei, & tàm certò nos ducit in obiectum, quam formale: quid ergò illi deest, ad terminandam fidem in Deum?

Respondet.

§. 85. 2. Argum. Secundum: quia, quamvis testimonium instrumentarium est sufficiens principium, ad assentiendum obiecto dicto, propter authoritatem Dei; non tamen per habitum fidei. Hic enim innititur testimonio formali Dei; formale autem & instrumentale differũnt specie: ergo & habitus circa illa. Occasione huius argumenti illustrabitur conclusio, & doctrina in fine §. 91. Fateor, loqutionem internam specie differre ab externa: nam externa est sonus; interna autem est actus vitalis, illo sono productus. At verò non differunt moraliter, id est, apud prudentes, tantùm valet alterum, quãtùm alterum, ad extorquendum assensum. Quod patet primùm ab exemplo: quia revelatio de Antichristo, specie differt à revelatione de Trinitate; moraliter autem non differunt: quia vtraque est æquè potens, ad assensum terminandum. Neutra enim est altera difficilior: nam omnis revelatio Dei est infallibilis, de quocumque obiecto sit; quia nec falli potest, nec fallere.

Resp.

Secundò probatur à priori, non differre ea testimonia: quia vtrumque æquè est signum mentis divinæ, & effectus veracitatis divinæ. Nam testimonium externum, tàm est principium, vt cognoscamus Deum loqui, & loqui, vt rem sentit; quàm est testimonium internum. Neque enim vis authoritatis divinæ, & infallibilitas eius testimonij, pendet à cognitione reflexa de testimonio formali, quod est auditio testimonij instrumentalis. Nam conclusio directè deducta ex authoritate Dei & testimonio externo, tàm infallibilis est, quàm, quæ deducitur ex testimonio interno reflexè cognito: quia illa reflexio accipit infallibilitatem ex authoritate, quâ Deus loquitur. §. 86.

Hæc cùm ita sint, non arguunt distinctionem in habitu fidei: quia habitus per se infusi, porriguntur ad complurima obiecta & actus. Neque specifica distinctio actuum & obiectorũ partialium, arguit distinctionem in habitibus infusis. Actus quidem specie distinguuntur: quia sunt adstricti obiectis distinctis; non tamen distinguuntur moraliter: quia non æstimatur pluris, assentiri hoc, quàm illo actu. In humanis, habitus credendi propter illa duo obiecta, distinguuntur specie physica: quia nullus habitus acquisitus potest, nisi vnum actum specie; moraliter tamen non distinguuntur illi habitus. Quemadmodùm erogatio triginta quatuor maravedinorum, specie physica differt ab erogatione argentei; non tamen moraliter: quia, in morali æstimatione, tantùm valet argenteus, quantùm triginta quatuor maravedini. §. 87.

Itaque Propheta, cui Deus loquitur, cognoscens obscurè, revelationem esse Dei; potest exercere actus duorum generum. Primum directorum circa authoritatē Dei & loquutionem instrumentalem, sine vllo actu reflexo: ex quibus infert assensum fidei, de re à Deo dicta. Secundum reflexorum, quibus cognoscit auditionem suam, quæ est loquutio formalis, & revelatio Dei: ex qua cognitione reflexa, habente, pro præmissa obiectiva, auditionem Dei, sive revelationem & authoritatem Dei; infert assen- §. 88.

assensum etiàm fidei, circa rem dictam. Neque est absurdum, vnum actum fidei habere pro obiecto alium eiusdem fidei. Etenim, vnum posse esse obiectum materiale alius, probatum est, disp. 7. §. 60. & 61. ergo idem erit de obiecto formali. Probo consequentiam: quia non est maior difficultas, in obiecto formali, quàm materiali. Ratio à priori: quia habitus infusus habet vniversalitatem, similem vniversalitati potentiarum; intellectus autem potest habere multos actus, quorum obiectum formale, sint alij actus eiusdem intellectus. Cùm igitur obiectum formale fidei, sit omnis revelatio Dei; hæc autem aliquando sit facta ipsi credenti: potest illam reflexè cognoscere in se, sicut directè eamdem cognoscit in alio. Difficile quidem percipimus, aliquem habitum, cuius omnes actus sint reflexi, supra alios actus eiusdem habitus: nam primus actus, aliud obiectum videtur habiturus; at verò, cùm multi actus sint directi, non est absurdum, constituere alios actus reflexos.

§. 89. 3. Argum. Tertium argumentum: quia revelatio formalis, est formaliter actus prophetiæ: ergo non fidei. Consequentia patet: quia fides & prophetia distinguuntur. Antecedens probo: quia prophetia est auditio verborum Dei: vt patebit disputatione 28. Obiectum autem prophetiæ, sunt voces ipsæ & signa; sicut obiectum fidei est revelatio. Adverte, prophetiam vsurpari posse, pro prædictione futurorum: sic non est prophetia, quæcumque revelatio Dei; neque in hoc sensu est necesse, libros Canonicos conscriptos esse à Prophetis: etenim Deus potest per aliquem loqui; quin illi revelet futura. Latiùs sumitur prophetia, pro quacumque auditione verborum Dei: sic omnis liber Canonicus conscribitur necessariò à Propheta: quia omnis huiusmodi scriptura est per loquutionem Dei.

§. 90. Distinguo igitur antecedens: revelatio formalis obscura est actus prophetiæ perfectæ; nego antecedens: est actus prophetiæ imperfectæ, concedo: quam prophetiam Sanctus Thomas vocat *instinctum*, de quo agendum disputatione 28. & nego consequentiam: fides enim non distinguitur, quoad substantiam habitus, ab instinctu: vt docere videntur Canus & Bañez referendi §. 116. & Pater Turrianus, disputatione 42. dubio secundo, versu *deinde potest*. Estque plurium constituentium in Propheta fidem similem nostræ. Ratio est manifesta: quia obiectum prophetiæ sunt authoritas Dei & testimonium externum (ex his authoritate S. Thom. Canus. Bañez. P. Turria.

bus): quod motaliter non differt, in ratione testimonij, à testimonio formali. Vtrùm autem perfecta differat à fide, ratione obiecti; aut ex modo illud attingendi? ostendam disput. 28.

§. 91. Obiectio. Obijcis, prophetiam non esse habitum, ex B. Thoma, quæstione 171. art. secundo. Respondeo; Sanctum Thomam loquutum de prophetia perfecta, quæ dicitur non esse habitus: non quod in substantia non sit habitus; sed quod parum duret: quemadmodum visionem Dei ait Sanctus Thomas aliquando fieri, non per habitum; sed per dispositionem. Igitur prophetia in substantia est habitus: quia eius actus debet effici connaturaliter aliquo principio supernaturali, qui est habitus. Tandem, prophetia, in ratione audiendi, non est habitus: id est, non est in nostra potestate semper audire. Nam habitibus vtimur, quando volumus; audire autem non possumus, nisi quando Deus loquitur. De quo latiùs agendum, disp. 28. S. Thom. Respondet.

SECTIO V.

De loquutione Dei cum homine per imaginationem.

§. 92. Conclus. PRÆTEREA, Deus interdum loquitur hominibus, absque prolatione externa vocum, & absque omni signo, quod actu percipiatur sensu externo; sed per imaginationem materialem, repræsentantem signa sensibilia tàm perfectè, quàm si illa signa, voces, & characteres viderentur, aut audirentur. Itaque quemadmodum, auditis vocibus, excitatur imaginatio illas repræsentans: ita aliquando excitatur imaginatio, repræsentans voces non existentes, & non auditas; ac si existerent, & audirentur. Ita S. Thomas 2. 2. quæst. 173. art. 3. & Sanctus Augustinus tom. 3. lib. 2. de Trinit. c. 6. Quamvis enim non loquatur expressè de imaginatione sensitiva; clarè tamen ait, Deum hominibus loqui per signa non visa; sed spiritualiter repræsentata. Verba Augustini: *Ioanne vidente, in Apocalypsi, Agnum occisum: illa quippè visio prophetica non est exhibita oculis corporeis, per formas corporeas.* Consentit S. Eucherius adductus, §. 77. & P. Suarez ibidem. S. Thom. S. August. S. Eucher. P. Suarez.

§. 93. Probatur: sensio externa servit Prophetæ, vt, per auditum aut visum, traijciat speciem sui obiecti in sensum internum: per quam speciem excitatur imaginatio obiecti iā percepti per sensum externū;

S.Tho.q. 1. Art. 1. sed Deus potest, se solo, efficere speciem illã excitatricem imaginationis, quin fiat concursu sensionis externæ: per quam speciem tàm perfectè repræsẽtetur in imaginatione obiectum illud, ac si re ipsa audiretur: ergò Deus potest movere imaginationem, ad percipiendas suas voces vel signa, per aliquam speciem impressam independentem actu à sensione externa. De maiori non potest esse dubium: quia, cùm visus & imaginatio sint in diversis sitibus, non potest actus visus servire imaginationi, in genere caussæ formalis, id est, per intrinsecam vnionem cum illa: opus ergò est, vt illi serviat in genere caussæ efficientis, inijciendo speciem obiecti sensilis. Minor verò multo magis est expers dubitationis: quis enim dubitet Deum, se solo, multo meliùs posse efficere omnes effectus absolutos; qui non dicunt repugnantiam ex parte modi vitalis, vt fiant à principio extrinseco? Consequentia autem patet: quia illa excitatio imaginationis esset loquutio: oriretur enim à Deo, vt ab authore speciali, efficiente auditionem terminatam ad signa ipsius Dei: ergò esset loquutio. Patet consequentia: nam voces perceptæ per sensus, propterea sunt loquutio: quia movent imaginationem ad cognitionem sui, & intellectum ad cognitionem obiectorum, vt à Deo percipiuntur; sed Deus id præstat speciali ratione, supplendo defectum vocis externæ; & efficiendo, vt vox externa percipiatur; & obiectum, vt à Deo cognoscitur. Quid ergò deesset perfectæ loquutioni?

§. 94. Hæc autem loquutio contingit more somniorum, seclusis illorum imperfectionibus. Somnia contingunt per motionem specierum imaginationis, relictarum ex obiectis sensilibus, & ex illorum sensionibus externis: harum specierum vsus non pendet necessariò à sensione externa. Hoc confirmatur ex vigilia: sæpè enim cogitamus sensilia absentia, quod commune est brutis: mugit namque vacca amore vituli, quem meditatur absentem. Hinc in somno excitantur species impressæ, tàm vehementer repræsentantes obiectum, ac si esset præsens. Quoties enim contingit, somniantem iactare brachia, ad propulsandum telum, quod videre sibi videbatur imminere? Quoties dormiens expergiscitur horrens toto corpore, arbitratus ensem per costas adactum? In quem Poeticum quadrat:

gelidusque per ima cucurrit
Ossa tremor.

Ita potest Deus tàm vehementer excitare species in phantasia Prophetæ, vt sibi videatur præsentem intueri agnum occisum; aut voces audire. Quod arbitror contigisse Beato Petro dormienti, & videnti demissum linteum è cœlo: cum enim dormiret, non poterat illud oculis videre; visus est autem sibi, & illud videre, & voces audire. Est autem hoc discrimen: quòd species excitantur in dormiente, ex aliquo defectu: v.g. ex vehemẽti humore, vt cholerici frequenter somniant gladios, rixas; phlegmatici stagna, nemora; melancholici tristia, infausta; sanguinei floralia, lasciva: vel oritur ex aliqua vehemẽti passione, tũc vigente: excitatio autem divina oritur ex perfectione virtutis activæ Dei. §. 95. Actor. 10. 11.

§. 96. Est item aliud discrimen: quòd dormientes nullum, aut vix vllum iudicium efformant; sed apprehensionem: si quod autem efformant, est plerumque falsum & monstrosum. At verò Propheta imaginatione pulsatus, & intellectu apprehendens signa sensilia, plerumque illis assentitur lumine supernaturali, & iudicat, Deum secum loqui de obiectis significatis: quibus assentitur, vel per instinctum ex authoritate divina & loquutione Dei; vel per prophetiam claram cognoscentem veritatem loquutionis divinæ.

§. 97. In hoc casu, nulla est propriè loquutio instrumentalis Dei; sed obiectiva tantùm. Loquutio instrumentalis duo præstat: primùm producit speciem sui, per quam efficienter concurrit ad sensionem externam, & cæteras sui apprehensiones: quo constituitur in genere caussæ instrumentariæ. Hoc genus caussalitatis cùm illi deficiat in nostro casu, non est loquutio instrumentalis: quia cùm non existat, non producit speciem sui. Secundum, quod præstat loquutio instrumentalis, est, terminare cognitionem materialem sui: item apprehensionẽ spiritalẽ: denique terminare iudiciũ, quo Propheta dicit: *Deus loquitur*: itẽ quo cognoscitur res, quam Deus loquitur. Hæc omnia retinet loquutio, in nostro casu ac propterea est loquutio obiectiva Dei, quâ cognita, cognoscuntur etiam significata. Deus autem est vtraque ratione loquens efficienter, vt patet; obiectivè verò, quando ita loquitur, vt possit à Propheta cognosci, eum esse, qui loquitur.

§. 98. Igitur, per imaginationem apprehendit propheticus intellectus signa vocesque Dei, vt præsentia: ex qua apprehensione, ita prophetice ratiocinatur, & per instinctũ: interdũ etiã per prophetiã clarã: *omnia, quæ Deus loquitur, sunt, vt ab ipso dicuntur; sed mihi loquitur futurum Antichristum:* ergo

ergo *Antichristus est futurus.* Totum hoc obiectum cognoscit, per syllogismum formalem aut virtualem: maiorem propositionem evidenter; minorem autem, quoad existentiam, cognoscit clarè: eam verò esse Dei, & veram, per instinctum cognoscit obscurè, manuductus aliquibus conditionibus, quibus redditur evidenter credibilis veritas illius revelationis, & quòd sit Dei: vt nobis argumenta fidei reddunt evidenter credibilem existentiam revelationis divinæ.

§. 99. Consideranda est duplex ratio assentiendi revelationi. Cùm Deus verè loquitur externè, formatis signis aut vocibus, possumus illa apprehendere, & iudicare, Deum illis loqui; quin reflexè cognoscamus nostras auditiones aut apprehensiones; vt dixi §. 87. item eo iudicio directo, & alio etiàm directo de authoritate Dei, possumus syllogismo fidei ratiocinari, & assentiri mysterio revelato. Cùm verò non existit loquutio instrumentalis & externa, apprehenditur actu simplici, ac si existeret; non tamen iudicatur. Quæ simplex apprehensio est impropriè auditio: quia non fit per loquutionem instrumentalem: vt dixi §. 106. Convenit autem cum auditione, quia repræsentat instrumentariam loquutionem. Vt ergò loquutio instrumentalis est efficienter à Deo; ita eius auditio propria; est efficienter ab ipsa auditione instrumentali. Item, eadem simplex apprehensio est prophetia imperfecta: quia est loquutio formalis Dei, ab ipso specialiter facta, & repræsentans loquutionem externam ipsius Dei. Convenit item illa apprehensio cum loquutione instrumentaria, quòd priùs cognita ducit Prophetam in cognitionem sui obiecti, vt cogniti à Deo; non aliter; ac loquutio instrumentaria. Differt autem, quòd loquutio instrumentaria non repræsentat formaliter rem dictam; hæc verò apprehensio est formalis repræsentatio vocis externæ, & rei significatæ per illam.

§. 100. Ratio autem, ob quam iudicium non terminatur ad loquutionem externam, est: quia esset falsum. Cùm enim Deus non loquatur externè, neque voces existant, hæc iudicia: *Deus loquitur externè: voces Dei existunt*, essent falsa; nec essent supernaturalia, neque loquutio Dei. Apprehensio autem simplex non affirmat voces existere; sed tàm vehementer illas apprehendit, ac si existerent. Ratio verò, ob quam, in hoc casu, necesse est cognoscere reflexè hanc simplicem apprehensionem, est: quia Propheta debet iudicare, Deum cum ipso loqui; alioquin non poterit, ex authoritate Dei, & eius revelatione, assentiri revelatis: nam hoc genus prophetiæ obscuræ nititur authoritati Dei & eius testimonio, cognitis vt existentibus; immò prophetia clara habet, pro obiecto formali, existentiam testimonij Dei; sed tunc nihil est, quòd possit terminare hoc iudicium: *Deus mihi loquitur*; nisi simplex apprehensio producta specialiter à Deo, & repræsentans voces & signa Dei: ergo iudicium propheticum debet terminari reflexè ad apprehensionem intellectus; vel directè ad apprehensionem imaginationis. Probo minorem: quia voces externæ non existunt; primum autem omnium, quod existit à Deo, vt loquente, est illa apprehensio imaginativa; secundum verò apprehensio intellectiva. Itaque Deus tunc loquitur per apprehensionem imaginationis, quam tunc potest cognoscere Propheta: quâ sola cognitâ; potest iudicare, Deum per illam loqui. Quemadmodum, Deo externè loquente, possumus iudicare, eum loqui, sola auditione vocum externarum, sine alia cognitione terminata ad apprehensionem vocum. Itaque necessitas assentiendi, Deum esse, qui loquitur, nos cogit, ad adstruendum iudicium propheticum terminatum ad apprehensionem, quando non existit externa loquutio; secùs quando existit. Quæ confirmari videntur ex cap. septimo Actorum versi. 56. vbi B. Stephanus dixit, se vidisse cœlos apertos: non dixit cœlos fuisse apertos; sed se eos apertos vidisse: quia verè habuit visionem, qua cœli repræsentabantur aperti, vel quia re ipsa aperti erant; vel quia repræsentabatur ruptura cœlorũ. *Actor. 7.*

SECTIO. VI.

De alijs Dei loquutionibus.

§. 101. 1. Conclus. NEQVE huic generi loquutionis adstrictus est Deus: potest enim hominibus loqui per solam apprehensionem spiritualem, sive intellectus, repræsentantem voces aut signa corporalia, aliquid significantia ex voluntate Dei: verbi gratiâ, potest Deus per speciem agni occisi, aut vocis à Deo prolatæ, excitare in intellectu Prophetæ simplicem apprehensionẽ illorũ signorũ, tàm vehementem, ac si excitaretur per

S.Tho.q. 11. Art. 1. per illorum assistentiam, perceptam sensu externo & interno: ad quam apprehensionem spiritualem non requiritur de potentia Dei absoluta, vt excitetur apprehensio eius obiecti in imaginatione. S.Thom. Ita Sanctus Thomas secunda, secundæ, quæst. 173. articulo tertio: vbi constituit quatuor loquutiones Dei distinctas: duas quidem, quas ego proposui sectione tertia, & quinta: tertiam autem per immissionem specierum intelligibilium: id est, immittendo species impressas intellectuales, sive intelligibiles, per quas producitur apprehensio intellectualis. S.August. Et Sanctus Augustinus adductus §. 76. tom. tertio, lib. secundo, de Trinitate, cap. sexto docens, Deum interdum hominibus loqui per spiritales imagines corporum, & lib. 8. cap. 27. Deum loqui similitudine rerum corporalium. Dixit autem acutè: quia imaginatio non est spiritalis, sed materialis; sola verò intellectio & intellectualis species impressa, sunt spiritales imagines corporum. Est igitur opus, vt repræsentetur aliquod corpus, quod cognitum ducat in cognitionem rei significatæ per illud. Hoc patet exemplo ipso Augustiniano: Apoc. 5. 12 quia Ioannes apprehendit agnum occisum; Gen. 41. 2. Pharao vidit septem vaccas; 40. 11. 16. Pincerna poculum Pharaonis; Pistor verò canistra: è quibus cognitis, Ioannes cognovit mysteria Christi significata per agnum; Ioseph autem divinavit annos fæcundos & steriles, revocationem Pincernæ in antiquum munus, & patibulum Pistoris. Deus enim interdum loquitur verbis; interdum signis: vndè dixit Augustinus adductus §. 63. omne eiusmodi signum vocari linguam.

§. 102. Probatio. Hæc conclusio probari potest eâdem ratione, qua præcedens in §. 102. quia, vt Deus potest supplere concursum obiecti externi, & cognitionis etiàm externæ, & absque illis producere imaginationem; ita potest supplere concursum imaginationis, & absque illa producere simplicem apprehensionem in intellectu. Nam, vt imaginatio, naturâ sua, pendet à specie per sensum accepta; ita apprehensio intellectus pendet à specie è phantasmate accepta: neque maiorem habet dependentiã intellectio simplex à phãtasia, quã hęc à sensione externa: ergo vtraque potest à solo Deo produci. Aristot. Quod autem Aristoteles dixit, intelligentem oportere phantasmata speculari, accipiendum est ex lege naturæ, qua non tenetur Princeps naturæ Deus.

§. 103. Cum pueris ante tempus, quo rationis lumine illustrantur, sermonem etiàm init Deus, aliquo ex his modis: vt cum Ioanne Baptista in vtero materno. Quibus tunc tradit, vel eorum linguam, inter quos degunt; vel aliquod aliud idioma: verbi gratiâ, Baptistam docuit Hebraismum: qui erat communis eius parentibus, quo etiàm erat vsurus vir: vel eos docet, quid significent signa illis ostensa. Itaque illis immittit speciem & cognitionem significationis vocum aut signorum, quæ eos facit tunc apprehendere, ac si essent præsentia. Quando Deus verè format voces externas, eas percipiunt; quin sit necesse, apprehendere illarum apprehensionem; quando verò non formantur voces, sed tantùm illarum apprehensio aut imaginatio; tunc illorum iudicium terminatur ad apprehensionem, aut imaginationem, vt dixi §. 109.

Tandem: Deus non loquitur propriè, alia ratione, homini, vt in corpore degenti. §. 104. 2. Conclus. Probatur: quia omnis loquutio Dei est per aliquod signum, quod priùs cognitum ducat in cognitionem rei dictæ: vt probavi. Etenim loquutio instrumentalis absolutè significat vocum prolationem: ex cuius analogia, cætera signa dicuntur loquutio & lingua: vt ex B. Augustino dixi §. 63. B. August. Sed nullum est aliud signum, ex quo, vt in corpore degentes, veniamus in cognitionem rei dictæ, vt cognitæ à loquente: ergo homini, vt in corpore degenti, non loquitur Deus alia ratione. Quamvis enim Deus potest loqui per significationem suæ voluntatis, sine nostra apprehensione de aliquo signo externo; ita vt nostra auditio terminetur immediatè ad voluntatem Dei, vt ad loquutionem instrumentalem: vt de Angelis dixi §. 74. ea tamen loquutio est propriè inter Deum, & Angelum, & animum separatum, per species diversas & perfectiores nostratibus. In præsenti autem agimus de loquutione cognoscibili corporis legibus: qua loquutione cognoscimus obiecta, & loquentem per aliquod signum externum atque corporeum. Quapropter S. Augustinus toties adductus, semper explicuit loquutionem Dei & prophetiam, per signa sensilia cognita spiritaliter.

§. 105. Obiectio. Obijcis primò, à B. Thoma 2. 2. quæstione 173. art. 3. B. Thom. constitui quartum genus revelationis, distinctum à tribus à me propositis: nempè, per immissionem luminis superioris, vt fecit Salomoni, 3. Reg. 3. 12. quem affatim sapientiâ supernaturali ditavit. Respondet. Respondeo, eam non vocari à S. Thoma propriè loquutionem; sed revela-

revelationem; revelatio autem vniversalior est loquutione. Est enim cuiusque rei manifestatio: quapropter Deus videtur in patria revelata facie, id est, ostensa facie, detracto velo, aut cortinâ specierum alienarum; loquutio verò est manifestatio & revelatio Dei per signa cognita, ducentia in obiectum, vt cognitum S.Thom. à Deo. Itaque S. Thomas eo in loco, non solùm ostendit rationem, qua Deus loquitur creaturis; sed etiàm, qua illarum mentes illustrat.

§.106. 2. Obiectio S.Thom. Respond. Dices secundò, ab eodem S. Thoma 1. par. quæst. 107. art. 1. dici, hominem secum loqui, quando ex habitu elicit actum, & producit verbum internum. Respondeo, illam actionem non esse propriè; sed metaphoricè loquutionem; est autem propriè dictio: quia est expressio obiecti cum productione verbi. Est enim de conceptu loquutionis relatio ad aliam personam & verbum; dictio verò sistit in ipso verbo, quod, in creaturis, non est persona distincta à dicente. Quia tamen omnis loquutio est dictio, & vtraque est affinis; ideò interna dictio dicitur loquutio per catachresim, vt navis dicitur ædificari: quia eius structura imitatur constructionem domorum, quæ propriè sunt ædes, & ædificantur.

SECTIO VII.

Examinata sententia Cani & Bañez.

§.107. HVC reieci examen opinionis, constituentis obiectum formale fidei revelationem Dei; & asserentis hanc revelationem esse ipsius habitualis fidei infusionem. Itaque habitum dicunt esse revelationem Dei, & rationem formalem, qua cognoscitur divina fidelitas, sive veracitas in dicendo. Quam sententiam Arag. insinuasse videtur Aragon 2. 2. q. 1. art. 1. Bañez. conclus. 6. Clariùs verò Dominicus Bañez ibidem dub. 1. conclus. 6. & ad 3. vbi distinguit fidelitatem Dei se tenentem ex parte rei, quam cognoscit fides, à revelatione se tenente ex parte credentis: quam vocat primum principium in fide, sicut lumen intellectus in scientijs. Hoc autem lumen fidei dicit esse ipsam fidem, quæ illuminat obiectum, in ratione credibilis. Solet etiam afCanus. ferri Canus 2. de locis, cap. 8. versu *his verò tribus*; non tamen admodum clarè; minùs autem obscurè, lib. 12. cap. 3. versu *secunda conclusio*: vbi accipit pro eodem, esse aliquid revelatum, & habitum fidei esse infusum.

Cuiuscumque tamen sit ea sententia, est perquàm falsa. Primò: quia revelatio, quã §.108. cognoscit fides, vt obiectum formale, est quædam species loquutionis divinæ; sed habitus infusio non est species loquutionis divinæ: ergo non est revelatio, de qua agimus. Maior constat ex disput. 5. vbi ostendi, omnem fidem inniti, vt obiecto formali primùm cognito, authoritati & testimonio loquentis: quod testimonium est testis loquutio. Minor facilè probatur ex dictis; omnis enim loquutio, aut est formalis, aut instrumentalis; instrumentalis cognoscitur priùs, & ducit in cognitionem rei dictæ; formalis verò est ipsa auditio loquutionis instrumentalis: habitus autem infusio, neutra ex his loquutionibus est; quia neque est obiectum priùs cognitum, neque est ad significandam rem dictam; neque item est actus intellectus, neque auditio: ergo non est species loquutionis. Quod confirmatur in pueris, quibus Deus non loquitur in Baptismo, eis donans fidem.

Deinde omittamus quæstionem de voce: actus fidei non habet pro obiecto solam veritatem & fidelitatem Dei; sed etiàm testimonium, vt probavi disputat. 5. Actus autem fidei non se habet pro obiecto, magis quàm fides in Petrum cognoscit se ipsam: quidquid autem sit, vtrùm omnis cognitio se cognoscat, vt *quo*? dubitari non potest, fidem humanam actualem pendere, & à testis authoritate, & à testimonio ipsius testis: v.g. à vocibus, aut scriptis, i à vt possit asserere, Petrum loqui: quod idem affirmandum est de fide in Deum, pendente, ex parte Dei, ab eius authoritate & testimonio. Neque item fides habet pro obiecto formali suum habitum: cùm enim passim credamus propter testimonium Dei, vix meminimus habitus. Item, habitus ipse habet aliquod obiectum formale, in quod tendit per actus; hoc autem obiectum non est ipse habitus: ergo præter hanc revelationem, quam isti vocant infusionem habitus, assignandum est aliud testimonium & revelatio Dei, ex qua cognita cognoscatur res testata. Tandem, non potest esse loquutio & auditio, quin percipiantur; quis autem percepit vnquàm habituum infusionem? Igitur revelatio Dei distinguitur realiter ab infusione habitus. Quæ revelatio, si est formalis revelatio, & obscura, est actus fidei; si autem est revelatio clara, est prophetia: revelationis verò formalis obiectum, est revelatio instrumentalis & obiectiva: hanc non explicuerunt Canus & Bañez.

S.Tho.q. 1. Art. 1. §. 110. Ad argu. Illorum autem argumenta sunt levia: fides enim non est lumen ex parte obiecti; sed ex parte subiecti. Etenim fides est in intellectu principium actuum credendi; quod principium vocari potest lumen: quia sicut lumen gloriæ est principium videndi Deum; ita & fides credendi. Respondet autem fides potentiæ intellectrici: quia se tenet ex parte illius, vt principium simpliciter necessarium; intellectus verò non est lumen obiectivum, sed subiectivum. Lumen tamen obiectivum rei revelatæ, sunt authoritas & testimonium Dei; sicut lumen obiectivum coloris est lux: quia authoritas & testimonium propter se ipsa cognoscuntur, & sunt ratio, vt revelatum cognoscatur; sicut lux, se ipsa videtur, & est in caussa, vt videatur color. Quia verò revelatio obscurè proponitur, eius lumen applicativum, sunt authoritas Ecclesiæ, miracula, & alia argumenta, quibus revelationis existentia est evidenter credibilis. Oportebat autem ab his authoribus ostendi, conceptum illius testimonij, quod creditur per fidem, & per miracula redditur evidēter credibile. Quod testimonium, apertè constat, non esse infusionem habitus, neque ipsius actū. Argumenta enim fidei non sunt, ad probandū hæretico, nec Catholico, illos gaudere, aut carere fide; sed ad ostēdēdum, Deū revelasse Isaiæ v.g. mysterium Incarnationis.

§. 111. Deinde dicunt, mysteria esse credibilia per fidem. Respondeo, *credibile* bifariam vsurpari: primùm, pro denominatione extrinseca ab actibus credendi; sicut visibile & intelligibile sunt obiectis extrinseca denominatio, ab actibus videndi & intelligendi: à quibus existentibus res dicuntur visæ aut intellectæ, ab eisdem autē abstractis ab existentia, res dicuntur visibiles & intelligibiles. In hoc sensu mysteria sunt credibilia formaliter per actus credendi, per habitum autem non formaliter, sed efficienter; per intellectum verò, & efficienter partialiter cum habitu, & etiā formaliter, vt *quod*: quia ipse est credens per actum. Item *credibile* accipitur pro fundamento proximo ex parte obiecti, quo mysterium revelatum potest credi: quæ credibilitas nihil est, præter authoritatem & testimonium Dei; hoc autem testimonium se ipso est credibile, vt obiectum formale; applicatione verò Ecclesiæ aut miraculorum est cognoscibile, non vt obiecto formali; sed tantum vt conditione sine qua non.

§. 112. Tertiò, adducunt habitum principiorum, quem dicunt esse lumen obiectorum. Respondeo tamen, cum habitum non se tenere ex parte obiecti, sed ex parte potentiæ: quæ supponit totum integrum obiectum, a quo accipit speciem impressam; species verò impressa simul cum intellectu, producit actum evidentem, de obiecto ipso per se noto: qui actus gignit habitum circa obiectum idem, in multorum opinione: hic autem habitus inclinat potentiam ad actus similes; circa obiectum idem. Itaque habitus principiorum non est ratio obiectiva cognoscendi obiectū; sed activa tantū actuū tendentium in obiectum idem. Ergò eadem ratione fides tēdet in obiectum, efficiendo, & non terminando actum credendi. Recognosce disp. 5. sect. 6.

SECTIO. VIII.

De loquutione Dei cum Angelis & animâ separata.

§. 113. S. August. QVA ratione Deus Angelis loquatur, tàm difficile visum est Sancto Augustino, vt ab hac quæstione se excusaverit, tomo 5. lib. 16. de Civitate cap. 6. quam incomprehensibilem censuit tomo 3. lib. 8. de Trinitate, & alibi: fortè, quia difficilem censuit rationem, qua ipsi mutuò loquuntur. Eâ namque explicata, ex eius filo duci potest cognitio loquutionis divinæ cum Angelis: servat enim cum illis morem, quem ipsi mutuò. Vndè recognoscenda sunt, quæ dixi sect. 2. de loquutione Angelorum.

§. 114. Richard. P. Molin. P. Albert. Ex sententia Richardi, ac Patrū Molinæ & Albertini, adducta §. 7. de loquutione per nutus, & signa ad placitum, poterat huic instituto via facilis iniri. Deus enim loqueretur Angelis per illos nutus, & signa specialiter ab ipsis facta: vt nobis loquitur per nostras voces & signa. Angeli autē ea cognoscerent esse Dei, vel clarè, vel obscurè; pro qualitate speciei, quam de illis Scotus. immitteret Deus. In sententia verò Scoti, loquetur Deus Angelis, immissione cognitionis de obiecto, quod ipse sentit.

§. 115. S. Thom. Ex sententia autem S. Thomæ, in quam inclinatus sum §. 74. colligitur, Angelis Deum loqui per actum suæ voluntatis, quemadmodum ipsi mutuò loquuntur. Itaque Deus habet, pro loquutione instrumentali, voluntatem suam, qua vult Angelos cognoscere secretum illud, quod loquitur: item, & vt ab ipso cognoscitur, ita vt possint cognoscere sententiam Dei, de obiecto illo; at non est propriè instrumentalis loquutio. Formalis autem loquutio est ipsa Angelica auditio, qua immediatè cognoscunt voluntatem Dei. Nam, vt loquutione

vocali

vocali & Angelica, primùm percipitur vox Petri, & voluntas Michaelis: & ex illis perceptis, percipimus illarũ significatum, cui assentimur, aut dissentimur; & possumus conijcere sententiam loquentis, de re, quam loquitur: ita hæc eadem contingunt, in loquutione Dei cum Angelo, & animo separato. Contingunt autem extra patriam per species abstractivas, quas Angelus & animus separatus habent de voluntate Dei: sive infusæ sint à Deo; sive comparatæ propria exercitatione: vt dixi disput. 6. §. 20. In statu autem beatifico, loquitur Deus Angelis per intuitionẽ suæ volũtatis, vt ipsi sibi mutuò. Loquutio verò Dei potest esse naturalis quoad substantiam: vt cùm Iob. 1. & 2. Deus dicitur loquutus cum Dæmone; ea loquutio cur erit supernaturalis in substantia?

Iob. 1. & 2.

SECTIO IX.

Vtrùm omnis propositio Ecclesiæ sit loquutio Dei?

§. 116. DISP. 7. à §. 13. latè proposui sententiam constituentem propositionem Ecclesiæ esse obiectum formale fidei. Quæ sententia accepta fuit de propositione Ecclesiæ, authoritate ipsius humana. Potest autem in alio sensu vsurpari: nempè, si quis affirmet, propositionẽ Ecclesiæ esse revelationem Dei, cui nos assentimur, quia est revelatio Dei: quemadmodùm assentimur revelationi Isaiæ, arbitrantes illam esse revelationem Dei. Neque verò est sermo, de propositione Ecclesiæ totius, vt re ipsa illi Spiritus sanctus assistit infallibiliter, ne erret: iam enim ostendi, ea disp. 7. §. 58. hanc revelationem tàm esse formale obiectum *quo* fidei, quàm revelationem Isaiæ. Agimus autem de propositione Parochi, aut Episcoporum, qui interfuerunt Concilio, & nobis proponunt definitionem ipsius Concilij: vtrùm hæc propositio sit revelatio Dei, & ratio formalis fidei?

§. 117. Censebit nonnullus, eam propositionem esse verè revelationem & loquutionẽ Dei; cui assentimur fide divina; non secùs ac revelationi, quam habuit Petrus de Christi divinitate. Primùm: quia Deus (teste Paulo) loquitur *multis modis*. Secundò, ex Davide: *lingua mea calamus scribæ*. Tertiò, ex Ioan. 6. *omnis, qui audivit à Patre, & didicit; venit ad me*. Item: *erunt omnes docibiles Dei*. Quartò, ex 2. ad Hebræos, *contestante Deo signis & portentis*. Quintò: quia, si ego video amici scripta, credo eum mecum agere scripto. Ego arbitror, præcipuum fundamentũ huius sententiæ esse, callidè constituere, propositionem humanam Ecclesiæ esse obiectũ formale fidei. Nam, cùm revelatio alijs facta non sit per se nota, oportuit eam cognoscere ex alio obiecto formali per se noto: hoc autem vident esse humanam Ecclesiæ propositionem. Quia verò erroris damnatur ea sententia, de resolutione fidei in authoritatem humanam Ecclesiæ, vt in obiectum formale; oportuit callidè declinare hanc censuram, & his involucris tegere eam opinionem.

Ad Hebr. 1. 1.
Psal. 44. 2
Ioan. 6. 45
Ad Hebr. 2.

Adverte ex §. 20. & ex tota sectione prima, loquutionem vt sic oriri à loquente, in genere caussæ efficientis particularis; loquutionem autem Dei ipse efficit, vel adæquatè solus; vel per aliquem Angelum ministrum, vel hominem: qui tunc gerunt vices Dei infallibiliter loquẽtis per illos. Quo casu ita oritur loquutio à Deo, vt etiã divinitùs illi repugnet falsitas. Quòd si prolatio vocis non oriatur ab homine, per hanc infallibilem assistentiam Dei; non est loquutio divina; sed humana. §. 118. Animad.

His constitutis, impugnatur hæc opinio: primũ, quia est vicina errori Calvini: quod ostendam, disp. sequenti, à §. 3. Secũdò: quia est contra communem omnium Catholicorũ sensum, distinguentiũ in Ecclesia authoritatẽ humanam à divina. Divina censetur, quando Ecclesia non loquitur ex sensu proprio, & propria authoritate; sed Dei, qui loquitur per Ecclesiam, vt per instrumentum. Cui loquutioni non credimus, quòd sit ab homine bono & litterato; sed præcisè quòd sit à Deo. Quamvis enim Deus loquatur per scelestissimũ ministrum Caipham, Balaam; aut eius iumentum, illis est adhibenda fides: quia non tàm illis creditur; quàm Deo loquenti per illos. Authoritas humana censetur sanctitas & doctrina Ecclesiæ: quæ frequenter vocatur applicatio revelationis divinæ. Cuius propositioni non credimus propter authoritatem Dei; sed præcisè propter humanam. Eadem distinctio constituitur in miraculis, & eorum applicatione. Hæc autem sententia omnia evertit: etenim omnem applicationem veram miraculorum, & omnem veram propositionem Parochi vocat revelationem Dei: cui credimus, quia arbitramur illam esse Dei: & apprehensis rationibus ad credendum, nobis apparet ex terminis, illud esse testimonium & revelationem Dei. §. 119.

Tertiò: quia per tot anfractus relabitur in difficultates sententiæ communis, quas fugere conatur. Probatur: quia sententia com- §. 120.

S. Tho. q. 1. Art. 1. communis ideò fugitur, quia revelatio facta Isaiæ, neque est nobis per se nota, neque ex alijs principijs evidentibus potest evidenter deduci; sed neque in hac sententia sunt principia evidentia, quibus cognoscamus revelationem illam esse Dei: ergo. Minor satis est clara: quia enim evidentia cognoscitur, Deum nunc loqui per Parochum prædicantem mysteria fidei? ergo, sicut in sententia communi indigemus aliquo principio, manuducente ad existentiam revelationis Isaiæ; ita in hac indigemus alio principio manuducente ad persuadēdum, quòd hæc propositio Parochi est revelatio Dei. Vndè erit assignanda alia ratio formalis obiectiva naturalis, in quam resolvatur fides; vel sicut creditur hanc revelationem esse Dei, per motiva humana, vt per conditiones; ita credenda erit existentia revelationis Isaiæ, per propositionem humanam Ecclesiæ, vt per conditionem. Dicunt, visa propositione Parochi, & rationibus, quibus apparet Deum per illum loqui; nos ipsis terminis moveri, ad credendum Deum loqui per hunc hominem. Ita dico ego, visa propositione humana Ecclesiæ, nos moveri terminis ipsis, ad credendum Deū loqui Isaiæ. Denique sistendum est semper comparationi: & quemadmodùm existentia revelationis alienæ est nobis ignota; ita est nobis ignotum, quòd hæc revelatio est Dei: cogendique sunt adversarij, vt admittant conditiones aliquas humanas applicantes; vel, vt fateantur aliquid humanum esse obiectum formale fidei. Quod quidem animo libenter credunt; verbis autem non audent fateri.

§. 121. Quartò: quia impossibile est credere propter testimonium Parochi, vt propter testimonium Dei, si nobis persuadeamus, illud non esse testimonium Dei; sed nullus Catholicus sibi persuadet, propositionem Parochi esse testimonium Dei: ergo non possumus fide catholica credere propter illud testimonium. Maior constat ex disput. 4. quia credere propter alicuius authoritatem, est credere testimonium esse verum: quia est testimonium loquentis. Item disput. 3. sect. 2. monstravi, ad assentiendum per fidem alicui, necessarium esse cognoscere existentiam eius testimonij. Nisi enim ego mihi persuadeam, has litteras esse Petri, non mihi persuadebo, vera esse quæ ibi scribuntur, propter authoritatem Petri: esto veritatem mihi ego persuadeam alio ex capite. Minor autem patet: quia omnes Catholici ingenuè fatentur, testimonium Parochi non esse loquutionem Dei; neque Deum Parocho revelare mysterium quod proponit. Pone Parochum loquentem cum homine prudente de mysterijs fidei; & iste asserat: ego non credo, hanc propositionem Parochi esse vllo modo revelationem Dei; neque Deum mihi loqui per hunc Parochum; credo tamen hunc Parochum vera loqui, & mihi persuadeo existentiam revelationis Isaiæ de Incarnatione Christi. Hic catholicè crederet: sic enim omnes credimus. At non credimus propter testimonium Parochi, vt propter testimoniū Dei; sed expressè negamus, illud esse testimonium Dei: ergo non possumus fide divina in Deum credere, propter illud testimonium acceptatū pro testimonio Dei. Quæ est evidens argumentatio.

Quintò probatur à priori: quia illa propositio Parochi non oritur à Deo, vt infallibiliter adsistenti aut loquenti: ergo non est loquutio Dei. Consequentia patet: tùm ex sectione prima; tùm ex disput. 18. à §. 14. vbi ostendam omnem loquutionem Dei, sive mediatam; sive immediatam, oriri à principijs, cum quibus repugnet loquutionem esse falsam. Antecedens probo primò: quia Parochus consideratus in actu primo loquendi, fuit indifferens ad loquendum verum vel falsum: ergo illa loquutio non oritur à veritate infallibili: quia hæc in actu primo est determinata ad veritatem, cum repugnantia ad falsitatem. Antecedens probo: primùm, ex parte intellectus Parochi: qui potest animo esse hæreticus, carens omninò divina fide, & omni habitu supernaturali: item & speciebus supernaturalibus, potuitque esse in sola natura, eaque lapsa per actualem hæresim. In homine autem hæretico nullum est principium ex parte intellectus, quod non sit indifferens ad falsitatem. Item, ex parte voluntatis, potest esse actus vitiosus, quo imperatur externa loquutio: qui actus non est à Deo speciali authore; sed permissore. En Parochus verè proponit revelationem Isaiæ, quam audiens credit fide divina; ipse tamen Parochus illam non credit: neque arbitratur eam tunc à Deo dici, sed oppositam; voluntas autem est prava: qua ergò ratione Deus adstitit huic homini, adsistentiâ supernaturali, quæ physicè repugnat cum principijs, quibus tàm depravatè loquutus est? Nonne potuit iste Parochus oppositum dicere, quemadmodum oppositum sensit? §. 122.

Dices, Caipham loquutum pravo fine, vt constat ex cap. 11. Ioannis 51. Cuius tamen loquutio fuit revelatio Dei. Respondeo, §. 123. *Obiectio. Ioann. 11. 51.*

Respondeo, Caiphā habuisse duos actus: alterum intellectus, quo censuit necem Christi expedire ad gētis salutē. Hic actus fuit ex speciali Dei providentiâ: quia verè fuit ex instinctu Spiritus, S. vt cōstat, tū ex Apostoli verbis; tùm ex multis Patribus, quos refert & sequitur P. Maldonatus ibi, & apud Matthæum cap. 7. num. 22. Quod autem nonnulli Patres dicunt, Caipham ignorasse se prophetasse, difficile est, si assensus ille productus fuit per loquutionem, quam constat cognosci ab audiente. Dicendum igitur alterum è duobus: vel Caiphā cognovisse confusè revelationem illam Dei; ignorasse tamen eius sensum: sensus enim illius erat, necessariam esse mortem Christi, vt eius sanguine tingeremur; Caiphas autē arbitratus eam mortem expedijsse, vt sublato è medio Christo, Romani nō sævirent in vrbem. Quo in sensu Patres dixerunt, ignorasse Caipham se prophetasse mortem Christi, vt expedientem: quia ignoravit sēsum, in quo expediebat. Vel dicendum est, Caipham non habuisse iudiciū illud, per loquutionem propriam; sed per revelationem latius acceptā, & per specicierum immisionem, non repræsentantium loquutionem instrumētalem Dei; sed præcisè obiectum ipsum. Secundus actus Caiphæ fuit voluntas loquendi, quæ fuit prava. At verò, in casu quo disputamus, nihil fit Deo auctore; sed permissore.

P. Mald. Matth. 7.

§. 124. Ad 1. arg. Ad argumentum primum ex §. 126. respondeo, omnes illos modos, quibus Deus loquitur, esse infallibiles ex speciali assistētia Dei: quibus ipse Propheta cognoscit, Deum esse qui loquitur. Non tamen propterea quævis propositio vera de eisdem obiectis, à quocumque homine proferatur, est loquutio Dei. Idem dico ad secundum: David enim rectè cognovit, linguam suam speciali ratione à Deo moveri. Ea namque ratione dixit, illam esse calamum velociter scribentis: eaquepropter eius verba non potuerunt esse falsa; quia dicebantur speciali adsistentiâ Dei. Ad tertiū ex 6. Ioannis 45. illa vox *audit* non significat auditionem propriam, factam revelatione instrumentaria: sed significat quamcumque doctrinam, qua quis imbuitur de rebus ad salutem. Propterea dixerat: *& erunt omnes docibiles Dei*: id est, quotquot venient ad Christum, docebuntur præcepta Christi à Patre. Quapropter P. Maldonatus docet, nos multis modis audire Deum loquētem: primùm, cùm audimus quod ratio ipsa nos docet: secundò, cùm per revelationem audimus. Ad quartùm respondeo, contestationem illam per signa & portenta esse infallibilem ab auctore Deo; qualis non est Parochi propositio. Ad quintum, opus est videre scripta, vt cognoscamus amicum agere nobiscum per illa; hic verò non cognoscimus loquutionem instrumentalē Dei: propterea nec nobis persuademus, Deum nobiscum agere. Hac de re vide disputationē sequentē à §. 3.

Ad 2. arg. Ad 3. arg. Ioan. 6. 14. P. Mald. Ad 4. arg. Ad 5. arg.

DISPVTAT. XIIII.

De conditionibus ad credendum.

§. 1.

PEREGIMVS totum obiectū formale fidei; percurrēdæ autē sunt rationes, quibus nobis persuademus existentiam revelationis divinæ, quæ est obiectum formale fidei. Conditiones voco obiectivas: quia nisi cognoscantur, non potest exerceri fides: ac propterea sunt cōsiderandæ ex parte obiecti, vt priores & antecedentes in ratione obiecti. Huiusmodi sunt authoritas humana Ecclesiæ, miracula, prophetiæ, & alia id genus: quæ non sunt obiectum formale fidei; vt late probavi disp. 7. quia, quamvis necessariò cognoscantur; antequam cognoscatur revelatio; non sunt tamen principium necessariò ducens in revelationem, vt sunt necessariò applicanda: quia non est opus applicatione infallibili physicè; esto aliqua sint in se infallibilia physicè. Principium quidem sunt, ac propterea sunt necessaria; non tamen ducūt necessariò in revelationem: eaque propter deficiunt ab obiecto formali. Sunt quidem necessaria ad existentiam revelationis persuadendam; non tamen ad veritatem. Ethnici non irrident Christianos, quòd credamus loquenti Deo: quis enim adeò erit insanus, vt non credat testimonio Dei, si sibi persuadeat illud esse Dei? Irrident autem nostram stultitiam, quòd credamus Deum dixisse tàm celebria deliria, quales ipsi censent articulos fidei. Hac disputatione (numine favente) ostendam, quàm prudenter Christiani moveamur, ad credendam existentiam revelationis divinæ: adeò, vt si per posibile, vel imposibile, non existeret revelatio, quam credimus existere; adhùc tàm prudenter nobis eam persuademus, vt, absque iniuria in Deum, non possimus de illius existentia vel dubitare. Etenim hac disputatione recensebo breviter argumenta nostræ fidei, quæ non permittunt hominem prudentem dubitare: quia tantam vim inferunt intellectui &

§. 74. Item, loquutio formalis & instrumentaria Dei possunt cognosci bifariàm: nempè, clarè, & obscurè. Clarè quidem, dum cognoscimus loquutionem illam esse à Deo, volente nobiscum agere, absque Angelico famulatu; vel agere per Angelum, gerētem vices Dei: vt B. Augustinus exponit familiarem sermonem Dei cum Moyse collatū fuisse per Angelum; & non immediatè à solo Deo. Itaque hæc cognitio evidenter repræsentat Deum, vt loquentem eo genere sermonis: de qua satis longus instituetur disp. 28. Secundò, potest cognosci revelatio Dei obscurè; quamvis enim intueamur ea verba; ignoramus tamen, an facta sint à Deo, nec ne? vt contigit Samueli audienti verba Domini, quē adhuc ignorabat, quoad hoc munus faciendi verba: quæ Dei credidit esse testimonio Heliano. Vt nos credimus testimonio Ecclesiæ, revelationem Isaiæ fuisse à Deo; movemur tamen evidentiâ credibilitatis: qua item possumus moveri, ad credendum à Deo factas has voces, è quibus cognoscimus obiecta à Deo dicta. In quo casu versatur nostra difficultas, an illæ voces cognoscantur per fidem? an per alium habitum?

B. August.

SVBSECTIO. I.

Ad fidem spectant illæ voces.

§. 75. Conclus. DICENDVM censeo, illas voces sic obscurè cognitas, pertinere ad fidem, ad quam spectat revelatio formalis. Pro hac sententia nullum authorem adducere possum: quia nullum adhùc vidi, qui hanc quæstionem attigerit. Censeo tamen ab illa esse omnes, qui revelationem Dei constituunt distinctam realiter ab ipso Deo. Nullus enim dixit revelationem formalem obscurè cognitam, pertinere ad habitum distinctum, ac instrumētarium; sed indiscriminatim asserunt, omnem revelationem Dei esse obiectum formale fidei. Immò, quoties agitur de testimonio alicuius, priùs nobis occurrit instrumentalis loquutio, quàm formalis: & vix pauci Metaphysici argutantur, in distinguenda loquutione instrumentali à formali. Quamvis enim eas distinguant; frequenter tamen meminimus testimonij instrumentarij, & non formalis. His iam scriptis, prodijt liber de fide Patris Suarez docentis conclusionem hanc, disputat. 8. sect. 5. num. 3. & sect. 6. num. 4.

P. Suarez.

§. 76. 1. Probat. Probatur primò à simili: quia fide humana credimus homini, propter eius loquutionem instrumentalem: ergo divina possumus credere Deo, propter idem testimonium. Consequentia patet: quia quæ, ex parte hominis loquentis, possunt terminare fidem in hominem; eadem, ex parte Dei loquentis, possunt terminare fidem in Deum: solumque est discrimen, quòd authoritas humana est infinitè inferior divinâ, testimoniumque Dei habet nobiliorem actionem: testimonium item & authoritas divina terminant fidem infusam, longè antecellentem nostræ. Secundò probatur eadem consequentia: quia, vt loquutio instrumentalis hominis est ipsius instrumentarium testimonium; ita loquutio externa Dei est eius instrumentarium testimonium.

§. 77. Antecedens autem probatur communi experientiâ: raró enim reflectimus in auditionem nostram, quæ est testimonium formale, productum per instrumentarium. Nam, cùm aliquem audimus, non exercemus hunc actum: ***ego audio testimonium instrumentale hominis***; sed præcisè directè illud audimus: quo audito, percipimus obiecta, quæ dicuntur; cognita autem loquentis authoritate, illi assentimur, aut dissentimur. Exercemus enim frequenter hunc syllogismum: ***credendum est homini frugi, quando aliquid loquitur, & non habemus fundamentum partis oppositæ; sed hic est homo frugi, & loquitur, neque habemus fundamentum partis oppositæ: ergo huic est credendum.*** Hunc syllogismum virtualiter, aut formaliter efformamus, quoties alicui credimus: in quo nulla est cognitio reflexa, terminata ad nostram cognitionem, percipientem testimonium instrumentarium; sed omnes cognitiones sunt directæ de authoritate loquentis, de eius vocibus, & de obiecto, quod loquitur. Equidem vix vnquàm rationem nostræ fidei reddimus, ex auditione formali; sed ex ipsis vocibus, aut characteribus. Cùm enim aliquis, ob alicuius litteras credit, pro ratione credendi, reddit easdem litteras; non verò cognitionem per illas excitatam.

§. 78. 1. Obiectio. Dices primò, non posse testimonium instrumentarium cognosci; quin cognoscatur loquutio formalis: ergo non possumus credere, propter solum instrumentarium. Probo antecedens: quia testimonium instrumentarium est per ordinem ad formale; ita vt dicat, in ratione instrumenti, essentialem ordinem ad cognitionem: quemadmodùm sanitas pomi non potest concipi, nisi per ordinem ad sanitatem animalis. Nego antecedens. Ad probationem respōdeo, testimonium instrumentarium posse cognos-

cognosci, vel reflexè, in ratione testimonij; vel directè audiri, absque conceptu reflexo. Primo modo, debet cognosci cum connotatione ad testimonium formale; secundo autem modo, non est opus ita cognosci. Nam, vt potest audiri mente, & per illud cognosci obiectum, quin reflexè cognoscamus auditionem; ita potest cognosci testimonium materialiter. Præsto est ratio: quia consuetudine loquendi & audiendi, generantur species repræsentantes vocem & rem significatam; quin tunc excitetur cognitio, de impositione significationis, & alijs: ita excitatur species directa signi & rei significatæ.

Respon. 2. Secundò respondetur, omisso antecedenti, & negata consequentiâ: quia, quamvis cū voce percipiatur reflexè cognitio; tamen ratio formalis eam tunc cognoscendi, est testimonium instrumentale: vnde in illud, vt in vltimam rationem formalem, resolvitur assensus fidei.

§. 79. 2. Obiectio. Dices secundò, non posse testimonium instrumentarium, esse obiectum formale fidei per se infusæ. Primò: quia clarè videtur ab audiente, quod est contra rationem fidei. Secundò: quia illud testimonium non est propriè signum, neque revelatio; sed impropriè, & in actu primo.

Resp. 1. Respondeo primò, primam difficultatem esse communem loquutioni formali existenti in audiente, per quam revelatio instrumentalis percipitur. Nam illa loquutio formalis, cognoscitur evidenter ab eam vidente: v. g. Isaias evidenter cognovit, se habuisse cognitionem percipientem loquutionem instrumētalem Dei; non secus, ac evidenter audivit voces ipsas Dei.

§. 80. Resp. 2. Secundò respondeo, negato antecedenti. Ad primam probationem respondeo, ad fidem præcisè requiri cognitionem obscuram alicuius principij, propter quam, mysterium credatur obscurè. Hoc autem principium, in fide humana, est authoritas loquentis, quæ debet obscurè cognosci: nam testimonium, naturâ suâ, est evidenter cognoscibile. Itaque fides humana evidenter cognoscit existentiam testimonij; veritatem autem obscurè. E contrà verò fides divina evidenter cognoscit veritatem testimonij Dei, quādo illud cognoscit esse Dei; obscurè tamen cognoscit eius existentiam: In præsenti ergò cognoscitur evidenter authoritas Dei, sive veritas testimonij divini in communi; at verò, quamvis evidenter cognoscitur, illas voces existere; non tamen cognoscitur evidenter, illas esse Dei: vndè existentia testimonij Dei, vt Dei, tàm obscurè cognoscitur, quàm, cum proponitur ab Ecclesia. Quarè, veritas illarum vocum cognoscitur obscurè: quia hæc veritas cognoscitur, ex existentia testimonij Dei, vt Dei; hæc autem existentia cognoscitur obscurè: ergo & veritas.

§. 81. Ad secundam probationem respondeo, revelationem instrumentalem, quamvis non sit formale signum; esse tamen sufficiens principium obiectivum, ad repræsentandum ad placitum obiecta significata: item, naturaliter posse repræsentare iudicium Dei loquentis, de re, quam loquitur: quia illud iudicium est caussa vocum; audita autem voce significativa, excitatur auditio mentalis illius vocis, & obiecti significati per illam. Item, ex illa auditione spirituali, & alia præmissâ, possumus discere iudicium Dei. Ex hac etiàm auditione mentali formatur hic syllogismus: *omne quod Deus loquitur, est verum; loquitur Trinitatem: ergo Trinitas est vera.* Cuius præmissæ sunt directæ. Minor autem terminatur ad vocē, & eius significatum. Nam, quemadmodum frequenter loquimur, sine frequenti reflexione in impositionem significationis; ita frequenter audimus, sine reflexione frequenti in auditionem ipsam.

§. 82. 2. Probat. Secundò conclusionem probo: quia, in casu, quem disputamus, movemur ad assensum mysterij revelati, ex authoritate Dei in dicendo, & ex eius testimonio obscurè cognito; sed hæc sunt obiectum formale adæquatum fidei, vt constat ex disp. 6. ergo actus ex testimonio instrumentali, est fidei. Maior probatur quoad authoritatem: quia loquutio, tàm instrumentalis, quàm formalis, eo præcisè, quòd sit à Deo loquente, est vera: æquè enim repugnant Deo, loquutio instrumentalis ac formalis falsa: quia omninò repugnat Deo voluntas faciendi verba externa, absonantia iudicio Dei loquentis: sicut repugnat, faciendi verba interna in audiente, per illa externa. Itaque virtus veracitatis divinæ inclinat, ad facienda signa instrumentalia, quæ sint principium cognitionis veræ; immò actus honestus aut vitiosus loquendi verè aut falsò, completur in loquutione instrumentali: ergo loquutio instrumentalis habet conformitatem cum obiecto, eo præcisè, quòd sit à virtute veracitatis: ergo eius veritas cognoscitur ex authoritate loquentis. Antecedens patet: quia mendacium completur actione externa humana; hæc autem actio est prolatio vocis, aut scriptio characteris. Nam assensus falsus non sequitur necessariò, ex prolatione vocis falsæ: potest enim audiens non assentiri. Vndè possumus efficere hunc syllogismum: *quoties Deus externè loquitur, verè loquitur; sed externè loquitur Incarnationem: ergo verè loquitur Incarnationem.* Quæ consequētia est evidens: maior autem propositio conti-

S.Tho.q. 1. Art. 1. continet authoritatem infallibilem Dei: minor verò continet existentiam testimonij Dei.

§. 83. Tandem à priori: quia testimonium externum, aut internum tantùm requiritur, vt ex illo cognoscamus, quid Deus de obiectis sentiat? item, vt cognoscamus, illud oriri à veracitate divina. Quia, cùm res ipsas non cognoscamus, neque in se, neque ex caussis, neque ex effectis, manuducimur ad illarum cognitionem, iudicio ipso Dei de his rebus. Nam Deus non potest falli: vndè, omne quod cognoscit, est, vt ab ipso cognoscitur: item, omne quod vult loqui, est, vt ab ipso cognoscitur. Ex quibus duobus principijs, cognoscimus obiectum testatum: nam, quia Deus cognoscit rem, vt est; & eam vult loqui, vt cognoscit; eam vult loqui, vt est. At hæc cognoscuntur, cognito testimonio instrumentario, quamvis non cognoscatur nostra auditio: ergo, cognito testimonio instrumentario, movemur sufficienter authoritate & testimonio Dei. Probo minorem: quia repugnat, vt testimonium instrumentarium oriatur, nisi à veracitate Dei, quæ est principium eius testimonij: ergo ex solo testimonio instrumentario, cognoscitur sufficienter obiectum, vt testatum à Deo. Tandem, moraliter perinde est, assentiri obiecto, propter testimonium instrumentarium; ac propter formale: quia vtrũque est argumẽtum veritatis obiecti, propter authoritatem Dei loquentis.

SVBSECTIO II.

Argumenta diluo.

§. 84. 1. Argum. PRIMVM sumitur: quia hæc verba non sunt formaliter testimoniũ. Cui feci satis, à §. 90. Nam, etiam in humanis, credimus, propter testimoniũ instrumentarium. Item, tàm propriè oritur ab infallibili authoritate Dei, & tàm certò nos ducit in obiectum, quam formale: quid ergò illi deest, ad terminandam fidem in Deum?

Respondet.

§. 85. 2. Argum. Secundum: quia, quamvis testimonium instrumentarium est sufficiens principium, ad assentiendum obiecto dicto, propter authoritatem Dei; non tamen per habitum fidei. Hic enim innititur testimonio formali Dei; formale autem & instrumentale differũnt specie: ergo & habitus circa illa.

Resp. Occasione huius argumenti illustrabitur conclusio, & doctrina in fine §. 92. Fateor, loquutionem internam specie differre ab externa: nam externa est sonus; interna autem est actus vitalis, illo sono productus. At verò non differunt moraliter, id est, apud prudentes, tantùm valet alterum, quãtùm alterum, ad extorquendum assensum. Quod patet primùm ab exemplo: quia revelatio de Antichristo, specie differt à revelatione de Trinitate; moraliter autem non differunt: quia vtraque est æquè potens, ad assensum terminandum. Neutra enim est altera difficilior: nam omnis revelatio Dei est infallibilis, de quocumque obiecto sit; quia nec falli potest, nec fallere.

Secundò probatur à priori, non differre ea testimonia: quia vtrumque æquè est signum mentis divinæ, & effectus veracitatis divinæ. Nam testimonium externum, tàm est principium, vt cognoscamus Deum loqui, & loqui, vt rem sentit; quàm est testimonium internum. Neque enim vis authoritatis divinæ, & infallibilitas eius testimonij, pendet à cognitione reflexa de testimonio formali, quod est auditio testimonij instrumentalis. Nam conclusio directè deducta ex authoritate Dei & testimonio externo, tàm infallibilis est, quàm, quæ deducitur ex testimonio interno reflexè cognito: quia illa reflexio accipit infallibilitatem ex authoritate, quâ Deus loquitur. §. 86.

Hæc cùm ita sint, non arguunt distinctionem in habitu fidei: quia habitus per se infusi, porriguntur ad complurima obiecta & actus. Neque specifica distinctio actuum & obiectorũ partialium, arguit distinctionem in habitibus infusis. Actus quidem specie distinguuntur: quia sunt adstricti obiectis distinctis; non tamen distinguuntur moraliter: quia non æstimatur pluris, assentiri hoc, quàm illo actu. In humanis, habitus credendi propter illa duo obiecta, distinguuntur specie physica: quia nullus habitus acquisitus potest, nisi vnum actum specie; moraliter tamen non distinguuntur illi habitus. Quemadmodùm erogatio triginta quatuor maravedinorum, specie physica differt ab erogatione argentei; non tamen moraliter: quia, in morali æstimatione, tantùm valet argenteus, quantùm triginta quatuor maravedini. §. 87.

Itaque Propheta, cui Deus loquitur, cognoscens obscurè, revelationem esse Dei, potest exercere actus duorum generum. Primum directorum circa authoritatẽ Dei & loquutionem instrumentalem, sine vllo actu reflexo: ex quibus infert assensum fidei, de re à Deo dicta. Secundum reflexorum, quibus cognoscit auditionem suam, quæ est loquutio formalis, & revelatio Dei: ex qua cognitione reflexa, habente, pro præmissa obiectiva, auditionem Dei, sive revelationem & authoritatem Dei; infert assen- §. 88.

assensum etiam fidei, circa rem dictam. Neque est absurdum, vnum actum fidei habere pro obiecto alium eiusdem fidei. Etenim, vnum posse esse obiectum materiale alius, probatum est, disp. 7. §. 60. & 61. ergo idem erit de obiecto formali. Probo consequentiam: quia non est maior difficultas, in obiecto formali, quàm materiali. Ratio à priori: quia habitus infusus habet vniversalitatem, similem vniversalitati potentiarum; intellectus autem potest habere multos actus, quorum obiectum formale, sint alij actus eiusdem intellectus. Cùm igitur obiectum formale fidei, sit omnis revelatio Dei; hæc autem aliquando sit facta ipsi credenti: potest illam reflexè cognoscere in se, sicut directè eamdem cognoscit in alio. Difficile quidem percipimus, aliquem habitum, cuius omnes actus sint reflexi, supra alios actus eiusdem habitus: nam primus actus, aliud obiectum videtur habiturus; at verò, cùm multi actus sint directi, non est absurdum, constituere alios actus reflexos.

§. 89. *3. Argum.* Tertium argumentum: quia revelatio formalis, est formaliter actus prophetiæ: ergo non fidei. Consequentia patet: quia fides & prophetia distinguuntur. Antecedens probo: quia prophetia est auditio verborum Dei: vt patebit disputatione 28. Obiectum autem prophetiæ, sunt voces ipsæ & signa; sicut obiectum fidei est revelatio. Adverte, prophetiam vsurpari posse, pro prædictione futurorum: sic non est prophetia, quæcumque revelatio Dei; neque in hoc sensu est necesse, libros Canonicos conscriptos esse à Prophetis: etenim Deus potest per aliquem loqui; quin illi revelet futura. Latiùs sumitur prophetia, pro quacumque auditione verborum Dei: sic omnis liber Canonicus conscribitur necessariò à Propheta: quia omnis huiusmodi scriptura est per loquutionem Dei.

§. 90. Distinguo igitur antecedens: revelatio formalis obscura est actus prophetiæ perfectæ; nego antecedens: est actus prophetiæ imperfectæ, concedo: quam prophetiam Sanctus Thomas vocat *instinctum*, de quo agendum disputatione 28. *S. Thom.* & nego consequentiam: fides enim non distinguitur, quoad substantiam habitus, ab instinctu: vt docere videntur Canus & Bañez referendi §. 116. & Pater Turrianus, disputatione 42. dubio secundo, versu *deinde potest*. *Canus. Bañez. P. Turria.* Estque plurium constituentium in Propheta fidem similem nostræ. Ratio est manifesta: quia obiectum prophetiæ sunt authoritas Dei & testimonium externum (ex his authoribus): quod motaliter non differt, in ratione testimonij, à testimonio formali. Vtrùm autem perfecta differat à fide, ratione obiecti; aut ex modo illud attingendi? ostendam disput. 28.

§. 91. *Obiectio.* Obijcis, prophetiam non esse habitum, ex B. Thoma, quæstione 171. art. secundo. *S. Thom.* Respondeo; Sanctum Thomam loquutum de prophetia perfecta, quæ dicitur non esse habitus: non quod in substantia non sit habitus; sed quod parum duret: quemadmodùm visionem Dei ait Sanctus Thomas aliquando fieri, non per habitum; sed per dispositionem. *Respondet.* Igitur prophetia in substantia est habitus: quia eius actus debet effici connaturaliter aliquo principio supernaturali, qui est habitus. Tandem, prophetia, in ratione audiendi, non est habitus: id est, non est in nostra potestate semper audire. Nam habitibus vtimur, quando volumus; audire autem non possumus, nisi quando Deus loquitur. De quo latiùs agendum, disp. 28.

SECTIO V.

De loquutione Dei cum homine per imaginationem.

§. 92. *Conclus.* PRÆTEREA, Deus interdum loquitur hominibus, absque prolatione externa vocum, & absque omni signo, quod actu percipiatur sensu externo; sed per imaginationem materialem, repræsentantem signa sensibilia tàm perfectè, quàm si illa signa, voces, & characteres viderentur, aut audirentur. Itaque quemadmodum, auditis vocibus, excitatur imaginatio illas repræsentans: ita aliquando excitatur imaginatio, repræsentans voces non existentes, & non auditas; ac si existerēt, & audirentur. Ita S. Thomas 2. 2. quæst. 173. art. 3. & Sanctus Augustinus tom. 3. lib. 2. de Trinit. c. 6. *S. Thom.* Quamvis enim non loquatur expressè de imaginatione sensitiva; clarè tamen ait, Deum hominibus loqui per signa non visa; sed spiritualiter repræsentata. Verba Augustini: *Ioanne vidente, in Apocalypsi, Agnum occisum: illa quippè visio prophetica non est exhibita oculis corporeis, per formas corporeas.* *S. August.* Consentit S. Eucherius adductus, §. 77. & P. Suarez ibidem. *S. Eucher. P. Suarez.*

§. 93. Probatur: sensio externa servit Prophetæ, vt, per auditum aut visum, traijciat speciem sui obiecti in sensum internum: per quam speciem excitatur imaginatio obiecti ia percepti per sensum externū;

S.Tho.q. 1. Art. 1. sed Deus potest, se solo, efficere speciem illã excitatricem imaginationis, quin fiat concursu sensionis externæ: per quam speciem tàm perfectè repræsẽtetur in imaginatione obiectum illud, ac si re ipsa audiretur: ergò Deus potest movere imaginationem, ad percipiendas suas voces vel signa, per aliquam speciem impressam independentem actu à sensione externa. De maiori non potest esse dubium: quia, cùm visus & imaginatio sint in diversis sitibus, non potest actus visus servire imaginationi, in genere caussæ formalis, id est, per intrinsecam vnionem cum illa: opus ergò est, vt illi serviat in genere caussæ efficientis, iniiciendo speciem obiecti sensilis. Minor verò multo magis est expers dubitationis: quis enim dubitet Deum, se solo, multo meliùs posse efficere omnes effectus absolutos; qui non dicunt repugnantiam ex parte modi vitalis, vt fiant à principio extrinseco? Consequentia autem patet: quia illa excitatio imaginationis esset loquutio: oriretur enim à Deo, vt ab authore speciali, efficiente auditionem terminatam ad signa ipsius Dei: ergò esset loquutio. Patet consequentia: nam voces perceptæ per sensus, propterea sunt loquutio: quia movent imaginationem ad cognitionem sui, & intellectum ad cognitionem obiectorum, vt à Deo percipiuntur; sed Deus id præstat speciali ratione, supplendo defectum vocis externæ; & efficiendo, vt vox externa percipiatur; & obiectum, vt à Deo cognoscitur. Quid ergò deesset perfectæ loquutioni?

§. 94. Hæc autem loquutio contingit more somniorum, seclusis illorum imperfectionibus. Somnia contingunt per motionem specierum imaginationis, relictarum ex obiectis sensilibus, & ex illorum sensionibus externis: harum specierum vsus non pendet necessariò à sensione externa. Hoc confirmatur ex vigilia: sæpè enim cogitamus sensilia absentia, quod commune est brutis: mugit namque vacca amore vituli, quem meditatur absentem. Hinc in somno excitantur species impressæ, tàm vehementer repræsentantes obiectum, ac si esset præsens. Quoties enim contingit, somniantem iactare brachia, ad propulsandum telum, quod videre sibi videbatur imminere? Quoties dormiens expergiscitur horrens toto corpore, arbitratus ensem per costas adactum? In quem Poeticum quadrat:

gelidusque per ima cucurrit
Ossa tremor.

Ita potest Deus tàm vehementer excitare species in phantasia Prophetæ, vt sibi videatur præsentem intueri agnum occisum; aut voces audire. Quod arbitror contigisse Beato Petro dormienti, & videnti demissum linteum è cœlo: cum enim dormiret, non poterat illud oculis videre; visus est autem sibi, & illud videre, & voces audire. Est autem hoc discrimen: quod species excitantur in dormiente, ex aliquo defectu: v.g. ex vehemẽti humore, vt cholerici frequenter somniant gladios, rixas; phlegmatici stagna, nemora; melancholici tristia, infausta; sanguinei floralia, lasciva: vel oritur ex aliqua vehemẽti passione, tũc vigente: excitatio autem divina oritur ex perfectione virtutis activæ Dei. §. 95. Actor. 10. 11.

Est item aliud discrimen: quòd dormientes nullum, aut vix vllum iudicium efformant; sed apprehensionem: si quod autem efformant, est plerumque falsum & monstrosum. At verò Propheta imaginatione pulsatus, & intellectu apprehendens signa sensilia, plerumque illis assentitur lumine supernaturali, & iudicat, Deum secum loqui de obiectis significatis: quibus assentitur, vel per instinctum ex authoritate divina & loquutione Dei; vel per prophetiam claram cognoscentem veritatem loquutionis divinæ. §. 96.

In hoc casu, nulla est propriè loquutio instrumentalis Dei; sed obiectiva tantùm. Loquutio instrumentalis duo præstat: primùm producit speciem sui, per quam efficienter concurrit ad sensionem externam, & cæteras sui apprehensiones: quo constituitur in genere caussæ instrumentariæ. Hoc genus caussalitatis cùm illi deficiat in nostro casu, non est loquutio instrumentalis: quia cùm non existat, non producit speciem sui. Secundum, quod præstat loquutio instrumentalis, est, terminare cognitionem materialem sui: item apprehensionẽ spiritalẽ: denique terminare iudiciũ, quo Propheta dicit: *Deus loquitur*: itẽ quo cognoscitur res, quam Deus loquitur. Hæc omnia retinet loquutio, in nostro casu ac propterea est loquutio obiectiva Dei, quâ cognita, cognoscuntur etiam significata. Deus autem est vtraque ratione loquens efficienter, vt patet; obiectivè verò, quando ita loquitur, vt possit à Propheta cognosci, eum esse, qui loquitur. §. 97.

Igitur, per imaginationem apprehendit propheticus intellectus signa vocesque Dei, vt præsentia: ex qua apprehensione, ita propheticè ratiocinatur, & per instinctũ: interdũ etiã per prophetiã clarã: *omnia, quæ Deus loquitur, sunt, vt ab ipso dicuntur; sed mihi loquitur futurum Antichristum:* ergo §. 98.

ergo *Antichristus est futurus.* Totum hoc obiectum cognoscit; per syllogismum formalem aut virtualem: maiorem propositionem evidenter; minorem autem, quoad existentiam, cognoscit clarè: eam verò esse Dei, & veram, per instinctum cognoscit obscurè, manuductus aliquibus conditionibus, quibus redditur evidenter credibilis veritas illius revelationis, & quòd sit Dei: vt nobis argumenta fidei reddunt evidenter credibilem existentiam revelationis divinæ.

§. 99. Considerandа est duplex ratio assentiendi revelationi. Cùm Deus verè loquitur externè, formatis signis aut vocibus, possumus illa apprehendere, & iudicare, Deum illis loqui; quin reflexè cognoscamus nostras auditiones aut apprehensiones; vt dixi §. 87. item eo iudicio directo, & alio etiam directo de authoritate Dei, possumus syllogismo fidei ratiocinari, & assentiri mysterio revelato. Cùm verò non existit loquutio instrumentalis & externa, apprehenditur actu simplici, ac si existeret; non tamen iudicatur. Quæ simplex apprehensio est impropriè auditio: quia non fit per loquutionem instrumentalem: vt dixi §. 106. Convenit autem cum auditione, quia repræsentat instrumentariam loquutionem. Vt ergò loquutio instrumentalis est efficienter à Deo; ita eius auditio propria; est efficienter ab ipsa auditione instrumentali. Item, eadem simplex apprehensio est prophetia imperfecta: quia est loquutio formalis Dei, ab ipso specialiter facta, & repræsentans loquutionem externam ipsius Dei. Convenit item illa apprehensio cum loquutione instrumentaria, quòd priùs cognita ducit Prophetam in cognitionem sui obiecti, vt cogniti à Deo; nón aliter, ac loquutio instrumentaria. Differt autem, quòd loquutio instrumentaria non repræsentat formaliter rem dictam; hæc verò apprehensio est formalis repræsentatio vocis externæ, & rei significatæ per illam.

§. 100. Ratio autem, obquam iudicium non terminatur ad loquutionem externam, est: quia esset falsum. Cùm enim Deus non loquatur externè, neque voces existant, hæc iudicia: *Deus loquitur externè: voces Dei existunt*, essent falsa; nec essent supernaturalia, neque loquutio Dei. Apprehensio autem simplex non affirmat voces existere; sed tàm vehementer illas apprehendit, ac si existerent. Ratio verò, ob quam, in hoc casu, necesse est cognoscere reflexè hanc simplicem apprehensionem, est: quia Propheta debet iudicare, Deum cum ipso loqui; alioquin non poterit, ex authoritate Dei, & eius revelatione, assentiri revelatis: nam hoc genus prophetiæ obscuræ nititur authoritati Dei & eius testimonio, cognitis vt existentibus; immò prophetia clara habet, pro obiecto formali, existentiam testimonij Dei; sed tunc nihil est, quòd posśit terminare hoc iudicium: *Deus mihi loquitur*; nisi simplex apprehensio producta specialiter à Deo, & repræsentans voces & signa Dei: ergo iudicium propheticum debet terminari reflexè ad apprehensionem intellectus; vel directè ad apprehensionem imaginationis. Probo minorem: quia voces externæ non existunt; primum autem omnium, quod existit à Deo, vt loquente, est illa apprehensio imaginativa; secundum verò apprehensio intellectiva. Itaque Deus tunc loquitur per apprehensionem imaginationis, quam tunc potest cognoscere Propheta: quâ sola cognitâ; potest iudicare, Deum per illam loqui. Quemadmodùm, Deo externè loquente, possumus iudicare, eum loqui, sola auditione vocum externarum, sine alia cognitione terminata ad apprehensionem vocum. Itaque necesśitas assentiendi, Deum esse, qui loquitur, nos cogit, ad adstruendum iudicium propheticum terminatum ad apprehensionem, quando non existit externa loquutio; secùs quando existit. Quæ confirmari videntur ex cap. septimo Actorum versi. 56. vbi B. Stephanus dixit, se vidisse cœlos apertos: non dixit cœlos fuisse apertos; sed se eos apertos vidisse: quia verè habuit visionem, qua cœli repræsentabantur aperti, vel quia re ipsa aperti erant; vel quia repræsentabatur ruptura cœlorũ. Actor. 7.

SECTIO. VI.

De alijs Dei loquutionibus.

NEQVE huic generi loquutionis adstrictus est Deus: potest enim hominibus loqui per solam apprehensionem spiritualem, sive intellectus, repræsentantem voces aut signa corporalia, aliquid significantia ex voluntate Dei: verbi gratiâ, potest Deus per speciem agni occisi, aut vocis à Deo prolatæ, excitare in intellectu Prophetæ simplicem apprehensionẽ illorũ signorũ, tàm vehementem, ac si excitaretur per §. 101. 1. Conclus.

S.Tho.q. 111. Art. 1. per illorum assistentiam, perceptam sensu externo & interno: ad quam apprehensionem spiritualem non requiritur de potentia Dei absoluta, vt excitetur apprehensio eius obiecti in imaginatione. S.Thom. Ita Sanctus Thomas secunda, secundæ, quæst. 173. articulo tertio: vbi constituit quatuor loquutiones Dei distinctas: duas quidem, quas ego proposui sectione tertia, & quinta: tertiam autem per immissionem specierum intelligibilium: id est, immittendo species impressas intellectuales, siue intelligibiles, per quas producitur apprehensio intellectualis. S. August. Et Sanctus Augustinus adductus §. 76. tom. tertio, lib. secundo, de Trinitate, cap. sexto docens, Deum interdum hominibus loqui per spiritales imagines corporum, & lib. 8. cap. 27. Deum loqui similitudine rerum corporalium. Dixit autem acutè: quia imaginatio non est spiritalis, sed materialis; sola verò intellectio & intellectualis species impressa, sunt spiritales imagines corporum. Est igitur opus, vt repræsentetur aliquod corpus, quod cognitum ducat in cognitionem rei significatæ per illud. Hoc patet exemplo ipso Augustiniano: Apoc. 5. 12 quia Ioannes apprehendit agnum occisum; Gen. 41. 2. Pharao vidit septem vaccas; 40. 11. 16. Pincerna poculum Pharaonis; Pistor verò canistra: è quibus cognitis, Ioannes cognovit mysteria Christi significata per agnum; Ioseph autem divinavit annos fœcundos & steriles, revocationem Pincernæ in antiquum munus, & patibulum Pistoris. Deus enim interdum loquitur verbis; interdum signis: vndè dixit Augustinus adductus §. 63. omne eiusmodi signum vocari linguam.

§. 102. Probatio. Hæc conclusio probari potest eâdem ratione, qua præcedens in §. 102. quia, vt Deus potest supplere concursum obiecti externi, & cognitionis etiàm externæ, & absque illis producere imaginationem; ita potest supplere concursum imaginationis, & absque illa producere simplicem apprehensionem in intellectu. Nam, vt imaginatio, naturâ sua, pendet à specie per sensum accepta; ita apprehensio intellectus pendet à specie è phantasmate accepta: neque maiorem habet dependentiā intellectio simplex à phātasia, quā hęc à sensione externa: ergo vtraque potest à solo Deo produci. Aristot. Quod autem Aristoteles dixit, intelligentem oportere phantasmata speculari, accipiendum est ex lege naturæ, qua non tenetur Princeps naturæ Deus.

§. 103. Cum pueris ante tempus, quo rationis lumine illustrantur, sermonem etiàm init Deus, aliquo ex his modis: vt cum Ioanne Baptista in vtero materno. Quibus tunc tradit, vel eorum linguam, inter quos degunt; vel aliquod aliud idioma: verbi gratiâ, Baptistam docuit Hebraismum: qui erat communis eius parentibus, quo etiàm erat vsurus vir: vel eos docet, quid significent signa illis ostensa. Itaque illis immittit speciem & cognitionem significationis vocum aut signorum, quæ eos facit tunc apprehendere, ac si essent præsentia. Quando Deus verè format voces externas, eas percipiunt; quin fit necesse, apprehendere illarum apprehensionem; quando verò non formantur voces, sed tantùm illarum apprehensio aut imaginatio; tunc illorum iudicium terminatur ad apprehensionem, aut imaginationem, vt dixi §. 109.

Tandem: Deus non loquitur propriè, alia ratione, homini, vt in corpore degenti. §. 104. 2. Conclus. Probatur: quia omnis loquutio Dei est per aliquod signum, quod priùs cognitum ducat in cognitionem rei dictæ: vt probavi. Etenim loquutio instrumentalis absolutè significat vocum prolationem: ex cuius analogia, cætera signa dicuntur loquutio & lingua: vt ex B. Augustino dixi §. 63. B. August. Sed nullum est aliud signum, ex quo, vt in corpore degentes, veniamus in cognitionem rei dictæ, vt cognitæ à loquente: ergo homini, vt in corpore degenti, non loquitur Deus alia ratione. Quamvis enim Deus potest loqui per significationem suæ voluntatis, sine nostra apprehensione de aliquo signo externo; ità vt nostra auditio terminetur immediatè ad voluntatem Dei, vt ad loquutionem instrumentalem: vt de Angelis dixi §. 74. ea tamen loquutio est propriè inter Deum, & Angelum, & animum separatum, per species diversas & perfectiores nostratibus. In præsenti autem agimus de loquutione cognoscibili corporis legibus: qua loquutione cognoscimus obiecta, & loquentem per aliquod signum externum atque corporeum. Quapropter S. Augustinus toties adductus, semper explicuit loquutionem Dei & prophetiam, per signa sensilia cognita spiritaliter.

Obijcis primò, à B. Thoma 2. 2. quæstione 173. art. 3. §. 105. Obiectio. constitui quartum genus revelationis, distinctum à tribus à B. Thom. me propositis: nempè, per immissionem luminis superioris, 3. Reg. 3 vt fecit Salomoni, 12. quem affatim sapientiâ supernaturali ditavit. Respondeo, Respondet. eam non vocari à S. Thoma propriè loquutionem; sed revela-

revelationem ; revelatio autem vniversalior est loquutione. Est enim cuiusque rei manifestatio : quapropter Deus videtur in patria revelata facie , id est , ostensa facie , detracto velo , aut cortinâ specierum alienarum ; loquutio verò est manifestatio & revelatio Dei per signa cognita , ducentia in obiectum , vt cognitum
S.Thom. à Deo. Itaque S. Thomas eo in loco , non solùm ostendit rationem , qua Deus loquitur creaturis ; sed etiàm , qua illarum mentes illustrat.

§. 106. 2. Obiectio S.Thom. Respond. Dices secundò , ab eodem S. Thoma 1. par. quæst. 107. art. 1. dici , hominem secum loqui , quando ex habitu elicit actum, & producit verbum internum. Respondeo, illam actionem non esse propriè ; sed metaphoricè loquutionem ; est autem propriè dictio : quia est expressio obiecti cum productione verbi . Est enim de conceptu loquutionis relatio ad aliam personam & verbum; dictio verò sistit in ipso verbo , quod , in creaturis , non est persona distincta à dicente. Quia tamen omnis loquutio est dictio , & vtraque est affinis ; ideò interna dictio dicitur loquutio per catachresim , vt navis dicitur ædificari : quia eius structura imitatur constructionem domorum , quæ propriè sunt ædes, & ædificantur.

SECTIO VII.

Examinata sententia Cani & Bañez.

§. 107. HVC reieci examen opinionis, constituentis obiectum formale fidei revelationem Dei; & asserentis hanc revelationem esse ipsius habitualis fidei infusionem. Itaque habitum dicunt esse revelationem Dei, & rationem formalem , qua cognoscitur divina fidelitas , sive veracitas in dicendo. Quam sententiam
Arag. insinuasse videtur Aragon 2. 2. q. 1. art. 1.
Bañez. conclus. 6. Clariùs verò Dominicus Bañez ibidem dub. 1. conclus. 6. & ad 3. vbi distinguit fidelitatem Dei se tenentem ex parte rei , quam cognoscit fides , à revelatione se tenente ex parte credentis: quam vocat primum principium in fide, sicut lumen intellectus in scientijs. Hoc autem lumen fidei dicit esse ipsam fidem , quæ illuminat obiectum, in ratione credibilis. Solet etiam adferri
Canus. Canus 2. de locis, cap. 8. versu *his verò tribus* ; non tamen admodum clarè ; minùs autem obscurè, lib. 12. cap. 3. versu *secunda conclusio*: vbi accipit pro eodem, esse aliquid revelatum , & habitum fidei esse infusum.

Cuiuscumque tamen sit ea sententia , est perquàm falsa. Primò : quia revelatio , quâ §. 108. cognoscit fides , vt obiectum formale , est quædam species loquutionis divinæ ; sed habitus infusio non est species loquutionis divinæ : ergo non est revelatio, de qua agimus. Maior constat ex disput. 5. vbi ostendi, omnem fidem inniti , vt obiecto formali primùm cognito , authoritati & testimonio loquentis : quod testimonium est testis loquutio. Minor facilè probatur ex dictis; omnis enim loquutio , aut est formalis, aut instrumentalis; instrumentalis cognoscitur priùs, & ducit in cognitionem rei dictæ; formalis verò est ipsa auditio loquutionis instrumentalis: habitus autem infusio , neutra ex his loquutionibus est : quia neque est obiectum priùs cognitum , neque est ad significandam rem dictam; neque item est actus intellectus , neque auditio : ergo non est species loquutionis. Quod confirmatur in pueris , quibus Deus non loquitur in Baptismo, eis donans fidem.

Deinde omittamus quæstionem de voce : actus fidei non habet pro obiecto solam veritatem & fidelitatem Dei; sed etiàm testimonium , vt probavi disputat. 5. Actus autem fidei non se habet pro obiecto , magis quàm fides in Petrum cognoscit se ipsam : quidquid autem sit , vtrùm omnis cognitio se cognoscat, vt *quo*? dubitari non potest, fidem humanam actualem pendere , & à testis authoritate , & à testimonio ipsius testis : v. g. à vocibus, aut scriptis, i a vt possit asserere, Petrum loqui: quod idem affirmandum est de fide in Deum, pendente, ex parte Dei , ab eius authoritate & testimonio. Neque item fides habet pro obiecto formali suum habitum : cùm enim passim credamus propter testimonium Dei, vix meminimus habitus. Item, habitus ipse habet aliquod obiectum formale , in quod tendit per actus ; hoc autem obiectum non est ipse habitus ; ergo præter hanc revelationem , quam isti vocant infusionem habitus , assignandum est aliud testimonium & revelatio Dei , ex qua cognita cognoscatur res testata. Tandem , non potest esse loquutio & auditio , quin percipiantur ; quis autem percepit vnquàm habituum infusionem ? Igitur revelatio Dei distinguitur realiter ab infusione habitus. Quæ revelatio , si est formalis revelatio, & obscura, est actus fidei; si autem est revelatio clara , est prophetia : revelationis verò formalis obiectum , est revelatio instrumentalis & obiectiva : hanc non explicuerunt Canus & Bañez.

S.Tho.q. 1. Art. 1. §. 110. Ad argu. Illorum autem argumenta sunt levia: fides enim non est lumen ex parte obiecti; sed ex parte subiecti. Etenim fides est in intellectu principium actuum credêdi; quod principium vocari potest lumen: quia sicut lumen gloriæ est principium videndi Deum; ita & fides credendi. Respondet autem fides potentiæ intellectrici: quia se tenet ex parte illius, vt principium simpliciter necessarium; intellectus verò non est lumen obiectivum; sed subiectivum. Lumen tamen obiectivum rei revelatæ, sunt authoritas & testimonium Dei; sicut lumen obiectivum coloris est lux: quia authoritas & testimonium propter se ipsa cognoscuntur, & sunt ratio, vt revelatum cognoscatur; sicut lux, se ipsa videtur, & est in caussa, vt videatur color. Quia verò revelatio obscurè proponitur, eius lumen applicativum, sunt authoritas Ecclesiæ, miracula, & alia argumenta, quibus revelationis existentia est evidenter credibilis. Oportebat autem ab his authoribus ostendi, conceptum illius testimonii, quod creditur per fidem, & per miracula redditur evidêter credibile. Quod testimonium, apertè constat, non esse infusionem habitus, neque ipsius actũ. Argumenta enim fidei non sunt, ad probandũ hæretico, nec Catholico, illos gaudere, aut carere fide; sed ad ostêdêdum, Deũ revelasse Isaiæ v.g. mysterium Incarnationis.

§. 111. Deinde dicunt, mysteria esse credibilia per fidem. Respondeo, *credibile* bifariam vsurpari: primum, pro denominatione extrinseca ab actibus credendi; sicut visibile & intelligibile sunt obiectis extrinseca denominatio, ab actibus videndi & intelligendi: à quibus existentibus res dicuntur visæ aut intellectæ, ab eisdem autẽ abstractis ab existentia, res dicuntur visibiles & intelligibiles. In hoc sensu mysteria sunt credibilia formaliter per actus credendi, per habitum autem non formaliter, sed efficienter; per intellectum verò, & efficienter partialiter cum habitu; & etiã formaliter, vt *quod* quia ipse est credens per actum. Item *credibile* accipitur pro fundamento proximo ex parte obiecti, quo mysterium revelatum potest credi: quæ credibilitas nihil est, præter authoritatem & testimonium Dei; hoc autem testimonium se ipso est credibile, vt obiectum formale; applicatione verò Ecclesiæ aut miraculorum est cognoscibile, non vt obiecto formali; sed tantùm vt conditione sine qua non.

§. 112. Tertiò; adducunt habitum principiorum, quem dicunt esse lumen obiectorum. Respondeo tamen, eum habitum non se tenere ex parte obiecti, sed ex parte potentiæ: quæ supponit totum integrum obiectum, à quo accipit speciem impressam; species verò impressa simul cum intellectu, producit actum evidentem, de obiecto ipso per se noto: qui actus gignit habitum circa obiectum idem, in multorum opinione: hic autem habitus inclinat potentiam ad actus similes; circa obiectum idem. Itaque habitus principiorum non est ratio obiectiva cognoscendi obiectũ; sed activa tantũ actuũ tendentium in obiectum idem. Ergò eadem ratione fides têdet in obiectum, efficiendo; & non terminando actum credendi. Recognosce disp. 5. sect. 6.

SECTIO. VIII.

De loquutione Dei cum Angelis & animâ separata,

§. 113. S. August. QVA ratione Deus Angelis loquatur, tàm difficile visum est Sancto Augustino, vt ab hac quæstione se excusaverit, tomo 5. lib. 16. de Civitate cap. 6. quam incomprehensibilem censuit tomo 3. lib. 8. de Trinitate, & alibi: fortè, quia difficilem censuit rationem, qua ipsi mutuò loquuntur. Eâ namque explicata, ex eius filo duci potest cognitio loquutionis divinæ cum Angelis: servat enim cum illis morem, quem ipsi mutuò. Vndè recognoscenda sunt, quæ dixi sect. 2. de loquutione Angelorum.

§. 114. Richard. P. Molin. P. Albert. Ex sententia Richardi, ac Patrũ Molinæ & Albertini, adducta §. 7. de loquutione per nutus, & signa ad placitum, poterat huic instituto via facilis iniri. Deus enim loqueretur Angelis per illos nutus, & signa specialiter ab ipsis facta: vt nobis loquitur per nostras voces & signa. Angeli autẽ ea cognoscerent esse Dei, vel clarè, vel obscurè; pro qualitate speciei, quam de illis immitteret Deus. In sententia verò Scoti, Scotus. loquetur Deus Angelis, immissione cognitionis de obiecto, quod ipse sentit.

§. 115. S. Thom. Ex sententia autem S. Thomæ, in quam inclinatus sum §. 74. colligitur, Angelis Deum loqui per actum suæ voluntatis, quẽadmodum ipsi mutuò loquuntur. Itaque Deus habet, pro loquutione instrumentali, voluntatem suam, quâ vult Angelos cognoscere secretum illud, quod loquitur: item, & vt ab ipso cognoscitur, ita vt possint cognoscere sententiam Dei, de obiecto illo; at non est propriè instrumentalis loquutio. Formalis autem loquutio est ipsa Angelica auditio, qua immediatè cognoscunt voluntatem Dei. Nam, vt loquutione vocali

vocali & Angelica, primùm percipitur vox Petri, & voluntas Michaelis: & ex illis perceptis, percipimus illarũ significatum, cui assentimur, aut dissentimur; & possumus conijcere sententiam loquentis, de re, quam loquitur: ita hæc eadem contingunt, in loquutione Dei cum Angelo, & animo separato. Contingunt autem extra patriam per species abstractivas, quas Angelus & animus separatus habent de voluntate Dei: sive infusæ sint à Deo; sive comparatæ propria exercitatione: vt dixi disput. 6. §. 20. In statu autem beatifico, loquitur Deus Angelis per intuitionẽ suæ volũtatis, vt ipsi sibi mutuò. Loquutio verò Dei potest esse naturalis quoad substantiam: vt cùm Iob. 1. & 2. Deus dicitur loquutus cum Dæmone; ea loquutio cur erit supernaturalis in substantia? *Iob. 1. & 2.*

SECTIO IX.

Vtrùm omnis propositio Ecclesiæ sit loquutio Dei?

§. 116. DISP. 7. à §. 13. latè proposui sententiam constituentem propositionem Ecclesiæ esse obiectum formale fidei. Quæ sententia accepta fuit de propositione Ecclesiæ, authoritate ipsius humana. Potest autem in alio sensu vsurpari: nempè, si quis affirmet, propositionẽ Ecclesiæ esse revelationem Dei, cui nos assentimur, quia est revelatio Dei: quemadmodùm assentimur revelationi Isaiæ, arbitrantes illam esse revelationem Dei. Neque verò est sermo, de propositione Ecclesiæ totius, vt re ipsa illi Spiritus sanctus assistit infallibiliter, ne erret: iam enim ostendi, ea disp. 7. §. 58. hanc revelationem tàm esse formale obiectum *quo* fidei, quàm revelationem Isaiæ. Agimus autem de propositione Parochi, aut Episcoporum, qui interfuerunt Concilio, & nobis proponunt definitionem ipsius Concilij: vtrùm hæc propositio sit revelatio Dei, & ratio formalis fidei?

§. 117. Censebit nonnullus, eam propositionem esse verè revelationem & loquutionẽ Dei, cui assentimur fide divina; non secùs ac revelationi, quam habuit Petrus de Christi divinitate. Primùm: quia Deus (teste Paulo) loquitur *multis modis*. Secundò, ex Davide: *lingua mea calamus scribæ*. Tertiò, ex Ioan. 6. *omnis, qui audivit à Patre, & didicit; venit ad me.* Item: *erunt omnes docibiles Dei.* Quartò, ex 2. ad Hebræos, *contestante Deo signis & portentis.* Quintò: quia, si ego video amici scripta, credo eum mecum agere scripto. Ego arbitror, præcipuum fundamentũ huius sententiæ esse, callidè constituere, propositionem humanam Ecclesiæ esse obiectũ formale fidei. Nam, cùm revelatio alijs facta non sit per se nota, oportuit eam cognoscere ex alio obiecto formali per se noto; hoc autem vident esse humanam Ecclesiæ propositionem. Quia verò erroris damnatur ea sententia, de resolutione fidei in authoritatem humanam Ecclesiæ, vt in obiectum formale; oportuit callidè declinare hanc censuram, & his involucris tegere eam opinionem. *Ad Hebr. 1. 1.* *Psal. 44. 2* *Ioan. 6. 45* *Ad Hebr. 2.*

Adverte ex §. 20. & ex tota sectione prima, loquutionem vt sic oriri à loquente, in genere caussæ efficientis particularis; loquutionem autem Dei ipse efficit, vel adæquatè solus; vel per aliquem Angelum ministrum, vel hominem: qui tunc gerunt vices Dei infallibiliter loquẽtis per illos. Quo casu ita oritur loquutio à Deo, vt etiã divinitùs illi repugnet falsitas. Quòd si prolatio vocis non oriatur ab homine, per hanc infallibilem adsistentiam Dei, non est loquutio divina, sed humana. §. 118. *Animad.*

His constitutis, impugnatur hæc opinio: primũ, quia est vicina errori Calvini: quod ostendam, disp. sequenti, à §. 3. Secũdò: quia est contra communem omnium Catholicorũ sensum, distinguentiũ in Ecclesia authoritatẽ humanam à divina. Divina censetur, quando Ecclesia non loquitur ex sensu proprio, & propria authoritate; sed Dei, qui loquitur per Ecclesiam, vt per instrumentum. Cui loquutioni non credimus, quòd sit ab homine bono & litterato; sed præcisè quòd sit à Deo. Quamvis enim Deus loquatur per scelestissimũ ministrum Caipham, Balaam; aut eius iumentum, illis est adhibenda fides: quia non tàm illis creditur; quàm Deo loquenti per illos. Authoritas humana censetur sanctitas & doctrina Ecclesiæ: quæ frequenter vocatur applicatio revelationis divinæ. Cuius propositioni non credimus propter authoritatem Dei; sed præcisè propter humanam. Eadem distinctio constituitur in miraculis, & eorum applicatione. Hæc autem sententia omnia evertit: etenim omnem applicationem veram miraculorum, & omnem veram propositionem Parochi vocat revelationem Dei: cui credimus, quia arbitramur illam esse Dei: & apprehensis rationibus ad credendum, nobis apparet ex terminis, illud esse testimonium & revelationem Dei. §. 119.

Tertiò: quia per tot anfractus relabitur in difficultates sententiæ communis, quas fugere conatur. Probatur: quia sententia com- §. 120.

S. Tho. q. 1. Art. 1. communis ideò fugitur, quia revelatio facta Isaiæ, neque est nobis per se nota, neque ex alijs principijs evidentibus potest evidenter deduci; sed neque in hac sententia sunt principia evidentia, quibus cognoscamus revelationem illam esse Dei: ergo. Minor satis est clara: quia etiam evidentia cognoscitur, Deum nunc loqui per Parochum prædicantem mysteria fidei? ergo, sicut in sententia communi indigemus aliquo principio, manuducente ad existentiam revelationis Isaiæ; ita in hac indigemus alio principio manuducente ad persuadēdum, quòd hæc propositio Parochi est revelatio Dei. Vndè erit assignanda alia ratio formalis obiectiva naturalis, in quam resolvatur fides; vel sicut creditur hanc revelationem esse Dei, per motiva humana, vt per conditiones; ita credenda erit existentia revelationis Isaiæ, per propositionem humanam Ecclesiæ, vt per conditionem. Dicunt, visa propositione Parochi, & rationibus, quibus apparet Deum per illum loqui; nos ipsis terminis moveri, ad credendum Deum loqui per hunc hominem. Ita dico ego, visa propositione humana Ecclesiæ, nos moveri terminis ipsis, ad credendum Deū loqui Isaiæ. Denique sistendum est semper comparationi: & quemadmodùm existentia revelationis alienæ est nobis ignota; ita est nobis ignotum, quòd hæc revelatio est Dei: cogendique sunt adversarij, vt admittant conditiones aliquas humanas applicantes; vel, vt fateantur aliquid humanum esse obiectum formale fidei. Quod quidem animo libenter credunt; verbis autem non audent fateri.

§. 121. Quartò: quia impossibile est credere propter testimonium Parochi, vt propter testimonium Dei, si nobis persuadeamus, illud non esse testimonium Dei; sed nullus Catholicus sibi persuadet, propositionem Parochi esse testimonium Dei: ergo non possumus fide catholica credere propter illud testimonium. Maior constat ex disput. 4. quia credere propter alicuius authoritatem, est credere testimonium esse verum: quia est testimonium loquentis. Item disput. 3. sect. 2. monstravi, ad assentiendum per fidem alicui, necessarium esse cognoscere existentiam eius testimonij. Nisi enim ego mihi persuadeam, has litteras esse Petri, non mihi persuadebo, vera esse quæ ibi scribuntur, propter authoritatem Petri: esto veritatem mihi ego persuadeam alio ex capite. Minor autem patet: quia omnes Catholici ingenuè fatentur, testimonium Parochi non esse loquutionem Dei; neque Deum Parocho revelare mysterium quod proponit. Pone Parochum loquentem cum homine prudente de mysterijs fidei; & iste asserat: ego non credo, hanc propositionem Parochi esse vllo modo revelationem Dei; neque Deum mihi loqui per hunc Parochum; credo tamen hunc Parochum vera loqui, & mihi persuadeo existentiam revelationis Isaiæ de Incarnatione Christi. Hic catholicè crederet: sic enim omnes credimus. At non credimus propter testimonium Parochi, vt propter testimoniū Dei; sed expressè negamus, illud esse testimonium Dei: ergo non possumus fide divina in Deum credere, propter illud testimonium acceptatū pro testimonio Dei. Quæ est evidens argumentatio.

Quintò probatur à priori: quia illa propositio Parochi non oritur à Deo, vt infallibiliter adsistenti aut loquenti: ergo non est loquutio Dei. Consequentia patet: tùm ex sectione prima; tùm ex disput. 18. à §. 14. vbi ostendam omnem loquutionem Dei, sive mediatam; sive immediatam, oriri à principijs, cum quibus repugnet loquutionem esse falsam. Antecedens probo primò: quia Parochus consideratus in actu primo loquendi, fuit indifferens ad loquendum verum vel falsum: ergo illa loquutio non oritur à veritate infallibili: quia hæc in actu primo est determinata ad veritatem, cum repugnantia ad falsitatem. Antecedens probo: primùm, ex parte intellectus Parochi: qui potest animo esse hæreticus, carens omninò divina fide, & omni habitu supernaturali: item & speciebus supernaturalibus, potuitque esse in sola natura, eaque lapsa per actualem hæresim. In homine autem hæretico nullum est principium ex parte intellectus, quod non sit indifferens ad falsitatem. Item, ex parte voluntatis, potest esse actus vitiosus, quo imperatur externa loquutio: qui actus non est à Deo speciali authore; sed permissore. En Parochus verè proponit revelationem Isaiæ, quam audiens credit fide divina; ipse tamen Parochus illam non credit: neque arbitratur eam tunc à Deo dici, sed oppositam; voluntas autem est prava: qua ergò ratione Deus adstitit huic homini, adsistentiā supernaturali, quæ physicè repugnat cum principijs, quibus tàm depravatè loquutus est? Nonne potuit iste Parochus oppositum dicere, quemadmodùm oppositum sensit? §. 122.

Dices, Caipham loquutum pravo fine, vt constat ex cap. 11. Ioannis 51. Cuius tamen loquutio fuit revelatio Dei. Responde o, §. 123. Obiectio. Ioann. 11. 51.

Respond. deo, Caiphā habuisse duos actus: alterum intellectus, quo censuit necem Christi expedire ad gẽtis salutẽ. Hic actus fuit ex speciali Dei providentiâ: quia verè fuit ex instinctu Spiritus S. vt cõstat, tũ ex Apostoli verbis; tùm ex multis Patribus, quos refert & sequitur P. Maldonatus ibi, & apud Matthæum cap. 7. num. 22. Quod autem nonnulli Patres dicunt, Caipham ignorasse se prophetasse, difficile est, si assensus ille productus fuit per loquutionem, quam constat cognosci ab audiente. Dicendum igitur alterum è duobus: vel Caiphā cognovisse confusè revelationem illam Dei; ignorasse tamen eius sensum: sensus enim illius erat, necessariam esse mortem Christi, vt eius sanguine tingeremur; Caiphas autẽ arbitratus eam mortem expedijsse, vt sublato è medio Christo, Romani nõ sævirent in vrbem. Quo in sensu Patres dixerunt, ignorasse Caipham se prophetasse mortem Christi, vt expedientem: quia ignoravit sẽsum, in quo expediebat. Vel dicendum est, Caipham non habuisse iudiciũ illud, per loquutionem propriam; sed per revelationem latiùs acceptā, & per specierum immisionem, non repræsentantium loquutionem instrumẽtalem Dei; sed præcisè obiectum ipsum. Secundus actus Caiphæ fuit voluntas loquendi, quæ fuit prava. At verò, in casu quo disputamus, nihil fit Deo auctore; sed permissore.

P. Mald. Matth. 7.

§. 124. Ad 1. arg. Ad argumentum primum ex §. 126. respondeo, omnes illos modos, quibus Deus loquitur, esse infallibiles ex speciali assistẽtia Dei: quibus ipse Propheta cognoscit, Deum esse qui loquitur. Non tamen propterea quævis propositio vera de eisdem obiectis, à quocumque homine proferatur, est loquutio Dei. Idem dico ad secundum:

Ad 2. arg. David enim rectè cognovit, linguam suam speciali ratione à Deo moveri. Ea namque ratione dixit, illam esse calamum velociter scribentis: eaquepropter eius verba non potuerunt esse falsa; quia dicebantur speciali adsistentiâ Dei.

Ad 3. arg. Ioan. 6. 14. Ad tertiũ ex 6. Ioannis 45. illa vox *audit* non significat auditionem propriam, factam revelatione instrumentaria: sed significat quamcumque doctrinam, quà quis imbuitur de rebus ad salutem. Propterea dixerat: *& erunt omnes docibiles Dei*: id est, quotquot venient ad Christum, docebuntur præcepta Christi à Patre.

P. Mald. Quapropter P. Maldonatus docet, nos multis modis audire Deum loquẽtem: primùm, cùm audimus quod ratio ipsa nos docet: secundò, cùm per revelationem audimus.

Ad 4. arg. Ad quartùm respondeo, contestationem illam per signa & portenta esse infallibilem ab auctore Deo; qualis non est Parochi propositio.

Ad 5. arg. Ad quintum, opus est videre scripta, vt cognoscamus amicum agere nobiscum per illa; hic verò non cognoscimus loquutionem instrumentalẽ Dei: propterea nec nobis persuademus, Deum nobiscum agere. Hac de re vide disputationẽ sequentẽ à §. 3.

DISPVTAT. XIIII.

De conditionibus ad credendum.

§. 1.

PEREGIMVS totum obiectũ formale fidei; percurrẽdæ autẽ sunt rationes, quibus nobis persuademus existentiam revelationis divinæ, quæ est obiectum formale fidei. Conditiones voco obiectivas: quia nisi cognoscantur, non potest exerceri fides: ac propterea sunt cõsiderandæ ex parte obiecti, vt priores & antecedentes in ratione obiecti. Huiusmodi sunt authoritas humana Ecclesiæ, miracula, prophetiæ, & alia id genus: quæ non sunt obiectum formale fidei; vt late probavi disp. 7. quia, quamvis necessariò cognoscantur; antequam cognoscatur revelatio; non sunt tamen principium necessariò ducens in revelationem, vt sunt necessariò applicanda: quia non est opus applicatione infallibili physicè; esto aliqua sint in se infallibilia physicè. Principium quidem sunt, ac propterea sunt necessaria; non tamen ducũt necessariò in revelationem: eaquepropter deficiunt ab obiecto formali. Sunt quidem necessaria ad existentiam revelationis persuadendam; non tamen ad veritatem. Ethnici non irrident Christianos, quod credamus loquenti Deo: quis enim adeò erit insanus, vt non credat testimonio Dei, si sibi persuadeat illud esse Dei? Irrident autem nostram stultitiam, quòd credamus Deum dixisse tàm celebria deliria, quales ipsi censent articulos fidei. Hac disputatione (numine favente) ostendam, quàm prudenter Christiani moveamur, ad credendam existentiam revelationis divinæ: adeò, vt si per possibile, vel impossibile, non existeret revelatio, quam credimus existere; adhùc tàm prudenter nobis eam persuademus, vt, absque iniuria in Deum, non possimus de illius existentia vel dubitare. Etenim hac disputatione recensebo breviter argumenta nostræ fidei, quæ non permittunt hominem prudentem dubitare: quia tantam vim inferunt intellectui & volũ-

S.Tho.q. 1. Art. 1. voluntati, vt reddant revelationem evidenter credibilem. Hic iacienda sunt fundamenta huius evidentis credibilitatis; hæc autem evidentia disquiretur disputatione 21. satis effusè.

SECTIO I.

Vtrùm, ad credendam revelationem, ea sit facienda ipsi credenti?

§. 2. 1. Conclus. DICO, posse nos credere existere revelationem Dei factã aliis; quin fiat nobis. Itaq; ego possum exercere fidem, credens Deum Isaiæ revelasse Incarnationem; quin mihi fiat revelatio vlla, neque de Incarnatione, neque de revelatione Isaiæ. Hæc est propositio catholica, impugnata ab antiquis & novis hæreticis, somniantibus nullum debere credere, nisi revelationem sibi privatim factam. Itaque hi iudicium fidei deferunt ipsis etiã lippis atque tonsoribus, vt ipsi, per revelationem divinam sibi singillatim factam, sint arbitri articulorum fidei. Quos referunt P. Valentia disp. 1. quæst. 1. puncto 6. quæst. 1. §. *cæterùm tamen*. Bellarminus tom. 1. lib. 3. de Verbo Dei, cap. 3. à §. *Lutherus*. P. Gretserus tom. 1. pro Bellarmino, cap. 1. lib. 3. §. *Deus non semper*: & in defensione tertij capitis eiusdem libri tertij, à §. *Quæritur, quis sit?* & Beccanus tom. 1. opusculo de circulo Calviniano. P. Bellarminus, cap. 4. & 5. tàm clara testimonia profert pro sententia catholica, ex veteri & novo testamento, vt supervacaneum sit in re tàm aperta tempus terere; illis autem nova addere, esset ferrum in Cantabriam ferre. A capite autem sexto id confirmat, authoritate & exemplo totius antiquitatis, ab Apostolis ad Concilium Tridentinum. Tandem P. Suar. disp. 4. de fide, sect. 1.

P.Valent. P. Bellar. P.Gretser. P.Beccan. P. Suarez.

§. 3. Disputatione superiori sect. 9. §. 126. retuli sententiam constituentem propositionem humanam Ecclesiæ esse revelationem Dei: idemque iudicium erit de quocumque alio motivo per se noto, manuducente nos ad credendum: quod communiter vocamus conditionem sine qua non. In ea autem sententia, omnia ista motiva humana & conditiones sunt revelatio Dei, & obiectum formale fidei. Quam sententiam impugnandam hûc reieci, non quòd sit imbuta Calviniano cerebro; sed quòd illud redoleat.

4. Sic argumentor: nullus potest credere fide divina sine propositione vera Ecclesiæ, aut alio motivo applicante revelationem; sed omne eiusmodi motivum (ex illa sententia) est revelatio Dei privatim facta credenti: ergo nullus potest credere sine revelatione sibi privatim facta: quod cõtra Calvinum damnat Ecclesia.

§. 5. Obiectio. Refellit. August. Dices, revelationem Calvinianam esse immediatè à solo Deo; hanc autem esse per creaturam. Contrà: Calvinus ea de re nihil egit, de qua dissident Ecclesiæ Patres. Augustinus enim omnem revelationem per loquutionem externam, vult factam Angelorum ministerio: satis ergò erit Calvino revelatio privata, singillatim facta singulis credentibus, ministerio Angeli, aut hominis, qui dirigatur infallibili adsistentia Dei: vt nos movemur testimonio Ecclesiæ, directæ authoritate infallibili Spiritus sancti. Itaque ea de re non dissident Catholici à Calvinianis & Lutheranis: Catholici enim negant singulis credentibus necessitatem revelationis illis factæ per Deum, aut creaturam gerentem vices Dei; Calviniani autem postulãt eam revelationem, sive à Deo solo; sive per Angelum, vel hominẽ. Si enim demus Calvinianis revelationem singulorum, sicut Augustinus dat Moysi revelationem Dei per Angelum; nulla superest controversia.

§. 6. 2. Obiectio. Refell. Dices, hæreticam revelationem esse, vt singuli credentium sint iudices articulorum fidei. Contrà: nam & ego per revelationem possum esse Iudex fidei. Rectè enim possũ ego iudicare de ijs, quæ mihi Deus loquitur, & ab ipso audio: nam iudicium illud nihil est, præter assensum de articulo revelato: quia revelatus est. Est autem discrimen, quòd hæc revelatio solis fit Prophetis, qui propterea possunt esse iudices rerum sibi revelatarum; at non fit sutoribus & sartoribus: hæc verò sententia revelationem constituit factam singulis credentibus. Differt tamen à Calviniana, quòd hæc cõstituitur ab hæreticis aut evidens, aut ferè evidens; secùs illa, quam impugno. Hæc autem sufficiunt ad ostendendum, illam sapere picem Calvini.

§. 7. Impugnatur sententia Calvini, & probatur nostra conclusio: primò, quia ex Calviniana sequeretur, nullum posse esse hæreticum; hoc tàm apertè est falsum, quã est verum, eum esse hæreticum. Immò ipsi damnant hæresis Anabaptistas, & alios multos; quin & Pontificios arbitrantur hæreticos, contra quos magno stomacho scribunt. Probo maiorem: aut habet vnusquisque revelationem de mysterio; aut non habet? Si habet, necessariò assentitur: quia revelatio illi est evidens, ex hoc errore. Sic autem assentiens non potest esse hæreticus: quia tunc

tunc prudenter assentitur revelationi, & toti obiecto formali fidei. Si non habet revelationem, non est in eius potestate credere: quia sine obiecto formali non potest exerceri fides. Qui verò non potest credere, non est hæreticus: hic enim ideò est hæreticus, quia non credit quod potest & tenetur credere.

§. 8. 1. Obiectio. Refell. Dices primò, eum, qui habet revelationem, eam posse negare. Contrà: revelatio exigitur ab his hæreticis, qualis negari non possit: nam eo reijciunt revelationes aliorum, quia propter obscuritatem nō possunt terminare fidem alienam: ergo non potest negari revelatio, magis quàm vox externa, quando auditur. Cùm ergò sit evidens, omnia, quæ Deus dicit, esse vera: item sit evidens, Deum hoc dicere; evidens est, hoc ita esse: quòd si evidens est, negari non potest. Si autem, cognita evidenter revelatione, aliquis dissentiatur obiecto; ideò erit, quia sibi persuadet, Deum posse mentiri: quo genere erroris vix pauci desipiunt; nec ipsi possent esse iudices fidei.

§. 9. 2. Obiectio Dices secundò, posse negari culpatè existentiam revelationis Dei: quia, vel nō percipimus aliquem nobis loqui; vel non dijudicamus, an sit Deus? eo quòd non moveamur revelatione ipsa in se; sed sola evidentiâ credibilitatis de illa: quæ evidentia non tollit potentiam, vt negetur revelatio; est tamen in caussa, vt negetur culpatè per hæresim. Refell. Si hoc respondeant hæretici, pedem referunt à parte sui erroris: quem iuvexere, vt singuli essent certi, per evidentiam in attestante, de sua fide. Contra quos adhùc argumentor: ergo potest culpatè, & per hæresim, negari revelatio aliena. Patet consequentia: quia tanta potest esse evidentia credibilitatis de aliena, quanta de propria: ergò, vt hæc negatur per hæresim, ita & illa. Probo antecedēs: quia tàm obscurè cognosceret hęreticus, cum quo disputo, Deum esse, qui cum ipso loquitur; quàm ego cognosco, Deum loquutum cum Isaia: ergo, vt Deus potuit facere hæretico evidenter credibile, revelationem esse ab ipso Deo: ita & mihi facere evidenter credibile, eam factam Isaiæ: nam miraculis, prophetijs, revelatione secretorum, & alijs sexcentis modis, potest mihi Deus persuadere, se loquutum Isaiæ, vt persuadet Prophetæ, se cum illo loqui.

§. 10. 3. Probat. Secundò probatur conclusio: quia Christus revelationes suas ita fecit credibiles, vt peccaverint Iudæi, in illarum dissensu: similiter Paullus & Barnabas Alexandriæ Pisidiæ, ita convicerunt Iudæos, vt non potuerint excusari: ergo revelatio facta alijs est credibilis fide divina. Consequentia patet: quia, si peccaverunt Iudæi non assentiendo, potuerunt assentiri: nullus enim peccat omissione rei, quam non potest. Antecedēs probo ex Ioann. 15. 24. *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit; peccatum non haberent*, & paulò superiùs, num. 22. *nunc autem excusationem nō habent de peccato suo*; Ioann. 15. 24. 22. agebat verò de infidelitate. Secundò probatur: quia suscitatio Lazari quatriduani, quē posteà diu inter ipsos degere viderunt: filij viduæ tàm clara revocatio ab inferis: visus collatus cæcò ab ortu: prædictio & revelatio secretorum, ac vitæ integritas saxea corda moverent. Credentes item, quin viderent, beatos commendavit Christus: & Apostolus 1. ad Corint. 14. ex sola revelatione secretorum, ostendit, posse infidelem credere, Deum esse in Propheta. Ioann. 20. 29. 1. Cor. 14. 21.

§. 11. Obiectio. Refell. Dices, posse miracula fieri à Dæmone, vt Antichristus multa operabitur admiranda. Contrà: hæc obiectio videtur exigere evidentiam de revelatione; & relabi in angustias argumenti, è §. 7. nam, si propterea non possumus credere revelationem alienam, quia possumus decipi à Dæmone præstigiante: ergo ille, cui obscurè loquitur Deus, non poterit credere Deum loqui, propter easdem Dæmonis præstigias; qua autem ratione sit miraculis habenda fides? ostendam disp. 18.

§. 1 3. Pro. Tertiò probatur conclusio, tùm ad hominem: Lutherus enim, Calvinus, & eorum discipuli multis argumentis sudant, sua somnia auditoribus suadere. Sic argumentor: aut vestri discipuli habent revelationē privatam, aut eâ carent? Si habent, non egent vestra doctrinâ; sicut Isaias non indiget præceptis vestris; immò ipse, doctrinâ Dei & revelatione, est iudex mysterij revelati: eademq́; ratione vestri discipuli erunt discipuli Dei, & magistri fidei; quin à vobis discant: quia Deus illis ostendet evidenter revelationem; vel eam reddet illis evidenter credibilem: vt fecit cum Isaia. Quorsum tantis lacertis & lateribus mundum obtunditis? Si carent revelatione vestri auditores, quid frustrà labore consumimini? Nisi enim Deus vestram doctrinam singulis auditoribus revelet, non poterunt eam credere; at ea revelatio non pendet à doctrina vestra. Certè, si quis ex vobis Isaiam, aut Petrum doceret doctrinam vestram, vt per illius assensum à Deo illis revelaretur; non dubium, quin sues Minervam docerent; at omnes vestri auditores accipiunt à Deo, per revelationem, doctrinam fide divina credendam: quemadmodum eam acceperunt Petrus & Isaias. Quid ergò docetis Minervam, ò sues?

Tum probatur absolutè, exēplo Christi §. 1
per

S. Tho. q. 1. Art. 1. per se turbas docentis, & mundum per discipulos. Tum tertiò, exemplo Apostolorum; qui numquàm prædicaverunt, vt singuli crederent revelationes sibi singulis factas; sed factas ipsis Apostolis, atque Prophetis. Quamobrem Paullus dixit, se non prædicare quod acceperat ab hominibus; sed Evāgelium sibi revelatum ab ipso Deo: non Evangelium revelatum tunsoribus atque tonsoribus, baiulis & lanijs; sed Evangelium revelatum Apostolis. Petrus autē: *habemus firmiorem propheticum sermonem, cui benè facitis attendentes*: non quòd ipse non esset certus de revelatione sua; sed quia revelatio prophetica erat liberior à suspicione: eo quòd facta fuerit multo antè, quàm Incarnatio, vt ex B. Augustino ostendi, disp. 7. à §. 26. Christus verò: *O stulti & tardi corde, ad credendum quæ scripta sunt!* In Concilio item Hierosolymitano statuta sunt, quæ deberent in Ecclesia credi: non quòd illa singulis revelentur; sed quia revelata Apostolis ipsis: *Visum est Spiritui sancto, & nobis.* Non dixerunt: *visum est vobis*; sed *nobis visum est.*

Paullus. Ad Galat. 1. 12. & 19.

2. Petri 1.

B. August. Luc. 24. 25. Concilium Hierosol. Actor. 15. 28.

14. Illo. ill. Dices, id ita factum, vt auditores disponantur ad percipiendam revelationem Dei ipsis factam; vel vt illis fiat. Contrà: ergo possumus aliorum persuasione credere, revelationem nostram esse à Deo: ergo vnusquisque non est iudex articulorum fidei. Quia revelationem suam esse Dei, non iudicat de suo; sed aliorum doctrinâ: ergo etiā potest per alios disponi, vt credat revelationem Dei factam alijs. Patet hæc consequentia ex §. 9. quia tàm difficile est persuaderi mihi, revelationem obscuram esse mihi factam à Deo, quàm factam esse Isaiæ.

§. 15. Deinde rogo, qua ratione disponamur, vt Deus nobis aliquid revelet? Respondebis, credendo actu vero fidei humanæ, Deū aliquid revelasse: quo assensu præstito, Deus revelat singulis credenda fide divina, ea quæ priùs credita sunt humana fide, vt contingit in Concilijs, & definitionibus Pontificijs: requiritur enim prudens diligentia, vt Papa aliquid definiat. Sæpè dixi, duo requiri ad assensum fidei infusæ: alterum, vt res sit verè revelata; alterum, vt revelatio sufficienter proponatur. Cùm autem sunt hæc duo, credimus actu vero fidei humanæ, existere revelationem; tunc verò Deus donat supernaturales vires, ad credendum, vt oportet, fide divina, existere eamdem revelationem. Quæ nos dicimus de fide, dicere poterant hi hæretici, de sua revelatione facta à Deo privatim: quando ergò nos, in nostra sententia, prudenter credimus, Deus nobis donat vires supernaturales fidei; ita, quando ipsi prudenter moventur, illos donabit Deus revelatione privata.

Arbitror tamen impudentes & ineruditos hæreticos, & à scholasticis argutijs tàm aversos, quàm vini amicos, neque per somnium cogitare de aliqua prudenti applicatione. Quos nihilominùs impugno: nam, vt hæc fides humana prudens potuit exerceri ab auditore, circa mysteria fidei, & revelationem alienam, & potuit esse dispositio ad revelationem propriam: quidni potuit esse dispositio ad fidem divinam de revelatione aliena? Quam enim maiorem dispositionem exigit fides divina, nisi prudentissimam fidem humanam? quæ, vt sufficiens fuit privatæ revelationi faciundæ, quidni & fidei de aliena? Itē, sicut tu dicis, auditorem esse sufficienter dispositum, vt illi Deus revelet ea, quę crediderat fide humana; ita dicimus Catholici, auditorem illa fide humana prudenti, esse sufficienter dispositum, vt à Deo pulsetur vocatione congrua, ad credendum fide divina eadem obiecta, quæ crediderat fide humana prudenti. E quibus concludo, supervacaneam esse hanc revelationem privatam singulis factam: quia tot rationibus Deus me potest movere, ad cognoscendum evidenter aut obscurè, certò aut probabiliter, revelationē factam Isaiæ; quot me movere potest, ad assentiendum, Deum mecum loqui. Argumenta hæreticorum mitto; quia nulla sunt, præter Scripturæ testimonia stolidè & malitiosè depravata, irridenda vel ab ipsis pueris. Quæ recognosci possunt apud authores adductos §. 2. §. 16.

SECTIO II.

Utrùm, ad credendum fide divina, necesse sit, revelationem proponi evidenter simpliciter?

EVIDENTIA est obiecti tàm perfecta repræsentatio, vt intellectus non posit illi dissentiri; neque voluntas posit actum oppositum imperare. Quando obiectum formale, sive præmissæ habent necessariam connexionem cum effectu, idque perfectè repræsentatur; non possumus disentiri obiecto conclusionis. Nam & præmisis necessariò assentimur, & conclusioni propter illas. Ostendi, non esse necessarium ad credendum, vt revelatio fiat ipsi credenti: nunc disquiro, vtrùm ea propositio §. 17.

positio revelationis tàm perfecta sit, vt necessariam habeat connexionem cum revelatione, idque clarè repræsentetur?

§. 18. *P. Suarez.* Partem affirmantem non dico doceri à P. Suarez; sed valdè probari in manuscriptis disp. 4. sect. 2. conclus. 2. minùs autē efficaciter id præstat in libro evulgato. Exigit enim evidentiam credibilitatis: quā ita explicat atque confirmat, vt videatur asserere, eam non solùm esse evidentiam moralem de existētia revelationis; sed etiā physicam, quamvis extrinsecam. Adsonat *S. Thom.* S. Thomas secūda secundæ quæst. 1. art. 4. ***Ad secundum dicendum: ea, quæ sunt fidei, dupliciter considerari possunt: vno modo in speciali, & sic non possunt esse simul visa & credita; alio modo in generali, scilicèt, sub ratione communi credibilis: & sic sunt visa ab eo qui credit. Non enim crederet, nisi videret, ea esse credēda.*** *Caietan.* Quæ verba explicat Caietanus de clara & *Holchot.* propria visione. Holchotus in primū, quæstione 1. refertur pro ea sentētia, cēsens, nō esse in potestate hominis credere, visis miraculis; fusè tamen atque confusè rem agit Holchotus. Ex quo videtur colligi, credere strictè & propriè esse, assentiri revelatis, cū voluntate faciendi quæ fides præcipit: & hoc dicit esse liberū, propter volūtatē observādi legē. Solū autē assēsū articulorum nō vult esse liberū: quia ante cognitionem miraculorū, nō possumus assētiri fide divina; post cognita verò miracula, non possumus dissētiri.

§. 19. *1. Conclus.* Dico primò: ad assentiendum fide divina, non est necessaria evidens cognitio revelationis, neque in se, neque in alio; sed illi possumus assētiri, absque vllo actu simpliciter evidenti de eius existentia. Hæc *S. Thomas.* sentētia expresè traditur à S. Thoma art. 4. vbi constituēs evidentiam credibilitatis, relinquit obscuritatem in obiecto. Ostendam autem disp. 22. evidentiam physicam de credibilitate revelationis, solùm esse evidentiam moralem de eiusdē revelationis existentia: quæ moralis evidentia est simpliciter obscuritas. Neque arbitror, Patrem *P. Suarez.* Suarez aliud voluisse; quamvis argumenta *Caietanus.* validè torsit, ad probandam evidentiam *Bañez.* physicam. Ab hac sententia sunt apertè *Arag.* interpretes S. Thomæ: Caietanus, Bañes *Capreol.* Aragon, Capreolus & alij. P. Valentia at- *P. Valent.* que Durandus: quos referunt & sequuntur *Durand.* Lorca disp. 16. num. 19. & P. Lusius dis- *Lorca.* putatione 7. dub. 6. §. *nihilominus*; qui eam *Lusius.* adscribit Patribus & Theologis. S. August. *S. Aug.* tom. 6. lib. de vtilitate credendi, totus est ab hac sententia, ostendens fatuitatem Manichæorum poscentium evidentem rationē & abigentium fidem: docetque August. nō esse necessariā evidētē rationē ad credēdū.

Probatur primò: quia, si ad assensum fidei esset necessaria evidentia physica revelationis, nullus posset esse hæreticus; sunt autem plures, quàm vellemus: ergo. Probo maiorem: quia revelatio aut proponitur evidenter, aut obscurè? Si evidenter, non possumus illi dissentiri; neque esse hæretici: nam evidentia in attestante, sivè in quocumque alio, determinat intellectum ad assensum revelationis, ita vt non possimus illi dissentiri, & consequenter neque esse hæretici. Hæreticus enim est, qui contra communem sensum Ecclesiæ cognitum expresè, dissentitur revelationi Dei. Si autē revelatio proponitur obscurè, nō possumus fide divina assentiri: quia, per te, est necessaria evidens propositio; neque tunc erit hæreticus, qui dissentiatur. Hæreticus est enim: quia dissentitur potens assentiri. §. 20. *1. Prob.*

Explico argumentum ex hypothesi, quòd revelatio non proponatur evidenter: tunc non sunt omnes conditiones necessariæ ad assensum fidei infusæ: ergo hic non potest tunc exerceri: quia, deficiente aliqua conditione necessaria, cessat actus necessariò: ergo non est in culpa audientis, non credere fide divina: quia, vbi est impotentia ad credendum, omittitur fides absque crimine. Tunc autem poterit dicere: ***nolo credere, hanc revelationem existere.*** Quia, quoties obiectum fidei divinæ non proponitur sufficienter, vt per illam credatur; possumus absque hæresis crimine dissentiri: nam hæresis dissensus est contra legem fidei Catholicæ, quæ lex nūquàm obligat, nisi obiecto sufficiēter applicato: ergo ex suppositione applicationis obscuræ, nō possumus per hæresim aberrare ab obiecto fidei. §. 21. *Explicat.*

Idem probo ex hypothesi revelationis evidenter propositæ: tunc illa revelatio determinat intellectum ad assensum quoad speciem: vt ostendam disp. 25. §. 4. ergò nullus potest esse hæreticus. Idem dixerim de authoritate Dei, quæ negari non potest, si proponatur evidenter; si autem inevidēter, non potest admitti fide divina, eâdem ratione, quâ, per te, nec revelatio. Si verò revelatio proponatur probabiliter, non tenemur quærere propositionem evidentem: quia illā in vsu frequenti desperamus. Fateor, me diffidere, eam à me posse inveniri; spero autem de bonitate Dei, me esse Catholicum. Sententiam Holchoti adductam §. 18. arbitror esse manifestè hæreticam, qua parte asserit, assensum fidei non esse liberum, nisi qua ratione includit propositum observandæ legis. Moveor primò: quia quilibet peccator esset hæreticus, sive infidelis; hoc autem apertè damnatur Tridenti, sessione 6. cap. 15. & canone 28. ergò §. 22. *Sententi. Holchoti hæretica.* *Trident.*

S. Tho. q. 1. Art. 1. ergo. Probo maiorem: quia fides, ex ea sententia, includit assensum mysteriorum, & propositum servandæ legis: ergo quolibet peccato mortali amittitur fides. Probo consequentiam: quia, ablata vna parte, perit totum, vt nullus negat; sed pars fidei, per te, est propositum illud: ergo, illo ablato, perit fides.

§. 23. *Confirmat.* Confirmatur: hæreticus est, qui liberè deponit fidem, quam habet liberè; sed, ex ea sententia, fides neque habetur, neque omittitur liberè, nisi ratione propositi servandi legem: ergo fides præcisè amittitur liberè, amissione propositi: & ratione illius, è fideli efficitur infidelis. Deinde, Cōcilia non anathematizant hæreticos: quia sunt fornicarij, aut quia non frequentant Sacramenta; sed quia iudicant fornicationem non esse peccatum, neque Sacramenta habere vim ad conferendam gratiam. *Arrius.* Arrius item præcisè damnatus fuit: quia dixit, Christum non esse æqualem Patri: quæ assertio est assensus intellectus; neque includit propositum aliud, præter liberam voluntatem affectionis pravæ, per quam imperatur assensus. Quòd si omnes assensus sunt evidentes, vbi est illa captivitas intellectus, quam effert Apostolus, in obsequium fidei?

§. 24. 3. *Probat.* Hinc arguo secundò: multi Catholici credunt, revelationem existere, quin proponatur evidenter: ergo non est necessaria evidens propositio. Antecedens apud se quisque experitur. An inculta plebs Catholicorum, aut non credit catholicè, aut evidentiam habet revelationis? Ego experior, à me posse negari omnes revelationes; quas tamen, gratiâ Dei, credo fixis pedibus: at non possum negare, nunc esse diem, neque alia obiecta evidenter proposita. Ratio à priori: quia revelatio neque in se videtur; neque in aliquo divino, cui falsum subesse non posit. Etenim, quamvis viderentur miracula; nō tamē cernitur, quo animo à Deo fiant. Humana autē Ecclesiæ propositio, de se potest physicè falli; divina verò eiusdem Ecclesiæ authoritas creditur obscurè, non cernitur.

SECTIO III.

Argumenta Patris Suarez.

§. 25. 1. *Argum. P. Suar.* PRIMO argumentatur P. Suarez, non sufficere ad fidem Christianam quamcumque evidentiam practicam; sed talem, quæ necessariam & infallibilem connexionem habeat cum revelatione; sed hæc est evidentia simpliciter: ergo necessaria est evidentia simpliciter. Minor est certa: quia omnis alia evidentia minor quàm physica, non habet absolutè necessariam connexionem cum revelatione; certitudo autem & infallibilis connexio vnius rei cum alia, non est in naturalibus absque evidentia. Maior probatur: quia debemus esse omnino certi de nostra fide; ita vt intelligamus nos nequaquàm decipi: alioqui non possumus carere formidine.

Antequàm respondeam huic argumento; placet ostendere quàm sit falsum. Quia inde apertè concluderetur, nos omnes habere evidentem cognitionem de Trinitate, Incarnatione, & alijs. Nàm, si habemus evidentiam, nos non decipi: ergo habemus evidentiam, nostram fidem esse veram; sed cognita evidenter veritate alicuius propopositionis, cognoscitur evidenter eius obiectum: ergo haberemus evidentiam de Trinitate. Minor probabitur disp. 25. Quàvis autem à nonnullis negetur, hanc esse evidentiam simpliciter; tamen nullus negat, eam esse evidentiam in attestante, & talem, vt non patiatur dissensum de obiecto eius actus, cuius veritatem evidenter cognoscimus. Comperimus autem experimento quotidiano, nos credere absque evidentia tali. §. 26.

Secundò argumentatur ex cap. 1. ad Galat. 8. *sed licèt nos, aut Angelus de cœlo evangelizet vobis, præterquàm quod evangelizavimus vobis, anathema sit*: ergo talis debet esse connexio motivorum cum revelatione, vt nequaquàm credendum sit Angelo oppositum docenti. Hoc autem qua ratione fieri potest, nisi per evidentiam physicam de revelatione Dei? Etenim, si absque ea evidentia crederemus, & Angelus de cœlo oppositum nos doceret, deberemus illi credere. §. 27. 2. *Argum.* 1. *ad Galat.* 8.

Tertiò: quia quod semel creditur fide Christiana, non potest vnquàm in dubium revocari; posset autem, nisi per evidentiam crederemus: ergo. Probo minorem: quia possent esse in partem contrariam plures rationes, quæ illam facerent verisimiliorem: verbi gratiâ, si plures Doctores aut Angeli eam confirmarent authoritate & prodigijs. Nervosum quidem argumentum, à quo pendet vniversa ratio credendi: & nos cogit ad explicanda motiva, quæ nos ad credendum impellunt: quibus respondebitur §. 28. 3. *Argum.*

§. 33. 38. & 55.

(.˙.)

SE-

SECTIO IIII.

Quæ evidentia requiratur in tota Ecclesia?

§. 29. ESSE latum discrimen inter Ecclesiæ Principes, & inferiorem Catholicorum plebem, liquidò constat. Primùm exemplo: quia inter ipsos fideles sunt arguti nonnulli, vt Augustinus, cuius argutijs opus erat satisfieri. Quod præstitit Ambrosius: ex quo cœpit cognoscere Augustinus, à Catholicis posse responderi, quos, Manichæorum falsa persuasione, arbitrabatur adeò esse stolidos, vt nō possent rationem reddere suæ doctrinæ, neque satisfacere argumentis: vt ipse testatur tomo 1. lib. 5. confess. cap. 11. & 14. & alibi. Cæteri autem Catholici nō ita argutantur: quod quotidiè cernimus in plebe, credente facilius, quàm docti. Apud Iapones & Sinas, vix vllus convertitur ad fidem, nisi post disceptationem longam; apud Æthiopes autem res peragitur faciliùs: multo ergò meliùs discrimē erit inter vniversam Ecclesiam, in qua sunt Principes atque Doctores; & inter singulos fideles. *August.*

§. 30. 1. Conclus. Ecclesiā vsurpo pro Christo & eius discipulis. Dico ergò, in tota Ecclesia esse cognitionē evidentē de mysterijs fidei in se ipsis. Quod in Christo negari non potest. Ioannis 3. 11. *quod scimus, loquimur: & quod vidimus, testamur.* Itē Ioan. 1. 18. *Deum nemo vidit vnquàm; vnigenitus filius, qui est in sinu Patris, &c.* Iam ostendi, disputationibus de Incarnatione, animam Christi, in ipsa generatione Christi, scientiâ creata vidisse Deum; ea autem quæ vidit, nos docuit. Vide volum. 3. disp. 54. *Ioan. 3. 11. 1. 18.*

§. 31. 2. Conclus. Dico prætereà, in Ecclesia esse evidentiam physicam de existentia revelationis Dei, cognitæ clarè atque distinctè. Etenim Ioannes Baptista, vt omnibus persuaderet, se non moveri humano sensu; sed divino, ad prædicandam divinitatem Christi affirmavit Ioannis 1. 33. *ego nesciebam eum*; sed *qui misit me baptizare in aqua, illi mihi dixit: super quem videris spiritum descendentem ::: Ego vidi, & testimonium perhibui, quia hic est Filius Dei.* Itaque Ioannes videns testimonium Dei, eo fuit motus, ad prædicandum Christum. Idem de se dixit Ioannes alter 19. 35. *& qui vidit, testimonium perhibuit ::: & ille scit, quia vera dicit, vt & vos credatis.* Paullus 2. ad Corinth. 12. 4. testatur, se vidisse & audisse arcana verba. Quem vide apud Patres Cornelium & Iustinianum, illustrantes rem hanc. Ad Galat. 1. 12. *neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici; sed per revelationem Iesu Christi.* *Ioan. 1. 33. 34. 35. 2. ad Cor. 12. 4. P. Cornel. P. Iustin. Ad Galat. 1. 12.*

Hæc, ex lege & providentia communi Dei, fuerē valde consentanea; ne tàm supernaturalia mysteria, pro quorum fide esset sanguis effundendus, committerentur his, qui non essent certi & clari eorum speculatores, saltem evidentiâ in attestante, quæ continuò in Ecclesia perseverat, in Prophetis & operatoribus miraculorum: qui evidenter cognoscunt suas prophetias, & virtute Dei fieri miracula, in confirmationem fidei, quam ipsi prædicant. Quales, inter multos, habuit hac ætate nostra Societas tres: S. Xavierum, verè Apostolū apud Indos, Iapones & Sinas; suscitatorem viginti quinque defunctorum, & Prophetam insignem: Patrem Andream Oviedum Patriarcham Abissinorum, inter cœlites Patriarchas referendum, qui Catholicorum plebem, propter Schismaticorum rabiem, exulantem, inediâ penè confectam, abundè piscibus pavit, flumine siccato divinitùs: Patrem Iosephum Anchietam, apud Brasilios secundum Thaumaturgum. §. 32. *S. Xavier. P. Andr. Oviedo. P. Ioseph Anchieta.*

E quibus facilè respondetur argumentis propositis sect. 3. Ad primum ex §. 25. admittitur totus syllogismus, comparatione totius Ecclesiæ. Nam, lege communi Dei, hominum ingenio maximè acommodata, non sufficit toti Ecclesiæ evidentia minor quàm physica. Vndè tota Ecclesia debuit esse, in suis Principibus, clara contemplatrix mysteriorum, quæ profitetur. Quid autem sentiendum sit de Ecclesia, ratione reliquorum fidelium? dicam sectione sequenti. §. 33. *Ad 1. arg.*

Ad secundum ex §. 27. respondeo, Paullum prudentissimè hortatum Galatas, ne fidem haberent Angelo oppositum prædicanti: quia, cùm ipse habuerit evidentiam physicam in attestante, de mysterijs ab ipso prædicatis; rectè sciebat, nullum bonū Angelum posse oppositum prædicare. Quapropter, quicumque Paulli doctrinæ adversaretur, esset Pseudo Angelus. Doctrinam hanc, de evidentia physica mysteriorum in tota Ecclesia, insinuat Caietanus 2. 2. quæst. 171. art. 3. versu *ad obiecta autem.* §. 34. *Ad 2. arg. Caietan.*

Ad tertium ex §. 28. respondeo, quod semel creditur in tota Ecclesia, non posse divinitùs aliter esse, ex suppositione quod creditur: quia tota Ecclesia habet physicam evidentiam in Christo, Apostolis, & Prophetis, de mysterijs creditis. Contra quam evidentiam, nullum potest esse efficax argumentum. Huic doctrinæ refragatur P. Suarez, disput. 3. de fide, sect. 8. num. 11. cuius argumenta non vrgent. §. 35. *Ad 3. arg. P. Suarez.*

SE-

S.Tho.q. 9. Art. 1.

SECTIO V.

Quæ evidentia requiratur in reliquo Ecclesiæ corpore?

§. 36. PERENNAT item Ecclesia à Christo & Apostolis, in reliquo fidelium corpore, qui frequenter neque sunt Prophetæ, neque operatores miraculorum. In hoc corpore non requiritur evidentia in attestante; requiritur autem evidentia credibilitatis, quam nunc pono, probaturus disput. 21. Hæc evidentia credibilitatis est physica: toti enim Ecclesiæ luce clariùs, & ad sensum constat, esse credibilia mysteria fidei super omnia: ita vt, nisi vel per summam insaniam, vel improbitatem, non sit illis abroganda fides. Rectè Durandus observat in 3. dist. 24. quæst. 1. num. 9. hæreticum esse, qui ab Ecclesia desciscit: Ecclesia enim à Christo, Apostolis, & Prophetis, est divinis præceptis imbuta, quæ perpetuò conservat integrè. Nullus autem, nisi stultissimè, dubitare potest, illos semper loquutos ex animi sensu. Non enim cadit in hominem prudentem arbitrari, illos voluisse mentiri: nam integritas morum, quibus supra mortales collucebant, non capit infame mentiendi vitium: idque confirmant ipsorum miracula, quibus, cum stupore videntium, doctrinam confirmabant. Eos autem non fuisse deceptos, confirmat cœlestis eorum doctrina, quâ Philosophorum errata emendârunt. Cùm ergò Christus, Apostoli, & Prophetæ testarentur, se vidisse, quæ loquebantur; vel accepisse, revelatione Dei; nullus poterat dubitare, vera esse quæ dicebant. Ecclesia autem Catholica clarissimè videt, se perseverare in illorum doctrina: vt constabit disp. 21. sect. 9.

Durand.

§. 37. Hanc evidentiam credibilitatis sufficere ad credendum, & Doctores probant, & ratio: quia fides divina nihil aliud exigit, vt exerceatur, nisi vt eius obiectum ita proponatur, vt vel minima dubitatio sit maximũ peccatum. Tunc enim teneor pellere dubitationem, formidinem, & titubationem; esseque certus, me tunc non decipi: debet item affectus pellere, quidquid potest dubitationem gignere. Tunc verò quid mihi deest, vt credam fide divina? quæ toties exerceri potest, quoties non potest negari assensus, nisi imprudenter, & cum peccato gravi.

§. 38. Ad argumentum ex §. 25. distinguo maiorem: est necessaria connexio absoluta applicationis cum revelatione, in ratione credibilis, concedo maiorem: est enim tàm evidens credibilitas revelationis, vt oculis cernatur. Vnde applicatio necessaria ad fidem cum evidenti credibilitate revelationis habet necessariam & absolutam connexionẽ. Debet esse connexio necessaria & absoluta applicationis cum revelatione in se, nego maiorem: iam enim ostendi, omne motivum & applicationem humanam esse de se physicè fallibilem: & non esse in fide aliquid physicè infallibile, respectu existentiæ revelationis & mysterij revelati; nisi quod divinum est. Divinum autem hoc ad rationem formalem fidei spectat; non verò ad applicationem. Ad probationẽ maioris dico, ipsos actus fidei in se esse certissimos; nosque per illos abigere ex intellectu omnem formidinem de parte opposita. Antecedenter autem ad illos, voluntas habet firmam adhæsionem, per quam est certa mortem oppetere, priùs quàm negare fidẽ. Itaque tàm ex parte intellectus, quàm voluntatis, sumus omnino certi de obiecto fidei: quia videmus nos peccaturos, non solùm per dissensum illius; sed etiàm per dubitationem. At non videmus reflexè hanc certitudinem: quia nullus scit, vtrùm credat fide divina. Eam autem fidem esse in Ecclesia, tàm certò cognoscimus; quàm alia obiecta fidei per fidem ipsam.

Ad secundum ex §. 27. respondeo; Ecclesiam debere abrogare fidem Angelo oppositum prædicanti: quia, consideratis argumentis suæ credibilitatis, cætera sunt incredibilia; & quivis alius prædicator debet esse suspectus, & existimari esse præstigiator, potiùs quàm Angelus. Etenim evidentia physica de carentia revelationis est impossibilis, vt fiat etiàm ab Angelo. Cùm autem sit obscuritas, tàm circa existentiam revelationis, quàm circa eius carentiam; & argumenta pro revelationis existentia, quę tota Ecclesia videt, sint maioris ponderis, quàm quæ nobis possunt apparere ex Angelico sermone; rectè monuit Apostolus, oppositum non esse credendum, nec ab ipsis Angelis: non quòd Angeli oppositum sint prædicaturi; sed quia, qui id prædicaret, diabolus esset, quamvis videretur Angelus. §. 39.

Ad tertium ex §. 28. respondeo, id quod semel creditur fide divina, vt receptum in Ecclesia tota, perpetuò esse rettinendum; neque revocandum vnquàm: quia argumenta evidentis credibilitatis ita perseverant, vt mutari non possint. Perseverante autem evidenti credibilitate, pars opposita non potest apparere probabilis. Quibus satisfactum est tribus argumentis propositis §. 25. & ostensum, non esse necessariam propositionem physicè monstrantem revelationis existentiam; sed sufficere eviden- §. 40.

evidentiam moralem de existentia revelationis, & physicam de credibilitate ipsius.

SECTIO. VI.

Obiecta nonnulla.

§. 41. 1. Obiectio. OBIICIS primò, totam evidentiam moralem de existentia revelationis, esse expositam errori speculativo; quamvis non practico. Exempli gratiâ, non erramus in hoc practico dictamine: *nunc est credendum*; possumus autē errare in hoc speculativo: *Deus revelat Trinitatem*. Probatur: quia possumus prudenter existimare, nos teneri ad credendum; quāvis obiectū sit aliter ac proponitur: si enim mihi iurent decem testes ab omni suspicione alieni, se vidisse Petrum currentem: prudentia dictat assentiri illorum testimonio. Vndè in assentiendo non erramus practicè; quia sequimur rectum dictamen rationis; possumus tamen speculativè errare: quia illi testes potuerunt decipi, aut nos decipere.

§. 42. Resp. Primùm, hæc obiectio non est contra totam Ecclesiam: quia in illa reperitur evidentia physica mysteriorum & revelationis: vt ostendi, eam esse in Christo, Apostolis, & Prophetis: cum qua evidentia physica non potest componi error speculativus. Deinde, quando credimus fide divina, sumus etiàm errore immunes: quia omnis assensus eius fidei, est determinatus ad veritatem, cum repugnantia ad falsitatem. Itaque credens fide divina non potest decipi practicè aut speculativè. Est igitur sermo de reliquo Ecclesiæ corpore, carente evidentiâ physica revelationis, & directo sola evidentiâ credibilitatis; vtrùm, si moveatur ea sola evidentiâ, possit, pro fide divina vera, exercere humanam falsam?

§. 43. Ad argu. Ad argumentum igitur ex §. 41. si præcisè consideretur evidentia credibilitatis, non repugnare physicè oppositum eius quod creditur; repugnare autem moraliter. Quemadmodum non repugnat physicè falsitas historiæ Cæsarum; repugnat tamen moraliter; propter authoritatem & consensum Historicorum: multò verò magis repugnat falsitas applicationi, quâ movetur tota Ecclesia. Distinguo item consequens: ergo possumus censere, non repugnare nostram religionem esse falsam: possumus physicè, concedo consequentiam; possumus moraliter & licitè, nego. Ratio à priori: quia evidentia credibilitatis tantùm est evidentia de obligatione credendi, & abigendi omnem formidinem & titubationem; non tamen est evidentia de revelatione, aut de revelatis. Quis autem dubitet, nisi insanus, de veritate historiæ Cæsarum; quamvis videat oppositum non repugnare physicè? Quòd igitur possit oppositum esse, non tollit, quominus certò credamus, hanc partem determinatè esse, neque licere de ea dubitare. Pater Valentia quæst. 1. punct. 4. §. *sed neque erit*, rectè monet, sermonem esse de conditionibus requisitis ad revelationem, & creditis fide humana; quæritur autem, vtrùm ex hac fide humana inferatur, revelationem debere credi absque formidine? dicimus verò debere. Recognosce disputationem sextam, vbi Theologi frequenter damnant erroris sententiam, constituentem pro obiecto formali fidei authoritatem humanam Ecclesiæ: quam authoritatem dicunt omnes, esse conditionem; non verò obiectum formale fidei: quia de se non est infallibilis physicè. P. Valent.

§. 44. 2. Obiectio. Obijcis secundò: demus, Ecclesiam moveri sola evidentiâ credibilitatis, absque evidentia in attestante: demus item (quod physicè potest esse) nos decipi: ergo non repugnat revelationē evidenter credibilem esse falsam. Certè, si cœlum rueret, nos opprimeret. Tria supponit hæc obiectio, quibus destruitur hæc revelatio, & iam non agitur de illa; sed de alia. Primum: Christum, Prophetas, & Apostolos, neque habuisse, neque potuisse, evidentiam physicam de revelatione, nec de mysterijs: quia si hæc revelatio esset falsa, non potuisset esse evidentia physica de illa: ergo iam non agitur de his mysterijs; sed de alijs chymæricis. Secundum: nulla vnquàm fuisse vera miracula in Ecclesia, neque prophetias: quia mysteria falsa non possunt confirmari prophetiâ, atque miraculis. Tertium: nullam fuisse veram fidem supernaturalem de mysterijs. Nos autem hæc non possumus, nisi per insaniam, cogitare: quia sumus superædificati supra fundamentum Apostolorum & Prophetarum, ipso summo angulari lapide, Christo Iesu. Ecclesia enim accepit immediatè hæc mysteria à Christo & Apostolis, mota tot miraculis, prophetijs, sanctitate vitæ, & evidenti doctrinâ de rebus naturalibus; vt prudenter & evidenter censeat, fore maximum peccatum, dubitare de veritate tantorum virorum, asserentium se ea, vel illorum revelationem vidisse: vndè impossibile est, vt aliqua authoritas creata tanti ponde-

S.Tho.q. 1. Art. 1. ponderis sit, quanti Christiana & Apostolica. Quarè, rectè monuit Paullus, neque Angelo oppositum credendum: quia non possumus habere physicam evidentiam de falsitate revelationis; authoritas autē magis suspecta est in Angelo, quā in tota Ecclesia: debemus enim arbitrari illū tūc esse malū Angelum.

§. 45. Richardus Victor. Quòd si miracula nulla vnquàm fuissent vera, neque prophetiæ, neque argumēta cætera; sed omnia essēt apparētia: respōdeo, nos dicturos cū Richardo Victorino Deū nos decepisse: nō quòd Deus verè nos deciperet; sed quia tot portētis & argumētis movemur, vt credamus propter amorē Dei, ne illū vel dubitatione, aut hæsitatione, offendamus. Homines enim sumus, & nostri animi sensibus carcerati, nihil præsentiūt, nisi quæ ex sensibus percipiūtur, vel intuitu immediato, vel discursu. Dum autem tàm prudenter discurrimus, vt prudentissimè cernamus, nos graviter peccaturos, si dubitemus; non possumus licitè dubitare; immò tunc benè essemus meriti de Deo quia prudentia supernaturali moti, exerceremus affectus supernaturales piæ affectionis, imperantes actus, quos tunc arbitraremur esse veros. Ab illo autem errore non possumus vindicari ex natura rei: vt nunc non possumus habere aliquod principium, quo licitè ab Ecclesia deficiamus.

§. 46. Durat autē Ecclesia Christi ab Apostolis, continēti serie doctrinæ: quod Ecclesia nūc existēs cernit evidēter, ex libris, historijs, & alijs argumentis, quibus, nisi ab insano, nō potest abrogari fides. Videt itē evidenter, reliquas sectas esse incredibiles: quia videt evidenter, eas deficere à doctrina, quā, negari non potest, fuisse Apostolorum & Christi: videt, inquā, evidentiā longissimo intervallo maiore, quā videt historias Cæsarū; immò & cōmunes, & gērales, prophanasq; traditiones generis humani. Quod si hæc nō sufficiūt, è medio tollitur hominum fides, & ratio, qua superiora tempora posterioribus illucent. Nulla enim alia sūt argumenta tàm efficacia, ad hominem movendum, quàm sunt in religione Christi; De quibus singillatim agend disp. 21.

SECTIO VII.

Quæ evidentia requiratur in singulis fidelibus?

§. 47. Conclus. DICO, singulos fideles, ad exercendam fidem infusam, indigere tàm prudenti propositione, vt videant clarè, sibi non licere dubitare. Dixi, *vt videant*: quia si id ignorent inculpatè, non est in eorum potestate, neq; illorum vitio vertendum; agere autem tunc contra fidem, esset absque culpa: v. g. siquis mihi asserat, Deum revelasse, iustitiam esse inhærentem, dum id non probat argumento, quantum satis est ad prudentissimam fidem, & ad me convincendum incredibilitatis, non pecco contra fidem Catholicam. Si autem culpatè id non videtur, adhuc committitur peccatum contra legem fidei, per dissensum ex ignorantia vincibili. Vtrùm autem eo dissensu corrumpatur fides? agendum disp. 82. sect. 5.

Conclusionem hanc expressè docet P. Suarez adductus §. 18. & 25. Eamdem docuit S. Thomas quæst. 1. art. 4. ad 2. his verbis: *alio modo in generali, scilicèt, sub ratione credibilis: & sic sunt visa ab eo, qui credit. Nō enim crederet, nisi videret, ea esse credenda, vel propter evidentiam signorum, vel propter aliquid huiusmodi.* Consentiunt Caietanus & antiqui; ex novis, Aragon, Lorca, & alij. §. 48. P. Suarez. S. Thomas. Caietan. Arag. Lorca.

§. 49. Itaque non quævis prudens applicatio sufficit, ad extorquendum assensum fidei; sed illa, quæ reddit revelationem tàm credibilem, vt peccemus contra fidē, nisi credamus. Probatur primò ex Concilio Tridentino sess. 6. c. 9. definiente, nullū, quantumvis iustum, posse scire fide, cui nō possit subesse falsum, se gratiam consequutum. Vndè argumentor: multi sanctissimi viri prudentissimè arbitrantur, se esse in gratia Dei; nec tamen id credūt fide divina: ergo nō sufficit quævis prudens applicatio. Maior graviter & eruditè probatur ab Andrea Vega lib. 9. de iustificatione, probante cum Soto & alijs, multos iustos habere fidem humanam, non leviter certam de sua iustificatione. Nam ex dilectione Dei, & observatione legis, prudentissimè coniectant, illos actus esse, quales exiguntur ad iustificationem. Cùm igitur de omni diligente Deum, & observante legem per actus supernaturales, sit revelatum, eum esse in gratia, & hæc revelatio prudenter applicetur; tamen non creditur fide divina, vt definitur in Concilio, his verbis: *sic quilibet, dum se ipsum, suamque propriam infirmitatem & indispositionem respicit, de sua gratia formidare & timere potest: cùm nullus scire valeat, certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consequutum.* Trident. Vega. Soto.

§. 50. 2. Probat. Secundò probatur ratione reddita ab ipso Concilio: quia, dum est locus formidini & timori de opposito, non possumus exercere fidē absolutè infallibilē; sed, dum

non

non proponitur revelatio cum obligatione non dubitandi, est locus timori atque formidini: ergo. Minor patet: quia potentia dubitandi physicè, reperitur in quovis credente absq; evidentia in attestante. Omnes enim eiusmodi Catholici, non solũ physicè possunt dubitare; sed etiàm dissentiri. Potentia autem moralis est potentia dubitandi absque peccato, quæ potentia non tollitur, nisi per obligationem credendi cognitam, vel ignoratam culpatè (vtrumque in præsenti pro eodem vsurpo.) Maior autem probatur: tùm, ex verbis Concilij, quod impotentiam credendi fide divina iustificationem propriam, deduxit ex formidine & timore, quo singuli possunt affici, respicientes propriam infirmitatem & indispositionem: tùm etiàm, quia omnis assensus certus oritur à principijs certis, & nullo modo nutantibus. Actus naturales certi oriuntur ab apprehensione evidenti, vel specie impressa: cum quibus non potest componi dubium aut formido. In supernaturalibus autem obscuris, non potest assensus fidei oriri à principio non titubante, nisi per evidentiam credibilitatis, ex qua generatur apprehensio certa & supernaturalis de revelatione, & voluntas affectionis præcaptivantis intellectum in obsequium fidei.

§. 51. 8. *Probat.* Tertiò probatur: quia fides divina constituit obiectum credibile super omnia: id est, priùs debemus amittere omnia, quàm nobis persuadere, non esse revelata quæ creduntur, aut Deum esse mendacem; sed dum non obligamur ad credendum, non tenemur credere super omnia: quia dum ego non pecco in omittendo assensu, neque Deo placeo per consilium de re meliori, stultum erit vitam pro illo profundere; ergo non possumus credere fide divina, dum non apparet obligatio. Maior constat ex S. Thoma & communi consensione Theologorum: & quidem, cùm hæc fides sit de præstantissima authoritate & testimonio, ita pendet, vt à conditione, à perfectissima applicatione.

§. 52. *Obiectio.* Obijcis, posse simul esse de aliquo obiecto scientiam & opinionem, absque formidine actuali: vt constat ex disputatione 10. de Anima, §. 60. ergo etiàm poterunt esse simul fides & applicatio prudens, cum qua possit esse formido, quamvis de facto non sit. *Respondet.* Respondeo, in hoc parès esse fidem divinam & scientiam: nam, vt possunt componi scientia & opinio de eodemmet obiecto, per diversa media; sic possunt componi fides divina & opinio sine formidine actuali. Quia formido possibilis in opinione, non arguit contradictionem in obiecto; sicut eam argueret formido actualis: scientia enim cognoscit, rem non posse aliter se habere, cum quo non componitur dubitare, an se possit aliter habere? At verò non potest esse fides cum applicatione minus prudenti, quàm quæ obliget ad non dubitandum: quia talis debet esse fides, vt nullus possit licitè formidare: vt dixi §. 50. ex Concilio. Quod autem tunc non dubitetur, est per accidens; potest tamen licitè dubitari, nisi detur obligatio non dubitandi.

Hinc deduces primò, nullum, citra revelationem privatam, posse credere fide divina, se esse in gratia: quia, quamvis prudenter id arbitretur; potest tamen, quantumvis iustus, dubitare. Multæ enim sunt caussæ incertitudinis: quia, dum quis considerat, quàm sit obnoxius, tùm falsitati, tùm pravitati, non potest certò & infallibiliter cognoscere, se exercere actus vndique bonos: quia pendent à tàm multis circumstantijs, vt non possint, nisi per coniecturam, cognosci. Vndè quantumvis quis sit certus, non violare iura, & à se Deum diligi; tamen non potest certò & evidenter cognoscere, amorẽ illum esse vndique honestum: quia non scit certò & evidenter, adesse circumstantias omnes: ac propterea nequit certò cognoscere, à se exerceri supernaturales actus. Quapropter rectè dixit Apostolus, neminem scire, vtrum sit dignus odio, vel amore? De quo recognosce disp. 11. §. 37. §. 53.

Secundò deduces, non esse de fide, Christum contineri sub his speciebus panis & vini: quia, quamvis certa fide credimus, Christi corpus realiter contineri quàvis hostia ritè consecrata; tamen nulla certitudine persuademur, hanc hostiam ritè esse consecratam: sola ergò fide probabili humana. §. 54. Obijcis, Christum adorari actu supernaturali, vt existentem in Sacramento: ergo oritur iste actus a fide supernaturali: quia actus voluntatis supernaturalis non potest oriri, nisi ab actu intellectus supernaturali & vero. *Obiectio.* Respondeo, cultum esse supernaturalem, non tamen ortum ab actu, quo credimus Christum adesse; sed ortum ab hoc syllogismo fidei, & prudentiæ supernaturalis: *Christus est adorandus, quoties prudenter creditur adesse; sed hic & nunc Christus prudenter creditur adesse huic hostiæ: ergo Christus adorandus est hic & nunc.* *Resp.* Hic syllogismus constat prima præmissa fidei, secunda verò prudentiæ supernaturalis; vtraque quidem vera: conclusio autem est supernaturalis prudentiæ. De quo relege disputationem 11. §. 43.

S. Tho. q. 1. Art. 1.

SECTIO VIII.

Respondetur argumentis.

§. 55. PROPOSVI à §. 25. tria argumenta, quibus respondi à §. 35. agens de evidentia Christi, & Apostolorum: item à §. 38. agens de evidentia reliqui corporis Ecclesiæ. Nunc superest respondere, etiam in hoc tertio casu de singulis fidelibus. Ad primum ex §. 25. respondeo, maiorem esse veram de infallibili connexione propositionis Ecclesiæ cum revelatione: infallibili (inquam) moraliter, & infallibilitate evidenti de credibilitate illius. Maior autem est falsa, si intelligatur de physica infallibilitate. Iã enim sępiùs ostendi, nullã applicationem purè humanã habere physicè infallibilem connexionem cum revelatione. Quamobrem disputat. 7. à §. 25. ostendi, ex communi sententia Theologorum, nullam applicationem humanam esse obiectum formale fidei: quia sequeretur, fidem esse fallibilem ex obiecto: quapropter, oppositam sententiam erroris damnari à plerisque Theologis ostendi, ea disputat. 7. §. 25. Ad probationem maioris respondeo, singulos fideles, per ipsos actus fidei, esse omnino certos de suo obiecto, vt dixi §. 38. sunt autem certi moraliter actus illi, quibus disponuntur ad credendum. Sumus etiàm certi de nostra fide in communi: quia certi sumus, ex fide ipsa, in Ecclesia esse fidem; & esse obiecta, de quibus non possumus licitè dubitare. Vnum autem ex his obiectis, credimus esse illud, quod tunc credimus: quia tunc, pro captu cuiusque fidelis, prudenter persuadetur obligatio non dubitandi.

§. 56. Ad secundum ex §. 27. respondeo, singulos fideles teneri, ad credendum dogmata recepta in tota Ecclesia, tàm firmè, vt vel Angelo oppositum prædicanti dissentiendum sit, vt constat ex §. 39. si autem posteà sit prudens dubium, quòd illud dogma non est receptum in tota Ecclesia, tunc poterimus credere Angelo prædicanti oppositum, vt constabit ex §. sequenti.

§. 57. Ad tertium respondeo, duo esse genera credendi dogmata fidei. Primum, quando singuli fideles vident, in tota Ecclesia esse receptum id, quod credunt: verbi gratia, Christum esse Deum: Christi corpus contineri in Sacramento Eucharistiæ, & alia id genus, quæ evidenter cernuntur, in tota Ecclesia esse recepta: quia, & Conciliorum excusiones, & historiæ, & Patrum scripta, apertè testantur, cum esse communem sensum Ecclesiæ. Ab hoc dogmate sic cognito, vt recepto in tota Ecclesia, non possumus vnquàm licitè discedere; neque oppositum Angelis credere. Secundum genus est, quando consensus Ecclesiæ tàm prudenter creditur ab aliquo, vt non posit de illo licitè dubitare; posteà verò rationes occurrunt, quibus iam dubitatur prudenter, vtrùm illud dogma sit toti Ecclesiæ commune? tunc iam possumus in dubium revocare, quod priùs credebatur fide divina: quia licitè revocatur in dubium propositio Ecclesiæ, quæ anteà non erat dubia. Exempli gratiâ: aliquis non admodũ doctus erudiatur in Hispania à S. Augustino, & illi credat esse dogma totius Ecclesiæ, filios hæreticorum non esse rebaptizandos. Hic id credit fide divina: nam verè Deus id revelavit, quæ revelatio tàm prudenter fuit applicata illi homini, per authoritatem & prudentiam Sancti Augustini, vt ille non potuerit licitè dubitare. Deinde hic Africam petat, & videat, à Sancto Cypriano, & tota Africanã Ecclesia, filios hæreticorum rebaptizari: tunc inculpatè posset titubare, & revocare in dubium doctrinam acceptam ab Augustino.

Confirmatur: quia, quando ego video Petrum, credo fide divina, illum fuisse conceptum in peccato originali, vt constat ex disputatione 11. §. 23. quia nulla est ratio dubitandi, eum non esse hominem: est item revelatum à Deo, omnem hominem esse conceptum in peccato originali; & tamen contingere potest, vt ego licitè dubitẽ, vtrùm illud individuum sit conceptum in peccato originali? quia potest esse dubium, vtrùm illud individuũ sit homo? ergo, quod semel creditur fide Catholica, potest licitè in dubium revocari: quia illa applicatio prima fuit per solam evidentiam physicam; & non per consensionem totius Ecclesiæ. De illa autem physica evidentia possum ego dubitare per aliam: vt si Dæmon præstigiator mihi persuadeat, illum, quem ego arbitratus sum Antonium, non esse hominem; sed Diabolum. §. 58.

SECTIO IX.

Animadversio.

ADVERTENDVM est animo, nõ esse omnibus eamdem rationem, quâ persuadeatur evidens credibilitas revelationis: quia homini docto & arguto non est sufficiens, quæ est rustico. Exempli gratiâ: definitur Tridenti iustitia inhærens, eaq; proponitur rustico, per §. 59.

per Parochum, vel alium hominem doctum. Tunc rustico sufficit ea propositio Parochi, vt arbitretur, se teneri ad credendum: non quòd sola vnius hominis propositio sufficiat, ad persuadendam obligationem credendi; sed quòd videat rusticus, Parochum degentem in Regno Catholico, nõ fore impunitum, si dogma aliquod proponeret aversum à fide. Quapropter, non tàm movetur authoritate solius Parochi, quàm totius Regni, in quo nullus hæreticus est impunis. Homo autem doctus diligentiorem adhibet curam, vt videat, aut libros excusos, aut cõmunem consensionem Regni: examinat verba, & alia præstat, quibus apertè cõvincitur, nõ posse hominē prudentem dubitare. Discrimen sumitur ex inæquali ingenio: rusticus enim vix quid potuit suo sensu iudicare; nisi de bobus, quibus arat, & à quibus est parùm absimilis; qui autem ingenio pollent, sunt plurium caussarum iudices, quas possunt suo arbitrio dirimere.

§. 60. S. Thom. Caietan. Arag. P. Valent. Quapropter Sanctus Thomas, q. 2. art. 6. Caietanus, Aragon, & P. Valentia disp. 1. q. 2. punct. 6. versu *iam verò quòd*, rectè docent, nonnullos ex simplicioribus, inculpatè decipi à suis Parochis, in mysterijs recõditioribus fidei. In Provincijs autē, in quibus impunes grassantur hæretici, permissa libertate conscientiæ, non sufficit rustico quævis propositio Parochi, veram & catholicam doctrinam docentis: quia, de illamet doctrina, videt in Regno dissideri, ab illis, quos ipse arbitratur esse doctos. Quapropter tunc tenetur diligentiùs inquirere, vtrorum doctrina sit consonantior lumini rationis? & quibus argumentis probetur credibilitas cuiusque doctrinæ? Ego arbitror, plebem incultam ferè belluino more duci. Quid facient rustici in Anglia, aut Scotia, vbi Papistæ supplicijs afficiuntur, vt homines pestilentes, tùm à Rege, tùm à Concilio & Parlamento? miseri autem tàm sunt infensi Romanis, decepti hæreticorum fabulis; quàm nostri rustici sunt infensi Calvinianis. At verò cùm vident, à Papistis disputari, & mortem oppeti à viris spectatæ doctrinæ & virtutis: item vident, ministros cõvinci multorum flagitiorum, Regemque ipsum, & Parlamentum iniuriâ in Catholicos desævire; tenentur resipiscere & diligēter expēdere, qua ratione possunt, argumēta credibilitatis partis vtriusq; & consentiri Catholicis, quos doctrinâ & moribus vident esse excellentiores. Qui autem inter hæreticos educantur, & ingenio pollent, tenentur perpendere argumenta & rationes, quibus Catholici ostendunt veritatem. Qui verò, quam possunt, adhibent diligentiā, & sunt animo pa-

rati, ad consentiendum veritati, vbi in eam venerint; quamvis hæreticas propositiones admittant, non sunt hæretici: vt docuit S. August. tom. 2. epist. 161. ad quosdã Episcopos Donatistas, & refertur in capite *dixit Apostolus* 24. q. 3. Quod testimonium latè pono, & expono disp. 82. §. 63. S. August.

SECTIO. X.

Nonnulla expedio.

DICO primò: revelatio, neque ex natura sua, neque ex institutione Dei, pendet ab aliquo, proponente nomine & authoritate Ecclesiæ. Ita Caietanus, quæst. 1. art. 1. §. *Ad tertium dubium*: Canus 2. de locis, cap. 8. §. *Confirmatur*: Vega 9. de iustificat. cap. 39. §. *Sed hæc*: Pater Turrianus disput. 5. dub. 1. §. *Tertiò existimo*, & Lorca, disput. 3. num. 12. quamvis inconstanter & obscurè rem agit. §. 61. 1. Conclus. Caiet. Canus. Vega. P. Turriã. Lorca.

Probatur primò, ex disput. 9. à §. 16. vbi probavi, revelationes privatas posse credi fide Catholica. Vel saltem credi possunt fide supernaturali, absque propositione vniversali Ecclesiæ: ergo revelationes publicæ possunt credi fide publica, absque propositione vniversali. Probo consequentiam: quia non est magis obscura revelatio publica, quàm privata; neque vnius evidens credibilitas magis pendet à testimonio humano totius Ecclesiæ, quàm alterius: quia, sicut miraculum, aut prophetia revelationem privatam reddit evidenter credibilem; ita reddet & publicam. §. 62. 1. Prob.

Secundò: quia Angelus credidit fide divina: similiter & Adamus; (incõmunior sententia.) neuter autem fuit doctus per Ecclesiam. Posse verò hominem, & animam separatam ab Angelis doceri mysteria fidei, non dubium. Tandem: quia miracula & prophetiæ sufficiunt per se, ad evidentem credibilitatem revelationis: vt ostendi ea disp. 9. §. 17. & 18. §. 63. 2. Probat.

Dico secundò: post promulgatum Evangelium, frequentiùs, & ferè semper, homines redeunt ad fidem, proposita authoritate humana Ecclesiæ. Dixi, *post promulgatum Evangelium*: quia ante promulgationem, Apostoli rarò vtebantur authoritate humana totius Ecclesiæ; sed portendentibus miraculis ostendebant, se per doctrinam immediatam Dei didicisse, quæ prædicabant; Christus autem sola sua authoritate fuit vsus. Crebrescente autem Ecclesiâ, fuit coactum Concilium, in quo vsi fuerunt Apostoli authoritate suâ divina: *visum est Spiritui Sancto & nobis*. Illorum §. 64. 2. Conclus.

 autem

S. Tho. q. 1. Art. 1. autem authoritate humana, vt applicatione, movebãtur fideles; & nunc nos movemur. At verò, dilatata iam Eccclesia, qui Evangelium promulgat, cùm prudenter id præstet, proponit fidem divinam: non vt sibi privatam; sed vt communem toti Ecclesiæ florenti pietate & doctrinâ. Quapropter Iesuitæ nostri, cùm Iaponos Reges Ecclesiæ Catholicæ agglomerassent, illorum legatos, ad summum Pontificem adorandum, mittendos curârunt, vt essent occulati testes amplitudinis & maiestatis Ecclesiæ Catholicæ: quorum testimonio, apud Iaponos, magna fuit facta accessio fidelium; antiquiores autem altiores radices in fidem egerunt. Sic videtur componi hæc controversia, in qua non potest multũ esse dissidij.

§. 65. 3. Conclus. Durand. Okamus. Gabriel. P. Valent. P. Vazq. P. Turria. Dico tertiò: necessaria est cognitio aliqua naturalis, aut fidei humanæ, vt dispositio ad divinam fidem. Sic Durandus in tertium distinctione 25. quæst. 3. num. 4. OKamus, Gabriel, & alij antiqui. P. Valentia disp. & quæst. 1. puncto 1. §. 9. P. Vazquez 1. part. disp. 5 num. 3. & 5. & 1. 2. disp. 201. cap. 2. fidus Achates disp. 4. dub. 1. estque cõmunis omnibus sententia. Cõstat enim ex disp. 7. à §. 3. esse necessariam applicationem aliquam obiecti; frequenter autem est necessaria propositio humana totius Ecclesiæ, cui credimus humana fide. Qui verò miraculis moventur, opus est, vt ea cognoscant. Denique, cùm revelatio sit obscura, sunt necessaria aliqua argumenta, quibus prudenter manuducamur ad assensum revelationis.

DISPVTAT. XV.

De resolutione fidei.

§. 1. DIXI disp. 2. §. 13. resolutionẽ esse abiunctionem partium, quibus cõstabat compositũ; indè autem à logicis resolutionem dici principia, quibus movemur ad aliquid cognoscendum, & amandum. Resolvere ergò fidem, est rationes reddere, ob quas credimus. Fit resolutio in omne genus caussæ: quia, cùm resolutio sit caussarum redditio, tot fiunt resolutiones, quot caussæ redduntur. Resolvitur ergò actus fidei, in genere caussæ materialis, in solum intellectum, cui inest; in genere autem caussæ efficientis, resolvitur in eundem intellectum, à quo vitaliter efficitur: in habitum per se infusum, vel in auxilium extrinsecum loco illius: resolvitur item in actum voluntatis, quo imperatur; & in gratiam Christi, quâ voluntas cõgrue excitatur, vt velit credere. In genere verò caussæ finalis, resolvitur in Deum, principium & finem rerum omnium; & in Christum, in cuius gloriam nostræ cedunt actiones. De hoc genere resolutionis nulla est difficultas.

Frequẽtior assensuũ resolutio est obiectiva, sive in caussas obiectivas: id est in obiecta, quæ per cognitionẽ sui excitant assẽsum. Ex dictis disp. 6. & 7. item & ex 14. constat, fidem resolvi in duo genera obiectorum: alterum, obiectorum, quæ ipsa fide cognoscũtur, & sunt obiecta formalia aut materialia; alterum, obiectorum, quæ nullo actu fidei infusæ cognoscuntur; sed ponuntur cognita, vt conditio sine qua nõ; spectant autem, vel ad fidem humanam, vel ad prudentiã, vel ad aliquã facultatẽ naturalẽ, vel cognitionẽ obiecti præter naturã, qualis est cognitio miraculorũ. §. 2.

Resolutio autẽ ita cõtingit. *Credo Deũ esse Trinũ: quia credo eũ id revelasse; credo autem propter eius revelationẽ: quia credo eũ neque fallere posse, neque falli. Revelationẽ verò ipsã credo: quia, vel proponitur à tota Ecclesia; vel miraculis aut alio argumẽto cõfirmatur, quo redditur credibilis evidenter.* In hac resolutione, homo doctus facilé distinguet, se revelationẽ credere, propter ipsã, vt propter obiectũ formale; propter propositionẽ verò Ecclesiæ, vt propter cõditionẽ sine qua non: quæ omnia liquet ex superioribus disputationibus. Quãvis autem, in ratione obiecti formalis, vltima resolutio fiat in revelationem, & authoritatẽ Dei; tamen absolutè fit resolutio in authoritatẽ humanã Ecclesiæ, vel miracula, vel alia argumenta evidẽtis credibilitatis: quia absolutè non possumus fide divina revelationẽ credere, nisi cũ dependẽtia ab hac evidẽti credibilitate; absoluta autẽ dependẽtia, etiã in ratione cõditionis, spectat ad rationẽ caussæ, eademque ratione, ad resolutionem obiectivam. §. 3.

Calvinistæ censent, nos Catholicos agi circulo, in reddenda ratione nostræ fidei: quia Scripturas probamus, ex definitione infallibili Ecclesiæ; hãc autẽ ex Scripturis. Itaq; Scripturã ex Ecclesia; Ecclesiam verò ex Scriptura probamus. Rogati autẽ, vnde cognoscamus Scripturã, & Ecclesiam? caremus ratione, quam reddamus. P. Beccanus t. 1. opusculorũ, opus. 6. (quod est de circulo Calvinistico) lepidè & argutè eos cõfutat: primùm ad hominem, ostendens, illos circumagi eodem circulo, quem nobis obiectant. Nam ipsi ex revelatione privata, & Spiritus Sancti dictamine, probant Scripturas: ad quarũ confirmationẽ, §. 4. Beccanus.

vt nos

vt nos pendemus ex authoritate & propositione Ecclesiæ; ita & ipsi pendent à Spiritu proprio, & sensu, quem iactitant sibi priuatim donari à Spiritu sancto. Vt autem cæteris probent, & sibi persuadeant hunc suum Spiritum sanctum, confugiunt ad scripturas. Itaque spiritum suum probant ex scripturis; scripturas autem ex suo spiritu: quo non aliter obcæcantur in impugnanda Catholica resolutione, quàm in impugnandis Catholicis veritatibus. Libet verò ostendere, nullo circulo nos peragi.

§. 5. Primùm: si quis negat aliquem librum Canonicum, & admittit authoritatem diuinam & humanam Ecclesiæ; ex hac authoritate ab ipso admissa, probatur authoritas libri Canonici: verbi gratia, antequàm libri Machabæorum, aut Evangelium, scribantur in Cathalogo sacrarum scripturarum, admittit Catholicus authoritatem Ecclesiæ; disputans autem cum alio Catholico de authoritate Machabæorum, audit eam authoritatem admissam ab Ecclesia: hic non potest negare authoritatem Machabæorum, ex suppositione quod admittat authoritatem Ecclesiæ. Efficitur verò hic syllogismus: *Omne quod Ecclesia definit, est credendum absque formidine; sed definit authoritatem Machabæorum: ergo authoritas Machabæorum est credenda absque formidine.* Maiorem propositionem ipse admittit; minorem occulis videt: ex quibus consequẽtiam negare non potest Itaque, ex vno principio admisso, probatur conclusio, de qua ambigitur.

§. 6. Si autem aliquis admittat authoritatem alicuius libri Canonici, & neget authoritatẽ Ecclesiæ in eo contentæ: ex illo libro Canonico sumitur argumentum, ad probandã authoritatem Ecclesiæ. Nam si argumentum efficaciter ducatur, ad igitur hæreticus ad alterum è duobus: vel ad admittendam authoritatem Ecclesiæ; vel ad negandam authoritatem libri, quam admiserat. Quapropter hæretici negant authoritatem Epistolæ S. Iacobi, definientis fidem absque operibus nihil interesse ad salutem: & authoritatem libri Machabæorum, vbi laudatur sancta & salubris cogitatio orandi pro defunctis, vt à peccatis solvantur. Hæc autem ratio arguendi contra hæriticos est propria contra ipsos, nisi labantur in Iudaismum, aut Paganismum. Hæretici enim admittunt aliquos libros novi testamenti, & multos veteris; sumitur autem argumentum efficax, à libro, quem admittunt, ad dogma, aut librum, quem negant. Contra Iudæos verò arguitur, ab authoritate veteris testamenti, quod admittunt, ad Christiana dogmata, quæ negant. In quibus duabus arguendi rationibus, nullus circulus committitur; sed sistitur in vno principio per se noto vtrique, nempè, arguenti & respondenti: principium enim, in quo ambo conveniunt, est per se notum, in ea disputatione.

Si autem aliquis neget authoritatem Scripturæ, & Ecclesiæ, arguendum est, non ex ipsis scripturis aut Ecclesia; sed ex miraculis, prophetijs, prædictione futurorum, & alijs argumentis, quibus nostra fides redditur evidenter credibilis. Sistitur tandem in aliquo vno argumento per se noto, tàm efficaci, vt, nisi temerè, negari non possit revelatio Dei: verbi gratia, sumitur argumentum ab humana authoritate Ecclesiæ, quæ authoritas est per se nota: authoritas enim conflatur ex sanctitate & doctrina testis, quibus neque ipse decipitur, neque vult alios decipere: vt constat ex disput. 6. Sanctitas autem Ecclesiæ manifestè probatur ex integritate morum; doctrina verò tanta est, vt Ecclesia Catholica, non solùm incredibiliter auxerit disciplinas omnes; sed etiàm omnium sectarum errores emondaverit. Quæ autem tàm multi viri, tamque præclari, vnanimi consensione testantur, non nisi temerè negari possunt. Item, quando per miracula revelatio probatur, sistitur in vna applicatione per se nota, ex qua tàm efficaciter probamus revelationem Dei, vt non possimus de illa dubitare. Qua ratione vitatur omnis circulus. §. 7.

Authoritas infallibilis Ecclesiæ, duplicẽ ex capite probari potest. Primùm: proponendo immediatam revelationem de ipsius authoritate: quæ revelatio confirmatur vt conditione, & applicatione, tùm authoritate humana ipsius Ecclesiæ, contestantis revelationem illam existere; tùm miraculis & alijs argumentis, quibus ea revelatio est evidenter credibilis; cognitis autem his motivis, assentimur fide divina, revelationem existere de infallibili authoritate Ecclesiæ: ex qua revelatione cognita, cognoscimus fide divina, Ecclesiam pollẽre divina & infallibili authoritate, hoc syllogismo: *omne quod Deus revelat, est, sed revelat authoritatem divinam Ecclesiæ: ergo est authoritas divina Ecclesiæ.* Deinde, quando Ecclesia aliquid definit, formamus hunc syllogismum: *omne quod Deus loquitur per Ecclesiam, est; sed loquitur per Ecclesiam, Evangelium Matthæi esse canonicum: ergo Evangelium Matthæi est canonicum.* Deinde, lecto Evangelio Matthæi, efformatus hunc syllogismum: §. 8.

S.Tho.q. 1.Art. 1. *omne quod Deus revelavit Matthæo, est; sed revelavit Matthæo Incarnationem Christi: ergo est Incarnatio Christi.* Ecce prima ratio formalis, quæ, in ratione obiecti formalis, nos movit ad omnes hos syllogismos, est authoritas Dei, & eius revelatio facta Ecclesiæ. Secundarium autem obiectum, est revelatio facta Matthæo; conditio verò applicans fuerunt authoritas humana Ecclesiæ, miracula, & alia.

§. 9. *Obiectio.* Obiicies, in hac serie syllogismum, non posse inferri authoritatem divinam Ecclesiæ in conclusione; quamvis illa authoritas contineatur in Evangelio Matthæi: quia, cùm hæc authoritas divina Ecclesiæ sit præmissa, in primo omnium syllogismo; non potest ipsa esse conclusio, in aliquo syllogismo deducto ex tali præmissa. Ratio à priori: quia nulla conclusio potest pẽdere à se ipsa, vt ab obiecto formali; conclusio autem omnium syllogismorum illius seriei, dependet à præmissa primi syllogismi: ergo hæc præmissa primi syllogismi non potest esse conclusio in illa serie syllogismorum. Quando autem venitur, in Evangelio Matthæi, in propositionem illam, quæ est revelatio de authoritate Ecclesiæ, non creditur in aliquo syllogismo; sed tunc reflexè dicitur: *iam hæc authoritas priùs cognita est.*

§. 10. *Refell.* Contrà: ibi sunt duæ revelationes: altera, quæ facta est, non Matthæo; sed alijs: verbi gratiâ, Pontifici, & Concilio; hæc autem revelatio facta Pontifici & Concilio, nunquàm deducitur vt conclusio in illa serie; sed semper est præmissa primi syllogismi, ex qua, per consequentias legitimas, deducitur revelatio facta Matthæo, tamquàm obiectum materiale. Quod nullum est absurdum: quia vna revelatio potest esse obiectum revelatum per aliam: nã Deus mihi potest dicere: *ego revelavi Matthæo authoritatem Ecclesiæ*; cognita autem Matthæi revelatione de authoritate Ecclesiæ, possum ego per illam proximè duci, ad authoritatem ipsius Ecclesiæ: sicut, ex revelatione Matthæi de Incarnatione, ducor ad Incarnationem ipsam; neque est absurdum, idem obiectum materiale cognosci ex duplici obiecto formali. Vnde authoritas divina Ecclesiæ diverso modo est præmissa & conclusio: nam præmissa est, vt cognita per revelationem factam Pontifici aut Concilio; conclusio autem est, vt cognita per revelationem factam Matthæo. Revelatio verò Matthæi est cognita per revelationem factam Ecclesiæ.

§. 11. *Ad argu.* Ad argumentum ex §. 9. respondeo, non posse præmissam esse conclusionem, cognitam eodem modo; posse tamen cognitam diverso. In præsenti autem diverso modo cognoscitur in præmissa, & in conclusione: nam in præmissa cognoscitur, per revelationem distinctam realiter, ac in conclusione: quia revelatio Pontificis est quasi reflexa, terminata ad revelationem Matthæi; Matthæi verò revelatio est terminata directè ad authoritatem Ecclesiæ. Quid autem repugnat, esse circa authoritatem Ecclesiæ duas revelationes: alteram factam Pontifici; alteram factam Matthæo? ex revelatione verò Pontificis de revelatione Matthæi: item ex revelatione vniversali ipsius Pontificis de authoritate Ecclesiæ, potest inferri in conclusione revelatio Matthæi, hoc syllogismo: *omne quod Ecclesia loquitur, vt instrumentum Dei, est credendum fide divina; sed loquitur revelationem Matthæi de authoritate Ecclesiæ: ergo credenda est revelatio Matthæi de authoritate Ecclesiæ.* Qui syllogismus est legitimè fidei. Maior propositio facta est evidenter credibilis, miraculis, sanctitate, & doctrinâ Ecclesiæ, & alijs: minor autem facta est evidenter credibilis, testimonio humano ipsius Pontificis, aut Ecclesiæ, vt conditione sine qua non; consequentia verò cognoscitur necessariò ex præmisis. Ex qua conclusione infertur alia: *ergo Ecclesia habet authoritatem infallibilem.* Probo consequentiam: quia ex revelatione Dei, rectè infertur obiectum revelatum. Itaque authoritas Ecclesiæ & propositio facta in præmisis, non habuit se ipsam pro obiecto immediato; sed pro obiecto immediato habuit revelationem Matthæi: quia verò revelatio Matthæi habet pro obiecto authoritatem Ecclesiæ, ideò præmissæ constantes ex authoritate Ecclesiæ, habuerunt pro obiecto remoto & obliquo, ipsam authoritatem Ecclesiæ, idque sine circulo.

Hæc prima ratio cognoscendi authoritatem Ecclesiæ, & per illam Scripturas, est, quæ communiter, & de lege consueta Dei, in Ecclesia tenetur. Voluit enim Deus, per visibiles Magistros Ecclesiam administrari: quia, à primis temporibus, dissensiones ortas de fide composuit Deus, in Concilio Apostolorum, illorum suffragio confirmato authoritate Petri. Stabilita igitur hæc authoritas immediatè à Christo, & per Apostolos exercita, perennat in finem sæculi. Quapropter rectè dixit Sanctus Augustinus, se non crediturum Evangelio, nisi totius Ecclesiæ authoritate commotum; neque nos alios libros Canonicos agnoscimus; nisi quos Ecclesia in cathalogo sacrarum Scripturarum describit. §. 12. *S. Aug.*

Cogni-

§. 13. Cognita autem authoritate Scripturarum per revelationem Ecclesiæ, possumus cognoscere Scripturas dependenter à revelatione Ecclesiæ; ita vt omnes syllogismi dependeant ab illa prima cognitione. Tunc revelatio Scripturarũ est obiectum materiale proximum, & propter illam cognoscimus, quæ à Deo in scripturis illis revelatur; obiectum autem absolutè primarium illorum syllogismorum, est revelatio facta Ecclesiæ. At verò, post primos illos syllogismos, relinquuntur species repræsentantes immediatè revelationes Dei factas in Scripturis: quæ, in illa serie syllogismorum, sunt obiectum formale primarium. De quo genere specierum impressarũ abundè disserui, disp. 6. à §. 20. ad 28. Itẽ disp. 8. §. 2. vbi ostendi, qua ratione exerceatur fides per has species ita relictas. In quo genere cognitionis nullũ circulũ reperiet Calvinista; neque alius argumẽtator acutior.

§. 14. Secundo modo possumus cognoscere authoritatẽ Ecclesiæ per Scripturas; Scripturas autem nobis possumus persuadere: tùm fide humana prudenti; tùm fide divina: v. g. si aliquo miraculo, aut eventu prophetiæ confirmentur: vt, si S. Matthæus aut aliquis eius discipulus miraculo confirmasset, Evangelium illud scriptum esse ab Apostolo, dictante Deo: posset credi Evãgelium illud fide divina. Item si quis crederet fide humana, Evangelium Lucæ scriptũ ante excidium Hierosolymitanum, & consideraret doctrinam Christi; prudẽter moveretur ad credendum, Evangelium illud continere doctrinam & prædictiones maiores humanis & Angelicis: quia, quæ ibi prædicuntur, exitus comprobavit. Cognita autẽ, fide divina, hac Scripturarũ authoritate; eadem fide credimus omnes articulos ibidẽ revelatos, quorum vnus est infallibilis authoritas Ecclesiæ; hic verò modus credendi est præter leges communes. Quapropter non omninò immeritò Durandus in tertium dist. 24. quæst. 1. & 3. num. 8. docet, primum articulum fidei esse authoritatem Ecclesiæ. Quæ sententia, hac in parte, de Scripturis canonicis, est vera; quia iudicium de illarum authoritate pendet à propositione Ecclesiæ. *Durand.*

§. 15. *P. Valent.* P. Valentia disp. quæst. & pũct. 1. §. 10. videbitur alicui, Calviniano inclusus circulo, inter authoritatem Scripturarum & Ecclesiæ. Verum tandem P. Valentia recurrit apertè ad motiva humana authoritatis humanæ Ecclesiæ, à quibus, vt à conditione sine qua non, pendet assensus fidei Catholicæ, quo credimus aliquid à Deo revelatum.

DISPVT. XVI.

De obiecto materiali fidei.

§. 1. BSOLVTIS obiecto formali fidei & conditionibus obiectivis, à quibus pẽdet assensus præstitus revelationi, disputandum est obiectum materiale: non quidem materiale remotum, qualis est paries comparatus visui; sed obiectum materiale proximum, qualis est conclusio comparata syllogismo, & medium comparatum fini. Quod obiectum vocatur à multis obiectum formale *quod*, de quo egi disp. 2. §. 3. & 4. & disp. 1. Logicæ, & Metaphysicæ.

SECTIO I.

De obiecto adæquato proprio.

§. 2. OBIECTVM adquatũ propriũ est, quod cognoscitur per omnes actus fidei: quemadmodum obiectum adæquatum propriũ alicuius potentiæ est, quod propriè cognoscitur per omnes illius actus, vt constat ex disp. 1 Logicæ §. 8. & disp. 1. Metaphysi. §. 3. & 4. Sic obiectum adæquatum fidei sunt prima veritas in dicendo, & omnes revelationes, & omnia, quæ per eas revelationes cognoscuntur, & quæ ex revelatis adæquatè deducuntur. Nam obiectum adæquatum est, quod cognoscitur per omnes actus: quia actus, habitus, & potentiæ habent idem obiectum; sed obiectum adæquatum actuum fidei sunt hæc omnia: ergo & obiectum adæquatum habitus fidei. Minor est certa: quia omnes actus fidei tendunt, vel in revelationẽ, vel in authoritatem, vel in mysteria revelata: quemadmodum omnis visus tendit in aliquem colorem. Hæc intellige de obiecto tàm formali, quàm materiali.

§. 3. *1. Conclus.* Obiectũ autem materiale adæquatum propriũ, sunt omnia revelata à Deo. Probatur: quia omnis actus fidei pendet à revelatione Dei, vt obiecto formali, per quod creditur materiale; sed per revelationem nihil creditur, præter revelata, & per illam omnia revelata creduntur: ergo omnia revelata sunt obiectum materiale adæquatũ. Probatur minor: quia revelatio, in ratione testimonij Dei, fertur in rem ipsam testatã. Nam testimonium alicuius fertur in rem, quam testatur, & in eam ducit, in ratione testimonij; non verò in aliam: v. g. mihi dicat

S.Tho.q. 1. Art. 1. dicat Petrus se aliquid velle: ergo illi fidem habeo præcisè, qua parte affirmat se velle; reliqua verò, quæ non affirmat, non credo propter eius testimonium: quia nullum est quod me ducat in alia obiecta: igitur omnia, de quibus Deus aliquid revelat, sunt adæquatum subiectum: vt, *Petrus appellatus fuit Cephas: Petrus* est subiectum; *Cephas*, autem prædicatum: quia id revelatur à Deo; vtrumque verò amplector obiecti nomine.

§. 4. *Obiectio. Respond.* Dices, obiectum adæquatum esse Deum; at multa revelantur præter Deum: ergo obiectum adæquatum non sunt omnia revelata. Distinguo maiorem: Deus est obiectum adæquatum attributionis, concedo maiorem; adæquatum proprium, nego. Quia in hac propositione: *Antichristus erit*, nihil revelatur de Deo, de quo eà nihil cognoscitur, præter authoritatem & revelationem: quæ non spectant ad obiectum materiale, sed ad formale; obiectum autem, de quo aliquid revelatur, est obiectum materiale fidei. Igitur de Deo nihil ibi revelatur, ac propterea eo actu fidei non cognoscitur Deus vt revelatus; neque vt obiectum materiale: ergo Deus non est obiectum adæquatum materiale proprium habitus fidei. Consequentia patet: quia, quod non est obiectum adæquatum omnium actuum fidei, non est obiectum adæquatum habitus. *P. Suarez.* P. Suar. disp. 2. sect. 2. num. 5. Deum vocat obiectum adæquatum directum, vel indirectum: quod vno verbo melius dicitur, *obiectum attributionis.*

SECTIO. II.

Deus est obiectum materiale partiale proprium.

§. 5. 2. *Conclus.* DICO secundo, Deum esse vnum ex obiectis proprijs materialibus fidei. Probatur apertè: quia Deus revelat se ipsum: ergo est obiectum materiale fidei. Consequentia patet ex §. 2. Antecedens probo: tum, quia Deus dixit Moysi: *ego sum, qui sum: qui est, misit me ad vos.* *Exod. 3.* Exod. 3. 14. *Item, ego sum Deus patris tui.* Exod. 3. 6. Item, *ego sum Dominus Deus vester.* *Levit. 11.* Levit. 11. 44. & alibi sæpè. Tum etiam, quia Deus se ipsum cognoscit: ergo potest se ipsum revelare: quia, vt Deus aliquid revelet, non indiget, nisi cognitione obiecti, & aptitudine inaudiente, vt percipiatur. Mitto argumentum, quod sumitur, ex eo, quod Deus debeat credi fide divina: id enim præcisè probat, Deum esse obiectum fidei, & de fide: sive credendum fide divina: quod fieri potest, tametsi Deus non sit obiectum materiale, dummodo sit formale. Etenim, in primo syllogismo obiectivo fidei, omnes tres propositiones sunt fidei, & debent credi fide divina; non tamen sunt omnes obiectum materiale, sed sola conclusio. Nam authoritas Dei & revelatio, quæ disponuntur in præmissis, non sunt obiectum materiale, sed formale; at nisi credantur fide divina, admittetur crimen hæresis: ergo, vt Deus sit obiectum fidei, non est opus, vt se revelet; sed sufficiet, si proponatur vt revelans.

§. 6. *Obiectio.* Contra conclusionem hanc potest argui: Deus in omni syllogismo fidei est obiectum formale: ergo non potest esse obiectum materiale. Consequentia patet: quia obiectum formale, quod est præmissa; debet esse distinctum à materiali, quod est conclusio: nam, de ratione modi sciendi est, vt manifestet ignotum: id est, vt id, quod manifestat, cognoscatur diverso modo. Sic differunt definitum & definitio; divisum & divisio: item, in demonstratione, præmissæ atque conclusio. Vide disput. 10 Logicæ sect. 1. Deum autem esse obiectum formale cognitum in præmissis, constat ex disp. 6. §. 40. Recognosce disp. 15. §. 9. & 11. vbi ostendi, non posse inferri pro conclusione præmissam. Vnde concludo, non posse Deum à nobis cognosci per fidem, vt obiectum materiale, sed vt formale.

§. 7. Dices, Deum non cognosci in præmissis, nisi vt est principium loquendi, & prima veritas, vt constat ex eo §. 33. disput. 6. at verò, in conclusione, infertur ipse Deus, vel adæquatè, vel sub alio conceptu. Contra; Deus concipitur in præmissis vt ens à se: quia concipitur vt prima substantia, loquens à se per primam veracitatem; hic autem est proprius conceptus Dei.

§. 8. *Respondetur.* Fateor, præmissam à conclusione esse necessariò diversam: esset enim ridiculum, inferre in conclusionem præmissam aliquam. Item, esset ridiculum, inferre in conclusione, Deum esse, quando credimus in præmissa, Deum esse qui loquitur: nam, si credimus illum esse qui loquitur: ergo credimus illum esse: quia ipsa existentia cognita, fuit ratio manuducens in conclusionem. Dico tamen, posse in præmissis & in conclusione constitui eamdem existetiam Dei; modo autem diverso ratione nostra. Nam sufficit distinctio rationis ad modum sciendi: vt patet in definitione, & divisione, sola ratione differentibus à definito, atque diviso. Potest igitur Deus constitui in præmissis, cum definitione existentiæ à se; vel cum definitione primę veritatis: & inde

inferri

inferri in conclusione ipsum definitum. Sẽper ergò debet disponi medium, vt ratione distinctum à conclusione; v.g. hoc syllogismo: *quidquid dicit prima veritas, est; sed dicit esse aliquod ens improductum ab alijs, quod sit principium cæterorum: ergo est tale ens*: quæ cõclusio includit quasi definitionem Dei. Potuit itẽ cũ eâdẽ præmissa maiori sic disponi syllogismus: *sed prima veritas dicit, se neq; fallere posse, neque falli: ergo prima veritas neć falli potest, neque fallere*. Esset autem ineptus hic syllogismus: *omne quod prima veritas dicit, est: sed dicit, esse omne quod dicit prima veritas: ergo est omne quod dicit prima veritas*. Vitium verò est, quod cõclusio est formaliter idem ac præmissa: vnde patet ad argumentum, posse Deum constitui in præmissis, & in conclusione, diuersa ratione formali; non verò eâdem.

SECTIO. III.

Deus est obiectum adæquatum attributionis.

§. 9. *Conclus.* CONSTAT ex disp. 1. Logicæ, §. 12. & disp. 1. Metaph. §. 28. obiectum attributionis esse finem, cuius gratiâ cætera cognoscuntur. Fidei adæquatum obiectum attributionis est Deus secũdum se. Conclusio est Sancti Thomæ, *S. Thomas.* & omnium ferè Theologorũ. Probatur: quia Deus secundum se est finis omnium creaturarum: ergo in eadem facultate, quæ per se agit de Deo & creaturis, creaturæ referentur ad Deum. Probo consequentiam: quia, quando res aliquæ per suam essentiam referuntur ad aliam, etiam in esse scibili referuntur ad eamdem: nam, in esse scibili servant eamdem proportionem, quam à parte rei. *Durand. Bonav. Okam.* Mitto opiniones Durandi, Bonavent. Okami, & aliorum, constituentium Deum obiectum fidei, vel sub ratione glorificatoris, vel redemptoris, vel efficientis in nobis actum meritorium; vel sub ratione infiniti. Hæc enim omnia fusius disputabo Proœmio in Theologiam. Breviter autem confutantur: quia tam merita, quàm visio & redemptio referuntur naturâ sua in Deũ secundum se, vt in finem vltimum; attributa autem Dei referuntur ad ipsum secundum se, cum proportione, qua natura & essentia cuiusque rei est obiectum attributionis suorum attributorum. Recognosce *P. Suar.* P. Suar. disputat. 2. sectione 1.

SECTIO IIII.

De complexione obiecti fidei.

§. 10. *S. Thom.* SANCTVS Thomas, quæst. 1. artic. 2. docet obiectum fidei esse incomplexum in se; complexum verò ex modo nostro. Terminum complexum, disputat. 1. Summul. sect. 11. definivi, qui includit duos terminos significantes. Est igitur complexio copulatio plurium rerum: hæc reperitur tùm in intellectu, tùm in vocibus, tùm in obiectis. Complexio in conceptibus est iudicium ortum ex duabus simplicibus apprehensionibus quale nobis cõtingit, qui propter imperfectionem specierum, priùs formamus apprehensionem simplicem subiecti & prædicati; quàm iudicium, quod propterea dicimus esse complexum: quia formaliter aut eminenter duas illas apprehensiones includit. Quapropter rectè dixit Sanctus Thom. obiectũ *S. Thom.* fidei esse complexum, ex modo, quo à nobis apprehenditur: quia, quamvis in se simplex est Deus; tamen de illo iudicamus dependenter à simplici apprehensione; è contrà verò Deus incomplexè iudicat obiecta, quamvis in se sint complexa: quia Deus non indiget apprehensione simplici.

§. 11. In vocibus reperitur etiam complexio, quando coniunguntur duo termini per se significativi: *vt homo iustus*, de qua complexione hic non est disputandum. Complexio autem in rebus est, quando in illis reperiuntur multæ distinctæ; quæ distingui possunt, vel realiter, vel ratione nostra. Ratione nostra, non fit complexio simpliciter; sed secundum quid: quia sola ratione non est multitudo rerum simpliciter; sed secundum quid.

§. 12. *1. Conclus.* Dico primò, obiectum formale fidei adæquatum esse complexum. Est sententia *Ocham.* Ochami in tertium quæst. 8. littera G. & L. *Gabriel.* & Gabrielis ibidem, dist. 23. quæst. 2. littera G. & aliorum. Probatur apertè: quia obiectum complexum est, quod includit duo prædicata distincta realiter; sed obiectum formale adæquatũ fidei includit duo prædicata distincta realiter: ergo. Minor patet: quia obiectum formale adæquatum fidei sunt Deus & revelatio; sive Deus revelans, vt ostendi disputatione 5. Hæc conclusio videtur aversa à Sancto Thoma, quæst. 1. art. 2. non tamen est: quia Sanctus Thom. *S. Thom.* agit de obiecto attributionis fidei, quod est Deus secundum se, vt patet ex corpore articuli: item, agit de obiecto formali partiali, nempè, de prima veritate, vt patet ad tertium.

Dico

S.Tho.q. 1.Art. 2. §. 13. 2.Conclus. Dico secundò: obiectum attributionis fidei est incomplexum. Quia hoc obiectum est Deus secundum se, qui ex parte sui est realiter incomplexus: id est, non componitur ex prædicatis distinctis realiter, neque illa includit. Quæ doctrina non solùm est Sancti Thomæ, Caietani, & asseclarum, artic. 3. sed & Durandi censentis obiectum fidei esse incomplexum; differt tamē à Durando, quòd censuerit, obiectum fidei ex parte prædicati esse complexum: quod verum est de alijs prædicatis distinctis à Deo; non tamen de prædicato intrinseco ipsius Dei: nullū enim distinguitur realiter à Deo secundùm se. Si autem Durandus agit de subiectis partialibus, multa etiàm sunt complexa, vt mox dico.

S.Thom. Caietan. Durand.

§. 14. 3.Conclus. Okam. Gabr. Dico tertiò: multa obiecta materialia fidei sunt complexa, tàm ex parte subiecti, quàm ex parte prædicati. Est opinio Okami, & Gabrielis, quos adduxi, §. 12. Probatur aperte: quia hæc propositio est de fide: *Homo iustus est dignus vitâ æterna*: in qua propositione subiectum est complexum: quia homo iustus non solùm est terminus complexus in voce; sed etiàm re: quia iustitia non est idem cum homine. Prædicatum autem est etiàm complexum: quia dignitas ad vitam distincta est ab homine. Quæ doctrina non est aliena à Thomistica: quia Sanctus Thomas, & Caietanus agunt de obiecto adæquato attributionis; non verò de toto obiecto materiali.

S.Thom. Caietanus.

SECTIO V.

Vtrùm authoritas Ecclesiæ sit primus articulus fidei?

§. 15. SVPEREST disquirere, vtrùm inter obiecta materialia fidei sit aliquod cognoscendum ante cætera omnia? Fuit singularis sententia Durandi in tertiū, dist. 24. quæst. 1. & 3. num. 8. inter articulos fidei credendam esse infallibilem authoritatem Ecclesiæ, vt fundamentum ad credendos articulos cæteros. Fundamentum est: quia Trinitatem, Incarnationem, & alios articulos credimus: eo quòd in Scriptura contineantur; sed eos in Scriptura cōtineri non credimus, nisi authoritate Ecclesiæ: ergò prius quàm credamus Trinitatem, & Incarnationem, credimus Ecclesiam regi Spiritu sancto. Secundò: quia Christus Dominus dixit Petro, se pro illo orasse, vt ipse confirmaret fratres suos: ergo authoritate Ecclesiæ confirmandum est in fide totum ipsius corpus. Hæc opinio Durandi malè audit apud Melchiorem Canum, & alios, qui eam non calluere: vt patet ex disput. 7. à §. 14. ad 18. Canus.

Durand.

Lucæ 22. 32.

§. 16. Impugnatur primò, infringendo vires argumenti Durandi: quia ego credo authoritatem infallibilem Ecclesiæ, propter Scripturas eam conclamantes: vt asserit ipse Durandus, credi à nobis Incarnationem propter Scripturas; sed Sripturas credere possumus, non propter authoritatem infallibilem Ecclesiæ; sed per aliud: ergo ante authoritatem infallibilem Ecclesiæ, cognoscere possumus infallibilem authoritatem Scripturarum. Respōdeat ergò Durandus, qua ratione ego mihi persuadeam authoritatem Scripturarum, ad credendum hunc articulum de authoritate Ecclesiæ? eademque ratione ego ipsi respondebo, ad credendos cæteros.

§. 17. Secundò argumentor: quia authoritas Ecclesiæ infallibilis potest cognosci ex revelatione de illa, sufficienter proposita per authoritem humanam, miracula, & alia argumenta: quibus tàm evidenter est credibilis, vt illi non possimus absque crimine dissentiri; sed revelatio Scripturarum, & aliorum articulorum potest proponi per authoritatem humanam Ecclesiæ, miracula, & alia argumenta: quibus fiat tàm evidēter credibilis, quàm alia revelatio de infallibili authoritate Ecclesiæ: ergo cæteri articuli possunt credi fide divina, independenter ab infallibili authoritate Ecclesiæ, vt à ratione formali credendi. Ratio à priori: quia singulæ revelationes possunt reddi evidenter credibiles per motiva miraculorum, & aliarum rationum, quas Theologi *applicationes* appellant.

§. 18. Tertiò argumentor: quia, vt mihi persuadeam, Ecclesiam regi à Spiritu sancto, opus est, vt mihi persuadeam, esse Spiritum sanctum; sed hoc non mihi persuadeo ex ipsa authoritate infallibili Ecclesiæ: ergo non pendent necessariò omnes articuli ab hac authoritate prius cognita. Minor negari nō potest: quia præmissam nullus sibi persuadet ex conclusione; sed conclusionem ex præmissa: nam conclusio non est medium ad præmissas; sed hæ ad illam. Maior probatur: quia gubernatio Ecclesiæ per Spiritum sanctum est effectus ipsius Spiritus sancti: quem effectum non cognoscimus per fidem; nisi persuasi, esse Spiritum sanctum. Si verò accipias Spiritum sanctum pro tertia in Trinitate Persona, sive pro Deo ipso secundùm se: non cognoscimus Spiritum sanctum, in eo syllogismo, ex authoritate infallibili Ecclesiæ; sed, vel per demonstrationem naturalem Dei, vel alio ex capite.

Quartò

§. 19. Quartò argumētor: quia fides de authoritate infallibili Ecclesiæ non est necessaria ad salutem, necessitate medij: vt ostendam disp. 43. ergo possumus salutem adipisci absque fide explicita eius authoritatis; sed fides aliquorum articulorum est necessaria, necessitate medij: ergo fides aliquorum articulorum non pendet necessariò à fide explicita eius authoritatis. Minor patet: quia *Credere oportet accedentem ad Deum: quia est, & inquirentibus se remunerator sit.* *Ad Heb. 11. 6.*

§. 20. *Ad argu.* Ad primum ex §. 15. Respondeo, distincta maiori: credimus frequenter, concedo maiorem; credimus necessariò, nego maiorem: eà enim mysteria credi possunt per revelationem confirmatam miraculis, & redditam credibilem evidēter; quin credantur propter Scripturas: quemadmodū credita fuerunt, antequam scriberentur ab Evangelistis, & credi potuit ipsa revelatio de Scripturis, & de authoritate infallibili Dei. Item ipsas Scripturas credere possumus, manuducti authoritate humana Ecclesiæ, certa moraliter, & infallibili: quod de facto ita contingit: nullus enim liber censetur canonicus; nisi ex probatione Ecclesiæ: potuit autem miraculo, vel alia ratione. *Ad 2. arg.* Ad secundum respondeo, fratres confirmandos à Petro; non tamen credendam necessariò infallibilem authoritatem Petri, ante alios articulos. Nā, si ego credo Deū esse: rectè potero confirmari in reliquis articulis authoritate Petri, illā credens, postquàm credidi Deum esse. Item confirmari possum authoritate humana Petri, prudenter mihi applicante revelationem Dei.

SECTIO VI.

Vtrùm inter obiecta materialia sit aliquis ordo?

§. 21. ESSE aliquem ordinem inter obiecta fidei, est luce clarius. Deus enim ordine dignitatis, & caussalitatis, est prior cæteris. Item, in ratione credibilis est eiusmodi ordo: existentia enim primæ veritatis & testimonij ipsius, est obiectū omniū primū cognoscēda, à cuius cognitione cæterorū quoque cognitio dependet: quemadmodum dixi disp. 2. obiectum materiale à formali, in sui cognitione, pendere. Disquirimus nunc: vtrùm, inter obiecta materialia fidei, sit aliquod necessariò cognoscendum ante cætera?

§. 22. *P. Suarez.* Pater Suarez, disp. 2. sect. 4. num. 5. censet, probabilius esse, inter hæc obiecta esse aliquod primò credendum. Verùm initio eius numeri loquitur de obiectis materialibus, etiàm complexis: in quo sensu loquūtur Durandus & alij, ex his quos adducit: *Durand.* Paulò tamen inferiùs respondet, sibi sermonem esse de obiecto formali, vt est aliquid creditum; non verò de obiecto purè materiali. Eiusque fundamenta id probant de Deo, cuius existentia creditur necessariò, antequâm credatur aliquod aliud obiectum; at verò existentia Dei non est complexa ex parte obiecti; sed incomplexa: vt constat ex §. 13.

§. 23. *1. Argu.* Primum fundamentum Patris Suarez est ex analogia ad fidem humanam, quæ necessariò credit hæc duo principia: & Petrum, v.g. esse dignum fide, & eum aliquid testari; sed eâdem ratione id credimus de Deo fide divina: ergò, Deum esse credendum est ante omnia obiecta. *Respond.* Respondeo, fide divina credi necessariò existentiā Dei: non quidem cognitam vt Dei; sed vt primæ veritatis. Obiectum enim primum fidei est prima veritas in dicendo: vt constat ex §. 8. hæc autem prima veritas non est obiectum materiale, sed formale, vt sæpius dixi: quemadmodùm existentia authoritatis & testimonij Petri, est humanæ fidei obiectum formale. *P. Suarez. Obiectio.* Dicit Pater Suarez, existentiam Dei esse etiàm cognitam, & sic esse priorem alijs articulis. *Resp.* Respōdeo, esse quidem cognitam, & creditam vt *quo*, sive vt obiectum formale: quemadmodùm revelatio est etiam credita vt *quo*. Illa tamen prioritas est inter obiectum formale, & materiale; non verò inter duo materialia: nō enim negamus, existentiam primæ veritatis & revelationis verè & propiè cognosci per fidem; sed dicimus cognosci vt principia prima, obiectumque formale, quod sexcenties dixi esse priùs cognitum, & cætera ab illo in cognitione pendere.

§. 24. *2. Argum.* Secundum argumentum: quia, *credere oportet accedentem ad Deum: quia est, & inquirentibus se remunerator sit.* *Ad Hebr. 11. 6.* Quid inde? an remuneratio est ita secundo loco credenda, vt ante illam sola possit cognosci existentia Dei? *Resp.* Respondeo, existentiam Dei cognosci necessariò, vt obiectum formale, sub conceptu primæ veritatis; at verò sub conceptu expresso Dei; non est necesse vt cognoscatur ante cætera: vt patet ex sectione 2. Probat quidem testimoniū, ante iustificationē credēda esse illa duo obiecta; at, sicut antequā iustificetur aliquis, potest multa cognoscere; ita & ante hæc duo obiecta.

§. 25 *Conclus.* Dicendum ergò, nullum obiectum materiale esse necessariò cognoscendū prius cæteris. Quæ doctrina est complurium, quos

S.Tho.q. 1.Art. 2. P. Suar. quos Pater Suarez adducit, num. 4. & sequitur num. 5. Probatur clarè: quia, cognito toto obiecto formali fidei, non possumus per illud cognoscere, nisi materiale: exempli gratiâ, hoc syllogismo: ***omne quod prima veritas dicit, est; sed dicit Antichristum esse futurum: ergo Antichristus est futurus.*** Ex his præmissis non potest inferri alia conclusio? Ergo ex obiecto formali fidei non potest inferri, nisi obiectum illius materiale; sed illud obiectum formale non est adstrictum alicui obiecto materiali, quod sit primò & necessariò testandum à Deo: ergo. Probo minorem: quia prima veritas potest testari obiectum quod libuerit, & quo voluerit ordine: vt enim potest nihil loqui; potest, obiecto, quod voluerit, dicto, cætera omnia reticere. Quævis autem Dei revelatio potest reddi evidenter credibilis: ergo nullum obiectum materiale est necessariò præcognoscendum. Itaque revelatio Dei liberè potest ferri in quodcumque obiectum, & reddi credibilis evidenter: quo argumento vsus sum contra Durandum §. 17.

§. 26. Inter obiecta autem formalia, potest & nullus esse ordo, & potest aliquis esse: si enim quis dicat: ***omne quod Deus dicit, est***; ac, ***dicit Antichristum***, nullus est ordo: quia sunt propositiones in sensu formali independentes: nam potest Deus aliquid dicere, idque credi; quin tunc credamus eum esse veracem, & è contrà: vt iam ostendi disput. 4. si autem quis dicat: ***Prima veritas dicit Antichristum***, ibi virtualiter dicit veritatem eius revelationis: quia prima veritas dicit in suo conceptu infallibilem authoritatem; in sensu autem formali explicito, illæ propositiones sunt, in esse credibili, independentes mutuò: quia ad hanc: ***Prima veritas loquitur***; non est necessaria hæc formalis: ***Prima veritas est***: id enim virtualiter dicitur, sive in actu exercito: quia quod cognoscitur loqui, cognoscitur & esse; alioquin qui loquitur?

DISPVTAT. XVII.

De mendacio, & falsitate.

§. 1. S.Thom. SANCTVS Thomas, q. 1. art. 3. disputat, vtrùm fidei possit subesse falsum? Negat: quia fides innititur authoritati Dei, quæ nec falli potest, nec fallere. Vndè deduco, articulum illum tertium esse de proprietate, & attributo obiecti formalis fidei, quod est authoritas Dei. Perinde ergò est illa quæstio apud Sanctum Thomam, ac disquirere infallibilitatem authoritatis, & revelationis Dei. Quod quidem disputandum erat disp. 4. & 5. vbi explicui, quid sit credere propter authoritatem Dei? Item, disseri poterat infallibilitas authoritatis Dei, post disputationem decimamtertiam, quâ explicui loquutionem Dei: cui semper adest veritas infallibilis. Reieci autem hùc disputationem hanc, vt morem geram legentibus, qui certas sedes, & loca desiderant, ad inveniendas quæstiones. Omnium autem clarissima sedes, & inventu facillima est, quam Sanctus Thomas elegit.

Fides in commune duplici ex capite potest esse falsa. Primò: quia testimonium, propter quod credit, fuit falsum: v. g. ego credo mortem Turcæ, propter hominis mentientis aut errantis testimonium: in hoc casu, falsa est mea fides, propter testimonij falsitatem. Item potest esse falsa: non quia testimonium falsum est; sed quia nullum est testimonium: vt si ego mihi persuadeo, Deum esse quaternum: quia Deus id revelavit; fides illa est falsa: non quòd testimonium Dei falsum sit; sed quia non est testatus quaternitatem Personarum. Adde ex nonnullis tertium caput: quando fides in primo instanti est vera, in secundo falsa: quia mutatur obiectum. Disputandum igitur in præsenti: vtrùm authoritas Dei tàm sit certa, vt ex eo capite omninò repugnet fidei falsitas? Deinceps verò disputabitur: vtrùm fide supernaturali possimus credere, esse testimonium Dei, quando non est? §. 2.

SECTIO I.

Mendacium quid sit?

SANCTVS Augustinus tom. 3. in Enchiridio, cap. 18. docet mendacium esse affirmationem rei, aliter ac sentitur ab affirmante, his verbis: ***quia non, quod sentit, hoc dicit: non verum dicit; quamvis verum inveniatur esse, quod dicit.*** E quibus concludo, mendacium præcisè versari circa prolationem rei, aliter ac sentitur. Quod clariùs dicit inferiùs: ***melior est, qui nesciens falsum dicit, quoniam id verum putat; quàm qui mentiendi animum sciens gerit, nesciens verum esse, quod dicit. Ille namque aliud non habet in animo, aliud in verbo; huic verò, qualecumque per se ipsum sit, quod ab eo dicitur; aliud tamen clausum in pectore, aliud in lingua promptum est: quod malum proprium est mentientis.*** §. 3. August.

Non

§. 4. Non possunt omitti aurea eiusdem Augustini verba eodem ex capite: quibus eleganter ostendit, quantum intersit, inter mendacem, & eum, qui loquitur falsum. *August.* *Nemo sanè mentiens iudicandus est, qui dicit falsum, quod putat verum: quoniam, quantum in ipso est, non fallit ipse; sed fallitur. Non itaque mendacij; sed aliquando temeritatis arguendus est, qui falsa incautiùs credita pro veris habet: potiúsque è contrario, quantum in ipso est, mentitur ille, qui dicit verum, quod putat falsum. Quantum enim ad animum eius attinet: quia non, quod sentit, hoc dicit, &c.*

§. 5. *S.Thom.* Totam hanc doctrinam mutuatus Sanctus Thomas 2.2. quæst. 110. art. 1. docet, veritatis virtutem esse voluntatem manifestandi rem, vt est cognita; vitium autem illi oppositum esse voluntatem manifestandi rem, aliter ac sentitur. Concludit verò, rationem mendacij sumi à formali falsitate, quando aliquis habet voluntatem enunciãdi falsum. Ratio à priori est: quia veracitas habet pro obiecto prolationem verbi, quod repræsentet obiectum eadem ratione, qua sentitur: non enim loquimur res nisi priùs eas cognoscamus. Possumus autem bifariã res loqui: vel, vt eas cognoscimus iudicio; vel aliter, ac de illis iudicamus. Voluntas eas loquendi, vt iudicamus, est laudabilis, & vocatur veritas, seu veracitas; voluntas autem eas loquendi aliter, ac iudicamus, est vituperatione digna, & vocatur mendaciũ, seu mendacitas. Animus verò, vt alium decipiamus, spectat quidem ad complementum mendacij; non verò ad essentiam: quia tota mendacij essentia est voluntas faciendi verba absonantia iudicio. Verum est, loquutione formali comprehendi perceptionem alterius, & voluntatem loquentis, vt percipiatur. Hic autem non disputo, nisi de voluntate loquentis, vt præcise terminatur ad prolationem externam: quia hoc sufficit præsenti instituto; in quo pono, mendacium esse intrinsecè peccatum. De quo agendum, disput. sequenti sect. 2. Hinc considero veritatem & falsitatem physicas: itẽ & morales. Physicæ sunt, quæ conveniunt propositioni ex obiecto: *ab eo enim quod res est, vel non est, propositio dicitur vera, vel falsa.* Morales autem sunt, quæ oriuntur à voluntate dicendi rẽ, vt sentitur, vel è contrà. Vnde actus physicè verus potest esse moraliter falsus; & è contrà.

SECTIO II.
Nonnulla dubia.

§. 6. POTEST dubitari, an absolutè mentiatur, qui loquitur propositionẽ veram, arbitratus illam esse falsam? Exempli gratiâ: censet Petrus, diem esse, cum sit nox, & dicit: *nox est*: quæritur, an iste mentiatur? Mentitur quidem: vt patet ex August. his verbis: *quia non, quod sentit, hoc dicit, non verum dicit: quamvis verum inveniatur esse, quod dicit.* *Aug.* Quod sequutus est S.Thom. ea quæst. 110. art. 1. vbi observa phrasim Augustinianam distinguentem, *verum dicere*, & *verum inveniri, quod dicitur. Dicere* enim *verum*, est formare propositionem consonantem iudicio: quod non invenitur in loquente aliter, ac sentit. *S.Thomas.* *Verum autem inveniri, quod dicitur*, est propositionem externam esse consonantem obiecto.

Obijcies, mendacium esse falsam prolationem rei; sed illa prolatio non est falsa: ergo non est mendacium. Cõfirmatur: quia siquis dicat propositionem falsam, arbitratus eam esse veram: hic non dicit verum, quamvis dicat rem, vt eam sentit: ergo è cõtrà, non mentitur absolutè, qui dicit propositionem veram, censens eam esse falsam. Ratio à priori videtur esse: quia veritas & mẽdacium sunt virtus & vitium exterius consummata: quæ non habent integram bonitatem aut malitiam, nisi cum actione externa. Exempli gratiâ: vult aliquis hominem occidere, movetque manum ad necem; non tamen occidit. Hic habet totam essentiam malitiæ homicidij; sed non est absolutè homicida physicè; sed moraliter: nec est reus omnium pœnarum, quas ius vtrumque decernit in homicidas: ergo eadem ratione mentitur moraliter, non verò physicè, qui dicit propositionem veram, ratus illam esse falsam. §. 7. *Obiectio.* *Confirm.*

§. 8. *Respond.* Respondeo, illum mentiri moraliter, & physicè: quia mendacium externum nihil est, præter prolationem rei, aliter, ac sentitur; sed tunc est prolatio rei aliter, ac sentitur: ergo est physicè mendacium. Ad argumentum respondeo, falsitatem physicam, de qua dixi §. 5. esse accidentalem mendacio moraliter considerato: eadem etiam propositio externa potest esse mendacium, & vera. Ratio est: quia ea attributa accipit diversis ex capitibus: veritatem quidem, aut falsitatem accipit, ex connotatione obiecti, sicuti est; aut aliter, ac est; mendacium autem est, per connotationem dissonantiæ à iudicio. Potestque idem actus simul absonare iudicio, & adsonare obiecto. Adsonantia cum iudicio, vel dissonantia est moralitas actionis externæ; absonare autẽ, vel cõsonare obiecto est affectio, physica propositionis.

§. 9. *Ad argu.* Ad confirmationem, distinguenda est duplex veritas: altera est virtus moralis inclinans ad facienda verba adsonantia iudicio

S. Tho. q. 2. Art. 3. dicio loquentis; altera eſt perfectio physica propositionis, per conformitatem ad obiectum. Ita eſt duplex falſitas: altera, vitiũ morale faciendi verba abſonantia iudicio loquentis; altera eſt imperfectio propoſitionis, qua abſonat obiectis. Respond. Reſpondeo ergò, propoſitionem illam eſſe ſimul veram & falſam: veram veritate morali, per conſonantiam cum iudicio loquentis; falſam verò falſitate phyſica, per diſſonantiam ab obiecto. Itaq; ſemper eſt diſtinguenda veritas, & falſitas moralis, à veritate, & falſitate phyſica. Ad rationem à priori reſpondeo, veritatem aut falſitatem conſummari exteriùs, ſola prolatione vocis abſonantis, aut adſonantis iudicio loquentis: quod quidem tunc completè præſtatur. Propoſitionem autem eſſe phyſicè veram, aut falſam, eſt accidentarium vitio, aut virtuti. Quo differunt ab homicidio, quod cõſummatur ipſa nece. Quapropter, ſi mendacibus infligeretur aliqua pœna, ea eſſent digni, quicumq; verba facerent contra ſenſum. S. Thom. Vndè rectè monuit Sanctus Thomas, mentiri eſſe, contra mentem ire. Meliùs diceretur ementiri: quia, qui mentitur, it è mente ſua: id eſt, egreditur è mente. Eſſet quidem mendacium moraliter tantum, ſi voluntas interna careret externa prolatione; quando verò illam habet, eſt iam vitium conſummatum.

§. 10. S. Auguſ. Hinc deduces expoſitionem S. Auguſt. tomo 3. in Enchiridio, cap. 18. vbi dicit, eum, qui vera loquitur, arbitratum ea eſſe falſa, non dicere verum; quamvis inveniatur verum eſſe, quod dicit. Nam *dicere verum* accepit pro veritate morali: tunc enim non fecit propoſitionem moraliter veram, ac propterea non dixit verum moraliter; ſed falſum, idque re ipſa, & non per ſolam moralem imputationem: quia actio illa externa, re ipſa caret denominatione extrinſeca veritatis. Inueniri autem verum eſſe, quod dicitur, eſt propoſitionem habere veritatem phyſicam conformitatis cum obiecto. Quia verò id eſt per accidens intentioni loquentis, dixit S. Auguſt. eum non dixiſſe verum. Quam doctrinam colligere potes etiàm ex S. Thom. 22. quæſt. 110. art. 1. S. Thomas.

§. 11. Animad. Adverte, mendacium eſſe obiectum intrinſecè malum, abſonans naturæ rationali: quæ malitia eſt independens à libera lege Dei. Oſtendi in diſputationibus de actibus humanis, & peccatis, eſſe obiecta nonnulla independentia, in malitia morali, à lege libera Dei. Neque negari poteſt, nonnulla adeò eſſe turpia, vt talia eſſe cognoſcantur; quin ſit neceſſarium cognoſcere legem Dei. Ariſtot. Quod de mẽdacio conſtat apertè ex Ariſt. lib. 4. Ethicorum, cap. 7. his verbis: *per ſe autem mendacium quidem improbum eſt, & vituperabile; verum autem probum, ac laudabile.* Quod definitum eſt in Eccleſia, & multis abhinc ſæculis, confirmatum eſt à S. Auguſtino contra mendacium, & alijs Patribus. Aurea autem Anſelmi verba referam diſput. ſequenti §. 16. S. Auguſt. S. Anſel.

DISPVTAT. XVIII.

Vtrùm Deus poſsit dicere rem aliter, ac eam ſentit?

SECTIO I.

Voces explicatæ.

MENDACIVM ſemper ſignificat prolationem vocis abſonantis iudicio loquentis, contra legem, & naturam rationalem: ac propterea, mẽdacium ſemper eſt peccatum. §. 1. Caſsian. Video à Caſſiano, & vno, aut altero ex Patribus, mendacium vſurpatum interdùm pro actione non mala: quapropter cenſuerunt, mendacium eſſe aliquando licitum. Quod in doctorum hominum mentem non incidiſſet, ſi mendacium perpetuò vſurparent pro actione illicita. Peccatum enim non poteſt cenſeri licitum: nam quod licitum eſt, non eſt contra legem ratione vlla. Acceperunt autem ipſi mendacium, non pro affirmatione rei abſonante iudicio loquentis; ſed, pro amphibologia, qua reſpondemus quidem ex mente noſtra, ſed cum ſenſu æquivoco; æquivocatione autem deluditur audiens. Hanc amphibologiam cenſuerunt Caſsianus & alij, eſſe aliquando licitam; qui, tamen rectè damnantur, quòd abſolutè dixerint, mendacium eſſe aliquando licitum: quia, ſi quo in caſu amphibologia eſt licita, tunc non eſt mendacium. Quemadmodum interdùm licet occidere hominẽ; numquã tamen licet homicidium: quia hæc vox ſignificat internecionem hominis pravè, & cõtra legem exercitam, quæ numquã eſt licita. Quis verò dicat, Iudicem eſſe homicidam: quia iubet in patibulum agi latronem?

§. 2. Poteſt autem eſſe actio proferendi verba abſonantia iudicio, de qua actione eſt controverſia: vtrùm ita ſit intrinſecè turpis, vt non poſsit exerceri à Deo?

SE-

SECTIO II.

Error Priscillianistarum & Roberti Holchoti.

§. 3. PRiscillianistæ, & alij hæretici censuerunt satis impudenter, Deum fuisse aliquando mentitum. Quorũ fundamenta infrà convellam, & ostendam sect. 3. eam esse hæresim manifestam: vt docet etiàm P. Suar. disp. 3. sect. 5. *P. Suarez.*

§. 4. *Holchot.* Eumdem errorem adstruxit Holchotus, in 2. quæst. 2. art. 8. membro 3. vbi docet, Deum non posse mentiri: quia mendacium includit voluntatem deflectentem à regula rationis. Quam voluntatem Deus non potest habere: quia eo ipso, quòd aliquid vult, illud vult ex regula rationis. Nam deflexio à ratione est aversio à voluntate Dei, à qua ipse Deus non potest averti: quia quidquid facit, sua voluntate facit. Docet item, Deum posse ordinatissimè falsum testificari, sive loqui rem aliter, ac sentit, cum volũtate ordinata fallendi tàm bonos, quàm malos: idque fecisse non raró. Vt Deus potest hominem occidere, quin sit homicida: quia homicidium est peccatũ in homine occidẽdo: *Nulli autẽ dubium* (arbitratur Holchotus) *quin Deus possit asserere falsum scienter, & cum intentione fallendi creaturam: & credo, quòd Dæmones meruerint decipi, & inslè, à Deo: ita, quòd Deus multa facit, intentione fallendi eos. Neque video caussam, quare Deus non potest velle creaturam decipere per se ipsum. Similiter Rebecca & Iacob, de singulari consilio Spiritus sancti, deceperunt Isaac. Similiter nullum inconueniens videtur sequi, si dicatur, Deum dicere falsum, & promittere se facturum, & non facit, sicut homo potest.* Hæc Robertus.

§. 5. Duas hæreses continent hæc verba Roberti: alteram, Deum posse esse infidelem: quod à §. 20. ostendam à Sancto Paullo damnatum; alteram, Rebeccam speciali consilio motam à Deo, ad decipiendum virum: & sæpè Dæmones deceptos à Deo. Itaque non solùm docet hic author, Deum posse dicere falsum (quod pauci etiàm Catholici censuerunt); sed (quod hæresis apertissima est) eum id aliquando dixisse. Nam, vt probet Deum posse dicere falsum, producit testimonia Scripturæ, quibus id aliquando factum probatur. Video meum scrupulum, quem ipse Robertus evellit, in tertium quæst. 1. art. 8. vbi disertè fatetur, tàm bonos, quàm malos sæpè deceptos à Deo, per se ipsum, & per alios.

SECTIO III.

Deus numquàm decepit.

DIXI, sententiam Priscilliani esse hæreticã: quod fatentur Catholici omnes (excepto Reberto). Omnes enim fatentur ingenuè, nullam falsitatem re ipsa ortam à Deo; de potentia autem absoluta non consentiunt omnes. Item arbitror, Robertum esse cũ Priscilliano in damnatione eâdem. Consulatur Pater Valentia tom. 3. disp. & quæst. 1. punct. 3. §. *nihilominus*: & P. Suar. disp. 3. sect. 5. num. 8. §. 6. *P. Valent.* *P. Suarez.*

§. 7. *1. Probat. Num. 23.* Probatur aperte conclusio: 1. ex cap. 23. Numerorum versu 19. *Non est Deus quasi homo, vt mentiatur; nec vt filius hominis, vt mutetur. Dixit ergò, & non faciet? loquutus est, & non implebit?* Vbi per interrogationẽ asseverat Deus, se impleturũ quæ loquitur; facturũ quæ dicit; asseverare autẽ per interrogationẽ, est ostendere, rẽ non posse aliter esse. Quẽ locũ eleganter expendit Ambrosius in annotatione in illud cap. 23. his verbis: *num quidnã mentitur Deus? Sed non mentitur: quia impossibile est mentiri Deum. Impossibile autem illud numquid infirmitatis est? non vtiq; nã quomodò omnia potest, si aliquid efficere non potest? Quid ergò ei impossibile? illud vtique, quod naturæ eius contrariũ est; non quod virtuti arduum. Impossibile* (inquit) *est ei mentiri: & impossibile istud non infirmitatis est; sed virtutis & Maiestatis. Quia veritas non recipit mendacium; neque Dei virtus levitatis errorẽ. Ex quo colligitur, impossibile Dei potentissimũ esse: quid enim potentius, quàm nescire quidquid infirmitatis est?* *Ambros.*

§. 8. *Psal. 144.* Idem expressit Dauid Psalmo 144. 13. *fidelis Dominus in omnibus verbis suis: & sanctus in omnibus operibus suis.* Vbi æquè commendatur iustitia operum, & fidelitas verborum Dei. 1. Ioan. 2. 21. *quoniã omne mẽdaciũ ex veritate non est*; id est, à prima veritate Deo nullũ oritur mendaciũ. Ioan. 7. 28. *sed est verus, qui misit me*, & cap. 8. 44. *quia non est veritas in eo, cùm loquitur mendacium, ex proprijs loquitur: quia mendax est.* Vbi mendacium asseritur oriri ex proprijs Dæmonis; cùm autem ita loquitur, non est in illo Dei veritas. *Ioan. 2. 21*

§. 9. *Solut. Holchoti.* Respondet Holchotus, ijs & alijs testimonijs significari, Deũ non mentiri; at nõ fallere Deũ nõ significatur. Mentiri enim includit voluntatem aversam à recta ratione, quam Deus non potest habere; fallere autem potest Deus sine peccato: quæ falsitas tunc non est mendacium. Hæ sunt technæ vno verbo evertendæ. Nã testimonium ex c. 23. Numer. apertè vsurpat mendaciũ pro fal-

S. Tho. q. 1. Art. 3. falsitate, quam Deo expressè negat his verbis: *dixit ergò, & non faciet? loquutus est, & non implebit?* ac si dicat: Deus ideò non potest mentiri, neque est inconstans: quia, quæ dixit, faciet; & implebit, quæ loquutus est. Quapropter illam propositionem: *Nō est Deus quasi homo, vt mentiatur, aut mutetur*, confirmat Propheta: non quòd Deus non posit peccare, tametsi falsum dicat; sed quia faciet quæ dixit: id est, Deus neque mutatur, neque mentitur: quia implet quæ dicit, aut loquitur.

§. 10. Item David fidelitatem Dei commēdat in omnibus eius dictis, sed, si in aliquo dicto nos falleret, non esset fidelis in omnibus suis dictis; ergo in nullo nos fallit. Probo minorem: quia in ea falsitate quamvis neque mentiretur, neque peccaret; tamen non esset fidelis: quia fidelitas est nullū decipere; tunc autem Deus, licèt sine peccato, deciperet. Quemadmodū non est iniustus, quando exercet misericordiam; at proptereà non est iustus in ea exercenda: quia tūc misericordiam exercet, & non iustitiam: ergo Deus, quamvis non sit infidelis in aliquo opere; tamen in aliquo non est fidelis: quæ propositio contradicit huic Davidicæ: *Deus est fidelis in omnibus verbis suis.*

§. 11. 2. Probat. & impug. Holchot. Secundò impugnatur tàm sententia, quā solutio Holchoti ex 1. Ioan. 5. 10. *qui non credit Filio Dei, mendacem facit eum: quia non credit in testimonium, quod testificatus est Deus de filio suo.* Pronomen *eum* demonstrat Deū tunc, quia immediatè subijcitur, testimonium illud, cui negatur assensus, esse Dei: vt constat ex vltimis verbis adductis: tū etiā, quia ipse Evangelista dixerat: *si testimoniū hominum accipimus, testimonium Dei maius est. Qui credit in filium Dei, habet testimoniū Dei in se. Qui non credit Filio, mendacem eum facit: quia non credit in testimonium, quod testificatus est Deus de Filio suo.* Vnde concludo, Deum esse, qui testimonium dedit de Filio suo: ergo qui non credit illi testimonio, facit mendacem eum, qui illud dedit; sed testimoniū dedit Deus ipse: ergo qui non credit illi testimonio, facit Deum ipsum mendacem. Ergo Ioānes reprehendit non credentes testimonio Dei: quia eo ipso, quòd non credāt, faciunt Deum mendacem. Quæ obiurgatio locum nō habet in sententia Holchoti: quia possumus non credere testimonio Dei, quin illum faciamus mendacem: nam possumus illi dissentiri propter sui testimonij falsitatem; censentes autem Deum non peccare in ea falsitate proferenda, non imponeremus Deo mendacium. Quæ doctrina est observanda in sect. sequentem.

Deum numquàm nos decepisse, ratione probatur: quia quælibet Dei falsitas everteret omnia Christianæ vitæ principia; hoc autem esse absurdum, nulli Catholico est dubium: incerta enim esset spes nostra, inanis fides, resurrectio mortuorum incredibilis, dubia Trinitas, Incarnatio, & alia mysteria suspecta: ergo. Maior probatur: quia nullum est fundamentum, vnde conjiciamus, Deum verum dixisse, in revelanda Trinitate, magis quàm in in revelandis alijs mysterijs, quorum revelatio, per te, fuit falsa: ergo omnia mysteria redduntur incerta. Antecedens probo: quia testimonium Dei non sufficit, ad nos reddendos certiores: nam, vt ipso testimonio Dei alij sunt decepti, iustas ob caussas; ita nos possumus decipi, easdem ob caussas, Dei testimonio de Incarnatione, aut Trinitate. Neque miracula, neque Scripturæ, neque Concilia, neque Angeli nos reddunt securos: quia falsitatem potest Deus confirmare miraculis, testimonio Ecclesiæ, & Angelico. §. 12.

Dices, esse aliqua obiecta, circa quæ Deus non potest nos fallere, verbi gratiâ, mysteria fidei: quia maximum esset incommodum, nos decipere in religione vera. Contrà: si Deus potest nos semel decipere, potest in quocumque obiecto: nam falsitas nullam ex se haberet turpitudinem; falsitatem autem non minùs Deus posset honestare in mysterijs fidei, quàm in alijs. Nam improbos posset iustè punire falsitate, in credendis mysterijs; ex deceptione autem piorum, vberes fructus posset ipse percipere. Nullum igitur relinquitur fundamentum certitudinis mysteriorum fidei. §. 13. Obiectio. Refell.

SECTIO IIII.

Deus non potest falsò loqui.

DEVM non posse mentiri, sive falsò loqui, etiàm de potentia absoluta, tàm certum mihi est, vt non possim ab errore excusare Aliacum, Holchotum, Godamum, & Almainum; immò opinor, sententiam hanc esse Catholicam, & oppositam hæreticam: vt mox probo. Quā perspicuè docuit Sanctus Thomas articulo, 3. constituens certitudinem fidei, quia attingit primam veritatem Dei. Consentiunt cæteri Scholastici, quos §. 14. Aliacus. Holchot. Godamus. Almain. S. Thomas.

P. Luisius P. Valent. Perer. Suarez. Lorca. quos potes consulere apud Patres Luisium, disput. 3. dubio 1. Valentiam adductum §. 6. Pererium, tom. 3. in Genesim, in cap. 27. disp. 2. Suar. disput. 3. sect. 5. Lorcam item, disput. 9.

SVBSECTIO. I.

Patrum authoritas.

§. 15. S. Leo. IN sententiam hanc conspirant omnes Patres, è quibus tres aut quatuor adducam. Sanctus Leo in sermone septimo de Nativitate, vt reddat rationem, ob quam credimus mysteria tàm supra captũ naturæ, respondet: ***Divina est authoritas cui credimus***, ac si apertè dicat: non est necessarium aliud argumentum ad credendum, præter authoritatem divinam: quia, cùm illa nec posit fallere nec falli, rectè possumus credere quidquid affirmat. Ambros. Clara sunt Ambrosiana verba adducta §. 7. vbi manifestè negat Ambrosius, Deum posse mentiri: quia mendacium est contra naturam Dei. Adverte, Authores, cum quibus depugno, duo affirmare: alterum, Deum non posse mentiri, sicut non potest esse homicida, aut fur: quia mendacium homicidium, & furtum significant prolationem falsam, necem hominis, & direptionem bonorum exercitam cum peccato, sive cum voluntate aversa à voluntate Dei. Secundũ quod dicunt, est, Deum posse falsum testari, sicut potest inferre necem homini, & nostra bona auferre. Ita exponunt Patrũ testimonia, nempè, eos loquutos, non de quacumque falsitate; sed de falsitate cum peccato. Audiant Ambrosium, idem apertè damnantem: Ambros. ***quia Dei virtus non recipit levitatis errorem.*** Itaque Ambrosius prolationem falsam vocat levitatis errorem: testes enim falsi leves sunt, & nullius momenti. Item veritatem divinam opposuit falsitati, & prolationem falsam censuit oriri ex infirmitate. Quòd si prolationem falsam vocavit mendacium, ideò est: quia apud Sanctos idem est falsitas cognita, ac mendacium.

§. 16. S. Athan. Sanctus Athanasius serm. de Pasione Domini ait: ***Scribens enim Hebræis B. Apostolus, quòd impossibile est, Deum mentiri; eumque in dicendo quàm maximè veracem esse, & falsum non dicere.*** S. Ansel. Beatus Anselmus horum doctrinam obtruncavit apertè. Cùm enim opposuiset, honestum esse quidquid à Deo fit; explicat, esse aliqua, quæ non possunt à Deo fieri: quòd si per impossibile fierent, adhuc essent mala, & non esset Deus, qui ea faceret. Cuius hæc sunt verba, lib. 1. *Cur Deus homo?* cap. 12. ***verùm est quod dicit de libertate, & voluntate, & benignitate illius. Sed sic eas debemus rationabiliter intelligere, vt dignitati illius non videamur repugnare. Libertas enim non est, nisi ad hoc quod expedit, aut decet: nec benignitas dicenda est, quæ aliquid Deo indecens operatur.*** Quibus verbis Anselmus directè opponitur doctrinæ horum Authorum opinantium, nullum esse obiectum, quod non posit à Deo amari: quia, eo ipso quòd ametur à Deo, amatur honestè. Quæ doctrina vera est: quia, quidquid Deus amat, amat honestè. Eâ tamen hi abutuntur, ad asserendum posse à Deo amari quodlibet obiectum, quamtumvis turpe videatur. Audi elegantem explicatum Anselmi. ***Quod autem dicitur: quia quod vult, rectum est; & quod non vult, iustum non est: non ita intelligendum est, vt, si Deus velit quodlibet inconv-niens, iustum sit: quia ipse vult. Non enim sequitur: iustum est mentiri, si Deus vult mentiri; sed potiùs, Deum illum non esse. Nam nequaquàm potest velle mentiri voluntas, nisi in qua corrupta est veritas; immò quæ deserendo veritatem corrupta est.*** Hæc Anselmus.

Quibus liquidò docet, voluntatem corrumpi, id est, vitiari: præcisè, quia deserit veritatem; immò ipsam corruptionem veritatis esse vitium voluntatis. §. 17. Vndè concludit, à Deo non posse deseri veritatem: quia Dei voluntas vitiari non potest; vitiaretur autem, si veritatem desereret. Quapropter apud Anselmum synonyma sunt falsitas & mendacium. Subijcit autem: ***tàm ergò dicitur: si Deus vult mentiri, non est aliud, quã si Deus est talis naturæ, quæ vult mentiri: & idcircò non sequitur, iustum esse mendacium; nisi ita intelligatur, sicut de duobus impossibilibus dicimus: si hoc est, illud est: quia neque hoc aut illud est.*** Itaque Anselmus constituit aliqua obiecta, quæ Deus potest velle, vt pluviam, & necem hominum; quædam, quæ non potest, vt mendacium: quia, eo præcisè quòd hoc vellet, corrumperetur eius voluntas, & non esset Deus. Non potuit hic Sanctus magis è regione opponi his Authoribus, in sententia & fundamento. Cùm autem dixit, Deum non posse velle mendacium, apertè mendacium vsurpat pro falsitate: quia voluntas divina haberet pro obiecto falsitatem ipsam. Denominatio autem mendacij, in sententia horũ Authorum, est denominatio extrinseca ab ipsa voluntate depravata: quam denominationem non vult actus ipse.

Sanctus Augustinus sexcenties tradit doctrinam hanc: tomo 9. lib. 1. de symbolo, initio, hæc ait: ***Deus omnipotens est, & cùm sit omnipotens, mori non potest, falli non*** §. 18. S. Aug.

S.Tho.q.1.Art. 3. nō potest, mentiri nō potest. Vbi *mentiri* accipit pro *falsum dicere*: æquè ergò ait spectare ad omnipotentiam impotentiam fallendi & mentiendi. Vt autem evellantur fibræ solutionum, & agnoscatur, Augustinum agere de falsitate, id est, de prolatione verborum falsa, sive absonanti iudicio loquentis, hæc ait. *Quàm multa non potest, & omnipotens est? & ideò omnipotens, quia ista non potest nam si mori posset, non esset omnipotens: si mētiri, si fallere, si falli, si iniquè agere, non esset omnipotens: quia, si hoc in eo esset, non fuisset dignus, qui esset omnipotens.* Hæc August. item tom. 10. serm. 28. de verbis Apostoli, cap. 3. ait de Deo: *qui omninò fallere ignorat.*

§. 19. A quibus arguo: Deus non esset omnipotens, si falli posset: ergo neque esset omnipotens, si fallere posset. Probo consequentiam: quia ex Augustino æquè repugnat Deo, posse mori, fallere, & falli; quodcumque igitur ex illis efficeret Deum indignum, qui esset omnipotens. Augustinum egisse etiàm de potentia absoluta, patet primò: quia, si Deus posset falli, aut mori, etiàm per potentiam absolutam, esset omnipotentiâ indignus; sed eàdem ratione indignitatem eamdem constituit Augustinus in mendacio & falsitate: ergo, etiàm per potentiam absolutam, repugnat falsitas Deo. Secundò: quia, si Deus posset fallere per potentiam absolutam, non esset indignus omnipotentiâ; sicut non est, quia potest facere alium mundū: ex eo enim quòd Deus faciat quod potest, nullum sequitur absurdum. Commendat ergò Augustinus vitam Dei ab immortalitate, intellectum ab incapacitate erroris; voluntatem verò ab impotentia fallendi. Quòd si Deus posset fallere, & falleret; non propterea esset indignus, qui esset omnipotens: quemadmodùm non esset indignus omnipotentiâ, si vtens potentiâ sua absoluta, erueret aliquem ex inferno; quamvis id non potest lege communi. Sufficiunt hæc Augustiniana testimonia: recognoscatur Gregorius de Arimino, clarus Augustinianus, & scholarum deliciæ, qui in primum, dis. 42. quæst. 2. hāc tractat, cum invidia posterorum: cui adiicio ex tomo 4. lib. octoginta trium quæstionum q. 53. vbi Aug. non modò damnat horum Authorum sententiam de mendacio, vt ab illis accipitur connotando actum malum; sed etiam de deceptione: quam cogitare de Deo, ait impium esse atque nefarium. Moverent quidem hæc Augustini verba quemlibet procacem hæreticum, ne sic insaniret in Deum. Videatur tom. 5. lib. 22. de Ciuitate, cap. 25. & tom. 4. toto libro de mendacio, & contra mendacium.

Gregorius Arimin.

SVBSECTIO II.

Sacra authoritas.

SENTENTIAM Holkhoti & Almaini erroris damnavi, & hæresis: quod nunc cōfirmo ex diversis Scripturæ testimonijs, quibus Deus apertè testatur, se nec posse mentiri, neque decipere. Ad Hebræ. 6. 18. *vt per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus.* Vbi *mentiri*, sumitur pro falso testimonio: vt enim Apostolus nos redderet animi equiores ad conquirendam gloriam, per labores & ærumnas; nobis proposuit ante oculos fortissimum solatium ad firmandam anchoram spei, innixæ immobilitati consilij Dei: cui, maioris securitatis ergò, iuramentum adiecit: ne mens humana vacillaret, firmata duobus argumentis immobilibus. Quòd si Deus posset nos decipere; quamvis id absque peccato posset, inermis esset argumentatio Paulli. Si enim Deus mihi laboranti posset iuratum præmium negare, quod mihi esset fortissimum solatium, etsi illud negaret absque peccato? hoc enim solatium non pendet ab impeccabilitate Dei; sed à firma expectatione. §. 20. *Ad Hebr. 6. 18.*

Dicunt adversarij, Paullum loquutum de impossibilitate & lege ordinaria; non tamen de absoluta. Contrà: Apostolus vtitur hominum exemplo, quorum controversiæ iuramento dirimuntur. Licèt enim Deus posset sola promissione securum reddere Abrahamum; adiecit tamen iuramentum, vt eum humanitùs cognoscentem assecuraret: quia, vt homines nulla potentiâ possunt licitè iurare falsum, aut non stare iuratis; ita Deus voluit ostendere, iam sibi non licere deesse promissis: alioquin argumentum Paulli esset inane, & invtilis diligentia Dei. Nam, si Abrahamus & Hebræi sibi persuaderent sententiam hanc, quam impugno, possent respondere Deo, & Paullo, se non esse certos de ipsius promissione: quia posset non stare iuramento. Quamvis enim lex communis non patiatur falsitatem iuramenti divini; at Deus non adstringitur illa lege: quemadmodùm lex communis petijt concursum generalem Dei ad comburendos pueros; ostendit autem Deus, se esse ab ea lege immunem. Hebræi ergò responderent Paullo, eius argumento nullam esse vim: quia, quamvis Deus nulla potentiâ posset mentiri; posset tamen eos decipere, effractis naturæ legibus: quas vt sæpè Deus effringit, sic posset eos, contra easdem leges, honesta caussâ decipere; neq; se certos esse, vtrum §. 21. *Obiectio. Refellit. Genes. 22.*

vtrùm id esset facturus, nec ne? ergo non haberent fortissimum solatium, & argumẽtum Paulli esset inane.

§. 22. *Confirm.* Confirmatur: Deus, ex te, non est naturâ sua adstrictus ad non fallendum, sicut ignis est adstrictus ad calorẽ, & nix ad frigus; sed solo suo arbitratu nos fallit, aut nõ fallit: vndè ergò habemus aliquod fundamentũ firmum, nos ab illo re ipsa non falli? ergo non possumus habere fortissimum solatium, nisi illi omninò repugnet falsitas. Probo consequentiam: quia nos non cognoscimus evidenter, Deum vera loquutum; sed per solas Scripturas, definitiones, & traditiones Ecclesiæ; vno verbo: solo eius testimonio, miraculis, & alijs argumentis comprobato, credimus; sed Deus per Scripturas, per definitiones, & traditiones Ecclesiæ, per miracula & alia testimonia posset nos fallere: ergo nõ haberemus, vndè liquidò constaret, nos nõ decipi. Ponamus enim à Deo nos iuramento falli; tunc nõ esset credendum Deo: vndè scimus, vtrùm nunc iuramẽto vtatur ad nos decipiendum? Iure ergò possemus respondere Deo: nolumus tibi credere; quamvis iures; quamvis miracula tibi facias; quamvis per Ecclesiam loquaris: quia, licèt non posis mentiri; potes tamen nos decipere. Quære ergò fidelem, qui tibi credat: ego enim, aut non credam, nisi quæ videro; aut, si credidero, erit cũ formidine, vtrùm me decipias ipso iuramento? immò minus esset credendum Deo, quàm homini: quia Deus posset nos decipere absq; peccato; homo verò non nisi cum peccato. Ruit ergò religio, & Christianismus totus est anilis fabula. Recognosce §. superiorem, & 24.

§. 23. *Obiectio. Resp.* Dices; Deũ posse vti metaphoris, allegorijs, & amphibologiâ: vndè ergò scimus, Deum eis nõ vsum? Respondeo, testimonium Dei semper esse verum, in sensu, in quo Deus loquitur: etenim metaphora, allegoria, & amphibologia sunt veræ, in aliquo sensu; amphibologia autem non est licita, nisi honesta de causa. Hi verò Doctores volunt, verba Dei posse esse falsa, etiam in sensu, in quo ab ipso proferuntur. Quis autem sit sensus ille verborum Dei, vestigandum est ex ipsa Scripturarum structura, ex argumento, de quo agitur, & ex circũstantijs. Quòd si hinc non constet dilucidè, ad eundi sunt interpretes sacri; maximè autem Ecclesia. Cùm igitur non constat probabili fundamẽto de ratione indicãte amphibologiam; aut de necessitate transferendi verba, à sensu, quem primo pulsu sonant: accipienda sunt in sensu litterali frequenti. Qua ratione sacri Patres & Concilia damnant hæresis sententiam negantem in Eucharistia realem præsentiam corporis Christi: quia sine fundamento negatur sensus proprius verborum Christi, & illa detorquentur ad sensus allegoricos. Idem patet in præcipuis mysterijs fidei, Trinitatis, Incarnationis, futuræ vitæ, & alijs: quia durum esset, tot miraculis confirmari ea mysteria, in sensu allegorico, reiecta veritate sensus litteralis, & homines cogere ad pereũdum potiùs, quàm ad negandum sensum litteralem falsum.

Deinde probo, expositionem Paulli propositam §. 21, esse contra Paullum ipsum agentem ea de re cum Timoth. epist. 2. cap. 2. versu 11. *Fidelis sermo: nam si commortui sumus, & conviuemus; si sustinebimus, & conregnabimus; si negaverimus, & ille negabit nos; si non credimus, ille fidelis permanet: negare se ipsum non potest*: vbi Apostolus commendat fidelitatem Dei: quia se ipsum nõ potest negare; conficit autem Paullus hanc argumentationem: *Deus est fidelis: ergo stabit promissis; nisi nos infideles simus. Probo antecedens: Deus se ipsum negare non potest: ergo est fidelis. Probo hanc consequentiam: quia, si posset non esse fidelis, posset se ipsum negare. Antecedens autem, nempè, Deum se negare non posse, est per se notum. Deus enim nulla ratione potest se ipsum negare: quia non potest se avertere à se ipso, aut à dictamine suæ sapientiæ. Nam aliquem negare est agere contra illum: & negare legem est agere contra id, quod præcipit. Primam autem consequentiam, nempè, Deum staturum promissis, probo ex primo antecedente: quia fidelitas est virtus, qua stamus promissis.* Hæc est argumẽtatio Paulli, quæ sic efformata acris est, & efficax; si autem Deus posset non stare promissis, esset flaccida: quia Deus non propterea se negaret: quia non staret promissis, si id posset absq; peccato. Vult ergò Apostolus idem esse, Deum non stare promissis, ac se ipsum negare. S. Dionysius de divin. nominib. cap. 8. hunc locum sic explanat: *negatio enim sui est à veritate prolapsio: est ab eo, quod est, prolapsio; Deus ab eo, quod est, prolabi non potest.* §. 24. 2. *Ad Timot.* 2. 11. *S. Dionys.*

§. 25. *Confirm.* Confirmatur: quia Paullus adductus §. 20. ait, à Deo additum iuramentum, vt amplius ostenderet immobilitatem consilij sui. Hęc immobilitas nõ est physica, per negatione distinctionis realis inter actus divinos: Hebræorum enim parum interesset, Deum esse incapacem physicæ mutationis, si posset mutare consilium per eumdem actum. Nam, si per illum actum illos privaret sui laboris præmio, tàm inanis esset illorum labor, quam si per duos actus privarentur. Ostendit ergò Apostolus, Deum immobiliter staturũ consilio & iura-

S.Tho.q. 1.Art. 3. *Num.* 23. iuramento suo; neque oppositum vlla ratione posse contingere. Quod confirmo ex capite 23. Numer. 19. *non est Deus quasi homo, vt mentiatur; nec vt filius hominis, vt mutetur. Dixit ergò, & non faciet? loquutus est, & non implebit?* Vbi Propheta exprobrat homini potentiam mendacij, & inconstantiæ; Deum autem laudat ab eorum impotentia. Illa verò interrogatio vim habet acriorem: si enim Deus posset mentiri, & non implere promissa; quid haberet non commune homini?

§. 26. *Obiectio. Refell.* Dices, Deum non posse mentiri, posse verò hominē. Contrà: Propheta nō recurrit ad voluntatē deordinatam; neque probavit impotentiam mentiendi, quòd non posset falsa dicere cum peccato; (vt isti volunt) sed quia Deus non potest non facere quæ dixit; nec non implere, quæ promisit. Nam hanc propositionem: *Deus non mentitur, vt homo*, non probavit, quia Deus, licèt posit oppositum facere; tamen non potest cum voluntate deordinata; (vt isti probant) sed eam probavit, quia non potest facere oppositum eius quod dixit; nec non implere quæ promisit. *Confirm.* Quæ ita confirmo: demus sciolum aliquem Iudæum, hærentem huic opinioni Holchoti respondere Prophetæ, ab ipso non benè probari, Deum non posse mentiri, quia Propheta id probat ex impotentia, quam Deus habet ad non faciendum oppositum eius, quod dixit: Quāvis enim neque faceret quod dixit, neque staret promissis; adhuc non mentiretur: quia sine peccato deficeret promissioni, ac propterea nec mentiretur, nec esset inconstans. Nam hæc vitia non admittuntur absque peccato: ergò alterum è duobus concludo; vel probationem Propheticam esse stultam; vel Deum non posse deesse promissis, & verbo suo.

SVBSECTIO III.

Authoritas Concilij Tridentini.

§. 27. *Trident.* DEINDE arbitror, sententiam nostram non leviter insinuatam Trideti, sessione sexta canone 16. vbi definitur, donum perseverantiæ non posse credi fide absolutè certa & infallibili, cui falsum subesse non potest, sine revelatione Dei: ergò supponit Concilium, fidem absolutè certam & infallibilem esse, quæ habet pro obiecto revelationem Dei. Neque Concilium ostendit aliunde certitudinem fidei; nisi ex eius obiecto formali, quod est testimonium Dei.

Dices, id intelligi ex natura rei; non verò in ordine ad potentiam absolutam. §. 28. *1. Obiectio. Refell. 1.* Contrà primò: isti dicunt, hanc fidem posse esse falsam: ergo non habet certitudinem & infallibilitatem absolutè. Hæc enim certitudo est determinatio habitus ad veritatem: quam determinationem non posset habere, si ex natura sua haberet indifferentiam ad veritatem & falsitatem. *Refellit. 2.* Contrà secundò: quia Concilum non præbuit fundamentum huic distinctioni; sed absolutè adstruxit fidei certitudinem absolutam, ex revelatione Dei, quam attingit. Item, revelationes privatæ, de quibus Concilium ibi loquitur, non fiunt de lege ordinaria, neque ex natura rei: nulla enim est lex cōmunis de revelanda alicui homini privato perseverantia; neque miracula ex natura rei contingunt: ergo omnem fidem innixam divinæ revelationi decernit Concilium certam absolutè, & infallibilem; cui non potest subesse falsum.

Dices secundo, Concilium non definijsse Deum non posse mentiri; sed fidem non posse esse falsam: quod potest esse, quia fides numquàm attingit, nisi verum Dei testimonium. §. 29. *2. Obiectio.* *Refellit.* Contrà: Concilium nusquàm insinuavit, posse esse duas fides circa divinum testimonium: alteram falsam circa testimonium falsum; alteram veram circa testimonium verum: sed absolutè statuit, fidem, qua attingitur divina revelatio, esse certam. Idque probat ex conceptu revelationis Dei: nam, si revelatio Dei non est ratio sufficiens certitudinis & infallibilitatis fidei, nulla esset argumentatio Concilij. Item, per fidem non assentimur testimonio Dei immediatè, quia est verum; sed eius existentiam nobis persuademus immediatè. Veritatem autem eiusdem testimonij nobis persuademus, non immediatè; sed propter authoritatem Dei, vt dixi, disputatione quarta §. octavo, & disputatione septima à §. quadragesimo quinto latè probavi, non posse esse fidem supernaturalem certam & infallibilē; nisi attingat certam & infallibilē authoritatem, & eius testimonium.

(.?.)

SVBSECTIO. IIII.

Ratione probata conclusio.

§. 30. NON posse Deum falsò loqui, rationi probatur: quia, si Deus posset fallere, & non stare promissis, posset absolutè mentiri, & esse infidelis, essetque capax illorum vitiorum: ergo nec potest fallere, nec promissa deserere. Consequentia non eget probatione: antecedens indicatur satis ab Ambros. §. 7. Confirmatur ab Ansel. §. 16. & 17. & ab Augustino §. 18. Quod probo primò: ex cap. 23. Numer. adducto §. 7. & 25. vbi, ex eo quòd Deus neque mētiri potest, neq; mutari, infert Propheta, Deū necessariò facturū quæ dixit, & impleturum quæ promisit: *non est Deus quasi homo, vt mentiatur; nec vt filius hominis, vt mutetur.* Quid inde? apertè sequitur, Deum non posse non stare promissis. Cōficit itaque Propheta hanc argumentationem: Deus nō potest mētiri, neque mutari: ergo faciet quæ dixit, & implebit quæ promisit. Quæ consequentia si non esset bona (vt non est, in sententia, quam impugno) nihil conclusisset Propheta, qui ex impotentia mētiendi intulit impotentiam non faciendi quod dixit. Quod si absque mendacio posset non facere quæ dixit, nullum esset argumentum Prophetæ. Vndè concludo, idem esse apud Prophetam, Deum posse mentiri, & posse non facere quæ dicit.

Ambros. Ansel. August. Num. 23.

§. 31. Ad Hebr. 6. 10. Secundò probo idem antecedens, nempè, idem esse mentiri & non facere quæ dicuntur: quia Paullus ad Hebræos 6. 10. *non enim iniustus Deus* (inquit), *vt obliviscatur operis vestri*: quibus Apostolus confirmat Hebræos, in patientia acerbissimæ persequutionis: quia Deus absque dubio illis reddet præmia laboris. Deum autem absque dubio præmia donaturū, probat Apostolus: quia Deus nō est iniustus, id est, infidelis in stando promissis: ergo Deus præcisè quia non staret promissis, esset iniustus, seu infidelis. Patet consequentia: quia alioquin mutila esset argumentatio Paulli, qui vt primū principium ponit, Deum non esse iniustum: vndè cōcludit, Deum ipsum nō posse oblivisci operis nostri, & efficit argumentum hoc: *Deus non potest esse iniustus: ergo non potest oblivisci laboris nostri. Probo consequentiam: quia, si Deus posset capere eam oblivionem, posset & iniustitiam.*

§. 32. Finge Christianum, inter cruciatus, disputationem inire cum Paullo, illum hortante ad tolerantiam tormenti, his verbis: bono animo esto, fortiter dimica: quia impossibile est, Deum oblivisci laboris tui. Respondeat autem Christianus: vndè scis, ò Paulle, Deum non posse meum laborem oblivisci? Respondeat Apostolus, se id scire: quia Deus non potest esse iniustus. Contrà vrgeat ille: ego scio, Deum non posse esse iniustum: quia iniustitia est desertio promissi, sive deordinata voluntas non standi promissis: quæ voluntas non cadit in Deum; at potest Deus oblivisci meum opus, absque ista deordinata voluntate: ergo non benè probas, ò Paulle, me certò consequuturum laboris præmium. Probo consequentiam: quia possum ego privari præmio per oblivionem Dei, quin ipse sit iniustus. Equibus concludo, Deum, eo præcisè, & fore iniustum & infidelem, quod obliviscatur operis nostri, id est, quòd non rependat promissum præmium pro labore iustorum.

§. 33. Ad Roma. 3. 5. Adsonat idem Apostolus ad Romanos 3. 5. *numquid iniquus est Deus, qui infert iram? Absit; alioquin quomodò iudicabit Deus hunc mundum?* id est, Deus non punit absque culpa: quia, si id faceret, esset iniquus: nam punire innocentem, est iniquitas; sic autem non posset Deus iudicare hunc mundum. Agit enim Apostolus de iustitia Dei, inferente iram & iudicium, ob hominum peccata: propter quod commendatur iustitia Dei, qui iniustus esset & iniquus, si absque culpa vteretur iustitiâ vindicativa.

§. 34. Tandem ratione probatur, ex disputione 17. §. 11. vbi Aristotelis testimonio probavi, mendacium esse per se malum. Cui doctrinæ præmitto, quam docui disputationibus de actibus humanis & peccatis, nempè, esse nonnulla obiecta ex se adeò dissonantia naturæ rationali, vt sint mala, etiàm ante prohibitionem liberam Dei. Nam, parricidium, ingratitudinem, & proditionem patriæ esse mala, cognovit Aristoteles lumine naturæ; quamvis expressè negavit liberam providentiam Dei. Nec fuit gens adeò barbara, quæ non arbitraretur esse acerbissimo supplicio dignos Parricidas atque perduelles. Et quamvis Doctores non pauci censent, malitiam non compleri ante prohibitionem liberam Dei; at verò fatentur, nonnulla obiecta suopte ingenio adeò esse turpia, vt non possint à Deo non prohiberi; malos-

S. Tho. q. 1. Art. 3. malosque esse, qui ea exercent; neque posse à Deo exerceri: quia non possunt illi non displicere. Nominales autem nonnulli censuerunt, nullum esse obiectum malum; nisi quia liberè prohibetur à Deo: potuisseque Deum, nullum prohibere obiectum; immò nullum esse obiectum adeò turpe, quod non posit præcipi à Deo: apertèque dicunt, posse præcipi odium Dei, falsitatem, & alia. Ex quo principio rectè colligunt, Deum posse falsò loqui. At verò principium illud erroris damnavi, in disputationibus de peccatis & actibus humanis, ostendens obiectorum turpitudinem, ob quam impossibile est, vt honestè fiant, & vt non sit cōtra legem aliquam, vel naturalem, vel liberam.

§. 35. Inter hæc obiecta locum habet mendacium: dicere enim aliquid falsò est obiectum ex se turpe, ac propterea semper est mendacium & peccatum. Qui verò liberè falsò loquitur, est mendax. Mendacij turpitudo sumitur præcipuè ex dissonantia falsitatis cum loquente, & cum tota Republica humana: cum loquente, quia falsitate redditur incredibilis, & extorris hominum commercio: vndè indignus est, cui credatur: quod maximè dedecet hominem. Quapropter mendaces censentur leves & infames; immò apud vrbanos vix reperietur aliqua iniuria gravior, quàm hominem vocare mendacem: cuius labes non eluitur ex lege duelli; nisi hoste fuste, vel alapâ repercusso. Reipublicæ autē est hoc vitium perniciosum: quia si nō credimus, vix possumus, nec Rempublicā, nec vitā administrare. Si verò credimus, & fallimur; cadimus in incommoda non leviora.

§. 36. Hinc argumentor: si Deus posset mentiri, esset incredibilis; hoc autem Deum maximè dedecet, vt est per se notum: ergo nec potest falsò loqui, neque mentiri. Probo maiorem: quia, de eo qui potest mentiri, rectè possumus suspicari aut timere, vtrùm mentiatur?

§. 37. 1. Obiectio Dices primò: homines posse mentiri; & tamen illis tenemur credere: ergo & Deo.

Resp. 1. Respondeo primùm, nos hominibus, quando loquuntur ex proprijs, numquàm credere certò & infallibiliter, certitudine physica. Secundò respondeo, negata consequentiā: homines enim non possunt falsò loqui,

Resp. 2. absque peccato mendacij: saltem quia mendacium est prohibitum à Deo; at sine fundamento probabili nō possumus nobis persuadere, hominem gravem & piū peccare; neq; de illo malum suspicari aut timere. At Deus falsa loqueretur absque vitio: quia, in sententia, quam impugno, Deus tàm honestè diceret falsum, quàm verùm. Vndè nulla iniuria irrogaretur Deo ab opinante eum mentiri; irrogatur autem homini, quando id opinamur absque fundamento. Ponamus enim, nos decipi à Deo: hæc deceptio esset illi tàm honesta, quàm nunc est veritas. Quam ergò iniuriam irrogaremus Deo non credentes?

§. 38. 2. Obiectio Dices secundò, Deum manere credibilem: quia potest nobis præcipere, vt credamus. Quapropter affirmatur debere credi mysteria fidei: quia Deus illa credenda

Aliac. præcepit. Sic respondet Petrus Aliacus. Contrà primò: etiàm possumus dubitare, vtrùm Deus nos decipiat in eo præcepto?

Refell. 1. Dicat enim Deus: *ego præcipio, vt credantur quæ dico*: tunc possemus dubitare, vtrùm Deus ea verè præciperet; an verò nos deciperet in præcepto simulando? nam, cùm Deus posset mentiri honestè, nullam iniuriam illi, irrogaremus, si suspicaremur illum mentiri. Secundò respondeo, Deum nobis posse præcipere assensum eorum quæ dicit; non tamen assensum supernaturalem fidei. Assensum quidem: quia dum non constat de falsitate, possumus assentiri obiecto; assensum autem, quem possumus, potest præcipere Deus. Assensus verò fidei infusæ est propter authoritatem infallibilem Dei, pendetque ab hoc assensu: *omne quod Deus dicit, est, vt ab ipso dicitur.* Item creditur veritas testimonij eo præcise quia testimonium Dei est, vt latè probavi disputat. 4. sect. 1. & disput. 7. à §. 45. sed Deus non potest præcipere hunc actum: quia est de obiecto evidenter falso. Nam, in ea sententia, quod Deus dicit, non est verum eo præcisè, quòd ab ipso dicatur; neque infallibiliter ei possemus credere propter eius authoritatem: ergo Deo nec deberemus, nec possemus credere fide divina & infusa. Tandem Sanctus

S. August. August. tom. 2. epist. 9. cap. 3. (affertur à Gratiano, cap. *Si ad Scripturas*, 9. distinctio.) ait S. Hieronymo: *In expositione quoque Epistolæ Paulli ad Galat. invenimus aliquid, quod nos multùm moveat. Si enim ad Scripturas sanctas admissa fuerint officiosa mendacia, quid in eis remanebit authoritatis? Quæ tandem de Scripturis illis sententia proferetur, cuius pondere contentiosæ falsitatis subruatur improbitas? Statim enim vt protuleris, si aliter sapit, qui contrà nititur, dicet, illud quod prolatum erit, honesto aliquo officio scriptorem fuisse mentitum. Vbi enim hoc non poterit; si poterit in ea narratione? &c.* Hæc Augustinus. Eadem ratione, si Deus potest dicere falsum, nihil est certum in Scriptura: non enim potest constare, aliquam eius partem esse veram; sed vnusquisque dicet, quod subijcit Augustinus. *Cùm*

verò

verò contra sensum lectoris aliquid occurrerit, officioso mendacio deputabitur: non enim deesse poterunt caussæ, cur existimetur, non solum potuisse; verum etiàm debuisse mentiri, si huic regulæ conceditur locus.

SECTIO. V.

Argumenta Roberti.

§. 39. Holchot. 1. Argu. HOLCHOTVS in secundo q. 2. art. 8. latè probat, non solùm Deum posse falsò loqui; sed & aliquando loquutum. Primùm id probat ex Augustino tom. 4. libro octoginta trium quæstionum, quæst. 53. vbi docet, nonnullos fuisse deceptos authoritate Dei. Aug. Augustini hæc verba: *multo est purgatior, summæq. illi virtuti propinquior, qui tamquàm velut hostem decipere; non tamen eum decipit, nisi authoritate diuina.* Vnde probat, Dei iussu falsum à Dæmone Regem Achab: & Ægyptios ab Israelitis, petentibus aurum & argentū ad sacrificium.

§. 40. Verùm non potuit appingi Deo mendacium absque mendacio. Augustinus tàm clarè est à nobis, vt vel cæci id viderint in ipsa fronte allegati libri: vbi de Deo hæc ait. *Nam veritas falsitatem numquàm patitur.* Immò eàdem quæstione 53. allegata à Roberto constituit apertè, Deum nec per se, nec per bonos posse fallere, etiàm eos, qui digni sunt, vt fallantur. Nam fallendi munus tàm censet indignum. Deo & bonis, quàm est indignum Iudici & eius filio, agere furē in patibulum: idque permitti infami carnifici.

§. 41. Resp. Respondeo, Augustinum loquutum de stratagemate bellico; nō verò de verbis falsis: qui autem vtitur stratagemate, nequaquàm mentitur, neque vtitur signo aliquo, in significatione aliena à cōmuni; sed Dux exercet aliquam actionem, fine diuerso ab eo, quem hostis diuinat. Illa autem actio nō est instituta, ad significandū id quod cōijcit hostis: qui prudentiā militari tenetur prouidere sibi & suis, ne ab hoste decipiantur insidijs, per stratagemata frequentissima in bello; stratagema verò tunc est magis licitum, quando eo vtimur iussu Dei.

§. 42. Item Augustinus, quando loquitur de mendacio, dicit, illud esse à Deo permittēte; non præcipiente: ait enim de Israelitis: *factum est, vt iuberet Deus, vel potiùs, pro illorum cupiditate, permitteret.* Subijcit autē Augustinus. August. *Non itaq. Deus deceptor est: quod credere, nefarium & impium esse, quis non intelligat?* & infrà: *quædam eorum iubens, quædam permittens.* Qua ergo fronte Robertus appingit Augustino sententiam ab eodem, eodem in loco, nuncupatam impiam atque nefariam.

Duo testimonia Scripturæ explicat Augustinus ibi; ob quæ credit Holchotus Achab & Ægyptios deceptos à Deo: primū ex 3. Reg. 22. 20. Vbi Deus dixit Diabolo: *decipies & prævalebis: egredere, & fac ita:* id est, dabis operam decipiendo Achab, quod assequèris. Hoc testimonium, ex interpretibus, de sola permissione explicui, in disputationibus de peccatis, expugnans physicam prædeterminationem ad materiale peccati: eaqueproper ab ea supersedeo. De eodem plura dixi volum. 3. disp. 80. §. 43. 3. Reg. 22. 20.

Alterum testimonium est ex cap. Exodi 11. 2. *Dices ergò omni plebi, vt postulet vir ab amico suo, & mulier à vicina sua, vasa argentea, & aurea.* Respondeo, nullam ibi falsitatem præceptā à Deo: solùmque præcepisse petitionem vasorum; si autem illi, in ipsa petitione, mētiti sunt, simulantes caussas, id fuit, Deo permittente. Quapropter Augustinus adductus §. 42. rectè dixit, Deū Israelitis quædam præcepisse, quædā permisisse. Neque ex lib. Exodi colligitur, eos fuisse mentitos: nam cap. 12. 35. hæc dicuntur: *feceruntque filij Israel, sicut præceperat Dominus Moysi: & petierunt ab Ægyptijs vasa argentea & aurea, vestemq. plurimam.* §. 44. Exod. 11. 2. Exod. 12. 35.

Secundò argumentatur Holchotus ab exemplo Rebeccæ, ex cap. 27. Genesis 9. vbi Rebecca præcepit filio suo Iacob, vt deciperet Isaacum Patrem suum, & se fingeret primogenitum Esau: quod Robertus arbitratur consultum, speciali consilio Spiritus Sancti. Duas autem falsitates persuasit Rebecca Iacobo: vt constat ex versu 19. primam continent illa verba: *ego sum primogenitus tuus Esau;* secundam continent illa: *feci tibi, sicut præcipisti mihi.* Vtrumque fuisse falsum, patet: quia, & Iacob fuit natu minor, quàm Esau; neque Isaacus præcepit Iacobo, vt venatum iret. §. 45. 2. Argum. Genes. 27.

Contrà: S. Augustinus tom. 4. lib. contra mendacium, diligētissimam curam adhibet huic loco exponendo, vt Iacobum & Rebeccā vindicet à falsitate: in quod etiàm incumbunt Magnus Gregorius, Chrysostomus, Theodoretus, Gennadius, & alij Patres apud Patrem Pererium tom. 3. in Genesim, disp. 5. & Patrem Rium in eum locum. Alij verò Patres & Doctores, quos sequitur Rius ipse, & ferè Pater Pererius, asserunt, Iacobum atque Rebeccam mentitos, & venialiter peccasse; maximè autem id Tostatus affirmat Lorca verò eam sententiam censet improbabilem: quo iure, ipse viderit. Itaque, qui dicunt factum illud esse §. 46. Respondet. August. Gregor. Chrysost. Theodor. Gennad. Pererius. P. Rius. Tostat. Lorca.

S. Tho. q. 1. Art. 3. esse speciatim à Deo; illud vindicant à falsitate; qui verò illud falsitatis damnant, dicunt fuisse peccatum. Robertus autem vult, & illud falsum fuisse, & immune à peccato; Deumque illos solvisse lege non mentiendi: quod non caret ingenti temeritate.

§. 47. Opinor, neque Rebeccam, neque Iacobum mentitos. Adverte, verba illa duos habuisse sensus satis familiares atque communes: alterum proprium, & quasi naturalem seu personalem; alterum metaphoricum, & quasi civilem: vterque autem est maximè communis; & licitus, quando loquenti inest honesta caussa. Personalis significatus est satis clarus: ***ego sum Esau***, id est, ego sum realiter persona Esau. In hoc sensu non fecit Iacobus ea verba; neque in eo sensu dixit sibi præceptam venationem. Significatus civilis significat ius, quod habebat Iacobus ad primogenituram, & maioratum: quod ius acquisiverat, vẽdita lẽtiũ scutellâ; vel speciali prærogatiuâ à Deo. Est autẽ hic significatus satis communis etiàm apud Iudices: si enim Petrus censum vendat Antonio, hic illi succedit in iure census, & dicit, se esse Petrum: id est, se habere ius Petri. Immò Christus dixit, Ioannem fuisse Eliã; Ioannes autem id de se negavit. Gregorius Magnus hæc ait eleganter, homilia 7. in Ioannem. ***Quid est hoc fratres? quia quod veritas affirmat, hoc Propheta veritatis negat. Ioannes igitur in spiritu Elias erat; in persona Elias non erat. Quod ergò Dominus fatetur de spiritu; hoc Ioannes denegat de persona.*** Ita Iacob vtens iure suo, dixit, se esse Esau: non quidem in persona; sed in actione. Cùmque sensus ille esset verus, & Iacob haberet ius ad illius vsum, potuit, absque culpa mendacij, illo vti. Quòd si Isaac fuit deceptus, non fuit in culpa Iacob: non enim latebat Isaacum questus Esau contra Iacob, quia illi extorserat primogenituram: & poterat dubitare, an illa verba essent in sensu personali; an verò in civili? Quam expositionem vidi apud Gratianum post capit. ***Quæritur*** 22. quæst. 2. ***Iacob*** (inquit) ***dicendo: esse Esau primogenitum, non est mentitus. Non enim dixit, se esse primogenitum nascendo; sed ius primogenituræ, illo vendente, ritè adeundo, &c.*** Eâdem ratione præceptum venationis datum fuit Iacob, non personaliter; sed civiliter: quia venatio erat vltima dispositio ad impetrandam benedictionem primogenituræ: quæ dispositio ad illum iure spectabat, ad quem primogenitura. Mitto alia Scripturæ testimonia, quæ faciliorem habent explicatum, & videri possunt apud Interpretes. Dominicus Bañez nonnulla adducit, & exponit; item & Petrus Lorca.

Gregor.

Gratian.

Bañez. Lorca.

SECTIO VI.

Opinio aliquorum.

ALIQVI admodum pauci Doctores opinati sunt, Deum re ipsâ numquàm dixisse falsum, neque posse ex natura rei, sive de lege communi; posse tamen de potentia absoluta. Quæ falsitas non esset mendacium: quia hæc vox significat falsitatem dictam cum peccato, in sensu, quem explicui §. 4. Videtur hæc sententia declinare notam hæresis, quam incursi sententiæ Roberti; arbitror tamẽ vtrãque esse in damnatione eâdem. Præcipuus Author huius sententiæ est Cardinalis Petrus de Aliaco, homo quidem doctus & acutus, & sua tempestate celebratus à Ioanne Gersone eius discipulo, & alijs: eã scripsit in primum, quæst. 2. dub. 3. circa solutionem 4. rationis. Consentit Adamus Godamus in tertium, dist. 14. quæst. 4. art. 2. quia Deus, facta revelatione, potest efficere oppositum eius quod revelavit. Nonnulli adducunt Almainum in 3. dist. 38. fine, qui ea de re nihil agit; sed quærit, vtrùm mendacium includat deordinatam voluntatem? cui quæstioni respondet, multa dici à Gabriele pro vtrãque parte; ipse autem in neutram propendet. In moralibus tamen, cap. 7. sequitur apertè sententiam Aliaci. §. 48.

Petrus de Aliaco.

Adamus Godam.

Almain.

§. 49. Gabr. Allegatur Gabriel in 3. dist. 12. littera D. ibi tamen non audet eam partem definire, his verbis: ***hæc dico, nihil asserendo; sed tantùm recitando, desiderans in hoc informari, & subijci sententiæ Maiorum meorum.*** Clariùs autem lapsus videtur in eumdem lib. 3. dist. 38. lit. G. sed hoc intelligo, vt in distinctionem duodecimam, ab eo recitanter dictum; non assertivè: quia distinct. 23. quæst. 2. lit. D. constituit fidem tàm esse infallibilem, quàm visionem beatam: quia fides innititur revelationi Dei.

SVBSECTIO I.

Primum argumentum.

ARGVMENTATVR primò: quia Deus, se solo, potest producere actum falsum, in nostro intellectu: ergo potest loqui falsò. Antecedens probatur: quia Deus potest, se solo, producere qualitatem vitalem, & eam infundere intellectui: vt ostendi disput. 6. de Anima. Consequentiam probo: quia illa productio cognitionis esset locutio Dei: esset enim §. 50. 1. Argu.

facere

facere verbum. Secundò probatur consequentia: quia, quamvis illa productio verbi non sit loquutio; habet tamen idem absurdum, quod mendacium.

§. 51. P. Luisius 1. Solut. Pater Luisius, & alij nonnulli negant antecedens de omni actu vitali, quem censent, non posse produci à solo Deo. Quod item ego docui ea disp. 6. de Anima; quia actus vitalis includit actionem immanentem, quæ non potest esse à solo Deo. At verò illi constituunt actum vitalem in sola qualitate, quam ibidem ostendi posse infundi à solo Deo. Refell. Supersedendum ergò est ab hac quæstione, & cõsiderandum: vtrùm, si Deus solus posset producere actum vitalem, posset etiàm producere actum falsum? an verò ex conceptu actus falsi oriatur specialis repugnantia, vt oriatur à solo Deo? Maxime autẽ, quòd hi Doctores, non fugiũt difficultatem argumenti: nam, quamvis Deus, non possit, se solo, producere actus nostræ voluntatis; tamen sunt nõnulli, quorum ipse est specialis Author. Peccata verò non fiunt à Deo speciali Authore; imò neque Authore: ergo eâdem ratione potest esse quæstio: vtrũ falsa intellectio possit esse à Deo speciali Authore? Tunc enim sunt eædem difficultates, quæ in quæstione: vtrùm Deus possit infundere actum falsum? Nam difficultas oritur ex speciali influxu Dei, nempè: vtrùm Deus possit esse specialis Author actus falsi? Hæc autem specialis ratio non minùs reperitur in Deo specialiter movente intellectum; quàm infundente actum falsum.

§. 52. 2. Solut. Secũdò respondent aliqui, Deũ dupliciter posse considerari infundentẽ actum falsum primum, si Deus illum infundat eo affectu, vt audiens intelligat, illàm esse mentem Dei: verbi gratiâ. Infundat Deus hũc actum falsum: *materia prima non habet propriam existentiam*: potest tunc considerari, vt illum infundens, ex animo vt audiens sibi persuadeat, Deum ita censere de materia prima. Potest item infundere illum non ex animo, vt audiens intelligat, Deum ita sentire de materia prima. Dicunt ergò, Deum non posse infundere illum actum cum tali affectu: quia hoc esset falsò loqui; posse tamẽ secũdo modo: quia tunc nõ esset loquutio. Refell. Contrà: iã ostendi disp. 13. à §. 26. ad loquutionem nõ exigi voluntatem formalem in loquente, vt audiens intelligat, à loquente sentiri obiectum, vt illud loquitur; sed sufficere voluntatem virtualem. Expedit autem disquirere: vtrùm infusio actus sit, ex natura sua, principium cognoscendi, Deum sentire obiectum, vt repræsentatur per illum actum? nam, si infusio actus facit, ex natura suâ, vt audiens sibi persuadeat, Deum ita sentire de obiecto; iam est eadem difficultas, ac si Deus haberet voluntatem formalem. Si autem infusio, ex natura sua, non ducit in eam cognitionem; iam nihil interest voluntas formalis: quia hæc spectat ad loquutionem, quando facit signa ducentia in cognitionem de iudicio loquentis: ducentia (inquam) vel ex se, vel ad placitum. Sed illa voluntas formalis Dei non facit signum, ex se, vel ad placitũ ducens in mentẽ Dei: ergo nõ pertinet ad loquutionem. Quòd si signum ducit in mentem loquentis, erit loquutio voluntas illud signum faciendi.

Vt respondeam argumento, præmitto quæ dixi contra Scotum ea disput. 13. à §. 20. verbum posse fieri esse dupliciter: primò, quando verbum, vel naturâ sua, vel ad nostrum libitum, ducit audientem in cognitionem loquentis: v.g. quãdo fit aliquod verbum, quo cognito, nobis persuademus, loquentem sentire de obiecto, qualiter repræsentatur illo verbo. Nam, quandò verba sunt eiusmodi, sunt formaliter loquutio: vt constat ex ea disp. 13. Secundò potest fieri verbum, repræsentans quidem obiectum; at neque ex instituto, neque ex natura sua, significans, sensum facientis tale signum esse, qualiter repræsentatur signo ipso: vt latè dixi contra Scotum ea disp. 13. §. 25. §. 53. Animad.

Ad argumentum ergò ex §. 50. distinguo antecedens: Deus, se solo, potest producere actum falsum, quo significetur, Deũ sentire de obiecto, vt repræsentatur actu illo, nego antecedens: id enim esset mendacium. Deus potest infundere actum falsum, quo non repræsentetur, Deum sentire de obiecto, sicut per illum repræsentatur, concedo antecedens: & nego consequentiam. Ad primam probationem, nego, illam esse loquutionem Dei: quia non quævis verbi effectio est loquutio; sed effectio verbi mentalis, repræsentantis aliquam loquutionem instrumentalem loquentis: ex qua loquutione instrumentali cognita, possit colligi, mentem loquentis esse, qualis repræsentatur per loquutionem instrumentalem. At multi sunt actus falsi non repræsentantes loquutionem instrumentalem Dei. Hi non sunt loquutiones Dei: ac propterea possunt à solo Deo fieri, absque absurdo mendacij; immò absque omni absurdo: quod clarè docuit Pater Vazquez in 1.2. disp. 90. nu. 11. & 12. Deumque posse infligere alicui errorem, in pœnam: & esse Authorem specialem illius, docuit in 3. part. disput. 61. à num. 59. §. 54. Ad argu. P. Vazq.

Antequàm respondeam ad secundã probationem consequentiæ argumenti propositi §. 55.

S. Tho. q. 1. Art. 3. fiti §. 50. adverte, dupliciter posse repræsentari loquutionem instrumentalem Dei per nostros actus. Primò, quando actus, ex natura sua, repræsentat falsò loquutionē Dei: id est, quando significat esse loquutionem Dei, quæ verè non est Dei: vt cùm quis loquutionem Dæmonis arbitratur esse Dei. Iste actus non petit oriri naturâ sua speciali ratione à Deo. Nam actus, qui non fit per loquutionem instrumentalem Dei, non est effectus Dei vt loquentis: quia Deus vt loquens includit loquutionem instrumentalem. Hic actus falsus etiàm posset fieri à Deo solo, supplente defectum caussę secundæ; nec tunc Deus mentiretur: quia nec loqueretur. Ratio à priori: quia loquutio Dei debet includere actum naturâ sua producibilem per instrumentalem loquutionē ipsius Dei: ita vt ille actus dicat ordinem transcendentalem ad realem loquutionem Dei. Vnde ille actus falsò repræsentans loquutionem Dei, connaturaliter productus non potest ducere in cognitionem ipsius Dei: ita vt nobis persuadeat, Deum sentire de obiecto, qualiter per illum actum repræsentatur: quia non repræsentat verba Dei; sed Diaboli. Item, si ille actus producatur à solo Deo, non potest nobis persuadere, Deū sentire de obiecto, vt per illum actum repræsentatur. Ratio à priori: quia ille actus nō ducit, nisi in cognitionem suarum caussarum; caussæ autem illius actus non sunt verba instrumentalia Dei: ergo in illa non ducit: ergo neque ducit in mentem ipsius Dei circa obiectum repræsentatum per actum. Probo consequentiam: quia in mentem loquentis, vt loquentis, non venit audiens, nisi cognoscendo loquutionē instrumentalem ipsius loquentis.

§. 56. Obiectio. Resp. Dices, ex productione illius actus à solo Deo, posse cognosci quid Deus sentiat de obiecto: ergo est loquutio. Nego antecedens: quia productio illa tantùm ducit in cognitionem Dei, quæ est necessaria, vt fiat à Deo; cognitio autem ita necessaria nō est nisi de substantia, & modo illius actionis. Vndè, quidquid Deus sentiat de obiecto illius actus, potest producere, & illum, & eius productionem, dummodò perfectè cognoscat actum ipsum, & modum, quo debet fieri. Itaque illa actio solùm ostendit, Deum cognoscere, quomodò sit facienda; quid autem Deus sentiat de obiecto illius actus, non potest cognosci ex vi illius actionis. Sive enim Deus assentiatur, sive dissentiatur obiecto repræsentato per actum illum; rectè cognoscit, quomodò sit faciendus, vel per concursum generalem, vel à solo ipso Deo, gerente vices caussæ particularis.

§. 57. Potest item actus repræsentare verè verba Dei: primò, vt mea cognitio repræsentat revelationem Isaiæ; hæc autem cognitio non est loquutio Dei: quia nō repræsentat eius loquutionem, vt ad me directam; neque à me auditam. Alia ratione potest actus repræsentare verba Dei mihi facta: qui actus, ex natura sua, petit fieri à Deo, vt loquente; & à me, vt audiente. Sic iste actus est necessariò verus, & quoties à Deo infunditur, Deus nobis loquitur. Vndè concludo, Deum non posse nobis infundere loquutionem suam falsam: quia nulla est possibilis. Actus autem falsos, qui non sunt loquutiones Dei, potest nobis Deus infundere (si potest producere actum vitalem.)

§. 58. Secunda ergò probatio consequentiæ argumenti ex §. 50. insinuat difficultatem: vtrùm sit absurdum à Deo infundi actum falsum; quamvis, in illius infusione, Deus non mentiatur? Nam decipere aliquem, tur pe est: sive loquutione, sive alia ratione decipiatur: vt sæpiùs dixi ex sancto Augustino. Respondeo, malitiam mendacij formaliter consistere in deformitate loquentis, qua incredibilis redditur; & in iniuria audientium. Deceptio autem audientis est peccatum independenter à mendacio, propter legem vniversalem negativam non faciendi aliquid de se aptum ad deceptionē; nisi vrgente honesta, gravi, & proportionata caussâ, quæ interdum satis excusat à culpa: ob quod ea lex non obligat semper, & pro semper. Nam, in multis casibus, in quibus tenemur non mentiri, non tenemur ita dicere verum, vt non decipiatur audiens. Possumus enim loqui, in aliquo sensu vero; quamvis decipiatur audiens: vt cùm Confessarius interrogatur à marito: vtrùm vxor confessa fuerit adulterium? potest Confessarius respondere negativè; quàvis re ipsa fuerit fœmina confessa adulterium: quia, qui sic interrogat, non habet ius, vt Confessarius ita loquatur, vt ipse non decipiatur. Vide P. Thomam Sanctium, lib. 3. in explicatione secundi pręcepti, cap. 6. à num. 14. August. Resp. P. Thom. Sanctius.

§. 59. Obiectio. Dices, non posse Confessarium directè velle deceptionem audientis; sed directè velle occultationem secreti; indirectè verò deceptionem: vt cum communi sententia Doctorum docet P. Thomas Sanctius adductus §. superiori: ergo Deus non potest infundere actum falsum: quia esset directè velle deceptionem. Respondeo, consequentiam esse nullam: quia multa Deus potest directè velle, quæ non potest homo: nam Deus potest, pro solo suo arbitratu, hominem occidere, & infatuare: quod non potest alius homo. Quia igitur error est malū phy sicum hominis, non potest alius homo illū dire- Respondet.

directè velle, sicut neque homicidiū; Deus autem potest directè velle malum physicum hominis, propter supremum in illum dominium. Vndè, cùm error sit purè malū physicū, non est cur non possit esse Deo authore; non quidē deceptore: quia deceptor est, qui, loquēdo falsa, facit audientē errare: quod repugnare Deo, iam ostendi.

§. 60. Prætereà distinguendæ sunt illæ voces *directè velle*. Nam frequenter vsurpantur pro intentione finis, siue pro voluntate, qua volumus obiectum propter ipsum: in quo sensu Doctores loquuntur. Nulli enim hominum licet, velle errorē alterius propter ipsum: nā hoc spectat ad odiū proximi: sicut non licet homini se defendenti, dare operam neci aggressoris propter ipsam, id est, non potest occidere, vt occidat. Item *directè velle* potest accipi pro electione medij: quæ electio fertur proximè in mediū ipsū. Hæc voluntas est directa respectu medij; quia verò pendet ab intentione finis honestè amati, vocatur indirecta, & materialis. In hoc sensu potest Confessarius directè velle errorem audientis, quando interrogat contra ius. Probatur primò, ab exemplo: quia, qui se inculpatè defendit, potest velle proximè necem aggressoris, electione ad illam proximè terminata. Nā potest velle illi infligere lethale vulnus: quia nex aggressoris est medium, sine quo, qui se defendit, non potest vitare necem, quam aggressor ipsi parat iniustè. Secundò, quia, in casu quo disputamus, potest contingere, vt error audientis sit medium simpliciter necessarium, ad occultandū secretum Confessionis: ergo potest Confessarius velle proximè talem errorem. Consequentia patet: quia, ad vitandum malum, quod iniustè aliquis molitur, possumus illi velle aliud malum physicum, necessarium ad eum finem: quia ille non habet ius, vt abstineamus ab illo malo: vt patet in homicidio, quod vitare possumus, inferendo malum homicidæ. Tandem, quia facimus verba, quibus audiens est erraturus, idque cognoscimus: & illa facimus, vt per illa ita audiens disponatur, vt ignoret secretum; at videmus non posse ignorari secretum absque errore audientis: ergo volumus eum errorem. Neque aliud volunt Doctores, nisi non esse per se volendum errorem; sed præcisè indirectè, vt medium. Ita Deus potest infundere errorem, vt medium iustitiæ vindicativæ, propter peccatum errantis: vt Iudex potest furem agere in patibulum. Veracitas autem diuina tantum inclinat Deum, vt faciat verba per loquutionem suam, consonantia suo iudicio.

SVBSECTIO II.

Secundum, & tertium argumentum.

SECVNDVM argumentum horum Authorum: quia error est aliquando creaturæ salutaris: ergò potest esse à Deo. Antecedens patet ex Beato Augustino, Deo gratias agente, pro errore, quò viator deflexit à tramite recto, & effugit prædonum manus. Consequentia patet: quia, quod est maius beneficium, potest nobis donare Deus. Primùm, negāda est consequentia, de errore effecto per loquutionem falsam Dei; *non enim sunt facienda mala, vt eveniant bona*. Nec verò Deus adstringitur ad mendacium, vt nobis prouideat bona, quæ ex mendacio obvenirent: cùm mille alijs rationibus possit nobis ea prouidere. §. 61. 2. Argum. B. August. Resp.

Difficultas autem esse potest, vtrū Deus possit esse caussa erroris per alium? Negat P. Valentia quæst. 1. punct. 3. §. *sed dicet aliquis*; loquitur autem apertè de mendacio cognito à loquēte, & sciente, illud esse peccatum. In quo sensu certissima est hæc sententia: quia Deus non potest esse Author peccati. P. Luisius disp. 3. dub. 2. §. *circa secundam* docet, Deum non posse per se mouere aliquem, vt per illum decipiatur alius: quia ad veritatem Dei non solùm spectat loqui verum; sed etiam nullo modo esse caussam, vt alius decipiatur. Non acquiesco: quia, quando homo loquitur ex proprijs, & non vt instrumentum Dei: item, quādo in loquutione falsa nō peccat, potest à Deo moueri ad loquutionem, per quam erraturus est audiens. Primò: quia virtus veracitatis præcisè inclinat eam habentem, vt ipse loquatur verum: quemadmodùm castitas inclinat eam habentem, ad compescendos proprios motus; velle autem vt alij sint casti, non spectat propriè ad virtutem castitatis: & quemadmodū beatitudo aliorum non est obiectum spei; ita neque est obiectum veracitatis vera aliorum loquutio. Vndè patet ad argumentum P. Luisij. §. 62. Difficul. P. Valent. P. Luisius Resp.

Secundò probatur: quia Deus potest aliquem mouere voluntate supernaturali, vt persuadeat alij opinionem probabilem falsam: ergo illa falsitas potest oriri specialiter à Deo. Consequentia patet: quia illa falsitas oritur specialiter à loquutione amici; amicus autem, Deo authore, fuit motus ad loquendum: ergo, Deo authore, fuit motus ad illam falsitatem; non quidem formaliter, vt falsitas est; sed materialiter. Antecedens probo hoc casu: Petrus persuadeat sibi §. 63.

§. 68. 1. Impug. Habeo adversus hoc argumentum non pauca: ac primum ex testimonio Ioannis nihil concluditur: quia multi graves Authores legendum putant: *nondum ascendo*; alij: *non ascendo nunc*: quo solvitur omnis quæstio: quia Christus non ascendit tunc quando id dixit: tunc enim nondum ascendit, id est, nondum advenerat tempus, quo ascenderet. P. Maldonatus expungendas vult eas duas voces: *nondum*, *nunc*: & legendum: *non ascendo*. Arbitror autem eumdem esse sensum, his vocibus reiectis, & admissis: quia Christus D. vsurpavit tempus præsens, in rigore, ita vt vsurparetur pro illo tempore præsenti, quo illis præcepit vt ascenderent; eo autem tempore non ascendit. Quod significant Authores adductis illis vocibus: *nondum*, *nunc*: quæ non sunt necessariæ ad reddendum hunc sensum; quamvis, si qua illarum esset adiecta, hunc efficeret apertius. Et quidem frequenter loquimur, in hac significatione: vt si quis dicat: *ego non prandeo*, non significat se numquàm prandere; sed tunc non prandere. Illa autem propositio non redditur falsa, ascẽsu Christi tempore sequenti, quo ascendit aliquantò post discipulos. P. Maldonatus alios sensus adducit suos, & aliorum; facillimus autem est, Christum non ascensurum manifestè, vt rogabatur à discipulis; ascendit autem magis occultè.

P. Mald.

§. 69. 2. Impug. Secundò ineptè dicunt, mutatione obiecti, mutatam fuisse cognitionem fidei discipulorum de vera in falsam: quia, quamvis Christus voluntatem mutasset; tamen nõ fuit mutatum obiectum: quia ego possum dicere: *ego non disputabo*: deinde, mutata voluntate, disputo. Hoc obiectum numquàm fuit mutatum: quia, si consideretur instans, quo ego disputaui, nũquàm in eo fuit carentia disputationis; sed toto tempore antecedenti illud instans, disputatio fuit futura; existente autem illo instanti, disputatio fuit præsens. Ergo discipuli non exercuissent actum verum ex revelatione Christi; sed potius exercuissent falsum: quia, cùm ascensus Christi esset futurus, sibi persuaserunt, eum non esse futurum; assensus autem fidei pendet ab hac revelatione. Posteà verò videntes ascensum Christi, exercuissent actum verum: non ob testimonium Christi; sed ex se evidentẽ: ergo actus ille fidei non esset mutatus de falso in verũ, aut è contrà; sed duæ cognitiones diversorum habituũ sibi successissent. Igitur actus ille fidei, ob solam mutationem obiecti, non haberet vicissitudinem veri & falsi.

§. 70. Præterea, probo argumentum esse puerile: quia Deus, facta revelatione, potest quidem absolutè efficere oppositum; non tamen ex suppositione: id est, etiàm facta revelatione de non creando alio mundo, v. g. Deus retinet potentiàm, quæ secũdùm se considerata potest efficere alium mundum secundùm se consideratum: quia respectus mundi ad Deum, & Dei ad mundum, non adimitur voluntate, aut revelatione de eodem non faciendo. Vndè manet in Deo potentia in actu primo ad alium mundum; ex suppositione autem manet impotentia illũ faciendi: id est, non potest componi mundus cùm voluntate Dei de illo non faciendo. Ratio est manifesta: quia non possunt componi duæ voluntates efficaces contrariæ de eodem obiecto; neque possunt componi mundus & carentia sui. Quemadmodùm ego habeo potentiam ad sedendum, & standum: item, ad assensum, & dissensum; non tamen possum simul stare & sedere; assentiri & dissentiri: quia, quamvis potentia ad assensum, & dissensum, non habeat oppositionẽ in se, cùm sit eadem; opponuntur tamen assensus & dissensus, qui sunt effectus eiusdem potentiæ. Neque verò per dissensum tollitur potentia ad assensum; sed determinatur ad alteram partem; determinatio autem potentiæ ad vnam partem, rectè potest componi cum potentia ad oppositam. Ad argumentum ergò, concesso antecedenti, nego cõsequentiã: quia argumentũ sumitur à sensu diviso ad cõpositum: id est, à potentia simpliciter ad potentiã componẽdi effectus contrarios. Nam posse fallere dicit, posse componi effectum cum visione & voluntate de effectu contrario: vt, si quis ita argumentaretur: *qui stat, sedere potest: ergo potest componere sessionem & stationem*. In scientia autem Dei haberet vim argumentum: quia Deus, cum visione Petri, retinet potentiam non faciendi eumdem Petrum: ergo Deus potest decipi. Ad argu.

§. 71. 3. Impug. Tandem, quamvis Deus posset mutare consilium; adhuc numquàm nos falleret. Sanè, si Deus esset incõstans, etiàm esset fallax: quia, admissa vna imperfectione, alias etiam caperet. Formaliter tamen, ex conceptu inconstantiæ, non sequitur eius revelationem esse falsam: quia revelatio non pendet ex contingentia voluntatis, & omnipotentiã Dei; sed oritur ex scientia ipsius Dei de obiecto revelato. Quæ scientia falli non potest: quia, quamvis Deus possit efficere oppositum; tamen alteram partem contradictionis efficiet. Illam ergò, quam efficiet, videt; & illam, quam videt, revelat; & eam, quam revelat, cognoscit fides. Quẽadmodùm, si scientiã infusa ego videam, quid facturus sit Petrus, non possum falli; quamvis Petrus per inconstantias mille, millies consilia mutet. Vndè, si Deus non est

S.Tho.q. 1.Art. 3. est facturus mundum, non potest revelare, se illum facturum; revelavit autem se illum velle facere, aut non velle: quia verum est, ita velle, aut non velle. Ratio à priori: quia revelatio Dei est ipsius loquutio; loquitur autem Deus res, non aliter, ac de illis sentit: ergo præcisè, ex solo conceptu inconstantiæ, non sequitur Deum mentiri.

DISPVTAT. XIX.

Utrùm fides aliunde posit esse falsa?

§. 1. IXI disp. 17. §. 2. Fidem vt sic ex triplici capite posse esse falsam. Primò, ex testimonio falso, cui nititur, vt frequenter accidit, quando credimus ob testimonium humanum, quod est falsum plerumque: de quo egi disputat. 18. Nunc ergò disquiro, vtrùm fides Catholica posit esse falsa ex testimonio, cui nititur? an videlicèt actus fidei habere possit, pro obiecto formali, testimonium Dei prudenter existimatum; non verò existens re ipsa? Quamvis enim testimonium Dei existens habeat inseparabilem veritatem; potest tamen aliqua fides non attingere testimonium re ipsa Dei, sed apparenter Dei; re autem ipsa, aut Dæmonis præstigiantis, aut alius creaturæ. Item, potest obiectum mutari, & actus priùs verus, esse deinceps falsus, in multorum opinione. Est igitur quæstio, de his duobus eventibus, in fide supernaturali.

SECTIO I.

Sententiæ variæ.

§. 2. 1. Sentent. Holch. Maior. PRIMA sententia sit, fidei actus posse esse falsos ex natura rei, & re ipsa nonnullos ita fuisse. Hæc conclusiò est Holchoti, quem adduxi disp. 18. §. 4. Nec alium Catholicum vidi, aut audivi ab ea sententia. Maior enim asseverans posse actum hunc in substantia esse falsum, dixit eum tunc non fore fidei: quamvis ergò ineptè ea in parte ratiocinatur; non tamen admittit actum fidei falsum. Non dissentientur, qui existimant posse prudentiæ actum esse falsum; hi tamen possunt exponi de prudentia antecedenter, non verò formaliter. Nam prudentia verè & formaliter dictat, expedire levamen huius inopis; licèt tale dictamen practicū supernaturale supponat hoc iudicium falsum naturale, v.g. *hic homo est inops*. Nec tamen benè adducuntur: negabunt enim esse in fide rationem eamdem.

§. 3. 2. Sentent. Godam. Aliacus. Almain. Gabriel. Secunda sententia est, actum fidei non posse ex natura rei esse falsum; posse tamen de potentia absoluta. Ab hac sunt Adamus, Godamus, Aliacus, Almainus, & Gabriel adducti disp. 18. §. 48. & 49. Vide tamen quos ego ibi excusaverim.

§. 4. 3. Sentent. Tertia sententia est, nullo modo posse actum fidei esse falsum; sed terminos implicari in assensu fidei Catholicæ, sive Theologicæ falso.

SECTIO II.

Fides supernaturalis Theologica non potest naturaliter esse falsa.

§. 5. Conclus. 1. Probat. Trident. HÆC conclusio est certa de fide: est enim definita Tridenti. sess. 6. cap. 9. Vbi asseritur, fidei nō posse subesse falsum: quod verum est saltem ex natura rei. Item can. 16. *Siquis magnum illud vsque in finem perseverantiæ donum se certò habiturum, absoluta, & infallibili certitudine dixerit; nisi hoc speciali revelatione didicerit: anathema sit.*

§. 6. Obiectio. Refellit. Obijcies, ibi nihil definitum à Concilio; sed obiter tantùm id assertum. Contrà: Cōcilium ex instituto confutat inanem hæreticorum fiduciam, quâ citra dubitationem sibi persuadent, se esse in gratiâ, & perseveraturos vsque in finem. Ait Concilium, id non posse contingere, nisi per fidem, quæ, sine revelatione speciali, esse non potest ea de re.

§. 7. 2. Probat. Secundò probatur conclusio ab incommodo: quia nihil esset certum, si ex natura rei possemus decipi. Actus enim certus est, qui oritur à principijs, quæ non possunt producere actum falsum: inaniter ergò Ecclesia à nobis exigeret assensum certum sine formidine, si assensus esset expositus falsitati.

§. 8. 1. Obiectio. Obijcies primùm, prudentiam supernaturalem esse posse falsam: ergo & fidem. Consequentiam probo: quia, si qua ratio obesset, maximè supernaturalitas; hæc autem non obest: nam etiàm prudentia est supernaturalis: ergo. Antecedens probatur: quia prudentia dictat, levandam esse inopiā huius egeni; cum tamen non sit levanda: quia

quia non est verè egenus ; sed simulatè.

Resp. 1. Respondeo primùm, negando antecedens. Ad probationem respondeo, prudentiam nihil asserere, aut negare speculatiuè de inopia illius hominis ; sed tantùm exercere duo iudicia certa: primum, credendam esse inopiam, quæ proponitur prudenter; secundum, eam sic creditam esse depellendam. Interdum autem exercet hoc: *hic & nunc est levandus hic homo ; licèt non satis evincat suam egestatem.* Ratio autem est aperta : quia minus incommodum est erogare stipem non egenti; quàm negare egenti.

§. 9. *Resp.* 2. Secundò respondeo, consequentiam non esse bonam in aliquo sensu. Qui enim admittunt, actum fidei esse certum, non ex conceptu supernaturalis actus; sed ex definitione Concilij, & absurdo: non admittent consequentiam, admittendam ab ijs, qui moventur ex conceptu supernaturalitatis. Absolutè consequentia non est bona in omnibus probationibus : quia absurdum de incertitudine, & definitio Concilij reperitur in actu fidei; non tamen in actu prudentiæ.

§. 10. 2. *Obiectio* Obijcis secundò : habitus voluntatis infusi versantur circa obiecta falsa : ergò & fides. Probo antecedens : quia Iacob actu honesto congresus est cum Lia, quæ non erat eius vxor. Sæpè item honestè privatur aliquis fortunis suis: quia prudenter censentur esse alienæ. *Resp.* Respondeo, actum voluntatis non esse repræsentationem obiecti, nec in sua perfectione pendere ab eo, vt est, vel non est; tendit autem in suum obiectum sub ratione formali honesta. Misericordia amore strictò amat levamen inopis propter ipsum : quod quidem honestum est, & ad hoc levamen movemur propter eamdem rationem formalem. Hunc verò hominem non esse inopem non reddit misericordiam imperfectam: quia sequitur dictamen prudentiæ supernaturale, quo iudicamus levandũ inopem, qui talis censetur prudenter ; & congrediendum cum fœmina, quæ tã prudenter censetur propria, vt nulla posit esse ratio dubij. Semper ergò amatur bonum cognitum prudenter vt tale; cognitio autem tendit in obiectum, illud repræsentans, vt est : in quo sita est eius perfectio. Quod si obiectum non est, vt cognoscitur, non cognoscitur benè.

§. 11. 3. *Obiectio.* *Resp.* Obijcis tertiò: actus supernaturales possunt ex natura rei vitiari : ergò & fides esse falsa. Distinguo antecedens : possunt vitiari ab extrinseco, & ex concursu aliorum habituum, transeat antecedens; possunt vitiari ab intrinseco, & vt oriuntur ab habitu supernaturali, nego antecedens, & consequentiam : quia actus fidei oritur ab habitu fidei circa obiectum infallibile ; etsi esset falsus, ab intrinseco id haberet. Fides potest, se sola, concurrere ad actum, sub divina revelatione, adæquatè : item & cum habitu naturali. Certè ille circa suum obiectum est necessariò verus : esto circa alia, vt oritur ab habitu naturali, posit esse falsus: (quod etiam est falsum) : at sanè iam actus ille, vt est fidei, non posset esse falsus.

Hinc obijcies quartò : actus supernaturalis potest esse ab intrinseco malus ex natura rei : ergo & fides falsa. Probo antecedens : quia voluntas confitendi peccata, cum qua efficitur Sacramentum Pœnitentiæ est supernaturalis ; & hæc sæpius est ab intrinseco mala : ergo. Probo minorem: quia sæpè eligimus hunc Confessarium ex inani gloria, aut alio affectu leviter malo. Nego antecedens. Ad probationem, distinguo minorem : ista voluntas, cum qua efficitur sacramentum, est mala ; nego minorem ; alia illa coniuncta, concedo minorem. Ad probationem respondeo, voluntate supernaturali pertinente ad sacramentum non amari gloriam inanem. Tunc enim exercentur duo actus : alter supernaturalis honestus; alter naturalis malus. Quòd si hic tantùm exerceatur, non conficitur sacramentum : vt nec conficitur dolore turpi. Et si pœnitens id animadvertat, aut ignoret culpate, peccat graviter contra leges eius sacramenti ; si autem id inculpatè prætereat; nec peccat, nec sacramentum perficit : vt multas ob caussas non raro contingit. Vide disput. 46. à 32. §. 12. 4. *Obiectio* *Resp.*

Quintò obijcies : fides mutari potest de vera in falsam ex natura rei : ergo potest esse falsa. Probo antecedens : revelet Deus Petrum currere, & dicat fidelis : *Deus revelat Petrum currere : ergo Petrus currit:* perseveret in hoc actu aliquandiu, quando nec Deus revelat cursum, nec Petrus currit : tunc perseverat idem numero actus, qui initio fuit verus, deinde falsus. Nego antecedens. Ad probationem respondeo, syllogismum fidei esse hunc, expresis verbis, aut saltem mente : *omne, quod Deus revelat, est, vt ab ipso revelatur; revelat Petrum currere : ergo Petrus currit, vt à Deo revelatur.* Cursus hoc syllogismo accipitur, vt subest revelationi, & sic mutari non potest : quia revelatio est ex ipsius cursus suppositione, qua facta, mutari non potest. Cessante autem revelatione, aut perseverat idem actus, eam referens ad instans, quo extitit, vt vniversim dixi disputatione nona de Anima à §. 63. aut mutatur actus fidei infusæ pro alio naturali: §. 13. 5. *Obiectio* *Resp.*

S. Tho. q. 1. Art. 3. quia infusa numquàm exerceretur, nisi circa revelationem Dei vt existentem. Rationem reddam sectione sequenti.

§. 14. 6. Obiect. Vltimò dices: esto non mutetur actus fidei actu pendens à revelatione; certè actus supernaturalis non pendens actu à revelatione poterit esse falsus. Resp. Respondeo, de illo actu nihil dixisse Concilium; sed nec poterit esse falsus: quia, licèt non pendeat actu à revelatione proximè; pendet tamē remotè, per speciem impressam relictam à syllogismo fidei, quæ obiectū refert ad circumstantias revelationis; non verò ad alias.

SECTIO II.

Nec de potentia absoluta.

SVBSECTIO I.

Conclusio, & Authores.

§. 15. Conclusio. ASSERO prætereà, actum Fidei infusæ non posse divinitùs esse falsum; sed implicari terminos in actu fidei Catholicæ, seu infusæ, falso. Hæc cōclusio nō est definita vt prior; est tamē tàm vera, vt eam certam existiment omnes Theologi, duobus illis, aut tribus vetustis exceptis. Nec auderem ego asserere, temeritate vacare secundam sententiam propositam §. 3. A nostra sunt Magister in 3. dist. 23. versu, *ait enim*: vbi ex fide infert infallibilem eventum liberum creditum: quia impossibile est credi, & nō evenire. S. Bonavētura dist. 24. a. 1. quæst. 1. fidem censet tàm infallibilem, ac Dei præscientiam, quam sequitur: cui consentiunt asserentes, fidem esse tàm certā, quàm Dei visionem. S. Thomas in dist. 23. q. 2. a. 4. quæstiunc. 1. ad 2. asserit, fidem esse infallibilem ex prima veritate, qua movetur, & cui repugnat falsitas; in dist. autem 24. quæst. 1. art. 1. quæstiunc. 1. idem repetit de obiecto formali: 2. 2. quæst. 1. artic. 3. idem probat apertè: quia fides nihil attingit; nisi sub prima veritate, sub quam non potest cadere falsum.

Magist. S. Bonnau. S. Thom.

§. 16. Caiet. Alex. Duran. Quod confirmat Caietanus ibidē. Alexand. 3. part. quæst. 68. num. 7. art. 1. ait, fidei non posse sub esse falsum magis, quàm primæ viritati. Durandus in 3. disput. 24. quæst. 2. existimat, fidei esse æqualem repugnantiam ad falsitatem, ac visioni, & veritati divinæ. Ab eadem opinione sunt omnes Theologi antiqui, atque recentes: è quibus P. Suar. disp. 3. de fide; sectione 13. num. 1. censet, certum esse, fidem non esse de revelatione apparente tantum; sed existente; num. autem 6. censet absurdum contra Maiorem, posse actum fidei esse falsum. Lorca disp. 10. num. 4. oppositam censet temerariam. Recognosce Bañez, & Aragon in hunc articulum. 3. P. Valentiam to. 3. disp. 1. quæst. 1. par. 3. P. Luisiū disp. 3. dub. 3. & P. Ægidium disp. 6. dub. 9. num. 22. & disp. 10. à num. 78.

P. Suar. Lorca. Bañez. Aragon. P. Valen. P. Luis. P. Ægid.

SVBSECTIO II.

Prima probatio.

§. 17. 1. P. Conc. nis. ARGVMENTVM primum Authores oppositæ sententiæ movētur: quia fides potest divinitùs terminari ad revelationem Dei non existētem realiter, sed apparentem; hoc esse nō potest: ergò fides non potest, etiam divinitùs, esse falsa. Probo minorem: quia, si id posset esse de potentia absoluta, posset etiā esse de potentia ordinaria; hoc autem est contra Concilij Trident. definitionem: ergò. Probo maiorem: obiectum fidei, & cuiuscumque actus, est illis connaturale, sed, per te, revelatio apparens est obiectum fidei: ergo est illi cōnaturale obiectum. Probo maiorem: quia actus & habitus sunt circa obiecta, quæ ipsi respiciunt per suas essentias, ab ipsis specificatas obiectis; immò tàm cōnaturalis est tendentia actuum in obiecta, vt concipi distinctè non possint, nisi illa connotando.

§. 18. Confirm. Confirmatur: visiones externæ nō possunt de potentia absoluta tēdere in aliquod obiectū formale, quod nō sit lux, & color itē cognitio de solo Petro, non potest divinitùs esse de alio obiecto: ergò cognitio fidei de revelatione Dei, vt existente, non potest esse de alia revelatione: quia revelatio apparens tantùm, & quæ non est Dei, non est revelatio Dei, sed alius. Ratio à priori: quia actus sua essentiâ attingit obiectum, & qui aliquod attingit, non potest aliud attingere, nisi mutata essentiâ.

§. 19. 1 Obiectio. Obijcies, actum fidei qui semel est de revelatione Dei, vt existente, non posse esse de alia revelatione, ob rationem redditam; habitus autem fidei potest exercere plures actus: alios circa revelationem Dei; alios circa existimatam esse Dei: vnde aliquis actus fidei potest divinitùs esse falsus. Contrà: ergo aliquis actus fidei, vt termi-

terminatus abstractivè ad revelationem Dei, vt existentem, nec divinitùs potest esse falsus. Quod quidem negant ij Authores: primùm; quia non est contra conceptum actus abstractivi, terminari ad obiectum contingens, vt existens; cùm tamen non existat: secundò, quia potest mutari obiectum, & cum illo veritas actus: tertiò, quia non est de conceptu primario, aut secundario actus supernaturalis, tendentia omninò infallibilis in obiectum. Hæc omnia, ex illorum sententia, probant, posse actum fidei esse falsum: quæ iam deseruntur, vt absurda, in hoc actu.

§. 20. Deinde, si habitus potest exercere illos duos actus, potest quidem ex natura rei: ergo non est certa ex natura rei, contra definitionem Concilij. Probo antecedens: habitus, proposito obiecto, & conditionibus alijs, potest naturaliter exerceri circa illud; sed obiectum fidei proponitur ex natura rei, cum conditionibus ad credendam revelationem non existentem: ergo ex natura rei potest fides circa illam exerceri. Malè ergò dixit Concilium, esse absolutè infallibilem.

§. 21. 2. Obiectio Refell. 1. Obijcies secundò, non terminari ad revelationem alienam, sed ad Dei; hæc autem potest non existere; sed tantùm apparere prudenter. Contrà: ergo ex natura rei potest fides esse falsa. Probo consequentiam: ex natura rei potest proponi prudenter revelatio possibilis Dei, vt existens; cùm tamen non existat: ergo circa illam potest exerceri actus falsus fidei infusæ ex natura rei. Probo antecedens: quia possunt alicui proponi tot argumenta, ad persuadendam existentiam revelationis Dei, vt prudenter moveatur: quod dixi sæpè. Consequentia autem probatur ex §. 17. quia circa obiectum proprium sufficienter propositum, exerceri potest habitus ex naturâ rei.

§. 22. Refell. 2. Contrà secundò: quia potest prudenter proponi, vt revelatio Dei, aliqua, quæ non sit Dei: vt enim, per te, revelatio Dei non existens, potest prudenter proponi, vt existens; ita revelatio non Dei, potest prudenter proponi, vt Dei: ergo potest exerceri fides erga revelationē Dæmonis, prudenter existimatam Dei; vt circa non existentem, prudenter censam existere. Ea ratione Concilium nationale Africanum, cui præfuit S. Cyprianus, existimavit, Deum revelasse, rebaptizandos hæreticorum filios: quæ revelatio multis persuaderi potuit prudenter; cùm tamen illa fuerit error: ergo fide infusa poterit aliquis errare ex natura rei. Concil. Afric.

§. 23. Hinc deduces, fidei obiectum formale non esse revelationē Dei re ipsa, nec primam veritatem re ipsa revelantem; sed esse revelationem Dei, & primam veritatem abstractam à realitate, & falsitate. Primam autem veritatem realiter, esse speciem quandam obiecti formalis, contentam sub prima veritate. Veritatem item primam falsam, apparenter propositam, esse aliam differentiam: vt visus formale obiectum est calor; albedo verò, & nigredo differentiæ. Ratio autem formalissima abstracta est à prima veritate reali, & apparenti. Vnde fides non est virtus Theologica, cuius formale obiectum & primarium sit Deus: cùm circa aliud obiectum formale, & materiale, versari posit.

SVBSECTIO. III.

Secunda probatio.

§. 24. 2. Probat. SECVNDO probatur: quia aliâ horum Authorum ratio est; quòd actus abstractivus de obiecto contingenti potest reddi falsus; sed fidei plures actus sunt abstractivi de obiecto contingenti: ergo possunt esse falsi. Probant maiorem: quia, perseverante eodem numero actu, potest mutari obiectum; hoc autem mutato, actus redditur è vero falsus: ergo. Sed hoc potest divinitùs contingere fidei: ergo. Probant minorem: quia ex nullo capite repugnat: non ex obiecto, quod contingens est; nō ex supernaturalitate actus: quia huic satis est connexio naturalis cum obiecto; supernaturaliter autem connecti, non est de illius conceptu. Nam actus est supernaturalis: quia est connexus ex natura sua cum gratia sanctificante, & cum obiecto. Hæc est præcipua illorum ratio. Cui argumento respondebo, §. 42.

§. 25. Almain, Adam. Sed hoc probat, posse ea contingere ex natura rei, vt vidimus ex Almaino, & Adamo: ergo fides potest esse falsa ex natura rei. Probo antecedens: quia obiectum huius actus, per te, est obiectum contingens abstractum ab existentia reali, & falsa; dum tamen prudenter existimetur existere: at verò actus perseverare potest ex natura rei, perseverāte suo obiecto: ergo actus fidei potest perseverare, mutata existentiâ obiecti, & de vero reddi falsus. Minor est certa: quia, perseverante caussâ adæquata actus, potest hic naturaliter perseverare; caussæ autē efficientes perseverant, nempè, intellectus, species impressa, & id genus alia. Obiectum item perseverat: est enim

S.Tho.q. 1. Art. 3. enim obiectum contingens prudenter censum existere. Maior autem probatur: quia, nisi obiectum esset ita abstractum, non posset actus divinitùs perseverare, obiecto amoto: ergo ideò potest perseverare, quia obiectum idem manet in ratione obiecti. Probat antecedens: quia actus nec divinitùs esse potest circa aliud obiectum distinctum à suo: ergo vel obiectum eius actus est res contingens abstracta ab existentia reali, & falsa, dum appareat prudenter; vel alioqui, amoto obiecto, nec divinitùs potest perseverare.

§. 26. *Confirm.* Confirmatur: obiectum illius actus, aut est res, vt existens realiter determinatè? sic, mutato obiecto, & non existente realiter, non potest divinitùs manere actus: quia non potest esse actus sine obiecto. Tunc etiam esset actus ordo transcendentalis ad existentiam obiecti, vt exercitam; ablato autem termino, aufertur & ordo. Aut est obiectum indifferens ad existendum, & non existendum; & apparenter tantùm existens? sic, licèt obiectum non existat; adhùc manet in ratione obiecti illius actus: ergo non est, cur actus mutetur ex natura rei. Quamvis enim sit supernaturalis; tamen perseverare potest naturaliter, dum perseverat obiectum. Neque hac in parte non differt à naturali: nam vterque enim perseverat, aut avolat, obiecto perseverante, aut avolante; ergo vel ex natura rei actus fidei potest esse falsus, contra definitionem Concilij; aut nec divinitùs.

§. 27. *Obiectio.* Dices, actus intuitivos posse divinitùs perseverare, mutato obiecto; non tamen naturaliter: ergo non rectè infertur in actibus fidei, eos posse esse falsos naturaliter, ex eo quòd possint supernaturaliter. Antecedens constat ex disput. 10. de Anima, §. 5. & 6. Concedo antecedens, & nego

Resp. consequentiam: quia obiectum sensionis non est existentia obiecti, vt exercita: sensus enim nihil affirmat de ea existentia; sed tantùm terminatur ad albedinem, per speciem productam ab albedine existẽte, dum autem nihil dicitur de existentia, vt exercita, non attingitur sub ratione existentiæ exercitæ. At affirmatio evidens mentalis de tali existentia mutatur, in mea opinione; vel si non mutatur, ideò est: quia eius obiectum non est existentia, vt exercita; sed vt apparens. Et si ex natura rei non mutatur, est propter speciem impressam, datam ab obiecto existente: quo item non existente, perit species impressa, & actus ab ea pendens. At actus fidei affirmat revelationem, vt exercitam, & obiectum vt existens: si ergò existentia vt realiter exercita est eius obiectum, eâ mutata, non potest idẽ actus divinitùs manere. Quòd si existentia, vt realiter exercita, non est obiectum, eâ mutata, tempore sequenti potest naturaliter manere idem numero actus, redditus ex vero falsus ex natura rei. Nam actus fidei non pendet ab existentia reali revelationis, nisi terminativè; effectivè autem non pendet immediatè: quia non concurrit immediatè activè ad fidem, nec ad speciẽ impressam, qua producitur actus fidei: quæ species conservari potest naturaliter, obiecto non existente. Vndè, obiecto non existente, posset actus fidei naturaliter conservari: quia nec deesset obiectum, nec species impressa. At existentia obiecti sensibilis, quamvis nõ cognoscitur, vt existens; tamen, vt existens, est principium immediatũ cognitionis; vel speciei impressæ, quæ cõservari non potest naturaliter, nisi existente obiecto. Si autem divinitùs conservetur, poterit perseverare cognitio: est ergò ratio valdè diversa. Vndè connaturale obiectum actus fidei erit revelatio, non vt existens; sed vt apparens: nam, vt est apparens, obiectum terminativum, productivum, sive motivum esse potest naturaliter, quin existat: quia species non datur immediatè ab ipso: ergo.

SVBSECTIO IIII.

Tertia probatio.

TERTIA probatio est ab absurdo: non enim essemus certi, omnes veritates fidei esse veritates; sed possemus meritò dubitare, vtrum essent falsitates? hoc autem est hæreticum: quia etsi Angelus oppositũ docuisset; tamẽ esset audiendus. Item fides Catholica exercet actũ sine formidine: ergo. Probo maiorem: quia, dum non sumus certi, attingi obiectũ formale de se infallibile, possumus meritò formidare; sed, ex hac sententia, non attingimus obiectum formale de se infallibile: ergo meritò possumus dubitare. Probo maiorẽ ex Concilio Tridentino sess. 6. can. 16. dũ asseruit, non posse sine speciali revelatione credi certò, & sine formidine, privilegiũ perseverãtæ finalis: vbi absolutã, & infallibilem certitudinem in credẽdo adscripsit revelationi. §. 28. 3. Probat. *Trid.*

Secundò probatur eadem maior propositio: quia infallibilitas actuum sumitur ex obiecto formali, & modo illud attingendi; sed, in hac sẽtẽtia, nec obiectũ ex se est infallibile; nec modus attingẽdi: ergo absolutè possumus carere certitudine absoluta in credẽdo. Minor probatur: quia obiectũ formale §. 29.

nec

nec est revelatio Dei determinatè, vt existens re ipsa. Item modus supernaturalis potest ex se esse falsus: ergo ex nullo capite possumus habere absolutam, & infallibilem certitudinem in credendo.

§. 30. *Obiectio.* *Refell. 1.* At dices; omnia, quæ credimus, proposita esse ab Ecclesia, quæ falli non potest ex natura rei. Contrà: habitus infusus potest falli divinitùs: ergo multo melius Ecclesia, carens principio certiori fide. Secundò: si obiectum fidei non est prima veritas, vt realiter revelans; sed tantum prudenter credita revelans: ergo Ecclesia non habet fundamentum, vndè conijcere posit, revelationem ab ipsa propositam nobis ad credendum, esse infallibiliter, absoluta, & infallibili certitudine credendam; sed tantùm cum formidine. Nam Ecclesia non potest proponere revelationem, nisi accommodatè ad fidem Catholicam, quæ fides accommodatè terminatur ad revelationē, existimatam prudenter esse à Deo loquente. Quòd si Ecclesia vult, fidem exerceri sine formidine; ideò est, quia fides Catholica non potest aliter exerceri, eo quod sit de revelatione, vt existente realiter. Quapropter *Trident.* sess. 6. Concilij Trident. cap. 9. fine, asseritur, non posse fide infusa, cui falsum subesse non potest, credi aliquid, dum est aliqua ratio formidandi.

§. 31. Tandem esto, nec fides, nec Ecclesia falli posint ex natura rei; at de facto multa Deus exercet per potentiam absolutā: quia non est adstrictus ad vtendum semper ordinaria potentiâ. Qui ergo scimus, vtrùm in nostro casu, Deus vsus fuerit potentiâ absoluta, necne? Ecclesia enim tātū potest nobis persuadere, rem infallibiliter esse credendam, vt est infallibilis; sed est infallibilis tantùm ex natura rei, & non de potentia absoluta: ergo debemus credere infallibiliter, rem esse ex natura rei, vt proponitur; non verò absolutè in ordine ad omnem potentiam.

§. 32. Pone, Deum nihil revelasse de æternitate pœnarum; posse tamen satis prudenter existimari revelationem: si Ecclesia hanc proponat, exercebitur fides infusa circa illud obiectum, & erit falsa; hoc autem posse contingere, patet ex tua sententia. Quòd si fides ita exercenda est, non poterit etiàm Ecclesia falli? Item exercenda est fides per applicationem revelationis ab Ecclesia, aut alio motivo sufficienti. Hæc autem vndè scimus non contigisse? Ob quod dixi disputatione superiori, si Deus posset fallere de potentia absoluta, nihil fore certum in Ecclesia: quia nescimus, vtrùm vsus ea absoluta potentiâ, nos per Ecclesiam fefellerit? Posset enim nos fallere. Idem dico de passiva deceptione: si possumus vtentes fide decipi ipsius vsu, vndè scimus nos non decipi de facto, vtente Deo sua potentiâ absoluta?

Hùc faciunt aliæ coniecturæ. Concilium tribuit fidei absolutam, & infallibilem certitudinem ex revelatione verè Dei, vt existente; sed hæc certitudo est immutabilis in revelatione, non minus, quàm in præscientia, & loquutione Dei: ergo fides est in ordine ad omnem potentiam infallibilis. Item scientiam naturalem esse postponendam fidei: ergo hæc est magis infallibilis, quàm illa. Concilium etiàm dixit, fidem esse absolutè infallibilem. Nec obstat quòd Angelus sit absolutè immortalis, quamvis de potentia absoluta posit perire: quia, in hac materia, *infallibile* sumitur etiàm divinitus: sensus enim infallibiles sunt naturaliter, ad inferendam in intellectu substantiam ex accidentibus; & tamen absolutè dicuntur falli, & fallibiles. Item, cùm quærimus medium divinæ præscientiæ; quærimus illud omninò infallibile. Denique constituunt ij Authores divinam fidem tàm ægram, quàm humanam; & actus supernaturales tàm viles, quàm naturales: non alia ratione, quàm, quia ita volunt, exponentes altè (vt aiunt) sententias, oppositas communissimis, & receptissimis ab omnibus Theologis. §. 33.

SVBSECTIO. V.

Vltima probatio.

NONNVLLI censent, rationē esse: quia credimus auxilio speciali Dei; sed eiusmodi auxilium non est ad actum falsum: ergo. Respondeo, auxilium immediatè versari circa piam affectionem, quæ est supernaturalis, idque ex speciali gratia per Christum. Hæc pia affectio semper exercetur per actus prudentiæ veros; at aliquando potest inclinare ad actus imperatos falsos. Nam rusticus potest simul exercere fidem veram, & falsam, quādo proponuntur duæ revelationes: altera vera, altera apparens; tunc autem ex affectione pia exercetur actus vterque, & rusticus peccaret, si alicui dissentiretur: de quo egi disput. 14. Item iam ostendi disput. superiori, §. 63. posse aliquem, ex affectu charitatis, velle persuadere amico opinionē falsam, quam putat veram. Ratio à priori: quia pia affectio potest imperare omnem actum, quem censemus esse verum: vt per alias virtutes amamus obiectum prudenter censum bonum. §. 34.

S.Tho.q. 1. Art. 3. §. 35. *P. Vañez. Lorca. Impugn.* Magistri Bañez & Lorca, cum alijs frequenter censent, fidem esse virtutem intellectualem; de ratione autem virtutis intellectualis est attingere veritatem: sicut de ratione virtutis moralis est, attingere bonitatem. Hæc ratio deberet ostendere, quo pacto habitus obscurus sit virtus. Adversarij enim dicunt, eum esse virtutem imperfectam: quia tendit in revelationem prudēter propositam; non tamen esse virtutem perfectam. Deindè probandum superest, repugnare omni veritati intellectuali falsitatem: nam alicui habitui naturali evidenti potest de potentia absoluta subesse falsitas, vt ostendi disp. 8. de Anima: qui habitus est virtus intellectualis. Præterea virtuti inttellectuali evidenti non potest subesse falsitas propter evidentiam; fides autem est obscura: ergo non est eadem ratio de hac, & alijs. Tandem virtutes voluntatis aliquando tendunt in bonum, solùm apparens: vt cùm quis, ex affectu misericordiæ, vult levare inopiam apparentem hominis divitis, quem prudenter censet egenum. Ratio à priori: quia ad rationem virtutis sufficit directio prudentiæ, quæ dictat, subveniendum illi, quem prudenter censemus egenum: ergo etiàm sufficiet revelatio prudenter proposita; quamvis non existat, vt circa illam exerceatur fides infusa: vt exercetur infusa eleemosyna circa apparentem inopiam, & non existentem.

§. 36. Tertiò argumentantur alij: quia nullus habitus per se infusus potest esse de obiecto malo: ergo neque de falso. Antecedens probant: quia omnis habitus infusus est à Deo authore speciali. Cōsequētia negari potest: quia malitia moralis non potest esse à Deo, nisi permittente; falsitas autem est malum purè physicum, quod potest à Deo specialiter oriri, vt ostendi disp. superiori. Tandem virtus infusa potest versari circa obiectum re ipsa malum; quod tamen prudenter censetur esse bonum. Vt malum est realiter erogare stipem diviti dissimulato, & eâ privare verum egenum; hoc autem contingere potest per misericordiam infusam. Nam dives potest simulare maiorem inopiam, quàm verè egenus; sic autem simulata maiori inopia possumus honestè illi erogare stipē, ommisso magis egente: ergo eâdem ratione poterit ferri habitus per se infusus in obiectum, quod prudenter apparet verum: quia, quod fit ex prudentia, fit satis honestè. Neque repugnant, vt hæc fiant authore Deo.

§. 37. *Vera rat.* Rationem arbitror esse quia fides est habitus supernaturalis in substàntia; de ratione autem talis habitus est elevare potentiam, sive illam dirigere infallibiliter in suum finem, & ad vitam æternā assequendam. Nam supernaturalitas est perfectio supra naturam; perfectio autem suprà naturam, eam dirigit modo perfectiori, quàm perfectio naturalis. Cùm ergo omnis cognitio naturalis tendat in verum apparens, omnis cognitio supernaturalis tēdet in verum modo multò perfectiori, id est, in verum realiter. Fides etiàm humana tendit in verum prudenter propositum; sed expositum errori: ergo fides supernaturalis tendit in illud, modo nō exposito errori; alioquin nō elevaret intellectū supernaturaliter in suū obiectū, nec quid haberet speciale fides divina, ob quod esset supernaralis.

§. 38. *Obiectio.* Dices primò, multos actus naturales esse temerarios, multos imprudentes; fides autem infusa nullum habet nisi prudentem. *Refellit.* Contrà primum: eadem ratione, quâ fides infusa necessariò est prudens, est etiam necessariò vera: nam à supernaturalitate est prudens, ne voluntas erret in imperando fidē; sed eadem supernaturalitas efficit, ne intellectus erret in exercēda fide: ergo eadem est ratio, vt sit vera, ac vt sit prudens. *Refellit. 2.* Contrà secundò: fides est prudens, per extrinsecam denominationem ab affectione, per quā imperatur; intrinsecè autē nec est prudēs, neque imprudēs. Quid ergò habet, ex conceptu supernaturalitatis, ob quod sit intrinsecè perfectior actibus naturalibus?

§. 39. *Obiectio. 2.* Dices secundò, ipsam supernaturalitatē esse in se perfectionem, quæ reperitur in actu supernaturali, quam vocant perfectionem in modo tendendi; quamvis, ex parte obiecti nihil sit speciale: quemadmodū misericordia infusa est, ex modo tendēdi perfectior, quā naturalis; quamvis, ex parte obiecti, nulla sit diversitas. *Refell.* Contrà virtutes voluntatis discriminantur perfectè, ex solo modo tendendi: quia cū illo nullam admittunt malitiā moralem, per quam voluntas avertatur à fine, quem illæ virtutes intendunt; vndè illum assequitur, sine admista malitia, in exercitio earum virtutū. Fides autē infusa non dirigeret intellectū in suum finem, si esset falsa; quāvis ex modo tendēdi, esset perfectior fide naturali: ergo non potest esse falsa, etiā retēta maiori perfectione in modo tendēdi: ergo hæc ratio nō est satis intellectui, sicut voluntati.

§. 40. Adverte discrimen intellectus, & voluntatis. Intellectus non perficitur realiter circa suū finem; nisi per actum realiter verum. Quāvis enim actus falsus habeat aliquam perfectionē; hæc tamē est admista imperfectioni maximæ, qualis est falsitas. Quæ imperfectio non adimitur per prudentem existimationem de veritate. Actus enim sem-

semper manet re ipsa falsus; quantumvis prudenter existimetur verus. Finis verò voluntatis est bonum, id est, actus realiter bonus: sicut finis intellectus est actus realiter verus. Hæc autem bonitas non dependet à bonitate obiecti realiter existente; sed existente in prudenti existimatione. Exempli gratiâ: bonitas iustitiæ maritalis nō pēdet à congressu cū fœmina, quæ realiter est propria vxor; sed satis est, vt fœmina illa tàm prudenter existimetur vxor propria, vt nulla sit suspicio, vel dubium, vel timor; quamquàm re ipsa non sit propria vxor: vt contigit Iacob. Item possum ego exercere actum honestum eleemosynæ, levando inopiam fictam, & non veram: &, in adoratione, potest contingere, vt cultus non feratur in corpus Christi realiter præsens; sed tantùm prudenter existimatum præsens: vndè realis existentia obiectorum per accidens est ad moralem bonitatem actuum. At veritas intellectus pendet à reali existentia obiecti, cui per accidens est prudens existimatio. Hinc oritur, habitum infusum intellectus tendere in obiectum, sicuti realiter est; alioquin non elevaret intellectum ad suum finem: habitus autem infusus voluntatis non pendet à reali existentia obiecti; sed à practico dictamine prudentiæ, quod potest esse, etiàm si obiectum non sit realiter, qualiter prudenter existimatur. Hæc ratio reddenda fuisset à Magistris Lorcâ & Bañez, in difficultate, quam illis obieci §. 35. neque mirum, eam ab illis omissam, qui nec difficultatem attigere.

§. 41. 3. Opinio. Tandem obijcies: fides non elevat intellectum ad actum clarum; actus autem obscurus etiàm potest fieri viribus naturæ: ergo etiàm potest intelligi non elevare intellectum ad actum verum. Nego consequentiam: quia finis intellectus est veritas; evidentia autem spectat ad modum eam assequendi: cùm igitur Deus sit cognoscibilis obscurè, & clarè, visio est elevatio ad veritates clarè cognitas; fides ad obscurè. Hoc ergò sine careret Fides: quod est cōtra rationem actus supernaturalis, qui est connexus cum gratia, in ordine ad assequendam infallibiliter veritatem. *Resp.*

SVBSECTIO. VI.

Ad argumenta.

§. 42. Ad 1. arg. PRIMVM argumentum oppositæ sententiæ proposui §. 24. non esse contra conceptum actus supernaturalis falsitatem. Respondeo; hoc esse falsum: quia est de ratione eius actus, elevare potentiam ad assequendum suum finem: quod includit infallibilitatem. Vt ergò ipsi constituunt connexionem naturalem inter actum supernaturalem abstractivum, & obiectum: eam ego constituo essentialem, in ordine transcendentali cognitionis, ad obiectum vt existens. Deinde, quamvis alicui actui supernaturali esset possibilis falsitas; non tamen fidei, propter alia argumenta proposita ex Concilio, & absurdis in fide sequendis. *Resp.*

Secundò arguunt: visioni Dei potest divinitùs subesse falsitas: ergo & fidei. Probant antecedens: visio potest cognoscere suam durationem æternam; sed visio cognoscens suam durationem æternam potest divinitùs esse falsa: ergo. Probo minorem: quia illa visio potest divinitùs destrui: ergo potest divinitùs esse falsa: repræsentat enim durationem æternam, quam potest non habere. Antecedens probo: quia omne ens creatū, ex suppositione quòd creatum est, potest destrui instanti B. etiàm si productum fuerit instanti A. nihil enim, præter Deum, potest esse naturâ sua immortale. §. 43. 2. Argum.

Hoc argumentum terminos implicat: quia censet, visione repræsentari durationem realiter futuram æternam: item, & eam posse destrui. Quòd si duratio videtur æterna: ergo ex suppositione quòd futura sit, est hæc cognitio: quia obiectū, vt obiectū, est aliqua suppositio ad cognitionem certam. At, ex suppositione quòd futura sit æterna duratio, terminos implicat, qui censet, eā non futuram æternā: quia sunt termini implicati: *duratio æterna, & non æterna*. Vt ergò *omne, quod est, dum est, necesse est esse*; ita *omne, quod est æternum, dum est æternum, necesse est esse æternum*; sed substantia eius cognitionis est æterna, ex suppositione æternæ durationis: ergo ea substantia est æterna essentialiter. §. 44. Respondet.

Quæ sic clarius explano: ex suppositione decreti efficacis Dei, de aliqua re æternùm conservanda, implicat, talem rem destrui: quia, si posset destrui, esset per aliud decretum Dei, eam non conservandi æternū; at, ex suppositione decreti prioris, implicat secundum: quia non possunt componi illa duo, propter contradictionem: ergo, ex suppositione primi decreti, implicat, rem corrumpi. Sed visio cognoscens æternam suam durationem, est æterna, ex suppositione decreti Dei, eam conservandi æternùm: quia decretum de duratione visionis, est de ipsa visione æternùm conservanda: ergo visio, ex suppositione eius decreti, non potest destrui, sed per suā essentiam existit, §. 45.

S. Tho. q. 1. Art. 3. ex suppositione decreti Dei: quia illa suppositio est essentialiter antecedens visionem: ergo per suam essentiam implicat destrui; alioquin nō implicaret componi ea duo decreta: ergo qui dicunt, ea visione repræsentari durationem eius æternam, & eam esse corruptibilem: dicunt, posse componi duo decreta efficacia contradictoria: quia decretum de ea corrumpenda supponit eius existentiam; hæc verò supponit alterum decretum contradictorium: ergo.

§. 46. Quid autem dicendum sit, in ea quæstione: Vtrùm visio possit suam æternitatem cognoscere? disserui volum. 3. dist. 54. à §. 91. Aliqui negant, visione cognosci durationem suam æternam: quia esset visio æterna, quin posset destrui à Deo; alij id nullum censent incommodum. Hic non est opus alterutra parte, sed ostendere, ex hoc capite non posse visionem esse falsam: quia, quod ipsi ponunt, terminos implicat. Quamvis enim actus aliqui supernaturales essent falsi; non tamen hic actus visionis: quia, in mutandis aliorum obiectis, nulla sequitur contradictio decretorum efficacium Dei; sequitur autem ex mutatione obiecti huius visionis.

§. 47. 3. *Argum.* *Resp.* Arguunt tertiò: Deus potest esse specialis Author actus falsi: ergo actus supernaturalis potest esse falsus. Distinguo antecedens: potest per accidens esse specialis Author actus falsi, permitto antecedens; potest per se, nego antecedens, & consequentiam. Actus naturales possunt esse falsi: qui per se petunt Deum, vt caussam vniversalem, & possunt produci, concurrente Deo per accidens speciali influxu. Vt accidētia creātur per accidens in Eucharistia; per se tamen petunt non creari. Actus verò supernaturales petunt Deum specialem Authorem, elevantem nostras potentias, ad suum finem infallibiliter consequendum.

§. 48. 4. *Argum.* *Resp.* Quartum argumentum: gratia elevat hominem ad amicitiam cum Deo; & tamen divinitus potest componi cum inimicitia Dei: ergo. Respondeo, minorem à multis negari, quam ego distinguo; potest componi cum inimicitia orta ex ipsa, gratiâ, nego minorem; orta aliunde, permitto minorem: etenim à voluntate sola oritur peccatum, quod ex natura rei gratia depellit: quòd si Deus velit illud non condonare, non est vitium gratiæ; vt esset vitium fidei, elicere actum falsum.

§. 49. 5. *Argum.* Tandem arguunt: actus voluntatis supernaturalis potest esse malus divinitus: ergo & fidei falsus. Probo antecedens: primùm, quia vitiari potest ab extrinseco voluntas supernaturalis: secundò, quia Deus potest præcipere, ne exerceatur actus supernaturalis, qui exercitius contra præceptum Dei, erit malus. Respondeo primùm, negato antecedente. *Resp. 1.* Ad primā probationem respondeo ad hominem, posse fidem ex natura rei esse falsam: quia, per se, potest voluntas supernaturalis ab extrinseco vitiari ex natura rei. Prætereat ergò illa probatio, & nego indè sequi fidem posse esse falsam: quia illud vitium non tollit intrinsecam perfectionem actus supernaturalis; at falsitas eam tolleret ab actu fidei. Ad secundam probationem respondeo, implicare exerceri actum supernaturalem cōtra præceptum: quia, eo ipso quòd prohibitus esset, Deus non pararet illi auxilia specialia gratiæ, nec esset eius Author specialis, vt est omnium actuum supernaturalium. Ad peccatum concurrit Deus permisivè tantùm; ad actus supernaturales cōcurrit illustrationibus, & excitationibus congruis, quæ pertinent ad concursum specialem. Permisio ergò peccati est remotio gratiæ efficacis; operatio bona est ex gratia efficaci. Hinc hæc duo repugnant. Vide disp. 46. à §. 34.

§. 50. *Resp. 2.* Secundò respondeo, distincto antecedēte: voluntas supernaturalis potest esse mala ab obiecto ab ipsa amato, nego antecedens; ab extrinseca circumstantia ab ipsa non amata, permitto antecedens, & nego consequentiam: quia fides ab ipso obiecto cognito esset falsa. Omnis ergò voluntas supernaturalis est de obiecto secundùm se bono; si autem ab extrinseco vitiatur, non est, quòd ipsa malum attingat. At verò fides, eo ipso quòd esset falsa, esset ab obiecto: *ab eo enim quòd res est, vel non est, propositio dicitur vera, vel falsa.* Denique in cæteris actibus desunt absurda à me deducta contra fidei falsitatem; licèt ratio de supernaturalitate id non probaret.

SECTIO IIII.

Vtrùm actus fidei posit ex tertio alio capite esse falsus?

§. 51. IAM constat, fidem non posse esse falsam ex authoritate, aut revelatione. Ita apertè deducitur, omnem actum elicitum à solo habitu fidei esse necessariò verum: quia solùm pendet ab authoritate Dei, & eius testimonio existente realiter. Disquirendum, vtrùm fides adiungi posit alij habitui falso, ita vt habitus vterque concurrat ad vnum indivisibilē actū, qui verè repræsentet totū obiectū fidei; obiectū autē alterius habitus repræsētet fal-

sò

sò: Exẽplo sit act⁹ Theologiæ falsus, in quẽ influant vna præmissa vera fidei, & alia naturalis falsa: repræsentans igitur actus ille totum syllogismum obiectivum, repræsentat verè quidquid pertinet ad fidem; falsò autem, quod attinet ad præmissam falsam. In qua quæstione ponendum est, posse cum habitu fidei concurrere alium habitum, & ex vtroque principio oriri posse vnum numero actum.

SVBSECTIO I.

Quorumdam opinio.

§. 52. *Magister Bañez.* MAGISTER Bañez in quæstione 1. art. 3. dubit. 2. §. *vltima conclusio*: affirmat, posse fidẽ esse caussam conclusionis falsæ, quantũ ad substantiam actus. Quod probat, quia ipsemet Deus dicitur caussa illius assensus, quantũ ad substantiam actus: ergo non est indecẽs fidei attribuere, quod ipsi Deo, qui est author fidei, convenit. Et quantum ad hoc, fides est concaussa cum altera præmissa falsa ad assensum conclusionis, quantùm ad sustantiam actus; sed, quantùm ad substantiam assensus, sola præmissa falsa habet rationem caussæ. Hæc ille agens de conclusione Theologica, deducta ex altera præmissa fidei, & altera naturali falsa.

§. 53. *Impugn.* Multa dicuntur ab hoc authore impugnatu digna. Primùm, distinguit in conclusione Theologica duas substantias: alteram substantiam actus; alteram substantiam assensus: quod non potest esse; nisi actus sumatur pro ratione communi, in qua assensus convenit cum apprehensione simplici, in ratione actus; assensus verò sumatur pro differentia ipsius actus, qua constituitur in sua specie. In hac autem significatione est hæc sententia manifestè falsa: quia fides cõcurrit ad illum actum, vt caussa particularis determinans ad conclusionem, vt assensus est: ergo non solùm præmissa falsa influit in eum actum, sub ratione assensus formaliter, sed etiàm fides. Consequentia patet: quia conclusio oritur in ratione assensus, ab omnibus principiis influentibus in ratione assensus. Antecedens probo: quia fides influit in eam conclusionem per suum actum, qui in syllogismo Theologico est altera è præmissis; sed influxus habitus in conclusionem per præmissam, est caussæ paticularis determinantis ad assensum, vt est assensus: ergo. Probo minorem: quia præmissa, in ratione præmissæ, determinat ad conclusionem, vt conclusio est; sed conclusio, vt conclusio, est formaliter assensus: ergo præmissa, vt præmissa, influit in conclusionem in ratione assensus. De minori huius syllogismi nemini dubium: quia conclusio, vt conclusio, est discursus, quo aliquid affirmatur, vel negatur; affirmatio autem & negatio sunt species assensus atque dissensus. Maior verò probatur: quia præmissa, in ratione præmissæ, determinat intellectum, vt necessariò assentiatur conclusioni, propter assensum præstitum præmissis obiectivis: nam ea ratione, ex præmissis sequitur necessariò consequẽtia, quæ est illationis nota, qua significatur, actum illum necessariò inferri; cõclusio autem, in ratione conclusionis, constituitur formaliter per necessariam dependentiam, & infallibilem illationem ex præmissis.

Dices primò, conclusionem illam Theologicam, vt est conclusio, oriri à sola præmissa falsa. Contrà: conclusio, vt conclusio, pendet formaliter ab vtraque præmissa: ergo illa oritur formaliter, etiam à præmissa fidei. Probo antecedens: quia necessitas consequentiæ innititur identitati duorum extremorũ cũ medio; hæc autem identitas non reperitur in vna sola præmissa, sed in vtraque: ergo conclusio, vt conclusio, pendet formaliter ab vtraque præmissa. Hæc Logico sunt perspicua. §. 54. *Obiectio. Refellitur*

Dices secundò, præmissam fidei non influere in conclusionem falsam formaliter, vt falsa est. Contrà: hæc iam est alia solutio; quæ tamen parùm iuvat authorem: nam etiam si habitus fidei influeret in actum fidei falsum; adhùc non influeret in illum, vt falsus esset; & tamen, ex te, non potest fides in eum actum influere, quia Deus nos deciperet: ergo neque potest fides sic influere per præmissam. Consequentia patet: quia Deus aut vtrobique nos deciperet; vel neutrobique. Maior patet hoc evẽtu: ponamus, fidem posse tendere in revelationem non existentem: tunc eliceret actum falsum, nõ quidem formaliter, vt falsus est; sed præcisè vt est assensus. Nam ipsa, ex se, tantum est determinata ad assentiendum authoritati & testimonio Dei; quòd autem assentimur testimonio non existenti, oritur à specie impressa, determinante fidem ad actum falsum. Quod explico hac duplici propositione caussali: *ideò hic actus fidei est falsus, quia oritur ab hac specie impressa*; è contra vero, *non ideò est falsus, quia oritur à fide.* Quibus propositionibus explicamus, à quo principio habeat formaliter actus falsitatẽ: ergo species impressa, & non fides, daret formaliter actui falsitatem. §. 55. *2. Obiectio Resp.*

Deindè non videtur Bañez satis sibi cõstitisse: nam conclusion e prima statuit, fidẽ non §. 56.

S.Tho.q. 1.Art. 3. non posse esse principium assentiendi falso;at in hoc casu esset principium assentiendi falso. Quia verò posset responderi; Dominicum loquutum de caussa adæquata, ex parte principij; arguo ex conclusione secunda,qua docet, fidem non posse esse concaussam falsi assensus: in præsenti enim esset concaussa assensus falsi. Conclusione item tertia dixit,neque per accidens posse fidem elicere assensum falsum. Video, responderi posse, hunc authorem loquutum de caussalitate absoluta in actum, ita vt absolutè dici posit,fidem esse caussam actus falsi absolutè. Hoc autem noluit concedere Bañez, vt à Catholicis non conceditur, Deum esse caussam peccati; licèt conclusione quinta admiserit influxum fidei in actum falsum, secundùm substantiam actus in communi. Quæ non componuntur benè: quia actus falsus oritur directè ab omnibus principijs, à quibus per se pendet; sed per se pendet à præmissa fidei: ergò directè oritur ab illa. Deus autem nõ dicitur caussa peccati: quia peccatum sumitur formaliter, & reduplicativè, & connotat in principio moralem influxum cum defectu. At, in sententia tribuente Deo immediatum influxũ in actus pravos, Deus est causa quasi purè physica vniversalis, per concursum indifferentem: caussa,inquam,actus mali: quia actus malus sumitur materialiter, id est, pro eo actu, qui est malus. Ita assensus falsus accipitur materialiter ab hoc authore; & non formaliter. Sed non rectè comparat vtrumque: Deus enim est caussa vniversalis; fides autem est particularis.

§. 57. *Ad argm.* Ad argumentum ex §. 52. respondeo primò, habitum præmissarum, neque per se, neque per præmissas, influere physicè in conclusionem: ac propterea fides non attingit conclusionem Theologicam; est autem controversia: vtrùm ea conclusio sit supernaturalis? Nõnullæ conclusiones Theologicæ sunt certæ, vt hæc: *Christus est risibilis*. De his neutram in partem disputo, quæstionem reijciẽs in Procemium Theologiæ. Aliæ conclusiones Theologicæ sunt probabiles tantùm; quarum multæ sunt falsæ. Hæ nullo modo sunt supernaturales: quia nullum principium supernaturale potest coniungi, nisi cum habitu, aut specie impressa certa, ad efficiendum actum. Nam omnis actus supernaturalis oritur à principio impote falsitatis; complexum autem ex habitu supernaturali, & specie impressa incerta, non est impos errandi.

(.?.)

SVBSECTIO II.

Bona quædam difficultas.

DICES: conclusio Theologica falsa oritur per se à præmissa fidei: quia omnis conclusio pendet ab vtraque præmissa, vt constat ex §. 54. ergo principium supernaturale potest coniungi cum alio incerto ad aliquem actum. Bona difficultas. Præmissa; alia est formalis; alia obiectiva: formalis est actus intellectus; obiectiva est obiectum illius actus. Item, quando exercetur formalis præmissa fidei, exercetur alia præmissa formalis naturalis, habens obiectum idem, quod supernaturalis. Iam enim ostendi, quandò exercetur actus supernaturalis in via, exerceri simul actum naturalẽ circa idem obiectũ. Ad argumentum distinguo antecedens: conclusio falsa pendet per se à præmissa obiectiva fidei, concedo antecedens; pendet à præmissa formali, nego. Ad probationem respondeo, omnem conclusionem pendere à duabus præmissis obiectivis, & à duabus formalibus; at non omnis conclusio formalis pendet ab omni præmissa formali. Cùm ergò circa præmissam obiectivam fidei, sint duæ præmissæ formales: altera naturalis; supernaturalis altera, conclusio probabilis pendet, non à præmissa supernaturali; sed à naturali certa: item, & ab alia naturali incerta. §. 58. *1. Obiectio.* *Resp.*

Dices secundò: à præmissa supernaturali obiectiua potest oriri conclusio formalis falsa: ergo etiàm poterit oriri à formali præmissa supernaturali. Nego consequentiam: quia obiectum supernaturale, in ratione obiecti, potest terminare, non solùm actus falsos; sed etiàm pravos. Nam circa Deum, & entia supernaturalia, passim erratur, & peccatur: quia illorum obiectorum habemus species, & cognitiones imperfectas. Præmissa autem formalis, in sententia adversariorum, influit efficienter. Absolutè autem influit quasi efficienter, & habet rationem caussæ magis propriè, quàm obiectum. §. 59. *2. Obiectio.* *Resp.*

Dices tertiò: ergo si, quando exercetur præmissa formalis fidei, Deus negaret concursum, ad præmissam naturalem circa idẽ obiectum; nõ posset inferri conclusio. Quid inde? Quasi verò sit absurda consequentia, à negatione caussæ ad negationem effectus: quemadmodùm, exercitis præmissis, non inferretur conclusio, si Deus negaret suum concursum. Præmissa formalis fidei efficeret quidem, ne possemus negare conclusionem: quia cum assensu extremitatum cum medio non potest componi dissensus §. 60. *3. Obiectio* *Resp.*

ſenſus extremitatum inter ſe, in obiectis creatis. Ad inferendam autem concluſionē formalem probabilem, non magis conferret præmiſſa formalis fidei; quàm ſi non eſſet: quia nulla relatio tranſcendentalis eſt inter illos actus. Diſſenſus impediretur per ſolam informationem præmiſſarum, propter principium commune Logicum: *dici de omni*; & Metaphyſicum: *quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt idem inter ſe.* Pauciora autem requiruntur ad impediendum aliquem effectum; quàm ad efficiendum: vt viſio beata, ſe ſola, impedit peccatum; non tamen facit amorem, ſe ſola. Ratio à priori: quia ea impoſſibilitas eſt in genere cauſſæ formalis, præter quam cauſſalitatem, requiritur ſpecialis ordo cauſſæ ad effectum, vt effectus fiat.

SVBSECTIO III.

Pars negans.

§. 61. Concluſ. DICENDVM arbitror, nullum actum fidei poſſe eſſe falſum, etiā ratione alius habitus adiūcti. Quæ doctrina admittitur à maiori parte Theologorum, aſſerentium nullum actum ſupernaturalem poſſe eſſe falſum, aut malum. Quamvis enim nonnulli cenſeant, actus ſupernaturales poſſe ab extrinſeco vitiari, per malam relationem actûs reflexi; negant tamen poſſe habitum ſupernaturalem eſſe principium activum actus per ſe mali, aut falſi. Recognoſce Patrem Salas tom. 1. diſp. 3. ſect. 11. à num. 137. maximè 141. (*P. Salas.*)

§. 62. 1. Probat. Probatur primùm ad hominem: quia ipſi cenſent, Deum fore authorem erroris, ſi fides efficeret actum falſum, non adiuncta alijs habitus; ſed etiàm ſi fides concurrat cū alio habitu, Deus eſſet author falſitatis: ergo. Probo minorem: quia Deus eſt author omnium actuum, quos fides efficit: nā fides nullum actum efficit, niſi ſupernaturalem; Deus autem eſt ſpecialis author ſupernaturalium actuū. Item, quidquid efficitur fide, efficitur ex gratia per Chriſtum: quia omne exercitium habituum ſupernaturalium eſt ordinis gratiæ. Solutiones huius argumenti communes ſunt, argumento ſecundò, quo propoſito, eas expendam.

§. 63. 2. Probat. Secundò argumentor, etiàm ad hominē: quia tantùm repugnat fidei, eſſe principiū actus falſi, quantum habitui infuſo voluntatis, actus mali; ſed impoſſibile eſt, habitum infuſum voluntatis coniungi cum alio habitu, ad efficiēdum actum malum: ergo. Probo minorem: quia Deus eſſet ſpecialis author illius actus, & conſequenter eſſet author peccati.

§. 64. 1. Solut. Refell. Dices primò, Deum fore authorem illius actus, vt eſt ens; non verò vt peccatum. Cōtrà: Deus eſt author entis creati, vt eſt ens, quando concurrit actione generali, & præciſe vt cauſſa prima; at verò quando concurrit, vt cauſſa particularis ad aliquem effectum, non ſolum concurrit ad illum, ſub ratione entis; ſed ſub ratione talis: vt quando producit Angelum, non ſolum hic oritur à Deo, vt eſt ens; ſed etiàm vt Angelus eſt: ſed Deus ad actum ſupernaturalem, nō ſolum concurrit vt cauſſa generalis; ſed etiàm vt particularis: ergo Deus non eſt ſolùm author illius in ratione entis; ſed etiàm in ratione talis entis: quod eſt eſſe authorem peccati.

§. 65. 2. Solut. Refell. 1. Dices ſecundò, Deum eſſe authorem illius actus, non ſolùm vt eſt ens; ſed etiàm vt eſt ens ſupernaturale; non verò vt eſt peccatum. Contrà primò, Deus non poteſt eſſe author ſpecialis alicuius entitatis malę, niſi ſub ratione communi entis: ergo non poteſt eſſe author illius actus, vt eſt ſupernaturalis. Antecedens patet ex diſputationibus de peccatis: vbi oſtendi, ſolo concurſu generali excuſari Deum ab authoritate peccati: quia ille concurſus eſt per ſe neceſſarius, ad complendas cauſſas particulares. Hic autem concurſus in actus ſupernaturales, non ſolùm includit concurſum generalem Dei; ſed etiàm ſpecialem, quo eleuatur natura.

§. 66. Refell. 2. Contrà ſecundò: Deus non ſolùm eſt cauſſa phyſica actus moralis ſupernaturalis; ſed etiàm eſt cauſſa moralis: quia ad illum nos movet ex gratia per Chriſtum, præveniente, comitante, & ſubſequente; ſed Deus non poteſt eſſe cauſſa moralis actus mali: ergò. Probo minorem: quia Deus nō poteſt conſulere actum malum, etiàm ſub ratione entis. Nullus enim poteſt conſulere ali actum malum moraliter, etiàm ſub aliqua ratione boni: vt nunc pono ex diſputationibus de peccatis.

§. 67. 3. Solut. Refell. Dices tertiò, gratiam per Chriſtum dari, vt exerceatur aliquis actus circa obiectum bonum: quod ſi ille actus terminatur etiàm ad obiectum malum, eſt per accidens gratiæ Chriſti. Contrà, totus ille actus, qui eſt circa obiectum bonum, oritur per ſe à gratia per Chriſtum; ſed totus ille eſt à parte rei peccatum: ergo tota entitas peccati oritur per ſe à gratia per Chriſtum; & quamvis gratiæ excitanti vt ſic eſt per accidens, coniungi cum habitu vitioſo; tamen facta coniunctione, actus ille oritur per ſe ab vtroque principio. Nam omnis effectus oritur per ſe à cauſſa adæquata; cauſſa autē adæquata

S. Thom. q. 1. Art. 3. quata illius actus mali, non solùm est habitus vitiosus; sed etiàm habitus infusus, & gratia per Christum.

§. 68. Tandem etiàm dici posset, habitum fidei esse principium actus falsi circa suum obiectum adæquatum: quia Deus esset illius author, vt est ens supernaturale præcisè; non verò vt est falsus, eo quòd falsitatem haberet à specie impressa, vel aliundè: vt dixi §. 55. eâdem ratione posset actus moralis supernaturalis esse malus, circa suum obiectum adæquatum: quia, quamvis non ab obiecto; vitiaretur tamen à circumstantia. Gratia autem per Christum conferretur per se ad amorem obiecti boni: cui gratiæ & obiecto, per accidens est adiuncta circũstantia mala. Vndè liquido constat, solutiones omnes horum authorum evertere eorumdem sententiam, qua censent, non posse actum supernaturalem vitiari circa proprium obiectum.

§. 69. 3. Probat. Absolutè autem probo conclusionem: quia omnis actus supernaturalis est à principio elevante potentiam, vt infallibiliter attingat suum finem; sed hunc finem non assequitur habitus fidei, si eius actus aliundè vitiatur: ergo. Probo minorem: quia totus ille actus, quamvis non aberrat ab obiecto fidei; aberrat tamen à suo obiecto. Neque verò fides est certa circa suum obiectũ solum; sed etiàm circa omnia obiecta suorum actuum; alioquin non elevaret potentiam, ne per omnes actus erraret. Quod patet ex habitibus infusis voluntatis, qui nullum actum possunt elicere, quo voluntas aberret ab honestate morali, circa obiectum aliquod, aut circumstantiam.

DISPVTAT. XX.

De credibilitate mysteriorum fidei.

§. 1. SANCTVS Thomas articulo quarto, quæstionis primæ, agit de evidentia & obscuritate fidei, in credendis mysterijs. Docet primùm, mysteria fidei esse evidentia, sub ratione credibilis: id est, ea esse evidenter credibilia. Secundò docet, ea mysteria cognosci obscurè per fidem. Hac disputatione explicandum suscepi, quid sit obiectum esse credibile? item, quid evidenter credibile?

SECTIO I.

Significatus primus.

CREDIBILE significat propriè, quod potest credi; sive significat formaliter denominationẽ extrinsecam ab actu fidei, quo creditur obiectum. §. 2. Actus fidei potest considerari, vt actu existens: item potest considerari, vt existens in potentia Logica; sive vt habens non repugnantiam Logicam ad existendum. In prima consideratione, actus tribuit duas denominationes: alteram *credentis*, quæ est intrinseca intellectui: quia hic per vnionem intrinsecam cum actu est credens: sicut visus videns; & voluntas amans. Altera denominatio est *crediti*, quæ est extrinseca obiecto: quia hoc, extrinsecè terminando actum fidei, est, & dicitur creditum.

In secunda consideratione, tribuit actus fidei alias duas denominationes: alteram *creditivi* intrinsecam intellectui; alteram *credibilis* extrinsecam obiecto. §. 3. Potentia bifariàm dicitur creditiva. Primùm, in genere caussæ efficientis immanenter; vt significat actum primum, quem habet potentia ad efficiendum & recipiendum actum: quæ denominatio est physica, orta ab ipsa entitate potentiæ; item elevationis, & omnium comprincipiorum ad agendum, & recipiendum. Quemadmodum omnis caussa physica constitur activa, & passiva, per suam entitatem & cætera comprincipia. De quo recognosce disput. 8. Physicorum, sect. 2. Terminus huius potentiæ creditivæ est ipse actus fidei: quia terminus potentiæ, vt est activa & passiva, est effectus, quem potest agere & pati.

Item potentia est creditiva Logicè; sive per non repugnantiam Logicam, vt credat. §. 4. Nam actus credendi habet non repugnantiam Logicam, vt sit in intellectu, & vt illum denominet credentem. Item intellectus ipse habet nõ repugnantiam Logicam accipiendi denominationem credentis: quæ denominatio formaliter consistit in ipso actu credendi, vt potente existere in intellectu.

Obiectum autem est etiàm credibile fundamentaliter, & formaliter. §. 5. Fundamentaliter quidem per suam entitatem: sicut color & lux, seipsis, præbent fundamentum, vt videantur. Item omne ens est, se ipso, cognoscibile fundamentaliter: id est, præbet fundamentum cognitionis sui. Formaliter autem est obiectum credibile, per extrinsecam denominationem ab actu, considerato cum potentia Logica ad existendum. Vno verbo:

verbo: actus existens denominat formaliter potentiam credentem, & obiectum creditum: idem etiàm actus in potentia Logica, denominat obiectum credibile, & potentiam creditivam.

§. 6. Cùm quæritur: vtrũ mysteria fidei sint evidenter credibilia? non quæritur in hoc sensu: quia perinde esset, ac quærere: vtrũ actus fidei sit evidens; & repræsentet clarè mysteria fidei? Vt si quis interroget: vtrũ Sol sit clarè visibilis? perinde est, ac: vtrũ Sol posit terminare visiones claras? Ratio à priori: quia, cũ illa credibilitas formaliter cõsistat in ipso actu fidei, evidẽtia credibilitatis est evidentia ipsius actus circa suum obiectum. Ergo hæc quæstio non est directa de ipsa evidentia aut obscuritate, quibus actus fidei tendit in suum obiectum; est autem de alia credibilitate reflexa, quam explano.

SECTIO. II.

Secundus significatus.

§. 7. IN alio sensu accipitur credibilitas à Theologis: id est: vtrùm posimus, aut debeamus credere? Qui sensus est satis familiaris, etiàm vulgo. Cùm enim aliquis narrat similia vero, dicimus, illa esse valdè credibilia: id est, talia, vt debeant, aut posint prudenter credi. Cùm autem narrat absimilia vero, ea dicuntur incredibilia: id est, talia, vt non posint, aut non debeant ab homine prudente credi.

§. 8. Hæc quæstio est reflexa, habens pro obiecto obligationem adhibendi, aut abrogãdi fidem. Dico, eam esse reflexam: quia obligatio non terminatur immediatè ad obiectum creditum; sed ad actum ipsum credendi. Est igitur quæstio: vtrùm sit evidens obligatio credendi obiecta fidei? id est: vtrùm sit evidens; nos debere illa credere?

§. 9. Neque mirum: quamvis enim actus fidei sit obscurus; tamen obligatio de illo potest esse evidens. Nam, cùm posimus exercere actus obscuros fidei, possunt nobis præcipi. De præcepto autem tàm clarè & evidenter nobis potest cõstare, vt nullus sit tergiversationi locus. Ecce evidens obligatio credendi per fidem obscuram! Ratio à priori: quia obiectum fidei est distinctum ab obligatione credendi; potestque terminare actum diversæ rationis, ac terminat obligatio. Nam obiectum fidei cognoscitur per diversa principia, ac obligatio: illud enim cognoscitur per principia extrinseca obscurè cognita; obligatio autem cognoscitur, vel immediatè, vel per evidentia principia.

Potest item esse triplex quæstio. Prima: vtrùm sit evidens, posse credi mysteria fidei? Etenim multa possunt esse, quæ nec debent, nec prudenter possunt: qualis est fides temerè præstita. In quo sensu evidens est, posse credi mysteria fidei: cùm enim posint multæ fabulæ imprudenter credi, quidni possent & hæc mysteria, tametsi fabula essent? Neque difficilis est cognitio evidens de posibilitate actus obscuri: quia cognoscitur per diversa principia, ac ipse actus cognoscit obiectũ suum: vt dixi §. 9. §. 10.

§. 11. Secunda quæstio est: vtrùm mysteria fidei posint prudenter credi? Tertia verò: vtrùm ita debeant credi, vt qui non crediderit, graviter peccet? quæ est germanè nostra quæstio. Non disquiro: vtrùm sit evidens obligatio credendi actu, supernaturali? esset enim quærere: vtrùm sit evidens posibilitas talis actus? quæstio quidem aberrans ab hoc instituto. De qua insinuabo pauca disp. 22. §. 2. Quæro autẽ: vtrùm sit evidens obligatio credendi absq; vlla hæsitatione? Ad quod necessariò sunt percurrenda argumenta, quibus Christiana fides innixa.

DISPVT. XXI.

De argumentis Christianæ fidei.



HAC disp. movenda sunt arma, in superstitiosas & inanes falsarum religionum sectas, quas, authore Dœmone, aut cõservatore, amentium hominum cæcitas invexit in Orbem. Christiana enim religio, tàm multis argumentis innititur, vt ostendant apertè, eam non esse hominum inventum; sed, authore Deo, ad hominum salutem, è cœlo lapsam in terras. §. 1.

SVBSECTIO I.

De quatuor Evangelijs.

CHRISTIANISMVS vniversus cõtinetur quatuor libris, quos *quatuor Evãgelia* nũcupamus. *Evangelia* dicuntur: quia bonum nuntium sive salutarem legationem Dei ad homines indicant. Primùm oportet stabilire horum librorum authores & tempus, vt ex prædictio- §. 2.

S. Tho. q. 1. Art. 4. ctionibus, quibus futuros hominum eventus, afflante Deo, spiritu prophetico cognoverunt, ostendatur apertè, libros illos, non nisi authore Deo, scribi potuisse.

SVBSECTIO I.

Evangeliorum authores, & antiquitas.

§. 3. PERENNAT à nascente Ecclesia ad nos continens & non interrupta memoria, hos libros cõscriptos à Matthæo, Marco, Luca, & Ioãne. Duo extremi fuerũt Apostoli Christi; medij autẽ discipuli eiusdem Christi. Præter communem Catholicæ Ecclesiæ memoriam, suffragatur authoritas antiquissimi Tertulliani, lib. 2. de concord. veteris & novæ legis, cõtra Marcionem, cap. 3. his versibus. Tertull.

Cuius facta simul dictis coniuncta fideles
Illi, Matthæus, Marcus, Lucasq; Ioannes
Conscripsere, meraq; nõ extera verba loquuti.

Euseb. Consentit Eusebius, tum in historia Ecclesiastica 3. cap. 23. tum in Chronico. Hos sequuti Patres vniversi, eos libros conati explicare; maximè autem S. August. infinitis in locis, præcipuè tomo 4. lib. 1. de consensu Evangelistarum, cap. 1. *Inter omnes* (inquit) *divinas authoritates, quæ sanctis litteris continentur, Evangelium meritò excellit. Quod enim lex & Prophetæ futurum præenuntiaverunt; hoc redditum, atque completum, in Evangelio demonstratur: eius primùm prædicatores Apostoli fuerunt, qui Dominum ipsum & Salvatorem nostrum Iesum Christum, etiàm in carne viderunt.* Capite autem secundo: *isti igitur* (inquit) *quatuor Evangelistæ, vniverso terrarum orbe notissimi; & ob hoc fortasse quatuor, quoniam quatuor sunt partes orbis terræ, per cuius vniversitatem Christi Ecclesiam dilatari, ipso sui numeri sacramento, hoc ordine scripsisse perhibentur. Primùm Matthæus, deinde Marcus, tertiò Lucas, vltimò Ioannes.* In capite autem primo rationem reddit, cur aliorum Evangelia non admittantur. *Cæteri autem homines* (inquit) *qui de Domini, vel de Apostolorum actibus aliqua scribere conati, vel ausi sunt; non tales, vel suis temporibus, extiterunt, vt eis fidem haberet Ecclesia; atquè, in authoritatem canonicam sanctorum librorum, eorum scripta reciperet. Neque solùm, quia illi non tales erant, quibus narrantibus credi oporteret; sed etiàm, quia scriptis suis quædam fallaciter indiderunt, quæ Catholica atque Apostolica regula fidei, & sana doctrina condemnat.* Aug.

§. 4. Animum adverte, duas caussas redditas à S. August. ob quas Ecclesia reiecerit aliorum Evangelia: alteram, quia authorum integritas, & doctrina non erat tanta, vt sibi vendicaret fidem admirãdarum rerum; alteram, quia illorum scripta erant nonnullis falsitatibus sordida. Quo argumento deprehendebatur apertè, illorum authores, ex suo cranio; non è divino sensu loquutos. Ecclesia autem inter canonicos scriptores nullum recensuit, quem certissimè non comperisset loquutum, afflante Spiritu Sancto.

Et quamvis hi quatuor authores hos libros conscripserint; tamen non illi solùm eorum authores fuerunt; sed integrum Collegium Apostolorum author fuit mysteriorum, quæ his libris docemur. Quod clarè docuit Tertullianus adversus Marcionem, lib. 4. cap. 2. *Constituimus in primis* (inquit) *Evangelicum instrumentum Apostolos authores habere, quibus hoc munus Evangelij promulgandi ab ipso Domino sit impositum: si & Apostolicos; non tamen solos, sed cum Apostolis, & post Apostolos: quoniam prædicatio discipulorum suspecta fieri posset de gloriæ studio, si non adsistat illi authoritas Magistrorum; immò Christi, qui Magistros Apostolos fecit. Denique nobis fidem ex Apostolis Ioannes & Matthæus insinuant; ex Apostolicis Lucas & Marcus instaurãt, iisdem regulis exorsi, quantum ad vnicum Deum attinet Creatorem, & Christum eius, &c.* §. 5. Tertull.

Apostolos esse præcipuos authores, colligitur apertè ex Marci 16. 15. *euntes in mũdum vniversum, prædicate Evangelium omni creaturæ.* Hoc autem Evangelium nullum est, præter doctrinam horũ quatuor librorum. Quapropter S. August. tom. 4. lib. 1. de consens. Evang. cap. 1. hos libros non vocat Evangelia; sed Evangelium: quia eadem sunt omnium mysteria; quamvis librorum methodus non eadem. Adsonat Lucas cap. & num. 1. *sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipsi viderunt, & ministri fuerunt sermonis.* Quia verò Paullus, nec discipulus fuerat Christi, nec discipulorum comes; sed carnifex, operæpretium censuit, alios Apostolos adire, vt cum illis conferret Evangelium: vt constat ex c. 2. ad Galat. 2. non quòd Apostolus esset incertus Evangelij sui; sed ne fructus esset minor iusto, si Gentes sibi persuaderent, esse diversum Evangelium Paulli, & aliorum Apostolorum. Tertullianus eo libro 4. adversus Marcionem, insinuare videtur aditos Apostolos à Paullo, ne ipse crederet aliter, ac illi. Quod intelligo, nõ quòd fides Paulli periclitaretur; sed quòd in discrimen adduceretur fructus auditorum: vt colligitur ex hoc testimonio Tertulliani *non sufficeret* (inquit) *ad fidem singularitas instrumen-* §. 6. Marc. 16. August. Luc. 1. 2. Ad Gal. 2. Tertull.

trumenti, destituta patrocinio antecessorum. Exigeretur enim id quoque Evangelium, quod Paullus invenit, &c. & infrà: *Denique, vt cum authoribus contulit, & convenit regula fidei, dexteras miscuere, & exinde officia prædicandi distinxerunt: vt illi in Iudæos; Paullus in Iudæos, & in Nationes.* Hæc Tertullianus: quibus dilucidè constat, omnes Apostolos insonuisse in Orbis aures, quadruplici Evangelistarum ore.

§. 7. Matthæum scripsisse Evangelium ante sortitionem Provinciarum, integro adhuc
Eufeb. Apostolorum cœtu, testes sunt, Eusebius in Chronico, anno Domini 41. his verbis: *Matthæus in Iudæa Evangelium primus scribit,*
Hieron. & S. Hieronymus: quos refert, & sequitur diligentissimus Chronologus P. Iacobus
P. Gordo. Gordonus, in rerum gestarum serie, anno Christi 41. qui fuit tertius Imperatoris Caij Caligulæ. Marcus ex doctrina, & præcepto S. Petri, cuius socius fuerat, scripsit Romæ suum, quod postea in Ægypto prædicavit. Annum censet P. Gordonus fuisse quadragesimum quintum Christi, qui incidit in tertium Imperatoris Claudij. Eusebius lib. 2. hist. cap. 5. ait, inscio Petro, Evangelium scriptum, quod tamen cum voluptate probavit, & vulgandum præcepit.

§. 8. Sanctus Lucas suum dedit, in multorum sententia, cui P. Gordonus subscribit, anno Christiano 58. secundo Neroniano. B. Hieronymus, in præfatione in Matthæum, docet, hoc Evangelium conscriptũ à Luca, suadente Paullo, in Achaia. Consonat Euseb. lib. 3. hist. c. 23. ex cõmuni consensu. Ex hac coniectura, non leviter firmatur hæc opinio: quia eo anno 58. redijt Paullus ex Græcia Hierosolymam; Paullus autem doctrinam suam litteris consignandam curavit,
Genebrar. operâ fidelissimi socij Lucæ. Genebrardus, anno mundi quater millesimo centesimo vigesimo, folio trecentesimo sexagesimo quinto, censet, Evangelium Lucæ illuxisse multò antè, nempè, ferè decennio, anno, ab ascensu Christi, decimo quinto, qui est eiusdem Christi quadragesimus octauus, vel quadragesimus nonus, qui fuit Imperij Claudij sextus, vel septimus.

§. 9. Lectorem monitum volo, Evangelium
Animad. S. Lucæ, multis annis, fuisse prius excidio Hierosolymitano, quod contigit anno Christi septuagesimo secundo, & Imperatoris Vespasiani primo: qui annus fuit decimus quartus post natalitia Lucani Evangelij, idquè in sententia plùs differente ea natalitia: in alia enim sententia, Evangelium Lucæ ortum habuit viginti & quatuor annis, ante Hierosolymæ interitum. Hæc animadversio multùm interest huius disputationis, ad confirmandas Christianas prædictiones, & Evangelicam veritatem.

De Evangelio Sancti Ioannis, quo tempore fuerit scriptum, & loco, non constat §. 10.
apud authores. P. Pererius, vir ingentis & *P. Pereir.*
abditæ eruditionis, disput. 5. & 6. Prologomenorum in Ioann. refert Dorothæum, Athanasium, Metaphrastem, Nizephorum & Theophilactum, opinantes, scriptum Evangelium hoc in Pathmo, à Ioanne exulante ob tyrannidem Domitiani. Subscribit autem ipse Epiphanio, Eusebio, Hieronymo, Victorino, Bedæ, Ruperto, & quampluribus alijs opinantibus, scriptum librum hunc Ephesi, post reversionem Ioannis ab exilio. Annum verò, censet P. Pereira, esse sexagesimum sextum, vel sexagesimum septimum post passionem Christi, sub initium Imperij Traiani, qui fuit centesimus Christi. Observat autem Eusebius in Chronico, anno *Eufeb.*
Christi centesimo secundo, ab Irenæo affirmari, Ioannem vixisse ad Traiani tempora. Est verò hoc Evangelium posterius eversione Hierosolymitana.

Marcion antiquissimus hæreticus finxit §. 11.
Evãgelium, corrodens nostra quatuor. Alij *Marcion.*
heretici, in hoc, & alia tria, debacchati sunt, *P. Mald.*
vt refert P. Maldonatus, cap. 2. Præfationis in eadem. Nullus tamen negavit, ea extitisse in ipsis Ecclesiæ cunis. Marcion mentitus est, hoc Evangelium non esse Lucæ; alij autem hæretici effutiverunt ineptias his non absimiles; verùm non negârunt horum librorum antiquitatem: quod nobis sufficit, ad institutum præsens. Eâ enim ostensa, ipsi libri, doctrinâ, & prædictionibus, quibus è cœlo collucent, sequebuntur, & suam dignitatem. Quantùm autem Evangelium Lucæ sit antiquius Marcionistico, rectè docuit Tertullianus lib. 4. contra eũ- *Tertull.*
dem Marcion. cap. 4. his verbis: *Ego meum dico verum; Marcion suum. Ego Marcionis affirmo adulteratum; Marcion meum. Quis inter nos determinabit; nisi temporis ratio, ei præscribens authoritatem, quod antiquius reperietur; & ei præiudicans vitiationem, quod posterius revincetur?* Capite autem 5. hæc ait: *In summa, si* *Idem.*
constat id verius, quod prius; id prius, quod & ab initio; ab initio, quod ab Apostolis: pariter vtiquè constabit, id esse ab Apostolis traditum, quod apud Ecclesias Apostolorum fuerit sacrosanctum.

Quia verò hoc testimonium divinitùs §. 12.
confirmat communem Ecclesiæ Catholicæ consensionem, de authoritate Evangeliorum, quibus ab ipsis Apostolis fuit imbuta, libuit subijcere hæc aurea Tertulliani verba: *Videamus, quod lac à Paullo Corinthij hau-* *Idem.*
serint? ad quam regulam Galatæ sint recorrecti? quid legant Philippenses, Thessalonicenses, Ephesij? quid etiam Romani de proximo sonent? qui-

bus

S.Tho.q. 1. Art. 4. *bus Evangelium Petrus & Paullus sanguine quoque suo signatum reliquerunt. Habemus & Ioannis alumnas Ecclesias: tametsi Apocalypsim eius Marcion respuit; ordo tamen Episcoporum ad originem recensus, in Ioannem stabit authorem: sic & cæterarum generositas recognoscitur. Dico itaque apud illas, nec solas iam Apostolicas; sed apud vniversas, quæ illis de societate sacramenti confœderantur, id Evangelium Lucæ, ab initio editionis suæ, stare: quod cùm maximè tuemur.* Hæc Tertullianus: quibus magno nobis est solatio, eruditis Evangelio eodem, quo ab Apostolis fundatæ sunt Ecclesiæ.

§. 13. Quia verò Marcion impetum fecerat in Evangelium Lucæ, omissis alijs tribus, eum arguit Tertullianus inconsiderantiæ, quòd, cùm eadem sit doctrina omnium, non satis impugnabat doctrinam, & authoritatem Evangelij Lucæ; nisi in cæterorum etiam Evangelia grassaretur. Ait Tertullianus: *eadem authoritas Ecclesiarum Apostolicarum, cæteris quoque patrocinabitur Evangelijs, quæ proinde, per illas, & secundùm illas, habemus: Ioannis dico, & Matthæi; licèt & Marcus quod edidit, Petri affirmetur, cuius interpres Marcus. Nam & Lucæ digestum Paullo adscribere solent: cœpit Magistrorum videri, quæ discipuli promulgârint. Itaque, & de his Marcion flagitandus, quòd, omissis eis, Lucæ potius institerit quasi non & hæc apud Ecclesias à primordio fuerint, quemadmodùm & Lucæ, vt eam ipsis Ecclesijs dedicata.* Igitur Evangelia, neque apice mutato, ab Apostolis edita; & per manus Ecclesiarum Apostolicarum, ad ætatem Tertulliani; inde autem ad nos integra perseverant.

§. 14. Obiectio. Dices, à Tertulliano eo lib. 4. cap. 4. affirmari, Evangelium extitisse à temporibus Tiberij, ad Antoniana, quin ab aliquo fit emendatum; nisi tunc, temporibus Antonini, à Marcione, vel ab aliqua vespa, de illius examine. At verò primum Evangelium scriptum fuit à Matthæo, imperante Caio, post obitum Tiberij; cætera multò post: ergo deceptus est Tertullianus.

Respondeo. Respondeo, Evangelium accipi pro prædicatione mysteriorum fidei: quæ extat à temporibus Tiberij: quia tunc cœptus est prædicari Christianismus. In quo sensu loquutus est Tertullianus ibi. Hi autem quatuor libri cœperunt, annis iam dictis, & ordine: quod ostendi, ex versibus eiusdem Tertulliani, quibus monstratur ordo temporis; vltimo verò loco statuit Ioannem, qui, in scriptione, fuit vltimus; in prædicatione autem cœpit cum ipso Petro.

SVBSECTIO II.

Authoritas Evangeliorum.

CONSTAT ex Tertulliano, hæc quatuor Evangelia fuisse sacrosancta omnibus Ecclesijs Apostolicis. §. 15. Item & omnibus Ecclesijs, quas discipuli Christi & Apostolorum erexerunt. S. Aug. tom. 5. lib. 12. de Civitate, cap. 10. ait hæc: Aug. *de scriptura hac, quæ totum Orbem sibi crediturum esse prædixit; & cui totus Orbis, sicut ab ea prædicatum est, credidit. Quæ, vera se narrasse præterita, ex ijs, quæ futura prænuntiavit, cùm tanta veritate implentur, ostendit.* Et lib. 11. cap. 1. *Ea* (inquit) *Scriptura testis est, quæ non fortuitis motibus animorum; sed planè summæ dispositione providentiæ, super omnes omnium Gentium litteras, omnia sibi genera ingeniorum humanorum, divina excellenti authoritate, subiecit.* Tomo autem 4. lib. 1. de Consensu Evangelist. cap. 1. docet, inter omnia scripta Canonica, Evangelium esse excellentissimum: quia ostendit completa, quæ vaticinati sunt Prophetæ.

Dices, hæc testimonia esse domestica. §. 16. Obiectio. Respondeo primùm, adducenda à §. 130. Resp. 1. externa testimonia, neque pauca, neque levia, quibus, ab inimicis fidei, fidei author, & professores laudantur. Secundo respondeo, Resp. 2. ipsam infinitudinem fidelium esse testimonium omni exceptione maius. Cur enim vtroque brachio amplexatus est Orbis legem carnis inimicam, hostem voluptatum, libidinum & avaritiæ cultrum, interdicentem igne & aqua, vel ipsas occasiones peccandi? Quam ob caussam de hostibus Christi facti sunt discipuli? Hanc esse infinitam multitudinem, brevique tempore percrebruisse, testis est S. Isichius, tomo 2. operum S. Isich. S. Aug. epist. 79 *factus* (inquit) *Regibus Christianis, vbique in parvo tempore, Christi Evangelium penetravit*: testis est Tertullianus in Tertull. Apologetico, cap. 1. *obsessam vociferantur civitatem:* (inquit) *in agris in castellis, in Insulis Christianos; omnem sexum, ætatem, conditionem, etiàm dignitatem transgredi ad hoc nomen, quasi detrimento, mærent.* Testis est denique sanguis, quo terræ, & maria redundârunt.

Hæc cùm tàm admiranda sint, cur contigerunt? dicant ipsi, qui, hostili animo, in discipulorum, mutato, amaverunt quæ oderant. §. 17. S. August. adductus §. 15. clarè docet, August. Scripturas ea ratione tantam authoritatem adeptas: quia ostenderunt, eventibus ipsis, quàm vere narraverint historias antiquiores; siquidem verè etiàm vaticinatæ sunt eventus multò pòst futuros. Itaque veritas ipsa ante oculos confirmata, compulit rebelles

belles hominum mentes, vt sibi certo certius persuaderent, Deum esse eorum librorum authorem. Quapropter Aug. ipse tom. 2. epist. 180. inquit: *novissima enim esse ista tempora, multis rerum signis apparentibus, quæ Dominum prædixisse legimus, omnes, qui ea credimus, cernimus.* Itaque oculis cernimus signa, quæ ipsis oculis etiam videmus in his libris scripta, adscriptaque Christo. Quid enim moveret Augustinum imbutum Manichæismo, inimicum & irrisorem Evangelij, ingenio magno & excelso, quo nulli hominum cessit, moribus deliciosum, & aversantem Christianam disciplinam: quid, inquam, eũ movere potuit; nisi tã aperta veritas, quæ, nisi ab insano, negari non posset?

Aug.

§. 18. Tertull. Tertullianus tantũ fidit Evangelicæ veritati, vt censeat, ipsos persecutores, tyrannicè sæuientes in Ecclesiam, eam amplexum iri, si præcise vellent illã oculis lustrare: in Apologetico, c. 1. inquit: *malunt nescire, quia iam oderunt. Adeò, quod nesciunt, præiudicant id esse: quod si sciant, odisse nõ poterant. Quando, si nullũ odij debitum deprehendatur, optimum vtique sit, desinere iniustè odisse.* Dixerat autẽ paulò superiùs, de compertis hostibus Christi factos fuisse Christianos: quia cognoverunt bonũ, quod prius detestabantur, vt malũ. *Testimoniũ, inquit, ignorãtiæ est, quæ iniquitatẽ, dũ excusat, condemnat. Cùm omnes, qui retrò oderant: quia ignorabant, quale esset, quod oderant; simul vt desinunt ignorare, cessent & odisse. Ex his fiunt Christiani, vtique de comperto, & incipiunt odisse, quod fuerant; & profiteri, quod oderant: & sunt tanti, quanti & denotamur. Obsessam vociferantur Civitatem, in agris, in castellis, in Insulis Christianos; omnem sexum, ætatem, conditionem, etiam dignitatem transgredi ad hoc nomen, quasi detrimento, marent.* E quibus Tertulliani verbis liquidò constat, Antistites Romani Imperij, ad quos scriptus Apologeticus, vociferatos Christianis omnia plena; quos tamen sola cognitio veritatis, etiam hostes traxit ad fidem.

SVBSECTIO III.

Primum argumentum Evangelicæ veritatis.

§. 19. QVAM syncerè, & sine fuco scripta fuerint Evãgelia, ostẽdit apertè accuratissima descriptio locorum, temporum, & aliarũ circumstantiarũ. Item gesta narrantur, non apud Indos, aut Iaponos, apud quos, propter infinitã propè distantiã, non possent authores falsitatis evinci; sed, si vellent, ad satietatem mentiri. Neq; magnis relictis vrbibus, in pagis historiam latitare volunt; sed Hierosolymã eligũt, vrbesq; vicinas, & narrationem texunt, quam auditores, & lectores possent præcidere, &, vt testes oculati, falsitatis damnare.

§. 20. Matth. 2. Exẽplo sit nobis Matth. c. 2. vbi minutissimè describit expeditionẽ Magorum in Iudæam ab Oriente, ad Christũ adorandũ. Hi Curiam Regiam intrasse dicuntur, conclamantes Iudæorũ Regẽ recẽns natum. Tunc expavit Herodes, & Hierosolymitani conterriti. Coactũ Conciliũ à Rege Scribarũ & Pharisæorũ, vt exponerẽt de Scripturis ortus locũ. Magi ab ipso Rege missi Bethlehẽ: & infantes trucidati. Insanus esset, qui hæc, in ipsa vrbe Hierosolymitana scriberet, ipsdẽ ferè tẽporib⁹; nisi eaesset omnibus nota.

§. 21. Iam dixi §. 7. Evangelium Matthæi scriptum Hierosolymæ, anno Domini 41. quo dominabatur Herodes Agrippa. Scopus Evangelistæ fuit, homines adducere ad fidem Christi, quem adhùc inter matris mammas, & Magi amaverunt, & timuit Herodes; timorem verò ostendit, tã truci facinore infanticidij. Qua autem ratione homines crederent, veram esse reconditam Evangelij doctrinam, si in historia, cuius ipsi testes essent, tàm fabulosa, & impudentia mendacia deprehenderent? Item cap. 13. refert, Herodem magno tentum desiderio videndi Christi. Quod si id fabula fuisset, tàm longè abesset hic liber, à trahendis hominibus ad fidẽ, vt potiùs ludibrio esset in Curia Regis. Totã verò historiã Christianæ mortis tã minutè describũt hi quatuor authores, vt nisi per summã impudẽtiã, nõ possent illã fingere; cum tamen in ea multa sint memoriæ digna, cõtentio Pilati cum plebe, optio, vt eligerẽt inter Iesum & Barabbam, legatio vxoris Pilati ad ipsũ, lotio manuum, testimoniũ de innocẽtia Christi, inscriptio Crucis, & pertinax de illa Iudæorum contentio, terræmotus, & Solis ecclipsis; ob quæ, si mendacia essent, aut lapidãdi essent historici, vt temerarij populi impostores, & scelestissimi detractores Reipublicæ, cui tàm immane facinus imponebatur; aut detrudendi in amentium carcerem, & caveas.

§. 22. Quid dicam de operibus, quæ, in tota illa Provincia, Christus præstitisse narratur? Cæci revocati ad lumẽ; mortui ad vitam. In primis autem Lazarus Eques inauratus, toti Hierosolymæ satis notus, cuius evocationem è sepulchro distinctè refert Ioan. c. 11. recensens mortui sorores, amicorũ conventũ, ad illum lugendum, & solandas sorores. Christus autẽ medius inter ipsos, illum, pedibus manibusquè ligatis, vivũ surgere esse cit, obstupẽte circũfusa plebe. Dein Lazar⁹ ipse cænans cũ Christo, visus est à multitudine Iudæorum illùc cõfluente, vt cerneret portentũ. Hæc, si fabula essent, neq; in Ovidij, aut Æsopi mentẽ incidissent: quid dicã, in hominũ prudentiũ, præ se ferẽtiũ omne virtutũ genus? Neq; Pharisæi illorũ hostes crude-

S. Thom. 2.2. q.1. art.4. crudelissimi, alio testimonio indigerent ad illos exterminandos è vita.

SVBSECTIO IIII.

Secundum argumentum veritatis eiusdem.

§. 23. ACCEDIT in multis consensus prophanorũ, qui, quamvis nobis non necessarius; potest tamen exterius argumento esse Evangelistarum veritatis, qui non antiquas fabulas; sed easdem historias digessere, quas prophani, quibus exteri fidem præstant. Primùm, Historici Evangelici Christum dicunt addictum cruci, à Pilato Procuratore Iudææ, Tiberio Imperatore: cui consentiunt, Cornelius Tacitus, in Annalibus Romanorum lib. 15. ad medium, his verbis: *Author nominis eius Christus, qui, Tiberio imperante, per Procuratorem Pontium Pilatum, supplicio affectus erat*: & Iosephus Iudæus lib. 18. antiquitat. c. 4. n. 6. vbi ait: *Christus hic erat, quẽ accusatũ à nostræ gẽtis Principib⁹, Pilatus cũ addixisset Cruci; nihilominus nõ destiterunt illum diligere, qui cœperant.* (Cornel. Tacit. Ioseph.)

§. 24. Secundò consentiũt Evangelici, & Iosephus, in Ioanne Baptista, eius baptismo, & morte. Matthæus & Lucas cap. 3. Marcus & Ioannes cap 1. Iosephus verò lib. 18. c. 7. videtur illorum verba descripsisse: sic enim habet *. *Apud* Iudæos autem fuit opinio, iusta vltione numinis deletum Herodis exercitum, propter Ioannem, qui Baptista cognominatus est. Hunc enim Tetrarcha necauit, virum optimum Iudæos excitantem ad virtutum studia, & in primis, pietatis, ac iustitiæ, simulque ad Baptismi lavacrum: quod ità demùm Deo gratum aiebat fore; si non ab vno tantùm, alterovè peccato abstineant; sed animis per iustitiam priùs mundatis, addant & puritatem corporis: cùmque magni concursus ad eum fierent, plebe talis doctrinæ avida, Herodes veritus ne tanta hominis authoritas defectionem aliquam pararet, quòd viderentur nihil nõ facturi ex eius consilio, iudica vit satius esse, prius quàm novi aliquid exoriretur, illũ tollere; quàm rebus turbatis, seram pænitẽtiam agere. Itaquè vinctum missum in Macheruntem supradictam, illic occidi imperat. Quod factum secuta est Iudæorum æstimatio, ab irato Deo perditum esse Herodis *exercitum**. Hæc Iosephus conveniens cum Evangelicis, in authoritate Ioãnis, baptismo, turbarum concursu, vinculis, & nece: de his vltimis egerũt Matthæus 14. 3. Marcus. 6. 17. Lucas 9. 9.

Dices, dissidere Iosephum à nostris, in caussa necis: Evangelici enim eam reddũt, ex Herodiade incestuosa, ob quã Baptista præstringebat Herodem; Iosephus autem reddit, ex Herodiano timore, ne plebs rebellaret. Respondeo, vtrâque caussâ motum Regem; vel saltem populo caussam reddidisse ex timore necis, ne apud illũ infamiæ labes ei adspergeretur, quòd occidisset præclarissimũ Prophetam, ob reprehẽsum incestũ. Item nostri meminerũt Iacobi fratris Domini: quem Iosephus lib. 20. c. 8. vocat fratrem Iesu Christi, & crudeliter lapidatum ab Annano Summo Pontifice. Item Lucas c. 3. refert, Philippum fratrem Herodis fuisse Tetrarcham Iturææ: cuius Tetrarchiæ meminit Iosephus lib. 17. c. 10. & lib. 18. c. 8. (§. 25. Obiectio. Resp. Ioseph.)

§. 26. Tertia cõsensio est in vtroque Herode & Herodiade. Meminerũt nostri, Herodẽ Regẽ Iudææ, qui auditis Magis Hierosolymæ, interfecit infantes: cuius sceleris meminit Plutarchus in Antonio, & Augusto: Macrobius itẽ in Saturnalibus; Iosephus verò à libro. 14. longam de illo texuit historiam; libro autẽ 17. c. 8. refert morbum eius fætidum, & pestilentẽ. De Herode etiã Tetrarchã Galilææ, Herodis Regis filio, & Herodiadis raptore Evangelici & Iosephus egerunt abundè. Nostri quidẽ, vbi referũt Ioãnis vincula & necẽ; Iosephus autẽ lib. 18. c. 7. vbi refert, ab Herode raptam Herodiadem, cum qua iniit matrimoniũ Româ rediẽs, & pactus repudiare filiã Regis Aretæ; Ioannes verò reprehendebat Herodẽ; quia vxorem habebat, quæ fuerat vxor fratris. Quod connubium, altera è duabus caussis, erat vetitũ: vel quia adhuc superstes erat frater; vel quia, si mortuus fuerat, reliquerat filiam. Vtra autem ex his caussis fuerit, non satis constat. (Plut. Macrob.)

§. 27. Dices, hic esse dissidium non leve inter Evangelicos & Iosephum: Iosephus enim ait, Herodiadẽ fuisse vxorẽ Herodis alius, qui erat frater eius Herodis, qui rapuit Herodiadem. Matthæus autem dicit fuisse Vxorem Philippi, fratris Herodis raptoris. Primùm moneo cum Patre Maldonato, Iosephum emendandum ex Evangelio; non verò Evangelium ex Iosepho: quia quamvis fingamus, vtrumquè loquutum sola authoritate humana; Matthæus tamen testis fuit oculatus: erat enim Hierosolymæ, viventibus ibidem Herode, & Herodiade: qui multò post missi sunt in exiliũ Lugdunum, iussu Caij Caligulæ, vt refert idem Iosephus lib. 18. capite. 9. Iosephus autem, post longum intervallum temporum scrip- (Obiect. Resp. P. Mald.)

sit.

scripsit. Faciliùs verò decipi potuit, qui tanto pòst scripsit, quàm qui coràm. Adde, Evangelium scriptum, regnante Herode Agrippa, cuius soror fuit Herodias: vt constat ex eodem Iosepho referente, quàm invidè ferret Herodias gloriam fratris sui Agrippæ: qui tamdem eam cum Herode, cogit exulare Lugduni.

§. 28. P. Mald. Libet tamen hanc litem componere Pater Maldonatus in Matth. 14. 3. refert, nonnullos opinatos, Herodem & Philippum, quorum vxor Hærodias rapta fuit ab Herode, vnum hominem fuisse, non duos; cognominatus autem est Philippus Herodes: & quem Iosephus vocavit Herodem, eumdem Evangelista Philippum. In quorum sententiam inclinor: primùm, quia alioquin quatuor filij magni Herodis, superstites essent post obitum Parentis. Quod non quadrat in historiam eiusdem Iosephi: nam, è filijs, peremerat non paucos Herodes; moriens autem bona partitus est in tres filios, nec meminit alius in testamento: quòd si alium habuit verosimile non est, id ita contigisse; neque, si contigisset, omissum fuisset à Iosepho, referente testamentum ad vnguem: recenset enim, ab Herode habitam in testamento rationem Salomæ sororis suæ, aliorum cognatorum, Iuliæ vxoris Cæsaris, & quorumdam amicorum. Si ergò alius esset filius, omisisset ne Iosephus rationem, quam illius habuisset Pater? aut non redderet caussam, ob quam Parens in testamento esset oblitus filij. Fuerunt igitur filij: Archelaus, cui Iudæam legavit, cum Regia dignitate & Antipas (hic fuit Herodes Propheticida Ioannis) cui reliquit Galilæam, atque Peræam, cum titulo Tetrarchiæ: & Philippus Germanus frater Archelai, id est, ex vtroque parente. Philippo adscripsit Pater Tetrarchiam Traconiticam, cum tribus alijs Provincijs. Video, Iosephum secum belligerari, qui lib. 17. cap. 1. ait, Archelaum & Antipam esse filios Samaritidis & Herodis; Philippum autem & Herodem esse filios Cleopatræ Iudææ. At Archelaum vocat germanum Philippi lib. 17. c. 10. vt ea notâ illum discriminet ab Antipa, vel ergò Iosephus videtur deceptus; vel Herodes ille frater Philippi, filius Cleopatræ, obijt antequàm Pater: quia, in testamento, nulla fit eius mentio. Vbi ergò est quartus Herodes, cuius vxor fuerit Herodias, quam rapuit Herodes Antipas? Herodes autem Agrippa non fuit frater Philippi, & Antipæ; sed frater Herodiadis; & Herodis Regis Calcidis.

§. 29. Superest itaque, vt Herodias fuerit vxor Archelai, aut Philippi. Non fuit Archelai: quia nec Iosephus, neque alij id testantur. Item Archelaus, quando rapta fuit Herodias, aut mortuus fuerat, aut exulabat Viennæ; refert autem Iosephus, Herodiadẽ raptam ab Herode redeũte Romã, & diversante in domo fratris. Item, priorem vxorẽ Herodis consciam fuisse pacti inter Herodiadem & Herodem, cùm hic Romam iret. Non fuit ergò Herodias vxor Archelai: ergò fuit vxor Philippi. Confirmatur: quia idem Iosephus Herodem raptorem primũ vocat Antipam, id est, cùm meminit testamenti paterni; deinceps verò, in reliqua historia, eum vocat Herodem: ergo eâdem ratione Tetrarcham Ituręæ potuit appellare, iã Philippum, iam Herodem. Obseruat autẽ Pater Gordonus, anno Christi 16. Archelaum vocari à Dione Herodem Palæstinũ: videtur igitur duplex nomen fuisse singulis his tribus Herodis filijs: alius vocabatur Archelaus Herodes; alius Antipas Herodes; tertius verò Philippus Herodes. Iuvat etiã; quòd Philippus & Archelaus vocantur fratres germani, id est, ex vtroque parente, ex Iosepho, lib. 17. cap. 10. lib. autem 18. cap. 7. dicit, Herodem raptorem fuisse fratrem mariti Herodiadis; sed ex alia genitrice. Et lib. 18. c. 13. cùm retulisset testamentũ Herodis, confirmatum à Tiberio in tres filios, ait: *atque hoc fuit Herodis filiorum patrimonium*. Et capit. 3. exordiens historiam Philippi & Antipæ, ait: *Herodes verò & Philippus*. Itaque, sine discrimine, iam vocat Antipam, iam Herodem: idemque arbitror in Philippo. Confirm. P. Gord.

§. 30. Obiectio. Resp. Obijcis, ab eodem Iosepho, lib. 18. cap. 6. referri obitum Philippi, ante raptum Herodiadis. Respondeo, eo testimonio confirmari sententiam opinantium, non fuisse Herodem reprehensum à Baptista, quòd duxisset Herodiadem, vivente priori marito: sed, quòd eam duxisset, vivente eiusdem filia. Nã saltatrix Herodias iunior videtur fuisse filia mariti prioris. Tamen Iosephus non videtur observasse temporis rationem: Philippi enim obitũ refert in annum vigesimum Tiberij, quo Ioãnes fuerat mortuus: quippè qui carceratus fuit anno 15. eiusdẽ Tiberij; nõ potuit autem tamdiu in carcere esse. Obijt ergò Ioannes anno 16. Tiberij quatuor annis antè, quã Philippus. Vide P. Gordonũ in anno 15. & 16. Tiberij. Idque ex Evangelio satis colligitur: nam prædicatio Ioãnis cœpit anno 15. neq; potuit durare quinquennio: fuitq; multò brevior, quã Christi, quę triennio finita fuit. E quibus videtur evidẽter cõfirmari sentẽtia accusãtiũ matrimoniũ Herodis: quia factum, vivente priori marito. Item Herodias iunior potuit esse filia Philippi, vt ex vtroque capite P. Gord.

S.Thom. q.1.art.4. fædior esset Regis incestus: quod Hegesippus affirmat, lib.2.cap.5.

Hegesip. §. 31. Ioseph. Præter hæc, conveniunt Prophani cum nostris, in Archelao: quem, ridens S. Iosephus ex Ægypto, invênit in Iudæa regnantem. Hoc comprobatur ex Iosepho, referente Herodem Magnum Archelao filio suo legâsse Tetrarchiam Iudææ, quam Cæsar confirmavit Archelao, ex eodem Iosepho, lib. 17. capit. 13. Vbi Cæsar adscripsisse dicitur Archelao Iudæã, & pollicitus Regis honores. Itẽ de Herode Agrippa (qui frater fuit Herodiadis, & sententiâ Cæsaris Regno pepulit Herodem Antipam, & Herodiadẽ sororẽ suam, vxoremque pulsi) consentiunt Actio. 12. S.Lucas, in Actis, c.12.à nu.20.& Iosephus, lib.19.c.7. vbi pari sententiâ refert vterque, Agrippã de cœlo tactũ quæsitissimis doloribus: quia Cæsareæ divinos honores nõ repudiavit oblatos adulatione Cesariensium, & Tyriorũ. Item Iosephus, lib.20.c.2.fine, meminit præstigiatoris Theodæ, qui plurimos Iudeorũ decepit: cuius etiam meminit Act.3.36. Lucas Act.5.36. Itẽ Iosep.lib.18.c.1. refert seditionẽ, atq; tumult⁹ excitatos à Iuda Galilæo Gaulonita, negante vectigal Cæsari, quando descripta fuit Iudæa, iussu Quirini Proconsulis Syriæ. Huius etiã Iudæ, & eius tumultuũ propter eamdẽ caussam mentionẽ fecit Lucas Actor.5. 37. Act.5.37 Quod enim dicit, hunc seditiosum concitâsse plebem in diebus professionis, perinde est, ac in diebus descriptionis. Nã idẽ Lucas in Evangelio, c.2. ait, vniversum orbẽ descriptũ ab Augusto; & Iudeos ivisse, vt profiterentur, &c. Quod autẽ Iosephus priùs miminerit Iudæ; posteriùs verò Theodæ; è cõtra autẽ Lucas Actor.5.36.37. priùs meminerit Theodæ; posteriùs verò Iudę, nihil interest. Nec ideò necesse est, cõstituere duos Theodas, quorũ alter rebellaverit antequàm Iudas, vt refert Lucas; alius verò post Iudam, vt vult Iosephus. Hos duos Theodas sine fundamento Caietan. invexit Caietanus: nã Iudas quidẽ rebellavit priùs; & post eum Theodas. Lucas verò prudenter constituit primùm Theodã, deinde Iudam: refert enim sermonem Gamalielis hortantis Pharisæos, ne Apostolos affligant: quia, si illorum opera sunt Dei, non poterunt hominum dissolvi consilio; si autẽ sunt hominum inventum, ipsi cum eis peribunt, vt perijt primũ Theodas, & post hũc Iudas. Dixit autẽ eleganter: quia Theodas contraxerat parvam manũ quadrigentorũ hominum; Iudas verò iustum exercitũ coegerat. Primo igitur loco constituit debiliorẽ; secundo verò robustiorem, ne oratio decresceret, à potentiori ad minus potentem; sed potiùs cresceret ab imbecillo ad robustum; vt vltima periodus vim adderet superiori. Quapropter præpositio Gamalielis *post hunc* explicatur à Chrysostomo & alijs, Chrysost. *præter hunc*. Recognosce Patrem Lorinum P.Lorinus versu 37.

Hæc ita recensui, vt advertant impugnatores Christianæ fidei, libros nostros nõ esse de historijs (vt aiũt) vltramarinis, in quas adagiũ quadrat: *post lõgas vias, longa mendacia*; sed à nostris Historicis referri, quæ à Iosepho authore antiquissimo scripta sunt Romæ, Romani Imperatoris imperio: à quo Imperatore Iosephus donatus est statuâ publica, propter elegantiã & fidẽ historiæ; imò rectè observat Pater Grethserus. Titum Livium non vacilâsse in historia, quam attigere libri sacri; in reliqua verò eum sibi ipsi fuisse adversum. §. 32. P.Gretse. Tit.Liv.

SVBSECTIO. V.

Prima obiectio.

Nonnulla argumẽta possunt nobis obijci, quibus improbetur historia sacra. Nã, si consensus Historicorũ est argumentũ fidei, qua scripta sunt Evangelia: ergo fidem abrogabit Historiæ, narratio rerũ mirabilium, quarũ nec meminerunt Historici accuratissimi illorum temporũ. Ac primùm Lucas Evangelio, cap.2. refert, edicto Augusti Cæsaris descriptũ vniversum Orbem: cuius descriptionis neque Suëtonius, neq; Tacitus meminerunt; cùm tamen res esset memoriâ dignissima, & argumentum portendentis imperij: nam singulos Orbis homines recensere posset Augustus; non secùs, ac pastor agnos. §. 33. 1.Argum. Luc.2. Sueton. Tacit.

Nonnulli, quos meminit Pater Salmerõ tomo 3. tractatu 32. opinati, hanc descriptionem descriptam à Iosepho, lib.18.cap.1. Vbi refert, Quirinum missum à Cæsare in Syriam, vt eam describeret: eumque ivisse in Iudæam, vt percenseret facultate civium eius regionis. Hos authores sequutus videtur P.Lorinus in Act.cap.5.37. versu *professio ista*: vbi dicit, professionẽ illam, seu descriptionẽ, cuius meminit Gamaliel, & ob quam rebellaverat Iudas Galilæus, descriptam esse à Luca in Evangelio, & peractam per Quirinum, iussu Cæsaris Augusti. §. 34. P.Salmer. Ioseph. P.Lorin.

Verum hinc oritur difficultas: quia descriptio, quam refert Lucas in Evangelio, capit. 2. facta narratur ab Augusto Cæsare, regnante Herode Magno, qui fuit infanticida, & cuius tempore natus est Christus. Descriptio autẽ per Quirinũ facta fuit Imperio Tiberij Cæsaris, post mortem §. 35.

Herodis

Herodis Magni, & post regnum Archelai. Hic enim, iussu Tiberij, privatus Regno, relegatus fuit Viennam, teste eodem Iosepho, lib. 17. cap. 15. Ab ipso autem Iosepho lib. 18. cap. 1. missus dicitur Quirinus, & ad percensendos Cives, & redigendas pecunias Archelai. Itaquè quāvis nomen Quirini Proconsulis Syriæ, cōmune sit Lucæ atquè Iosepho; tempora tamen, & Imperatores sunt distincti.

Ioseph.

§. 36. Non mihi videtur incongruum, Quirinum fuisse eumdem, qui tempore Augusti censuit Syriam atque Iudæam; qui census fuit primus, vt dicit Evangelium, peractusque absque rebellione: quia Herodes Magnus potenter dominabatur Iudæis; quibus crebra tyrannide metum incusserat: eratq; Romanorū, non amicus nobilis; sed mancipiū: à quibus precario Regnū alienū acceperat. Deinde ab eodē Quirino, misso iterū à Tiberio in Syriā, census est instauratus post exilium Archelai. Quod insinuasse videtur S. Lucas in Evāgelio, c. 2. vocans descriptionem factam tempore Augusti primam, vt eam distinguèret à Tiberiana. In hac autem secunda nulla fuit seditio; quamvis ægrè lata fuerit à Iudæis? Posteà verò Populus rebellavit cum Iuda Galilæo: vt refert Iosephus, lib. 18. cap. 1.

Luc. 2.

§. 37. Ad argūm. Neq; obest, descriptionē omissam à Romanis: nā & illam Syriæ, quam retulit Iosephus, omiserunt, quam etiàm ipse Iosephus omisisset, si ex illa Iudas Galilæus non arripuisset ansam rebellandi. Bella enim, victoriæ, sumptus, & alia id genus magna scribūtur in Annalibus, & historijs; tributa verò, & alia similia reijciūtur ad Archiva, & acta diurna: quod clarè dixit Tacitus, lib. 13. his verbis: *Ex dignitate Populi Romani compertum est, res illustres Annalibus; cætera diurnis actibus manaari, in quæ referebantur Imperatorum negotia, ratiocinia redditum, Gentium legationes, annonæ importatio, & id genus alia: inter quæ non ineptè refertur & census.* Hæc Tacitus. Quapropter Tertullianus lib. 4. in Marcionem potuit dicere, hunc censum Iudææ, fidelissimum testem Nativitatis Cristi, sua etiam ætate asservari in Archivis Romanorum: id est, asservari librum, in quo descriptus erat ille census.

Tacit.

Tertull.

SVBSECTIO. VI.

Obiectio secunda, de Magis, & Infanticidio.

§. 38. 2. Argum. SECVNDA obiectio contra veritatem Evangelij, oritur ex historia de adventu Magorum Hierosolymā, & nece Infantium Bethlehemiticorum. Cùm enim Iosephus diligenter scriberet sævas Herodis actiones, non omisisset illā, quæ cæteras crudelitate, & immanitate superaret. Itē de adventu Magorū, & de re ad statum Reip. maximè pertinente tanta esset fama, vt non potuisset, vel à dormiente Historico prætermitti.

Ioseph.

§. 39. Hegesip. Iure de Iosepho questus fuit Hegesippus Christianus Historicus, & vicinus tēporibus Apostolorū, quòd malitiosè, & invidè tacuerit res Christi, quarū fuit maximè gnarus. Verùm, si de infanticidio constat inter Ethnicos, adventus Magorum negari non poterit. Agedū, & ostende alicuius Ethnici testimoniū. Ecce Macrobij viri Senatoris, & eloquentissimi, quē Genebrardus Paganum vocat; Baronius autem infensissimum Christianis. Hic lib. 2. Saturnaliorum, c. 4. agens de iocis, & salibus Augusti Cæsaris, hæc ait de eodem Augusto. *Cùm audisset, inter puerōs, quos in Syria Rex Iudæorum intra bimatum iussit interfici, filium quoque eius occisum, ait: Melius est Herodis porcum esse, quàm filium.* Hæc Macrobius: è quibus cōstat pueros bimos occisos fuisse ab Herode, &, inter eos, filium Herodis ipsius: quem non casu parens peremit; sed cōsultò. Duxerat enim vxorem Mariamnē Iudæā, ex Tribū Iuda: &, vt interfecit Aristobulū & Alexandrū, quos genuerat ex eadē Mariamne: quia timebat, adolescentes Regnum capessituros, propter Davidicum sanguinem, quē hauserant ex Mariamne; sic interfecit filium bimum: quia timebat ei delatū iri Regnū à Iudæis, qui eū aspernabantur Regem: quia advena, & nullo sāguine Davidico tinctus. Quapropter, vt cōstat ex eodē Iosepho, Herodes debacchatꝰ est in Principes Iudęos; maximè autē in Pharisęos, quòd ab illis detrectari Regnū ipsius videret, aut suspicaretur.

Ad arg. Macrob. Genebr. Baron.

§. 40. Cùm igitur Magi ab ipso Herode missi essent Bethlehē: quia de Scripturis Scribæ & Pharisæi explicuerant ibi nasciturū Iudæorum Regem, ipsiquè Magi non indicassent, cui inter pueros Regios detulissent honores, Tyrannus avidus Regni, & natus in omnem sævitiam, sævijt in infantes omnes Bethlehemiticos, ne vnus sibi Regnum eriperet. Ergò occidit Herodes etiam filium suum, ob timorē amittendi Regnum. Hunc autem timorem vndè concepit, nisi ex Magis conclamantibus, Regem Iudæorum recèns natum? Qua acclamatione expavit Herodes, timore novi Regis, ne pro illo ipse occideretur à Iudæis: & tremuit cuncta Hierosolyma, timens sævitiam Herodianam in tuendo Regno, quā miserorum iugula fuerant experta. En quàm aptè quadrat infanticidij caussa cum adventu Magorum!

Puente Hurt. de Mendoza vol. 2.

§. 41. S. Thom. q. 1. art. 4. Nec mirum, Magos Orientales motos ad novum Regem adorandum: siquidem toto Oriente fama cōstans præcrebruerat, tunc egressurum ex Iudæa, qui toto potiretur Orbe. Testes producam hostes ipsos: primum, Cornelium Tacitū lib. 5. in Vespasiano, cuius hæc sunt verba. *Pluribus persuasio inerat, antiquis Sacerdotum litteris contineri, eo ipso tempore fore, vt valesceret Oriens; profectique Iudæā rerum potirentur. Quæ ambages Vespasianum prædixerant; sed vulgus, more humanæ cupidinis, sibi tantam fatorum magnitudinē interpretati, ne ad versis quidem ad vera mutabantur.* Secundū producam, Suetonium Trāquillum in Vespasiano cap. 4. his verbis, *Percrebruerat Oriente toto vetus, & constans opinio, esse in fatis, vt eo tēpore Iudæā profecti rebus potirentur: id de Imperatore Romano, quantum eventu postea patuit, prædictum, Iudæi ad se trahentes, rebel ārūt, &c.* Hæc Trāquillus. Ex vtroque autem liquido cōstat, Iudæos non esse fractos neque ipsis cladibus Romanis, certiores effectos, iā esse tēpus, vt Rex Messias advētaret, ad excutiēdū ex eorū cervicibus servitutis iugū: quæ fama invaluerat Oriēte toto. Hūc ergo Regē expectatū in Oriente toto, Magi dignovērunt è cælesti signo, & curaverunt adorādum in Iudæa.

Cornel. Tacit.

Suetoni Tranq.

§. 42. Ioseph. Tertium testem proferam, Iosephum ipsum lib. 7. de bello Iudaico cap. 12. *Sed quod maximè eos* (inquit) *ad bellum excitaverat, responsum erat ambiguum, itidem in sacris libris inventum: quòd, eo tempore, quidam esset ex eorum finibus, Orbis terræ habiturus imperium, Id enim illi quidem, quasi proprium acceperunt: multique sapientes interpretatione decepti sunt. Hoc autem planè responso, Vespasiani designabatur Imperiū: qui apud Iudæam creatus est Imperator.*

§. 43. Non possum non invehi in scelestum istum, sacrilegumque Iudæū, qui vt Vespasiano adularetur, Sacrorū librorum sensum, quem ipse nòrat, sinistrè, & malitiosè detorsit, à Messia in Vespasianum. Iosephus enim in sua vita, quam ipse scripsit, ante libros de bello Iudaico, fatetur, se fuisse Pharisæum; nec indoctum. Pharisæis autem satis erat notum, Regem Iudæorum, à quo erant è servitute liberandi, futurum ex tribu Iuda, & familia Dauid; & hunc dominaturum Gentibus. At iste in testimonio adducto refert, multos sapientes fuisse deceptos, quia id existimabant: sic infidelis adulator vt assentaretur Vespasiano, à quo eius fuerat rebellionis crimen condo atum, vitaque donata, ad eum deflexit oracula divina de Regno Messiæ.

§. 44. Hinc sumitur argumentū non leve, quā magno fundamento Magi fuerint moti, ad quærendum Regem Iudæorum, adorādūque; vt verum Dominum totius Orbis: quia ea fama invaluerat Oriente toto. Tyrānus autem Herodes eum timuit, & curavit interficiendum: qua solicitudine, & angore cùm sæpè percelleretur, non solum interfecit adolescentes filios, Aristobulum, & Alexandrum, Dauidicos; sed alium quoque infantem: adeò, vt ex Augusti sententia, in domo Herodis tutior esset porcus, quā filius: quia porcum non tangeret, propter Iudaismum; filio autem non parceret, propter Iudaicum sanguinem, ob quem timebat Regno pelli. Iosephus verò malitioso silentio vtrāque sepelivit historiam, ne Imperium deferēs Iudæo Regi, suspectus esset Romano Imperatori, contra quem ipse iam rebellaverat, erectus spe auxiliorū Messiæ, quem expectaverat: non considerās, auxilia Messiæ non esse ad rebellionem & bellum; sed ad salutem animorum, in quibus Christus Rex dominatur Orbi.

SVBSECTIO VII.
Obiectio tertia de Eclipsi, terræque motu.

TERTIVM argumentum contra Evangelicam historaim, est ab eclipsi solis, quam, obeūte Christo, contigisse dicūt Euāgelici. Quod videtur fabulosū, quia nullus aut Hebræus, aut Græcus, aut Latinus author meminit eius defectionis solis; quæ tamen in stuporē raperet vniversum. Origenes in Matth. tractatu 35. censet, eas tenebras non incidisse, deficiente sole per Eclipsim: quia id cēset commentum inimicorum fidei Christianæ; qui, vt illi detraherent hominum fidem, nobis imposuerunt, es tenebras (nobis authoribus) offusas Orbi naturali solis Eclipsi, & quidem S. Hieronym. expostulat cum infidelibus, quòd eā stultitiā nobis imposuerint P. Maldonatus in Matth. c. 72145. docet, hāc fuisse criminationem de Eclipsi naturali: quia cōstabat Orbi vniverso, nō esse tēpus, vt tūc Sol, & Luna coiret: eaque ratione in suspitionē falsographiæ adducebantur Evāgelistæ. Neque solùm repreh ēdit Origenes illā naturalē Eclipsim, verū etiā apertè docet, Solē tunc non defecisse; sed tenebris obvolutā Iudæā solā: quemadmodū, in sola Iudæa, petræ scissæ sunt, & tremuit terra. Præcipuū argumentū Origenis est, quia Eclipsis illa esset communis toti huic hemisphærio; nec eam præterijssent Historiographi: & veritas Evangelica non tām proponeretur sapientibus credenda; quā ridēda.

§. 45. 3. Argum.

Origen.

S. Hieron.

P. Mald.

§. 46 Ceterū Origenes sentētiam mutavit lib. 2. contra Celsum, longè post initium: qui

qui enim illo tractatu 35. reprehenderat opinantes, tenebras accidisse, deficiente Sole; posteà admisit solis defectum: *tenebræ* (inquit) *interdiu sole deficiente, factæ sunt*. Inferius autem allegat Phlegontem Historicum, qui descripsit, hunc Solis defectum accidisse, regnante Tiberio. Quo solvitur argumentum, quod ipse adduxerat, eo tractatu 35. Cum enim eum tractatū edidit; non dum viderat opera Phlegontis; eis autem visis, mutavit sententiam: quia Eclipsim illā non solùm vidit, Iudæis fuisse notam; sed etiàm Romanis: eaquèpropter tenebræ factæ sunt, non interiectis nubibus crassioribus, vt ipse censuerat Origenes; sed oppositione Lunæ: quam sententiam sequitur P. Maldonatus: quia, & per se, sine vllo authore est valdè probabilis; & obtinuit apud omnes ferè Catholicos.

Phlegon.

P. Mald.

§. 47. Quia verò Eclipsis illa præternaturalis argumento est Orbi, de innocentia Christi morientis, & quòd in illo aliquid maius humano fuerit; libet ostendere, Eclipsim illā, neq; à Græcis, neque à Latinis prætermissā.

§. 48. Dionys. Areop. Dionysius Areopagita in Græcia fuit satis celebris, ab integritate, atque doctrinā. Hic adhuc Ethnicus, cùm Heliopoli Ægypti vnà esset cum Apollophane Philosopho, intuitus Eclipsim hanc præternaturalem, in admirationē raptus est. Deinde, cùm Apollophanes negaret authoritatem veteris testamenti, fabulamq; censeret, Solem stitisse gradum, imperio Iosue; illum arguit à præternaturali defectione Solis, quam, moriente Christo, ipse Apollophanes viderat: vt ex miraculo, quod viderat, crederet quod non viderat. Testimonium Dionysij est in eiusdem epistola ad S. Polycarpum Episcopum Smyrnæum; cum quo agens de conversione Apollophanis, hæc habet verba, ex trāslatione Perionij: * *Ab eo autem quære, quid sentiat de defectione Solis, quæ, cùm Servator in Crucem actus est, extitit? Eramus enim vnà ambo, & stabamus ad Heliopolim, ac cernebamus; neque opinatò, cum Luna se soli obijciebat: neque enim coniunctionis tēpus erat. Rursusque, cùm eadem, ab hora nona ad vesperū, se mediæ Solis lineæ, præter naturæ ordinē, opponebat. Redige autem etiàm aliquid aliud ei in memoriā: scit enim etiàm obiectum ipsum à nobis visū esse, oriri ab ortu Solis, & ad Solis extremum pervenire; deindè evanescere. Rursusque, non ab eadē parte Solis, & obiectum & recessum evenire; sed ab ea, quæ (vt ita dicam) ex diametro erat contraria. Hæc sunt mirabilia illius tēporis, quæ Christus author rerum omniū efficere solus potest, qui facit magna & mirabilia, quorum non est numerus.* * Hæc Dionysij verba tàm sunt aperta, vt nullo egeant explicatu.

§. 49. Vt autē constet, Dionysium, quamvis impudentissimus fuisset, non potuisse mētiri: adverte, illi animū esse in ea epistola, vt S. Polycarpus persuadeat Apollophani, vt fidem adhibeat veritati Evangelicæ: ad quod petit, vt Polycarpus refricet memoriā Apollophani præternaturale deliquiū Solis, quod Apollophanes & Dionysius viderūt vnà. Si autē id esset mendaciū, cachinnaretur Apollophanes in religionē iunixā mēdacio tā impudenti; Polycarpus verò, qua erat integritate vitæ, & rubore suffunderetur, & Dionysiū vili æstimaret. Audi ergò Dionysium per Apostrophem loquentem Apollophani. *Ea, si fas tibi est, & si potes, Apollophanes, refelle etiàm contra me, qui tùm scilicèt tecum & adfui, & adspexi, & exquisivi omnia, cum summa admiratione. Tùm quidem etiàm divinare, haud scio, vndè Apollophanes cœpit; & mecum quasi ea, quæ fiebant, conferens, hæc dixit: sunt istæ, Dionysi, divinarum rerum vicissitudines. Hæc à nobis, quantum Epistolæ ratio postulabat, dicta sunt. Tu verò, & quæ desunt, supplere potes; & perfectè offerre, consecrareque Deo virum, qui magna sapientiâ est præditus, & qui forsitan non gravatè sustinebit, placidè sapientissimam nostræ religionis veritatem docere*. Hùcusque Dionysius.

Idem.

§. 50. Obiectio. Luther. Vitacker. Iosep. Scaliger. Dices, si ea epistola est Dionysij, nihil desiderari. Dubium autem est, an epistola sit eius authoris? Negant enim Lutherus, Vitackerus, & illis doctrinâ & imprudentiâ parùm absimilis Iosephus Scaliger. Porci sunt isti Hæretici, qui è cœnoso volutabro omnia liniunt cœno. Animales homines, qui non percipientes ea, quæ sunt spiritus, deblaterant contra libros S. Dionysij, quos non magis percipiunt, quā surdus musicā; non blateraturi, si S. Dionysius cœnas, crapulas, & scortationes docuisset. Non erat opus alio testimonio, ad cōfirmandos hos libros, quàm eos ab hæreticis negari: vt negatur epistola Sancti Iacobi, quia docet, fidē sine operibus esse mortuā; ipsi verò sola fide vellent cœlos intrare, cū sentina vitiorum: negant etiam librum Machabæorum: quia meminit Purgatorij; ipsi verò neque per somnū volunt cogitare de pœna scelerum, magis quàm de fune fures. Docet S. Dionysius, realem præsentiam corporis Christi, docet monasticam & religiosam vitam, percenset Ecclesiasticos ritus, & traditiones. His secantur, & vruntur Hydræ hæresum, quibus hac tēpestate ardet Occidens; quid faciant insanientes hæretici; nisi spuere in cœlum, vt obcæcentur, & fædentur, recidente saliva? Hos autem libros adscribunt Sācto Dionysio, Cardinalis Baronius longa disputatione eos vindicans à ca-

Cardin. Baron.

S. Tho. q. 1. Art. 4. à calumnia. Cardinalis Bellarminus de Scriptoribus Ecclesiasticis, qui, qua prudētiâ pollet, in hæreticos dicit, sufficere ad authoritatem horum librorum, eos celebrari esse Dionysij à Sancto Gregorio Magno, à Sancto Martino Papa & Martyre, à Sancto Agathone Pontifice: item à Concilio sexto generali, & septimo. Pater Gordonus in Chronologia. Pater Gualterus in prima centuria, §. 23. P. Maldonatus in Matth. c. 27. 45. propugnant fixo pede hanc veritatem. Pater Martinus Rius in vindicijs Areopagiticis, sale & aceto perfricat horum hæreticorum vulnera graveolentia. Rogas, quid sentiam de Caietano eunte in eam sententiam? Laudo eum; in hoc non laudo: melius esset; si non ivisset. De quo ait Melchior Canus, lib. 7. de locis, hæc verba: *Nam & vetustæ traditionis parùm tenax, & in Sanctorum lectione parùm quoquè versatus.* Mitto alia eiusdem Cani verba in Caietanum, ne videar tractare ignem aliena manu. Consule Rium, cap. 6. vindiciarum. Hæc de authore Græco, confirmante Eclipsim, vt teste oculto. Quæramus Latinum aliquem.

Cardin. Bellar. — P. Gordo. — P. Gualte. — P. Mald. — P. Marti. Rius. — Caietan. — Canus. — Rius.

§. 51. Phlegon. Hic sit Phlegon, libertus Adriani Imperatoris, minimè Christianus. Cuius opera tempus absumpsit, sicut infinita aliorũ. Allegantur autem ab origene tom. 2. lib. 2. contra Celsum, bis aut ter. Neque verosimile est, Origenem, falsò allegaturum scripta Phlegontis, dum refelleret calumnias Iudæorum & Epicureorum, qui accusabant Evangelia falsitatis, quòd defectum Solis à nemine visum narrarent: respondet enim Origenes authoritate Phlegontis, qui paulò antè scripserat: & nisi eius scripta tunc esset celebrata, futile esset responsum Origenis, cuius verba sunt hæc. *De defectu autem Solis, sub Tiberio Cæsare, quo imperante, Iesum constat crucifixum, deque magnis eius temporis terræmotibus, etiam Phlegon scripsit in decimotertio, aut, ni fallor, decimoquarto Chronicorum volumine*: & infrà; *putat autem prodigij loco ducendum, quòd, moriente Iesu, contremuerit terra; & cuncta sint tenebris obvoluta; de quibus tamen, vt licuit suprà respondimus, cùm & Phlegonta ipsum produximus, Salvatoris temporibus patientis historiam fuisse complexum.* Hæc Origines: quibus fidem facit veritati, quam explano.

Orig.

§. 52. Euseb. Nec minoris ponderis est authoritas Eusebij, diligentissimi & accuratissimi Historici, Livio, Tranquillo, & Tacito præferendi, qui, anno Christi 33. non solùm allegat Phlegonta; sed & alios Ethnicos authores: agens enim de Iesu Christo hæc ait: *Secundum prophetias, quæ de Deo fuerant prælocutæ, ad passionem venit, anno Tiberij 18. quo tempore, & in alijs Ethnicorum Commentarijs, hæc ad verbum scripta repetimus. Solis facta defectio; & tenebræ super vniversam terram. Bithynia terræmotu concussa; &, in vrbe Nicæna, ædes plurimæ corruerunt. Quæ omnia his congruunt, quæ in passione Salvatoris acciderunt.* Hæc Eusebius in Chronico, anno Christi 33. Posteà verò hæc ait: *Scripsit verò super his & Phlegon, qui Olympiadarum egregius supputator est, in decimoquarto libro, ita dicens: Quarto autem anno, ducentesimæ secundæ Olympiadis, magna, & excellens inter omnes, quæ ante eam acciderant, defectio solis est facta: dies, horâ sexta, ita in tenebrosam noctem versus, vt stellæ cœlo visæ sint, terræque motus, in Bithynia, Nicænæ vrbis multas ædes subverterit. Hæc supradictus vir.* Hucusque Eusebius, describens verba Phlegontis: deinde probat, in illum annum incidisse mortem Christi. Phlegontem hunc fuisse libertum Imperatoris Adriani, testantur, Baronius, anno Christi 34. num. 120. & P. Gordonus, anno Christi 138. ad quem vixit Phlegon: cuius etiam meminere, S. Hieronymus, Suidas, & Scaliger.

Baron. — Gordon. — S. Hieron. — Suidas — Scaliger.

§. 53. Hæc ita fusè disputavi, ad arguendos infideles, qui Evangelio fidem non præstant: in quo neque vestigiũ mendacij invenient. Ea enim quæ ad historiam pertinent, qui censent, esse fabulosa; moventur inscitiâ, & ignorantiâ veterum historiarum. Quæ autem pertinent ad componendos mores, illis desipiunt: quia sunt suis voluptatibus & libidini dediti; quas ad vivum resecat Evangelium. Quæ autem attinent ad doctrinam; prætervolant, non humanas modò, verùm & cælicas ipsas mentes. Ipsi verò, barbarorum more, blasphemant quæcumque ignorant. His autem, quibus è cœlo lumen affulget, tanta inest Evangelicæ veritatis æstimatio, vt, pro eius professione, parati sint millies vitam profundere. Finem faciam huic argumento, exemplo cuiusdam Philosophi, qui è Platonico factus est Christianus: tanti enim fecit Evangelia (teste Augustino, tomo 5. lib. 10. de Civit. cap. 19.) vt initium Evangelij Sancti Ioannis, aureis litteris conscribendum curaverit, & in omnibus Ecclesijs legendum.

Aug.

§. 54. Obiectio. Superest vna sola difficultas, nempè, omnes libros esse corruptos, aut fictos à Christianis: quia interierunt Ethnici & Iudæi, scriptis suis ostēderent falsitatem nostram. Quæro abs te, antequàm respondeam, vndè sciveris istam librorum corruptelam? an ex aliquo libro; an verò ex te solo? Si ex te, temerè loqueris, qui, absque vllo fundamento, negas librorum antiquitatem in nos perennantem, ab Ecclesiæ natalitijs. Si autem loqueris ex aliquo libro, cur illum non combussimus, aut emendavimus, qui nobis esset

esset omnium perniciosissimus? Deinde, ostende, quis sit ille liber? *Resp.* Respondeo ergo, argumentum obiectum, esse ab Evangelica veritate. Si enim Evangelium absumpsit Ethnicos, atque Iudæos, præter quos nulla erat alia secta religionis, qua ratione illos vicit; nisi inconcussa veritatis vi? Vt autem pateat, quàm sit stulta hæc obiectio, considera, Christianos cœpisse inter Ethnicos atque Iudæos: à quibus cruenta tormenta, atque ludibria passi, vicerunt tandem. In ipsis verò primordijs, vigebant Iudæorum & Hebræorum libri. *Origen.* Quo autem tempore Origenes calamum strinxit contra Celsum Epicureum, Ethnici florebant: è quibus erat Phlegon Gentilis, cuius testimonio vtitur Origenes, contra Gentilem alium. Quid? ipsi Christiani conservârunt Ethnicorum libros, quos, nisi per Christianos, devorâsset tempus. In quibus libris adhuc cõservantur probra atque ludibria, quæ ipsi effutiverunt in Christum, atque Christianos. Quæ Celsus dixit, multa fuerunt atque blasphema; referuntur tamen & refelluntur ab Origene libris octo. Crimina etiàm obiecta Christianis, recensentur à Tertulliano in Apologetico. Infames Imperatorum sententias describit Eusebius, in historia Ecclesiastica. Conuicia Taciti, atque Tranquilli perseverant in ipsorum libris. *Tertull. Eusch. Tacitus. Tranquill.* Cur hæc non detraximus, pro illis subrogata laude Christianorum? Præterea, multa volumina, quæ circumferebantur nomine Patriarcharum, aut Apostolorum; quãvis præclara multa prædicabant de Christo, atque Christianis; Christiana respuit Ecclesia: vel quia incerta erat de illorum authore; vel quia falsò nonnulla efferebant, *S. August.* (teste S. Augustino, tomo 5. lib. 18. de Civitate, c. 38.) Siquis autem ausus est Evangelia depravare, non abijt impunis; sin, animadverte, quàm acriter animadverterit *Tertull.* Tertullianus in Marcionem corruptorem Evangeliorum.

§. 55. *Origen.* Claudat agmẽ Origenes contra Celsum, libro secũdo, his verbis. *Non intelligit autem Celsus, non cadere in eosdem, vt decepti Iesum habeant pro Deo, præmonstrato Prophetarum oraculis; & vt de eodem fingant, quæ ipsi sciant, vera non esse. Aut igitur non finxerunt; sed ex animo scribentes, vera dixerunt; aut, si falsa prodiderant, contra suam conscientiam; non fuerunt decepti, vt eum haberent pro Deo. Post hæc dicit, quosdam fidelium, quasi per temulentiam, permittere sibi quidvis, in mutanda scriptura Evangelica, tribus modis, quatuorvè aut pluribus: vt sic retractata possint negare, quoties arguuntur. Equidem à nemine alio mutatum Evangelium scio. præterquàm à Marcionis, & Valentini, & fortassè Lucani discipulis: quod crimen non est Evangelij; sed eorum; qui id ausi sunt depravare temerè. Et quemadmodum nihil ad Philosophiã crimen Sophistarum, Epicureorum, Peripateticorum, aut quorumcumque falsa dogmata profitentium; ita in verum Christianismum non cadit crimen depravantium Evangelia, novasquè sectas in Iesu doctrinam introducentium.* Hæc Origenes: quibus nihil directius ad hunc scopum. Abhorret enim quàm longissimè à Christiano instituto depravatio librorum; est autem institutum istud Iudæorum, Ethnicorum, & Hæreticorum, qui nihil efficiunt, nisi per inscitiam, & dolum. Christiani verò solis oculis libros legunt; non manibus, confisi bonæ caussæ patrocinio: veritas enim veritate, non mendacio se tuetur; mendacium tegere se curat mendacio.

SECTIO. II.

De Prophetia Christi.

STABILITA Evangeliorum antiquitate, ostendendum superest, in illis, & in illorum Authore Christo, lucere aliquid maius humano & Angelico. Quod liquidò constabit, si ostenderimus, ab ijs, vera vaticinatione, prædicta esse futura. §. 56.
Nam S. August. rectè dixit, prophetiam nõ esse; nisi inspirante Deo. S. Petrus testatur, Sanctos Dei loquutos esse Spiritu Sancto inspiratos; Sanctus verò Paulus, Deum loquutum esse per Prophetas. *S. August. 2. Petr. 1. 21. 1. ad Heb. 1.* Ratione Theologi reddunt: quia nulla creatura potest, solis suis viribus, cognoscere, quam in partem se sit inflexurum liberum arbitrium. Isaias autem dixit: *annuntiate, quæ ventura sunt in futurum; & sciemus, quia Dij estis vos.* *Isa. 41. 23* Quod sic obtinet hominum mentes, vt Vespasianus & Titus censuerint, Iosephum divino spiritu afflatum, illis imperium prędixisse. Prædictionem refert Iosephus ipse, *Ioseph.* lib. 3. de bello Iudaico; sentiri autem ab Imperatoribus, Iosephum extitisse nuntium, atque ministrum vocis Dei, refert idem Iosephus lib. 5. cap. 12. Neque oportet morari in re tàm aperta: age, prædicationes expendamus.

Ac primum expendamus excidium Hierosolymitanum, quod Christus, non prædixisse; sed per historiam retulisse videtur. §. 57. S. Lucas, cap. 19. describens Christi triumphum, refert hæc Christi verba, ad Hierosolymam, versu 41. *S. Lucas.* *Vt appropinquavit, videns civitatem flevit super illam dicens: quia, si cognovisses & tu; & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi; nunc autem abscondita sunt ab oculis*

S.Tho.q. 1. Art. 4. *oculis tuis. Quia veniens dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo, & circumdabunt te, & coangustabunt vndique, & ad terram prosternent te, & filios tuos, qui in te sunt; & non relinquent in te lapidem super lapidem: eo quòd non cognoveris tempus visitationis tuæ.* Tria expēdenda sunt in his Christi verbis: primum, ingens & lamentabilis clades Hierosolymitanorum, quam significant geminata verba: *circumdabunt te, & coangustabunt vndique.* Deinde considerandum est vallum, quo tota Vrbs erat circumcingenda. Tertiò perpendenda est complanatio Civitatis adeò, vt non sit relinquēdus in ea lapis super lapidem. Hæc verbum pro verbo scribit Iosephus, septem libris de bello Iudaico. Ioseph.

§. 58. Quanta enim clade Hierosolyma fuerit affecta, constat ex lib. 7. cap. 8. vbi refert immane facinus Mariæ, quæ, per famem, filium coctum comēdit. Legatur totus ille liber septimus, quo referuntur tot ac tantæ calamitates infaustissimæ Hierosolymæ, vt nulla ex tristissimis tragædijs, quas spectavit Orbis, illi sit longo intervallo comparanda: nam peremptorum numerus sic explicatur à Iosepho eo lib. 7. cap. 17. * *Tunc* tamen, velut in carcerem, tota gens fato conclusa est, & farta hominibus Civitas bello obsidebatur. Itaquè superat omnem humanam, & divinitùs emissam pestē numerus peremptorum: quos partim palàm occidêre, partim cepere Romani. Rimantes enim cloacas, & sepulchra eruentes, quos offendissent, iugulabant. Inventi autem sunt ibi quoque plusquàm duo millia, quorum alij manu sua, plures mutuis se vulneribus interfecerant, cùm alios fames corrupisset. Fœdus autem corporum odor introeuntibus occurrebat, adeò, vt statim multi recederent; alij, plura habendi cupidine, congesta cadavera calcantes, se *immergerent.** Hæc Iosephus. Refert autem interfectorum tota obsidione fuisse vndecies centena millia. Neque verò Iudæi graviora passi sunt à Romanis; sed à se ipsis. Quamobrem nulli sit mirum, Christum in ipso honore triumphi, perculsum memoriâ huius stragis, lachrymatum calamitatem gentis, quam amabat: &, quod magis Christi commendat amorem etiàm in hostes, est, illum, cùm duceretur ad crucifigēdum, prohibuisse mulieribus lachrymas, quibus indignam eius mortem lugebant, easquè præcepisse servandas, ad suarum cladium lamenta. *Conversus autem ad illos Iesus dixit: Filiæ Hierusalem, nolite flere super me; sed super vos ipsas flete, & super filios vestros. Quoniam ecce venīet dies, in quibus dicēt: Beatæ steriles, & ventres, qui non genuerunt, & vbera, quæ non lactaverunt. Tunc incipient dicere montibus: cadite super nos, & collibus: operite nos. Quia, si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* En quàm aptè Christus lachrymis præivit lachrymabilem suorum cladem! Quam etiàm prædixit futuram, eadem generatione, id est, eodem tempore, adeò, vt multi, qui tūc aderant, eumque postulaverant ad crucem, eam essent perpessuri. Quod enim dixit. Matthæi 24. 34. *non præteribit generatio hæc, donec omnia hæc fiant,* multi referunt ad hanc eversionem Vrbis, & templi, quamvis P. Maldonatus, cum Origene eos simplices appellat. Hæc de prima parte huius Prophetiæ. Luc. 23. 28. Matth. 24. 34. P. Mald. Orig.

§. 59. Secūda pars, quæ est, de vallo, quo Vrbs fuit obsessa, non est minùs aperta, quàm prima: Iosephus enim suis oculis vidit erectū à Romanis murum, quo tota Hierosolyma fuit inclusa, quasi in caveam. Nam Titus considerans desperationem Iudæorum, voluit eos à se ipsis interimi, sine Romanorum vulnere: quarè illos parietibus sepsit, taurorum more, atque leonū. Hæc sunt verba Iosephi, lib. 6. cap. 13. * *Debere* totam muro cingere Civitatem: hoc enim modo omnes exitus posse præcludi. His dictis duces exhortatus, iubet eos exercitus in opera distribuere. Divinus autem quidam impetus militibus incidit: ambitumquè partiti, Rectores inter se certabant. Cœptum enim à castris Assyriorum, vbi ipse tendebat, ad inferiorem Cœnopolim, murum duxit. Hinc, per Cedronem, ad Eleon montem revertēs, à meridie, montem complectitur, vsque ad saxum, quod Peristereônos vocatur, eiquè proximum collem, qui super vallem imminet Siloam: ac indè ad Occidentem, flexo ædificio, ad vallem fontis descendit. Hinc subiens ad Annani Pontificis monumentū, circumdato monte, vbi Pompeius castra posuerat, ad Septemtrionalem redit regionem: & cùm processisset ad vicum, cui nomen est Erebinthonicus: post illum, Herodis monumentum ab Oriente clausum, castris suis coniunxit, vndè cœperat. Murus quidem, vno minùs, quadraginta stadiorum erat. Ad hoc autem foris Castella tredecim ædificata sunt: eorum gyrus denis stadijs numerabatur. Muro autem circumclusa *Civitate, &c.** Hæc Iosephus inimicus Christi, qui vel invitus testis est, qua ratione Deus compleverit, quæ Christus, Deo ipso authore, multò antè prædixerat. Iosephus.

§. 60. Vt autem apertè monstretur, hanc prophetiam non esse de communi aliquo eventu, cui expositæ sunt vrbes, propter Mavortium furorem; sed de eventu, qualem nequè Troiani experti sunt à Græcis; nequè gens vlla à Romanis: expende ingētem

diffi-

difficultatem huius muri struendi, quam
Idem. posse superari, Romani vix sunt ausi sperare. Eam idem Iosephus eodem capite describit his verbis, agens de solicitudine Titi, in expugnanda Civitate: *Aggeres autem fieri, impendiorum penuriâ, operosum iudicabat; egressus verò Civitatis observari, operosius: neq; enim circumdari eam, propter magnitudinem, locorumque difficultatem, ab exercitu posse.* E quibus apertè lucet, Christum præscium fuisse Romanorum operis, Romanis ipsis inopinati.

§. 61. Tertia pars huius vaticinij non est difficilior probatu; nempe excidium Hierosolymæ: quod Christus sæpiùs prædixisse
Luc. 19. 44. fertur ab Evangelistis. Luc. 19. 44. *& ad terram prosternent te, & filios tuos, qui in te sunt, & non relinquent in te lapidem super lapidem.*
Matth. 23. 37. 38. Matth. 23. 37. 38. *Hierusalem, Hierusalem, quæ occidis Prophetas. Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta.* Item clarissima signa
Luc. 21. 20. 23. dedit huius excidij apud Lucam 21. 20. 23. *Cùm autem videritis circumdari ab exercitu Hierusalem: tunc scitote quia appropinquavit desolatio eius. Væ autem prægnantibus, & nutrientibus in illis diebus: erit enim pressura magna super terram; & ira populo huic; & cadent in ore gladij, & captivi ducentur in omnes gentes; & Hierusalem calcabitur à Gentibus.* Hæc Christus. Audiamus Iosephum testem oculatum miserandarũ cladium: quem arbitror, providente Numine, servatum à Vespasiano, vt nonminùs esset Historiographus Christi, quàm Romanorum.

§. 62. Vrbem à Gentibus inculcatam vidimus: quia Vespasianus, & Titus, atque Romani erant Gentiles. Exercitus item, qui Civitatem primus cinxit, fuit, quem duxit Vespasianus, Titusque retinuit, Vespasiano redeunte Romam, ad capessendum Imperiũ. Inter hunc autem exercitum, & prædictionem Christi, nullus alius exercitus Hierosolymam adventavit. Obsidio ergò huius exercitus data fuit à Christo, signum eversionis Vrbanæ. Non relinquendum lapidẽ super lapidem, probavit eventus, apud Io-
Ioseph. sephum, lib. 7. cap. 18. his verbis: * *Sed enim* neque antiquitas, neque ingentes divitiæ, neque per totum Orbem terræ diffusa fama, nec magna religionis gloria quidquam iuvit, quo minùs periret: talis quidem finis Hierosolymorum obsidionis fuit. Postquã verò, quos occideret; quidvè raperet, non habebat exercitus, quòd iratis animis omnia deerant (nec enim parcẽdo, si esset quod agerent, abstinuissent) iubet eos Cæsar, totam funditùs iam eruere civitatem ac templum; relictis quidem turribus, quæ præter alias eminebant, Phaselo, & Hippico, & Mariamne; murique tanto, quantum Civitatem ab Occidente cingebat. Id quidem, vt esset castrum illic, custodiæ caussâ, relinquendis; turres autem, vt posteris indicarent, qualem Civitatem, quámque munitissimam Romanorum virtus obtinuisset. Aliũ verò totum ambitum Civitatis ita complanaverunt diruentes, vt qui ad eam accessissent, habitatam aliquando esse, vix crederent. Hic quidem finis Hierosolymis fuit, clarissimæ Civitati, & apud omnes homines *prædicatissimæ.* * His Iosephus (verbum pro verbo) ostendit veritatem, qua Christus Hierosolymorum cladẽ prædixerat. Cuius prædictionis cùm ipse non fuisset ignarus, debuisset fidem præstare Christo, per quem Deum viderat tàm apertè loquutum.

Reliquas partes prophetiæ Iosephus ipse §. 63.
confirmat. Venditos enim Iudæos, & dispersos in Gentes sic scribit: *Iuvenes autem* Idem.
lectos, qui procerò, atque formoso essent corpore, triumpho servabat: ex residua multitudine, septem & decem maiores annis vinctos mittit ad Ægyptum, operibus deputandos. Plurimos autem per Provincias Titus distribuit, in spectaculis, ferro & bestijs consumendos; qui verò intra decimum & septimum annum ætatis agerent, vendidissent. Neque minùs clarescit pressura, quã Christus illis est vaticinatus: vt constat ex eodem Iosepho, lib. 7. cap. 16. his verbis: Idem.
* *In* angustijs autem viarum, strictis gladijs, fusi, &, quos cepissent, interficiebant, nullo discrimine: domosque totas, cum omnibus, qui eò confugerant, igni tradebant. Multas verò vastantes, quas, prædæ caussâ, penetrassent, integras mortuorum familias, & plena mortuis tecta, quos fames confecerat, offendebant: ipsum deinde horrentes aspectum, vacuis manibus egrediebantur. Nec tamen eo modo, peremptos miserantes, idem etiam circa vivos patiebantur; sed vnumquemque obvium transfigendo, & angusta viarum cadaveribus obstruẽdo, totam Civitatem sanguine diluêre, vt pleraque incensorum cædes extinguerent: & occidentes quidem vesperè cessabant; noctè verò crescebat incendium. Ardentibus autem Hierosolymis, illuxit dies Septembris mẽsis octavæ Civitati, tot clades, cùm obsideretur, *expertæ.* * Hæc Iosephus: quibus eleganter ostendit miseræ Civitatis pressuram prædictam à Christo. Vaticinium autem, de Iudæis divendendis, satis confirmat cap. 15. describens, quàm vili pretio subhastarentur, adeò, vt deficerent emptores: concludit enim: *& infinita quidem multitudo venij, &c.*

Hunc autem populum hæc mala perpessum ab irato Deo (quod etiã Christus prædixit) constat: quia Titus ipse (teste Iosepho) conspiciens mortuorum aggeres in murorum vallo, & infinitam corporum §. 64.
tabem,

S.Tho.q. 1.Art.4. tabem, contestatus est, tàm immane opus non esse suum. Item lib.7.cap.16. expugnationem Vrbis adscripsit Dei virtuti; non suorum fortitudini, his verbis: *Deo planè adiuvante, pugnavimus; & Deus erat, qui detraxit ab istis munimentis Iudæos. Nam quæ hominum manus; aut quæ machinæ ad istas valerent?* Hæc Titus Romanus Imperator, qui censuit hanc Vrbem captam, non Romanorum armis, quibus domitus fuit totus Orbis; sed præcipua Numinis providentiâ. Et ipse Iosephus eam ibidem considerat, expendens Iudæorum amentiam, in relinquendis firmissimis munitionibus, quibus superiores erant Romanis. Concludit autem, scelestissimos Iudæos absumptũ iri, vel terræ hiatu, vel è cœlo fulmine; tametsi Romani, hostesque deessent. Quod confirmat cap. 12. recensens voces auditas in templo, humanâ maiores: *migremus hinc*; subdit verò hæc esse Dei monita; quæ tamen ipsi sunt aspernati.

§. 64. Hæc sunt clarissima testimonia divinitatis Christi, qui hæc prædixit, vt se esse filiũ Dei confirmaret: quæ tàm minutè ipse recensuit, vt nullus esset dubitationi locus. Fuerunt autem illa, neque trita, neque vulgaria: nam quàm raro complanatæ sunt civitates! immò quàm numquam! Arsit Troia; at verò iam capta, non fuit ita diruta, vt non crederetur habitata fuisse. Romani extinxere Corinthum; sed in qua posteà videbantur parietinæ. Arantur interdum rebellium Vrbes, in quibus sal spargitur; arantur verò calles, nequè diruuntur parietes omnes. Hæc autem Vrbs celebratissima, cui ipsa Roma invidere posset, tàm funditùs fuit eversa, ac diruta, vt qui accessisset, non posset credere, solum illud aliquando fuisse habitatum: vt, ex eventu raro, portendente, & numquàm audito, essemus certi de divina præscientia Christi.

§. 65. Affine est huic prædictioni vaticinium de evertendo templo à Romanis: quã eversionem à Christo multò antè prædictam referunt Matth. 24. 1. 2. *& egressus Iesus de templo, ibat: & accesserunt discipuli eius, vt ostenderent ei ædificationes templi. Ipse autem respondens dixit illis: videtis hæc omnia? Amen dico vobis, non relinquetur hic lapis super lapidem, qui non destruatur.* Marcus 13.2. repetit eadem ferè verba. Dat autem illis signum, de abominatione stante in loco, in quo non debet: quod multi intelligunt, de statua, quam Præses Iudææ, iussu Romani Imperatoris, collocavit in templo. Lucas 21.5.6. hæc ait: *& quibusdam dicentibus de templo, quòd bonis lapidibus, & donis ornatum esset, dixit: hæc quæ videtis, venient dies, in quibus non relinquetur lapis super lapidem, qui non destruatur.* Rogatus autem à discipulis, quo tempore hæc essent eventura? dixit versu 20. *Cùm autem videritis, circumdari ab exercitu Hierusalem; tunc scitote, quia appropinquavit desolatio eius.* Duo hîc vaticinatus est Christus; alterum, in templo illo nullum lapidem super lapidem iri relictum; alterum, id eventurũ, quo tempore Hierusalem esset obsessa ab exercitu; intelligitur autem vaticinium de obsidione prima. Quæ omnia contigisse, post non multos annos, probavit eventus.

Matth. 24. 1. 2.

Marc. 13. 2.

Luc. 21. 5. 6.

§. 66. Iosephus. Iosephus lib.7.cap.9. hæc ait. *Titus autem discessit in Antoniam, decreto postridie manè cum omni exercitu aggredi, templumque oppugnare. Sed id planè Dei sententia iamdudum igne damnaverat: evolutisquè temporibus, aderat fatalis dies, qui erat decimus mensis Augusti.* Idem verò Iosephus, cap. 10. latè describit, templum incensum contra voluntatem Titi Imperatoris, his verbis: * *Maturè* autem hoc Tito quidam nuntiat: & ille exilit, templumquè curriculò petit; prohibiturus incendium: omnesque post eum Duces, & hos agmina perterrita sequebantur. Cæsar autem, voce simul ac dexterâ pugnantibus, signo dato, ignem iubet extingui; sed nequè vox eius audiebatur, nutumquè dexteræ non attendebant; cùm alios bellum, alios ira distraheret. Cùm verò ad templum accessissent, edicta quidem Cæsaris non audire simulantes, præcedentem quisque, vt ignem immitteret, hortabatur. Cæsar autem, vbi nequè impetum insanientium militum continere poterat, & flamma dominabatur; intrò cum Rectoribus ingressus, & sanctum templi, & quæcumque illic erant, adspexit. Cùm autem flamma nondum ex vlla parte ad interiora penetrâsset; nequè membra, quæ circum templum erant, depasceretur: (quod erat verum) existimans adhùc illud posse servari, & ipse prosiluit; militesquè rogare, vt ignem restinguerent, conabatur: & Liberalem Centurionem de stipatoribus suis, fuste mulctatos, qui non obedirent, iussit arcere. Illorum autem furor, belliquè impetus quidam vehemẽtior, Iudæorumquè odia, & Cæsaris reverentiã, & prohibentis metum superabant; plerosque autem prædarum spes incitabat, suspicantes intùs omnia pecuniâ referta esse: quoniam fores auro factas conspicerent: Prætereà quidam miles ex his, qui intraverant, cùm Cæsar ad inhibendum incendium cucurrisset, ignem iam cardinibus portæ subiecerat: tùmquè subitò, postquàm flamma intus apparuit, & Duces cum Cæsare discedebant, & stantes extrà, succendere nemo *prohibebat.* * Hæc Iosephus. Quia verò hæc non erant satis ad veritatem Christianæ

Idem.

ſtianæ prædictionis; ait idem Ioſephus c. 18. *Iubet eos Cæſar totam funditùs iam eruere Civitatem, ac templum.*

§. 67. En completam ſingularisſimam prædictionem Chriſti, de raro, & inopinato eventu. Primum; quia tunc pace erant compoſitæ Romanæ res atque Iudaicæ. Secundò, quia nulla erat aptior munitio, ad præſidium Romanorum, quàm templum: de

Idem. quo Ioſephus lib. 1. c. 5. ait, De Pōpeio Magno: *fanumquè illic cernebat proximum, adeò fortiſsima munitione circundatum, vt, etiā ſi civitas caperetur, ſecundum eſſet hoſtibus in eo refugium.* Cùm autem Titus munitionē novam eſſet extructurus, militibus relinquendis, cuſtodiæ gratiâ, cur templum, capta iam Ciuitate, iubet complanandum? Tertio, quia templum, tùm magnitudine, tùm pulchritudine, tùm etiàm rerum magnificentiâ, & gloriâ, fuit maximè admirādum, inter omnia opera, quæ aut vidimus, aut audivimus, teſte eodem Ioſepho lib. 4. c. 10. & quod caput eſt Romani ſuis Ducibus obſequentisſimi eorum dicto audientes; & qui obedientiam detrectabant, crudeles luebant pœnas: hi inquam, cōtra morem patrium, contra diſciplinam militarē, cuius fuere obſervantisſimi, contra vrbanitatem & reverentiam in Imperatorem, non potuerunt, neque Imperio Cæſaris cohiberi, neque à duce Satellitij Imperatorij fuſtibus arcerin, eque flecti Imperatoris precibus, quominus templum incenderent, ipſo ſpectante Imperatore, qui tēpli lugebat incendium; imò & per ſe ipſum impedire conabatur, non ſine vitæ diſcrimine. Vt manifeſtè è cœlo illuceat ſpiritus divinus, quo Chriſtus fuit vaticinatus portenta tam inaudita.

SECTIO III.

Hoc exidium contigit ad vlciſcendam necem Chriſti.

§. 68. NON libet digredi ab hoc excidio: quod, vt eſt argumento prophetiæ Chriſti; ſic eiuſdem innocentiam confirmat Contigit enim ab irato Numine, vlciſcente impium & atrox Chriſticidium. Hanc calamitatem Iudæos

Ioſeph. paſſos, irâ Dei, & Chriſtus prædixit, teſtaturquè Ioſephus cenſens, ſceleſtisſimos Iudæos perituros, tametſi Romani tardaſſent (vt ex eodē retuli §. 64.) libro nāquè 7. c. 7. ait. *Puto, ſi Romani cōtra noxios venire tardaſſent, aut hiatu terræ devorādā fuiſſe Civitatē, aut diluvio perituraā, aut fulminū ac Sodomæ incēdia paſſuram.* Deum autē iratum eos deſerviſſe, affirmat Tacitus in Veſpaſiano lib. 5. Tacitus. *Expaſſæ (inquit) repentè delubri fores, & audita maior humanâ vox excedere Deos: ſimul ingens motus excedentium.* Imò Ioſephus ipſe lib. 7. c. 12. inter oſtenta, quibus præſagiebatur Hieroſolymitana ruina, refert, Orietalem portam templi, quæ erat ænea, atquè graviſsima, apertam vltro: item Sacerdotes dei Pentecoſtes ingreſſos in templū, ſacra peracturos audiviſſe quemdam motum, atquè ſtrepitum, hancquè ſubitam vocem: *Migremus hinc.* Eæ autem voces ſigna ſunt irati Dei, & cuſtodum Angelorum: quales apud Prophetam Ieremiam 51. 9. Ierem. 51. 9. referuntur emiſſæ ab Angelis: *Curavimus Babylonem, & non eſt ſanata: derelinquamus eam::: quoniam pervenit vſquè ad cælos iudicium eius* Hoc autem exidium vindictam fuiſſe necis Chriſtianæ, oſtendam ex triplici capite

SVBSECTIO I.

Vaticinium Danielis.

§. 69. PRIMVM caput, vnde petenda inſtituti confirmatio, eſt ex Daniele c. 9. à verſu 21. Vbi Gabriel Danielem docuit, poſt ex pletas hebdomades venturum eſſe Chriſtum. Verba Danielis, * *Septuaginta* hebdomades abbreviatæ ſunt, ſuper populūmtuū, & ſuper vrbem ſanctam tuam: vt conſumatur prævaricatio, & finem accipiat peccatum: & deleatur iniquitas; & adducatur iuſtitia ſempiterna: & impleatur viſio, & prophetia: & vngatur Sanctus Sanctorum! Scito ergò, & animadverte: ab exitu ſermonis, vt iterum ædificetur Hieruſalem: vſquè ad Chriſtum ducē, heb domades ſeptē, & hebdomades ſexaginta duæ erūt: & rurſum ædificabitur platea, & muri in anguſtia tēporū: & poſt hebdomades ſexaginta duas occidetur Chriſtus; & nō erit eius populus, qui eū negaturus eſt: & ciuitatem, & ſanctuarium diſſipabit populus, cum duce venturo: & finis eius vaſtitas, poſt finē belli ſtatuta deſolatio::: & erit in tēplo abominatio *deſolationis.** Hæc verba Danielis fuerunt, de vaſtitate Hieroſolymitana, quam Chriſtus prædixit, ſi legās hoc teſtimonium Danielis, Nam abo- Matth. 24 & Marc. 13. 14. minatio Danielis ſtans in templo ſancto, eſt ſignum interitus iamiā imminentis tēplo, & Civitati. Hæc autē abominatio fuit ſtatua Cæſaris, ſtatuta in templo Hieroſolymitano

S.Tho.q. 1.Art.4. lymitano, per Præsidem Iudææ.

§. 70. Negari non potest, eversionem Civitatis, & templi; cessationem hostiæ, & sacrificiorum; item populum, à quo negandus erat Christus, iam deinceps non futurum populum ipsius Christi negati: negari, inquam, non potest, hęc tria gravissima damna, pœnas esse sceleris, quo ipse Christus fuit occisus, atque negatus. Etenim cùm Propheta dixisset, Christum occidendum, adiecit, non futurum deinceps populum Christi eum, à quo ipse Christus erat occidendus. Vbi ponuntur duo crimina populi: alterum nex Christi; alterum negatio populi. His autem criminibus recensitis, immediatè adijcit dissipationem, vastitatem, & desolationem civitatis, ac templi. Cùm ergò populus negaturus Christum dicatur dissipandus, quando dicitur eius negatio, quis dubitat, dissipationem esse pœnam negationis? Quorsùm autem cum ipso scelere ponitur ærumna populi; nisi ad significãdum, eam esse pœnam sceleris? Vt siquis dicat: *Latro deprædatus est ærarium, & extrangulatus à Iudice*: quis dubitet, hoc esse supplicium latrocinij? Sic cùm Daniel dixit: *Occidetur Christus, & non erit eius populus, qui eum negaturus est, & Civitatem, & sanctuarium dissipavit populus, cum duce venturo*: quis dubitet, cladem populi esse supplicium Christi negati. Videamus ergò, quis Christus occisus sit, & negatus à populo Iudaico, propter cuius necem, & negationem vastata sit Civitas cum sanctuario.

§. 71. Iudæi, vt tenebras, quibus obcæcantur, offundant mysterijs Christi; respondent, Christum quem Daniel prædixit occidendum, esse Agrippam iuniorem, filium eius Agrippæ, quem Cæsareæ supplicio cœlum petijt. Hunc Agrippam iuniorem dicunt Iudæi, occisum à Romanis: hunc Hierosolymis dissuadentem Iudæis rebellionem, ipsi Iudęi Vrbe turpiter pepulere propter quod Deus flagellavit Iudæos. Verum, vt in multis errant Iudæi; ita & in hoc. Primũ, quia inter instaurationem Hierosolymæ prædictam à Daniele, & bellum Iudaicum Romanis, intercessere anni multo plures, quàm capiunt septuaginta hebdomades Danielis: vt ostendam volum. 3. distin. 7. §. 35.
S. Aug. Nam constat apud omnes, maximè S. Augustinum, templum excisum quadraginta duobus annis post Christi baptismum. Vndè in errore quadraginta annorum sunt Iudæi.

§. 72. Errant secundò, quia Romani non interfecerunt Agrippam; sed potiùs excepe-runt amicè: semper enim ab illis fuit, consilio, pecuniâ, & milite: vt constat ex Iosepho lib. 2. cap. 17, & alibi: eundemque Romam ivisse, testatur Iosephus lib. 5. de bello. cap. 6. auctum autem Agrippam fortunis, & honore, probat P. Pererius in eum locum Danielis, & P. Gordonus in Chronologia, anno 46. *Ioseph.* *Perer.* *Gordon.*

§. 73. Errant tertiò, quia Iudæi non negaverunt Agrippam. Negatio enim illa, cuius meminit Daniel, coniuncta est morti ipsius Christi: nam, cùm dixisset Daniel, Christum occidendum, immediatè subiecit: & non erit eius populus, qui eum negaturus est: ac si diceret: *qui negabunt Christum, eum necando; non erunt deinceps eius populus.* Cùm ergò Iudæi Agrippam non occiderint; non eum negaverunt, eo genere negationis, de qua loquutus est Daniel. Negatus autem Iesus Christus non solùm facto, actus in crucem; sed & verbis: *nolumus, hunc regnare super nos. Non habemus Regem; nisi Cæsarem.* Item Christus occidendus fuit, antequàm Civitas & templũ everterentur: quia hæc eversio erat pœna Christicidij, vt probavi. Agrippa autem iunior perijt post vrbem & templum eversa. Mitto alias rationes, quæ communes sunt, contra hanc primam, & secundam sententiam. *Luc. 19. 14.*

§. 74. Dicunt ergò secundò Iudæi, Christum, quem occidendum prædixit Daniel, esse Hyrcanum Summum Sacerdotem, & vltimum Regem ex progenie Davidica. Hunc Hyrcanum Hierosolymis occidit Herodes Magnus, qui fuit infanticida. Errant etiàm in Chronologia: quia Hyrcanus occisus fuit, quadraginta annis ante baptismum Christi. Item Hyrcauus non erat Rex: quia Regno cessit Aristobulo fratri, vt constat ex Iosepho, lib. 1. de bello, cap. 4. Præterea, non fuit negatus à populo; sed ab Herode tyranno. Nam Iudæi, qui erant trans Euphratem, eum amaverunt, & rogaverunt, ne discederet Hierosolymam. Hierosolymitani autem cupiebant, & Reges & Pontifices ex suis, ne servirent alienis. Immò verò ea ratione Herodes Hyrcanum occidit: quia Iudæis erat Princeps gravis, ac verebatur, ne Hyrcano superstite, Iudæi tumultuarẽt: nam ea spe Hyrcanus ipse ex Parthia reversus erat in Iudæam. Lege Iosephum, lib. 15. antiquitatum, capite 2. Cuius hæc sunt verba de Herode: *Sed quia ipse gravis esset Princeps, cavens mutationis occasiones, quærebat Hyrcanum in potestatem suam redigere; aut etiã omninò tollere: id quod posteà fecit*, vt constat ex cap. 9. Item eamdem ob caussam occidit Aristobulum adolescentem de stirpe Davidica, fratrem Mariamnes, coniugis ipsius Herodis, vt constat ex eodem lib. 15. cap. 2. Vndè colliges inanitatem sententiæ Iudaicæ: populus enim Hyrcani, neque eum occidit; neque negavit. Daniel autẽ vtrumque *Ioseph.*

que

que prædixit passurum Christum à suo populo. Ne verò Iudæi ab Hyrcano provocent ad Aristobulum fratrem, & ad Antigonum filium Aristobuli, intelligant, Antigonum necatum à Marco Antonio amicissimo Herodis: non quòd eum negassent Iudæi; sed quia Antonius & Herodes timebant Iudæos defecturos ad Antigonum. Aristobulus autem à Romanis fuit occisus, iussu Pompeij: quia Aristobulus, iure Regni, sæpè solicitârat Iudæos, qui propter illum sæpè rebellaverant, non solum contra Romanos; sed etiàm contra Hyrcanum. De nece Aristobuli Regis, vide Iosephum, lib. 14. antiq. cap. 15. & lib. 1. de bello, capit. 7. Ergo vaticinium Danielis non quadrat in Hyrcanũ, Aristobulum, aut Antigonũ: quia nullus ex his fuit negatus, aut occisus à suo populo; quamvis ipsi inter se dissederint bello domestico.

Antigon.

Aristobul.

§. 75. Tandem apertè ostenditur dementia sententiæ Iudaicæ, provocantis ad Agrippam, & Hyrcanum: nam Christus ille occidendus, est ille qui vocatur à Daniele, Sanctus sanctorum. Cùm enim dicit Daniel, vngendum Sanctum sanctorum, & occidendum Christum; non loquitur de duobus Christis: altero vngendo, altero occidendo; sed de eodem. Nam septuaginta hebdomadas abbreviatas voluit Daniel præterituras, vsque ad vnctionem Sancti sanctorum: deinde dicit, Christum esse occidendum; quod autem dixit, *Christum*, idem est ac, *vnctum*. Quia ergò Sanctus sanctorum erat vnctus, dixit, vnctum esse occidendum; quia verò facinus illud erat immane, & occasio ruinæ Civitatis, & templi, præcepit Angelus Danieli, vt diligẽter animadverteret, Christum Sanctum sanctorum occidendum. Eũdem esse Christum occidendum, & Sanctum sanctorum, patet: quia Daniel versu 26. dicit, populum, à quo negandus erat Christus, non futurum deinceps populum ipsius Christi; sed postquàm aliquis Rex est occisus, nullus populus est ipsius; neque alienus ab ipso: quia cùm vita perimuntur amicitiæ, & inimicitiæ civiles. Est igitur ille Sanctus sanctorum servator noster Iesus Christus, qui se suscitavit à mortuis: cuius populus non est Iudaicus, quoad specialem providentiam, qua suam regit Ecclesiam: qui est Sanctus sanctorum, id est, naturâ sua sanctus; & per quem cæteri Sancti sunt sancti: qui est finis peccati, & principiũ iustitiæ sempiternæ. Quòd si tàm manifesto testimonio Danielis non sunt contenti Iudæi, asignent aliquem Regem negatum à Iudæis, post instauratam vrbem, & occisum ante eversionem templi, ob cuius necem eversa sit Civitas cum templo. Nos enim iam ostendimus, Iesum negatum à Iudæis, succlamantibus Pilato: *nolumus, hunc regnare super nos*: quem occisum vidimus, ipso tempore, quod prædixit Daniel: & post cuius necem, contigit excidium vrbis, & templi: videmus item, populum Iudaicum non esse populum Christi. Luc. 19. 14.

SVBSECTIO. II.

Vaticinium Christi.

SECVNDVM caput, vndè probanda est Numinis vltio in Iudæos, ob necẽ Christi, est vaticinium ipsius Christi, qui iã nudè; iã parabolicè illis cõminatus est excidium. Luc. 19. 14. *& vt appropinquavit* (inquit) *videns Civitatẽ, flevit super illam dicens: quia, si cognovisses & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi; nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis. Quia veniẽt dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo, & circumdabunt te: & coangustabunt te vndique, & ad terram prosternent te, & filios tuos, qui in te sunt: & non relinquent in te lapidem super lapidem, eo quòd non cognoveris tempus visitationis tuæ.* Quibus ostendit Christus, se illa die pacatum visere Hierosolymam: quia verò ipsa ingratè non cognoverit visitationem illam, ostendit Christus, eam eversum iri. Matth. 21. 33. parabolâ vineæ, illis prædixit idem excidium, propter necem filij domini vineæ: *& apprehensum* (inquit) *eum eiecerunt extra vineam, & occiderunt ::: Ideò dico vobis, quia auferetur à vobis regnum Dei.* Neque verò Pharisæos latuit, parabolam hanc esse, de ipsis è regno expellendis. Ipse autem Christus apud eumdem Matth. 22. 6. parabolâ Regis parantis nuptias filio, idem confirmavit clariùs: *reliqui verò* (inquit) *tenuerunt servos eius, & contumelijs affectos occiderunt. Rex autem cùm audisset, iratus est: & missis exercitibus suis, perdidit homicidas illos, & Civitatem illorum succẽdit.* Item apud eumdem Matth. 23. 37. *Ecce ego mitto ad vos Prophetas, & sapientes, & scribas. Hierusalem, Hierusalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te missi sunt: quoties volui congregare filios tuos, quemadmodùm gallina congregat pullos suos sub alas suas; & noluisti? Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta.* Consentit Lucas 20. 15. *quid ergò faciet illis dominus vineæ? veniet, & perdet colonos illos, & dabit vineam alijs. Quo audito, dixerunt illi: absit.* In eodem sensu est Marcus, cap. 12. 9. è quibus concludo propositum: Christus dixit, Hierusalem succensum iri: quia eius Cives manus iniecerunt in Prophetas, & filium Dei. Item

§. 76.

Luc. 19. 14.

Matth. 21. 33.

Mat. 22. 6

Matth. 23. 37.

Luc. 20. 15.

Mar. 12. 9

S.Thom. q.1.art.4. Item Hierosolymæ non relinquendum lapidem super lapidem: quia ipsa non cognovit diem, quo Christus eam pacatus invisit: ergo eas ob caussas contingere calamitates illæ.

§. 97. Orig. Dicet aliquis infidelis, hoc testimonium Christi esse leve, neque credendum. Acutè Origenes tract. 2. contra Celsum, carpit Celsum eumdem: quia aliquibus Evangelij testimonijs fidem præstat, quam abrogat alijs. *Quòd si Celsus* (inquit Origenes) *credet Evangelijs, quoties ei videntur contra Christianos facere; eisdem asserentibus Iesu divinitatem, nolet credere, dicemus ei: heus tu, aut in universum eis non crede, & criminari desine; aut, si credis omnibus, quæ continent, admirare sermonem Dei factum hominem, eo consilio, vt prodesset universo humano generi.* Refell. Ita objicio ego, aut credendum esse, Christum spiritū Prophetico prædixisse Hierosolymitanam ruinā, & caussam; aut neutrum. At ruinam vrbis, & templi, videmus multò antè, non prædictam; sed relatam historicè: insanus ergò erit, qui negaverit, caussam quoque ruinæ propheticè esse prædictam.

§. 98. Ex vno opere, quod videmus peractum, eadem ratione, quā à Christo videmus etiā prædictum; debere credi, cætera peragenda non absimili ratione, qua prædicta sunt à Christo, aperta ratio convincit: quia idem spiritus, qui revelavit Christo eventum, quem videmus; revelavit alia, quæ non videmus. Quod præclaré dixit S. Aug. tomo 4. lib. de catechizandis rudibus, cap. 26. & 27. S. Aug. *Omnia enim* (inquit) *quæ nunc vides in Ecclesia Dei, & sub Christi nomine, per totum orbem terrarum geri, ante sæcula iam prædicta sunt: & sicut ea legimus, ita videmus: & indè ædificamur in fidem. Prophetatus est in illo populo Christus, Rex omnium Sanctorum, & Deus, venturus ex semine ipsius Abraham, secundum carnem, quam assumpsit: & sic est factum, &c. Numquid ergò* (addit) *illa, quæ restant, non sunt ventura? Manifestum est, quia sicut ista prædicta venerunt; sic etiàm illa ventura sunt.* Hæc Augustinus: quibus probat, credenda esse ea, quæ non videntur, quando prædicta sunt: quia multa videmus gesta eadem ratione, qua legimus prædicta. Vndè tomo 10. sermone 31. de verbis Domini, recensitis multis eventibus, quos Christus multo antè vaticinatus fuerat, quosque videmus contigisse eadem ratione, qua sunt prædicti, addit: Idem. *an fieri potest, vt, qui in tantis verax apparuit, de die iudicij mendax sit?* Sic argumentor ego: Christus prædicens vrbis, & templi ruinam, in tantis, tàm raris, tamquè portendentibus, verax apparuit: ergo verax etiàm fuit, in prædicenda caussa eiusdem ruinæ.

Ad hæc: constans fuit Iudæorum opinio, vrbem excisam, & templum deflagrasse, ab irato Deo, propter necem illatam §. 79. Apostolo Iacobo, fratri Iesu Christi. Quam S. Iacobus Apostolus cædem graviter criminatur Iosephus, lib. 20. antiquitat. cap. 8. Ioseph. Eusebius, in historia, lib. 2. cap. 23. hæc ait: Euseb. *& Iosephus ita sibi videri, evidenter indicat per hæc verba: quæ omnia* (inquit) *acciderūt Iudæis pro vindicta Iacobi iusti, qui erat frater Iesu, qui dicitur Christus.* Hæc Eusebius. Consentit Origenes, lib. 1. & 2. Orig. contra Celsum; & Baronius, anno Christi Baron. 63. num. 7. & anno 72. num. 21. Quòd si Iacobi nex fuit in caussa excidij Hierosolymitani, potiori iure fuit etiàm nex Christi: Iacobus enim fuit necatus, quia prædicabat, Iesum esse filium Dei: quod non obscurè colligitur ex Iosepho, lib. 20. capit. 8. Ioseph. censente, Iacobum accusatum impietatis, apud Annanum Pontificem; hæc autem impietas nulla erat, præter prædicationem, & cultum Iesu Christi. Quòd si Iosephus ibidem lib. 18. cap. 7. adscripsit internecionem exercitus Herodis neci illatæ Ioanni Baptistæ; cur non adscripsit interitum Hierosolymorum neci Christi, quem ipse lib. 18. cap. 4. num. 6. dixerat, fuisse tàm sapientem, & tàm mirabilium rerum patratorem, vt sit nefas, illum nominare virum.

SVBSECTIO. III.

Idem ratione probatur.

DVO scelera communia fuere populo Iudaico, ob quæ nō rarò hostibus permittebatur à Deo: alterum, idololatria; alterum, Prophetarum §. 80. nex: quia hanc inferebant Prophetis Iudæi; eo quòd ipsi non observabant legem, ac proindè severè reprehendebātur à Prophetis. Eos fuisse tunc observantissimos suæ legis, manifestè constat ex Iosepho, lib. 14. cap. 8. recensente, Hierosolymitanos, propter observationem Sabbathi, non impedivisse Pompeio aggerum structuras. Ait verò Iosephus: Ioseph. *Facile est autem, vel hinc discere, quanta pietate Deum colamus; & quàm observantes legum simus: quandoquidem oppugnationis terror nihilo fuit, quominùs solemnia peragerentur sacrificia*, & infrà: *hostis quidem irrumpens iugulabat omnes obvios; illi verò nihilominùs sacris operabantur: nequè metu mortis; nequè iam cæsorum multitudine absterriti, passuri quidquid liberet victori, potiùs quàm deserturi altaria; aut aliquid omissuri præscriptum patrijs legibus.*

§. 81. Quàm autem tunc fuerint aversati idola-

lolatriam, constat ex eodem Iosepho 2. de bello cap. 8. Cùm enim Pilatus, intempesta nocte, Iudæis inscijs, cōstituisset duas imagines Tiberianas: Iudæi infiniti Pilatum adierunt, obsecraturi, vt simulacra efferret de templo; abnuente autem Pilato, illi perseveraverunt quinque diebus, noctibusque continuis, immoti: nec Pilatus eos cinctos milite, & gladijs nudatis potuit deterrere. Ait verò Iosephus: *Iudæi autem, quasi vno consilio, omnes subitò corruerunt, & cervices nudatas excipiendis ictibus pararunt, vociferantes, vniversos se interfici magis velle, quam legem prophanari. Tunc Pilatus, circa religionem studium populi demiratus, confestim de Hierosolimys statuas iussit auferri.* Hæc Iosephus; capit. autem 9. describit, quanta contentione Petronius curaverit, collocandas in templo statuas Caligulæ; Iudæi verò restiterint, his verbis: *Tota multitudo vnanimiter succlamavit, ante legis temerationem, omnem se libenter subire perniciem. Si autem in templo imagines æstimet collocandas, debere eum totam Iudæorum gentem priùs immolare: præbere se quippè iugula, cum mulieribus, & parvulis, ei, qui interficere voluisset. Ad hæc admiratio Petronium, miseratioque pervasit, intuentē, & insuperabilem religionem virorum, & tantum vulgus constanter ad mortem paratū.* Hæc Iosephus. Quòd si Iudæi tunc, cùm delet sunt, tàm constanter legem observabant, vti totum vulgus iugulū porrigeret militi minitanti, stricto gladio, decollationē; quid potuit esse in caussa, ob quā à Deo exagitarentur miserrima clade omnium, quæ sunt in hominum memoria?

§. 82. Nam insignis planè dementia est arbitrari, hæc omnia contigisse Iudæis, experientiæ caussâ: non vt punirentur; sed vt probarentur. Etenim cùm Deus populum experitur, eumdem armat miraculis, Prophetis, sacrificijs: quibus testatur Deus, afflictis adesse. At verò Iudæis, non solùm hæc; sed ipsa etiàm terra, & aër defuisse videtur. Quibus nullibi est templum, sacrificium, Rex, Propheta, aut medicamen vllum è cœlo, tanto vulneri: & volunt, hanc non esse hostilem pœnam irati Dei; sed amici experimentum. Eleganter cecinit Prudentius.

Prudent. *Exilijs vagus hùc, illùc fluctuantibus errat*
Iudæus: postquàm patria de sede revulsus,
Supplicium pro cæde luit; Christiq; negati
Sanguine respersus, commissa piacula solvit.

Recognosce §. 68. vbi ostēdi, Iudæos propter peccata; maximè autem propter negatum, & occisum Christum, captos, divenditos, & occisos. Tùm prætereà, plenæ sūt paginæ veteres pollicitationibus divinis factis populo observāti legem; violanti autem exilium, & servitutem minitatur. Hæc cùm perennent per sesquimillenarium annorum, argumento sunt violatæ legis, quæ Christum audiendum præcepit.

Ac primùm temporis circūstantia tàm quadrat, vt vel ex ea possent Iudæi oculos aperire. Nam cùm ipsi Christum occidissent Hierosolymis solēnitate Paschali Phase, & à Romano Præside extorsissent invito necem Christi: sic Deus ipse, eadem solemnitate Paschali, eos reti concludit, dilaniandos à duobus Romanis vrsis: quorum vnguibus ipsi Christum laceratum esse voluerunt. Quæ nō prætermisit S. Aug. tomo 10. sermone ducentesimo quarto de tempore, qui est tertius post festum Trininatatis, his verbis* *Nam* quo modo pueri illi indisciplinati clamavert B. Elysæo: ascende calve, ascende calve; ita & insani populi Iudæorū Elysæo Christo, tempore passionis, voce sacrilega clamaverūt: crucifige, crucifige. Quid est, ascende calve, ascende calve; nisi, ascēde crucē in loco Calvariæ? & hoc attēdite, fratres, quia sicut sub Elisæo 42. pueri lacerati sūt, ita & post quadraginta duos annos passionis Dominicæ, venerūt duo vrsi, Vespasianus & Titus. Et hoc cōsiderate, fratres, quia, in solemnitate Paschali, facta est obsidio Iudæorum, vt iusto Dei iuditio, ex omnibus Provincijs cōgregati Iudæi, in ipsis diebus, pēnā sibi debitā sustinerēt, in quibus verū Elisæū, Dominū Salvatorē nostrū in cruce suspenderant. Illo enim, id est, quadragesimo secūdo anno, à die passionis Domini nostri, quasi divina manu acti Iudæi, Hierosolymis, sicut solebant ad celebrandū Pascha convenerant. In historijs legimus, quòd tūc tricies cētena milia hominum ex Iudæis, Hierosolymis fuerint congregata: ex quibus, ferro, & fame, vndecies centena milia leguntur esse consūpta; & centū milia iuvenū Romam perducta sunt in triumphum. Duobus enim annis obsessa est civitas illa, & tanta multitudo mortuorū de civitate proiecta est, vt muris ipsa cadavera coæquarētur. Istam ergò vastationem figurabant illi duo vrsi, qui 42. pueros, propter irrisionē B. Elisæi, lacerasse dicūtur: & impletū est, quod dixerat Psalmus: exterminavit eam aper de sylva, & singularis ferus depastus est eā. Quia sicut dictū est, post quadraginta duos annos, à duobus vrsis, Vespasiano & Tito, gens illa sacrilega, quod merebatur, excepit. Et quia infelices Iudæi, propter superbiā, repudiari; ac per totū mundū dispergi meruerūt, *nos*, &c.* Hæc Aug. Historiæ autem, quas allegat, videntur esse Hegesippi Historici Christiani, & Iosephi Iudæi lib. 7. de bello cap. 17.

§. 83. Aug.

N Iudæi

S.Tho.q. 1. Art. 4. §. 84. Iudæi Paschalibus festis adiecerũt mortem Christi, quasi iucundissimum acroama, quo facetè & lepidè cœna clauderetur; neque satis pascebãt oculos diro & immani spectaculo Christi suffixi Cruci. Ah Calẽdas illas, atque Neomenias Iudaicas, quãto mærore respersit Deus! Audi gravem & elegantem Tertulliani orationem, qua acutè perpendit meridianas tenebras offusas Paschati, libro adversus Iudeos, num. 11. *Properavit dies* (inquit) *vesperam facere: id est tenebras efficere, quæ media die factæ sunt. Dies festos vestros convertit Deus in luctum; & cantica vestra in lamentationem. Post passionẽ enim Christi, etiam captivitas vobis, & dispersio obvenit, prædicata per Spiritum Sanctum. Nam, & pro istis meritis vestris, cladem vestram futuram Ezechiel nuntiat.* Nec immeritò hæc Tertullianus dixit: Principes enim sacerdotum, qui Christum deriserant, passi sunt crucem à Simone Tyranno, in obsidione vrbis. Hegesippus namque lib. quinto capite vigesimo secũdo refert hæc verba Mathathiæ Principis sacerdotũ, iã in Crucem post tres filios, agendi: *Si audierit* (nempè Mathathias Pater Machabæorum) *quo modo Simon, non solùm sabbatho cædes civium innumeras agitaverit; sed ipsos sacerdotes Domini, Neomenijs, & omnibus sanctis festæ celebritatis diebus, iugulare coegerit; quantum ingemiscet, &c.*

Tertul.

§. 85. Neque supplicij genus dissidet à cruciatibus, quibus, truci & horrendo sacrilegio, innocentissimum Christum peremerunt. Vniversus enim populus Christum poposcit ad crucem, & eius sanguinem in sua capita cadere voluerunt: item opprobrijs eum incessere; manum quoque impegerunt eius ori. Videamus pœnam eamdem, quam petiverunt, in eosdem relapsam, ex Iosepho, lib. sexto de bello capite duodecimo. *Multis autem* (inquit) *captivorum manus abscindi præcepit, eosquè ad Ioannem & Simonem intromisit.* O supplicium scelere dignum! quale etiam Iudices infligunt colaphizatori. Prætereà, verbera, coronam spineam, cæteros cruciatus, & crucem extra muros rependerunt, proprijs tergoribus. *Post pugnã itaque* (inquit Iosephus) *verberati, & ante mortem modis omnibus excruciati, contra murum cruci suffigebãtur. Tito quidẽ miserabilis videbatur ista calamitas, cũ Iudæi, in dies singulos, quingenti; nonnumquam etiàm plures caperentur. Milites autẽ diversis modis suffigebant, irâ, & odio, & ludibrij caussâ: & propter multitudinẽ, quã cepissent, iam spatium crucibus deerat, & corporibus cruces.* Hæc Iosephus. En quàm carò emerint Iudæi à militibus, verbera, & sanguinem Christi: cùm militibus ipsis dederint ipsi proprium sanguinem, fusum clavis, atque verberibus!

Ioseph.

Quia verò ipsi Iudæi, spectatore Pilato, succlamarunt: *Nolumus hũc regnare super nos: nõ habemus Regẽ, nisi Cæsarẽ. Sanguis eius super nos sit*: audi B. Hieronym. epist. centesima vigesima nona, quæ est ad Dardanũ: in qua acutè perpendit, accepisse Iudæos à Deo, quæ poposcerant, expertos durũ Cæsarum iugum; inexpertos imperij Christi dulcorẽ: & sanguinẽ Christi in eos cecidisse. Verba Hieronymi. * *Ad* extremũ, sub Vespasiano & Tito vrbs capta, templumque subversum est. Deinde, Civitatis, vsque ad Adrianum Principẽ, per quinquaginta annos, mansere reliquiæ: post illam eversionem vsque ad hanc diem, paulò minùs, quàm per quadringentos annos, & vrbis & templi ruinæ permanent. Ob quod tantum facinus? Certè non colis idola; sed etiàm serviens Persis & Romanis, & captivitatis pressus iugo, Deos ignoras alienos. Quomodò clementissimus quondã Deus, qui numquàm tui anteà oblitus fuerat, nũc per tanta spatia temporum non adducitur, vt solvat captivitatem; & (vt verius dicam) expectatum tibi mittat Antichristum? ob quod, inquam, facinus, & tàm execrabile scelus, avertit à te oculos suos? ignoras? Momento vocis parẽtũ tuorũ: sanguis eius super nos, & super filios nostros: &, hic est hæres: venite, occidamus eũ, & nostra erit hæreditas: &, nõ habemus Regẽ; nisi Cæsarẽ. Habes quod elegisti, vsque ad finẽ mundi, serviturus es Cæsari, donec gẽtiũ intret plenitudo, & omnis Israel salvus fiat; & qui quondã erat in capite vertatur in *caudam*. *

§. 86. Luc. 19. 14. B. Hieron.

§. 87. Hæc cùm ita sint, & tàm aptè respondeant supplicium atquè delictum: quod, obsecro, facinus tàm acerbas pœnas mereri potuit; nisi Christicidium? Nam valdè est affine idololatriæ Christicidiũ. Etenim, vt illâ detractus honor Deo, simulacro defertur in animi; sic, nece Christi mors affertur ipsi Deo. Quẽadmodũ autẽ, ante necẽ Christi, eos malus Dæmõ incẽdebat frequẽter ad idololatriã, ob quã frequẽter, amisso Regno, servierũt hosti, & devolvebãtur ad Orcũ; sic, necato Christo, detinẽtur ab eodẽ Demone, in observatione legis, & negatione Christi: quibus tã certò eos ad tartara trahunt, quã antea per idololatriam. Neque verò totam legẽ observant: fraudes enim, vsuras, & alia id genus vitia meditantur abundè. Item rebellio in Christum est etiam in Mosaicam legem rebellio. Moses enim capite decimo octavo Deuter. vers. decimo quinto. *Prophetam de gẽte tua* (inquit) *& de fratribus tuis, sicut me, suscitavit tibi Dominus Deus tuus: ipsum audies.* & ver-

Deut. 18. 15.

& versu 18. *Prophetam suscitabo eis, de medio fratrum suorum, similem tui: & ponam verba mea in ore eius, loquetúrque ad eos omnia, quæ præcepero illi. Qui autem verba eius, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego vltor existam.* Hunc verò non esse communem aliquem Prophetam, est certum: quia Prophetis eiusmodi floruit ille populus. Loquitur ergò de Propheta legislatore, & populi Duce. Ipsi autem ostendant aliquem alium, quem non audierint, in quem inobedientiæ, Deum experiantur Vltorem. Nos verò Christum proferimus, Prophetam maximum, legiferum, sanctum sanctorum, vnctum, siue Christum, negatum & necatum à populo: in quem quadrare ostendimus noua & vetera vaticinia.

§. 88. Tandem, vt constet, supplicium illud inflictum solis Iudæis desertoribus Christi & interfectoribus: itemque Ethnicis persecutoribus Christi, qui tunc convenerant Hierosolymam; non verò cultoribus Christi, qui tunc erant Hierosolymis misti infidelibus, refert Eusebius, lib. 3. cap. 5. Christianos, monente Deo per Apostolos, Hierosolymâ Pellam emigrasse, quæ erat trans Iordanem: vt vrbs sanctis & amicis Dei spoliata, hostium machinis pateret, & caderet, sine iustitiæ munimentis: sicut Sodoma cœlesti flagravit incendio, exeunte iusto Lot. Hoc vaticinium Petro & Paullo contigisse, referunt Metaphrastes atque Lactantius, apud P. Gordonum anno Christi 68. post quem Vespasianus mittitur ad debellandos Iudæos. Neque mirum: Tacitus enim lib. 5. historiar. atque Iosephus, lib. 7. de bello, cap. 12. multa referunt ostenta, quibus portendebatur Hierosolymorum ruina; maximè autem quidam Iesus rusticus repentè exclamare cœpit, in media vrbe, satis tunc pacata & opulenta: *Vox ab Oriente, vox ab Occidente, vox à quatuor ventis, vox in Hierosolymam & templum, vox in maritos novos novásque nuptas, vox in omnem hunc populum.* Cùm autem hic rusticus ad ossa verberibus dilaniaretur, nullius sensus vestigium præ se tulit, neque mutiebat; nisi interdum vociferans: *Væ, Væ Hierosolymis!* sic, inquam, mirum non est, Ecclesiæ Principes monitos à Deo eduxisse fideles, ne perirent cum populo barbaro, atque rebelli. Hæc tàm fusè disserui: quia, vel ipsis cæcis, clarissimo argumento sunt integritatis, & innocentiæ Christi, nostræ fidei Authoris, & consummatoris. S. Augustinus indicat in vrbe inclusos quoque Christianos; verùm id non asserit; sed dicit, id fortè contigisse: redditque rationē, cur id factum: & fortè vnus aut alter mansit, occulto Dei iudicio; monito autem ipsius fideliū multitudo tēpestivè migravit.

Metaph. Lactant. P. Gord. Tacit.

August.

SECTIO IIII.

Alia Christi vaticinia.

§. 89. VT, vndè divertit oratio, revertatur, percurremus breviter nonnullas Christi prophetias: clariores quidem superiori, si fortè vlla potest esse clarior, aut illustrior. Cùm Maria Magdalene vngeret pedes Iesu, eique indignaretur Iudas proditor & mercator Christi: prædixit Christus, pium illius fœminæ factum, per totum Orbem, prædicandum fore, ac celebrandum summis in illam fœminam laudibus. Matth. 26. 13. *Amen dico vobis: vbicumque prædicatum fuerit hoc Evangelium, in toto mundo; dicetur & quod hæc fecit, in memoriam eius.* Factum illud pium quidem fuit, & obsequium nobile nobilis amatricis; non tamen momenti magni, neque quod magnitudine sua scriptorum memoriam necessariò occuparet, & calamos. Decreverat autem ipse Iesus, officium prope sepulchrum sibi præstitum remunerari & æterna vitâ & honore æterno; certusque futuræ laudis Magdalenæ, eam prædixit: quam mille sexcentis annis ante prædictam, ipsis oculis completā cernimus, in libris Doctorum sine numero celebrantibus Marianam pietatem, quam quotidiè, ab oratoribus Christianis, audimus de concione prædicari.

Matth. 26. 13.

§. 90. Instruens discipulos Christus, multos labores illis prædixit, quos erant passuri, Matth. 10. 17. *tradent enim vos in Conciliis, & in Synagogis suis flagellabunt vos: & ad Præsides & Reges ducemini propter me::: Tradet autem frater fratrem in mortem, & pater filium: & insurgent filij in parentes, & morte eos afficient, & eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum.* Idem dixit apud Marcum 13. 12. & Lucam, cap. 12. 11. & cap. 21. 12. & alibi. Hæc autem ita contigisse, plenæ sunt omnes historiæ, Ecclesiasticæ, sacræ, atque profanæ. Suetonius enim in Nerone, cap. 16. refert, ab eo Tyranno Christianos Romæ succensos, pro facibus: &, quemadmodùm ex pino ligna, testæ autem refertæ pice & pino, noctu accenduntur: sic voluit Nero, ad depellendas tenebras nocturnas, succēsos esse Christianos. Cornelius Tacitus, lib. 15. *abolendo* (inquit) *rumori, Nero subdidit reos, & quæsitissimis pœnis affecit, quos, per flagitia invisos, vulgus Christianos appellat.* Quibus verbis proba-

Matth. 10. 17. Marc. 13. 12. Luc. 12. 11. & 21. 12. Sueton. Cornel. Tacit.

S.Thom. q. 1. art. 4. probatur odium hominum in Christi discipulos; cruciatus, & neces à Christo prædictæ. Nomen autem invisum fore, & discipulorum neces testantur, & Tertullianus in *Tertull.* Apologetico, cap. 3. *Nunc igitur* (inquit) *si nominis odium est, quis nominum reatus? Quæ accusatio vocabulorum; nisi, si aut barbarum sonat aliqua vox nominis, aut infaustum, aut maledicum, aut impudicum? Christianus verò, quantum interpretatio est, de vnctione deducitur. Sed & , cùm perperam Christianus pronuntiatur à vobis, (nam nec nominis certa est notitia penes vos) de suavitate vel benignitate compositum est. Oditur ergò, in hominibus innocuis, etiam nomen innocuum.* Hæc Tertullianus mutuatus à Iustino apol. 2. sub initium: Quibus confirmat apertè, Christũ verè prædixisse, ipsas syllabas sui nominis odio habendas fore.

§. 91. Prædicationem Evangelij pervasuram totum terrarum orbem, ipse prædixit *Matth. 24. 14.* Matthæi 24. 14. *& prædicabitur* (inquit) *hoc Evangelium Regni in vniverso orbe, in testimonium omnibus gentibus.* Necessariam esse suã mortem, prædixit apud Ioannem 3. 14. vt *Ioan. 3. 14* omnes in ipsum crederent, adepturi salutem. Tunc autem cognoscendum esse, ipsum Christum esse filium Dei, dixit Ioannis 8. 28. *Ioan. 8. 28* *Cùm exaltaveritis filium hominis, tunc cognoscetis: quia ego sum.* Mortem autem illam futuram esse in caussa, vt omnes homines Christum ipsum essent adoraturi, dixit Ioann. 12. 32. *Ioã. 12. 32* *Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum.* Vbi significari mortem Christi per crucem, & ipse Ioannes exponit, & turbæ intellexerunt. Hæc autem quàm ad vnguem acciderint, non aliter, quàm sunt prædicta, constat, tùm ex Tertulliano in Apologetico, recen- *Tertull.* sente questus Ethnicorum, quòd omnia referta essent Christianis, tùm etiàm ex He- *Hegesip.* gesippo, lib. 2. de excidio Hierosolym. c. 9. referens enim orationem Agrippæ, qua suadebat Iudæis, ne rebellarent contra Romanos, eis proponit, quàm desperata sint auxilia aliarum gentium: quia omnes religione dissidebant à Iudæis, propter discipulos Iesu. *Sed* (inquit) *de religionis auxilio præsumitis, cùm orbem iam Romanum Iesu discipuli repleverint? aut sine nutu Dei putamus illam crescere religionem?* Sanctus Isichius tomo 2. *S. Isich.* oper. S. August. epist. 79. *factis* (inquit) *Regibus Christianis, vbique, in parvo tempore, Christi Evangelium penetravit.* Optimo iure dixit *S. August.* S. August. tom. 5. lib. 12. de Civit. cap. 10. de Evangelio: * quod totum Orbẽ sibi crediturum esse prædixit: & cui totus Orbis, sicut ab eo prædictum est, credidit. *

§. 92. Denique nullum alicuius momenti negotium incidit, quod non fuerit in Evangelio multò antè revelatum. Recognosce S. August. tom. 4. lib. de catechizandis rudibus *Idem.* c. 26. & 27. recensitis enim multis oraculis veteris testamenti, eorumque veritate comprol[illegible] * prædictum est (inquit) non solùm à Proph[illegible]is; sed etiàm ab ipso Domino Iesu Chri[illegible]quòd Ecclesia eius, per vniversum orbẽ [illegible]arum, esset futura, per Sanctorum marty[illegible]a passionésque disseminatã: & tunc prædictum, quando adhùc nomen eius, & latebat gentes, & vbi notum erat, irridebatur; & tamen, in virtutibus miraculorum eius, sive quę per se ipse, sive quę per servos suos fecit, dum annuntiantur hæc, & creduntur, iam videmus, quod prædictum est esse completum: Regésque ipsos terræ, qui anteà persequebantur Christianos, iã Christi nomini subiugatos. Prædictum est etiàm, quòd schismata, & hæreses ex eius Ecclesia essent exituræ; & sub eius nomine, per loca, vbi possent, suam, non Christi gloriam quæsituræ: & ista cõpleta sunt. * Nõ est absimilis tom. 10. serm. 31. de Verb. Domini. *Idem.* * Ista (inquit) omnia, quæ vides, non erant: Christianus populus toto Orbe terrarũ aliquando nõ erat. In prophetia legebatur, in terra nõ videbatur; modò autem, & legitur, & videtur. Ipsa Ecclesia sic est cõpleta. Non ei dictũ est: vide filia, & audi; sed audi, & vide: audi prædicta, vide completa. Quomodò ergò, fratres charissimi? non erat Christus natus de Virgine: promissus est, & natus est. Non fecerat miracula: promissa sunt, & fecit. Nondum erat passus: promissum est, & factum est. Non resurrexerat; prædictum est, & impletum est. Nomen eius per totum mundum non erat; prædictum est, & impletum est. Idòla deletą, & fracta non erant; prædictum est, & impletum est. Hæretici impugnantes Ecclesiam non erant; prædictum est, & impletum est. * Hæc pretuli ex Sancto Augustino: quia ipse acutè perpendit vaticinia Christi, & eorumdem veritatem, eventibus confirmatam, tâm multis sæculis præeuntibus nostro.

Hæc se oculis tàm apertè ostentant, §. 93. vt nullum relinquant tergiversandi locum: Christus enim, si eius corticem dumtaxat intueare, homo erat humilis: è genere quidem Regio; sed iã deiecto ad pauperculã puellam, vxorem fabri lignarij: ipse itẽ habitus est fabri filius, qui litteras nullas didicerat in ludis, aut gymnasijs: ob quod despectus fuit à suis civibus: tâm egenus, vt, ne iugerum quidem agri possederit; quin fassus est ipse, se non habere, vbi caput reclinaret, cũ nec vulpibus desint foveæ, quibus tegãtur. In nullius Regis Curia fuit nobilis; sed ab Herode derisus, necatus à Pila-

à Pilato, &, quod caput est, à suis Pontificibus damnatus. Necis genus omnium despicatissimum, & acerbissimum: actus in patibulum, medius inter viles latrones: caussa necis maximè inter omnes blasphema: quia divinos sibi arrogarat honores. Discipulos habebat perpaucos, egentes, idiotas, abiectos, è medio ac despicato vulgo, qui vix poterant sardinis exsaturari. Vnde ergo homo iste, nisi afflante Deo, potuit divinare sui nominis magnitudinem in orbe toto, per infamem illam crucem, & per indoctos ignobilesquè discipulos. Rectè Tertullianus in Apologetico, cap. 20. *Idoneum*, (inquit) *opinor, testimonium divinitatis, veritas divinationis. Hinc igitur apud nos futurorum quoquè fides tuta est, iam scilicet probatorum: quia cum illis quæ quotidie probantur, prædicebantur; eadem voces sonant; eadem litteræ notant; idem spiritus pulsat. Quid delinquimus (oro vos) futura quoquè credentes, qui iam didicimus illis per duos gradus credere?*

Tertull.

§. 94. Quoniam verò huc defluxit oratio ad mundi in Christum conversionem, non possum eā nō præstringere: quia fortasse ad eam non revertar, quamvis nullo alio argumento niteremur, nisi conversione mundi; id vnum sufficeret evidenti credibilitati fidei. Etenim homines, reiecta religione avita, amplexi novam hominis in crucem acti; quæ igni, & aqua interdicit voluptates omnes, ad quas antiqua religio solicitat; eamquè docti sunt per homines ignobiles, & imbelles, atque mendicos; idquè Christus tàm longo intervallo prædixit. Hæc quis non miretur, & recognoscat Deum victrici dextera orbem, & orcum expugnasse? Tomo 4. Operum S. August. circumfertur liber de fide rerum invisibilium: cuius author creditur Hugo Victorinus, qui cap. 6. & 7. subiicit hæc aurea verba. * *Quamquam* (inquit) etiam si de Christo, & Ecclesia testimonia nulla præcederent, quem non movere deberet, vt crederet, repente illuxisse divinam humano generi claritatem, quando videmus, relictis diis falsis, & eorum confractis vsquequaque simulachris, templis subversis, sive in vsus alios commutatis, atque ab humana & veternosissima consuetudine, tot vanis ritibus extirpatis, vnum verum Deum ab omnibus invocari: & hoc esse factum per vnum hominem ab hominibus illusum, comprehensum, vinctum, flagellatum, expoliatum, crucifixum, occisum, discipulos eius idiotas & imperitos, & piscatores, & publicanos? Quos qui audierunt partim crediderūt, partim non credentes prædicantibus ferociter restiterunt. Ita fidelibus vsque ad mortem pro veritate non mala rependendo, sed perpetiendo; certantibus, neque occidendo; sed moriendo vincentibus. Sic in istam religionem mutatus est mundus; sic hoc Evangelium corda conversa mortaliū, marium & fœminarum, parvulorum atque magnorum, doctorum atque indoctorum, sapientium atque insipientium, potentum & infirmorum, nobilium & ignobilium, excelsorum & humilium, & per omnes gētes Ecclesia diffusa succrevit. Quis itaque nisi mirabili dementia cæcatus, aut mirabili pertinacia durus ac ferreus, nolit habere sacris litteris fidem, quæ totius orbis prædixerunt fidem?* Hæc Hugo: quibus addendum nihil superest.

Hugo Victorin.

SECTIO V.

De Christi doctrina.

§. 95. NON absonat doctrina Christi magnitudini prophetici spiritus, quo Deus illi loquebatur absentia atque futura: vt tenebras dispelleret, quibus vel ipsa naturalis honestas in hominum mentibus sepulta iacebat. Ægyptus enim tàm densis ignorantiæ tenebris erat obvoluta, vt in ipso meridie offenderet manibus ad parietes hallucinata: quas tenebras ita fugavit solaris doctrina Christi, vt nostrorum pueri sint antiquis Philosophis multo doctiores.

VBSECTIO I.

De Deo quid Christus docuerit.

§. 69. NOBIS ante oculos obversentur Dii, quos coluere non modò barbari, Scythæ, Gothi, & feræ nationes, quibus cum humanitate ratio quoquè videtur extincta; sed etiam Græci scioli, qui tantum sibi sapientiæ arrogarunt, vt cæteros nūcuparēt barbaros; Romani itē, qui cū Imperio non exiguam Philosophiæ partē fuerunt adepti. Deos quidem adorabant tā flagitiosos, vt homines, qui eos imitarētur, digni essent acerbissimis suppliciis, Iupiter Princeps fuit in eo tetro, & infami vulgo Deorū, hic parentem suum Saturnū Regno pepulit libidine regnandi perculsus: Saturnus autem filiis vescebatur, præsagiēs ab

S.Thom. q.1.art.4. ab vno se Regno privandum. Iovis soror fuit Iuno; vxor eiusdē, qui non paucas fœminas oppressit accepta laruâ iam Cygni, iam Tauri, iam auri. En Deorum Principem impium, incestuosum & adulterum, in brutum non rarò per metamorphosim conversum, vt testaretur, non posse orbi dominari, qui sui esset impos, quiquè tàm longe à se abiret, vt dolo abuteretur fœminis ipso castioribus.

§. 67. Venus filia fuit Iovis à parente non degener libidine, impudicitiâ, spurcitijs. Nupta Vulcano, quià forte hic Deus marcescebat incumbens ferro domando atque poliēdo, appetijt Martem elegantiorem & minus sordidum, sanguine, non carbonibus tinctum: deprehensi vterquè in adulterio, non ab alio, quàm à Vulcano viro. Quid faceret cornutus Deus? Martem occideret proculdubio: nam & nostræ civiles leges id patiuntur impunè: *iustum enim dolorem temperare quis potest?* Bona tamen indole Deus, ferreus capite ad sustinēda hircea onera nō est meditatus Deicidium, sed vxorē & adulterum reti involutos traxit per medium cælum, Deorum caterva spectante atquè ridēte: nec propterea Venerem dimisit: quæ Antherote parto ex eo congressu mansit apud Vulcanum bonum Deum atque mansuetum. In quem quadrat sal nostri hystrionis, qui deprehensæ vxori cum adultero blandè dixit, *certè ò vxor si te alius offendisset, vt ego, non satis providisset tibi, & honori* Forte noluit Vulcanus malleo cōtundere Martem bellorum Deum, quia cessarent cum bellis armamenta, munusquè Vulcanum, cum quo & Vulcanus ipse: nulli enim negotio erat hic Deus necessarius, nisi vt præesset Cyclopibus opificibus armorum. Cur autem non vindicavit secundum Veneris adulterium cum Anchise, ex quo natus Æneas; qui à Vulcano ipso fuit contra Turnum armatus ferro? An in Republica mediocriter erudita, & non omnino bruta ferretur homo tàm infamis, qui vxorem adulteram sic reliquerit impunem, vt adulterinis filijs opem tulerit? Aut sustineretur aliqua maritata fœmina, quæ tot virorum esset scortum?

§. 68. Audiamus Tertullianum in Apologetico c. 21. exprobrantem Antistibus Romani Imperij obscænos & spurcos Deos, pro quibus tuendis immanitate ferali in Christianorū stragibus debacchati humano sanguine Romanum orbē implebant abhorrentes à Christo Deo sanctissimo atque purissimo. *Huius igitur* (inquit) gratiæ, disciplinæquè arbiter & Magister illuminator atquè deductor generis humani filius Dei *Tertull.* annuntiabatur, non quidem ita genitus, vt erubescat in filij nomine, aut de patris semine, non de sororis incestu, nec de stupro filiæ, aut coniugis alienæ, Deum patrē passus est, squamatum, aut cornutum, aut plumatum amatorem, aut in aurū conversum Danaes. Iouis ista sunt & numina vestra. Cæterū Dei fili' nullā de impudicitia habet *matrē.* *Quibus Tertullianus facetè mordet Romanos Senatores, quòd Deos coleret tales, quales ipsi nec vellēt esse; nec paterētur vxores suas esse tales, quales admittebat Deas. Marcus Tullius eloquētiæ facilè Princeps, & prudētiâ in administrāda Republica nullo inferior, nō invenit acerbius & magis infame convicium, quo scelestissimum Clodium vreret, quàm illum vocare similē Iovi: quo illū notavit incest; quo sororē virginē constuprauit. Itane desipis, sapiens Orator, vt in invidiam civium inimicum ad ducas ob facinus, quo suū est imitatus Deū? si probum, quid illud exprobras in cive? si pravum, quid colis Deum improbum, qui se mortalibus præbuit imitatorem incesti? *Tull.*

Sanctus Cyprianus epist. 2. quæ est ad Donatum num. 6. eosdem Deos describit fœdos vitijs ijsdem. * *Exprimunt* (inquit) impudicam Venerem, adulterum Martem, Iovē illum suum non magis Regno, quàm vitijs principem, in terrenos amores cum ipsis suis fulminibus ardentem, nūc in plumas oloris albescere, nunc aureo imbre defluere, nūc in puerorum pubescentium raptus ministris auibus prosilire. Quære iam nunc, an possit esse qui spectat integer vel pudicus? Deos suos, quos venerantur, imitantur; fiant miseris & religiosa *delicta.* *His deflet Cyprianus fatalē mūdi cladē, qui ab ipsis Dijs impulsus in flagitia, illa pro sāctitate amplexus præceps ruebat in interitū. §. 96. S. Cyp.

S. Iustinus è Philosopho Christianus & Martyr in apologia 2. pro Christianis non longè ab initio. * *Quando quidem* (inquit) & antiquitus perversi Dœmones per spectra apparentes mulieres constuprarunt, & pueros imminuerunt, & terriculamenta hominibus exhibuerunt: aut attoniti illi redditi (qui res ipsas, quæ fiebant, non ratione iudicabant, ac metu correpti Dœmones malos esse nesciebant) Deos illos vocarēt, & nomine quemque, quod sibi Dæmon quisquè imposuerat, *appellaret.* *Hinc colligitur exordiū idololatriæ apud nationes aliquas. Neque poterat aliūde, quā ex infernohoc oriri portētūfons scaturiēs flagitiorū lue ac peste; quibus tartara farciūtur miserū ris hominib' teterrimorū Dæmonū imitatoribus. Hæ autē superstitio tā altè insederat animis etiam doctorū, vt Græci Socratem veneno peremerint, quòd negarit Deorum catervam vnum tantum astruens. §. 100. Iustin.

Hunc

Hunc Philosophum Græci vocarunt *Atheon*, id est, *sine Deo impium*: quam ob caussam Christianos quoque Romani Atheos & impios compellabant: eaque propter è vivis eos eijciendos cum tanta immanitate curabant, vt refert Iustinus ipse; eodem in loco Apologiæ secundæ ad Antoninum.

§. 101. *August.* Sanctus Augustinus tomo 2. epistol. 5. quæ est ad Marcellinum aliquantò ante finem: *quis autem* (inquit) *vel risu dignum non putet, quòd Appollonium, & Appuleium, cæterosquè magicarum artium peritissimos conferre Christo, vel etiam præferre conantur? Quamquam tolerabiliùs ferendum sit, quando istos ei potius comparant, quam Deos suos. Multo enim melior* (*quod fatendum est*) *Appollonius fuit, quàm tot stuprorum author & perpetrator, quem Iovem nominant.* In eadem sententia est tomo quarto, lib. 1. de consensu Evangelist. cap. 23. & tomo 5. lib. 4. de Civitate, capit. 30. Vbi irridet inanem gentium superstitionem, quòd colerent Deos impotes, ægros, iracundos, Doctores turpissimæ disciplinæ, & impudentissimæ vitę exemplorum editores. Recognosce S. Iustinum ea Apologia 2. referentem Deorum obscœna. *Iustin.*

§. 102. Ipse autem Augustinus ea epistola quinta, obijcit nomine Philosophorum gentilium, ista esse fabulosa; quod latiùs prosequitur eo cap. 23. lib. 1. de Consensu Evangelistarum: illa enim ridenda sunt vel exponenda. Respondet autem eleganter Augustinus ea epistol. 5. * *adhùc* ergo laudant Reipublicæ luxuriosam, licentiosam, planeque sacrilegam fœlicitatem, quæ ista Deorum probra confinxit, quæ non solum in fabulis audienda posuit, verum etiam in theatris spectanda proposuit: vbi crimina plura essent, quàm numina. Qui ergo sunt isti, qui talium turpitudinum celebratione placantur? Horum Dœmonum perversitatem atque fallaciam, *&c.** *Aug.*

§. 103. Neque effugiunt: colebant enim eosdem Deos, quos flagitiosos prædicabant. Templa enim plane erant illorum simulachris. Iocatur enim rectè Sanctus Augustinus lib. 1. de consensu Evangelistarum, cap. 23. ridens Gentiles, qui de sensu suorum Deorum volebant fidem haberi Philosophis; adorationem vero deferri secundum fabulas Poëtarum. *Quid igitur*(inquit)*in Capitolio colunt? si spiritum, dignitatem ipsum cœlum corporeum, quid illic facit scutum illud Iovis, quod apellant Ægida: nempè origo nominis huius ita redditur, quia Iovem à matre occultatum capra nutrivit: an & hoc Poëtæ mentiuntur? Nunquid & Capitolia Romanorum opera sunt Poëtarum? Quid sibi autem vult illa non poëtica; sed planè mimica varietas Deos secundum Philosophos in libris quærere, secundum Poëtas in templis adorare?* Dixit quidem eleganter. *Idem.*

Neque illa erat solum poëtica: nam Corinthi Venus habebat nobilium fœminarum domum, lupanar potius diceres: ibi enim se exponebant ganeoni in honorem Veneris: exercebant Bacchanalia & Saturnales ludos: ipseque Cicero cum Romæ esset Ædilis, ludos dedit populo ad placandã, vt ipse ait, sanctissimam Floram: quæ è publica & infami meretrice Romanorum: quia Populum Romanum instituit hæredẽ pecuniarũ, quas pellicatu cõflauerat, accensa fuit Dearũ nomenclaturæ: in cuius honorẽ Floreales ludi satis obscęni celebrari cõsueti. Quapropter rectè S. Iustinus apologia secunda, ad Antonium Piũ exprobrat Senatui Romano (apud quem agebatur Christianorũ caussa) Deos flagitiosissimos, quos colebat, *Iovem parricidam, & patre tali genitum, ac præ amoris impotentia à malis fœdisquè voluptatibus victum, ad Ganymedem & permultas adulterijs & stupris imminutas fœminas venisse, & liberos suos similium facinorum patratores suscepisse.* Quæ confirmantur exemplo apud Hegesippum lib. 2. capit. 4. Refert enim Paulinam nobilissimam Romanam, quæ non poterat pecunijs vinci à Mundo Præfecto Satellitij Tiberiani, deceptam esse ab eodem Mundo: quia sacerdotes Isidis finxere, eam in templum vocari fruendam à Deo Anubi. Illa, facta facultate à marito viro Principe, & læto, quòd coniugem haberet dignam Deo, templum adit lætabunda, amplexuquè excipiens Mundum, à quo referebatur Anubis, cum rogat, an possit Deus fœminæ misceri? id ille confirmat exemplo Iovis, qui ex Alcmena, & Leda filios susceperit. Consentit Paulina, de qua hæc ait Hegesippus. *Redit ad maritum lætior dicens, quòd missa Deo sit mulier, & eius promissu Deum esset generatura. Fit ingens in stupro mulieris, & mariti gaudium.* Dolo autem aperto, Tiberius Mundum exulare præcepit, Isidis effigiem mitti in Tyberim, Sacerdotes autem obtruncari. Meritò quidem in Sacerdotes acerbior, qui nulla face voluptatis accensi, Principes homines deturpasunt. *Iustin.* *Hegesip.*

§. 104. Ex hac Deorum fæce quid nisi lutulentum potuit oriri? Vt enim rectè Iustinus dixit ea apologia secunda: Honestum est atque præclarum Deos imitari. Quid enim potest illustrius excogitari, quàm opus terreum esse simile cœlesti factori suo? Erãt illi Dij dediti præposteræ veneri: qui ab Hispanis propterea cõburerentur: adulteri, iracũdi. Ebiberunt homines Deorũ mores: vt refert Iustinus his verbis. * *Primum* quidem

S. Thom. q. 1. art. 4. quidem, quòd omnes ferè videamus ad quæstum meretricium educari, atque prodnci, non puellas modo; sed & masculos expositos. Etenim quemadmodum veteres dicuntur armenta & greges boum, vel caprarum, vel equorum pascentium aluisse: ita nunc & pueri ad turpem dumtaxat vsum, atque itidem fœminarum, & ambigui sexus androgynorum & obscænorum familiæ, nefandi huius piaculi gratia, per nationem omnem prostant, atque horum vos mercedes, & collationes, & portuaria capitis: quę omnia in orbe vestro excisa oportuit. Et aliquis cum hisce consuescens, præterquam quod impio, atque impotenti, à Deo prorsus aversus, se polluit concubitu, cum liberis etiam, si fors ita ferat, aut cognato, aut germano misceatur. Sunt qui liberos quoque suos & coniuges per lenocinium deducunt & prostituunt. Et manifesto quidem ob impudicitiam abscinduntur; & in Matrem Deorum initia & sacra huiusmodi *referuntur*.*

§. 105. Quæ corruptela totũ tabefecit orbẽ, etiã Iudæam angulum mundi, in qua sola colebatur Deus. Quæ vt erat natura prona ad libidinem, sic defluebat ad Deos fictos, ad libidinem eamdem. Vniversam tamẽ hanc Deorum catervam ita fugavit Christus doctrina sua, vt eam compulerit in Provincias ignotas nobis, quibus nondum affulsit Evangelium. Vbi autem intonuit Evangelica tuba, classicum cecinit idololatriæ: cum qua Christiani milites aperto Marte pugnarunt. Cecinit illa congressui cum Christianis, armatur orcus, & orbis; educuntur copiæ; instruuntur acies; Romani Imperatores, Reges Persici, vtrique Indi, totus denique mundus minantur equuleos, vngues ferreos, æneos tauros, lentos ignes, denique omnia Dœmoniorum ingenia quæ sitisimis cruciatibus invenerdis incumbunt, vt illorum horrore Christianos absterreant: hærent illi, & fixo pede, corpore immoto; animo alacri excipiunt ictus. Tyrannum lacessunt, feras provocãt, contemnunt ignes armati non galea aut clypeo, neque ense aut lancea; sed sola constantia & virtute Christi, sanguinem fundunt, Dœmones vincunt, Tyrannos profligant, Reges, & Imperatores superant. Quod prudẽter dixit Imperator Antoninus Pius in epistola ad populos Asiæ, quam adducicit S. Iustinus in fine Apologiæ secundæ;

Iustin. *&* (inquit) *vincunt illi vos, suas ipsorum animas potiùs proiicientes, quàm vt obsequentes quod postulatis faciant.*

§. 106. Pleni sunt Historici Ecclesiastici atque profani stragium, quas Iudæi, atque Gentiles in Christianis fecere: obtruncatus Iacobus maior ab Herode, lapidibus obrutus Stephanus à Iudæis, præcipitatus à Pontificibus Iacobus alter: persecutio magna excitata in tota Iudæa: Romæ autem Petrus suffixus Cruci, decollatus Paullus: & Christianum vulgus obiectum feris, & teste Tacito lib. 15. quæsitissimis pœnis affectum: & quod omnem superat admirationem pro luminibus accensum nocte. Nullibi fuit bellum indictum, quin terra imbueretur sanguine Christiano: quo eluebatur infaustus humanus sanguis in Deorum sacrificiis absumptus. Quid plura? satiatum gentilium odium, lassatæ quoque dextræ cædendis inermibus; Plinius etiam Iunior Proconsul Ægypti detestans crudelem immanitatem, qua Christiani necabantur, & considerans ex cæsorum sanguine infinitam Christianorum multitudinem per singulos dies oriri, rescripsit ad Imperatorem Traianum oportere supersedere à tanta hominum cæde. Tertullianus in Apologetico, cap. 12. *Crucibus* (inquit) *& stipitibus imponitis Christianos, quod simulachrum non prius Argilla deformat cruci, & stipiti superstructa Vngulis deradatis latera Christianorum. Cervices ponimus ante plumbum, & glutinum, & gomphos. Ad bestias impellimur; ignibus vrimur, in metalla damnamur, in Insulis relegamur.* Item cap. 30. *sic itaque nos ad Deum expansos vngulæ fodiant, cruces suspendant, ignes lambant, gladij guttura detruncent, bestiæ insiliant: paratus est ad omne supplicium ipse habitus orantis Christiani.* Tertull.

§. 107. Quem in admirationem non rapiat, hæc de idololatria victoria? quæ cùm priùs toti dominaretur orbi, nunc nec mutire audet, vbi Christus sonat: neque etiam inter ipsos Iudæos, qui quamvis quotidie sentiebant se idololatras à Deo flagellis concidi, exilio, servitute, nece; tertiò tamen quoque die idolis sacrificabant. Quàm verò celebris fuerit hæc victoria, exprimit rectè S. Hieronym. epistola tertia, quæ est ad Heliodorum, epitaphium, vel de morte Nepotiani his verbis. * *Ante resurrectionem Christi notus tantum in Iudæa erat Deus; vbi tunc totius orbis homines ab India vsque ad Britaniam, à rigida Septentrionis plaga vsque ad fervores Athlantici Oceani tàm innumerabiles populi, & tantarum gentium multitudines, quàm variæ linguis, habitu, tàm vestis, & armis: pisciuin ritu, ac locustarum, & velut muscæ, & culices conterebantur, absque notitia enim sui creatoris omnis homo pecus est: nunc verò post passionem Christi, & resurrectionem eius cunctarum gentium & voces, & litteræ sonant. Taceo de Hebræis, Græcis, &* Hieron.

Lati-

Latinis: quas nationes fidei suæ in Crucis titulo Dominus dedicavit. Immortalem animã, & post dissolutionem corporis subsistentem, quod Pythagoras somniavit, Democritus non credidit, in consolationẽ damnationis suæ Socrates disputavit in carcere, Indus, Persa, Gothus, Ægyptus philosophantur. Bessorum feritas, & Pellitorum turba populorum, qui mortuorũ quõdam inferijs homines immolabant, stridorem suum in dulce Crucis fregerunt melos, & totius mundi vna vox *Christus est*:*

§. 108 Hunc autem triumphum partum doctrina & virtute Christi id maxime probat quod ante ipsum solus Socrates invectus fuit in Deorum catervam; eaque propter fuit veneno peremptus ab Atheniensibus, reliqui verò Philosophi partim Deum ignorarunt: partim non, sicut cognoverunt, glorificaverunt, aut gratias egerunt. De Deo autem omnes abiectè senserunt; nisi fortè Plato, aut Trismegistus, quorum doctrina redolet sacras litteras, quas legisse videntur. Aristoteles autem non cognovit omnipotentiam Dei: Cicero Aristotelem imitatus providentiam quoque Deo detraxit: nullus autem neque mutire audebat in vulgus: itaque Deus in angustis Philosophorum mentibus indignè latens carebat publico. At verò ex illis angustis carceribus productus est in publicum, datus Romanis & toti illorum orbi, Indis, Persis, Gothis, Scythis, & barbarissimis quisque gentibus. Christus autem eiusque discipuli primum impetum fecerunt in eorum agmina. Ne autem hæc incredibilia videantur, conijciamus oculos in Synas, Iapones, Orientes Indos, & occiduos, quorum colla terit ferreum idolorum iugum, non permittens oculos leuari in cælum: quorum sacrificia, turba Deorum, & fabulæ adsonãt entiquæ idololatriæ, cui totus seruiebat orbis. Romani autem prædicatores illis barbaris fidem Catholicam personantes primam pugnam ineunt ad oppugnandam Deorum multitudinem, vt sit nobis aperto signo fuisse institutum Christi de idolatria triumphum.

§. 109. Tàm autem est aversa doctrina Christi à Deorum cultu, vt neque per somnũ; neque simulatè de illo libeat cogitare. Quod p[illegible]is indicat S. Iustinus Apologia 2. *illud sanè* (inquit) *Vos cõsiderare velim pro vobis nos hæc dicere: eo quòd in nostra est potestate, vt cũ inquirimur, negemus: sed vivere nolumus mendaciter quicquam loquentes & ad confessionẽ Christianam festinamus, &c.* Iustinu m imitatus Tertullianus in Apologetico c. 27. *Sed quidam* (inquit) *dementiam existimant, quòd cũ possimus & sacrificare in præsenti, & illæsi abire manente apud animum propòsito, obstinationem saluti præferamus. Datis scilicet consilium, quo vobis abutamur; sed agnoscimus vnde talia suggerantur, quis totum hoc agitet, & quemodo nũn astutia suadẽdi, nũc duritia sæviẽdi, ad cõstantiã nostram deijciẽdã operetur. Ille scilicet spiritus Dæmoniacæ paraturæ, &c.* Deinde rationẽ reddit, ob quã potiùs detruncati velint, quàm simulare sacrificium.

Iustinus.

Tertullia.

§. 110. Tàm avidè autem vniversi ferè mortales bello huic dedere nomen, vt non solum singulares; sed etiam familiæ & vrbes agmine denso, citato cursu tenderent ad effundendum sanguinem. Mitto quæ ecclesiastici Historici referunt, solumque propono Tertullianum libro ad Scapulã Præsidem Africæ* *Crudelitas* (inquit) *vestra*, gloria est nostra. Vide tantum, ne hoc ipso, quod talia sustinemus, ad hoc solum videamur erumpere, vt hoc ipsum probebemus, nos hæc non timere, sed vltrò vocare. Arrius Antoninus in Asia cùm per se quæretur instanter, omnes illius civitatis Christiani ante tribunalia eius se manu facta obtulerunt: cùm ille paucis duci iussis reliquis ait. O miseri, cupitis perire, præcipitia aut restes habetis; hoc si placuerit & hic fieri, quid facies de tantis millibus hominum, tot viris ac fœminis, omnis sexus, omnis ætatis, omnis dignitatis, offerentibus se tibi? Quantis ignibus? quantis gladijs opus erit, nec tamen deficiet hæc secta, quam tùnc magis ædificari scias, cùm cædi videtur. Quisque enim tantam tolerantiam spectans, vt aliquo scrupulo percussus, & inquirere accenditur quid sit in caussa, & vbi cognouerit veritatẽ, & ipse statim *sequitur*.*

Idem.

§. 111. Emendavit igitur Christus non solum errores vulgi, sed & Philosophorum, nobis proponens Deum immensum, cunctipotentem, omniscium, proba & prava providentem. *Agamus itaque Christiani Domino Deo nostro gratias* (inquit August. 4. de Ciuit. c. 30.)* *Non cælo, & terra, sicut iste disputat*; sed ei, qui fecit cælum & terram: qui has superstitiones, quas iste balbus velut balbutiens vix reprehendit, per altissimam Christi humilitatem, per Apostolorũ prædicationem, per fidem Martyrum pro veritate morientium, & cum veritate viventium, non solum in cordibus religiosis, verùm etiam in ædibus superstitiosis libera suorum servitute subvertit.

Christo gratiæ debentur.

August.

Tho.q. 1. Art. 4.

SUBSECTIO II.

Doctrina moralis Christi.

§. 112. DE componendis moribus multi Philosophi longa volumina composuere, quibus neque se, neque hominem vllum bonum fecêre; tàm implexas autem texuêre disputationes, vt vix longo studio homines ingeniosi illas caperent: Christus autem doctrinam cœlestem quidem ac planè divinam tàm brevi ac dilucidè tradidit, vt eam vel etiam rustici penitus capiant, & exerceant ad admirationem. Meritò S. Prosper in lib. sententiarũ collectarum ex S. Aug. sentent. 8 tom. 3. operũ Aug. *doctrina Apostolica* (dixerit) *tã salubris atque vitalis est, vt pro capacitate vtentium, neminem sui relinquat exortem: quia sive parvuli, sive magni, sivè infirmi, sive fortes habent in ea vndè alantur, vndè satientur.* S. Iustinus martyr apologia secunda, ad Senatũ, *Breves eius* (inquit) *& compendiosi fuere sermones: non enim sophista & cavillator extitit; sed virtus Dei ratio & verbum fuit.* S. Chrysostom. tom. 2. homil. 1. in Matth. eleganter & acutè comparat doctrinam Christi philosophicæ: *attamen* (inquit) *tàm sublimia illa nostrorum dogmata & suscepta & credita sunt, & florêt quotidie, atque succrescunt; eorum verò exagitata sunt, passimquè disperdita, & araneatum telis faciliùs dissoluta. Ibi præter lasciviam morum, multa dictorum obscuritas & caligo est, & ad intelligendum grandis afflictio.* Ostensa autem difficultate doctrinæ Philosophorum, * *at* (inquit) non etiam nostra sunt talia; sed iustum, honestum, vtile, omnemque omnino virtutem in paucis syllabis, in brevibus verbis, atque manifestis nos Christus edocuit: tum dicendo, quoniam in duobus mandatis tota lex pendet & prophetæ: id est, in Dei & proximi charitate: tum iubendo, quæcumque vultis, vt faciant vobis homines, hæc & vos facite illis. Hæc est enim lex & prophetæ. Quæ certè & seruo & rustico, & viduæ & puero, & ei qui valde imprudens videatur esse, facilia ad intelligendum sunt, & prorsus exposita. Tales quippè sunt sententiæ veritatis: idque exitus rerum ipse testatur. Siquidem omnes fere quæ sunt agenda didicerunt, nec didicerunt modò, verum etiam quę didicerant, efficere *curarunt.* *

Prosp. Iustin. Chrysost. Idem.

§. 113. Hæc doctrina ad pauca eaquè brevia capita revocatur. Primùm statuitur Deus dispiciens hominum corda, cui virtus placet, displicet peccatum: propterea q; nos præmio aut supplicio donabit. Constituitur item animus immortalis, præmia aut supplicia æviterna laturus. Proponitur Deus amandus vnicè, & in omni actione quærẽdus, vt avidè appetantur quæcumque illi placeant; quæ verò displiceant, fugiantur, etiam per acerbissimos cruciatus & necem. Docentur autem illi placere quæcumque adsonant rationi rectæ; displicere autem, quæ absonant. Ostenduntur insuper multa quæ neque per somnum in Philosophorum mentes incidêre: virginitatis cultus; paupertatis amor, caducarum rerum oblivio, despectus honoris, iniurię condonatio, assiduitas orationis, operum directio in laudem Dei. Deus denique docetur amandus; cætera verò eâ dumtaxat ratione, vt nos ducant ad Deum; si verò abducant, despiciẽda. Alios autem homines docemur amare, non aliter ac nos ipsos. Tandem rectè dixit Chrysostom. tom. 4. homil. 11. ad Romanos. *Nam qui ita vivit omnem complectitur virtutem, ipsum Iesum habens*, & tomo 2. homil. 9. in Matth. *Itaq;* (inquit) *ab ipsis omnino principijs vniversam mundi pompam, omnem superbiam atque arrogantiam calcans, solius nos sectatores præcepit esse virtutis.* Idem.

§. 114. Hanc doctrinam ipse iuvit auxilio suæ gratiæ, vt homines barbaros & efferatos, alienos non à virtute solùm; sed & ab humanitate, curaverit, & revocatos ad virtutum studium imitatores fecerit ipsius Dei. Testis est Iustinus apologia secunda, qui recẽsitis aliquorum flagitijs: * *& qui* olim (inquit) stupris lætabamur, nunc castitatem solam complectimur: qui magicis artibus vtebamur, bono & æterno nos cõsecramus, dicamusquè Deo: qui pecuniarum & possessionum fructus ac proventus præ rebus omnibus adamabamus, nùnc etiam ea, quæ habemus, in commune conferimus, & cum indigentibus quibusque cõmunicamus: qui odijs & cædibus mutuis inter nos grassabamur, & pro consuetudine recepta, cum eis, qui tribules nostri non essent, communem focum non habebamus; nunc à Christi apparitione familiariter simul vivimus, & pro inimicis oramus: & qui nos iniquo persequuntur odio, suasione flectere conamur, vt secundum honesta Christi præcepta vitam agentes, bonam spem habeant eadem se nobiscum à Deo omnium dominatore præmia esse *consequuturos.* * Iustinus.

§. 115. Producam alium testem, qui eam in se ipso mutationem expertus, eadem de se fatetur, quæ Iustinus, vt duorum testimoniũ confirmet digitum Dei esse doctrinã Christi, quo & eius divinitas indigitatur, & Catholicæ fidei credibilitas. Hic est sanctissimus Cyprianus, Philosophus, Episcopus, & martyr, epist. 2. quæ est ad Donatum num. 2. * *Ergò* (inquit) cum in tenebris atque in nocte Cyprian.

nocte cæca iacerem, cùmque in solo iactantis sæculi nutabũdus ac dubijs vestigijs oberrantibus fluctuarem, vitæ meæ nescius, veritatis ac lucis alienus; difficile prorsus ac durum pro illis tunc moribus opinabar, quod in salutem mihi divina indulgentia pollicebatur, vt quis renasci denuo possit, vtque in novam vitam lavacro aquæ salutaris animatus, quod prius fuerat, exponeret; corporis licet manente compage, hominem animo ac mente mutaret. Quî possibilis, aiebam, est tanta conversio, vt repente ac perniciter exuatur, quod vel genuinum situ materiæ naturalis obduruit, vel vsurpatum diu senio vetustatis inolevit? alta hæc, & profundà penitùs radice sederunt. Quando parsimoniam discit, qui epularibus cænis & largis dapibus assuevit? & qui pretiosâ veste conspicuus in auro atque in purpura fulsit, ad plebeium se ac simplicem cultum quando deponit? Fascibus ille oblectatus & honoribus, privatus & inglorius esse non potest: hic stipatus clientium cuneis, frequentiore comitatu officiosi agminis honestatus, pœnam putat esse cùm solus est; tenacibus semper illecebris assuetum, necesse est, vt solebat, vinolentia invitet, inflet superbia, iracundia inflammet, rapacitas inquietet; crudelitas stimulet, ambitio delectet, libido præcipitet. Hæc egomet sæpè mecum: nam vt ipse quam plurimis vitæ prioris erroribus implicitus tenebar, quibus exui me posse non crederem; sic vitijs adhærentibus obsecundãueram, & desperatione meliorum malis meis veluti iam proprijs ac vernaculis adfavebam. Sed postquã vndæ genitalis auxilio superioris æui labe detersa, in expiatum pectus ac purum desuper se lumen infudit; postquam cœlitus spiritu hausto in novum me hominem nativitas secunda reparavit; mirum in modum protinus confirmare se dubia, patêre clausa, lucere tenebrosa, facultatẽ dare, quod prius difficile videbatur; geri posse, quod impossibile putabatur, vt esset, agnoscere terrenum fuisse, quod priùs carnaliter natum delictis obnoxium viveret; Dei esse cœpisse, quod iam Spiritus Sanctus animaret, *&c.**

§. 116. Considera greges illos non armentorum aut pecudum; sed puerorum atque puellarum, quos alebat Roma ad vnam libidinem etiam præposteram; qui Romano Principi vectigalia, collationes, & portoria pendebant; quique Deorum erant matri sacrati, quos ex S. Iustino descripsi, §. 104. Hos (inquam) greges considera, & conferto, si audes, cum Christianorum iuvenum ac puellarum gregibus Deo dicatis, referentibus cœlicolarum vitam, non mortalium, compescentibus iuveniles accensos motus, cum genio & venere belligerantibus sanguineo Marte, ferro & igni secantibus & vrentibus vel ipsas libidinis fibras, quod aureè dixit os aureum Ecclesiæ, tom. 2. hom. 1. in Matthæum: * *Nec* verò dicere poteris, parua hæc esse, nimisquè humilia, & ideo facilè à cunctis suscepta: cùm vtique multo hęc sint illorum dogmatibus excelsiora, virginitatis enim illi nec in somno imaginati sunt dignitatem, nequè contemptum habẽdi, atquè ieiunia, nec quicquam aliud de sublimiori doctrina. Nostri autem magistri non solum opus turpe condemnant, neque tantummodo concupiscentiã prohibere contenti sunt; sed & adspectum impudicum, & inhonesta verba, risumquè lascivum; sed & habitum inordinatum, incessumque inconditum, atquè clamorem, & omnino vsque ad humilia præcepta deducunt diligentiam disciplinæ. Itaque vniversum prorsus orbem virginitatis plantatione compleverunt; corde Deo, rebusque cœlestibus ea philosophari docent, quæ illorum nullus potuit vel mente concipere. Hęc Chrysostomus, qui paulo post omnes fere (inquit) quæ sunt agẽda didicerunt, nec didicerunt modo, verùm etiã quæ didicerant, efficere curarunt: & non in vrbibus solùm atque medio foro; sed in ipsis quoquè verticibus montium. Etenim ibi maximè evangelicam videas florere philosophiam, & Angelorum choros in humano corpore refulgere, conversationemque omnino cœlestem in terris *micare.** Chrysost.

§. 117. Eia, obsecro te, erige animum, & oculos in cœlum attolle, vndè derivata disciplina Christi. Romæ homines ab hominibus delapsi erant ad bestias, in Ecclesia Christi à bestijs ad Angelos evecti: illi nec ab infando crimine in ipsius Romæ meditullio abstinebant; sed gregatim in libidinem irruebant bestijs ignotam; hi ne cogitare quidem volunt nõ modo de obscæna Venere, immò nec de honesto Hymenæo, vt ex vtriusque disciplinæ discrimine cernas, illius authorem esse malum Dœmonem; huius bonum Deum.

§. 118. Risum mihi movet, quod Ethnici obijciebant Marcellino, legem Christi esse Reipubl. perniciosam: quia percutienti maxillam alteram præcipit alteram obijciendam, quo audaces omnia turbarent soluti vindictæ metu. De quo argumento agit S. Aug. tomo 2. epist. 5. ad eumdem Marcellinum. Christus enim non armat audaciam, sed bilim exarmat; vt potiùs sinamus vtramque percuti maxillam, quàm pro alterius tutela peccemus irã: quæ movet non ad defensionem; sed ad vltionem. At non prohibuit Christus moderatam defensionẽ: nec enim Aug.

ius

S.Tho.q. 1. Art. 4. ius naturale abrogat; sed perficit: nec vero plus damni est inferendum percussori, quã opus est, ne feriamur, idque non ex livore; Aug. in defensione ipsâ abstinendum ab odio, quod bilis accendit. Ait autem rectè Aug. ea epist. 5. *Proinde qui doctrinam Christi adversam dicunt esse Reip. dent exercitum talem, quales doctrina Christi esse milites iussit; dẽt tales maritos; tales cõiuges; tales parẽtes; tales filios; tales dominos; tales servos; tales Reges; tales iudices; tales denique debitorum redditores & exactores ipsius fisci, quales esse præcepit doctrina Christiana, & audeant eam dicere adversam esse Reip. Immò verò non dubitent eam confiteri magnam, si ei obtemperetur, salutem esse Reip.*

§. 119. Vtinam hanc legem servarent cuncti mortales: neque enim in terris degere; sed in cœlos viderentur esse transvecti. Quantis ærumnis soluti cœlo frueremur in terris? nullum bellum sonaret, nec streperent arma, nec ferrum minaretur: neque opus esset, nisi venabulum ad feras, securis ad lignum, culter ad escas. Non egeremus ferreis clavibus, nec clavis: quia solum iustitiæ studium nostras fortunas servaret incolumes. Fœminis non esset necessarium armatorum præambulorũ satellitium, nec densum pedisequarum examen, quibus vix est secura vnius mulierculæ pudicitia: castitatis enim amor neque in cogitatione libidinem pateretur. Quid cõmemorem in hac lege sitam vniversorum salutem? adeamus, & audiamus Augustinianum acumen tomo 1. lib. 1. de moribus Eccles. Cathol. cap. 30. his verbis, quibus eidem affatur Ecclesiæ.

§. 120. August. * *Tu* pueriliter pueros, fortiter iuvenes, quietè senes, prout cuiusque non corporis tantùm; sed & animi ætas est, exerces, ac doces. Tu fœminas viris suis non ad explẽdam libidinem; sed ad propagandam prolem, & ad rei familiaris societatem casta & fideli obedientia subijcis. Tu viros coniugibus non ad illudendum imbecilliorem sexum; sed synceri amoris legibus præficis. Tu parentibus filios liberâ quâdam seruitute coniungis, parentes filijs piâ dominatione proponis. Tu fratribus fratres religionis vinculo firmiore, atque arctiore, quàm sanguinis, nectis. Tu omnem generis propinquitatem & affinitatis necessitudinem, servatis naturæ voluntatisque nexibus, mutuâ charitate constringis. Tu Dominis servos non tàm conditionis necessitate; quàm officij delectatione doces adhærere. Tu Dominos seruis, summi Dei scilicet communis Domini consideratione, placabiles, & ad consulendum; quàm coërcendum propensiores facis. Tu cives civibus, gentes gentibus, & prorsus hominibus homines primorum parentum recordatione, non societate tantùm; sed quâdam etiam fraternitate coniungis. Doces Reges prospicere populis, mones populos se subdere Regibus. Quibus honor debeatur, quibus affectus, quibus reverentia, quibus timor, quibus consolatio, quibus admonitio, quibus cohortatio, quibus disciplina, quibus obiurgatio, quibus supplicium, sedulò doces: ostendens quemadmodum & non omnibus omnia, & omnibus charitas, & nulli debeatur iniuria. Iã verò cùm hæc humana dilectio inhærentem vberibus tuis nutriverit & roboraverit animum, sequendo Deo factum idoneum: vbi eius maiestas ex tanta parte, quanta homini, dum terræ huius inhabitator est, sufficit, aperire se cœperit, tantus charitatis ardor innascitur, & tantum divini amoris consurgit incendium, vt exustis omnibus vitijs, & homine purgato atque sanctificato, satis appareat quàm diviné dictum sit. Ego sum ignis consumens. Et, ignem veni mittere in *mundum*. *

Hæc tã aperto sunt argumento veritatis Christianę, vt ex ipsis Hierosolymitanis crucifixoribus Christi multi eiusdẽ discipulis se addixerint, cõvicti moralium præceptorũ excellẽtiâ, vt refert Hegesippus. Aberrarunt Philosophiæ Principes in providentia numinis, in vltimo fine, in animorum immortalitate, in doctrina virtutum, atque vitiorum; hos omnes errores Christus dispulit paucis syllabis, vt dixit Chrysostomus; qui autem in argumentis, quæ capere possumus, tàm veram doctrinã absque erroris vestigio tradit, cætera quoque præcepta, quæ non capimus, cogit, vt credamus: quia non contra rationis lumen; sed supra probantur esse, vt multa quoque moralis disciplinæ. §. 121.

Claudat agmen B. August. qui illud frequenter ac semper ducit tom. 6. lib. de vtilitate credendi à cap. 14. ex quo hæc decerpe. *Ergo ille afferens medicinam, quæ corruptissimos mores sanatura esset, miraculis conciliavit authoritatem; fidem fide contraxit; multitudinem multitudine obtinuit; vetustatem vetustate roboravit; religionem statuens, quam non solum Hæreticorũ ineptissima novitas fraudibus agẽs; sed nec gentium quidem veternosus error violenter adversans aliqua ex parte convelleret.* Cap. autem 17. recẽsita doctrinâ antiquis Philosophis ignotâ, quam disputat nostrum imperitum vulgus, sicque esse cõparatum Christi, & Apostolorum, & martyrum doctrina & sanguine, cõcludit, *cùm igitur tantum auxilium Dei; tantum profectum fructumque videamus, dubitabimus nos eius Ecclesiæ condere gremio: quæ vsque ad confessionem generis humani, ab Apostolica Sede per successiones Episcoporum frustra* §. 122. Aug.

frustra hæreticis circumlatrantibus; & partim plebis ipsius iudicio, partim Conciliorum gravitate, partim etiam miraculorum maiestate damnatis, culmen authoritatis obtinuit.

§. 123. Supersunt agendæ Deo gratiæ pro tam immortali munere, quo nos per filiũ suũ voluit esse immortales. Augustinus tom. 6. lib. de quinque Hæresibus. c. 7. *Deo gratias?* (inquit) *intonuit præceptum Dei, & remotum est consilium Petri. Gratias tibi Deus æterna, virtus: gratias tibi Deus Pater omnipotens, qui & filium tuum ostendisti, & mihi Doctorem dedisti.*

Idem.

SECTIO VI.

De Innocentia magistrorum doctrinæ Christianæ

§. 124. ARDEAT orator, *qui iudicem velit incendere*, dixit Oratorũ Princeps: cui præcepto fecerunt satis Christus, & eius Apostoli se ipsos præstãtes exemplar bonorum operum propositum ad imitandum: friget enim oratio absimilis vitæ. *Doce te ipsum primùm* (inquit Chrysostomus tomo 4. in epist. 2. ad Thessalonicenses hom. 5.) *si docueris omnia quæcunque Christus præcepit servare, & per hoc multos habebis æmulatores. Quemadmodũ enim lucerna, quando ipsa illustris est, innumeras alias incendere potest; extincta verò neque se ipsam illuminat, neque alias lucernas incendere valet: ita habet & vita munda.* Et paulò post. *Etenim* (inquit) *facile est de patientia dicere; facere verò, si quando in necessitate constituti sumus, cuivis difficile est. Quapropter magis ab ipsis operibus corrigi solet humana natura.* Quia verò Christus venit emendaturus flagitiosissima hominum vitia, ab illis omnibus abstinuit, omnem virtutem exercens heroicè: *Talis enim decebat, vt nobis esset Pontifex, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cœlis factus.* Hoc nobis probandũ vel adversariorum testimonio.

Cicero.

Chrysost.

Ad Hebre. 7. 29.

SVBSECTIO I.

Testimonium Evangelistarum

§. 125. PRIMVM testimonium est Evangelistarum; qui referunt actiones Christi admirandas ipsis Angelis. Cùm autem ipse multis iniurijs & insidijs peteretur à Pharisæis, nullum lapidem nõ moventibus, vt Christus signum aliquod daret vitij vel levissimi, illos rogavit, vtrũ possent illum peccati arguere? Non ignorabat Iesus se appellari à Pharisæis helluonem, potatorem vini, legis violatorem, Samaritanũ, & Energumenum. Medius autem stetit, eos cogens ad probanda crimina vel argumento tenui. Cùm autem vsti invidia & rabie eum à Pilato poposcissent ad crucem, nullam caussam Pilatus invenit; quin potiùs lotis manibus illum appellavit iustum. Matthæi 27. 24. Illum autem vocavit Pilatus Regem Iudæorum. Pharisæi verò enixè contenderunt, ne illum vocaret Regem, sed Regni potius vsurpatorem, nec tamen propterea à sententia dimovêre Pilatum.

Ioan. 8. 46.

Matt. 27. 24.

§. 126. Petrus item Actorum 2. 22. pro concione in ipso Meditullio Hierosolymæ populo frequentissimo prædicavit, approbatus à Deo virtutibus, & prodigijs, & signis, quæ Deus per illum fecerat inter ipsos Hierosolymitanos illis exprobravit necem Christi patratam per manus iniquorum, qui fuerant Pontifices & Sacerdotes. Cap. autem 3. 14. *Deus Patrũ nostrorum glorificavit filium suum, quem vos quidem tradidistis, & negastis ante faciem Pilati, iudicante illo dimitti. Vos autem sanctum & iustum negastis & petijstis virum homicidam donari vobis, authorem verò vitæ interfecistis.* Quæ omnia nisi manifesta essent toti populo, non esset Petrus tam impudenter audax, vt eidem populo exprobraret crimen tàm infandum: lapidibus enim obrueretur à circumfusa concione. Neque Evangelista auderet evulgare hunc librum plenum mendacijs tàm insignibus, quorum falsitas ostenderetur apertè à Iudæis; qui corticem huius historiæ non sunt ausi calũniari. Recognosce à §. 19.

Actor. 2. 22.

§. 127. Dices, Evangelicos egregiè mentitos. Non absimilem obiectionem proponit August. tomo. 1. lib. 1. de moribus Ecclesiæ Catholicæ. c. 29. his verbis. *Ait in Evangelio verba eius ista conscripta sunt: falsum esse scriptum. Quid hoc sacrilegio magis impium reperiri potest? Quid ista voce impudentius? Quid audacius? Quid sceleratius? Simulachrorum cultores, qui Christi etiam nomen oderunt, nunquam hoc adversus scripturas illas ausi sunt dicere. Consequitur namque omnium litterarũ summa perversio, & omnium, qui memoriæ mandati sunt, librorum abolitio, si quod tanta populorũ religione roboratum est, tantâ hominum & temporum consensione firmatum, in hanc dubitationem deducitur,*

August.

ducitur, vt ne historiæ quidem vulgaris fidem posit, gravitatémque obtinere. Postremò quid de scripturis vllis proferre poteris, vbi mihi vti hac voce non liceat, si contra tuam ratiocinationem intentionéque proferatur?

§.128. Hæc testimonia lubens adduco: quia sunt Sapientissimorum Doctorum, qui nō pueri doctrinam Christianam sunt amplexi; sed iam viri ingeniosi, docti religionem oppositam ab ipsis cunis imbuti: quam voluptates omnes permittentem deseruerunt, victi veritate, doctrinâ Christiana: cuius facti sunt discipuli, ex impugnatoribus acerrimis. Talis fuerat, Quadratus, qui testatur, se vidisse multos Iudęos sanatos à Christo, & mortuos redi viuos: vt refert Baronius tom. 2. anno Christi 109. Tales fuerunt Aristides, atque Iustinus, qui apud Senatū, & Imperatorem scripto propugnavit religionem Christi, qui ob exprobratam gulam Crescenti Cynico perijt: non fuit absimilis Apollonius Senator Romanus, qui perijt propter aliud volumen in defensionē fidei; apud Euseb. in Chronico anno Christi 190. Clemēs, Pāthenus, Cādidus, Musanus, Tertullianus, Origenes, Anatolius, Cyprianus, Lactantius, Arnobius, Eumenia virgo filia Nazarij eloquentiâ non inferior parente, Clabrio consularis, Flavius Clemens patruelis Domitiani, & Flavia Domitilla vxor Clemētis, & alia Domitilla neptis (cuius relegatæ procurator Stephanus Domitianū occidit.) Iustinus Samariensis tentatis Philosophorum sectis fit Christianus, ipso teste in dialogo cum Tryphone: Constantinus Imperator, reclamantibus Iudæis, publica disputatione à S. Sylvestro confutatis: S. August. de Manichæo irridente Evangelia factus est Evangeliorum propugnator: ad quæ ipse ægerrimè transijt propter Veneris illecebras, ad quas pelliciebatur Manicheismo, avertebatur autē Christianismo. Hi, & totus orbis, qui ab Ecclesiæ cunabulis per tā immanes cruciatus adhæsit Christo, qua ratione credere potuerūt per historias, quas non viderent esse ipsa luce clariores, nec possent impugnari ab Ethnicis & Iudæis inimicis Christi vbique terrarum? Dicat Chrysostomus tomo 2. homilia 1. in Matthæum.

Baron. Euseb. Clement. Tertull. Orig. Anatol. Cyprian. Lactant. Arnob. Chrysost.

§.129. *Credebatur* (inquit) inaudita loquentibus, toto orbe laudabantur docentes, cúmque multi testes eorum prædicationis existerent, tùm etiam inimici, hostésque plurimi: non enim in vno aliquo scribentes angulo, ea, quæ scripserant, occultaverunt; sed terras mariáque lustrantes, in conspectu & auribus omnium volumina sacra replicabant: quæ sicut etiam nunc fieri videmus; ipsis quòque præsentibus legebantur inimicis: nec quicquam tamen ex his, quæ dicta sunt, quemquam offendit; nec immeritò. Erat enim divina virtus, quæ aderat vbique, & apud omnes cuncta peragebat. Cæterùm si non istud fuisset; vnde publicanus, vnde piscator, vnde illitteratus quivisset vnquam tàm sublimiter philosophari? Quæ enim sapiētes sæculi ne per somnum quidē aliquando imaginari potuerunt: hæc isti cum asseveratione manifesta annuntiant, atque persuadent: idquè faciunt non tantum in vivis agentes; sed etiam vbi fato functi sunt: & non duobus, non viginti hominibus, nō centum aut mille, aut decem millibus; sed vrbibus, & Gentibus, & populis, & terræ prorsus ac mari, Græciæ simul, ac Barbariæ, & habitabilibus partibus orbis, ipsique deserto; & certè ea persuadebant, quæ naturam nostram longè probantur excedere.

SVBSECTIO. II.

Testimonium Pontij Pilati.

NON sumitur testimonium leve ab ipso Iudice, qui cruci Christum addixit: qui non solùm populo Christo succlamanti asseruit, Iesum esse Iudæorum Regem; sed etiam Tiberio Imperatori ita prædicavit eiusdem Christi divinitatem, vt ipse Tiberius Christum proposuerit Senatui adorandum. Hic sunt expendenda duo; alterum, vtrum Pilatus illud testimonium tulerit? alterum, vtrùm epistola Pilati, quæ circumfertur in operibus Hegesippi, sit eadem, quam scripsit ipse Pilatus? §.130.

§.131. Huius testimonij Pilati meminerunt P. Gordonus anno Christi, 35. initio Cardinalis Baronius tom. 1. ann. Christi 34. à num. 227. ad 230. Greg. Turonēsis, lib. 1. histor. num. 24. Eusebius in Chronico anno Christi 23. Tertulianus in apologetico, cap. 5. & 21. & cum eo Pamellius in annotationibus 57. & 319. referens Orosium, lib. 7. cap. 4. & Cedrenum Græcè ac Latinè; posteriores deniquè historicos omnes, *quibus* (inquit) *fidem non adhibere tàm probatis scriptoribus vanum esset*. Deniquè Baronius suprà eo numero 230. refert à Sancto Iustino Martyre provocari Imperatorem Antoninum ad acta Pilati, quibus Tiberius monitus fuit miracula & resurrectionem Christi: quod quidē nisi cōstans esset Imperatori & Senatui veritas, neque Iustinus, neque Tertullianus eius meminissent. Illi enim Doctores caussam afflictorum Christianorum agebant

Gordon. Baron. Gregor. Turon. Euseb. Tertull. Pamell.

bant apud Senatum & Imperatorem ad depellendas iniurias, quibus Ethnici Christianos concidebant: egregia autem esset depulsio provocare hostes simul ac Iudices ad ipsorum archivia, vt ex suorum ministrorum actis discerent veritatem, nisi veritas obuia esset legentium oculis: esset enim ipsos hostes confirmare in falsa opinione, quam conceperant de flagitijs, & præstigijs Christianorum, cùm defensione mendacij conarentur criminum maculas eluere. Ait autem Gregorius Turonensis eo lib. 1. num. 24. ea gesta Pilati tempore ipsius Gregorij scripta superesse. Itaque non magis licet dubitare de hoc testimonio Pilati, quàm de Cæsaribus ipsis, quos scripserunt Tacitus, atque Tranquillus.

§. 132. *Tertull.* Tertullianus eo cap. 5. ***Tiberius ergo*** (inquit) ***cuius tempore nomen Christianum in sæculum introivit, annuntiatum sibi ex Syria Palæstina, quòd illic veritatem illius divinitatis revelaverat, detulit ad Senatum cum prærogativa suffragij sui. Senatus, quia non in se probaverat, respuit; Cæsar in sententia mansit, comminatus periculum accusatoribus Christianorum.*** Hæc Tertullianus, quibus ostendit, Tiberium voluisse adorari Christum, cõmotum multitudine miraculorum, atq; virtutum, quas cognoverat per scripta suorum procuratorum. Consentit omnino Eusebius in Chronico & historia. *Franciscus Zephyr.* Franciscus autem Zephyrus in paraphrasi huius textus Tertullianici. ***Tot*** (inquit) ***tantáque erant miracula, quæ ad illum ex Iudæa deferebantur de Christo: quæ etsi vel malignitate, vel adulatione à scriptoribus supprimebantur, qui nihil; nisi Cæsarum gesta admirari videri volebant; multa tamẽ, si Fastorum libri, si acta Senatus & commentaria Cæsarum extarent, apud hostes eius nominis legerentur.***

§. 133. Capite autem 21. Tertullianus ***ea omnia*** (inquit) ***super Christo Pilatus & ipse iam prosua conscientia Christianus Cæsari tùm Tiberio nuntiavit.*** Censet autem Gregorius Turonensis eo num. 24. prima semina odij Romanorum in Christum iacta fuisse ex hoc dissidio Tiberij, atque Senatus: tùm, quia Senatui Tiberius erat invisus; tùm, quia Senatus sibi arrogaverat delectum Deorum: tulit autem graviter Tiberium suffragio præivisse Senatui.

§. 134. *1 Obiectio.* Obijcis primò, cum Pamellio ea annotatione 57. Pilatum conspirasse in persequendos Apostolos: adducit cap. 4. Actorum, n. 27. & c. 13. n. 28. *Resp.* Verùm nihil inde: tùm, quia ibi Pilatus nihil contra Apostolos; sed *Actor. 4. num. 27.* contra personam Christi refertur egisse. *Actor. 13. num. 28.* Cap. enim 4. S. Petrus, decimo autem tertio S. Paullus referunt, quæ acta sunt in Christum à Iudæis, Herode, atque Pilato: tùm etiam, quia vt Pilatus cẽsens Christum innocentem, eum suffixit cruci, metuens Iudæos, illum insinuantes esse inimicum Cæsaris, nisi occidat Christum, qui sibi regnũ adscripserat; sic potuit Tiberio deferre, quæ gesta celebrabantur à Christo, quamvis eius discipulos insectaretur, propter eumdem Iudæorum metum.

Obijcis secundò, Pilatum in ea epistola §. 135. imponere Christo magiam. Baronius, num. *2. Obiectio* 229. respondet, id à Pilato adiectum, vt se *Baron.* tueretur apud Tiberium, si fortè vellet vlcisci Christi necem. Responsum planum est, *Resp.* Pilatum non de suo; sed de Iudæorum cerebro id dixisse. Retulit enim & gesta Christi, & Iudæorum obiecta.

Obijcis tertiò Acta Pilati, quę iussu Maximini Imperatoris iussa sunt recitari in puerorum ludis totius Romani Imperij: quibus actis continebantur multa crimina Christi, ob quæ necatus fuit à Pilato. §. 136. *3. Obiectio*

Fateor, eũ libellũ irrepsisse contra Christũ in orbem: sapiunt tamẽ authoris inscitiã stulta, quæ in eo continentur. §. 137. *Respons.* Maximinus genere obscurus, moribus teterrimus, dolo, & tyrannide obtruncavit Imperatorem Alexandrum: in cuius familia melior Principum pars erat Christiana: horum odio & insita feritate sævijt in Christianos, fictis illis criminibus in Christum. Esse libellum hũc recentiorem Tertulliano, neque huius temporibus fuisse libri memoriam clarè confirmat silentium Tertullianicum, qui in apologetico pro Christianis nullũ omittit testimonium grave, quod possit esse pro Christianis, quod non adducat: nec contrà, quod non refellat. Tacitum enim obiurgãtem Christum & Christianos, mendacij & *Tacit.* garrulitatis accusat apertè. Cùm autem Pilato vtatur pro Christianis, eumque censeat conscientiâ fuisse Christianum, si tunc versaretur aliquod testimonium eiusdem Pilati adversus Christum, illud aut confutaret, aut exponeret, ne fidei propugnatio maneret manca atque suspecta. Regnavit Maximinus anno Christi ducentesimo, trigesimo septimo, quo necavit Alexandrum: Tertullianus autem aliquot annos ante ducẽtesimum decimum sextũ Christi dederat apologeticũ, vt constat ex Patre Gordono ad illos annos.

Eusebius meminit imposturæ huius libri primo histor. cap. 11. & lib. 9. cap. 5. §. 138. quam cõfutat apertè, quia libellus ille Maximini erat subscriptus quarto consulatu Tiberij, qui consulatus incidit in annũ septimum Tiberij, in quo collegã habuit Drusum, vt refert Pater Gordonus ad annum vigesimum tertium Christi, qui fuit septimus Tiberij. Quo anno Gratus præerat Iudę-

S.Thom. q.1.art.4. Iudeæ, in quam nondum erat missus Pontius Pilatus, neque Christus crucifixus, qui vndecim pòst annis crucem tulit. Constant hæc apertè ex Iosepho, lib. 18. antiquitatũ: vbi dicit, duos tantùm Gubernatores missos in Iudæam à Tiberio, Gratum, & successorem eius Pilatum; capite autẽ tertio, hæc ait: *His ita gestis, Gratus Romam repetijt, in Iudæa exactis annis vndecim: cui deinde Pontius Pilatus successor missus est.* Vndè concludes, maximum Maximini mendacium. Pilatus non adijt Iudæam ante ineuntem duodecimum annum Tiberij; libellus autem ille est datus anno septimo eiusdem Tiberij: ergo non potuit esse Pilati. Item Christus tũc non erat mortuus: quia obijt post annos vndecim, nempè suo trigesimo quarto; Imperij autem Tiberiani decimo octavo: illa ergo scripta sunt mendacia, & quidem, vt mendacium curtas habet tibias, sic brevi capitur cursu: *citiùs enim apprehenditur mendax, quàm claudus.*

§.139. *Obiectio. Refell.* Dices, hæc esse Christianorum figmenta. Contrà, ostende, obsecro, aliud volumen authenticum, cui fidem habeamus, nosque sugillet. Eusebius historiâ floret, nec longè distat ab imperio Maximini: obijt enim Maximinus anno Christi 240. Eusebius autẽ lumina clausit anno Christi 340. Senex quidem, atque longævus; qui natus est paulo post trigesimum annum Maximini. Cùm ergo libellus ille lectus fuerit toto orbe in puerorum ludis, essent tunc infiniti testes oculati contra Eusebium, si ausus fuisset tàm famosum mendacium.

§.140. Quod attinet ad epistolam, quam Hegesippus adducit, negotium est levioris armaturæ. Eam adducit integram Baronius anno Christi 34. num. 228. Item Hegesippus in anacephaleosi, folio 683. est autem anacephaleosis recapitulatio, sive brevis repetitio capitũ præcipuorũ: quã quidem præstitit Hegesippus post librum 5. de excidio Hierosolymitano: adducitur etiam in nonnullis libris Sancti Dionysij Areopagitæ post epistolã Sancti Antonij Abbatis. Hanc Pilati non censet improbabilem Baronius, num. 227. Titulus est *Caio Tiberio Cæsari.* Prænomen *Caius* in curia fortè amanuensium irrepsit: quia Tiberius post imperium insolitus appellari *Caius*; ante Imperium autem Caius Tiberius nuncupatus.

§.141. Hæc epistola continet promissum Iudæis à Deo Sanctum & Regem; hunc autem esse Iesum Christum apertè probari ipsius miraculis: refert crucifixum à Iudæis, & revixisse die tertia, videntibus militibus constitutis à Iudæis custodiendi sepulchri gratiâ. Quos milites pecuniâ corrupêrunt, vt testarentur raptum à discipulis corpus: milites autem accepta pecuniâ nòn potuerunt veritatem occulere. Adde iocum ex Gregorio Turonensi, lib. 1. histor. n. 21. Ioseph ille ab Arimathia, qui Christianum funus fuit exequutus, Pharisæorum rabie ab ipsis custodiebatur in ergastulo, ex quo, resurgente Christo, ereptus fuit divinitùs. Cùm autem Pharisæi clamoribus, & furore dicerent militibus: date nobis Iesum mortuũ, quẽ custodiebatis: responderũt milites subridentes; vos date nobis Ioseph vivũ tàm diligenter custoditum à vobis, & tunc dabimus vobis Iesum mortuum.

SVBSECTIO III.

Testimonium Iosephi.

NVLLVM humanum testimoniũ magis à suspicione alienum potest afferri, quàm ab homine Iudæo adhùc in Iudaismo pertinaci. Hoc extorsit Deus etiam ab invito Iosepho; qui ne omnino videretur insanus, & alienus à recta lege historiographi, non potuit præterire laudes Christi: cuius discipuli totum compleverant orbem: hæc igitur ait Iosephus, lib. 18. antiquitatum, cap. 4. num. 6. *Eodem tempore fuit Iesus, vir sapiens; si tamen virum eum fas est dicere: erat enim mirabilium operum patrator, & doctor eorum, qui libenter vera suscipiunt: plurimòsque tàm de Iudæis, quàm de gentibus sectatores habuit. Christus hic erat, quem accusatum à nostræ Gentis principibus, Pilatus cùm addixisset cruci, nihilominus non destiterunt eum diligere, qui ab initio cœperant. Apparuit enim eis tertia die vivus, ita vt divinitùs de eo vates hoc, & alia multa miranda prædixèrunt: & vsque in hodiernum Christianorum genus ab hoc denominatum non deficit.* Hæc Iosephus. Deo autem gratias, qui hunc rebellem cõtra Deum, atque Romanos, penè per miraculum servavit incolumem, vt testis esset suæ & suorum perfidæ contumaciæ. §.142. *Ioseph.*

Iudæi, qui pecuniâ corruperant militem testem Christi resurgentis, corrupêrunt etiam testimonium Iosephi de eadem resurrectione. Iosephus Græcè scripsit hos libros, quos describẽdos Hebraicè petierũt Iudæi post multos annos. Abraserunt autem membranam græcam, in qua erat hoc testimonium: quod ex ipsa membrana patêre, testes sunt Baronius anno Christi 34. num. 226. & P. Gaulterius in primo sæculo. Hoc testimonium dictum à Iosepho probatur apertè: quia illo vtuntur ante annos mille trecentos Hegesippus lib. 2. de bello Iudaico, §.143.

Iudaico cap. 12. & in Anacephaleosi longè post initium: Eusebius lib. 1. historiæ cap. 14. & S. Hieronymus in catalogo scriptorū Ecclesiasticorum cap. 23. *quod inquit Iosephus Mattathiæ filius.* Neque verisimile est, tres graves Doctores conspirasse in id mendacium. Externa enim testimonia accipimus, quando dantur; nō tamen adsciscimus invita: libros enim syncerè accipimus tàm quibus vituperamur; quàm quibus laudamur. Ea ratione non vtimur in laudē Christi epistolâ Publij Lentuli Syriæ Proconsulis; vtimur autem Pilati, quia hæc authoritati nititur: illa verò aut nulli, aut exiguæ. Bellarminus de scriptoribus Ecclesiasticis in Iosepho diluit hunc errorem Iudæorum.

§. 144. Animadverte, à S. Hieronymo legi, *& credebatur esse Christus*: quod Baronius anno Christi 96. censet probabilius, quia Iosephus noluit sibi persuadere Iesum fuisse Christum lege promissum. Non est satis magna coniectura: & si enim diceret, *Christus hic erat*, adhùc posset sibi non persuadere eum esse Messiam: quia frequenter vocabatur Iesus Christus, vt etiā vocatur à Trāquillo, & Tacito. Magis mihi arridet legendum esse, *Christus hic erat.* Tum, quia Hegesippus & Eusebius ita legunt: tùm etiam, quia his consentiunt Latinæ versiones, quæ vulgò circumferuntur: tùm tertiò, quia Pater Gualterius refert Græcam periodum, quam Latine describens ait, *Christus hic erat.* Observat item Baronius hæc à Iosepho dicta, quia vaticinia de Messia, quæ ipse detorserat in Vespasianum viderat in eum vita functum non quadrare.

SVBSECTIO IIII.

Testimonia Romanorum.

§. 145. ROMANI religionem Christi exagitarunt vbique terrarum, & incredibilibus cruciatuum machinamentis eam ex suo orbe ablegandam curarunt: in quam acerbiùs, quàm in alium hostem acutâ bili arma movêre, quibus terras & maria Christianus sanguis complevit.

Sueton. Suetonius in Nerone c. 16. *afflati* (inquit) *supplicijs Christiani: genus hominum superstitionis novæ, ac maleficæ*: dicit etiam Iudæos duce Christo tumultuatos esse. Tacitus lib. 15. annaliū ad medium, inquit. *Ergo abolendo rumori Nero subdidit reos, & quæsitissimis pœnis afficit, quos per flagitia invisos vulgus Christianos appellat. Author nominis eius Christus, qui Tiberio imperante per Procuratorem Pontium Pilatum supplicio affectus erat: repressaque in præsens exitiabilis superstitio rursus erumpebat, non modo per Iudæam originem eius mali; sed per vrbem etiam, quo cuncta, vndique atrocia, aut pudenda confluunt, celebrāturque.* Hæc Tacitus. Rogo eos, qui obijciunt à Christianis depravatos antiquorum libros, cur non sit iste pravissimus depravatus. Non erubescimus Evangelium Christi; neque subijcimus humano ingenio. Eius enim veritas non minus confirmatur improborum mordaci maledicentia, quàm suffragio proborum.

Suetonius mentitur apertè: tumultus enim Iudæorum cœptus Imperio Neroniano, non potuit esse authore Christo, tunc in terris vitam nequaquam agente: neque in illo bello Christianus vllus fuit dux: illud enim gessere pertinaces Christicidæ, eorumque filij, exempli gratiâ, Iosephus historicus, duo Simones, Iudas Zelotes, Mattathias, Ioannes, Eleazarus, & alij tunc Mosaicæ legis cultores: neque vnquam fundamentum fuit ad vocandum Christum ducem tumultuātium: cùm doctrina & exemplo ostenderit non solum parendum Regibus; sed inimicos quoque diligendos. §. 146.

Cornelius Tacitus mihi videtur, *Theos Atheistarum*, id est, *Deus negantium Deum.* Policiti enim solum hunc Deum vnicè colunt: quod, nulla habita ratione Dei, totus mergitur in statum Reipublicæ. In hunc quadrat Tertullianicum in Cæsares in Apologetico, cap. 21. *Cæsares* (inquit) *credidissent super Christo, si aut Cæsares non essent sæculo necessarij, aut si Christiani potuissent esse Cæsares*, id est, Cæsares flagitiosi erant necessarij sæculo, etiam flagitioso; ac proptereà nō poterant religionem mutare, quia mores quoque erant mutaturi. Cornelius multa mentitus est: quapropter à Tertulliano in Apologetico, cap. 15. dicitur mendaciorum loquacissimus. Refert à Iudæis adoratum caput asini statutum in fano: quod plane mendacium est, & ab ipso oppugnatum: nam in eodem, lib. 5. historiarum refert à Pompeio inventum templum inane simulachro. Itē affirmat Iudæis fuisse permissa omnia coniugia cum muliere Iudæa: multa autem constat fuisse prohibita. Multas item fabulas commentus est in Iudæos, quorum ridendis deliramentis accenset, quod opinentur animam esse immortalem, & quod caput est omnium, censet Deum initij expertem, & finis. Hæc dixi, vt pateat, nullum posse prudens expectari iudicium de religione ab homine & mendace, & atheista, deque Deo & animo tàm abiectè sentiente. §. 147. Cornel. Tacit. Tertull.

S. Thom. q.1.art.4. Horum autem testimonia rependemus aliorum testimonijs, etiam hostium: quæ
§.148. plus ponderis habent in hoste probando, quàm in improbando: hostis enim nō probat hostem; nisi quia non potest non probare: improbat autem etiam cùm non potest. Plinius Iunior Ægypti Proconsul cùm Christianorum multitudinem solius religionis caussâ obtruncari videret, scripsit ad Traianum: eius epistola est in lib. decimo
Plinius Iunior. epistolarū Plinij secundi, quæ est de Christianis: verba Plinij: *quo magis necessarium credidi ex duabus ancillis, quæ ministræ dicebantur, quid esset veri, & per tormenta quærere; sed nihil aliud inveni, quàm superstitionem pravam & immodicam.* Itaque Iudex ipse, apud quem infiniti Christiani erant multorum criminum accussati, in libello sine authore, cùm etiam quæstionibus Christianorum mores esset scrutatus, nihil invenire potuit; nisi religionem observantissimam, quam ipse immodicam superstitionem appellat. Traianus autem rescripsit Plinio: *cōquirendi non sunt; si deferātur, & arguantur puniendi sunt.* Huius responsi Traianici meminit Tertullianus in Apologetico capite secundo, & acutè expendit, quàm fuerit imprudens: etenim si Christiani scelera infanda committerent, quæ obijciebantur, conquirendi quidem erant ad supplicium: si autem nullo se polluebant scelere, cur puniendi erant, si deferrentur? Eos plecti solitos ob solam religionis caussam, cōstat apertè ex eadem epistola Traiani. *Ita tamen* (inquit) *vt qui negaverit se Christianum esse, idque re ipsa manifestum fecerit, id est, supplicando Dijs nostris, quamvis suspectus in præteritum fuerit, veniam ex pœnitentia impetret.* E quibus liquidò constat, præteritum crimē religionis expiari apud Traianum solâ eiusdem religionis negatione.

§.149. *Hadrianus Imperator.* Iustinus Martyr in fine apologiæ secundæ refert prudentius rescriptum Hadriani Imperatoris præcipientis, vt puniatur actor contra Christianos; nisi legitimè probaverit illorum crimina, vt vitetur materia fraudulenter agendi. *Hac vna* (inquit) *insistant via, & non petitionibus, atque vociferationibus solis. In primis enim convenit, si quis accusare velit, de eo te cognoscere. Itaque si quis eos detulerit, atque probaverit contra leges quicquam commisisse, tu pro delicti qualitate sententiam adversus eos feres.* Noluit igitur Hadrianus, vt satis essent clamores populi ad Christianos puniendos, nisi alia crimina probarentur: cohibuit ferocitatem Magistratuum sævientium in Christianos ex solo populari furore. Vide hanc epistolam in Eusebij historia libro quarto capite nono.

Clariùs à nobis est Antoninus Pius Imperator in epistola ad populos Asiæ, quam §.150. adducit Iustinus idem in fine eiusdem Apologiæ. *Antonin.* * *Equidem* (inquit) putârim Dijs quoque ipsis curæ esse, ne huiusmodi homines lateant. Multo enim magis illi, siquidem possint, vindicaverint in eos, qui adorare ipsos nolunt; contra quos tumultū ipsi cōcitatis, & sentētiam eorū veluti impiorū, & nullorum Deorum sugillatis, & alia quædā obijcitis crimina, quæ probare nō potestis. Commodiùs sanè illis fuerit, si ob id videantur, de quo accusātur, mortē oppetere. Et vincūt illi vos, suas ipsorū animas potiùs proijcientes, quàm, vt obsequētes, quod postulatis *faciāt.** Legantur, quæ supersūt, ex eâdē epistola, qua apertè cōcluditur solā religionē in caussa fuisse tā diræ crudelitatis tyrānorū in Christianos.

Nisi timerem huius disputationis longitudinem, recitarem integram epistolam §.151. Marci Aurelij Imperatoris, qua Christianos defendit ab accusatoribus, quod cū in Germania penè esset oppressus cū exercitu, Christiani, imbres, & victoriam divinitùs impetrârūt: referam autem hæc pauca. *Et vires* (inquit) *meas in angustum redigi cernens, evocavi, qui apud nos dicuntur, Christianos, ac per inquisitionem magnum eorum inveni numerum: acriùsque in eos infremui. Quod quidem minimè factum oportuit, propter eam, quam in illis postea comperi esse virtutem: vnde illi pugnam, non autem à telorum armorumque expeditione, neque à tubarum classico exordiuntur; quod ingratum atque inimicum hoc eis sit, propter Deum, quem in conscientia gerunt. Quapropter æquum est, quos atheos, & à Dijs alienos esse, suspicati sumus, vt eos nôrimus Deum in conscientia suapte sponte illapsum, atque ibi inclusum, seu potius incolentem habere.* Huius epistolæ præter Iustinum meminit Tertullianus in apologetico capite 5. Vbi Marcum Aurelium vocat Christianorum protectorem. Neque verò hi duo Doctores Christianos propugnarent ante Senatum & Imperatorem, recitatis litteris Imperatorum; nisi illæ constantes essent ipsi Senatui: Tertullianus autem monet Antistites Romanos, vt requirant litteras Marci Aurelij, quibus exponitur extincta sitis Germanica, & imbres è cœlo impetrati. Quibus testimonijs satis obstruitur os eorum, qui nobis obijciunt Ethnicorum convitia. Est hæc epistola in historia Eusebij lib. 4. cap. 13.

Obijcies, in hāc sectam Imperatores ferocijsse Romanos. Respōdeo, persecutionē §.152. *Obiectio. Resp.* cæpisse Neronē, cuius persecutio commendat afflictos. Erat enim (teste Turonēsi lib. 1. num. 25.) luxuriosus, virorum succuba, & rur-

& rursus virorum appetitor: matris, sororum, ac proximarum quarumcumque mulierum spurcissimus violator; familiariter vtens Simone Mago: quid nos deturpat hic

Tertull. persecutor? Respondet Tertullianus huic toti calumniæ in Apologetico, cap. 5. * *Consulite* (inquit) commentarios vestros. Illic reperietis primum Neronem in hanc sectã, tum maximè Romæ orientem, Cæsariano gladio ferocijsse; sed tali dedicatore damnationis nostræ etiam gloriamur; qui enim scit illum, intelligere potest non nisi grãde aliquod bonum à Nerone damnatum. Tentaverat & Domitianus Portio Neronis de crudelitate. Tales semper nobis insequutores, iniusti, impij, turpes; quos & ipsi damnare cõsuevistis, & à quibus damnatos resti tuere soliti estis. Quales ergo leges istę, quas adversus nos soli exercẽt impij, iniusti, turpes, truces, vani, demẽtes? quas Traianus ex parte frustratus est, vetando inquiri Christianos: quas nullus Hadrianus, quamquam curiositatum omnium explorator; nullus Vespasianus, quamquam Iudæorum debellator; nullus Pius; nullus Severus impressit. Faciliùs itaq; pessimi ab optimis quibusq; vt ab æmulis, quàm à suis socijs eradicandi *iudicarentur*. * Hæc Tertullianus. Adde optimos quosque Romanos Imperatores non solùm inhibuisse persecutiones, verùm & factos fuisse Christianos: mitto duos Philippos: non possum tacere duos Constantinos, Theodosios duos, & cæteros successores, vno excepto Iuliano.

§. 153. Denique quod spectat ad crimina, Iustinus ea apertè diluit. Tertullianus autem in Apologetico, cap. 7. manifestè cõfirmat, ea

Idem. esse impossibilia factu. *Tot* (inquit) *hostes eius, quot extranei: & quidẽ proprij ex æmulatione Iudæi, ex concussione milites, ex natura ipsi etiam domestici nostri. Quotidie obsidemur, quotidie prodimur, in ipsis plurimum cœtibus, & congregationibus nostris opprimimur. Quis vnquam taliter vagienti infanti supervenit? Quis cruenta vt invenerat Cyclopũ & Syrenum ora iudici reseravit?* & infrà. *Hanc* (nempe famam) *adversus nos profertis, quæ, quod aliquando iactavit, tantoque spatio in opinionem corroboravit, vsque adhùc probare non valuit.*

SECTIO VII.

Aliud argumentum ex Sacris litteris.

§. 154. TANDEM personam Christi nobis maximè commendant antiquę duæ prophetiæ Christum digito commõstrantes: altera Danielis, cap. 9. à versu 21. de qua egi satis abundè à §. 69. vbi probavi excidium vrbis & templi fuisse numinis vltionem de nece Christi: nunc probandum superest, ex eadem prophetia finitos esse dies, & annos signatos à Daniele, quibus expletis, venturus erat Christus. Etenim versu vigesimo quinto, hæc ait Daniel. * *Scito* ergo & animadverte ab exitu sermonis, vt iterũ ædificetur Hierusalẽ, & rursum ædificabitur platea, & muri in angustia temporum: & post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus: & non erit eius populus, qui eum negaturus est, & civitatem & sanctuarium dissipabit populus cum duce vẽturo: & finis eius vastitas, & post finem belli statuta desolatio: & in dimidio hebdomadis deficiet hostia, & sacrificium: & vsque ad consummationem & finem perseverabit *desolatio*. * Hæc Daniel, & nonnulla, quæ prætermitto brevitatis gratiâ.

Supputationem temporum reijcio in disputationẽ septimã de Incarnatione Verbi: nunc libet ostendere ex alijs huius prophetiæ partibus prophetiam esse completam, vnctumque esse sanctum sanctorum, & Christum occisum. Etenim dissipatio civitatis, cessatio sacrificiorum, & æterna perseverantia desolationis ipsis iam oculis videntur. Neque enim est Iudæorum Rex neque regnum, neque Respublica, neque Sacerdotes, neque templum, neque sacrificium: desolatio autem perseverat supra mille quingẽtos & quinquaginta annos: cùm ergo hæc futura fuissent post vnctionem sancti Sanctorum, & necem Christi, quis dubitet, iam ea esse completa? §. 155.

Dicunt Iudæi Thalmudistici florere quidem Iudæorum regnum trans montes Caspios. Ridicula hæc est fabula, vt aliæ multæ illorum cæcorum. Primùm, quia nullibi floret Respublica Iudæorum: Caspij enim populi sunt Scythæ, è quibus Turcæ dicũtur oriundi: vbi nullum est Iudaicum regnum. Præterea ibi nullum est templum, in quo ex lege liceant sacrificia: hæc enim iam cessaverunt omnino. Denique, templi & civitatis eversio erat de ipsis Hierosolymis & templo accipienda, quæ erant in ipsa Iudæa; duratio item ruinæ est eiusdem civitatis & templi, quid ergo miseros iuvat effugium ad incognita regna? Hunc autem Christum esse Iesum, quem nos credimus filium Dei, iam ostendi, §. 75. §. 156.

Secundum testimonium est ex prophetia Patriarchæ Iacobi Genes. 49. 10. *non aufer.* §. 175. Genes. 49. 10.

S.Thom. q.1.art.4. *auferetur sceptrum de Iuda, & dux de fœmore eius, donec veniat, qui mittendus est, & ipse expectatio gentium.* Vbi Iacobus prædixit imperium Iudææ permansurum, vel in tribu Iuda, vel in populo Iudaico, dum non veniret Messias. Alienatio autem Regni, vel à Tribu Iuda, vel à populo Iudaico est signum evidens adventus Messiæ. Post captivitatem Babylonicam Zorobabel ex Tribu Iudæ & stirpe Dauidis natus & Iesus filius Iosedeci Pontificis tenuerunt administrationem populi, Zorobabel Principatum; Iesus autem Pontificatum, vt refert Iosephus, libro 11. antiquitat. capite quarto. Perennavit sic Respublica teste eodem Iosepho ibidem, donec ab Asamonæis fuit mutata: coniugio enim fœminæ ex Tribu Iuda, cum Asamonæo ex Tribu Levi, coniunctus fuit Principatus cum Sacerdotio, ita vt Asamonæi simul essent & Principes, & Sacerdotes: Sacerdotes genere paterno, materno Principes (vt volunt non pauci.) Constat ex Iosepho, libro 1. de bello, cap. 1. vbi Matathiam patrem Machabæorum vocat Sacerdotem & filium Asamonæi: eumque fuisse Principem constat ex eodem, cap. 1. vbi affirmat, Matathiam reliquisse Principatum Iudæ filio natu maximo. Eaque propter ipse primum bellum indixit ducibus Antiochi. Qua de re vberiùs agit. 12. antiquitat. cap. 8. & 9.

§.158. Per hos derivatum est regnum ad tempus Herodis. Etenim Matathias successorem habuit post Iudam, & Ionatham, Simonem: qui primo Machabæorum c. 15. 1. vocatur sacerdos, & Princeps gentis Iudæorũ. Cõsentit Iosephus 1. de bello, c. 1. 2. & 3. vbi Hyrcanũ filiũ Simonis vocat Principem, Pontificem atque Prophetam. Nam Simon reliquit Regni, & Pontificatus successorem Ioannem, quem Iosephus vocat Ioannem Hyrcanum. Hyrcanus hic habuit tres filios Aristobulum, Antigonum (qui perierunt absque liberis) & Alexandrum. Huic fuerunt duo liberi, Hyrcanus maior natu, minor autem Aristobulus. Hyrcanus cessit regnum Aristobulo, retento Pontificatu, vt refert idem Iosephus 1. de bello capite 4. & 14. antiquitat. capite 1.

§.159. Inter Hyrcanum, & Aristobulum orta fuerunt intestina bella, facem submovente Antipatro Idumæo genere, & Herodis patre. Põpeius Hierosolymã in suppetias venit Hyrcano, capta vrbe & templo regnum reliquit Hyrcano: & redacta Iudæa in prouinciam, illi procuratorem præfecit Antipatrum: Aristobulum autem Regem Romam duxit ad triumphum. Hunc Aristobulum, Præfectum posteà à Caio Cæsare duabus legionibus, Pompeius veneno perimendum curavit. Hic reliquit duos filios Alexandrum & Antigonum. Alexander belligeratus cum Hyrcano patrueli tandem securi percutitur à Scipione ex Iosepho primo de bello, cap. 7. & lib. 14. antiquitat. cap. 14. Antigonus verò capite plectitur ab Antonio ex Iosepho, cap. 13. lib. 1. de bello, & lib. 15. antiquit. cap. 1.

Igitur superfuerunt Aristobulus, & eius soror Mariamnes filij Aristobuli triũphati, & necati à Pompeio, & nepotes Alexandri Regis. Aristobulus occisus fuit ab Herode: Mariamnes autem matrimonio data fuit Herodi: à quo & occisa, vt refert Iosephus, lib. 15. antiquit. cap. 11. Ex ea suscepit Alexandrum & Aristobulum: quos tandem necavit pater, ex Iosepho, lib. 16. antiquitat. cap. 17. & 1. de bello, c. 17. ex Alexandro nepotes habuit Agrippam Regẽ deinceps Iudeæ, & Herodiadem concubinam Herodis Antipæ, qui Ioannem occidit, & Christum derisit. Post Agrippam regnũ tenuit eius filius Agrippa Iunior, qui interfuit bello Iudaico à Romanis. Post hunc nullus Iudæus regnum tenuit. §.160.

Interfectis his Regibus Iudeæ, Regnum adeptus est à Romanis Herodes magnus, filius Antipatri: Antipater autem nequaquam fuit Iudæus; sed Idumæus: ex Iosepho primo de bello, capite quinto. Quidam Nicolaus assentans Herodi voluit Antipatrum esse Iudæum ex primatibus Iudæorum, qui ducti fuerunt Babylonem. Hunc confutat Iosephus, Herodes enim Antipatri filius, quia non erat Iudæus, factus est Proselytus. Hunc Herodem propter amicitiam, & gratiam Antonij, Senatus decreto donavit Iudæorum regno. §.161.

Ex quibus clarè deprehendes defecisse regnum, & Sceptrum à Iuda: Prophetia autem Iacob accepta fuit de sceptro & regno etiam à Iudæis. Quod autem dixit Iacob de Iuda, non ab omnibus accipitur eodem modo. Patres Pererius, & Rius id accipiunt non speciatim de Tribu Iuda; sed de toto genere Hebræorum, qui à Mose ad Hyrcanum & Antigonum semper administrati sunt à suæ gentis Principibus, nempè à Propheta Mose, à Iosue duce, à Iudicibus, à Regibus, deinde à Principibus, summisquè Sacerdotibus. Herodes autem neque fuit ex illa gente, neque ipsius gentis authoritate; sed illa in vita Romanorũ decreto fuit regnum adeptus. Quamobrẽ §.162.

perijt

perijt sceptrum Iudaicum, translatum ad Idumæos.

§. 163. *Baron.* Cardinalis Baronius in apparatu, numero tertio, & quarto, secutus alios antiquiores pro Iuda intelligit tribum ipsam, cui post multos annos obtigit imperiũ: at verò ex quo illud accepit, illo non caruit à Davide ad Antigonum, aut Hyrcanum: in ipsis autem finitum est imperium; dicuntur verò Machabæi esse Davidici ex materno genere: quia aliqua fœmina oriunda ex Zorobabele fuit matrimonio iuncta Asamonæo.

§. 164. *Perer.* Pater Pererius, quem sequutus P. Cornelius, voluit pro Iuda intelligi tribum ipsam, quæ semel susceptũ imperiũ numquam amisit à Davide ad Antigonum & Hyrcanum: quia quamvis in Zorobabele extinctum est imperium familiæ Davidicæ: Asamonæi autem & Machabæi erant ex tribu Levitica; tamen ius creandi Principes mansit semper penes tribum Iuda, ipsaque tribus, & terra, cui illud obtigerat, erat regnum sive limites illorum Principum. Dum autem aliqua tribus retinet ius, & potestatem creandi sibi Regem, non perit illius sceptrum, quemadmodum manet Regnum Polonicum, quamvis interdum Poloni exteros Reges accersant. Quâvis autem ratione regnum Iudaicum sibi rapuit Herodes. Quamvis enim cum eo aliquandiù regnavit Mariamnes, tamen regnum neque delatum fuit à Iudæis, neque Romani illud detulerunt Herodi propter Mariamnem, quam & eius filios obtruncavit Herodes: qui id postea legavit Archelao filio Samaritidis. Ecce translatum omnino regnum à tribu, & populo Iudaico ad alienos! Eo ergo tempore mittendus erat desideratus cunctis gentibus.

§. 165. Quod tàm altè insedit Iudæorum mentibus, vt multi censuerint Herodem magnum, fuisse Regem illum, quem prædixit Iacob. Quàm tamen sint decepti apertè constat: quia Herodes à nulla gente potuit esse desideratus; homo vafer & inhumanus: in suos etiam liberos ferino more sæviens. Totus autem oriens expectabat tunc Iudæorum Regem, qui toto potiretur orbe.

§. 166. *Sueton.* Testes sunt hostes ipsi, quos non latuit totius Orientis persuasio. Suetonius enim in Vespasian. capit. 4. * *Percrebruerat* (inquit) Oriente toto vetus & constans opinio, esse in fatis, vt eo tempore Iudæâ profecti rebus potirentur; id de Imperatore Romano, quantum eventu posteà patuit, prædictum, Iudæi ad se trahentes rebellarunt, &c. * Confirmatur ex Tacito

Tacitus. in Vespasian. lib. 5. historiæ: * *Pluribus* (inquit) persuasio inerat, antiquis sacerdotum litteris contineri, eo ipso tempore fore, vt valesceret Oriens: profectiquè Iudæâ rerum potirentur. Quæ ambages Vespasianum prędixerant; sed vulgus, more humanæ cupidinis, sibi tantam fatorum magnitudinem interpretati, ne adversis quidem ad vera *mutabantur.**

Clarius est Iosephi testimonium lib. 7. de bello, cap. 12. * *Sed* (inquit) quod maximè eos ad bellum excitaverat, responsum erat ambiguum, & itidem in sacris libris inventum, quòd eo tempore quidam esset ex eorum finibus orbis terræ habiturus Imperium: id enim illi quidem quasi proprium acceperunt, multique sapientes interpretatione decepti sunt. Hoc autem planè responso Vespasiani designabatur Imperium, qui apud Iudæam creatus est *Imperator.** §. 167. *Ioseph.*

Vespasianum non designari illis oraculis rectè novit ipse Iosephus: quia Messias erat futurus ex semine David: item futurus erat gloriæ Iudæis; Vespasianus autem fuit illorum exitium. Item pueriliter explicuit Oraculum: quia quòd Vespasianus degens in Iudæa fuerit Cæsar renuntiatus, non est idem, ac aliquem ex Iudææ finibus habiturum Orbis imperium: Vespasianus enim non erat ex finibus Iudææ. Clariùs autem id dixit Cornelius, *in fatis esse valiturum Orientem*: at non valuit, quia Vespasianus valuit. Iudæi autem propriùs scopum attigere, quia arbitrabantur, tunc adventaturum Messiam, qui eos in libertatem assereret: qua expectatione ne adversis quidẽ domabantur. Immò Iosephus ipse testatur, eam fuisse maximam caussam, cur Iudæi bellum susceperint contra Romanos: cuius nullus potest esse aptior testis ipso Iosepho vno è Principibus rebellionis, & duce rebellium. §. 168.

Cùm ergo hæc fuerit constans totius Orientis opinio, ostendant nunc Iudæi hominem aliquem Iudæum, Davidicum, desideratum cunctis gentibus, qui salutem attulerit Orbi vniverso. Nos enim ostendimus Christum, in quem omnia prophetica quadrant. Vespasianum, & Domitianum, eius filium meliùs sibi persuasisse hanc opinionem Orientis, quæ totam Iudæam etiam pervaserat, quàm Iosephum, constat ex Eusebio, libro tertio historiæ, capite duodecimo, referente Vespasianum, post Hierosolymam eversam, insequutum omnes posteros Davidis, ne aliquis rebellaret. Clariùs autem, cap. 19. describit timorem Domitiani, §. 169. *Euseb.*

S.Thom. q.1.art.4. qui rusticis nonnullis Davidicis accersitis, proposuit, quid sentirent de regno Christi? responderunt illi, regnum Christi esse cœleste: eos autem sciscitatus de tempore, & loco adventus Christi, dimisit, persecutionemquè remisit in Christianos, quasi securos, depositoque timore, quem, vt Herodes, de amittendo regno conceperat. Hæc ex Hegesippo refert Eusebius, capite vigesimo.

§.170. Non prætaribo aliud ab hostibus testimonium: in fine secundæ partis historiæ S. Antonini fertur epistola Rabbi Samuelis ad Rabbi Isaacum: qua satis doctè & eruditè probatur nullo peccato, nisi Christicidio potuisse Iudæos premi captivitate tàm diuturnâ, & infœlici: vbi minutatim recenset prophetias omnes de Christo, earumquè veritatem in Christo eodem, ob quas idē Rabbi Samuel factus est Crhistianus. Dataque fuit hæc epistola prope annū à nativitate Christi millesimum centesimum. Et quamvis hæc epistola esset suppositiva, egregiè tamen probat institutum, collatis prophetijs cum rebus gestis à Christo.

SECTIO VIII.

Collatio legis Christi cū Ethnica, Iudaica & Mahometica.

§.171. *Christus.* STATVTA dignitate personæ Christi, superest, vt teneamur illi credere quicquid docuerit, quia non potest licitè abrogari fides homini tàm pleno Deo, vt correxerit cœterorum hominum errata, & erexerit disciplinam speculatricem, & moralem vltra hominum & Angelorum opinionem, & captum. Hic in lege Mosis prædictus est Doctor & legislator, vt ostendi §. 87. docuit autem nos & per se ipsum, & per Apostolos. Hi revelatione Spiritus Sancti docuerunt baptizatos immunes esse à circumcisione, vt constat ex cap. 15. Actor. vbi drempta est cōtroversia Iudæorum contendentium oportere circumcidi, qui ex Gentilibus baptizabantur. *Actor. 15.* Paullus autem id sæpiùs ostendit exēplo atque doctrina. Vndè præcepta Decalogi perseverant, quia sunt iuris naturalis: in tertio autem præcepto per sabbathū non intelligimus sabbathū Iudaicum; sed dies festos, quos Dei cultui sacrat Ecclesia: leges autem Ethnicorum currunt omnes, tùm earum obscænitate; tùm immanitate sceleris idololatriæ.

§.172. *Mahum. secta impugnata.* Mahumetes novam legem instituit, qua colitur vnus Deus. Hic fuit homo genere obscurus, teter autem moribus, omnis autem doctrinæ ignarus, vt docet author epistolæ, quā adduxi §. 170. erat enim gnarus Arabicæ linguæ, & in Alchorano benè versatus. Mahumetes affectatione regni, quod propter obscuritatē generis invadere non poterat, per prophetiam simulatam adeptus est, ad se tamquam ad Prophetam pelliciens barbarorum manum, qua Regno optato potitus legē tulit, non tàm hominibus, quàm porcis: eius magister fuit Sergius quidam monachus Apostata & luxuriosus: ex cuius verris cauda nulla potuit esse directa sagitta: huius meminit P. Gualterius in sæculo sexto cap. 6. cap. autem 5. meminit alius hæretici cognomento Bayra Mahumetis etiam magistri. *P. Gualt.*

§.173. Hæc secta præ se fert incredibilitatem: tùm ab authore, de quo hæc ait Rabbi Samuel in fine epistolæ allegatæ §. 170. *De Alchorano testimonio, scio quòd quasi nihilum reputabis; tu maximè qui Arabicum scis perfectè, & noscis, quòd ille Mahumetus, qui dixit se prophetam, neque ventura prædixit, & qui dixit se nuntium Dei, contra Deum, & eius scripturam docuit, vt corruptus homo penitus, & ignorans.* Hæc ille: de vitijs Mahumetis scribunt Pater Gualterius capite 7. P. Gordonus ad annū 621. vbi refert iniqua bella: Cardinalis Baronius tomo octavo, ad annū 690. à numero 1. & noster Gonzalus Illescas in hostiria Pontificali prima parte lib. 4. cap. 6.

§.174. *A falsitate speculatrici.* Secundò, est incredibilis hæc secta à falsitate speculatrici: commendat enim Christum, quem appellat Verbum Dei, Prophetam verū, & amicum Dei. Cùm autem Christus docuerit se esse filium Dei, & Deum, efficitur alterum è duobus: aut Christum non esse Dei amicum; cùm tàm superbè mentiretur contra Deum; aut esse Deum, quia amicus Dei perseverare non posset tàm superbo mendacio: vtrumque autem est contra Mahumetem. Author epistolæ allegatæ §. 170. capite 26. commemoratis multis laudibus Iesu, atque Mariæ, & recensitis miraculis Christi refert ex Alchorano capite tertio, de familia Domar hæc verba Mahumetis. *Scivit Eice (id est Iesus) omnes libros & omnem sapientiam, & totam legem Moysi, vsquequo sunt, &c.* Fuit ergo Mahumetes sibi ipsi contrarius. Laudat prætereà Iudaismum, & Christianismum; eos tamen interdicit suis, aut ergo illæ leges bonæ sunt & veræ aut malæ & falsæ. Si malæ & falsæ, cur laudantur? si veræ

&bo-

& bonæ, cur prohibentur: & præcipitur lex illis opposita.

§. 175. Tertiò est ea secta improbabilis à doctrina morali: censet enim impossibilem abstinentiam à mulieribus: permittit singulis quotquot possunt alere, item illis permittit repudium: ait permissam à Deo luxuriam, eamquè à Deo condonandam: neque servandam castitatem cum ancillis: liberum arbitrium negat, Deum facit authorem malorum, & fœlicitatem constituit venereas voluptates, & indulgentiam ventris. Vah quam multis latrinis egeret gravèolentibus paradisus ille Mahumeticus? Hæc sunt per se absurda, & à recta ratione quàm maximè abhorrentia. Ponamus hominem divitem apud se habere maritatas ancillas, illis poterit abvti ex lege Mahumetica: quis autem non videat, adulterium esse à rationis dictamine alienum? Item permittit ea lex homini congressum cum fœmina subdita, quamvis nec sit vxor, nec ancilla. Poterit ergo Rex Mahumetanus absque peccato constuprare omnes sui regni virgines; violare matronas, & subiectos sibi Principes deturpare adulterijs. Item si à venere temperari non potest, licebit interdum pueris abvti, quia alia ratione non poterunt libidinis ignes extingui: quia illis flammescentibus non est præsto fœmina, qua comprimantur; quin & mollities erit licita, quia neque fœmina, neque puer adsunt, in quos impetus faciant ignes illi. Multò licentior erit congressus cum maritata, tametsi neque sit ancilla, neque subdita. Ecquis non videat, hoc ius esse verrinum, porcinasque leges? Quidquòd nullam ferè legem condemnat. Recognosce alios errores huius porci apud P. Gualterium in sæculo 7. capit. 7. Ego enim versatus sum in lege Christi; & foro Cantabrico; non verò in Alchorano Mahumetico.

§. 176. *Obiectio.* Obiici possunt consensus populorum in hanc legem, diuturnitas & concordia eam sectantium. *Resp.* Respondeo, latam esse viam, quæ ducit ad perditionem, & multos intrare per illam: angustam verò, quæ ducit ad vitam, quam paucissimi ineunt; fugiunt tamen quàmplurimi. Ferro item & igne eam vulgandam voluit Mahumetes; cuius discipuli nullum dant disputationi locum: eam igitur legem vt avidè appetunt voluptuosi, sic tenaciter conservant. Lex Christi homines evocat à voluptatibus: quapropter magno argumento est illius veritatis consensio populorum: quia nisi authore Deo non possettàm infinita multitudo debellare gentium, atque triumphare: at verò illi parere, & indulgere, naturæ insitum est cum sanguine. Mahumetani autem solent tàm acriter dissidere de Alchorani interpretatione, vt sæpè sit ventum ad arma: hæc enim sunt argumenta, quibus Mahumeticę quæstiones dirimuntur.

SECTIO IX.

In Ecclesia Romana est integra lex Christi.

ECCLESIAM Romanam appello cætum hominum baptizatorum, qui cum Pontifice Romano sentiunt de fide & religione. Non disputo nunc primatum Romani Pontificis, sed tantùm ostendo in hoc hominum cœtu integrè servari doctrinam, & legem Christi: cùmque eam ostenderim tàm esse prudenter credibilem, vt ei non possit licitè dissentiri, planè conficitur Romanæ fidei fidem abrogari non posse. Ostendam autem credibilitati huius fidei suppetere argumenta omnia, quæ fidei Christi. De primatu autē non pauca dicentur, ita petente rerum serie. §. 177.

Ac primùm negari non potest, Christi fidem radices in terram egisse: eamquè syncerè, & ab Apostolis doctam, & à discipulis susceptam. Neque dubitabit aliquis, nisi per insaniam summam, fidem Christi syncerè doctos Romanos ab Apostolorum Principibus Magistris Romanorum, qui proprio sanguine subscripserunt ei, quā tradiderant doctrinam. Cùm Romanis in doctrina consensisse cæteras Apostolicas Ecclesias, non est dubium. Tùm quia Apostoli non instituerunt sectas reciprocè repugnantes, quia eos edocuit vnus atque idem Spiritus Sanctus: tùm etiam, quia totus orbis vnam repentè religionem sonuit: neque enim in Hispania alia fuit Vincentio martirij caussa, quàm in Italia Laurentio, in Gallia Dionysio, Stephano in Iudæa, Andreæ in Græcia, Marco in Ægypto, & alijs in Barbaria: tùm tertiò, quia Paullus, qui tàm innumeros Christianos fecit, Hierosolymam petijt collaturus Evangelium cum cæteris Apostolis: refertur autem, capite decimoquinto Actorum, Concilium Apostolorum atque seniorū, eodem ore dirimentium controversiam de circumcisione: ergo collato Evangelio omnes Ecclesiæ Apostolicę crediderūt. §. 178. *Actorum cap. 15.*

S.Tho.q. 1. Art. 4. Recognosce §. 5. & 6. constat autem ex §. 11. & 12. Evangelia atque doctrinam hanc antiquiorem esse cæteris alijs, quæ ab hæreticis Christianæ dicuntur: item in hanc conuenisse Romanos, Asiaticos, Græcos, & quotquot per Apostolos, atque discipulos Christi fuerunt edocti. Hæc omnia ibi ex Tertulliano probavi.

§.179. Huius veritatis evidens argumentum est conservatio sacrorum librorum, quos nunquam temeravit Roma; sed eos servavit æternùm, vt eos à suis scriptoribus accepit, vt constat ex Tertulliano adducto, §. 11. & 12. Tertullianus, enim Evangelium Lucæ depravatum à Marcione probat authoritate omnium Ecclesiarum Apostolicarum, quæ vtebantur Evangelio Lucæ antiquiore dissimili Marcionistico: his autem Ecclesijs Apostolicis accenset Romanam. Origines contra Celsum adductus, §. 55. affirmat, Evangelium à nullo vitiatum; nisi à discipulis Marcionis, Valentini, & fortè etiam Luciani: à Romanis autem vitiatum librum aliquem sacrum, nullus dixit neque hęreticus, neq; Catholicus. Quod si secùs fuisset, non tacuisset Tertullianus vindicans contra Marcionem Evangelium Lucæ, multoque minùs in libro de pudicitia, & de ieiunijs, quos contra Zephyrinum & Romanos scripsit. Origenes autem recẽtior Tertulliano non dissimularet mutationem Romanam Evangelij, quæ non potuerat non esse notissima. Eusebius est vtroque posterior: qui libro 2. histor. cap. 14. scripta prædicatione Petri apud Romanos, refert, cap. 15. Evangelium scriptum à Marco ex prædicatione Petri: libro autem tertio, cap. 24. numerat quatuor Evangelia, quæ, cap. 25. dicit esse inter indubitatas scripturas canonicas. S. Hieronymus adhuc Eusebio magis Neotericus Evangelia evulgavit, & explicuit, vt Romæ erant accepta & in tota Ecclesia: iste severissimus scriptorum censor, & diligentissimus investigator non reticuisset Romanam Evangelij mutationem, vt probaret, aut improbaret. S. Augustinus, qui tàm ægrè Evangelico iugo subiecit collum, qui inter eruditissimos homines nullo est inferior, quâ ratione hanc mutationem ignoravit; sed ea Evangelia, vt Romæ celebrantur, & amplexus est, & explicuit, atque defendit? Vt autem sunt in libris Augustinianis, sunt etiam in nostra vulgata editione. Nisi fortè ex codicibus castigatioribus editio quoque sit castigatior: at in margine Bibliorum adnotantur aliorum codicum diversitates. Item sunt nonnullæ versiones non adversæ; sed diversæ: hæ quoque perennant ab Ecclesiæ cunis.

Quin Romana Ecclesia fixum habet corde, quod Iosephus apud Eusebium, lib. 3. histor. cap. 10. ait de sacris veteris testamenti libris. Verba Iosephi sunt hæc: *rebus igitur his constat, quàm nos venerabiliter vtamur scripturis nostris. Nam cùm tot sæcula intercesserint, neque addere quis vnquam, nequè auferre, aut permutare quid ausus est; sed omnibus gentis nostræ hominibus insita hæc quodammodo, atque ingenita fides est, credere, hæc Dei esse consulta, & his iugiter inhærere, ac pro ipsis (si ita res poposcerit) libenter & animam ponere.* Hæc Iosephus: quin & Romana Ecclesia cum cæteris Catholicis semper reprehendit hæreticos novantes aliquid in Evangelio: qui autem fuerint isti hæretici novatores ostendunt nostri historici, & Chronologi: breviùs autẽ eos refert noster Maldonatus in præfatione, maximè, cap. 2. Obiter etiam observant locos ab Hæreticis vitiatos, quando incidunt in eos interpretandos. §.180. *Ioseph.* *Maldon.*

§.181. Aliud argumentum perseverantis Apostolorum doctrinæ apud Romanos est, nullam hæresim ortam in Ecclesia post Apostolorum obitum, neque antè, quæ non sit damnata à Romanis. Hæresis se ipsam prodit: quia est falsa doctrina corrũpens Christi, & Apostolorum dogmata: cùm igitur hæc dogmata fuerint prædicata & credita, quando incipit hæresis, obstrepit statim & absonat Catholicorum auribus, qui è vestigio succlamant: nulla ergo recensebitur hæresis, ad quam extinguendam non moverint manum cum Ecclesiâ totâ Romani. Nam Cherintum, Cerdonem, Sabellium, & alios antiquiores semper Romani hostes habuerunt. Cùm S. Polycarpus Romam venisset acturus cum Romano Pontifice de tempore Paschatis celebrandi, & alijs religionis caussis, Marcionem vocavit primogenitum Diaboli, teste Sancto Irenæo, lib. 3. cap. 3. Cùm igitur Polycarpus discipulus Apostolorum, & acerrimus propugnator Apostolicæ doctrinæ, consuluerit Anicetum Papam, signum est ab Apostolis ad Anicetum integrè doctrinam Apostolicam perseverasse.

§.182. *Irenæus.* Adijcio argumentum aliud plusquam evidens perseverantis doctrinæ ad Papam Zepherinum, ex eodem Irenæo eo lib. 3. cap. 3. * *Sed* quoniam (inquit) valde longum est in hoc tali volumine omnium Ecclesiarum enumerari successiones, maximæ, & antiquissimæ, & omnibus cognitæ à gloriosissimis duobus Apostolis Petro & Paulo Romæ fundatæ & constitutæ Ecclesiæ, eam, quam habet ab Apostolis traditionẽ, & annũciatam hominibus fidem, per successiones Episcoporum provenientem vsque ad nos, indicantes, confundimus omnes

cos,

eos, qui quoquo modo, vel per sui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem & malam sententiam, præterquam oportet, colligunt. Ad hanc enim Ecclesiam propter potentiorem principalitatem, necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos qui sunt vndique fideles, in quâ semper ab his, qui sunt vndique, cõservata est ea, quę est ab Apostolis, *traditio.** Quibus Irenæi verbis hæretici cõpescũtur efiranes; est enim Romana petra lydius lapis, quo verum aurum Catholicæ fidei discriminatur à fucato hæreticorum aurichalco: omnesque illi confusi ad hunc lapidem alliduntur ab Apostolicis temporibus, quibus vicinus fuit Polycarpus, Ioannis discipulus, & pater fidei totius Asiæ: discipulus autem Polycarpi fuit Irenæus Episcopus Lugdunensis, qui martyrio nobilitavit doctrinam anno Christi ducentesimo quinto, qui fuit tertius Zepherini Papæ. Eusebius, *Euseb.* lib. 5. cap. 6. hæc ait de Sancto Sotere, *qui nunc duodecimo loco ab Apostolis Episcopatus obtinet sortem, & easdem, quas Apostoli tradiderunt, prædicationes divinæ fidei integras illibatasque custodit.*

SVBSECTIO. II.

Monitiones.

§. 283. PRIMVM moneo, ex historijs, & Chronologijs Ecclesiasticis non solùm probandum non defecisse à fide Romanos; sed etiam eos authores fuisse omnium hæresum damnationis: adeò vt illis hæreditario iure obtigerit potestas iudicaria in omnem doctrinam, ad fidẽ aut mores spectantem. Hic etiam observandũ nullam hæresim extitisse, cui non reclamaverit Ecclesia Catholica disputationibus, legationibus, atque Concilijs: cùm autem contra omnem hæresim armata sit Roma cum cæterâ Ecclesia, liquidò constat Romam semper fuisse Catholicam.

§. 284. Secundò moneo Romanos tàm fuisse semper in fide nasutos, vt pravam doctrinam olfecerint sępe, antequam Ecclesia reliqua. Quin verò & si aliquando hæretici imposuerint aliquibus Ecclesijs, non tamen Romanæ: vt Pelagius simulatis verbis fefellit Concilium Palæstinum: at verò Romanum Pontificem numquam potuit decipere, vt §. 209. dicam latius ex Augustino tomo 7. lib. 2. de gratia Christi contra Pelagium, qui est de peccato originali capite 8. Hæc eadem veritas clariùs patet: quia Roma non solùm in ignaris hæreticis olfecit errores; sed etiàm in acutissimis viris, & interdum sanctissimis. Quibuscum consentit in doctrinâ, rectâ dissẽtiens in minùs recta, quæ more prudentis apis doctrinam legit ex floribus odoriferis; grave autem olẽtes reliquit vespis. Hoc patet in Origene & Tertulliano, viris eruditissimis & acutis: quorum dispulit, & damnavit errores: quin & Sancti Cypriani nævum lævigavit, qui, quod verissimè dixerat epistola 55. ad Cornelium omnes errores ortos: quia hæretici non cogitant de vno Iudice Vicario Christi, quem explicat, esse Romanum Pontificem, verissimè etiam in se fuit expertus: nisi enim ipse deseruisset sententiam Sanctorum Cornelij, & Stephani Romanorum Pontificum, non iacuisset tamdiù in errore Donatistarum: cui tametsi non hæsit hæreticè; dixit tamen Augustinus, illum fuisse Cypriani nævum, quem passione purgavit.

§. 285. Tertiò moneo, quàm insanè Novatores dixerint errores irrepsisse Romam sensim, quin tunc perciperentur. Constabit enim in Vigilio Papa & alijs paucissimis, quorum temporibus turbata fuit tota Ecclesia Christi, quia suspicata illos, vel levissimè hæreticis favisse. Quod dicunt corpus sensim crescere, quin crementum ipsâ die noscatur, posteà vero illud apparere corpulentius, non est é re. Tùm, quia paucissimis diebus crementa noscuntur, & conferentes posterius tẽpus priori deprehendimus differentiam eiusdem corporis: at vero eodem momento, quo audimus propositionem absonantem doctrinæ, cui sunt aures assuetæ, statim deprehenditur differentia vtriusque doctrinæ. Cùm igitur ab Apostolis ad nos perpetuò perennet Ecclesia Catholica, rogo, quo gossypio habuerit aures obturatas, vt nõ audierit hæreticam doctrinam: quòd si aliquando eam audijt, cur non clamavit totis lateribus? quæ, obsecro te, Ecclesia clamavit vnquàm contra Romanam? Audivimus equidem Cataphrygarum convitia contra Romanum Pontificem, Tertulliani scommata, & Lutheranorum spurcas blasphemias: at vero Ecclesia tota Cataphrygas, Tertullianum, atque Donatum damnavit cum Romanis: nunc quoque Lutheranos, Româ eamdem faciem doctrinæ nunc & priscis sæculis retinente: hæreticis autem plures mutantibus doctrinæ vultus, & interdum novis hæreticis repetentibus priorum larvas: vt apertè constat in Montano atque Luthero. Videbimus enim easdem omnino hæreses nunc reviviscentes damnatas Tridenti, Romani Pontificis authoritate, quas in Ecclesiæ cunis eadem Roma damnavit. Nec est hæc calumnia nova in

S.Thō.q. 1. Art. 4. Romanos vt ex Theodotianis hæreticis ostendam §. 187.

§. 186. Tandem moneo à me non esse recensendos Pontifices omnes, sed eos, quorum opera enituit in hæresibus extinguendis, qui quidem sunt complurimi: nec prætermittam eos, qui vocati sunt in suspicionem mutatæ doctrinæ: vt ex vtrisque apertè noscatur constantia Romanæ doctrinæ. Authores autem quos sequor sunt Sanctus Hieronymus, Sanctus Augustinus, Sanctus Epiphanius, Eusebius Cæsariensis, Cardinalis Baronius, Pater Gualterius, Pater Gordonus, & alij diligentes historici: quos passim non allegabo vitandæ prolixitatis gratiâ. Cùm autem tempore Zepheryni constet ex Irenæo floruisse Romæ doctrinam Catholicam, non esset immorandum multum in illis temporibus, nisi rei dignitas aliter postularet: nam ex moribus & erroribus hæreticorum quasi penicillo depinges Lutherum, Calvinum, & novatores cæteros.

SVBSECTIO. III.

Quid contigerit à Victore ad Stephanum.

§. 187. THEODOTVS Byzantinus, arte coriarius, eruditus tamen, cum ad quæstionem vocaretur ab Ethnicis, negavit in tormentis. Hic præ pudore relicto Byzantio Romam petijt: cùm autem illi exprobraretur à Christianis negatio fidei, respondit se non negasse Deum, sed hominem: quia ipse negavit Christum, qui non erat homo. Animadverte hunc hæreticum obtendisse hæresim ad vitandam infamiam negati Christi, & malæ caussæ dedisse peius patrocinium. Eadem ratione Lutherus, & sectarij incontinentissimi, ne à suis habeantur infames, dicunt monachos, & sacerdotes debere inire connubia: cælibatum autē esse inventum Dœmonis. Theodotum damnavit, & anathematizavit Sanctus Victor anno Christi 196. Cuius damnationem probat Tertullianus, libro de præscriptionibus: & Epiphanius hæresi 54. qui refert etiam caussam huius erroris. Vide Baronium anno 196. numero quarto, vbi probat evidenter mentitos fuisse hæreticos asserentes Sanctum Victorem consensisse cum Theodoto, quem ipse damnavit. Item eodem anno numero 8. detexit mendacia Theodotianorum delyrantium antiquos Pontifices ante Zepherynum tenuisse doctrinam Theodoti. Considera autē quādo Roma negavit, Christum esse hominem, vt videas novos hæreticos easdē calumnias machinari, mentientes doctrinam suam esse contra recentes Romanos, non contra veteres: vt enim hæretici semper sunt ijdem, ita & Romani semper.

Hic adverte Tertullianum his temporibus laudasse constantem fidem Ecclesiæ Romanæ, cui posteà bellum indixit factus hæreticus. Tertullianum in hæresim incidisse pertinaciter non dubium, nec ipsis hæreticis novatoribus. Animadvertant autem ipsi idem esse penitùs Catholicum esse & laudatorem fidei Romanæ: item, hæreticum esse, & eiusdē Romanæ fidei convitiatorem. Audiamus igitur Tertullianum, libro de prescriptionibus cap. 38.* *Age iam* (inquit) qui voles curiositatem meliùs exercere in negotio salutis tuæ, percurre Ecclesias Apostolicas, apud quas ipsæ adhuc cathedræ Apostolorum suis locis præsidentur, apud quas ipsæ authenticæ litteræ eorum recitantur, sonantes vocem, & repręsentantes faciem vniuscuiusque. Proximè est tibi Achaia, habes Corinthum. Si non longè es à Macedonia, habes Philippos, habes Thessalonicenses. Si potes in Asiam tendere, habes Ephesum. Si autem Italię adiaces, habes Romam; vndè nobis quoque authoritas præsto est. Statu fœlix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt, vbi Petrus passioni Dominicę adæquatur, vbi Paulus Ioannis exitu coronatur, vbi Apostolus Ioannes posteaquàm in oleum igneum demersus, nihil passus est, in Insulam relegatur. Videamus quid dixerit, quid docuerit; quid cum Africanis quoque Ecclesijs *contesserarit*.* Recognosce §. duodecimum, vbi adieci laudationem Tertullianicam Romanę Ecclesiæ consentientis cū cæteris Apostolicis. Vt autem videas inconstantiam Tertulliani, qui cùm esset Catholicus damnat Montanistas, sive Cataphrygas, quos censet blasphemos, quibus Proclum accenset: libro enim de prescriptionibus, cap. 52. *accesserunt* (inquit) *alij hæretici, qui dicuntur secundum Phryges; sed horum non vna doctrina est: sunt enim qui Kata Proclum dicuntur: sunt qui secundum Eschinem pronunciantur. Hi habent aliam communem blasphemiam, aliam blasphemiam non communem; sed peculiarem & suam: & communem quidem illam, qua in Apostolis quidem dicant Spiritum Sanctum fuisse; sed Paracletum non fuisse: & qua dicant Paracletum plura in Montano dixisse, quam Christum in Evangelio protulisse; nec tantum plura; sed etiam meliora atque maiora. Privatam autem blasphemiam illi, qui sunt*

Kata

Margin notes (right column): §. 188. [at "Hic adverte"]; Tertull. [at "tiatorem. Audiamus"]; Idem. [at "52. accesserunt"]

Kata Eschinem, hanc habent, quâ adijciunt etiam hoc, vt dicant, Christum ipsum esse filium, & Patrem.

§.189. Cùm autem Tertullianus censuerit Proclum fuisse blasphemum hæresiarcham, deinde eum comparat summis Ecclesiasticis scriptoribus, vt constat ex Baronio, tomo 2. anno 173. numero 37. Ipse Tertullianus lib. de pudicitia, capite primo invectus in edictum Sācti Zepherini Papę docet apertè se discere non solùm ab Ecclesia Romana; sed etiam à cæteris Apostolicis; hæc ait adversus Romanus, quos vocat Psychicos,

Item. id est, animales. *Erit igitur* (inquit) *& hic adversus Psychicos titulus adversus meæ quoq; sententiæ retrò penes illos societatem, quo magis hoc mihi in notā levitatis obiectent.* Hæc ille miserandus, qui deseruit argumētū, quo sæpiùs fuerat vsus contra Marcionē & alios, sumptū ex consensione Ecclesiarum Apostolicarum. Item adversus Praxeum, cap. 1. ait de defēsione Paracleti se aversum à Psychicis; id est, Romanis.

§.190. Redeamus ad Montanum, cuius error cùm diù vexasset Ecclesiam, damnatus tādem & extinctus fuit à Romanis Pontificibus Victore, & Zepheryno: qui in suam sentētiam traxerunt cęteras Catholicorum Ecclesias. Hic hæreticus specie pietatis cœpit clarere anno Christi centesimo septuagesimo tertio, qui fuit septimus Aniceti Papæ. Deinde suos errores fecit apertos. Primum fuit vsus industriā Priscillæ & Maximillæ: quæ erant duæ fœminæ nobiles, quę se virgines iactitabant: cùm re ipsa coniugatæ, maritos deseruerint: quas Apollinaris, qui disputavit cum Montano, vocat meretrices apud Baronium, numero 12. numero autem 13. refert ex Apollonio synchrono Montani, ipsius Montani, & harum fœminarū vitia: quę Baronius refert eo anno, numero autem vigesimo refert eos omnes hæreticos, & hæreticas laqueo sibi intulisse mortem.

§.191. Rectè autem ait Baronius, maximum huius Sectæ periculum esse primum illorum dogma: quo iactitabant se moveri novo spiritu Prophetiæ, cui ipsi obediebant. Quo spiritu docuerunt divortium: item illicitas esse secundas nuptias: Montanum excellentiorem fuisse spiritu prophetiæ Apostolis, & Christo: lapsos in aliquod peccatum non debere per pœnitentiam reconciliari Ecclesiæ: aliosque docuerunt errores; quos recognoscere poteris in Baronio, eo anno 173. & in Patre Gualterio ad sæculum secundum capite 25.

§.192. Animad. Adverte contra novatores huius temporis, antiquam esse larvam hæreticorum, qui obscœnas suas voluptates tegere conantur spiritu & revelatione Dei. Gnostici enim iactitabāt revelationes divinas, quibus obediebant tùm in assensu doctrinæ, tùm in illius executione: inter alias autem hæreses vna erat, fœminas debere esse communes, vt constat ex Patre Gualterio ad sæculum secundum capite secundo. Hæresis autem de fœminis communibus damnata est & ab Apostolis, & à Christo in Apocalypsi, contra Nicolaum vnum ex septem diaconis, & collegam Sancti Stephani in ministerio viduarum, vt volunt aliqui: alij autem Nicolaum excusant.

Deinde Montanus, per duas meretrices Priscillam, & Maximillam maritorum desertrices invexit iterum hunc Paracletum. §.193. Eumdem Paracletum iterum non è cœlo; sed ex inferno traxit Lutherus monachus. Deinde Calvinus, & Beza clerici Sacerdotes, vt publicè ducerent vxores, sive vt in facie Ecclesiæ essent sacrilegi ganeones. Itaque eorum hæreticorum vnus est Paracletus, id est, consolator: carnis; non spiritus: vocatus ex Orco ab his omnibus per, & propter meretrices. Nec abfuit spiritus blasphemiæ novis his, & extraordinarijs Prophetis. Vt enim Montanus prælatus fuit Apostolis, & Christo: sic Lutherus se prætulit ipsis Angelis, quibus noluit esse prophetiā inferior, vt constat ex Ioanne Cochlæo in actis Lutheri: Calvinum autem sapientiorē Apostolo Paullo prædicaverunt eius discipuli, vt constat ex Hieronymo Bolseco in vita Calvini. Immò Theodorus Beza discipulus Calvini effutivit nullum hominem parem fuisse Calvino, vt refert Pater Nicolaus Serarius, tomo tertio Opusculorum, in Opusculo de magistro Calvini: quin refert Bolsecus, tàm impudentes esse Calvinianos, vt illorum mulierculæ Genevenses iactarent se sanctiores Sanctissimā Deiparā. Nec mirum: ipsæ enim quo frequentiùs & ardentiùs Veneri indulgebant, se arbitrabantur venerabiliores: de quo genere sanctitatis sanctissima Virgo virginum numquam, vel per somnum cogitavit.

Quoniam autem huius disputationis scopus est, ostendere Ecclesiam Romanam ab Apostolis in eâdem perseverare doctrina: §.194. & novas hæreses ab eâdem in primis sæculis esse damnatas, vt nunc quoque damnantur ab eâdem, libet describere ex Baronio, Baronius. tomo secundo, anno centesimo septuagesimo tertio, numero decimo tertio, hæc Apollonij verba de Montano, *qui pecuniarum* (inquit) *exactores constituit: qui oblationum nomine munera accipienda prætexit: qui denique sui verbi prædicatoribus, vt eiusdem verbi doctrina sordido ventris abdomine, & ingluvie roboretur, salaria suppeditabat.* Item numero decimo

S.Tho.q. 1. Art. 4. cimo quarto, ait Apollonius de Alexandro Montanista: *igitur quisnam istorum alteri condonavit peccata? Prophetissa ne martyri latrocinia, an martyr prophetissæ avaritiam? Cùm enim Dominus dixerit: nolite possidere aurum, nec argentum, nec duas tunicas: isti omnia contrà, in rerum vetitarum possessione magnopere delinquerunt. Nam illos, qui ab istis Prophetæ, & Martyres dicuntur, non à divitibus solùm; sed à pauperibus etiam, ab orphanis, & viduis pecunias exegisse perspicuè ostendimus*, hæc ille: quæ simillima sunt Lutheranis, quæ refert Cochlæus in actis Lutheri: cum enim initio multum garrijssent contra avaritiam Papistarum; ipsi tamen posteà ingentem ostenderunt avaritiam, compilantes templa vasaque sacra. Imò armaverunt plebem, vt prædarentur divites, quia dicebant omnes esse fratres in Christo & in cista. Calvinus autem clanculum furabatur pecunias, quæ illi mittebantur ad inopum levamen, vt refert Hieronymus Bolsecus in vita Calvini capite decimo quinto, idque confirmat exemplo cuiusdam famuli Reginę Navarræ.

§.195. At quàm sit obscænus spiritus ille Paracletus Mõtanicus, rectè ostendit ipse Apollonius apud Boronium eo anno centesimo septuagesimo tertio, numero 16. his verbis: **Baronius.** *omnes Prophetæ fructus examinare necessum est. Dic mihi: Prophetane comam coloribus tingit? Propheta ne oculos stibio oblinit? Propheta ne sumptuosè, & vestitu splendido ornatus incedit? Prophetane, tabulis, & tesseris ludit? Prophetane fœnus exercet? Ista verò mihi fateantur, & dicant: verùm liceat vsurpare, an contra? Ego certè hæc apud illos factitata perfacilè ostendam.* Hęc Apollonius: quorũ similia nunc possũt obijci Luthero, Calvino, & Bezæ: paulò autẽ maiora canamus. Prophetane, & monachus vxorem publicè ducet, violato castitatis voto, quod nuncupavit, cùm religioni, & ordini sacro nomen dedit? Prophetane Sanctimoniales constuprat? Prophetane publicè laudat, atque defendit raptum novem sacrarum virginum, quas pellicatum exercentes circumduxerunt lascivi iuvenes? Prophetane cum trecentis armatis stipatoribus iter agit? Vituperat Apollonius comam à Propheta nutriri, & tingi: quid vituperaret in Luthero se excucullante ad matrimonium cũ sanctimoniali? Veniamus ad Calvinum & Bezam, quibus sacerdotibus non satis fuit matrimonium; sed etiam pueris fuerunt sodomiticè abvsi. Nã propterea Calvino in tergore fuit lilium impressum: vt quemadmodum est novarũ nuptiarũ Choriphæus, sit etiã novi liliatorum exercitus sodomiticorũ. Bezam autem suum quoq; Ganymedem habuisse ex ipsius carmine inferiùs ostendam.

Iam verò Diaboli spiritum in Montanũ irruisse probat Baronius suprà numero vndecimo, ne novatorum Paracletus absimilis sit Montanico: Lutherus enim apertè fuit Dœmoniacus, & à Dœmone didicit blasphemias contra Missam. Exitus autem parum fuit dissimilis; etenim, vt Montanus & alij, sibi manus intulerunt, sic Lutherus benè cęnatus, & potus repentè concidit: Calvinus autem rabiens, & execrans diem, quâ se ad scribendum applicuit, & Dœmones invocans occubuit, vt docet Bolsecus in vita Calvini, capite vigesimo secundo. Ecce quàm sint similes hæretici novi, & antiqui: eorumque spiritum eumdem esse impudentem & impudicum; videamus nunc quid tunc Romani egerint, & conspiciemus eos hæreticos tunc damnatos, quos nunc quoque damnant. §.196.

Zepherynus Papa anno Christi ducentesimo decimo quinto, Romæ publicam disputationem voluit esse inter Proclum Cataphrigarum Antesignanum, & Caium virum probatissimum. Baronius eo anno probat ex Sancto Hieronymo, & alijs, victum fuisse Proclum: numero autem quarto refert Proclum & Tertullianum anathemate perculsos, & excommunicatos: numero autem quinto refert omnes Episcopos Ecclesiæ Catholicæ conspirasse in eamdem sententiam cum Romano Pontifice: eosdemque, reddita Ecclesiæ pace, diversis in locis congregasse Cõcilia, quibus damnatus fuit Montanus cum sequacibus. §.197. **Baron.**

Ne autem hæc Catholicis credantur, testem adducam hostem eumdem Tertullianum, libro de pudicitia, capite primo, vbi propugnat illicitas esse secundas nuptias, nec posse reconciliari lapsos. Ait ergò Tertullianus: *audio etiam edictum esse propositum, & quidem peremptorium, Pontifex scilicet Maximus, Episcopus Episcoporum dicit, &c.* Quibus verbis formam edicti præscribit nempè Zepherynum fungentem munere Pontificis Maximi, & Episcopi Episcoporum dãnasse Montanistarum errores, libro autem de ieiunijs adversus Psychicos, capite decimo tertio, *aguntur* (inquit) *præcepta, per Grecias illas, certis in locis Concilia, ex vniversis Ecclesijs, per quæ & altiora quæque in commune tractantur, & ipsa repræsentatio totius nominis Christiani magna veneratione celebratur*: quibus verbis ostendit consensum Ecclesiarum in damnando alio errore Montanistarum de Paschate celebrando. §.198. **Tertull.**

Quàm consenserint omnes in hanc damnationem Montanistarum, colligitur ex Patribus. Sanctus Cyprianus librum scripsit de lapsis, quo propugnat definitionem Ecclesiæ Romanæ. Sãctus Hieronymus, tomo primo §.199.

primo in catalogo scriptorum Ecclesiasticorum capite *Caius* hæc ait. *Caius sub Zepherino Romanæ vrbis Episcopo (id est) sub Antonino Severi filio, disputationem adversum Proclum, Montani sectatorem valdè insignem habuit, arguens eum temeritatis, super novam prophetiam defendendam.* Sanctus Augustinus tomo sexto hæresi vigesima sexta ait, Montanum & suos delirasse in Spiritu illo Paracleto. Eusebius lib. 5. historiæ à capite decimo quarto, refert abundè, Catholicorum scriptorũ cẽsurã contra eũ spiritũ Mõtani.

§. 200. Novatus in parte damnatam hæresim Montani revocavit, negans reconciliationem lapsis pęnitentibus: qui damnatus est in Concilio Africano primũ: deinde in Romano à Cornel. Papa, ann. ducẽtesimo quinquagesimo quarto: Eusebius lib. sexto cap. trigesimo tertio, ad annum ducentesimum quinquagesimum sextum, vocat Concilium illud Romanum celeberrimum: Baronius autem censet hoc Concilium non fuisse illud, quod coactum est contra Novatum: ipse tamen Eusebius, ab eo capite ad finẽ libri sexti, latè refert consensum Catholicorum contra Novatum. Tertullianus dãnato Montano sævit in Victorem, & Zepherinum. Novatiani autem calumnijs vexarunt Sanctum Cornelium Papam, quem vindicaverunt Sanctus Cyprianus, & Ecclesia tota: vide Baronium anno ducentesimo quinquagesimo quarto numero sexagesimo tertio & sexagesimo quarto, & octuagesimo quarto. Hinc patet apertè antiquũ esse hæreticorũ morẽ, cõvitiari Romanis Põtificibus, nõ secus ac reus criminatur Iudicũ sævitiã, quãdo dãnatur. Lutherus hæreticus Mõtanista in spiritu illo, quo afflabatur, imitatus etiã Mõtanistas & Novatianos, convitia, & crimina evomuit in Papã, Imperatorem, Regem Angliæ, Academiam Parisiensem, & alios Catholicos, à quibus damnatus fuit, quos ante damnationem mirificè laudarat: vt ostenderet se eodem spiritu Diaboli agitatum, quo Mõtanus, atque Novatus.

§. 201. Antequam hinc progrediamur, operæpretium duxi statuere exemplo eius sæculi, quo floruerunt Victor & Zepherynus Papæ, primatum Ecclesiæ Romanæ in hæreticis damnãdis, & in tota Ecclesiasticâ caussa. Primum enim Victor anno centesimo nonagesimo octavo excommunicavit omnes Episcopos Asiæ quartidecimanos: quia volebant Pascha celebrandum die decima quarta Lunæ. Qua de re ingens fuit controversia in Ecclesiã tota: cuius meminit Eusebius libro quinto historiæ capite vigesimo quarto, & vigesimo quinto. Baronius autem anno centisimo nonagesimo octavo à numero quarto satis abũdè refert aliquorum etiam sanctorum Patrum testimonia, quibus furere videbatur Victor; à numero autem decimo quinto rectè probat Victorem prudenter egisse, quia celebratio illa Asiatica iam videbatur vergere in errorem Montanistarum de ieiunijs indictis à suo Paracleto. Quamvis autem Polycrates Episcopus Ephesinus conqueratur de sævitia Victoris; non tamen negat potestatem. Cęterique Doctores dissuadebant Victori excommunicationem, quia rigida videbatur: non quod de potestate dubitarent, paruit enim illi Ecclesia tota. At nisi constans esset tunc potestas Romani Pontificis in Episcopos cęteros, ipsi eum riderent, quia excommunicare conaretur, quos non poterat. Hinc etiam constat apertè, quam ignarè & impudentèr hæretici garriant, nũc diversum esse statum Ecclesiæ à primitivo.

Eusebius libro quinto capite vltimo ad medium refert Natalium lapsum in hæresim, noctu flagris cæsum divinitùs, & monitum, vt ad pedes Zepheryni Papæ provolutus peteret reconciliationem cum Ecclesia. De quo exemplo agit Baronius anno ducentesimo septimo numero primo: numero autem tertio docet hanc fuisse etiam tunc veterem consuetudinem, vt hæresiarchæ Romam venirent ad cantandam palinodiã, vt absolverẽtur à Romano Põtifice. Quod non leviter confirmatur testimonio Tertulliani, cùm iam esset hæreticus: libro contra Praxeam capite primo. Nam Victor Papa deceptus falsis rumoribus scripserat ne Montanus vitaretur à Catholicis: quod scriptum vocat Tertullianus litteras pacis. Deinde Praxeas rediens à Montanismo ad Ecclesiam, Victori explicuit errores Montani: Victor autem litteras revocavit, & excõmunicavit Montanũ. Hæc autem sunt Tertulliani verba: *nam idẽ tunc Episcopum Romanum agnoscentem iam Prophetias Montani, Priscæ & Maximillæ, & ex ea agnitione pacem Ecclesijs Asiæ, & Phrygiæ inferentem, falsa de ipsis Prophetis, Ecclesijs eorum adseverando, & præcessorum eius authoritates defendendo, coegit & litteras pacis revocare iam emissas, & à proposito recipiendorum chaarismatum*: hæc Tertullianus. Tertull. Quibus quamvis hæreticè, laudat Prophetias Mõtani, & Maximillæ; tamen nec hæreticus negare potuit, quod tunc in tota Ecclesia cernebatur, Pontificis Romani authoritate & imperio communicari, aut negari societatem sacrorum Montano & sequacibus. Consuetudinem autem se sistendi ante Põtificem indicat Tertullianus ipse eo capite primo his verbis: *denique caverat pristinum Doctor* Praxeas, *de emendatione sua, & manet*

§. 202.

S.Tho.q. 1. Art. 4. *net chyrographum apud Psychicos, apud quos tunc gesta res est, exinde silentium.* His Tertullianus ostendit Praxeam, vt sibi consuleret, dedisse Pontifici Romano retractationem erroris Montanici, quo facto silentium indicitur de puniendo Praxeâ, iam Ecclesiæ reconciliato.

§.203. Aliud argumentum infallibilis Romanorum authoritatis, & perseverantis fidei est, damnatio erroris Donatistarum. Hi censuerunt baptismum collatum ab hæreticis esse nullum, ac propterea esse rebaptizandos. Huius erroris primi assertores videntur fuisse Novatiani: Tertullianus enim hæreticus Cataphryga, eum baptismum censebat immundum, nec habere vnitatem cum baptismo Catholicorum; sed Donatistæ noluerunt suæ sententiæ patronos adsciscere hæreticos, ac propterea eius authorem primum assignarunt Agrippinum Episcopum Charthaginensem: hunc secutus est Donatus Episcopus etiam Charthaginensis: & quod caput est, Sanctus Cyprianus ipsius Ecclesiæ Episcopus, cum ingenti caterva Episcoporum Africanorum in eumdẽ ivit errorem: qui error sæpè turbavit Ecclesiam Christi. At Sanctus Stephanus Episcopus Romanus errorem illum damnavit: atque in se convertit stylum & calamum Sancti Cypriani, Firmiliani, & aliorum Episcoporum. Baronius, tomo secundo anno ducentesimo quinquagesimo octavo, numero decimo nono, graviter expendit quantum enituerit firmitas Ecclesiæ Romanæ, quæ sola vi Apostolicæ traditionis hebetavit mucrones plurium Episcoporum Stephanum petentes hinc inde. Rem abunde tractat à numero vndecimo: numero autem vigesimo sexto, statuit sententiam Stephani, ad quem Synodus Africana epistolam misit: ille verò perstitit in priori definitione, in quàm consenserunt omnes Episcopi Orientales, vt docet Baronius idem anno ducentesimo quinquagesimo nono, à numero primo. Victoriam hanc Ecclesiæ Romanæ, de magna parte aliarum Ecclesiarum, latè confirmat Eusebius, libro septimo historiæ, à capite secundo: vbi refert Corneliũ Papam ante Stephanum successorem damnasse hunc errorem Agrippini, atque Cypriani: & cum Cornelio consensisse omnes Italiæ Sacerdotes: idque refert in annũ ducentesimum quinquagesimum primum: capite autem tertio, refert secundam à Sancto Stephano damnationem erroris eiusdẽ: & hæc verba Dionysij Alexandrini martyris ad Stephanum: *Scito autem, frater, omnes*

Dionys. Alexand. *Ecclesias in Oriente, quæ priùs conturbabantur, nunc redijsse in concordiam, & omnes sibi vnanimiter cohærere, gaudentes, & exultantes de pace, quæ vltra spem Ecclesiæ reddita est, &c.* Capite autem quarto adducit Eusebius tertiam damnationem, à Sancto Xysto Papa anno ducentesimo quinquagesimo septimo. S. August. tomo 7. lib. 5. contra Donatistas, cap. 23. apertè probat definitionem Stephani: & lib. 2. cap. 4. ait eam fuisse totius Ecclesiæ.

§.204. Sanctum Cyprianum à præterito tandem errore resipuisse satis indicat Sanctus Augustinus, tomo secundo, epistola quadragesima octava, ad Vincentium his verbis: *correxisse autẽ istam sententiam non invenitur; non incongruenter tamen de tali viro existimãdum est, quòd correxerit, & fortasse suppressum sit ab eis; qui hoc errore nimiùm delectati sunt, & tanto vel vt patrocinio carere noluerũt, &c.* Idque probat Baronius, anno ducentesimo quinquagesimo octavo, numero quinquagesimo primo, argumento evidenti: quia Cyprianus esset hæreticus Donatista, si perseveraret in sententia legitimè damnata à Pontifice Romano; sed Cyprianus non fuit hæreticus, laudatur enim à Sancto Hieronymo & Augustino: item ab vniversa Ecclesia martyr celebratur. Nec obest eum in epistola 74. ad Pompeium scripsisse contra Stephanum, & eius definitionem, nec abstinuisse à convitijs in Stephanum: tunc enim nondum ei constiterat de damnatione facta à Stephano ritè & canonicè: cum autem vidit consensum Ecclesiæ, tunc retractavit errorem. Firmilianus enim in epistola ad Cyprianum septuagesima quinta, graviùs stomachatus est in Stephanũ; & tamẽ se recepit in definitionẽ Romanam, cum cæteris Episcopis Orientalibus: vt ex S. Dionysio Alexandrino docet Eusebius adductus, §. 203. solusne Cyprianus pertinacissimus omniũ credendus est errorem tenuisse? Immò, §. 335. ostendam sententiam Cypriani fuisse, ideò aliquem esse hæreticum, quia deficit à Romana fide: retractatio autem, aut occulta fuit à Donatistis, aut non fuit scripta propter imminentem persecutionem, qua obijt.

§.205. Hinc evidenter constat Ecclesiam Catholicam tunc fuisse Romanam: & non fuisse Catholicas Montanisticam, Novatianam, & Donatisticam: quia hæ tres fuerunt extinctæ: mansit ergo aliqua Ecclesia Catholica. Teste enim Augustino epistolâ quadragesimâ octavâ sacrilegum est sentire Ecclesiam Catholicam defecisse, quam permanere certum est. Ergo illæ tres, quæ defecerunt, non fuerunt Catholicæ: sola verò perstitit Ecclesia Romana, cui cæteræ omnes consenserunt: ergo dum probaverimus, hanc fidem numquam Romæ defecisse, probatum erit, illam fuisse Catholicam. Itẽ

tunc

tunc ab Ecclesia Catholica damnatus fuit Spiritus Sanctus Gnosticorum, atque Montani: ergo ibidem damnatus etiam fuit Spiritus Sanctus Lutheri, qui nihil divinum revelavit; sed eo agitata caro Lutheri rebellavit contra spiritum: quia minus fuit immunis spurcitijs, quàm Montanicus; & obscœnitate contendere potuit cũ Gnostico.

SVBSECTIO IIII.

A Sancto Sylvestro, ad Sanctum Gregorium Magnum.

§.206. SANCTVS Sylvester creatus est Papa, anno Christi trecẽtesimo decimo quarto: quẽ nõ fuisse Catholicum nullus, vel hæreticus affirmavit: divinitùs enim fidem Christi disseminavit per Orbẽ authoritate Constantini Magni. Hic Pontifex damnavit hæresim Arrianam: quæ post Montanistarum, & Donatistarum errores, maximè vexavit Ecclesiam: ob quam hæresim Romani etiam Pontifices occubuerunt gladijs Arianorum. Sylvester igitur primum misit Osium Episcopum Cordubensem in Orientem, vt ageret contra Arium: deinde damnatus Arius in Oriẽte, anno trecentesimo decimo octavo, non sine ope Osij, qui præfuit toti Concilio Alexandrino, vt patet ex Sancto Athanasio apologia secunda. Anno vero trecentesimo vigesimo quarto habetur Concilium Romæ: anno sequenti celebratur generale Cõcilium Nicænum, cui præfuit Osius: quia erat legatus Sylvestri: in quo Concilio damnatus fuit Arius. Cuius hęresis adimit Christo divinitatem, & eum facit creaturam puram, quod contra Cherinthum, & Ebionem damnatum erat ab Apostolis. Osium fuisse Sylvestri legatum, patet ex 1. tomo Conciliorum in Concilio Nicæno, vbi referuntur à Constantino Episcopi ijs verbis. *Presbyteri eius Alexander, & Paullus lector, illius locum impleverunt, vt & Romani Episcopi Osius Episcopus Cordubensis, cum Presbyteris Victore & Vincentio*: in subscriptionibus autem ij tres fuerunt primi: quod nequaquã accidisset, nisi essent Papæ legati: quia Osius non erat Patriarcha; & in Concilio Chalcedonensi punitus est Dioscorus, qui Constantinopolitanum debito loco movit: ita verò subscripserunt. *Osius Episcopus Cordubensis, &c. Victor & Vincentius Presbyteri vrbis Romæ, pro venerabili viro Papa, & Episcopo nostro Sylvestro*: deinde subscripsit Alexandrinus.

Deinde Sanctus Athanasius vexatus ab Arianis Romam venit, anno trecentesimo quadragesimo, accersitus à Iulio Papa, vt caussam diceret: vt autem Iulius cognovit synceritatem fidei Athanasij illum absolvit, laudatumque misit, & accepit tota Ecclesia symbolum Athanasij. Adversarij, autem eius Ariani non sunt ausi Romam venire, conscij malæ caussæ. Vide Baronium, tomo tertio anno trecẽtesimo quadragesimo, numero quarto, & anno trecentesimo quadragesimo primo, numero secundo, & tertio. De quibus rebus agunt Athanasius ipse, & Epiphanius, lib. 2. secta 68. qui observat potestatem Papæ, qui ad caussam dicendam vocavit Orientales Episcopos. Item Athanasius ipse in epistola, quam suo nomine & Episcoporum Ægypti, scripsit ad Marcum Papam de Canonibus Nicænis ait: *Domino Sancto & Apostolici culminis venerando Marco, Sanctæ Romanæ & Apostolicæ Sedis, atque vniversalis Ecclesiæ Papæ Athanasius, & vniversi Ægyptiorum Episcopi, &c.* & infrà: *optamus vt à vestræ Sedis authoritate, quæ est mater, & caput omnium Ecclesiarum, &c.* Liberius Papa anno trecentesimo quinquagesimo quinto, in exilium mittitur, quia non consentit Ariano Conciliabulo Mediolanensi: anno verò trecentesimo quinquagesimo nono, pro eâdem caussâ Vrbe pellitur secundò. Quem Catholicè mortuum, & nũquam hæresim tenuisse; nec docuisse, rectè probat Bellarm. tomo 1. lib. 4. de Romano Pont. cap. 9.

§.207.

Athanas!

Sanctus Damasus non mutavit religionem: creatus enim anno 367. consulitur à Sancto Hieronymo, vt tenens veritatis sedem. Hieronymus enim ab hæreticis vndique in eremo petitus, ait epist. 58. *si quis Cathedræ Petri iungitur, meus est*: præter hæc multa referam, 1. 339. Anno item trecentesimo septuagesimo octavo, Concilium Antiochenum per epistolam petit à Damaso confirmationem sui. Volens autem, vt ageretur de rebus fidei, confirmat anno trecentesimo octogesimo primo, Constantinopolitanum generale secundum, quod ipse direxit, vt constat ex eius epistola secunda, ad Paullinum Thessalonicensem: quæ epistola dicitur, *professio Catholicæ Fidei*: tomo primo Conciliorum ante Concilium secundum generale, quod S. Gregorius dixit haberi, vt Evangelium: ipse autem probavit Africanis primatum Romanæ Sedis, idque ipsi fassi sunt, vt constat ex eodem loco. Adde hæc verba trium Imperatorum in Codice Theodosiano, lege 2. de Fide Catholica. *Cunctos populos, quos clementiæ nostræ regit temperamentum, in tali volumus religione versari, quam divinum Petrum Apostolum tradi-* §.208.

S. Tho. q. 1. Art. 4. *tradidisse Romanis, religio vsque nunc insinuata declarat; quamque Pontificem Damasum sequi claret, &c.* Vide reliqua verba Imperatoribus digna. En Ecclesia tota pendens ab ore Damasi in caussis fidei, quas confirmavit Cyricius Papa, anno trecentesimo octogesimo sexto, in Concilio Romano. Anastasius Papa anno quadragesimo primo, dânavit Ruffinum Origenistam: quo anno Concilium Provinciale Carthaginense misit legatos ad Anastasium: damnatio Ruffini refertur à Patre Gordono, anno trecentesimo nonagesimo octavo.

§. 209. Innocentius primus recidivam pestem Donatistarum avexit anno quadragesimo duodecimo: eodem damnavit Celestium antesignanum Pelagij negantem peccatum originale traduci ab Adamo in posteros: quod priùs damnatum fuisse in Ioviniano à Romana Ecclesiâ ostendit ex Sancto Hieronymo, & Sancto Prospero, Baronius tomo quinto anno quadringentesimo duodecimo. Eumdem errorem damnavit Zosimus successor Innocentij. Celestinus primus anno quadringētesimo vigesimo nono Palladium in Britanniam maiorem mittit contra Pelagium. Quoniam verò oblatrant hæretici religionem mutatam Romæ, audiant nunc quàm impudenter mentiantur. Aug. Sanctus Augustinus, tom. septimo, libro secundo de peccato originali contra Pelagiū, capite octavo, hæc ait contra eum hæreticum: *fefellit enim iudicium Palæstinum, proptereà ibi videtur esse purgatus; Romanam verò Ecclesiam, vbi eum esse notissimum scitis, fallere vsquequaque non potuit, quamvis & hoc fuerit vtrumque conatus; sed, vt dixi, minimè valuit. Recoluit enim beatissimus Papa Zosimus, quid imitandus præcessor eius de ipsis senserit gestis: attendit etiam quid de illo sentiret prædicanda in Domino Romanorum fides, quorum adversus eius errorem pro veritate catholica, studia consonantia concorditer flagrare cernebat.*

§. 210. Toto autem illo secundo libro passim docet Celestium, & Pelagium Romæ scripto dedisse Pontificibus sententiam suam, vt constat ex capite primo, secundo, sexto, & septimo: quo refert Celestium non ausum obsistere sententiæ Innocentij; sed potiùs pollicitus fuit, se damnaturum quidquid illa sedes damnaret: non tamen fuit absolutus ab excommunicatione. Ex quibus luce clariùs apparet Romanos Pontifices iudices fuisse hæreticorum: quod apertiùs constat ex capite decimo septimo, & vigesimo tertio. Item epistola centesima sexagesima secunda, hæc ait de Cæciliano: Idem. *cum se videret & Romanæ Ecclesiæ, in qua semper Apostolicæ cathedræ viguit Principatus, & cæteris terris, vndè Evangelium ad ipsam Africam venit, per communicatorias litteras esse coniunctum.* Quibus satis explicat Cæcilianum habitum in tota Ecclesia pro Catholico, & toti illi esse coniunctum per epistolas Romani Pontificis.

Quoniam verò Augustinus meminit, eo libro secundo cōtra Pelagium, epistolarum Concilij Carthaginensis, & Milevitani, ad Innocentium Papam, recognosce in tomo secundo Augustini epistolam nonagesimā Patrum Concilij Carthaginensis, vbi hæc asseruntur: * *hoc* itaque gestum, Domine frater sancte, charitati tuæ intimandum duximus, vt statutis nostræ medio charitatis, etiam Apostolicæ Sedis adhibeatur authoritas, pro tuenda salute multorum, & quorumdam perversitate etiam *corrigenda.** Innocentius autem epistola nonagesima prima, ita respondit: * *in* requirendis de his rebus, quas omni cum solicitudine decet à Sacerdotibus, maximè à vero, iustoque & Catholico tractari Concilio, antiquæ traditionis exempla servantes, & Ecclesiasticæ memores disciplinæ, vestræ religionis vigorem non minùs, nunc in consulendo, quàm antea cùm pronūciaretis, vera ratione firmatis, qui ad nostrum referendum approbastis esse iudicium, scientes quid Apostolicæ Sedi, cùm omnes hoc loco positi ipsum sequi desideremus Apostolum, debeatur, à quo ipse Episcopatus, & tota authoritas nominis huius emersit. Quem sequentes tàm mala iam damnare novimus, quam probare laudanda: vel id verò quòd Patrum instituta sacerdotali custodientes officio, non censetis esse calcanda: quod illi nō humana; sed divina decrevere sententia, vt quidquid de disiunctis, remotisque Provincijs ageretur, non priùs ducerent finiēdum, nisi ad huius sedis notitiam perveniret: vbi tota huius authoritate, iusta quæ fuerit pronuntiatio, firmaretur: indeque sumerēt cæteræ Ecclesiæ, & velut de natali suo fonte aquæ cunctæ procederent, & per diversas totius mūdi regiones vt puri capitis, incorruptæ manerent: quid præcipere, quos abluere, quos velut in cæno inemundabili sordidatos, mundis digna corporibus vnda vitaret. §. 211. August.

Dices, hæc vsurpata ab Innocentio. Contrà: ita factum videmus à Concilio Carthaginensi petente à solo Pontifice Romano confirmationem sui. Item consuetudinem totius Ecclesiæ allegat Innocentius: quod, nisi esset notissima, faceret impudenter, nec illi subijcerentur Episcopi. At non multo post Concilium Milevitanum, cui interfuerunt Augustinus & Alipius, eamdē rationē servavit, Epistola enim nonagesima secūda Augustinus & cæteri Episcopi Milevitani Conci- §. 212. Obiectio. Refell.

Concilij petunt ab Innocentio, vt pastorali diligentia è Sede Apostolica incumbat in extinguendam hæresim Pelagianam. *Hæc* (inquiunt) *ad sanctitatem tuã de Cõcilio Numidiæ scripta direximus, imitantes Carthaginensis Ecclesiæ, Carthaginensis Provinciæ Coepiscopos nostros, quos ad Sedem Apostolicã, quam beatus illustras, de hac caussa scripsisse comperimus.* Itẽ

August. epistola nonagesima quinta Augustinus & alij Episcopi agunt eâdem de re cum Innocentio; finiunt autem epistolam, *verùm & noster licèt exiguus ex eodem quo & tuus abundans emanet capite fluentorum, hoc à te probare volumus, tuisque rescriptis de communi participatione vnius gratiæ consolari.* Epistola autem centesima sexta Augustinus & Alipius paulò post initium honorificè meminerunt legationis Conciliorum ad Innocentium his verbis: *missæ sunt itaque de hac ex duobus Concilijs Carthaginensi & Milevitano ad Apostolicam Sedem. Scripsimus etiam ad beatæ memoriæ Papam Innocentium præter Conciliorum relationes, litteras familiares: ad omnia nobis rescripsit eodem modo, quo fas erat, atq; oportebat Apostolicæ Sedis Antistitem.* Sanctus Pros-

Prosper. per, libro de ingratis meminit hæresim Cœlestij de peccato originali damnatam primum Romæ, his verbis.

Pestem subeuntem prima recidit
Sedes Roma Petri: quæ pastoralis honoris,
Facta caput mũdo, quidquid nõ possidet armis
Relligione tenet.

Quibus doceri possent Novatores dignè sentire, & modestè loqui de Romano Pontifice: verùm vt doctrinam Augustini sunt exosi, sic & mores. Videbunt etiam damnatos esse antiquos hæreticos negantes traducem originalis peccati; sicut recentes hæretici in eodẽ traduce sunt damnati Tridenti sessione quinta decreto de peccato originali: Calvinus enim illud apertè negat, dum Baptismi negat necessitatem ad salutem. Recognosce P. Gualterium sæculo 5. c. 3. versu *decimò addebat.* En quã fuerit Roma eadem semper, & hæretici semper ijdẽ, mendaces, obscæni, impudici, impudentes!

§. 213. Anno quadringẽtesimo vigesimo octavo Nestorius Patriarcha Cõstantinopolitanus prolixè turbavit Ecclesiã adstruens in Christo duas personas: alterã divinam; humanã alteram: sanctissimam autem Mariam non fuisse matrẽ Dei, sive Theotocon. De quo errore lege Baronium, tomo quinto ab eo anno 428. Nestorius simulavit se omnia profiteri, ex Concilio Nicæno fefellit non paucos. Hic error dãnatus fuit in tribus Cõcilijs: primũ in Romano præsidente Cœlestino Papa: secũdò in Cõcilio Alexandrino, cui præfuit S. Cyrillus Patriarcha Alexandrinus authoritate Cœlestini: tertiò in Concilio generali Ephesino: quod coegit Theodosius Imperator petitâ primum facultate à Cœlestino Papa. Cui Concilio præfuerunt duo Papæ legati, quorum primus erat Cyrillus; fuit autẽ extincta illa hæresis, vt elegãter cecinit S. Prosper in Epitaphio hæresis Pelagianæ, & Nestorianæ in libro de ingratis.

Hîc nõ potest silentio præteriri Romana potestas iudicandi caussas fidei. Primùm enim cũ Nestorius expostularet apud Cyrillũ, quòd inquireret inscripta ipsius Nestorij, se excusat Cyrillus imperio Cælestini Papæ, epist. 2. his verbis, *& quid nunc (obsecro) consilij capiam? tuã hic namque pietatem appellare compellor, quandoquidem Cælestino, religiosissimo Romanæ Ecclesiæ Episcopo iubente, cæterisque pijssimis Episcopis, qui ipsi adfuere ita postulantibus, investigare cogor, &c.* Ipse autẽ Cyrillus in epistola ad Cælestinum nõ est ausus publicè damnare Nestorium; quẽ tamen sciebat esse execrandũ hæresiarchã, antequam id communicaret cum Romano Pontifice, epist. 18. his verbis: * *At* quamvis res ita habeat, non priùs tamen illius cõmunionẽ confidenter deserere ausi fuimus, quã hæc ipsa pietati tuæ indicaremus. Digneris proinde, quid hic sentias declarare, quo liquidò nobis constet, an cõmunicare nos cũ illo oporteat; an verò liberè eidem denunciare, neminẽ cũ eo communicare, qui huiusmodi erroneam doctrinam fovet, & prædicat? Porrò tuæ integritatis mens, ac super hac re sententia nõ modo pijssimis Deoque devotissimis Macedoniæ Episcopis, sed totius quoq; Orientis Antistitibus perspicuè per litteras exponi debet: nam cupientibus illis ansam dabimus, vt omnes vno animo invnâ sententiâ persistant, rectæque fidei, quæ iam impugnatur, opem *ferant.* * §. 214. *Cyrillus.* *Idem.*

Deinde ipse Papa Cælestinus in epistola ad eumdem Nestorium illum reprehendit vt subditum, ait enim * *necesse* est enim, vt malum ex vobis ipsis, sicut præcipitur, auferamus. Et infrà: apertè igitur (inquit) hanc nostram scias esse sententiam, vt nisi de Domino Christo nostro ea prædices, quæ Romana & Alexandrina & vniversalis Ecclesia Catholica tenet, sicut & sacrosancta Constantinopolitanæ Vrbis Ecclesia ad te vsque optimè tenuit, & hãc perfidam novitatem, quæ hoc, quod venerabilis Scriptura coniungit, nititur separare, intra decimum diem à primo innotescentis tibi huius conventionis die numerandũ, aperta & scripta cõfessione dãnaveris, ab vniversalis te Ecclesiæ Catholicæ cõmunione deiectum. Quam formam nostri iudicij filium meũ Possidonium Diaconum cum omnibus chartis ad sanctum consacerdotem meũ Alexandrinæ §. 215. *Cælest.*

S.Thom. q.1.art.4. vrbis Antistitem, qui ad nos super hoc ipso plenius retulit, destinavimus, vt agat vice nostra, quatenus statutum nostrum vel tibi, vel vniversis fratribus *innotescat.** Ecce iudicis sententiam, & authoritatis delegationem, quam accepit Sanctus Cyrillus Patriarcha Alexandrinus, prima post Romam sedes. *Ioannes Antioch.* Ioannes autem Antiochenus Patriarcha scribens ad eumdem Nestorium ait, non posse resisti adversarijs munitis authoritate Cælestini: & subijcit: *enimverò licèt Dominus meus Cælestinus Deo devotissimus Episcopus decem tantùm dierum intervallum ad terminum vsque respōsioni præfinitū litteris suis expresserit, &c.* Considera ergo tres Patriarchas Orientales recognovisse Principatum Romanum in se ipsos. Etenim Cęlestinus ipse rem hanc totam, sententiam in Nestorium, terminum dierum decem, & cōmisionem potestatis Romanæ sedis scribit ad Cyrillum epistola 12. inter epistolas Cyrilli. Cyrillus autē epistola 10. quæ est ex Concilio Alexandrino ad Nestoriū, expresse in illum agit ex præscripto termino Cœlestini, vt eius exequutor.

§.216. Duo supersunt expendenda. Alterum ostensione Beatæ Virginis Mariæ damnatos Nestorij libros: dixit enim ad Cyriacū Abbatem, atque presbyterū: ipsum habere in sua cella ipsius Virginis inimicum. Hic erat Nestorij liber, quo asserebatur, Mariā non fuisse Matrem Dei: quæ referuntur à Baron, tomo quinto anno quadringētesimo vigesimo nono, versu *accesimus ad Abbatē.* Alterum observatu dignū est, interitus Nestorij dign° blasphemijs, quas in Christum & eius Matrem effutivit. Relegatus enim in monasterium Sancti Euprepij, & Pontificatu motus, interijt, linguâ vermibus exesa, & toto corpore tabo saniente: quod refert Baronius anno quadragesimo trigesimosexto, versu *ipse equidē.* Nec prætereundū, quàm arrogāter Nestorius se iactaverit super omnes Episcopos & Ecclesiæ Doctores, quod ex Sancto Cyrillo refert Baronius anno quadringētesimo vigesimo nono, versu *qui autem.* Superbia Calviniana & Lutherana maior fuit, quàm Nestorij; interitus autem nihil levior.

§.217. Obiecerunt hæretici Sixtum successorem Cælestini graviter doluisse damnatione & depositione Nestorij: qui non minùs sunt mētiti, quàm Cataphrygæ idem imponētes Victori Papæ, quem ex Tertulliano Cataphryga ostēdi §. 188. & 202. retinuisse epistolas pacis pro Montano, & recusasse admittere illius charismata. Hic Sixtus cū esset presbyter trivit Pelagianos, vt docet S. August. epistola centesima quinta; cū autem Nestorius esset Pelagianorū patronus, considera, vtrùm in illam fulminaret Papa qui presbyter grandinaverat. Creatus est Papa anno quadringētesimo trigesimo secūdo, qui è vestigio vt bonus pastor, curavit in ovile trahere ovē scabiosā & perditā Nestoriū, vt effecerat Cælestinus. Deinde per Epistolas ad Ioannem Antiochenū, & alios Episcopos, extinguendum curavit Nestorianismum. Hic advette nonnulla: primùm à Ioanne Antiocheno legatos Romanos vocari *fidei vindices.* Baronius anno 432. versu *præcipuum earum.* Itē apud Theodosium Imperatorem idem esse hominem esse catholicum, & esse religionis Romanæ, vt patet ex eiusdem Theodosij Epistola apud Baronium eo anno 432. versu *nihil omnino*, hæc autē sunt ad Episcopos Theodosij verba: *Theodosi.* *decet proinde vestram sanctitatem omni diligentia, studio, ac contentione hæc à Deo deposcere, virosq́; probatos Romanæ religionis sacerdotes esse, manifesto argumento declarare.* Expendit autem eleganter Baronius Imperatorem oppilasse hæreticorum ora: omnes enim dicebant, se esse catholicos: vt autem illis ostendat, quos ipse catholicos habeat, ait, vt petant à Deo, vt manifestè probet, illos esse secerdotes Romanæ religionis.

Sixtus autem in Synodo Romana manifestè ostendit, qualis esset. Baronius enim §.218. anno 433. §. *non est certandi*, ait ex Epistola Sixti ad Ioannē Antiochenum Episcopū: *Beatus Petrus Apostolus in successoribus suis, quod accepit, hoc tradidit. Quis ab eius se velit separare doctrina, quem ipse inter Apostolos primus Magister edocuit, &c.* Tandem meritò Vincētius Lyrinēsis ex Epistolis eiusdem Sixti prudēter observat, quàm fuerint veteris doctrinæ Romani tenaces. Hæc omnia refert Baronius ex actis Concilij Ephesini, & ex epistolis sancti Cyrilli Alexandrini, & ex Doctoribus alijs, in quibus ego tādiu sisto gradum: vt apertè monstretur Pontifices Romanos classicum cecinisse cōtra omnes hæreses, eorumquè authoritate Chatolicam Ecclesiam armatam de hæreticis triumphos egisse. Quæ obiter nobis servient ad ostendendum Romanum Primatum: de quo agendum disputatione 34. 35. & 36.

§.219. Leo primus multa gessit tùm ad tuendam veterem doctrinam, tùm quibus suum principatum explicuit. Anno enim quadringētesimo quadragesimo primo probavit Concilium Arausicanum Provinciale primum, & anno quadringentesimo quadragesimo quarto, coacto Concilio Romam, & Manichæos damnat, & Discoro Patriarchæ Alexandrino præcipit, nonulla corrigat, deponitque Basianū Primatē Ephesi-

Ephesinum, & indicit in Hispaniam Concilium contra Priscilianistas. Anno quadrigentesimo quadragesimo nono, legatos misit, qui præessent Concilio Ephesino generali: quod turbatum Dioscori dolo vocatum est latrocinium Ephesinum, vel Synodus prędatoria, quia à militibus Theodosij authore Dioscoro, & Sanctus Flavianus fuit occisus, & omnia vi peracta, & absolutus Euthyches Hæresiarcha: cum autem omnes fere Episcopi metu subscripsissent, legati Leonis restiterunt imperterriti. Anno item quadrigentesimo quinquagesimo primo legati Leonis damnaverunt, & Pontificatu amoverunt Dioscorum Patriarcham in Concilio Chalcedonensi generali, & anathema dixerunt in Euthychetem monachum Archimandritam monasterij Cōstantinopolitani: qui, vt contra Nestorium negaret duas in Christo personas, negavit etiam in Christo post vnionem duas mansisse naturas. Hic vafer hæreticus malis artibus turbavit Ecclesiam.

§. 220. Quoniam verò Magnus Leo illustrissimè ostendit sui Sacerdotij Principatum in vniversæ Catholicæ Ecclesiæ Archiepiscopos, Reges, & Imperatores, libet telam ordiri, vt videant hæretici Novatores, non solùm Papas Stephanum, Cornelium, Victorem, & alios antiquiores pressos persecutionum mole in cæteros Episcopos, dominatos; sed etiam Sylvestrum, Cælestinum, & Leonem Ecclesia paccata in potentissimos Imperatores, & in Patriarchas armatos Imperatoria potestate, exercuisse Ecclesiasticum Imperium, cui obeditum ab Imperatoribus ipsis: & in tanta Patriarcharum multitudine atque potentia, solus Dioscorus ausus est mutire in Episcopum Romanum: cuius temeritatis pœnas luit à legatis ipsius Leonis, non Romæ, aut in Occidente, vbi ipse Leo degebat; sed in Oriente in Concilio Chalcedonensi à legatis Romanis, à quibus motus fuit Pontificatu spectantibus Patriarchis, Constantinopolitano, & Antiocheno, & pluribus quam sexcentis Episcopis, & ipsis Imperatoribus Martiano & Pulcheria. Itaque Alexandrinus Patriarcha secundus à Romano punitus est ab ipso Romano, & quia erat hæreticus, & inobediens Romano ipsi: idque in Oriente solùm per legatos.

§. 221. Hanc damnationē cōtinet tomus primus Conciliorū in Cōcilio Chalcedonensi: quā eruditè refert Baronius, anno 451. versu *vnde sanctissimus*: dānatio autē hęc est, *vndè*

Baronius. *sanctissimus, ac beatissimus Archiepiscopus magnæ & senioris Romæ Leo per nos, & per præsentem hanc Synodum, vna cum ter beatissimo, & omni laude digno beato Petro Apostolo, qui est petra & crepido Catholicæ Ecclesiæ, & ille, qui est rectæ fidei fundamentum, nudavit eum tàm Episcopatus dignitate, quàm etiam ab omni Sacerdotali abalienavit ministerio.* Propter hanc sententiam Dioscorus armato milite custode relegatus interijt. Tota autem Orientalis Ecclesia annua celebritate coluit diem illum, vt secundam incarnationem, quia eam negaverant Dioscorus & Euthyches: quam festivitatem laudibus prædicat Sanctus Leo epistola 73.

Authoritas autem cogendi Concilium deprehenditur apertè: tùm quia in consessu primum locum tenuerunt legati, qui præiverunt omnibus Patriarchis Orientalibus, cùm ipsi non essent Patriarchæ, vt constat ex Cōcilio Chalcedonensi actione prima: tùm etiam, quia Imperatores Martianus, atque Pulcheria non sunt ausi, illud cogere absque consensu & authoritata Leonis, vt constat ex varijs eius epistolis præsertim 42. Theodosius autem non coegit Concilium Ephesinum, quod corrupit Dioscorus inconsulto Leone, vt constat ex actis Concilij Chalcedonensis, & ex Baronio, item ex epistolis Leonis; maximè verò ex vigesima quarta, & vigesima quinta, præsertimque decima quinta, qua ostendit indiguisse Theodosium authoritate Papæ ad congregandum Concilium. Quantum autem authoritatis Leoni sit delatum, patet ex epistola duodecima, qua Theodosio commendat, legatos missos à se ad Concilium, vt Euthychetem absolvant, aut condemnent. Epistola autem decima quinta ad Concilium ipsum repetit, à se legatos missos, Vicarios suæ sententiæ, & quòd caput est, legatis dedit epistolā, (quæ est decima) qua docet Concilium, & totam Ecclesiam, quid sentiendum sit de mysterio Incarnationis: ex qua epistola voluit decerni in Concilio cōtra errores Nestorij & Euthychetis: quia verò Dioscorus noluit Ephesi epistolā recitari, fuit deinde damnatus in Concilio Chalcedonensi. Quam epistolam Patres Chalcedonenses imitati, nec latum vnguem ab eius discesêre doctrina: quin & Episcopi Galliarum eam descriptā misêrunt ad Leonem per legatos, ne vel vno apice à sententia Papæ differrent. §. 222.

Romani Pontificis potestatem iudiciariam in totam Ecclesiam apertè probant, primùm appellatio Sancti Flaviani Patriarchæ Constantinopolitani: qui cum iniustè esset Ephesi damnatus à Dioscoro, appellavit Romanum Pontificem, vt docet Baronius, anno 449. §. *sed nondum*, ex Liberato Diacono in Breviario, cap. 12. Idem fecit §. 223.

S. Tho. q. 1. Art. 4. Theodoretus: Immò Eutiches ipse scripsit ad Sanctum Leonem se à Concilio Constantinopolitano appellare Papam: constat enim ex epistola septima Leonis Euthichetem questus misisse ad Leonem: epistola verò octava, hæc ait Leo de Euthichete: *adeò, vt in ipso iudicio libellum appellationis suæ se asserat, obtulisse, nec tamen fuisse susceptum.* Illa appellatio fuit ad Romanum Pontificem: quia Euthiches erat subditus Flaviani Patriarchæ; cùm autem Anatolius aliquantulum esset suspectus apud Leonem de fide Catholica, noluit Leo illum in Patriarchatum admitti, nisi prius Romam mitteret scriptam fidei Catholicæ professionem; vt constat ex epistola quadragesima ad Anatolium: *gaudemus* (inquit) *in Domino, & in dono gratiæ ipsius gloriamur, quia, sicut dilectionis tuæ litteris cognovimus, sequatem te Evangelicæ eruditionis ostendis.* Item idem constat ex epistola quadragesima quarta ad Martianum: Item epistola quadragesima sexta, dicit eidem Anatolio se mittere legatos, vt ipse cum illis exequatur dispositionem ipsius Leonis in his, quæ ad vniversalis Ecclesiæ statum pertinent. En qua ratione Leo iudicem se præstet in Patriarchas, nullo tergiversante? Item epistola 47. ait toti Concilio, vt decernat, quæ scit ipsum cupere ex antiqua traditione. Delegatis autē ait: *tamē in his fratribus Paschasino & Lucentio Episcopis, Bonifacio & Basilio Presbyteris, qui ab Apostolica Sede directi sunt, me Synodo vestra fraternitas existimet præsidere; nec seiunctam à vobis præsentiam meam confidat, qui nunc in Vicarijs meis adsum.* Adde à Sancto Leone reprehensum Sanctum Flavianum, quòd sero ad ipsum Leonem detulisset Euthichetis errores. Coronidem adijcio Leonem ipsum epistola quinquagesima quarta, hæc dixisse: *Leo Episcopus Romanæ & vniversalis Ecclesiæ Martiano Augusto.* Quod nulli vnquam absonuit: quin verò Martianus, atque Pulcheria in epistolis ad Leonem ei apertè fatentur Ecclesiæ primatum, vt constat ex Baronio, & Concilio Chalcedonensi: in quo est etiam epistola Sancti Petri Chrysologi Episcopi Ravennatis consulentis Euthyceti, vt pareat sententiæ Episcopi Romani.

Leo. Mag.

Idem.

§. 224. Non potuit expresior, & illustrior typus nobis ante oculos proponi, quo proprijs coloribus venustetur pulchritudo fidei Romanæ: quæ Apostolicę Petræ nixa, firmè tenet doctrinam Christi: pro qua eiaculatur tela, saxa, ignes, fulmina in eiusdem fidei vitiatores: super quem hic lapis ceciderit comminuet eum; qui verò in eum ceciderit, confringetur. Considerent Hæretici præsentem statum Romæ, & conferant legatos Leonis cum Iulij legatis; Concilium Chalcedonense cum Tridentino; Euthichetem; atque Dioscorum cum Luthero, atque Calvino, Imperatorem Martianum, cum Carolo V. cum Regibus Catholico & Christianissimo; & videbunt apertè se nunc non aliter esse damnatos, quàm olim damnatus fuit Montanus à Victore, Proclus & Tertullianus à Zepherino, Donatus à Stephano, Celestius, atque Pelagius ab Innocentio & Zosimo, à Damaso Apollinaris, & Macedonius, Arius à Siluestro & Iulio, Nestorius à Cælestino, Euthiches, atque Dioscorus à Leone; denique singuli hæretici à Vicarijs Christi, sicut & ipsi à Iulio & Paulo: vt animadvertant se tàm esse hæreticos, quàm illos, nec vnquam defecisse Ecclesiam Catholicā, à qua, cū cæteris, ipsi quoq; damnentur, percurramus autem vtrum Ecclesia Romana ab hac integritate & principatu defecerit, quem ad tempora Leonis, pace belloque servavit.

Anno quadragesimo septuagesimo quarto, Zeno Imperium invadit homo flagitiosus & hæreticus, fautor Petri Fullonis Cnaphei, hæretici Theopaschistæ, id est, censentis divinitatem fuisse mortuam in Christo. Item Zeno Alexandriam revexit Timotheum hæreticum Euthychianum: hic ingressus Constantinopolim magno hæreticorum comitatu; non potuit tamē aliquam Ecclesiam occupare, ob egregiam virtutem Clericorum, qui, vt Catholicam fidem tuerentur, Epiphanium miserunt legatum Romam ad Simplicium Papam: hæc fusè narrantur à Baronio, tomo sexto, anno 475. à versu, *quod verò*, & versu *enituit*. Ne autem mentiantur hæretici Pontifices Romanos authoritate Principum vsurpasse Primatum Ecclesiæ, considerent anno quadragesimo septuagesimo sexto, Romanam Ecclesiam penè fuisse captivam: quia in Occidente erat circumobsessa Regibus Arianis; in Oriente autem imperabat Zeno suspectus in fide, & patronus hæreticorum; imperabat item Basiliscus tyrannus hæreticus; annis autem sequentibus Zeno est ad Imperium revocatus improbè affectus in fidem: his tàm afflictis temporibus Simplicius, eiusque successor Fœlix non magis fracti, quàm si armato milite totum tenerent Orbem, epistolas mittunt ad Imperatores hæreticos, quibus monentur officij, & reprehenduntur propter suspicionem hæresis: item Ioannes Patriarcha Alexandrinus Romanum Pontificem appellat: Acacius Patriarcha Constantinopolitanus Romam vocatur ad

§. 225.

Baronius.

ad dicendam caussam coram Papa: Petrus Cnapheus Patriarcha Constantinopolitanus Sede movetur: hæc omnia latè tractantur, atque probantur à Baronio ab anno 475. ad 484. E quibus indicabo pauca.

§. 226. *Simplicius* Simplicius epistola ad Zenonem (quæ est tertia Simplicij, tomo primo epistolarum Romanorum Pontificum) legat Acacio vices suas, quarum authoritate in Oriente fungatur. Epistola autem quinta docet Acacium ipsum nefas esse disputare contra doctrinam suorum prædecessorum, & prohibet cogi Concilium: in epistola autem ad Archimandritas reprehendit Acacium, quòd non scripserit ipsi Simplicio gesta Timothei hæresiarchæ: anno autem 477. Zeno divino supplicio arrectis auribus obediens fuit Simplicio, ad quem, cùm primùm reversus in Imperium, misit epistolam, ex cuius voluntate ipse, & Acacius omnia composuêre: vt colligitur ex epistola septima Simplicij: anno verò 478. Acacius in epistola (quæ est post decimam Simplicij) ait ipsi Simplicio, *solicitudinem omnium Ecclesiarum secundum Apostolum circumferentes nos indesinenter hortamini*. At tàm Zeno, quàm Acacius more canino ad vomitum reversi rebellarunt in Christum & Petrum, Acacio arrogante sibi primatum, freto Zenonis authoritate & perfidia. Simplicius autem epistola nona ad Zenonem ait, *Ecclesiarum omnium curam sustinens*. Epistola autem decima octava reprehendit Acacium: anno 482. Zeno evulgat edictum contra Concilium Chalcedonense: eodem anno Simplicius Zenoni Episcopo Hispalensi legat vices suas in Hispaniam: eodem anno auditur Ioannes Alexandrinus in Concilio Romano, vocatur Acacius. Vitalis autem & Misenus legati mittuntur Constantinopolim: in epistola autem ad Acacium, hæc ait: *in diversas generalis Ecclesiæ curas, quas vbique terrarum cunctis populis Christianis Summi Pastoris voce delegantur, beatissimus Petrus Apostolus pervigili moderatione dispensat*, & infrà: *Certè si (quod non credimus) dedignaris beati Apostoli Victorijs reverentiam tuis deferre fastuosis affectibus*. Ecce Papam penè captivum ab Arianis accusare Acacium armatum Zenonis exercitu, quod superbè recuset collo ferre iuga Petri.

§. 227. *Fœlix.* Vita functo Simplicio succedit Fœlix, qui non fuit passus mori solicitudinem, & primatum Petri. Baronius enim anno 483. versu *vidisti*, refert ex vetustis codicibus epistolam Fœlicis ad Zenonem: in qua constanter asseritur non solùm primatus Petri; sed constans omnium Ecclesiarum in illum consensus: per prosopopæiam autem induecit Petrum alloquentem Zenonem his verbis. * *Rursus* ergo Apostoli Petri veneranda confessio maternè instat vocibus, & suorum præcipuè filiorum, compellare non desinens confidentiã tuę pietatis, exclamat: Christiane Princeps, cur me à curriculo charitatis, quo Ecclesia vniversalis adstringitur, permittis incidi? Cur in me rumpis totius Orbis *assensum*?* Inferius autem, * *hæc* rogo (inquit) quæ dicta Deus esse voluit per dictæ Sedis Antistitem, vel per mei ordinis parvitatẽ, quæ tuæ securitatis intuitu, huiuscemodi ideò promenda iudicavit, vt non tàm per eius qualemcumque Vicarium; sed præsentis Apostoli velut authoritate commonitus, altiùs vias & divinæ reverentiæ & humanæ conditionis adspiciens (quod absit) non ingratus existere videaris collatæ fœlicitatis *authori*.* His & alijs petitis ab exẽplo maiorũ conatur Fœlix Imperatorem ad suã obedientiã revocare, quæ nisi præsto essent ad manũ & ore totius vulgi circumferrentur, insanè quidem proponerentur Imperatori iam publicè inimico: quia videret Imperator Pontificem famoso, & infami mendacio, conari ad obedientiam Romanæ Ecclesiæ trahere Imperatorem. Nec dubitari potest de huius epistolæ veritate, tùm quia multis ab hinc sæculis fuit scripta, & reperta in bibliothecis antiquis, quando hac de re nulla erat controversia: quæ confirmantur ex Evagrio, lib. 3. capite 18. 19. & 20. referente epistolam Fœlicis ad eumdem Zenonem, qua præcipit Acacium comparere Romæ ad caussam in Concilio dicendã, his verbis: *vt idem frater & Coepiscopus meus Acacius (sicut Ecclesiasticis necesse est, & vestris legibus fieri debet) ad hæc, quæ de se pervidet intimari, apud beatissimum Petrum Apostolum, diluere obedienter procuret*. *Baronius.* *Fœlix.*

§. 228. Ex quibus evidenter apparet duas caussas Fœlicem reddidisse Zenoni, vt ad se mitteret Acacium. Altera est, quia id necessarium erat homini Ecclesiastico, qui, quia Ecclesiasticus est, tenetur parere Papæ. Altera, quia id cautum erat legibus Imperatorijs: ne igitur Zeno & contra leges Imperatorias, & contra ius Ecclesiæ teneret Acacium, nè Romam peteret, ei proponit ius Imperatorium, & Ecclesiasticum. Nec vero nobis obijci potest has litteras esse confictas: tùm quia magna est authoritas Evagrij, tũ quia scriptis antiquioribus oppositũ testantibus nobiscum esset agendum; alioquin si pro libito negantur historiæ veteres, collabitur tota

S. Tom. q.1.ar.4. tota authoritas antiquitatis: vt ex sancto Augustino observavi §. 54. & 127. tùm tertiò, quia stat Concilium Romanum, cui præfuit Fœlix, vbi agitata est caussa Ioannis Patriarchæ Alexandrini, & citatur Acacius, & damnatur Petrus Cnapheus, qui tres erant Patriarchæ: tandem quia non fingimus libros antiquos, qui pro nobis sint, sicut nec deradimus, qui contra nos. Etenim anno 484. Zeno carcerat legatos Felicis: & quemadmodum Dioscorus è nomenclaturâ Pontificum oblitteravit nomē Leonis Magni; sic & Acacius nomē Felicis: vt hæretici Novatores blaterantes contra Romanam sedem glorietur his duobus suæ blasphemiæ initatioribus: in quos quadrat Tertullianicum in Neronem, non potuisse nisi magnum aliquod bonum à Dioscoro Acacio damnari. Cur non dicimus nos mēdosos esse libellos, quibus hæc contra nos iactantur? Dices, quia eisdem etiam iactantur multa pro nobis: benè; vt ergo nos integram & non partitam fidem præstamus his, quæ pro nobis, & contra nos sunt: cur tu fidem partiris, & eam præstas ijs, quæ contra nos sunt; derogas autem ijs, quę à nobis sunt? Possemus item & nos dicere libellos istos ab hostibus Romæ sedis esse vitiatos; at ab his abstinemus: quia syncerè disquirimus veritatem §. 229. Hic tamen duo consideradā; alterum in Africa eumdem fuisse consensum inter Catholicos de primatu Petri: cùm enim Sanctus Eugenius provocaretur ab Hunnerico Ariano hæretico Rege, respondit sibi non licere ire in Concilium, nisi cum tota Ecclesia, cuius apud Baronium anno 483. **Baronius.** §. *sed cùm hæc*, hæc sunt verba: *scribam & ego fratribus meis, vt veniant Coepiscipo mei, qui nobis nobiscum communem fidem nostram valeant demonstrare; & præcipuè Ecclesia Romana, quæ caput est omnium Ecclesiarum.* Idem asseritur in Concilio Romano. Ecce Concilium in Italia, Zeno Episcopus Hispalensis in Hispania, Eugenius in Africa, Ioannes Alexandrinus in Oriente eodem ore dictis fatentur, & factis, sedem Petri vnicam esse sacram anchoram, cui tota innititur fides. Alterum est, Flavitam (sive Flavianum) cùm primùm dolo irrepsisset in Episcopatum Constantinopolitanum, scripsisse ad Fœlicem Papam, vt illi præstaret communicationem Romanam, quod refert Baronius ex Liberato Diacono in breviario capite 18. Euphemius autem, qui Flavitæ successit, eamdem ob caussam Fœlici scripsit, vt ex Nicephoro refert Baronius ipse.

§. 230. **Gelasius.** Gelasius primus creatur Pontifex anno 492. ad quem Euphemius Constantinopolitanus epistolam & legatos misit, vt illi daret communionem cum Ecclesia Catholica: quam non potuit impetrare, quia non expunxerat ex catalogo Pontificum nomen Acatis hæretici damnati: quæ satis latè invenies epistola nona Gelasij tomo primo epistolarum Romanorum Pontificum. Multa quoque præstitit Gelasius, quibus & Catholicam fidem propugnavit, & ostendit se esse caput Ecclesiæ. Hormisda Papa & integritatem fidei & primatum Petri satis ostendit: Imperator enim Iustinus anno 520. ad eum misit epistolam, qua eum consuluit de rebus fidei & Ecclesiæ: vt constat ex litteris Hormisdæ Papę tom. epistolarū Romanorum Pontificum. Item Iustinianus vir clarissimus in aula Imperatoria illum per litteras consuluit: cui Hormisda Epistola 74. respondit se ea de re vberiùs acturum per legatos Imperatoris: audi autem hæc Hormisdæ verba: *& apud me quidem magni est gratia vestra momēti; eo tamen pretiosior, quia, quidquid mihi gratiæ dignanter impenditis, in Ecclesiarum defensione monstrastis.* **Hormisda.** Item epistola 68. reprehendit Epiphanium Episcopum Constantinopolitanum his verbis: *decuerat siquidem (frater charissime) te legatos ad Apostolicam sedem inter ipsa tui Pontificatus initia destinasse: vt & quem tibi debeamus affectum, bene cognosceres, & vetustæ consuetudinis formam compleres.* Epiphanius autem satisfecit officio missis legatis & muneribus.

§. 231. **Possessor.** Item Possessor Africanus Episcopus, qui tunc erat Constantinopoli, consulit eumdem Hormisdam de Fausti Regiensis libris: vocat Hormisdam *Papam præferendum*: ita autem orditur, *licet*, & expedit ad capitis recurrere medicamentum, quoties agitur de sanitate membrorum: quis enim maiorem circa subiectos solicitudinem gerit, aut à quo magis nutantis fidei stabilitas expectanda, quàm ab eius sedis præside, cuius primus à Christo rector audivit: tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam *meam*. Epiphanius autem misit professionem suæ fidei ad Hormisdam contestans se in omnibus illi consentire, & parere: quæ habetur inter epistolas Hormisdæ. Item Synodus Constantinopolitana legatos misit Romam consultum Papam: cuius Epistolæ hæc est inscriptio: *Domino nostro Sancto, ac beatissimo Patri Patrū, Archiepiscopo & Patriarchæ Hormisdæ.* Me tēpus, papyrusque deficit, si voluero indicare, quæ probāt continentē consuetudinem totius Ecclesiæ in con-

in consulendo Romanum Pontificem, vt ex eius sententia fides, & Ecclesia componeretur: quæ consuetudo sancta fuit omnibus, nisi Nestorio, Dioscoro, Macedonio, Euthycheti, Acacio, hæreticis profligatissimis: vt & nunc sanctè eadem consuetudo perennat, nisi Luthero Apostata, Calvino & Beza sodomiticis, Henrico octavo adultero, & ijs omnibus publicis concubinarijs, vt constet apertè quales bestiæ contra fidem & Ecclesiam Romanam rebellaverint.

§.232. Ioannes primus non mutavit antiquam religionem, siquidem missus à Theodorico Rege Ariano Constantinopolim ad Imperatorem Iustinum, eidem persuasit, ne templum vllum daret Arianis, illud importunissimè flagitantibus: quam ob caussam in Italiam reversus obtruncatur in carcere à Theodorico. Symachus item, & Boethius Sucorinus ab eodem Rege eademē caussam trucidati: obijt Ioannes anno 526. Ioannes secundus consulitur à Iustiniano Imperatore, anno 533. Agapitus misit ad Iustinianum confirmationem fidei, quam descripto professus fuerat apud ipsum anno 535. Anno verò 536. deponit Antimum Patriarcham Constantinopolitanum.

§.233. Baronius tomo septimo, anno 536. versu *ad hæc*, prudenter monet in quanta egestate fuerit Romana Ecclesia, quæ, vt Agapitus posset legatione fungi Constantinopolim, oppignoravit vasa sacra: nec tamen propterea Iustinianus Imperator aliud cognovit Ecclesiæ caput: quin potiùs Agapetus in summa egestate, & extra propriam suam Ecclesiam Constantinopoli damnavit Antimum opulentissimum Patriarchā, potentem Iustiniani gratiâ, cum autem Imperator minaretur exilium Agapeto, ni communicaret cum Antimo, constans Agapetus in sententia excommunicationis pependit flocci Imperatoris minas, cùm autem coram ipso Imperatore Agapetus hæresis convicisset Antimum, Imperator se provolvit ad Agapeti pedes.

§.234. Pater Gordonus, anno 536. refert, hæc negari à Vignerio hæretico. Credo: quia si hæc admittat, nullam habet latebram, in qua delitescat Novatorum hæresis contra primatum Petri. Recurrunt enim ipsi ad potentiam Romanorum Pontificum; qua, non vero Pontificiâ authoritate obganniunt, adoleviffe Paparum potestatem. Vident autem Agapetum, & ab hostibus fidei circumventum, extremè egentem: & Constantinopoli non tàm legatū, quàm exulem agere: nihilominùs tamē cum audiunt contra potentissimos hæreticos fulminantem; quid igitur facient impudentes Novatores,

nisi negare fidem historijs, quam etiam negant Christo.

§.235. Historiam Agapeti probat Baronius ex Sancto Gregorio Magno, ex Liberato Diacono, ex Anastasio in Agapeto, ex epistolis eiusdem Agapeti, ex Zonara, ex tomo secundo Conciliorum, ex Nicephoro, qui cum alijs refert Agapetum, Antimo præscripsisse terminum ad resipiscendum: quin potiùs scripsit de depositione Antimi, & subrogatione successoris: tunc autē Pontifici Romano exulanti ex Italia, & penè oppresso à Theodora Augusta hęreticâ, huic inquam Papæ, sic scribunt Oriētales Episcopi, ***Domino nostro per omnia sanctissimo, ac beatissimo Patri Patrum, Archiepiscopo Romanorum & Patriarchæ Agapeto. Ex quo Christus Deus noster pro debitis vobis præmijs, propter ipsam in omni tempore cum vera fiducia sua invisibili, ac terribili virtute divulgatam confessionem super venerabile caput vestrum requiescere fecit, cum Sedem Apostolorum vobis (Pater beatissimè) commisit, & firmavit supra firmam petram pedes vestros, &c.*** Monachi autem Orientales eodem honore Pontificem habent: quorum epistola, & titulus hic est, ***Domino nostro sanctissimo & beatissimo Archiepiscopo Antiquæ Romæ & Æcumenico Patriarchæ Agapeto, &c.***

§.236. Putidi autem isti hæretici, vel per ignorantiam, vel per mendacium, vel per vtrumque garriunt contra constantes Ecclesiæ historias: quia illis damnantur. Sin dicant mihi, quam ob caussam Sanctus Syluerius, anno 538. dolo Theodoræ Augustæ & potentiâ Belisarij missus sit in Lyciam ad exulandum, vbi obijt anno 539. non ne hęc omnia passus est, quia noluit Antimum absolvere, & revocare in Ecclesiam? Quid obsecro opus erat absolutione Syluerij exulantis, & ærumnis penè confecti, nisi quia in Oriente nulla Ecclesia Catholica communicaret cum homine damnato à Romano Pontifice, nisi ab eodem absolveretur? Recognosce à §. 225. vbi constat Simplicium, Felicem, atque Gelasium, qui penè captivi exercuerunt iudiciariam potestatem tàm apertè, quàm Leo Magnus in potestate perampla.

§.237. Sancto Syluerio, anno Christi 540. successit Vigilius, homo vafer; qui pessimis artibus & tyrannicè vsurpaverat Antipapatum vivente Syluerio: Theodora Augusta voluit scelestum hunc hominum Papam creari, freta ab eo absolutum iri Antimum. Vigilius autem, cùm se prius abdicasset Antipapatu, post sex dies eligitur Canonicè, nihil tamen minus cogitavit, quam de revocando

S.Thom. q.1.art.4. Antimo: & Imperatricem fefellit spes restitutionis, quam Vigilius antequàm esset legitimè Pontifex fuerat sexcenties pollicitus. Baronius eo anno 540. versu *hæc quidem*, graviter expendit providentiam Dei, quâ Vigilius factus iam Pontifex mutatus sit in virum alterum.

§.238. Ad eum antiquo more legatos misit Iustinianus: ad quem ipse rescripsit, *gloriosissimo & clementissimo filio Iustiniano*: hæc epistola est secūda Vigilij, in tomo primo epistolarum Romanorum Pontificum: quâ probat omnia suorum prædecessorum anathemata in hæreticos, inter quæ etiam probat Agapiti gesta contra Antimum Patriarcham Constantinopolitanum, quē inferius nominatim numerat inter hæreticos. Ecce quam sit alius Vigilius Papa à se ipso Antipapa: etenim Antipapa blandiens Theodoræ hæreticæ spondet restitutionē Antimi; Papa verò damnat Antimum. Hic Pontifex constantissimus fuit in defendendo Concilium generale Chalcedonense.

§.239. Animad. Adverte in eo Concilio recitatam fuisse epistolam Ibæ Episcopi: adversus quem Ibam, & adversus Theodorum, & Theodoretum erant multæ criminationes propter illorum crimina, & hæreses: alij vero asserebant eos Episcopos in meliorē frugem receptos obijsse in pace Ecclesiæ. In Concilio Chalcedonensi damnatę fuerunt omnes hæreses, quas aliquando tenuerunt illi Episcopi; de personis autē nihil est actū; sed illas reliquit Concilium sine damnatione, iuxta relationem in Concilio propositam in illorum favorem. Imperator Iustinianus sanctissimè coluit tūm primatum Romanę Ecclesiæ, vt patet ex anno 541. §. *Ideoque*, vbi hæc ait *sanctissimum senioris Romæ Papā primum esse omnium Sacerdotum*: tūm etiam loco scripturarum habuit quatuor Concilia generalia Nicænum, Constantinopolitanum, Ephesinum primum, & Calcedonense: quæ etiam, vt quatuor Evangelia, observanda voluit Sanctus Gregorius Magnus. Idem Iustinianus duobus post annis, nempè anno 546. libellum edidit, quo confirmavit totam doctrinam Concilij Chalcedonensis: voluit tamen ab Ecclesia damnari, non solùm doctrinam Ibæ, Theodori, & Theodoreti, vt Calcedone fuerat damnata; sed etiam voluit damnare personas, quod Calcedone non erat factū. Hinc orta est perniciosissima in Ecclesia dissensio de tribus Capitulis, id est, de damnatione, vel absolutione triū Episcoporum.

Baron.

§.240. Vigilius restitit viriliter Iustiniano, & Synodo Constantinopolitanæ (quæ postea dicta est, *quinta generalis de tribus Capitulis*:) adeò, vt ad fugiendam intentam ab Imperatore vim, se receperit in templum, vndè excommunicavit Episcopum Constantinopolitanum, & Cæsariensem: itaq; quasi in arce obsessus liberè iudicem agit in caussas suæ obsidionis. Restitit Vigilius, non quod authoritas doctrinæ Concilij Chalcedonensis re ipsa minueretur, quia de doctrina nihil mutabatur; sed quod timeret schisma multorum, qui arbitrarentur damnatione trium Capitulorum multum derogari authoritati Calcedonensi. Nec eum fefellit timor: quia totum Orientem gravissimæ rixę occupavērunt. Videns autem graviora damna imminere Orienti, nisi tria Capitula damnarentur, ea tandem damnavit edicto. Nec vero solus Vigilius; sed & Gelasius & Sanctus Gregorius Magnus, vt constat ex libro tertio indictionum epistola quarta, decima, trigesima septima, & alijs. Vigilius nihil mutavit, vt constat epistola Gregorij 37. *de illa autem Synodo* (inquit) *quæ in Constantinopoli postmodùm facta est, quæ à multis quinta nominatur: scire vos volo: quia nihil contra quatuor sanctissimas Synodos constituerit, vel senserit: quippè, quia in ea de personis tantummodo; non autem de fide, aliquid gestum est, & his personis, de quibus in Chalcedonensi Concilio nihil continetur; sed post expreßas Synodos, seu Canones facta contentio, & extrema actio de personis ventilata est.* Hæc Gregorius: quibus ostendit Chalcedone non fuisse exagitatam extremam actionem in personas trium hæreticorum; Vigilius autem in primo constituto volebat prohibere illam extremam actionem: Imperator verò facta extrema disquisitione voluit personas hæreticorū damnari.

Hic observa duo; alterum illuxisse hic Romanam authoritatem: quia donec Vigilius Papa probavit quintam Synodum, & damnavit tria Capitula, nihil profecerūt Imperator, Episcopus Cōstātinopolitanus, & Cæsariensis: nullus enim in Ecclesia Catholica damnari voluit ea Capitula ante dānationē Romani Pontificis: damnatis autē à Vigilio, authoritatē cōparat quinta Synodus: quæ tandē Gelasij, Gregorij Magni, & aliorum Pontificū authoritate admissa est ab Ecclesia vniversa. Secundū observatione dignū est, quantū turbaverit Ecclesiā damnatio triū Capitulorū à Vigilio, quod nonnulli Catholici arbitrarētur Vigiliū descivisse à fide Calcedonēsi cōfirmata à Leone Magno. Episcopus Mediolanensis, Aquileiensis, & alij in schismate permanserunt: donec Pelagius & Sanctus Gregorius illis persuaserunt quintam Synodum nihil derogasse authoritati Calcedonensi. Hinc conjicies: quàm impudenter, & mendaciter fingant Novatores Ecclesiā Romanā sēsim §.241.

mutas-

mutasse fidē, quin tunc animadverteretur: cum videamus Vigilium multis Catholicis invisum fuisse propter suspitionem mutatæ fidei Calcedonensis; stat autem epistola Vigilij ad Gildebertum Regem, qua probat fidem suam Catholicam contra falsos rumores in eam sparsos. Observat autem Baronius, atque Gordonus anno 553. à Vigilio obtentum tandem Iustinianum.

§. 242. *Pelagius.* Pelagius anno 555. scripsit ad Narsetem præfectum Imperatoriæ militiæ in Stalio, vt nonnullos Episcopos rebelles præceptis Pontificis Romani, mitteret in exilium: quod constat ex epistola secunda, & quarta Pelagij primi: vt nunc enim iudices Ecclesiastici implorant auxilium braquij sæcularis (vt aiunt), sic Pelagius non potens vi compescere Episcopos rebelles, eos exturbandos tradidit Narseti. Item in Hispania Concilium Bracharense celebratur arbitrio Pelagij. Pelagius secūdus anno 578. per Sanctum Gregorium legatum suū convincit Eutychium Patriarcham Constantinopolitanum negantem resurectionē carnis, anno 581. Laurentius Iunior Episcopus Mediolanensis petit à Pelagio communionem Catholicam relictis schismaticis in tribus capitulis Synodi quintæ. Anno 583. Hermenegildus Rex Hispaniæ est in eadē religione, qua Leander; hic autē in eâdem, qua Gregorius Magnus: vterque vero tàm singularem amicitiam inierunt Constantinopoli, vt Gregorius iam Pontifex dicaverit Leādro libros morales in Iob. Item Recharedus frater Hermenigildi ob religionem Catholicam opera Leandri iunctus est connubio cū Catholicis Gallis. Ecquis tàm erit impudens, vt dicat tunc fuisse hæreticos omnes Gallos, Hispanos, & Italos. Leander & Isidorus acerbissimos tulere labores pro fide Catholica cōtra Arianos: Hermenegildus autem ab hæretico patre sæcuri necatur. En Italiam, Galliam, Hispaniam, & Imperium Orientale consentire in fidem Catholicam. Pelagius autem, cuius legatus erat Gregorius, missit Augustinum in Angliam, à quo Augustino Angli nulla hæri: fuerūt imbuti si traxit item ad fidem Hibernos: & irritat Concilium Africanum.

§. 243. Vt autem constet non solum de syncceritate fidei Romanorum tempore Pelagij; sed etiam de constanti totius Ecclesiæ cōsensu in Primatum Ecclesiæ Romanæ, & quam esset scandalosum flagitium illi primatui detrahere; lege (amabo te) in Baronio tomo septimo anno 587. vbi comperies Ioannem Patriarcham Constantinopolitanum fretum favore Mauritij conatū arrogare sibi nomen Episcopi vniversalis, sive Æcumenici: quos conatus superbos, atque sacrilegos vocat Gregorius Magnus. Qui libro quarto indictione decima tertia epistola 36. ad Eulogium Alexandrinum, refert Ioannem vocata Constantinopolim Synodo se vocasse vniversalem Episcopum: quamobrem Pelagius præcepit legato suo, ne cū illo communicaret in solemnijs missarum: *quod* (inquit Gregorius) *mox idem decessoror meus, vt agnovit, directis litteris ex authoritate Sancti Petri Apostoli eiusdem Synodi, acta cassavit.* *Gregorius.* Et epistola 38. eodem lib. quarto, *qui enim* (inquit ipsi Ioanni) **indignum* te esse fatebaris, vt Episcopus dici debuisses, ad hoc quandoque perductus est, vt despectis fratribus, Episcopus appetas solus vocari: & quidem hac de re sanctæ memoriæ decessoris mei Pelagij, gravia ad sanctitatē vestram scripta trāsmissa sunt: in quib9 Synodi, quę apud vos de fratris quōdam & consacerdotis nostri Gregorij caussa congregata est, propter nefandum elationis vocabulum acta dissolvit; & Archidiaconum, quem iuxta morem ad vestigia dominorum transmisserat, missarum vobiscū solemnia celebrare *prohibuit.* * Hæc Gregorius: eadem refert libro septimo epistola 69. vbi vocat Ioannem superbum, quia pestiferum nomē *æcumenicus*, sibi vsurpaverat.

Pelagius epistola prima suarum, tomo primo epistolarum Romanorum Pontificum graviter reprehendit Ioannem, quod inconsulto Pontifice Romano coegerit Synodum: quam propterea conuenticulum appellat: eique minatur anathema his verbis: *sciat se tamen & ipse Ioannes, nisi errorem suum citò correxerit, à nobis excommunicandum fore, & Apostolicæ, Sedis, atque omnium sanctorum Episcoporum communione carere.* In fine autem docet *maiores & dificiles quæstiones, vt sancta Synodus statuit, & beata consuetudo exigit, ad Sedem Apostolicam semper referantur.* §. 244. *Pelagius.*

Hic ridendus occurrit Carolus Molinæus, qui deposita persona iuris consulti, Theoligi Larvam suscepit: in qua nova facultate peccavit insuetus. Dixit Pelagius, *nullus enim Patriarcharum hoc tàm profano vocabulo vmquam vtatur: quia si summus Patriarcha vniversalis dicitur, Patriarcharū nomen cæteris derogatur, &c.* Præcipit ergo Pelagius, ne quis se, vel alium vocet Æcumenicum: ergo nec Pontifex Romanus est Æcumenicus, quia Patriarchis derogaretur. O argumentum acutum! præcipit Pelagius, ne quis vocet Concilium generale; ergo nec Pontifex Romanus illud potest vocare. Respondetur, illam prohibitionem esse Episcopis mutuo sive inter ipsos; non vero com- §. 245. *Idem.*

S. Tho. q. 1. Art. 4. paratione ipsius Romani Pontificis. Tùm, quia ipse Pelagius id dicit expressè: etenim loquitur Orientalibus Patriarchis, quos monet, ne patiantur aliquem ipsorum vocari Æcumenicum, his verbis, *& nihil sibi in vobis hac tentatio Diabolicæ vsurpationis adscribat. Omnes Episcopos curæ vestræ subiectos ab huius adulationis inquinatione prohibete.* Loquitur ergò illis comparatione ipsorum: ne patiantur Patriarchæ se vocari Æcumenicos ab Episcopis sibi subiectis? tùm, etiam quia ipse apertè tunc exercet munus Episcopi Æcumenici, dum Patriarchis ipsis Orientalibus ponit leges. Tandem quia illud nomen, ait Pelagius, numquam fuisse permissum in Ecclesia: vidimus autem illo ornatos sæpissimè Romanos Pontifices. Possessor enim Africanus vocavit Episcopum Romanum *Patrem Patrum*, vt dixi §. 231. Episcopi Orientales eodem nomine eumdem Pontificem compellarant: monachi autem Orientales eum vocaverunt *Patriarchā Æcumenicum*, vt ostendi §. 235. & quod caput est, constat ex §. 223. Sanctum Leonem se vocasse *Episcopum vniversalem*. Ergo Pelagius non detraxit, hunc titulum Episcopo Romano; sed alijs Patriarchis: quia sic cæteri Patriarchæ minuerentur honore, quia alius illis æqualis iam illis præferretur.

§. 246. Satis liquet principatus Petri in caussis fidei, & nulli præterquam Romano Pontifici delatam præfecturam totiùs Ecclesiæ: idque docet Pelagius esse ex veteri Ecclesiarum consuetudine: pro qua servanda hortatur Patriarchas, vt si opus fuerit, mortem oppetant: ne Primatus Romanus evacuetur, *orate* (inquit) *fratres, vt honor Ecclesiasticus nostris diebus non evacuetur, nec vnquam Romana Sedes, quæ constituente Domino, caput est omnium Ecclesiarum, privilegijs suis vsquam careat, aut spolietur.* Videat Molinæus vtrū Pelagius negaverit Ecclesiæ Romanæ Principatum in Ecclesias cæteras, quam dicit, instituente Domino, esse caput omnium Ecclesiarum. Nunc occurrit difficultas de mutatione morū in Ecclesia Romana. Graviter enim criminantur hæretici Lutherus, atque Calvinus immutatam fuisse veterem consuetudinem, qua clerici vxores habebant: quæ prohibitæ sunt à Pelagio. Iurarem ego, nullam posse esse iustiorem querellam ab his porcis grunnientibus pro mulierculis. Pelagius, anno 587. præcepit Subdiaconis Siculis, vt dimitterent vxores, quas ante ordinem duxerant. Vndè colligunt clericos etiam in clericatu vxoribus vsos. Respondeo Subdiaconos permissos aliquādo cum vxoribus, non tamen vbique, quia Siculos voluit redigere ad normam Romanorum. Diaconi autem & Sacerdotes, nec vxoribus vtebantur, & Sanctus Gregorius, libro primo, epist. 42. præcepit, Subdiaconum deinceps castitatem vovere: si autem Subdiaconi, qui vxores duxerant, nollent eas dimittere, eos prohibuit ad Diaconatum promoveri. De cęlibatu autem Clericorum fusius agendum à §. 310.

Pelagius.

Gregorium Magnum nullus erit tàm perfrictâ fronte, vt censeat hæreticum. Cōstituamus statum Ecclesiæ Romanæ in hoc Pōtifice verè Sūmo. Creatus Pontifex, ann. 590. qui statim totiùs Ecclesiæ Catholicæ curâ susceptâ in illius moribus componendis, Evangelio Ethnicis prædicando, hæresibus extinguendis, & Ecclesiastico iuri cōtra impietatem Imperatoris Mauritij tuendo totus incubuit. Quæ omnia nullibi tamquam in speculo crystallino tàm conspicuè cernuntur, quam in eius scriptis. Libro primo epistola 75. præcipit Episcopis Africanis, ne patiantur, vt Episcopus hæreticus ordinis antiquitate adscendat in Primatum in Africa. Epistola 72. ad Gennadium Exarchum, illi præcipit, vt puniat hæreticos Donatistas, & vt sinat Romam adire, si quis ex Concilio Numidiæ id voluerit. Anno 59. & 192. manifestè præest toti Orbi Catholico. Etenim ex Africa Dominicus Episcopus Chartaginensis, quatuor legatis missis ad Gregorium, ab eo petit, vt confirmet privilegia Ecclesiæ Chartaginensis: Gregorius autem libro secundo, epistola 39. respondit se cuilibet sua iura servare, nulli detrahens. Quæ quidem apertè confirmant solo nutu Episcopi Romani cæteras Ecclesias, aut privilegijs ornari, aut spoliari. Totum Orientem legibus administrat, interdum reprehendens Patriarcham Constantinopolitanum: in Occidente docet Augustinum, qua ratione Christiano ritu cōponenda sit Anglia, recens lavacro tincta: in Hispania consulitur à Leandro: Gallos omnes docet sacros ritus: Italos autem tàm minutè gubernat, vt reprehendat Episcopū, quod stipē non erogaverit peregrino: quod magis videtur munus Provincialis in suos priores, quam Papæ in Episcopos. Hæc ex duplici capite derivabantur, ex potestate Papæ in Episcopos cæteros, & ex vigilantissima sanctitate Gregorij. Item Episcopi non confirmabantur, nisi priùs fidem Catholicam profiterentur coràm Romano Pōtifice. Anno 593. publico edicto emendat aliud edictum Imperatoris Mauritij, quo minuebatur Ecclesiastica libertas. Ecce Romanum Pontificem arbitrum fidei: iura dantem Episcopis vniversis, & compescens edicto publico impietatem Imperatoriam. Hic occurrit difficultas, quam attigit Iacobus Rex Angliæ: quia Gregorius reprehendit §. 247.

hendit in Ioanne Cõstantinopolitano nomen *Episcopi vniversalis.* Rex non fuit author eius libri; sed alius hæreticus non minùs stultus, & ignarus Molinæo: Gregorius enim exercens munus Episcopi vniuersalis elegit vocari *seruus seruorum*, potiùs quã *Episcopus Episcoporum*, de quo agendum, disputat. 36. §. 30. interim videatur P. Suarez in defensione fidei, lib. 3. cap. 19.

SVBSECTIO. V.

A Bonifacio Tertio ad Honorium.

§. 248. BONIFACIVS Tertius creatur, anno 607. qui ab Imperatore Phoca renunciatus est Episcopus OEcumenicus & Princeps totiùs Ecclesiæ Catholicę. Hîc exclamat Molinæus nomẽ tã arrogãs à nullo potuisse deferri, nisi à Tyranno teterrimo, qualis fuit Phocas. Tã ignorans est hic hæreticus, quã impudens. Nõ enim legit edictũ Constantini Imperatoris, quo declaravit Episcopũ Romanũ esse totiùs Ecclesiæ Primatẽ, & vniversalẽ Episcopũ. Circũfertur hoc edictũ in tomo primo Cõciliorum ante Conciliũ Nicænum, cuius hæc sunt verba: *interveniente Patre nostro Sylvestro, Summo Pontifice & vniversali Papa*, & infrà *Primum quidem nostram fidem, quàm à pralibato beatissimo Patre, & oratore nostro Sylvestro, vniversali Pontifice docti sumus*: sæpiùs autem repetit idem nomen Episcopi vniversalis. Cùm autem Constantinus dixit, se velle, vt Episcopus Romanus primum locũ teneat, non dixit quòd authoritate sua Imperiali Primatum detulerit Romanis; sed quòd voluit exequi Imperatoria potestate id, quod sciebat à Christo esse institutum. Non fuit ergo Phocas, qui primus detulit hunc honorem. Annè Constantinus fuit teterrimus Tyrannus?

§. 249. Vt autem detegatur huius nebulonis ignorantia, adverte Phocam inimicum Cyriaci Archiepiscopi Constantinopolitani: quòd armat⁹ impietate Mauritij Imperatoris sibi arrogasset nomen *OEcumenici*, vt effecerat Ioannes eius prædecessor. Phocam autem odio in Cyriacum ei abstul[illegible] illud nomen, ac detulisse Bonifacio: non qu[illegible] censeret dignitatem illam ex suo arbitrio pendere; sed quia perpetua possessione viderat, eam spectare ad Romanum Pont[illegible]cem. Quod quidem recognoverat ipse Cyriacus: qui anno 596. per legatos Rom[illegible] missos petijt à Sancto Gregorio, & confirmationem & cõmunicationem Catholicã, vt constat ex eodem Gregorio, libro sexto, epistola quarta, quinta, & septima, qua paulisper reprehendit Episcopos Orientales. Anno 597. scribit ad Imperatorem, & Cyriacum, vt deponat nomen *OEcumenicon*, quia est & superbum, & scandalosum Ecclesiæ, vt constat ex lib. septimo, epist. 28. 30. & 31. Sanctus Eulogius Episcopus Alexandrinus (qui antecellebat Constantinopolitanum) scribens ad Sanctum Gregorium fatetur eius Primatum, vt constat ex responso Sancti Gregorij, libro sexto, epistola 37. epistola autem 34. asserit Mauritio non oportere Constantinopolitanos dici OEcumenicos, quia ex illis multi fuerunt non solùm hæretici; sed hæresiarchæ.

Sæpiùs ostendi Romanos esse totiùs Ecclesiæ caput, & vocari Episcopos OEcumenicos, sive vniversales. Etenim §. 206. ostẽdi Osium, & alios duos legatos in Concilio Nicæno cõsedisse, & subscripsisse priùs quã Patriarchas Constantinopolitanum & Alexandrinum. A §. 209. constat Concilium Chartaginense & Milevitanum, Augustinum & Alipium scripsisse ad Innocentium Papam, vt confirmaret ipsorum decreta contra Celestium, atque Pelagium: Innocentius autem respondit æqui ab illis, bonique consultum, quia ex veteri consuetudine caussæ fidei Romam deferuntur fontem cæterarum Ecclesiarum: Augustinus autem dixit responsum Innocentij fuisse quale decet Sanctum Pontificem tenentem Cathedrã Petri. Constat item à §. 214. Nestorium depositum in Concilio generali per legatos Cœlestini. Dioscorus Alexandrinus Patriarcha, & Acacius Constantinopolitanus depositi sunt à Leone Magno per legatos in Concilio Constantinopolitano: cui præscripsit Leo quid faciendum esset. Appellavit Athanasius à Patriarchis Orientalibus ad Iulium Papam: & Romæ annum integrum expectavit adversarios: Flavianus Patriarcha Constantinopolitanus appellavit à secundo Concilio generali Ephesino ad Cœlestinum Papam: Eutyches in Synodo Constantinopolitana appellavit à Flaviano Constantinopolitano ad Leonem Romanum: hic se vocavit vniversalem Episcopum, cui consenserunt Imperatores Martianus, atque Pulcheria: idem fecisse Episcopos, & monachos Oriẽtales ostendi §. 235. Denique omnia, quæ dixi tota hac sectione, aperto sunt argumento summæ inscitiæ Molinęi delirantis nomẽ OEcumenici primum natum Episcopo Romano à Phoca Tyranno. Cùm alijs hæreticis pugnamus propter illorum malitiam, quæ omnia vsquedeque perturbant: cum Molinęo autẽ hac §. 250.

S.Thom. q.1.art.4. hac in parte pugnamus contra veterum hiſtoriarum ignorantiam, quæ controverſia eſt diremptu facilior.

§.251. Animad. Quoniam verò hic ſiſtendus eſt gradus in Primatu Romano, adverte à ſolis hæreticis negatum, primum à Dioſcoro & Acacio Eutychianis. Deinde à Ioanne & Cyriaco: Ioannes id auſus malis artibus demulcens Mauritium impiè debacchantē in Eccleſiam, cuius ſceleris pœnas luit à Phoca Tyranno: cuius etiam pœnitentiam egit antequam obtruncaretur: Cyriacus autem fuit hæreticus Appollinariſta, ſive Monothelita, qui cum Sergio decepit Heraclium & totum Orientem. Hæretici Novatores non negant à Gregorio Magno ad nos perennaſſe Romæ vſurpationem Primatus: obganniunt autem vſurpationem fuiſſe tyrannicam; non Apoſtolicam. Quos refelli exemplo Sylverij, Ioannis, Vigilij, Agapiti, & aliorum, qui in ſumma egeſtate liberè exercuerunt Principatum Eccleſiaſticum in Patriarchas potentiſsimos: qui nec potentiâ Imperatorum Orientalium potuerunt illud nomen arripere abſque ſcandalo totius Eccleſiæ, vt oſtendi ex Sancto Gregorio contra ſuperbiam Ioannis & Cyriaci.

§.252. Honor. 1. Honorius primus creatur, anno 626. quo Eduinus Rex Angliæ ſacris lavatur vndis, ad quas invitatus fuerat per legatos Bonifacij Papæ. Eodem anno ſanctum Bertolfum, & eius monachos liberat iuriſdictione Epiſcoporum. Anno 630. deponit Fortunatum hæreticum Epiſcopum Grādenſem: præcipit autem per epiſtolas, & legatos, vt Epiſcopi Venetiæ, & Iſtriæ admittant loco Fortunati Primogenium. Anno 633. dolo Sergij, & Cyri naſcitur hæreſis Monothelitarum negantium in Christo duas operationes, & admittentium vnam ſolam, quam doloſè vocabant Deivirilem, vt viderentur ſignificare eam eſſe à Chriſto, vt homine ſimul & Deo.

§.253. Hinc emergit ingens controverſia: nam Honorius à nōnullis dicitur lapſus in eam hæreſim: quia in ſexta Synodo generali invenitur epiſtola, in qua Honorius Papa reperitur condemnatus ab eadem Synodo. Verū Baronius, anno 633. refert duas epiſtolas Honorij, ob quas invidiam hæreſis contraxit, quibus manifeſtè probatur Honorium fuiſſe Catholicum. Idē probat Bellarminus, tomo primo, libro quarto de Romano Pontifice, capite vndecimo. Hæretici Calvinus & alij totis nervis contendunt, Honorium fuiſſe hæreticum Monothelitā, quibus conſentit Canus, libro ſexto, capite octavo, *§. huic loco*: contra quem Baronius tomo octavo verſu, *at iſta*, hæc ait, *& in hos recentior author, quem voluiſſem ſenſibus potiùs canum, quam nomine, totus præceps in ferenda de re tanta ſententia, dum leviter admodùm fuiſſe Honorium hæreticum affirmat.* In margine autem allegat Melchiorem Canū libro quarto capite vndecimo; ſed per mēdum: eſt enim libro ſexto capite octavo: nō mirum à Cano aliquos Catholicos morſos, qui Papæ dentes infixit.

Honorium non fuiſſe hæreticum Monothelitam luce clariùs oſtendunt ex eiuſdem epiſtolis Bellarminus, atque Baronius. Etenim in epiſtola prima quamvis dicat ſe in omnibus Sergio conſentire, id dixit ſine crimine, quia tunc Sergius non audiverat malè de fide, ſed ab omnibus erat laudatus: ad Honorium autem ſcripſerat callidè, vocans Chriſtum vnū operatorem in duabus naturis: at non negavit apertè diſtinctionē operationum: Honoruis autem illi conſenſit in operatore vno, & præcepit abſtinere à nomine vnius, aut multarum operationum: non quòd cenſeret eſſe in Chriſto vnam ſolùm; ſed quòd cùm res eſſet ſcriptura clara, non erat opus novis vocibus. §.254.

Honorium autem admiſiſſe in Chriſto duas operationes duarum naturarum conſtat ex his verbis: * *confitentes* Dominum Ieſum Chriſtum mediatorem Dei, & hominum, operatum divina, media humanitate Verbo Dei naturaliter vnita; eumdemque operatum humana ineffabiliter, atque ſingulariter: paſsiones & opprobria patitur vnus mediator Dei & hominum in vtriſque naturis: vnus atque idem crucifixus Dominus Maieſtatis, dum conſtat Divinitatem nullas poſſe perpeti humanas paſſiones: & infrà, profectò divinitas nec crucifigi potuit, nec paſsiones humanas experiri, vel perpeti; ſed propter ineffabilem coniunctionem humanæ, divinæque naturæ, idcircò & vbique Deus dicitur *pati*: * quid clarius dici potuit ad explicādum in Chriſto fuiſſe operationem vitalem humanæ naturæ, qua Deus per communicationem idiomatum dicitur pati, & experiri mortē? §.255.

§.256. Obiectio. Dices, ab eodem Honorio immediatè dici: *vnde & vnam voluntatem fatemur Domini noſtri Ieſu Chriſti*. Quæ verba apertè ſonāt errorem Monotheliticum, quo in Chriſto ponitur vna ſola voluntas. Certè non ſine crimine ſtultitiæ hæc imponuntur Honorio: cùm enim dixiſſet Divinitatem non poſſe mortem experiri, nec pati; niſi per humanitatem aſſumptam: ergo habet experientiam dolorum, atque paſsionem per voluntatem humanam: ergo voluntas humana fuit in Chriſto, quod negabant Monothelitæ. Deinde quandò Honorius loquitur in Chriſto vnam eſſe voluntatem non

nō dicit esse vnam simpliciter & nō plures; sed in humana natura constituit vnam solam voluntatem, quæ non repugnet voluntati Divinæ: negat autem in humanitate Christi voluntatem repugnantem legi mentis, quam Apostolus vocavit legem membrorum; & carnem concupiscentem adversus spiritum. Quod clare colligitur ex verbis Honorij. *Vnde & vnam voluntatem fatemur Domini nostri Iesu Christi, quia profectò à Divinitate assumpta est nostri natura, non culpa illa profectò, quæ ante peccatum creata est; non quæ post prævaricationem vitiata*, & infrà: *nullum experiens contagium vitiatæ naturæ*: & infrà: *non est itaque assumpta à Salvatore vitiata natura, quæ repugnaret legi mentis eius: nā lex alia in membris, aut voluntas diversa non fuit, aut contraria, &c.* Quod quidem tam manifestum est, vt Sanctus Maximus disputans cum Pyrrho Monothelita probaverit, hanc esse mentem Honorij ex Secretario ipsius Honorij, qui tūc vivebat, & id scripserat ad Imperatorem, quod referunt Bellarminus & Baronius.

Idem.

§. 257. Idem.

Pergit Honorius: *nam quia Dominus noster Iesus Christus Filius ac Verbū Dei, per quem facta sunt omnia, ipse sit vnus operator divinitatis, atque humanitatis, plenæ sunt sacræ litteræ.* Quibus verbis statuit Honorius, Christum operari tam in humanitate, quàm in divinitate: id enim sonat *operator divinitatis & humanitatis.* Epistola autem secunda hæc ait. *Sed vtrasque naturas in vno Christo vnitate naturali copulatas, cum alterius communione operantes atque operatrices confiteri debemus: & Divinam quidem, quæ Dei sunt, operantem: & humanam, quæ carnis sunt, exequentem.* Potuitne clarius adstrui Catholica doctrina? Monothelitæ negaverunt naturam humanam operari in Christo: Honorius eam esse operatricem & operari: & exequi, quæ humana sunt, concedit. Quod autem indixit silētium Sancto Sophronio Episcopo Hierosolymitano, ne diceret in Christo esse duas operationes, non arguit eum esse Monothelitam, quia etiam præcepit Cyro, ne diceret in Christo esse vnam operationem: vt ergo arguunt, Honorium fuisse Monothelitam, quia prohibuit nomen duarum operationū; cur non arguunt illum fuisse Catholicum, quia prohibuit Cyro nomen vnius operationis. Tunc prudenter prohibuit illa nomina; postea verò prudenter invectum fuit nomen duarum operationum, vt etiam contigit in voce *Hypostasis*. Audi tandem Honorij verba. *Auferentes ergo scandalum novellæ adinventionis, non nos oportet vnam vel duas operationes definientes prædicare: sed pro vna (quam quidam dicunt) operatione, oportet nos Deū

Idem.

operatorem Christum Dominum in vtrisque naturis veridicè confiteri; & pro duabus operationibus, ablato geminæ operationis vocabulo, ipsas potius duas naturas, id est, divinitatis & carnis assumptæ, in vna personā Vnigeniti Dei Patris inconfusè, & indivisè, atque inconvertibiliter nobiscū prædicare propria operantes.* Hæc Honorius, qui constituens duas naturas propria operantes, constituit duas operationes; alteram propriam naturæ humanæ; alteram divinæ: etenim vna operatione non possūt vtraque natura operari propria. Dolor enim, passio, obedientia, & humilitas non possunt exerceri ab humanitate operatione divina: quia, vt dixi ex eodem Honorio, Divinitas est impassibilis, nec potest experiri nostra. Non potest vel mediocriter doctus hæc audire, quin sibi clare persuadeat Honorium re ipsa tam rectè sensisse de duplici in Christo voluntate, quàm nunc sentit Ecclesia. Meritò dixit Genebrardus, Honoriū fuisse primum, qui inter Pontifices damnavit hæresim Monothelitarum: nec minus meritò Baronius desideravit in Cano canitiem sensus, quam præ se fert in nomine, eumque iure levitatis arguit, quia homo Theologus nō potuit damnare Pontificem, nisi visis eius epistolis, ex quibus arrepta est ansa calumniæ; visis autem epistolis, vel Tyro in Theologia videbit, quàm rectè senserit Honorius; vtrùm autem Canus eas epistolas non legerit, vel lectas nō intellexerit, aliorum iudicio permitto: non enim est credibile eis intellectis voluisse Canum esse impostorem: esset enim caninè mordere.

Cōfirmatur ex Sancto Martino Papa, & martyre, qui in Concilio Romano coacto contra hunc errorem & eius authores, recensens, qui illi fuerint, reticet nomē Honorij; idem gestum est in eodem Concilio: quod refert Baronius anno 649. cuius hæc sunt verba, versu *si quis igitur: & denominatos hæreticos, Theodorum dicimus, Cyrum, & Sergium, Pyrrhum, & Paulum non respuit, &c.* Verba autem Martini hæc sunt: *subintroierunt quidam homines, qui olim præscripti sunt, in hoc iudicium impietatis sponte procedere, hoc est, Theodorus quondam Episcopus Pharamtanus, Cyrus Alexandriæ, Sergius Constantinopolitanus, vel eius successores Pyrrhus & Paullus.* Quia verò hoc testimonium est negativū, addamus affirmativū eiusdem S. Martini asserentis suos prædecessores restitisse illi hæresi: quod quidem non diceret, nisi excipiens Honorium, si eius erroris fuisset assertor, cùm id contigisset non magis retrò, quàm annis quatuordecim: verba autem Martini sunt hæc, *Catholicæ recordationis*

§. 258. Confirm.

Baronius.

Martinus.

Martinus.

ante-

S. Tom. q. 1. ar. 4. *antecessores nostri Pontifices, non destiterunt admonere eos, & cõtestãtes recedere à sua einsmodi hæresi. Hoc autem consultissimè ipsi effecisse noscuntur; sed & alij plures, &c.*

§. 259. *Agatho.* Accedit epistola Agathonis Papæ data suis legatis, qua eos instruit, qua ratione agendum sit in Concilio generali: hæc ait, * *Christi* adnitente præsidio hæc Apostolica eius Ecclesia numquam à via veritatis in qualibet erroris parte deflexa est. Hæc est enim veræ fidei regula, quam & in prosperis, & in adversis vivaciter tenuit hæc spiritalis mater vestri tranquillissimi Imperij Apostolica Christi Ecclesia, quæ per Dei omnipotentis gratiam à tramite Apostolicæ traditionis nũquam errasse probabitur; nec hæreticis novitatibus depravata succubuit; sed vt ab exordio fidei Christianæ percepit ab authoribus suis Apostolorum Christi Principibus, illibata fine tenus permansit. Consideret itaque vestra tranquilla clementia, quoniam Dominus & Saluator omnium, cuius fides est, qui fidem Petri nõ defecturam promisit: confirmare eum fratres suos admonuit: quòd Apostolicos Pontifices meæ exiguitatis prædecessores confidenter fecisse semper, cunctis est *cognitũ.** Hæc Agatho in ea epistola recitata in sexta Synodo actione quarta: quæ mire confirmat nostrum scopum perennantis fidei Catholicæ in Ecclesia Romana, vt docta fuit ab Apostolis: confirmat item nullum Romanum Pontificem defecisse vnquam à fide, idque omnibus esse notum: quod, quo ore posset effutire, si eiusdem hæresis, de qua agebatur, tàm paucis antè annis author fuisset Honorius?

§. 260. Præter authoritatem Ioannis, Martini & Agathonis, qui constanter gloriántur nullum Romanum Pontificem fuisse hæreticum; favent Honorio ex antiquis Sanctus Maximus, qui authoritate secretarij contestantis Imperatori mentem Honorij fuisse affirmari in Christo duas naturas, & voluntates duas; vnam autem voluntatem in sola natura humana, vicit Pyrrhum hæreticum, & convicit Honorium non favisse Monothelitis: favent etiam multi, quos refert Bellarminus eo capite vndecimo, inter quos adducit Bedam, qui libro secundo historiæ Anglorum, cap. 17. 18. & 19. de Honorio etiam mortuo multas prædicat laudes: & in vita Sancti Bertolfi eum vocat

Beda. Sanctum *præbuit*, inquit, *optatum munus Sanctus Papa.* Item *venerabilis præsul Honorius sagax animo, vigens consilio, doctrina clarus, dulcedine & humilitate polens*: qua propter quod in libro de sexætatibus refertur Honorius à Beda inter Monothelitas damnatos in sexta Synodo, ait Bellarminus, id factum ab aliquo sciolo. Addo Bedam non invsisse Honorio hæresim; sed retulisse eum damnatum in sexta Synodo; non tamen dixit id rectè factum: adducit etiam Anastasium bibliothecarium, Blandum, Nauclerum, Sabellicum, Platinam & alios. Baronius, tomo octavo, sæpiùs eum vindicat ab hæresi cum multis alijs, & argumentis evidentibus quidem. Pater Gordonus in serie rerum gestarum, idem confirmat anno 629. his verbis, *Honorius, quem idem Anastasius plurimum laudat, quidquid dicant Centuriatores.* Anno 633. *P. Gordo.* sine quare, inquit, *Honorium fuisse Monothelitam impostura est hæreticorum*: idem docet alibi. Nescio sanè cur Canus tantis viribus egerit contra Honorium, cùm id tàm enixè fuerit factum à Centuriatoribus, & alijs hæreticis. Pater Gualterius in septimo seculo, ad annum 700. hæc ait. *Ad extremum Honorius* *P. Gualt.* *constructis multis Ecclesijs, alijsque rebus plurimis è re divini cultus magnificè gestis, animam agit*: quòd probat ex Beda, Adone, Sigiberto, Honufrio, & alijs, quem folio 526. scribit inter scriptores sacros columna quinta. Genebrardus, libro tertio, anno 4711. cum *Genebrar.* vocat *Sanctum Honorium*, eumque describit inter persequutores Monothelitarum: *nam Honorius*, inquit, *ab Heraclio obtinuit, vt Pyrrhus isto veneno*, Monothelitarum, *imbutus in Africam relegaretur: & primus Pontificum Monothelitarum errorem damnavit, ab eoque Heraclium Imperatorem abduxit.* Hæc Genebrardus, quibus rectè cõfirmat, quæ Martinus primus dixerat: omnes suos prædecessores vigilasse contra eum errorem. Ex cõfutatione autem argumentorum Cani liquidiùs constabit hæc veritas. Ac primum mitto authoritatem Pselli, qui tàm incautè loquitur, quàm ipse Canus; accedit quod versibus id cecinit, quo minuitur authoritas eius testimonium est in secundo tomo Conciliorum post vitam Adriani.

Primum argumentum adversariorum §. 261. sumitur, ex sexta Synodo generali celebrata *1. Argum.* Constantinopoli per legatos Agathonis: in qua Synodo damnatus fuit Honorius actione decima tertia, his verbis: *Cùm his vero simul proijci à sancta Dei Catholicâ Ecclesia, simulque anathematizari prævidimus & Honorium, qui fuerat Papa antiquæ Romæ, eo quod invenimus per scripta, quæ ab eo facta sunt ad Sergium: quia in omnibus eius mentem sequutus est, & impia dogmata confirmavit.* Confirma- *Confirm. Leo.* tur ex epistola Leonis secundi ad Cõstantinum, quæ fertur in ipsa sexta Synodo actione 18. his verbis, *nec non & Honorium, qui hanc Apostolicam Ecclesiam non Apostolicæ traditionis doctrinâ lustravit; sed prophanâ proditione immaculatam subvertere conatus est.*

Luce clarius ostendam Concilium hoc §. 262. esse

esse falsatum, & dolo Græcorum ob æmulationem cum Romanis Pontificibus additum nomen Honorij, nec in Concilio, aut per somnum illum fuisse damnatum. Hanc fraudem suspicatus fuit Bellarminus, coniecit Genebrardus, affirmat Gordonus, anno 638. Tandē detexit Baronius, anno 681. à versu *sed quod*: vbi probat Theodorum Patriarcham damnatum in eo Concilio, qui postea nactus exemplar ipsius Concilij, se inde expunxit, & adiecit nomen Honorij: quod intellige tàm in ipsa Synodo, quàm in epistola Leonis, ibidem inserta, de qua vide §. 270. etenim Baronius, anno 683. in Leone secundo versu *quæ verò*, & sequenti ostendit apertè eam epistolam ab hæreticis impostam. Primum argumentum est: quia Photius Patriarcha Constantinopolitanus epistola ad Michaelem Bulgariæ Principē, de septem Concilijs OEcumenicis, referens authores Monothelismi, non meminit Honorij: quod non prætermisisset homo Græcus, vt obseruat compilator Conciliorum: tantumque recenset Sergium, Pyrrhum, Paullum, Cyrum, Theodorum, Macarium, & Stephanum.

§. 263. Secundum argumentū est, quia sexta Synodus peracta est per legatos Agathonis ex præscripto epistolæ ipsius Agathonis: at in epistola Agathonis nulla fit mentio Honorij; quin potiùs Agatho in ea epistola constanter affirmat nullum Pontificem Romanum in hæresim vmquam incidisse: quæ epistola est in actione quarta eiusdem Concilij: quam epistolam tàm Concilium, quàm Imperator acclamaverunt, vt scriptam à Sancto Petro. Cùm ergo Pontifex non meminerit Honorij, & asseruerit nullum Pontificem Romanum fuisse hæreticum, & totum Concilium id acclamaverit, est incredibile in eo Concilio Honorium damnari potuisse: quia iam mendacij convinceretur Agatho. Quæ manifestè confirmo ex Concilio Romano, cui præfuit ipse Agatho, qui confirmans sextā Synodum, & referens authores illius erroris, tantùm refert Theodorum, Cyrum, Sergium, Pyrrhum, & Paullum. En Conciliū Romanum sub Agathone, & aliud sub Martino non meminisse Honorij: ergo Honorius liber fuit ab eo errore. Quia alioquin, nec taceretur ab Agathone & Martino, nec illius nomen permitteretur in nomenclaturâ Pontificum, nec permitteretur in sepultura Basilicæ Sancti Petri. Constat autem ex §. 247. quātum pugnaverit Gregorius Magnus cum Patriarcha Constantinopolitano, vt è catalogo Pontificum deleret Acacium: nam in eo §. 24. memini reprehensum Patriarcham à Gregorio: caussa autem reprehensionis hæc fuit, vt constat ex locis ibi indicatis: cùm ergo in Oriente nullus fuerit author, qui de Honorio ita senserit; sed potiùs ab omnibus laudetur: signum est hanc esse Græcorum fabellam. Fortissimū omnium argumentum est: in Concilio dicitur Honorium damnari ex eius epistolis: at licèt essent stolidiores asinis, non possent id dicere: quia constat ab Honorio prohibitam Sergio vocem *vna operatio*. Item constituisse Honorium duas naturas operatrices. Deceptus fuit Canus asserens ab Agathone relatum Honorium inter Monothelitas: Bellarminus asserit ortum errorem ex summa Conciliorum, cuius author mentitur interdum; verba autem Agathonis, atque Martini adduxi §. 259. & §. 260.

Efficacius argumentum sumitur ex septimâ Synodo generali, quæ est secunda Nicæna, actione septima, vbi hæc ait: *quemadmodum sexta Constantinopolitana Synodus definit, detestamur, quæ cum ea Sergium, Honorium &c.* & in epistola ad Clericos inter multos hæresiarchas scribitur Honorius: & vniversi illius Synodi Patres anathema dicunt Honorio inter cæteros hæreticos. Nec potest dici hæc Synodus esse corrupta, quia Adrianus Papa in actione septima Synodi octavæ Generalis *de Romano*, inquit, *Pontifice quemquam iudicaße non legimus: licèt enim Honorio ab Orientalibus post mortem anathema sit dictum, &c.* Illā epistolam non potui invenire in Concilio octavo generali; facilè tamen habet responsum ex Bellarmino: Adrianus enim secundus non probavit anathema Orientalium; sed illud præcisè retulit, vt ostenderet Concilium non aliam ob caussam egisse contra Romanum Pontificē mortuum, nisi quia de hæresi fuerat accusatus: hoc enim sufficiebat instituto Adriani, nempè monstrare summam authoritatem Episcopi Romani, in quem non possunt agere Concilia generalia, nisi ob solam hæresim, vt cum Honorio egerunt Patres Cōcilij septimi generalis. Hoc anathema dixisse Honorio, non probat Honorium fuisse hæreticum, sed malè audire de hæresi apud Græcos, quod fatemur: quia Monothelitæ, per imposturam se tuebantur authoritate Honorij, vt faciebat Pyrrhus contra Sanctum Maximinū, donec ab eodem Sancto monstrātā est innocentia Honorij. Quòd si Honorius censendus est Monothelita propter anathema Concilij secundi Nicæni: ergo eâdem ratione Sanctus Adelphonsus est censendus Nestorianus, quia in Concilio Francofordiensi relatus fuit inter hæreticos damnatos. Etenim reprehenditur Elipandus Archiepiscopus Toletanus, cum Adelphonso & alijs Archiepiscopis, quos Elipan-

§. 264.

S. Tho. q. 1. Art. 4. Elipandus vocabat patres suos: quos dicit Concilium traditos Sarracenis, quia Christum docuerant esse filium adoptivum: at vt rectè probat Baronius, tomo nono, anno 794. à §. *& melius est*, Sanctus Adelphonsus nequaquam dixit, Christum fuisse filium adoptivum. Concilium autem & Adrianus primus, accepta historiâ Elipandi, reprehenderunt etiam Adelphonsum, quia tunc non poterant extremâ disquisitione agere in scripta Adelphonsi. Quemadmodum Cõcilium Chalcedonense omisit pro Catholicis Ibam, Theodorum, & Theodoretum: in qua sententia diù perstitit Vigilius Papa: hic autem ipse cum quinta Synodo generali damnavit eosdem tres Episcopos, quia per extremam disquisitionem comperit eos pertinaces obijsse: quia Concilia generalia, & Papa possunt decipi in quæstionibus, quæ non sunt de doctrina; sed de facto, aut personis, maximè quando non agunt vltima disquisitione: ita Concilium secundum Nicænum, sine extrema disquisitione anathema dixit in Honorium propter falsos rumores Græcorum: hoc autem anathema à nullo Pontifice Romano fuit probatum, cùm nemo exhumaverit Honorium, & eiecerit extra Basilicam Sancti Petri, nec deleverit ex Catalogo Pontificum illius nomen: quod quidem necessariò faciendum erat, vt sæpè vidimus factum in alijs Ecclesijs ex præcepto Romanorum Pontificum. Vide §. 268. & 270.

§. 265. Et quamvis Honorius, vt privatus homo, fuisset hæreticus, nihil obest huic nostro scopo, quia eius hæresis semper fuit Romæ totis viribus reclamata: nam in duobus Concilijs Romanis damnata fuit ab Agathone & Martino, & in duobus Concilis generalibus, nempè ab Agathone per legatos in sexto generali Constantinopolitano, & per legatos Adriani primi in septimo generali Nicæno: & vt constat ex epistola Martini, omnes Romani Pontifices magna solicitudine in illam vigilarunt. Nõ omitam quid senserit Sanctus Sophronius de Primatu & immobilitate Romana. Baronius enim anno 633. §. *caeterùm etsi*: refert legatum missum à Sophronio ad Honoriũ Papam, vt ipse ageret contra Monothelitas: cuius potestatem admissam longa consuetudine fatetur: de immobilitate autem

Sophron. fidei, hæc ait: ***quantocyus ergo de finibus terræ ad terminos eius deambula, donec ad Apostolicam Sedem, vbi Orthodoxorum dogmatum fundamenta existunt, pervenias.***

SVBSECTIO VI.

A Severino ad Ioannem Sextum.

SEVERINVS anno 639. damnavit hæresim Imperatoris Heraclij Monothelitæ: idem præstitit Ioannes quartus, anno 640. & in Synodo Romana contra eam hæresim graviter egit. Theodorus anno 645. Pyrrhum Monothelitã, iam pœnitentem admittit ad communionem. Anno 646. varijs Concilijs in Africa damnat Monothelitas: anno 648. damnat edictum Constantis Imperatoris: vbi videbis apertè numquam intermissam iudiciariam potestatem Romanorum Pontificum in hæreticos etiam Patriarchas & Imperatores.

Ab anno 649. ad 654. Baronius in Martino primo describit solicitudinem, authoritatem, & fidei certitudinem Episcopi Romani. Martinus enim ad martyrium restitit Monothelitis, inter quos & Imperatori Constanti eorumdem patrono. Cùm primum enim creatus Pontifex, rogatus fuit ab hæretico Imperatore, vt confirmaret suum hæreticum edictum, quod *Typum* vocavit: quod, vt meliùs fieret ex sententia Imperatoris, misit in Italiam Olympium, vt arte, aut Marte rem impetraret à Martino. Hic autem imperterritus, coacto Concilio Romano, damnat tàm hæresim, quàm edictum Imperatorium. In epistola autem convocatoria, vt aiunt, refert Episcopos hæreticos eorumque discipulos sæpè monitos à Romana Sede per litteras, & Apocrisarios, vt errorem deponerent: quam ob rem ipse cogitur eos pertinaces damnare. Litteras mittit ad Imperatorem, quẽ *filium* appellat. Dat item litteras ad omnes Ecclesias, à quibus eas fuisse pro Apostolicis acceptas Baronius docet ex Beda. A Sancto Mauro Episcopo Ravennate hanc accipit epistolam: ***Domino, & Sancto, & meritis Beatissimo, totoque Orbe Apostolico & vniversali Pontifici Martino Papæ.*** Docet Africanos Episcopos: in Oriente autem creat Vicarium Ioannem Episcopum Philadelphium: mittit prædicatores ad Ethnicos, quod ex antiqua consuetudine spectat ad sedem illam. Mittitur Constantinopolim & in carcerem, anno 650. & 651. admiranda autem est huius Pontificis constantia, qui compedibus & catenis onustus, respondet ministris Imperatoris, Pyrrhũsponte Româ adijsse ad abiurandã hæresim: tandẽ se obijcit mẽbratim concidendum pro fide Catholica: pro qua relega-

relegatus Chersonam ærumnis confectus martyrio donatur, anno 654. Vt intelligant Novatores quanti Romana Sedes cõtinuò fecerit fidem Catholicam. Lege in Baronio, ab anno 655. Vitalianum, Adeodatum, & Donum: in quibus reperies eamdem fidem, atque Primatum: ipse enim hæreticus Imperator in suis epistolis Romanos Pontifices vocat Episcopos vniversales: quod fecit etiam Constantinus Pogonarus Imperator, in epistola ad Donũ, quã refert Baronius, tomo octavo, anno 678. §. *in nomine Domini.*

§. 268. In Agathone fruitur Ecclesia Romana non minori gloria, quàm in Martino: vt in bello & pace Ecclesia, vel de hæreticis triumphet, vel fruatur triumphorum gloriã: etenim ab anno 678. ad 683. recognoscitur Agatho Primas totius Ecclesiæ. Etenim flagitante Imperatore Constantino à Papa Dono per longam epistolam, eius successor Agatho indicit Concilium Constantinopolim, quod fuit sextum Generale: quod habuerunt legati Agathonis, cui ipsi præfuerunt, & omnia fuerunt peracta ex præscripto Agathonis Papæ: legatos suos cõmendat Agatho Imperatori: in qua epistola hæc ait apud Baroniũ anno 680. versu *& ideò*, * *cuius* adnitente præsidio, hæc Apostolica Ecclesia numquam à via veritatis, in qualibet erroris parte, deflexa est: cuius authoritatem vtpote Apostolorum omniũ Principis, semper omnis Catholica Ecclesia Christi & vniversales Synodi fideliter amplectentes, in cunctis sequutæ sunt, omnesque venerabiles Patres Apostolicam eius doctrinam amplexi, per quam & probatissima Ecclesiæ Christi luminaria claruerunt, & Sancti quidem Doctores orthodoxi venerati, atque sequuti sunt; hæretici autem falsis criminationibus, ac derogationum odijs *insequuti:* * hęc ab Agathone ad Imperatorem Orientis: vt oculis cernamus, quàm altè insederit catholicorum cordibus esse Romę & Primatũ Ecclesiæ, & regulam fidei.

Agatho.

§. 269. Docet præterea ibidem nullum Romanum Pontificem defecisse à vera fide: quod etiam fatentur certum viginti quinque Episcopi Concilij Romani sub Agathone in epistola Synodali: quod etiã dixerunt Martinus Papa & martyr, Ioannes, Nicolaus & alij. Itaque nullus Catholicus potest, nisi imprudenter, & impudenter Honorio adspergere labem erroris. Liberius autem nõ consensit errori hæreticorum; sed vel per ignorantiam, vel per metum communicavit cum Arianis: & subscripsit damnationi Athanasij: non quidem in doctrinâ, pro qua etiam postea fuit in exilium relegatus; sed subscripsit damnationi personæ Athanasij propter crimina illi ab hæreticis obiecta falsò: vt ex Sancto Athanasio probat Bellarminus, tomo primo, libro quarto de Romano Pontifice, capite nono: & Baronius, tomo tertio, anno 357. à num. 37. vt enim Sanctus Marcellinus numquam fuit hæreticus; quamvis adoleverit Idolis: multò minus Liberius. Non enim subscripsit negationi consubstantialitatis Filij cum Patre.

Cùm autem legati Constantinopolim pervenissent, excepti sunt ab Imperatore summo honore: in Concilio autem primum locum tenuêre legati, totumq; Concilium ex sua sententia contra Monothelitas administrarunt, & subscripserunt omnium primi: vt patet ex eodem Concilio actione 18. vbi tres legati Agathonis referuntur priusquam Patriarchæ Orientales, & quàm ipse Cõstantinopolitanus, in cuius Ecclesia celebrabatur Concilium: & infrà. *Theodorus humilis Presbyter Sãctæ Ecclesiæ Romanæ locũ gerens Agathonis beatissimi & vniversalis Papæ vrbis Romæ subscripsi*: idem dicunt Gregorius Presbyter, & Ioannes Diaconus: post quos quartus ponitur. *Georgius miserante Deo Episcopus Constantinopoleos novæ Romæ definiens subscripsi*, cùm autem Imperator & alij vocarent Episcopum Constantinopolitanum OEcumenicũ, sive vniversalem, scripserunt ad Papam, se id non multum reclamasse, quia ipsi Græci id explicabant non de vniversalitate totiùs Ecclesiæ; sed de vniversalitate in aliquibus Provincijs Orientalibus. Anno vero 681. versu *cur autem*, docet Baronius nonnullos Episcopos à Concilio generali appellasse Agathonem. Item versu *maximi morbi*, hæc aiunt omnes Patres Concilij: * *virtus* verè rerum omnium conditrix & gubernatrix, sapientem dedit medicum, vestram à Deo honoratam sanctitatem, contagia hæreticæ luis fortiter propulsantem remedijs orthodoxiæ, ac valetudinis robur membris Ecclesiæ largientem. Itaque tibi, vt primæ Sedis Antistiti vniversalis Ecclesiæ, quid gerendum sit permittimus stanti supra firmam fidei petram, acquiescentes veræ confessionis litteris à vestrâ paternâ beatitudine ad pijssimum Imperatorem missis, quas, vt à summo Apostolorum vertice, divinitùs scriptas agnoscimus, per quas exortam nuper multiplicis erroris hæreticam sectam *depulimus.* * §. 270.

§. 271. Nonnulla observa. Primùm Honorium non potuisse in eo Concilio damnari, quia Patres in ea epistola aiunt

... athoni à se damnatos Episcopos Monothelitas ex sententia, quam ipse Agatho de illis tulerat in epistola; sed Agatho nullam sententiam tulerat in Honorium, nec eius meminit in Concilio Romano: ergò Concilium sextum Generale nullam tulit sententiam in Honorium. Immò Baronius tomo octavo anno 683. probat epistolam Leonis Secundi esse suppositiam: quòd si esset verè Leonis, dicit Baronius versu *quæ si Germana* illum esse reprehensione dignũ, quòd succubuerit pertinaci Græcorum calumniæ: vel ipsum errasse in facto contra personam Honorij, vel ob maius bonum damnandæ hæresis consensisse Græcis.

(margin: ... i hoc ... 1. Act. 4.)

§.272. Secundò animadverto, quàm sit constans Ecclesiæ facies: Nicææ Silvester per Osium, & alios duos legatos damnavit Arium: vt ostendi à §. 206. Ephesi Cælestinus per Cyrillum Legatum suum in Concilio Generali damnavit Nestorium, vt ostendi à §. 214. Sanctus Leo in Concilio Chalcedonensi damnavit per Legatos suos Eutychetem, Acacium & Dioscorum. Agatho verò per suos legatos, & per epistolam damnat Sergium, Pyrrhum & Paullum eâdem omnino ratione, qua Sanctus Leo epistolâ sua docuit Chalcedonenses, quid facto esset opus in damnandis hæreticis. Quibus hæretici nisi omnino essent obcæcati, apertis oculis viderent omnes præcipuas hæreses extinctas ab Ecclesia Catholica in Concilijs Generalibus actis Romanorum Pontificum authoritate. Nec verò tàm ingens bonum illuxisset mundo per Papam & Concilia, si hoc esset inventum inferni, vt vociferantur Lutherus, atque Calvinus. Quid autem faciendum miseris damnatis in Concilio Generali authoritate Romani Pontificis, non aliter ac Arius Nicææ in Concilio primo, Nestorius Ephesi, Eutyches & Dioscorus Chalcedonæ, Sergius & Pyrrhus Constantinopoli, & Iconoclastæ Nicææ in Concilio secundo.

§.273. Hæretici Novatores fatentur ingenuè in Ecclesia Catholica iure fuisse habitos hæreticos, atque proscriptos Arium, Nestorium, Eutychetem, Sergium, & alios; at proscripti fuerunt in Concilijs Generalibus celebratis authoritate Romani Pontificis: ergò huiusmodi proscriptio sufficit, vt aliquis habeatur hæreticus; sed eadem proscriptio est contra Lutherũ, Calvinum, Bezam, & alios: quorum dogmata damnata sunt Tridenti in Concilio Generali celebrato authoritate Romanorum Pontificum: ergo Lutherus, Calvinus, Beza, & eorum discipuli tàm sunt hæretici proscripti, quàm Ariani, Nestoriani, Eutychiani, & Monothelitæ.

Eumdem statum Roma conservat ab anno 683. ad 726. Leo enim Secundus mittit in Hispaniam decreta Concilij sexti cum epistola: cui obeditum fuit à Sancto Iuliano Archiepiscopo Toletano, & Hispaniarum Primate; quamvis aliquantulum reprehenditur ob erectam cervicem in Pontificem Romanum: lege Synodum Toletanam decimam quartam canone secũdo, tertio, & quarto. Perstiterunt in damnanda hæresi eâdem Ioannes Quintus, Cono & Sergius, qui anno 690. mittit duodecim prædicatores in Germaniam: quæ tandem doctrinâ, sanctitate, & miraculis Sancti Bonifacij Christi lucem adspexit: qui Bonifacius cum Sergio, & Gregorio ita communicavit, vt ab ipsis acciperet præcepta & leges. Gregorius enim Secundus anno 719. per litteras communicat Bonifacio Apostolatum Germaniæ. Aperuerunt oculos Germani prædicatione Romanorum, & authoritate Paparum: ergo quando contra hæc oculos claudunt, cæcutiunt contra primam fidem, quam acceperunt. §.234.

Anno 692. habetur Constatinopoli Synodus, quam Beda vocat erraticam: quæ à suis authoribus vocata est *Quinisexta*, id est, appendix quintæ & sextæ Synodorum. Huius authores, vt sibi fidem facerent in Ecclesia, mentiti sunt in eam convenisse vnum legatum Episcopi Romani, & duos Episcopos Orientales eiusdem Romani Vicarios: ipsi enim hæretici apertè videbant impossibile esse à Catholicis haberi fidem Concilio, cui non præfuissent Romani legati. In hac Pseudosynodo probatus fuit quidam Apocryphus Canon Apostolicus, quo fingitur præcipi sacerdotibus, ne dimittant vxores. Hic iaciuntur apertè prima semina contra cælibatum Clericorum. Libenter autem audio horum hæreticorum cõfessionem: qui fatentur ingenuè omnes Ecclesiæ Patres sopitos fuisse per septingentos annos præcipientes clericis cælibatum, quem fingunt prohibitum illo Apostolico Canone. Impudentior multo Lutherus, qui non modò cum Synodo quinisexta vult præceptum matrimonium clericis; sed mentitur illud fuisse familiare clericis in prima Ecclesiæ ętate: cùm homines Gręci appetitores puellarum fateantur anno 692. per septingentos annos fuisse præceptum, vt clerici abstineant ab vxoribus. Nec fuerunt tàm impudentes, vt auderent affirmare nuptias permissas fuisse clericis in Ecclesia: vt ausi sunt Centuriatores, homines non tàm ex fœminis nati, quàm evomiti ex Inferno ad omne flagitium & imposturam: hæc observa in §. 310. §.275.

§.276. Hæc erratica Synodus Quinisexta patronos habuit Imperatores Iustinianum Iuniorem & alios: Sergius Papa viriliter restitit Tyrannicæ impietati Iustiniani, qui cùm vellet Constantinopolim trahere Sergium, vt per vim subscriberet Synodo Quinisextæ, arma contra eum sumpserunt milites Ravennates cum tota Italica militia arma movente pro Catholico Pontifice,cõtra suũ Imperatorem hæreticum. Idem fecerunt Sergij successores Ioannes Quintus, & Constantinus. In fine eius anni refert Baronius epistolam Nicolai Papæ ad Michaelem Imperatorem hæreticum asserentis Romanos Pontifices restitisse constanter hæresibus Græcorum; maximè autem Patriarcharum Constantinopolis: Imperatores autem postulantes à Pontificibus Romanis confirmationem hæresum, ab eisdem Pontificibus turpiter fuisse reiectos, atque despectos. Equidem non nisi providentissimo Numine ex Petrea Romanorum arce restitum est fixo pede, & bellicum cantum contra levitatem, & potentiam Græcorum, in hæresibus comminiscendis, & propugnandis. Dicant autem Novatores vnde sint editæ copiæ in Arianos, Macedonianos, Sabellianos, Nestorianos, Monothelitas, & alios, quos ipsi hæreticos damnant? Vnde (inquam) hæ copiæ recensitæ sunt, & armatæ: nisi ex Romanis castris? ex iisdem armantur hodie contra ipsos Novatores: fateantur ergò se esse in castris iisdem, in quibus Arius & Nestorius; nos autem in iisdem, in quibus Siluester, Cælestinus, Zepherinus, Gregorius Magnus, Leo Magnus, Sanctus Flavianus, Sanctus Cyrillus, Sanctus Sophronius, Sanctus Hieronymus, Sanctus Augustinus & alij: & conferant (si audent) suorum antesignanorum obscuritatem cum splendore nostrorum. Eodem tempore Romam redijt Sanctus Vvillebrordus ad adorandum Pontificem,& cum eo consulendum.

§.277. Ioannes Sextus eamdem Religionem retinuit: & restitit anno 712. Imperatori Philippico excitanti incineratum Monothelismum, authore PseudoPropheta Ioanne monacho; deinde Archiepiscopo Constantinopolitano. Anastasius Imperator Græcorum, anno 718. mittit Romam ex antiqua consuetudine professionem suæ fidei. Anno 714. creatur Gregorius Secundus, promotus ad Summum Pontificatum providentiâ Dei, vt ferrea fronte arietaret non solum novam hæresim contra sacras imagines; sed etiam Imperium ipsum Græcorum, seminarium hæresum & armamentarium: quamvis enim hic Pontifex directè operam nequaquam navavit ad Græcum dominium demoliendum; dum tamen ille belligeraretur pro fide; totus Occidens se disiunxit ab Oriente, ex quo non tàm Sol splendidus, quàm atræ hæresum nubes se effundebant in Orbem. Anno 716. Leo Isauricus per epistolam petit à Gregorio communicationem cum Ecclesia Catholica: vel ipsi hæretici Imperatores hunc morem servare consueverunt. Anno 721. Gregorius in Concilio Romano anathemate petit eos, qui fœminas Deo sacras ducebant vxores,contra vetustissimam cõsuetudinem ab Apostolis observatam. Arbitror has fœminas esse, quæ simplex emiserant votum castitatis: quarum matrimonia sunt & valida, & illicita; cùm sanctimonialibus autem professis voto solemni, non leguntur frequentata connubia ante Martinum Lutherum. Quàm aptè sunt hæc Lutheri, & Centuriatorum fabulis, quibus effutiunt votum castitatis esse Diabolicam superstitionem inauditam in antiquiori Ecclesia? Certum est hoc votum illis fuisse tàm grave, vt arbitrarentur se humeris ferre totam inferni molem, quam propterea excusserunt, rumpentes vincula, confringentes iugum, & dicentes: non serviemus.

SVBSECTIO VII.

A Gregorio Secundo, ad Stephanum.

ANNO 723. octavo Leonis Isaurici; decimo autem Gregorij Secundi, erumpit ex Orco inaudita ante illa tempora blasphemia Iconomachorum, sive Iconoclastarum, qui contra Icones, sive Imagines Sanctorum bella moverunt. Horum authores fuerunt & Iudæi & Sarraceni: Iudæi quidem, qui degentes inter Christianos non audebant blasphemare Christum, quia Christianismum simulabant; vt autem more suorum maiorum Christum, qua ratione possent, crucifigerent, eius crucem & Imagines deridendas susceperunt. Ita testatur Photius Patriarcha Constantinopolitanus in epistola ad Michaelem de septẽ Conciliis Œcumenicis, Concilio septimo: quæ epis- §.278.

 tola

S. Tho. q. 1. Art. 4. tola circumfertur in recentioribus Conciliis ante Concilium secundum Nicænum, quod est septimum OEcumenicum: vbi eam hæresim vocat barbaram. * *Infælices* enim homines (inquit) isti verbis non confitentes se Christo vero nostro Deo maledicere, factis omnia in eum maledicta, & linguæ petulantiam congesserunt. Cùmque illum sine medio, & sine aliquo velo contumeliâ afficere non auderent, per venerandam Imaginem, omnem Christo inimicæ mentis cupiditatem expleverunt: & infrà: verùm isti (inquit) nova Iudæorum Christi hostium progenies, dum Christi, atque Sanctorum eius Imagines afficiunt contumeliâ, ea perficiunt, in quibus patres ipsorum defecerunt. Irruunt enim in facinora Iudæorum, singularique alacritate patres suos superare conantur. Et dum non audent in medio Christianorum labris etiam Christum abnegare, in eumdem ipsum Iudaicum, paternumque zelum deprehenduntur incidere, & adulterinam hanc etiam ostendunt imitationem, nec vllo consistunt loco; sed tamquam veneno hæresis ebrij, hùc illùc iactantur, & ruunt. Christianos enim se esse profitētur, & adversus Christum debacchantur. Iudæos appellari se nolunt, & imagines oppugnantes, zelum ipsorum Christi inimicum imitantur, & superant. Idololatriæ nomen vitant, & se in ipsos Christianos, divinaque Christianorum, sanctaque mysteria nihilo idololatris leniores præbent.

§. 381. Compilator Conciliorum in margine, *Iconomachi* (inquit) *novi Iudæi: tales multos nostra vidit ætas.* In Concilio secundo Nicæno cum Iudæis referuntur etiam Sarraceni huius impietatis authores. Divinarē ego, in Christum, & eius Sanctos tàm horrendæ blasphemiæ nullos alios authores fuisse, quàm Christi hostes publicos. Quapropter vehemens me suspicio pervadit Lutherum, Calvinum, & Bezam esse genere Iudæos, & Sarracenos: qui, si non se circumcidêre, fuit solùm vitandi doloris gratiâ: homines enim mollissimi omnem doloris sensum exhorruerunt. Quæ confirmo testimonio Caroli Quinti Iulio Cæsari præferendi: qui cum ægrè ferret statutum Toletanum de ea Ecclesia interdicenda Iudæis genere, & Sarracenis: postea in Germania excepit amicè Canonicum Toletanum missum ab ea Ecclesia Romam cōfirmandi statuti gratiâ: cui litteras obtulit sponte ad Cæsareum suæ Maiestatis Legatum, vt statutum confirmandum curāret. Roganti autē Canonico caussam mutatæ voluntatis, respondit Cæsar: *quia explora vi profectò omnes hos hæresiarchas esse genere Iudæos.* His de rebus lege tùm Conciliū secundum Nicænum, tùm Baronium, tomo nono, anno 723. tùm tertiò Patrem Gualterium octavo sæculo, capite tertio.

Hæc hæresis vehementer labefactavit Orientem: anno enim 726. edicto publico bellum indixit sacris imaginibus. Quæ impietas tàm indigna visa fuit hominibus, qui gloriantur nomine Christiano, vt hæresis Monothelitarum omninò fuerit extincta, nec deinceps mutiverit: quia omnes eius assertores se Catholicis adiunxêrunt, vt cum illis agmine denso starent adversus Iconoclastas. Etenim totus Christianus Orbis ab initio Apostolorum plenus erat sacris imaginibus, non solùm in templis; sed etiam in publicis prophanorum ædificijs. Civitas autem Constantinopolitana referta erat his sacris ornamentis: inter omnia autem præcellebat ænea Servatoris Imago in Porta Civitatis, quam cùm demolitus esset Leo, cunctus ingemuit, & infremuit populus. Sanctus autem Germanus totis viribus conatus est avertere Leonem à tàm sacrilega impietate, & numquam audita: contra quam pugnabat, & authoritas Sanctorum omnium, & vetustissima consuetudo in omnibus Provincijs, Regnis, Vrbibus, pagis, domibus, & personis. Cùm autem Leo, deturbatis statuis, vivos combussisset bibliothecarios, cum celeberrima totius Orbis bibliotheca, Catholici turmatim petebant solitudinem, satius ducentes cum bestijs degere; quàm cum efferatis hominibus. Totus autem Occidens rebellavit contra suum Imperatorem, dedignati servire homini tàm barbaro, Christo bellum publicum indicenti. Tàm multi autem & constantes Martyres contra hanc hæresim sanguinem effuderunt, vt Oriens eo sanguine eluerit sordes antiquarum levitatum. Hæc dixi, vt constet, novos hæreticos esse proculdubio Iudæos, Mauros, illisque deteriores: item, vt constet, quantum consenserint omnes Catholici in imaginum cultum, à quo soli Iudæi, & Sarraceni potuerunt avelli. Nec defuerunt miracula: Sanctus enim Germanus Patriarcha Constantinopolitanus prophetice præcognovit futuram hæresim Imperio Cononis: quo cognomento appellatus fuit Leo in Baptismo, ac propterea Sanctus Germanus dixit persequutorem imaginum præcursorem Antichristi. Miles, qui lapide percusserat imaginē Virginis, in somnis cognovit id à se factum in caput suum, idque probavit eventus: etenim propug- §. 382.

propugnans murum lapide percusso capite interijt.

§. 283. Hanc hæresim armis propagare conati sunt Leo Isauricus, Constantinus Copronymus, Leo Armenus, Michael & alij Græci Imperatores. Quibus fixo pede obstiterunt Gregorius Secundus, Gregorius Tertius, Zacharias, Stephanus Tertius, Paullus, Stephanus Quartus, & Hadrianus Primus: qui in eodem Oriente per legatos suos in Concilio Septimo generali, quod fuit secundum Nicænum, eam hæresim extinxit. Contra quam scripserant Sanctus Germanus, & Sanctus Ioannes Damascenus. Qui anno 728. claruit restituta manu dextra, quæ ei fuerat resecta in odium imaginum sacrarum; & contempta Regis Sarracenorum gratiâ, qua plurimùm pollebat, religiosorum instituta suscepit. Lutherus vnâ fuit Apostata religionis & Iconoclasta: Damascenus autem vnâ fuit propugnator Iconum & in gratiarum actionem miraculosæ manus restitutionis, nomen dedit religiosæ disciplinæ: vt advertas eodem spiritu Diaboli Lutherum solvisse votorum vincula, & cœlo instaurasse bellum; Damascenum autem eodem spiritu Dei & pro cœlo pugnasse, & se ligasse votis. Immò Copronymus & Leo Quartus simul interdixerunt cultum imaginum, & professionem monasticam: Irenes autem & eius filius Constantinus, simul permiserunt vtrumque: Damascenus ergò cum Sancto Germano probabat aperte cultum sacrarum imaginum in vsu esse ab exordijs Ecclesiæ. Quod non negabat Leo: asserebat enim omnes Ecclesiæ Patres, atque fideles fuisse Idololatras.

§. 284. Greg. 2. Gregorius Secundus suscepit primum impetum huius certaminis, laudans & in virtute confirmans Sanctum Germanum; Imperatorem autem ab hæresi revocare sæpè conatus. Contra cuius impium edictum multa ipse promulgavit, quibus lacessitus Leo rugivit ore cruento petens Sanctum Pontificem per sex coniurationes: à quibus & à Luithprando Longobardorum Rege eum Deus eripuit. Itali occiderunt duos Exarchos Imperatorios & alios Duces. Tandem anno 730. cùm Sanctus Germanus depositus fuisset a Leone, & eius loco subrogatus Anastasius hæreticus, Gregorius considerans Leonem non tàm Imperatorem Christianum, quàm cruentum Antichristum, quem non potuerat flectere epistolis iam lenibus, iam aculeatis, cumque videret eumdem in Italiam rugire, eamdem Italiam avertit ab eiusdem Imperio, quam sæpè in eodem Imperio continuerat, sperans hæretici conversionem; ea autem desperatâ, & cùm immineret Reipublicæ status deploratissimus, fœdus inijt cum Carolo Martello, qui Gallorum armis cepit Romanam Ecclesiam propugnare, quam Galli à conversione in Christo matrem coluerant, Cardinalis Bellarminus, tomo primo, libro quinto, de Romano Pontifice, capite octavo, versu *quintū est*, docet à Gregorio prohibita tributa Leoni, cumque mulctatū Imperij parte, idque laudatum à Zeneno, Zonara, & alijs historicis, quamvis vituperatum à Centuriatoribus Magdeburgēsibus. Vide P. Gretserum, tomo primo defensionis, cap. 19. lib. 2. versu *excommunicavit*. Leo carò emit hæresim, quæ illi stetit Occidentali Imperio; Exarchatus autem ab hoc tempore stetit penes Papas. Quando autem Imperator insectatur Ecclesiam, Rex Angliæ & Dux Bavariæ Romam peregrinantur, illius Ecclesiæ honoris exhibendi gratiâ. S. Bonifacius Germanorum Apostolus Romam venit anno 738. consulturus Gregorium Tertium, de rebus, fidei ad extinguendas hæreses in Germania recèns ortas ab Anglorum invidia.

Breviter præstringam Pontifices à Gregorio Secundo, ad Hadrianum Primum. §. 285. Greg. 3. Gregorius Tertius, anno 332. iterum damnat Leonem, & Iconomachos: Deus etiam eumdem damnat vortice vorante Imperatoriam classem missam in Papam; ipse autem Papa, anno 733. dat operam diligentem Imperatori ab hæresi revocando. Anno 734. in Hispania Adelphonsus Primus recuperat nomen *Catholicus*: quod habuit Recaredus eius progenitor. Adverte miraculum ab Hermenegildo & Recaredo tàm longa Regum serie eorum nullus fuit hæreticus, nec defecit ab obediētia Papæ; à Pelagio autē instauratore Regni, speciali Dei gratiâ omnes Reges Hispani in fide Christi Romana vixerunt, atque conquiescunt. Hoc eodem tempore Carolus Martellus est Romanæ Ecclesiæ propugnator, quod cepit anno 739. Angli Reges, atque Germani fidem Christianam recipiunt per legatos Paparum: Anglia anno 740. voto Regum fit vectigalis Ecclesiæ Romanæ: quēadmodum anno 782. Carolus Magnus totam Galliam vectigalem fecit eidem Ecclesiæ: immò ei donavit totam Saxoniam, quàm fatebatur se cepisse auxiliante Sancto Petro. Anno 775. Offa Rex Orientaliū Saxonum regnum fecit vectigal pendere

S. Tom. q. 1. ar. 4. Ecclesiæ Romanæ: vt videant Angli, quàm sint nunc dissimiles suis maioribus, qui cum primo lacte fidei hauserunt pietatem in Ecclesiam Romanam: cui servire, regnare putabant.

§. 286. *Zacharias.* Zacharias anno 745. probat Concilium damnans Adelbertum Gallum, & Clementem Scotum turbantes Germaniã. Anno 750. consentiẽte Pontifice totum Regnum Gallicum sponte transit ab ignavo Childerico ad Pipinum filium Caroli Martelli, vnde cæpit Regnum Carolinorum: bonum exemplum ne Reges per ignaviam se dedant familiaribus: nutriunt enim corvos, qui eorum oculos effodiant: Reges enim Galliæ inclinabãt administrationem Regni in humeros Maiordomorũ, qui Regnum ignavè administrãtes illud ademerunt Regibus ignavis. Idem contigit Carolinis. Etenim à Carolo simplici defecit Regnum ad Hugonem Capetũ. Stephano tertio Pipinus restituit Exarchatũ, quẽ Desiderius Rex hæreticus tyrãnicè vsurpaverat. Anno 754. Synodus Constantinopolitana collecta à Constantino Copronymo damnatur ab eodem Stephano. Anno 756. celebris est amicitia Stephani & Pipini, & odium vtriusque in Imperatorẽ hæreticũ, qui ob contẽptam etiam à Paullo primo suam Pseudo synodum, persequutionẽ movit anno 761. Anno verò 769. Stephanus Quartus damnat eumdẽ Copronymũ. Anno 770. Carolus Magnus præcipit ne Concilia congregentur sine licentia Papæ: iure enim Regio stabilit ius divinũ, vt sanctius servetur. Itẽ anno 772. effecit per legatos, vt Desiderius supplex adoraret Hadrianum primũ; cùm autem idem Carolus pietatis gratiâ Romã adiret anno 774. osculatur singulos gradus, & Hadrianũ adorat. Hæc dixi, vt pateat, quã pacatus fuerit Romanus Principatus in toto Occidente, nempè Hispania, Italia, vbi & improbus Desiderius pertimuit anathemata Romana: Veneti item Hadrianum adierunt, vt compesceret Ioannem Aquileiæ Patriarcham: in Gallia, cuius Rex gladius erat cõtrà hostes Ecclesiæ; in Germania ad Christum tracta per Bonifacium legatum Romanum; in Anglia, cuius Reges se sponte fecerunt vectigales Sancti Petri.

§. 287. *1. Anim.* Duo adverte. Alterum, Copronymum anno 775. infelici morti proximum conclamasse se vri igne inextinguibili propter Deiparam offensam: & vt quondam Antiochus exitui vicinus absqu vera penitẽtia cum dolore recoluit, quanta mala fecisset Hierusalem, & Sanctis eius, scelestus autem iste Deum orabat, à quo non erat misericordiam consequuturus: ita Copronymus salutabat præcipuas imagines, & templa, quibus iniuriam intulerat. Non absimiliter Henricus Octavus morte instante ingemuit mala, quæ ob suam libidinem explendam attulerat Regno; nec tamen illi profuit ad salutem. Copronymus ita fuit dictus, quia cùm puer baptizaretur fontem baptismi cacavit: quasi non futurus Christianus, qui Christi imagines esset persequuturus. Dictus est etiã Caballinus, quia obiectabatur equorum stercore. Lutherus adumbrabatur in Croponymo: dictus est enim *stercoreus & cacator*, quia linguâ volvebat eas sordes, id est, proferebat voces sordidas, indignas quidem non modò prædicatore Apostolico; verùm & homine frugi; dignas autem stercoreo baiulo, & impudente ganeone. Alterum, est Leonem Quartum filium Copronymi persequutum gemmas sacras; cùm autem illi placerent duo carbunculi coronæ sacræ, illosque capiti imposuisset, ex illis orti sunt duo candentes carbones, qui eius caput combusserunt, vlciscentibus sacris imaginibus persequutorem suum morte hæretico digna. *2. Anim.*

SVBSECTIO VIII.

De Hadriano Primo & sacris imaginibus.

IN Hadriano Primo redeunt aurea sæcula, qualia fuerunt in Silvestro, Leone, & Gregorio Magno. Exercuit enim & Imperatoris munus in Desiderium Longobardorum Regem, & Pontificiam iurisdictionem in totam Ecclesiam. Etenim in Occidente sine vlla controversia leges dabat Hispanis, Italis, Germanis, & Anglis; easdem autem dedit & Orienti: vbi per legatos præfuit Concilio septimo Generali. Creatus est Hadrianus anno 772. cùm autem anno 784. Paullus Patriarcha Constantinopolitanus, qui, vt placeret Imperatoribus, fuerat imagines persequutus; corde autem fixa erat sententia Catholica de colendis sacris imaginibus, eaqueproptér divina gratia pulsatus, abdicato Episcopatu, se sponte in monasterium reclusit; cùm inquam actione prima iam moreretur, vocibus, eiulatibus, & lacrymis execratus est Episcopatum suum, cuius ambitione tanta ignominiâ affecerat Christũ, eius genitricẽ, & Sãctos. §. 288.

hæ au-

Hæ autem Paulinæ voces penetrarunt aures, & corda Imperatoris Constantini & Irenes eius matris, mulieris sane piæ, & quæ diù certaverat pro imaginibus adversus Copronymum maritum, & Leonem socerum. Hæc constant ex epistola Constantini & Irenes, ad secundum Concilium Nicænum, actione prima. Accessit authoritas Tharasij viri celeberrimi, quem Imperatores Patriarcham renuntiaverunt: Ille autem diù restitit; flexus tandem Imperatorum authoritate se consensurum asseruit eâ conditione, vt non solùm Imperatores; (quod iam effecerant) sed etiam vniversus populus polliceretur agendum de cogendo Concilio generali, ad dirimendam controversiam de sacris imaginibus, & stabiliendam Fidem Catholicam, quam sine dissensione tota profiteretur Ecclesia. Videbat enim Catholicos Orientales (Hierosolymitas & alios) contra Constantinopolitanos sentire; Occidentales verò coniunctos cum magis Orientalibus anathemata passim dicere contra eosdem Constantinopolitanos. Item cognovit Imperator à multis etiam Constantinopoli illi sectæ resisti. Hæc eâdem ratione referuntur in eâdem epistola Constantini.

§. 289. Vt autem constet de principatu Petri in hæresibus extinguendis, etiam apud Græcos æmulos Romanorum, Concilium illud peractum est Nicæe per legatos Hadriani præsidentes in Concilio: in quo omnia definita sunt ex præscripto epistolæ Hadriani; quemadmodum Concilium sextum generale peractum est contra Monothelitas per legatos, & ex litteris Agathonis: item vt Concilium Chalcedonense contra Eutychetem habitum est per legatos, & ex epistola Leonis Magni. Quæ omnia liquidò constant ex actis septimæ Synodi generalis, ex Baronio & alijs eius temporis scriptoribus.

§. 290. *Hadrianus* Ac primum Hadrianus ipse in epistola ad Constantinum & Irenem, actione secunda eius Concilij, * *atque* adeò (inquit) sanctam matrem vestram Catholicam, & spiritualem, Romanam Ecclesiam exaltarunt. (Et infrà inquit) vos autem maximè in traditione Orthodoxæ fidei Ecclesiæ beati Petri & Paulli Principum Apostolorum aquiescitis, eamque amplectimini, quemadmodum à superioribus Imperatoribus factum est, qui Vicarium eius ex toto corde dilexerunt: (& infrà) hi siquidem Principes Apostolorum sunt, qui Catholicam Orthodoxā fidem auspicati, per scripta quidem veluti legibus latis fidem suam servandam præceperunt: omnibus scilicet, qui in sedes eorum successuri erant, & in fide eorum vsque ad consummationem sæculi permansuri, atque ita nostra servat Ecclesia, & sanctas eorum figuras veneratur. (Et infrà) obtestor, adiuro, quos sacras imagines in ipsa Deum colente & Regia vrbe, & in vtrisque Græciæ partibus in pristinum statum restitui, & firmari iubeatis, custodientes traditionem huius sanctissimæ vestræ Ecclesiæ, abijciendo etiam & execrando impiorum hæreticorum improbam vehementiam, quam sacram hanc vestram Catholicam & Apostolicam Romanam Ecclesiam, *&c.**.

§. 291. Quia verò hæc epistola reprehendebat electionem Tharasij, & titulum *vniversalis*, quo Episcopus Constantinopolitanus appellabatur ab Orientalibus, mutilata fuit, ne in Concilio derogaretur authoritati Tharasij faventis caussæ catholicæ: quæ verò sequuntur, reperiuntur in Vaticano descripta ab Anastasio Bibliothecario. Vbi hæc ait Hadrianus contra Conciliabulum Leonis Isaurici, quod hæretici vocabant septimam Synodum: * *in* primis (inquit) Pseudosyllogus ille, qui sine Apostolica Sede enormiter, nequiter, irrationabiliter, contra Sanctorum Patrum traditionem de sacris imaginibus actus est, anathematizetur, præsentibus missis nostris: & tunc sicut antiquitus mos extitit iureiurando vestra pijssima ac tranquilissima potestas vna cum domina Augusta, *&c.**. *Hadrian.*

§. 292. Inferiùs autem agens de Romana Ecclesia, hæc ait: * *cuius* sedes in toto Orbe terrarum primatū fungens, caput omnium Ecclesiarum constituta est: & quamvis beatus Petrus Apostolus per Domini præceptum rexit Ecclesiam, nihilominus subsequens & tenuit semper, & retinet principatum, quod vniversalis Ecclesiæ nomen nullam magis oportet exequi sedem, quàm primam, quæ & vnamquamque Synodum, & sua authoritate cōfirmat, & continuata moderatione custodit. Et valdè mirati sumus, quòd in vestris Imperialibus iussis proPatriarcha regię vrbis, scilicet Tharasio, directis, vniversalem ibidem eum reperimus exaratum: sed vtrum per Imperium, vel schisma, vel heresim iniquorum scriptum est, ignoramus. Sed deinceps suademus vestræ clementissimæ, & Imperiali potentiæ, vt minimè in suarū exarationum serie *vniversalis* describatur: quia contra sanctorum canonum instituta, seu Sanctorum Patrum traditionum decreta esse videtur. In secūdo enim ordine sine sãctę nostrę Catolicæ Ecclesię authoritate, sicut in omnibus patuit, numquā valuit nomen habere: quod

S.Thom. q.1.art.4. quod nimirùm si super prælatam sibi Sanctam Romanam Ecclesiam, quæ est caput omnium Ecclesiarum, describatur, tamquam sanctarum Synodorũ rebellem, atque hæreticum se manifestare certum est: quia, si vniversalis est, etiam nostræ sedis primatum habere dignoscitur. Quod ridiculum omnibus fidelibus Christianis apparet, quia in toto orbe terrarum ab ipso redemptore mundi beato Petro Apostolo principatus, ac potestas data est, & per eũdem Apostolum, cuius vel immeriti vicem gerimus, sancta Catholica & Apostolica Ecclesia Romana, vsq; hactenus tenet principatum, & potestatis authoritatem: quatenus, quod non credimus, si quispiam eum vniversalem nuncupaverit, vel assensum tribuerit, sciat se orthodoxæ fidei alienum esse, & nostræ sanctæ Catholicæ Ecclesiæ rebellem. Ipse enim Tharasius, regiæ vrbis Patriarcha misit nobis Synodicam, priscam adimplens consuetudinem, quam suscipientes & liquidiùs indagantes, & de confessione tàm rectæ fidei eius, quàm dogmatum sanctarum sex Synodorum & venerandarũ imaginum ovantes, nimis iterum conturbati sumus, quia ex laicorum ordine, & imperialibus obsequijs deputatus, repente ad Patriarchatus culmen electus est, id est, à caliga militari contra sanctorum canonum censuram factus est Patriarcha, *&c.**

§.293. Hæc ex Hadriano descripsi, quia manifestè confirmant, quàm constans esset authoritas Romani Pontificis, qui Imperatori, & Patriarchæ Cõstantinopolitanis præcipit, quid sit faciendum in Concilio generali, eosque reprehendit, quòd vtantur titulo *vniversalis*, & quòd cõtra canones electus fuerit Patriarcha ex laico. Quæ impudentissimè iactaret Hadrianus, nisi ea essent constantissima etiã æmulis Romanorũ. Nec hæc fuerunt solius Hadriani verba: omnia enim confirmata sunt ab ipso Tharasio, & Concilio generali Græcorum. Etenim Tharasius ipse misit Romam professionem suæ fidei ex prisca consuetudine, quod non faceret, nisi recognosceret authoritatem Romani Põtificis: item pertimuit anathemata Romanorum contra Iconoclastas. In Concilio autẽ Nicæno secundo actione secunda

Tharasius. hæc referunt dixisse Tharasium. * *Tharasius* sanctissimus Patriarcha respondit: cui Christi lumen circumfulsit, quique nos per Evangelium generavit Paullus, verè divinus Apostolus Romanis scribens, & studium synceræ fidei eorum erga verũ Deum nostrum exosculatus, sic inquit: fides vestra prædicatur in vniverso Orbe hoc. Quãobrem Hadrianus veteris Romæ primas, & testatorum Principum successor, claré & verè, cùm ad Imperatores nostros, tùm ad nostram mediocritatem, mihi scripsisse videtur, constabiliuitque, & rectam esse declaravit Catholicæ Ecclesiæ antiquam *traditionem.** Hæc Tharasius, quibus in Concilio apertè testatur se venerari fidem Romanorum ex testimonio Apostoli: ergo sensit Tharasius fidem Romanorum tempore Hadriani esse eamdem, quam Paullus commendavit; si autem esset diversa, cur esset temerarium eam non sequi? Censuit ergò in successoribus Principum Apostolorum mansisse cum primatu eamdem fidem. Baronius refert ex Anastasio Græcos dixisse nomen *OEcumenicum*, vsurpatum à Constantinopolitanis, nõ pro OEcumenico totius Ecclesiæ; sed pro OEcumenico aliquarum Provinciarum Orientis: quod confirmatur hoc exemplo Tharasij, qui in Hadriano recognovit primatum Petri in Ecclesiam totam.

Quod autem dixit Hadrianus, nullam Synodum esse legitimam sine authoritate Episcopi Romani, confirmavit idem Concilium Nicænum secundum actione sexta in refutatione eiusdem PseudoSynodi, tomo primo non longè ab initio, his verbis: * *quo* pacto autem sancta dicenda erit, quæ quid sit sanctum non intelligit? Quomodo autem magna, & vniversalis, in quam nec omnes consenserunt, & reliquarum Ecclesiarum præfecti non admiserunt; sed anathemate eam devoverunt? Non habuit cooperarium, vt hæc, quæ nunc celebratur, Romanum Papam, nec illius Sacerdotes, nec per Vicarios, nec per Provinciales litteras, quemadmodum fieri in Synodis *debet.** Hæc ibi, nec potuerunt Concilij Patres clariùs ostendere primatum Petri in eius successoribus: idque non Romæ, aut in Occidente; sed in Oriente apud ipsos (vt ita dicam) Ecclesiæ Romanæ hostes, quo tempore per Imperatores, & Patriarchas Constantinopolitanos Oriens & Occidens ardebant edictis contra Orthodoxam fidem, & coniurationibus in Romanum Pontificem. §.294.

Nec minùs conspicitur Petri primatus in eo Concilio: cui cùm interessent Patriarchæ Orientales, & ipse Constantinopolitanus, non præfuit vllus; sed præfuerunt duo legati Romani Pontificis, hique nec Patriarchæ, nec Episcopi; sed Presbyteri. Actione enim prima cùm recensentur Patres in Concilium coacti, ita referuntur. * *Conveniente* Sancta, & OEcumenica (hoc est) vniversali Synodo: nimirùm Petro viro religiosissimo Archipresbytero, quæ Romæ est, sanctissimæ beati Petri Apostoli Ecclesiæ, præterea Pe- §.295.

tro

tro pijssimo monacho, & gubernatori monasterij Sancti Sabbæ apud Romanos, vicarijs existentibus Apostolicæ sedis, cui præerat Sanctissimus Beatissimusque Archiepiscopus veteris Romæ Hadrianus; præsentibus Tharasio Sanctissimo, & Beatissimo Archiepiscopo inclytæ Constantinopoleos novæ *Romæ, &c.** Eodem ordine subscribunt actione septima: itē initio singularum actionum eodem ordine referuntur Concilij Patres. Quod clarius constat in actione tertia, vbi cùm disputata esset caussa criminalis quorumdam Episcoporũ, & nihil esset contra illos probatum, sententiam tulerunt legati Romani his verbis: *Petrus religiosus, presbyter Romanus, itē Ioannes & Thomas Deum colentissimi presbyteri vicem agentes Orientis, dixerunt: recipiant sedes suas.* Itaque primi dixerunt legati Romani: non enim soli duo illi Petri, sed & Thomas & Ioannes erant vicarij Romani Pontificis in Oriente simul cũ Tharasio, ex Baronio.

§.296. Definitio Concilij pro sacris imaginibus scripta fuit ex præscripto epistolæ Hadriani ad Imperatores, & ad Tharasiũ. Petrus enim vterque actione secũda, *dicat nobis* (inquit) *beatissimus Patriarcha Regiæ vrbis Tharasius, consentitne litteris sanctissimæ Papæ veteris Romæ, an minus?* Tharasius autem respondit, quæ dixi §.293. Deinde ijdem Petri rogaverunt totum Concilium idem, quod Tharasium: idemque responderunt. *Sancta Synodus respondit: sequimur, recipimus, & probamus.* Deinde subscribunt vniversi Episcopi litteris Hadriani. Qui anno 794. in Concilio Francofordiensi damnavit hæresim Felicis Episcopi Vrgelitani, & Elipandi Archiepiscopi Toletani. In hoc Cõcilio aliqui damnaverunt Concilium septimum generale, quos non probavit; sed dãnavit Hadrianus hac in parte, vt rectè probat Baronius, & constat ex Hadriani scripto ad Carolum Magnum pro secundo Cõcilio Nicæno; ipse autem Carolus in Epistola ad Elipandum se fatetur filium, & defensorem Ecclesiæ Romanæ.

§.297. *Animat.* Primùm adverte imaginum antiquitatē: quas probat Hadrianus Edessæ; immò & totum Concilium ortum habuisse à Christo domino, qui imaginem sui misit ad Agabarum Regem. Item Hierosolymis missa fuit Romam pictura Salvatoris, & alia beatæ Virginis, quas effecerat Sanctus Lucas: Sanctus item Silvester ostendit Constantino magno imagines Principum Apostolorum; Crucem autem Christi non solùm adorabant Catholici; verumetiam Imperatores capitibus gestabant, vt dixit Sanctus Augustinus. Nec Concilium Nicænũ hanc rem improbatam reliquit: etenim præter eruditas Hadriani probationes, Concilium actione quarta earum vsum probat perquã eruditè. Sacras autem imagines in hac honoris possessione prius fuisse constat ex epistola Hadriani ad Constantinũ, & Leonē, qua asserit se nihil probaturum, nisi imagines restituerent in locum, in quo erant. Equidem iam probavi Leonem Isauricũ asseruisse omnes Ecclesiæ Patres fuisse Idololatras: & ipse decennio regnavit imagines colens: itaque plus quàm septingentos annos regnarunt imagines in Ecclesia in qua ante annum 723. nullus mutivit contra imagines; tunc autem oblatraverũt Iudæi: & eorum nunc gentici Lutherani, & Calviniani. Contra quos hæc disserui: deblaterant enim Ecclesiam Romanam, nunc non retinere pristinam religionem; quorum mendacium, hac in parte, est meridie clarius: quia Gregorius secundus totũ Occidētem avertit à Leone Imperatore, quòd contra consuetudinem Ecclesiæ Romanæ perennantem ab Apostolis everterit Imagines sacras, easque exturbarit è locis, in quibus publicè colebãtur. Ergò cultus imaginum numquam fuit mutatus in Ecclesia Romana. siquidem nunc retinet eumdem cultum, quem ante Leonem Isauricum tenuit, & quem restituit Hadrianus in Concilio generali.

Dices, multo ante Hadrianum, & Leonē secundum; item ante Leonem Isauricum fuisse in Ecclesia imaginum cultum, invectum autē Idololatricè. Contra: ex Hadriano, & alijs historicis constat Sanctum Silvestrum vsum imaginibus Apostolorum. Item martyrum reliquias in summo honore Ecclesiæ fuisse; nec tamen constat Catholicum vllum reclamasse. Nec credendũ est hos libros esse apochryphos: deberet enim ostendi aliquo argumento probabili. Cùm autem à Silvestro ad annum decimũ Leonis Isaurici tàm multa defluxerint annorum centenaria, non est credibile, totam Ecclesiam in idololatriam prolapsam, idque sensim; quin perciperetur: cuius evidenti argumento est eamdem Ecclesiã positis argumentis Iconoclastarum, ea censuisse inefficacia (vt verè sunt futilia.) Constet ergo imaginum cultum in tota Ecclesia receptum per septingentos annos: & nũc Ecclesiam Romanam eumdem retinere, quem antea. Ostendam item inferiùs nunc Ecclesiam Romanam in cælibatu Clericorum retinere eamdem consuetudinem, quam ab Apostolis accepit, & coluit: vt liquidò constet hæreticos per imposturam conari, non esse nunc Romæ religionem eamdem, quæ ab Apostolis fuit relicta. §.298. *Obiectio. Refell.*

Secundò adverte, Lutherum, & recentes §.299.

S. Tho. q. 1. Art. 4. Iconomachos ante annos octingentos prius quàm ipsi miscerentur esse damnatos. Lutherus se asseruit instauratorem Evangelij iacentis sub scamno quingentos annos. Ego admitto disputandi gratiâ hanc Lutheranā blasphemiam, & fumo Evangelium octingentis annis ante Lutherum: sed tunc admittebatur Evangelium cum imaginū cultu, quin censeretur creaturas adorari pro Deo: ergo nunc nos habemus Evangelium, vt habebatur ann. 723. immò vt habebatur tempore Silvestri: ergo Lutherus non solùm proponit Evangelium diversum ab Evangelio quingentorum annorum; sed etiā ab Evangelio plusquàm mille annorum: at Evangelium quingentorum annorum est omninò idem cum Evangelio tempore Silvestri, quo infiniti Martyres coronabantur: ergo Lutherus per summam ignorantiam effutivit Evãgelium iacuisse per quingentos annos: quia si iacuit, iacuit per plures quàm mille: immò iacuit ab Apostolis. Itaque trecentis annis ante illos quingentos, quos dixit Lutherus Evangelium iacuisse, iam Evangelium erat erectum, vt damnaret Iconomachismum Lutheri.

§. 230. *Confirm.* Confirmatur: quia negari nōn potest, in Ecclesia hæreticos aliquos legitimè fuisse proscriptos: Montanus enim Manichæi, Donatistę, Pelagius, Nestorius, Eutyches, Monothelitę, Macedonius, & alij, sunt legitimè proscripti; sed horum proscriptio orta fuit à Romanis Pontificibus, & Concilijs: ergo horum authoritate legitimè proscribuntur hæretici. Sed eâdem ratione proscribuntur Iconomachi in Concilio Nicæno, quâ Montanus à Victore, & Zepherino: quâ Pelagius ab Innocentio: quâ Nestorius à Cælestino: quâ Arius à Siluestro in Concilio primo Nicæno: quâ Macedonius à Damaso in Concilio generali Constantinopolitano: quâ Eutyches à Leone: quâ Monothelitæ ab Agathone: ergo eodem modo sunt hæretici legitimè Iconomachi; vel si hi non sunt legitimè hæretici: ergo nec Arius, nec Nestorius, nec Monothelitæ sunt legitimè hæretici: probo consequentiam, quia illi, & hi eamdem habent proscriptionem, nempè à Patribus, & Concilijs cum authoritate Romanorum Pontificum.

§. 231. *Obiectio.* Dicet Lutherus, illos fuisse hæreticos legitimè proscriptos, non propter authoritatem Conciliorum, atque Paparum; sed quia Spiritus Sanctus id dixit singulis fidelibus. *Refell.* Contrà: cùm Sanctus Cyrillus damnasset Nestorium, eumque fecisset extorrem Ecclesiasticâ communicatione, id non effecit (quamvis erat Patriarcha) spiritu proprio, & revelatione privata; sed consulens Cælestinum Papam, & ex eius præcepto, cui obedivit totus Oriens. Item Augustinus, & Africani non prius, abiunxerunt à communione fidelium Pelagium, atque Cælestium, quàm consuluerint Innocentium Papam. Arius fuit anathemate percussus in Concilio Nicæno per Siluestri legatos: Nestorius autem fuit eiectus in exilium authoritate Concilij Chalcedonensis: Eutyches autem authoritate Leonis: quod si tempora Apostolis viciniora memoriâ refricemus, constat ex Tertulliano iam hæretico Montanum excōmunicatum fuisse per litteras Victoris: & quia Victor retinuit epistolas, per quas Montanò permittebat societatem fidelium, dixit Tertullianus eum retinuisse litteras pacis. Est ergo vetus hæc consuetudo in Ecclesia Catholica hæreticos proscribendi; non per spiritum proprium cuiusque fidelis; sed authoritate Romanorum Pontificum, & Conciliorum. Immò ipsi Apostoli, qui Spiritu Sancto pleni nos Christianis imbuêre præceptis, controversias fidei diremerunt in Concilio Hierosolymitano, cui præfuit Sanctus Petrus, & primus suffragium tulit.

§. 232. *Obiectio.* Dices, in Ecclesia non satis fuisse provisum de proscribendis hæreticis, Luthero autem omnium primo donavit Spiritus Sanctus hoc privilegium. *Refell.* Deo gratias, quia Ecclesiam suam illuminavit per monachum excucullatum, incontinentem, immodestissimum, denique post homines natos impudentissimum. Nec primus fuit Lutherus: illi enim præripuit palmam Montanus, qui spiritu suo paracleto plenior fuit, quàm Paullus, quàm Christus. Cùm autem hæretici reciprocè pugnantes asserant, se Spiritu Sācto moveri ad dogmata adversantia mutuò, quibus credemus? Vt enim Lutherus constanter asserit se certum esse de suo Spiritu Sācto, quidquid in cōtrarium dixerint omnes Theologi, omnes Patres, Concilia omnia, omnesque Papæ & Angeli, ita Libertini, Calviniani & tota huius tempestatis hæreticorum lues constanter iactitant se esse certissimos sui Spiritus Sancti, pro quo certant interdum ad necem: ita Tertullianus pro Montanica prophetia se disiunxit à Romana, & alijs Ecclesijs, quarum authoritate contra hæreticos, & ipsos Cataphrygas sæpè pugnaverat. Itaque inter tot Spiritus Sanctos, quos mutuò repugnantes hæretici venditant, nullum relinquitur certum argumentum hæreticos dignoscendi. At authoritate Conciliorum, & Romanorum Pontificum sublatâ schismatum occasione, aperitur plana, & secura via in veritatem catholicam gradiendi

di hæresibus hinc inde relictis.

§.303. Hæc passis velis pertractanda censui: quia ipsa Ecclesiasticâ consuetudine labefactantur hæreticorum technæ: & deteguntur horum scelestissimorum hominũ mendacia: & vt constet de constantissima Romanorum fide, quæ nunc eadem omnino est, quæ ab Apostolis tradita est, à Sancto Petro ad Hadrianum primum. Accedit heresim hanc solis ferè centum annis regnasse Constantinopoli, vbi perijt anno 842. tempore Michaelis Tertij, & Gregorij Quarti. Quòd si absque illa non posset consistere Ecclesia Catholica, nec esset tàm serò nata, nec mortua tàm citò: quia Ecclesia non perijt. Quæ supersunt breviter perstringã, nisi cùm impegerim in clericorum cælibatum, in quem tàm acriter invehuntur hæretici.

SVBSECTIO IX.

A Leone Tertio, ad Adrianum Secundum.

§.304. Leo 3. LEO Tertius anno 796. succedit Hadriano. Leoni paruerunt Carolus Magnus, & Kemulphus Anglorum Rex, qui per epistolam petijt à Leone, vt componeret Anglicanam Ecclesiam. Respondit autem Leo, nullum Christianum contrarie sanctionibus Apostolicis. Hic autem Pontifex miraculis claruit. Cùm enim anno 799. à nepotibus Hadriani ei fuissent crudeliter oculi eruti, & lingua à radicibus præcisa, ea divinitùs recepit. Cuius summa potestas inde constat, quòd anno 801. Imperium Romanum ademit Græcis perpetuò rebellantibus contra fidem; illudque constituit in Occidente, de quo late Baronius, tomo nono, anno 800. primus autem Imperator fuit Carolus Magnus Francorum Rex. Meritò quidem hæretici Ecclesiam, quam propugnaturi erant, impugnantes, quorumque resipiscentia deplorata est, Regno privantur: eodemque donantur, quibus cordi est Ecclesiæ defensio: talis fuit Carolus Magnus, & eius successores. Quod clarè constat ex scripto ipsius Caroli, quod refert Baronius, anno Baronius. 806. versu *super omnia*, his verbis: *vt ipsi tres fratres* (quos Reges vnctos à Romano Pontifice reliquerat) *curam, & defensionem Sancti Papæ simul suscipiant, sicut quondam ab avo nostro Carolo, & beatæ memoriæ genitore Pipino Rege, & à nobis postea suscepta est.*

§.305. Sancto Leoni, anno 817. succesit Paschalis: in cuius gratiam Ludovicus Imperator confirmavit omnia privilegia Sancti Petri. Paschalis. Ad Paschalem miserunt epistolas Episcopi Orientales ad implorandam opem contra hæreticos, quas refert Baronius ad annum 817. versu * *Paschali*, his verbis: Paschali Papæ Romæ, in omnibus summa virtute prædito, lumini magno, Principi Sacerdotum primo, Domino nostro Apostolico, &c. & infrà aiunt audi: Apostolicum caput, à Deo præposite Pastor ovium Christi, ianitor Regni cœlorum, petra fidei, super quam ædificata est Catholica Ecclesia. Idem. Petrus enim tu, Petri sedem exornans, & gubernans. Et infrà: hùc igitur ab Occidente (ò Christi imitator) resurge, & ne repellas in finem. Tibi dixit Christus Deus noster: & tu aliquando conversus confirma fratres tuos. Ecce tempus, ecce locus: opitulare nobis, qui es à Deo ad hoc ordinatus. Porrige manum, quantum fieri potest. Habes potestatem à Deo, eo quod omnium Princeps es, in quo positus es. Terreto (supplicamus) hæreticas feras calamo divini verbi *tui.** E quibus videbis quanto sanguine sudaverint Orientales contra Iconomachos: è quibus inter multos exules tyrannide Leonis Armeni Romæ fuit Paschalis: cui in omnibus paruit Ludovicus Imperator. Anno 821. versu, *quòd si quid*, Episcopi Orientales docent Michaelẽ Balbum non spectare ad Regem caussas fidei; sed ad Papam, his verbis: *quòd si quid est huiusmodi, de quo ambigat, aut diffidat divina magnificentia vestra piè à Patriarcha dissolvi posse: iubeat magna ipsius, & à Deo confirmata manus ad communem vtilitatem à vetere Roma suscipi declarationem, prout olim & ab initio paterna traditione transmissus mos fuit: hæc enim, Christi æmule Imperator, suprema est Ecclesiarum Dei, &c.* Quo testimonio vtitur Gennadius ad confirmandum Romæ primatum.

§.306. Eugen. 2. Eugenius secundus, anno 824. succesit Paschali: ab Eugenio facultatem petijt Ludovicus Imperator disputandi publicè de sacris imaginibus: quod actum est Parisijs, anno 825. vbi turpiter erraverunt nonnulli Parisienses, qui penè Ludovicum traxerunt in errorem: qui tamen non est lapsus; sed Eugenij consilio stetit in adorandis sacris imaginibus: quamvis collatores Parisienses per epistolam impositam Eugenio conati sint errorem firmare. Tunc Michael Balbus, anno 826. vxorem duxit Euphrosinam Monialem: hic erat Iudæus genere, moribus autem barbarus, & penitus ignarus. Quo confirmo suspicionem de Iudaismo Lutheri, & Carolstadij, qui sanctimoniales duxerunt vxores, imitati Iudæum in hoc flagitio; vt etiam in sacrilegio contra

sacras

S. Thom. q. 1. art. 4. sacras imagines. Anno 827. creatur Gregorius Quartus, qui anno 833. Ecclesiã Amabrugensem fecit Archiepiscopalem. Hic Pontifex anno 839. apertè ostendit primatum Petri per epistolam ad totam Ecclesiam, qua præcepit, vt Episcopus appellans Romanum Pontificem permittatur Romã adire, ex veteri consuetudine confirmata in Concilio Nicæno; epistolã autẽ sic orditur: *Dilectissimis fratribus, vniversis Coepiscopis per Galliam, Germaniam, Europam, & per vniversas Provincias constitutis, Gregorius servus servorum Dei. Divinis præceptis & Apostolicis saluberrimis incitamur monitis, vt per omnium statum impigro vigilemus affectu: & quia cunctarum divina dispensatione Ecclesiarum curam gerimus, omnibus nostra poscentibus suffragia, Apostolica authoritate subvenire optamus, &c.* Lege eam epistolam in Baronio, anno 839. Anno verò 841. Sanctus Ioannicius revelatione cognovit successurum Sãctum Methodium in Pontificatu Constantinopolitano. Refert autem Gennadius Theophilũ Imperatorem ex persequutore imaginum reconciliatum Deo, & salutem æternam consequutum precibus Theodoræ vxoris. Hæc fuit mater Michaelis tertij: huius tutor fuit Emanuel, qui desperatam valetudinem recuperavit spondens restitutionem cultus imaginum: quæ fuerunt restitutæ ab ipso Michaele tertio & Theodora, hortante Sancto Methodio, & instituente annuam celebritatem pro triumphata hæresi, quæ diù vexaverat Orientem. Cùm autem Ioannes Iconomachus imposuisset adulterium Sancto Methodio, ipse ostendit apertè imposturam miraculo, quo Sanctus Petrus eum castitate donavit Romæ, cùm ad eius Vicarium accessisset. Tàm veteres sunt hæreticorum Calumniæ in Catholicos. De quo Baronius, tomo decimo, anno 843.

§. 307. Nec verò Gregorij epistola sola commẽdat primatum Petri; sed etiam cæteri Episcopi. Leo enim quartus, anno 847. statuit contra Lotharium, & Ludovicum, immunitatem electionis Pontificum. Cùm autem coacta esset Synodus Turonensis adversus Nomenoium ducem Britannorum, & totum Concilium per epistolam Synodalem recensuisset tyranni crimina, hæc aiunt: *satis hæc ad tuam perditionem sufficiebant; sed ad cumulum malorum auxisti temeritatem, & omnem læsisti Christianitatem, dum Vicarium beati Petri Apostolicum, cui dedit Deus primatum in omni orbe terrarum, sprevisti, &c.* Benedictus anno 855. damnat in Gallia in Concilio Valentino errores Goteschalchi Scoti de prædestinatione. Anno 858. Nicolao Primo reverentiam exhibet Ludovicus Cæsar Secundus: item anno 861. cùm eius legati se pravè gesissent in Concilio Constantinopolitano, totum Concilium reprobat: anno 862. damnat reviviscentem hæresim Theoparchitarum. Anno verò 864. punit nonnullos Episcopos. Maximè autem patet Romana dignitas ex Lothario Rege Galliæ, qui hæc scripsit. * *Domino* verè beatissimo, & sanctissimo totius Sanctæ Dei Ecclesiæ, Summo Pontifici & vniversali Papæ Nicolao, Lotharius divina præveniente clemẽtia Rex, summã fęlicitatẽ. Postquam nobis divina dignatio sua gratuita clementiã Regni gubernacula commisit, more prædecessorum nostrorũ Christianissimorum Regum, semper, & in omnibus sublimandam beati Petri Apostolorum Principis Sedem, vt dignum est, reverenter dileximus, *&c.* & infrà: solummodò vt vestri Pontificatus anchora in solidissimo Sanctæ Matris Ecclesiæ fundamento fixa, nobis humiliter petentibus concedere dignetur, *&c.* * Deinceps verò refert Pontifici aliquorum Episcoporum mores, qui à Nicolao fuerant damnati. Item cùm idem Lotharius iniustè repudiasset legitimam vxorem, & aliam duxisset, idque matrimonium Episcopi Galli comprobassent in Concilio Metensi, Nicolaus appellatus à repudiata Theutperga damnavit Synodum Metensem, & coegit Lotharium dimissa concubinâ reconciliari Theutpergę. Paruit quidem Christianus Rex, quamvis incontinens, dimisitque Vualdradam: meliori equidem consilio, quàm Henricus Octavus Angliæ Rex, qui ne dimitteret totius Galliæ meretricem Annam Bolenam, dimisit Catharinam: & ex tàm infami concubinatu initium fecit Papatui Anglico, ipsis etiam authoribus ridiculo. Hæc de Lothario refert Baronius, tomo decimo anno 862. ex epistolis Nicolai; Gordonus autem eorum meminit, anno 863.

Hadrianus Secundus creatur, anno 868., cuius tẽpore maximè floruit Romana vis, & primatus in hæresibus extinguendis, & retinenda antiqua religione. Cùm enim Photius per tyrannidem occupasset sedem Constantinopolitanam, & in PseudoConcilio ex ea deiecisset Ignatium, multaque egisset contra Nicolaum Papam, vt olim Dioscorus contra Leonem, Basilius Macedo Imperator Orientis legatos misit ad Nicolaum, vt ipse suos mitteret Constantinopolim ad sedandos illius Ecclesiæ tumultus. Post obitum autem Nicolai Hadrianus, anno 869. eos legatos misit cum epistola ad Basilium: qua fungitur supremi iudicis authoritate, docens, atque præcipiens, qua ratione Concilium sit celebrandum, & qua ratione ipse non sit futurus inflexibilis, ac præci- §. 308. *Hadr. 2.*

præcipit, vt comburantur scripta Photij. Basilius. Ipse autem Basilius legatos & epistolā Hadriani excepit honore summo: ad quos hæc habuit verba: * *Sancta* Constantinopolitanæ Ecclesiæ per ambitionem pervicacissimi Photij diversis schismaticorū fluctibus laceratæ, sancta omnium Ecclesiarum Dei mater Ecclesia Romana, Sanctissimi domini & vniversalis Papæ Nicolai, fida provisione consuluit. Quapropter nos cum omnibus Orientalibus Patriarchis, Metropolitanis, atque Episcopis, cēsurā Sanctæ matris nostræ Romanæ Ecclesiæ per bienniū præstolantes, propter Dominum petimus, vt ei negotium viriliter peragatur, & tandē aliquando authoritate vestri sacri Collegij, tàm pestiferæ Photianæ tergiversationis scandala pellantur, quatenus vnitas & tranquillitas optata diutiùs, iuxta decretum Sanctissimi Papę Nicolai *restaurētur.** Hæc Imperator. Legati autem in Concilio octavo Generali hæc asseruerunt: * *quia* in sede Apostolica immaculata est semper catholica servata religio, & sancta celebrata doctrina, anathematizamus omnes hæreses cū Iconomachis, anathematizamus etiam Photiū, donec sedis Apostolicæ sanctioni obediēs, perseverans, *&c.* * Recognosce Baroniū anno 829. tomo decimo, itē Conciliū octavū generale tomo quarto Cōciliorū: & Suriū, vbi hæc fusè referūtur, & ostenditur ipsos etiā Oriētales cēsuisse nō posse hæreticos ritè puniri sine authoritate Romana.

§.309. Hic sisto gradum: quia per ferè nongentos annos ostendi Ecclesiam ab Apostolis fundatā, & à Pontificibus Romanis conservatam cū primatu Romanæ Ecclesiæ, & authoritate animadvertendi in omnes hæreticos: nec ex inferis prodijt vllus, quin ad eosdem inferos sit retrusus authoritate Romanorum Pontificum. Quæ autem ab hac ætate gesta sunt in Ecclesia, apertè fatentur hæretici gesta ex authoritate eorumdē Pontificum. Constat enim ex historijs totius Europæ anno 1130. Sanctum Bernardum Claravallēsem effecisse, vt Reges Angliæ, & Galliæ parerent Innocentio tertio, qui successit Honorio, & vt reijcerent Anacletum Antipapam, cui obediebāt Siculi & alij: deinceps totus Christianus Orbis obedivit Innocentio. Quis autem ignorat ab anno 1393. ad 1414. perennasse schisma Petri Lunæ, qui dictus fuit Benedictus Decimustertius, & aliorum duorum, qui conabantur persuadere se esse Pontifices: quorum schisma abolitum fuit in Concilio Constantiēsi anno 1415. anno verò 1417. creatus fuit Martinus Quintus, perseverante in Antipapatu Petro Luna, ad quē Peniscoam venit Sigismundus Germanorum Imperator, suasurus vt deponeret pertinaciam: desertus tandem fuit etiam à suis Aragonijs, Hispaniaque tota cum cætera Ecclesia, relicto Luna, se Martino subiecit. Deinde anno 1545. inchoatum est Concilium Tridentinum à Paullo Tertio, continuatum autem à Iulio Tertio; finitū tandem anno 1563. à Pio Quarto: cui Concilio præfuerunt Legati Romani: sicut olim vtrique Nicæno, Constātinopolitano quarto, septimo, & octavo, Chalcedonensi & alijs generalibus: vt videant Novatores hæretici se pugnare nunc contra Romanas acies, eadem ratione instructas contra ipsos, qua olim contra Arium, Macedoniū, Nestorium, Eutychetem, Sergium & Pyrrhū, Pelagiū & Cęlestium: denique contra antiquos Iconomachos & hęreticos vniversos.

§.308. Hadr.1.

SVBSECTIO X.

De continentia Clericorum.

CONCLAMANT omnes Novatores hæretici Ecclesiam Romanam nūc esse diversam à se ipsa antiquis sæculis; maximè autem vociferantur connubia interdicta Sacerdotibus contra præceptum Apostoli, contra antiquos mores, legemque naturæ. Nunc non ineo disputationem cum hæreticis de honestate, aut turpitudine eius connubij; sed tantùm ostendo Romam nunc esse eamdem, quæ fuit ab Apostolis. Ac primùm Magdeburgenses Centuriatores apertè fatentur in canonibus Apostolicis interdici sacerdotibus, & diaconis vsum vxorum ductarum ante sacros ordines, interdici etiam nova matrimonia: & vxores permitti, illarumque vsum solis cantoribus, & lectoribus, vt constat ex Patre Turriano libro primo pro canonibus Apostolicis capite secundo; & libro quinto pro epistolis Pontificum per multa capita contra Herbrandum, Marlovatum, & alios hæreticos. Cùm autem isti canones sint à tempore Apostolorum, iam non est novum inventum prohibere clericis matrimonium.

Fabulantur Magdeburgenses Gregoriū Magnum primum inter omnes Pontifices, præcepisse clericis cęlibatum: ex quo præcepto tàm multa incommoda sequuta, vt ipse Gregorius gravem egerit penitentiam. Huius fabulæ authorem referunt Sanctum Vdalricum Episcopum Augustanum in epistola ad Nicolaum Papam his verbis: * *Beatus* Gregorius Magnus Papa Primus aliquando suo quodam decreto vxores sacerdo-

S.Thom. q. 1. art. 4. cerdotibus ademit. Deinde paulò pòst cùm idem Gregorius iussisset ex piscina pisces aliquot capi, piscatores pro piscibus sex millia capitum infantium suffocatorum repererunt. Quam cędem infantium cùm intelligeret Sanctus Gregorius ex occultis fornicationibus, vel adulterijs Sacerdotum natam esse; continuò revocavit decretum: & peccatum suum dignis pœnitentiæ fructibus *purgavit.* * Hæc Vdalricus. Nullus hæreticus omninò excusatur ab hæresi; nõnulli autẽ (quãvis temerè, atq; culpatè) sibi persuadent errores suos: Magdeburgenses autem adeò frontem perfricaverunt, vt mendacijs data operâ effictis bellum inferant Ecclesiæ & cœlo: & impugnent scripto castitatem, quam crebrâ turpitudine impugnant.

§. 312. Baron. Baronius, tomo octavo, anno 591. numero 21. cùm retulisset hanc Vdalrici epistolam, eam gravibus impugnat argumentis. Fortissimum est à Chronographia: author libri rerum gestarum Sancti Vdalrici probat Nicolaum Primum excessisse è vivis viginti annis, antequam Vdalricus ad eos accessisset; Nicolaum autem secundum Pontificatum adeptum octoginta vno annis post obitum Vdalrici: videant nunc Magdeburgenses, quis fuerit ille Vdalricus Augustanus, & quis ille Nicolaus Papa? Dicunt recentiores hæretici fuisse alium Vdalricum; cæterùm Augustani nullum alium recognoscunt; dum autem hæretici ad ignotum Vdalricum confugiunt, imitantur depravatos scribas, qui falsographũ confirmant mortuis testibus.

§. 313. Ipsa autem epistola fuit ineptè conficta: ait enim paulò post decretum inventa sex millia capitũ infantium: taceo tàm exiguo tempore esse vltra humanam fidem tot infantes à clericis genitos suffocatos: nam suffocati nõ essent octava pars susceptorum à clericis, si illi sex mille essent suscepti: quis enim credat octavum quemque filium clericorum in stagnum Papæ demersum? multi enim clerici opulenti alerent liberos suos (quamvis occultè); matres non adeò sunt efferatæ, vt filios strangulent: id enim rarò contingit; multæ autem eos exponerent in Xenodochijs alendos publicis stipibus; quæ autem filios tàm ferinè necarent, commodiùs eos necarent in Tiberi, flumine quidem omnibus patenti; non verò in stagno Pontificis circumvallato muro, & cum gravi periculo incidendi in ministros Pontificis, cum aperto discrimine vitæ. Hæc taceo, & rogo Magdeburgenses, quî potuerit piscina Pontificis non fętêre completa sex millibus cadaverũ tempore tàm exiguo? Cùm autem Romæ, & in tota Ecclesia tàm Græca, quàm Latina, post Gregorium Magnum, cultus sit cęlibatus à Clero, qua ratione, nec Romæ, nec Constantinopoli, nec Neapoli, nec Mediolani, nec Parisijs, nec Madridij, aut in alia Curia Christianorum Regum nihil tale contigerit?

Præterea ex Sancto Gregorio detegitur apertè mendacium Centuriatorum: etenim Sanctus Gregorius Pontificatum capessens reperit Romæ cęlibatum nõ solùm in Presbyteris, & Diaconis; sed etiam in Subdiaconis: quia verò Romæ etiam Subdiaconi erant cęlibes, coegit Pelagius Secundus ab vxoribus discedere Subdiaconos Siculos. Hoc decretum Pelagij abrogavit Gregorius permittens Siculis Subdiaconis vxorum vsum; atque præcipiens, ne quis deinceps Subdiaconus fieret, nisi vota castitate & cælibatu; qui autem ex Diaconis Siculis nollent vxores dimittere, interdicti sunt Diaconatu: hæc constant ex Sancto Gregorio, libro primo epistolarum, epistola 42. ad Petrum Subdiaconum post medium, his verbis: *ante triennium Subdiaconi omnium Ecclesiarum Siciliæ prohibiti fuerant, vt, more Romanæ Ecclesiæ, nullatenus suis vxoribus miscerentur. Quod mihi durum atque incompetens videtur, vt, qui vsum eiusdem continentiæ non invênit, nec castitatem antè promisit, compellatur à sua vxore separari, atque per hoc, quod absit, deteriùs cadat. Vndè videtur mihi, vt à præsenti die omnibus Episcopis dicatur, vt nullum Subdiaconum facere præsumant, nisi qui victurum castè promiserit, &c.* Hæc Gregorius, quibus apertè docet à se lenitum decretum Pelagij: item Pelagium motum fuisse exemplo Romanorum Subdiaconorum, qui colebant cælibatum, ad quorum exemplum conabatur Pelagius componere Ecclesiam reliquam. Gregorius autem decretum Pelagij rescidit, quia durum videbatur ad castitatem compellere eos, qui eam non promiserant, ne deterius laberẽtur: quod si totus Clerus Romanus, & totius Ecclesiæ haberet ius ad vxores, nec vovisset castitatem, qua ratione idem Pontifex eum avelleret ab vxoribus, cùm maiora incontinentiæ pericula imminerent tantæ multitudini, quàm paucis Diaconis Siculis? Constat itaque ex eodem Pontifice non solùm Presbyteros, & Diaconos Romanos; sed etiam Subdiaconos fuisse cælibes tempore Pelagij Secundi: ergò Gregorius non fuit primus, qui castitatem præcepit Clero, nec erat, cur ageret pœnitentiam, vt author præcepti, cuius ipse non fuerat author. Vide Baronium probantem ex eodem Gregorio eum tàm longè abfuisse à pœnitentia eius decreti, vt illud sæpiùs confirmaverit,

§. 314.

S. Gregor.

Sub-

§.315. Subdiaconis permissum vxorum vsum non solùm in Sicilia; sed etiam in Hispania docet Baronius, eo tomo octavo, anno 591. Idque colligitur ex Concilio Arausicano, sub Leone Primo, capite 25. his verbis. *De idoneis autem, probatisque viris, quos Clericatui alligari ipsa vitæ gratia suggerit, si fortè inciderint in duplicata matrimonia, vt non vltra Subdiaconatum Ecclesiticas capiant dignitates*: ex quibus patet Subdiaconis alicubi permissas secundas nuptias: quæ non permittebantur Presbyteris, & Diaconis. Præcipuè autem id cernitur in Concilio Africano sub Bonifacio Primo, cap. 37. *præterea* (inquit) *cùm de quorumdam Clericorum, quamvis erga vxores proprias, incontinentia referretur: placuit, Episcopos, & Presbyteros, & Diaconos, secundum priora statuta, etiam ab vxoribus continere. Quod nisi fecerint, ab Ecclesiastico removeantur officio. Cæteros autem Clericos ad hoc non cogi; sed secundum vniuscuiusque Ecclesiæ consuetudinem, observari debere.* Ex quo canone patet apertè fuisse in aliquibus Ecclesijs permissas vxores Subdiaconis.

§.316. **Obiectio. Resp.** Dices, hunc vsum fuisse contra canonem 27. Apostolorum, quo solis cantoribus, & lectoribus permissæ fuerunt vxores. Respondeo in Ecclesia Romana, id tàm exactè observatum, vt Pelagius, & Gregorius Magnus ad illius mores cæteras composuerint: adeò enim Roma brachio vtroque amplexa est Apostolica constituta (quantumvis difficilia, & aspera videantur:) in cæteris autem Ecclesijs per indulgentiam non fuerunt aliquando coacti Subdiaconi ad promittendam castitatem, idque non in omnibus; sed in aliquibus percrebruit, donec à Romanis Pontificibus Apostolici mores obtinuerunt totam Ecclesiam. Conijcies etiam, cur aliquando permittantur Subdiaconis nuptiæ cum viduis; aliquando verò prohibeantur: nempe Subdiaconi, qui volunt promoveri ad maiores ordines interdicuntur his nuptijs; cæteris autem, qui recusant promotionem, non interdicuntur illæ nuptiæ.

§.317. **2. Obiectio** Obijcis secundo, ab Innocentio Primo permissas Sacerdotibus nuptias epistola secunda ad Victricium Rothomagensem Episcopum, quæ circumfertur, tomo primo Conciliorum inter decreta Innocentij Papæ: qui capite quarto, hæc ait; *vt mulierem viduam Clericus non ducat vxorem: quia scriptum est, Sacerdos vxorem virginem accipiat, non viduam, non eiectam.*

Innocēt. 1.

Resp. Respondeo, Innocentiũ non egisse de Clerico Sacerdote; sed vel in Subdiaconatũ, vel in minoribus ordinibus: subijcit enim immediatè Innocentius post recitata verba, illorum rationem reddens: *vtique, qui ad Sacerdotium labore suo, & vita probitate contendit, cavere debet, ne hoc præiudicio impeditus pervenire non possit*: ergo loquitur Innocentius de Clerico contendente ad Sacerdotium. Eâdem ratione accipe Concilium Turonicum 1. cap. 4. *& vt Clericus,* (inquit) *cui datur nubendi licentia, internuptã, non accipiat vxorem; quod si fecerit, vltimum in officio Clericali teneat locum*: agit ergo de Clericis minoribus, quibus adimitur facultas ad promotionem; capite autem secundo graviter puniendos vult Sacerdotes, & Levitas non abstinentes ab vxoribus.

§.3 Quàm impudenter mentiantur Centuriatores, & quam ignarè conficta sit epistola Sancti Vdalrici, quà Sancto Gregorio adscribitur primum decretum de continentia Clericorum, cõstat ex canone 27. Apostolorum, qui circumfertur, tomo primo Conciliorum, cuius hæc sunt verba: *innuptis autem, qui ad Clerum provecti sunt, præcipimus: vt (si voluerint) vxores accipiant; sed lectores, cantoresque tantummodò.* Alia autem versio ait: *ex his, qui cælibes in Clerum pervenerunt, iubemus, vt lectores tantùm, & cantores (si velint) nuptias contrahant*: non ignoraverunt hunc canonem Magdeburgenses, quorum hæc sunt verba: *& canon 27. tantùm Clericis lectoribus, & cantoribus nuptias permittit; alijs verò non obscurè vetat: quod est contra doctrinam Paulli prima ad Timotheum tertio, & prima ad Corinthios nono, & prima ad Timotheum quarto.* Quibus verbis Magdeburgenses infringunt huius canonis vim. Iam dixi, me non disputaturum de honestate, aut turpitudine eius connubij; sed ostensurum, quàm sit antiquus mos Clericis ab vxoribus abstinendi: nam isti canones tàm sunt antiqui, vt in Nicæna quoque Synodo sint citati canone primo, vbi ait Concilium: *sic eos, quos aut barbari aut domini castraverunt, si inveniantur aliàs dignissimi, tales ad Clerum suscipit regula*: alij legunt, *hos suscipit Ecclesiastica regula in Clerum*: regula autem Ecclesiastica idem est, quod Ecclesiasticus canon. Quæ autem est illa regula Ecclesiastica, nisi ex Ecclesiasticis canonibus Apostolorum? vbi canone vigesimo, hæc asseruntur: *siquis humana violentiâ eunuchus factus est, aut in persequutione amputata ei sunt virilia, aut ita natus fuit, & dignus est, efficitur Episcopus.* Cùm igitur Cõcilium alleget canonem Ecclesiasticum, & inter Apostolicos vigesimus, verbum pro verbo, contineat doctrinam canonis Nicæni; quis dubitet Nicæno allegari Apostolicum? Ab alijs autem Concilijs, Papis, & Patribus citari Apostolicos canones, & qua ratione, erudite (vt solet) ostendit Pater Franciscus Turrianus, libro primo, pro canonibus, capit. 13. Quæ sufficiunt ad ostendendum, Ecclesiam ab antiquis sæculis cõpositam

S.Thom. q.1.art.4. positam ex horum canonum doctrina. Hûc autem canonem 27. de continentia Clericorum latè defendit Turrianus eo libro primo, capite secundo. Vt autem videas, quàm rudi Minerua fuerint Magdeburgenses, rectè observat Turrianus, capite primo, à Magdeburgensibus dici eos canones versos Græcè à Clemente: constat autem Clementem fuisse primum illorum canonum scriptorem Græco idiomate, non alio.

§.319. Ab Apostolis ad Concilium primum Nicænum perseveravit ille mos, in eo autem Concilio capite tertio, non solùm interdicitur contubernium cùm vxoribus; sed etiam cum quavis alia fœmina, quæ non effugiat suspicionem: hæc autem sunt verba, *interdixit per omnia magna Synodus, non Episcopo, non Presbytero, non Diacono, nec alicui omnino qui in Clero est, licere subintroductam habere mulierem, nisi fortè, aut matrem, aut sororem, aut amitam, vel eas tantùm personas, quæ suspiciones effugiunt.* Cùm igitur Concilium præcipiat vitandas esse omnes fœminas præter matrem, sororem, & amitam, vel eas, in quas non cadat suspicio coeundi, quales sunt anus & ægræ, manifestè interdicitur contubernium cum vxore, nisi suspicione careat coeundi. Alioquin, vt excepta fuit mater, soror & amita, cur non erat excipienda primum vxor, quæ potiori iure, quam mater habitatura erat cum marito. Item si Clericis permitterentur vxores, quis dubitet illarum plurimas futuras fuisse adolescentulas, plurimas nobiles, & opulentas indigentes magno fœminarum famulatu: inter quas multæ etiam essent iuvenes, atq; formosæ: ergo Clerici coniugati non poterant fugere omnes mulieres, in quas posset cadere suspicio. Quod patet ex Concilio Turonico 2. cap. 14. vbi præcipitur Episcopo non habente Episcopam, ne habeat mulieres domi: quod si Episcopam habeat, illi permittuntur fœminæ, est autem Episcopa, quæ ante Episcopatum fuit ducta; & caret suspicione iuxta canonem tertium Nicænum. Vide etiam, cap. 16. de illicitis monachorũ connubijs. Quapropter Sanctus Augustinus noluit habitare cum sorore: quia quamvis illa non esset suspecta, essent tamen famulæ, & amicæ, quæ illam inviserent. Concilium autem egisse de omnibus Clericis, nihil refert: quia ibi loquitur de Subdiaconis, qui in magna Ecclesiæ parte voverant castitatem: de cantoribus autem & lectoribus satis erat vulgatus vigesimus septimus canon Apostolicus illis permittens vxores.

§.320. Concilium vxores, & illarum vsum Sacerdotibus interdixisse constat ex Sancto Basilio vicino patribus Nicænis, qui armatus authoritate Concilij præcepit Episcopo cuidam Gregorio, vt vxorem abigeret, in epistola ad ipsum Gregorium: ecce Basilij verba, *nos vero, Gregori, nec primi, nec extremi legem tulimus, ne mulieres cum viris Deo dicatis habitarent. Lege canonem editum in Concilio Nicæno, qui planè vetuit habere has domi mulieres.* Recognosce totam illam epistolam: ex qua comperies Græcis etiam Sacerdotibus interdicta connubia per multa secula. Basilius autem egit adversus Episcopum Concilij canone agente contra omnes Clericos maiores: tùm quia Basilius dixit cautum esse in Cõcilio ne mulieres habitarent cum viris Deo dicatis: qui non solùm sunt Episcopi; sed etiam Clerici maiores: tùm quia canon citatus à Basilio non est alius, nisi tertius, qui agit de quocumque homine in Clero existente. Qua ergo ratione efficacius ostendi poterit mens Concilij Nicæni, quàm ex praxi servata adhùc in Græcia à Patribus tàm vicinis ipsi Concilio, qualis fuit Basilius. Recognosce Patrem Turrianum, libro quinto, cap. 15. rem hanc, qua solet eruditione, illustrantem. Basilius.

§.321. Providit Deus alium interpretem Concilij Nicæni in Occidente, nempè Concilium secundum Arelatense, quod fuit primum post Concilium Nicænum, & sub eodem Siluestro Papa: capite igitur secundo, hæc ait: *assumi aliquem ad Sacerdotium non posse in vinculo coniugij constitutum, nisi fuerit promissa conversio, oportet.* Ecce præcipitur, vt castitatem voveant initiandi Sacerdotio. Capite autem tertio videtur agere interpretem tertij Nicæni capitis, his verbis: *siquis de Clericis à gradu Diaconatus, in solatio suo mulierem, præter aviam, matrem, sororem, filiam, neptem, vel conversam secum vxorem, habere præsumpserit, à communione alienus habeatur. Par quoque & mulierem (si se separare noluerit) pœna percellat.*

§.322. Antequam bellum conficiam cum hæreticis, libet velitare cum aliquibus catholicis, asserentibus à Clericis maioribus non voveri castitatem; sed illis eam esse præceptam ab Ecclesia: contra quos argumentor primum ex Concilio secundo hoc Arelatensi, capite secundo, vbi coniugato interdicit Sacerdotium; nisi conversionem promittat: conversio autem est continentia ab vxore: quam cõtinentiam ipsa etiam vxor vovebat: nam capite tertio, vocat Concilium vxorem Sacerdotis *conversam*, id est, quæ vovit conversionem. Promissio autem castitatis cum vero animo se obligãdi, quid est, nisi votum? votum enim est voluntas se obligandi ad servandam castitatem, qua voluntate castitas offertur Deo. Secundò argumẽtor ex Sãcto Gregorio Magno adducto,

to §. 324. vbi præcepit Episcopis, ne vllum subdiaconum faciant, nisi promittat se castè victurum: igitur Gregorius non monuit Episcopos, esse in Ecclesia præceptum; sed vt nulli donent subdiaconatũ, nisi promittenti castitatem. Tertiò ex Sancto Basilio adducto §. 320. ait enim Gregorio: *cælibum verè hæc est gloria, & splendor, mulierum convictu carere, vt iam, qui castimoniam nomine profiteantur, &c.* Professio autem castitatis voce, quid est, nisi castitatis vocale votum?

§. 323. Iustinian. Instauremus cæptum bellum cum hæreticis: Iustinianus anno 535. publico constituto præcepit Episcopis Græcis cęlibatũ, asserens id non fieri sua authoritate; sed authoritate Ecclesiastica, his verbis: * *hoc* autẽ *facturum credimus, si sacrarum regularum observatio custodiatur, quam iusti, & laudandi, & adorandi inspectores, & ministri Dei verbi tradiderunt Apostoli, & Sancti Patres custodierunt, & explanaverunt. Sancimus igitur, sacras per omnia sequentes regulas, de cætero nulli permittentes à positione legis vxorem habenti talem imponi ordinationem.* * Vide Baronium tomo septimo, anno 535. versu *maxima quidem*, & sequenti. Item §. 273. ostendi, hæreticos authores PseudoSynodi Quinisextæ apertè confessos, cælibatum præceptum Sacerdotibus Græcis per septingentos annos; id autem, quia dormierunt Patres, & non legerunt quemdam Apostolicum canonẽ: nec mirum eum non lectum à Patribus, quia ille canon non est Apostolicus; sed suppositítius ab illis hæreticis, vt epistola Sancti Vdalrici à Magdeburgensibus: cuius memini §. 311.

§. 324. Lucius. Lucius Papa idem præcepit, his verbis: *si verò post ordinationem suam, ministros contigerit propriæ vxoris invadere cubile, sacrarij non intrent limina, &c.* Quod decretum est in tomo primo Conciliorum inter decreta Lucij: refertur etiam à Graciano distinctione 81. capite, *ministri altaris.* Idem præceptum confirmavit Stephanus Quartus in eodem tomo primo Conciliorum, ante decreta Sixti Papæ secundi, & refertur à Graciano, distinct. 31. capite, *aliter se:* verba Stephani sunt hæc: *aliter se Orientalium*

Stephanus *traditio habet Ecclesiarum, aliter huius Sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Nam illarum Sacerdotes, Diaconi, aut Subdiaconi, matrimonio copulantur; istius autem Ecclesiæ nullus Sacerdotum, à Subdiacono vsque ad Episcopum licentiam habet coniugium sortiendi.* Hæc autem traditio non fuit ab exordio Ecclesiæ; sed ab anno 692. quo coacta fuit PseudoSynodus Quinisexta Constantinopolitana, postquam Romani Pontifices, ob graviora incommoda vitanda, permiserunt connubia Græcis Sacerdotibus; Stephanus autem creatus fuit Pontifex anno 769. circiter octoginta annos post Synodum Quinisextam: ob quos consuetudinem illam vocat traditionem.

Idem præceptum latum est in Concilio Arausicano primo sub Leone Primo: capite enim 23. hæc ait: *siquis autem post acceptam benedictionem leviticam, cum vxore sua incontinens invenitur, ab officio abijciatur.* In Concilio autem Turonico primo capite secundo, Sacerdotibus incontinentibus etiam cum proprijs vxoribus prohibetur vsus sacrorum Ordinum; permittitur autem communio, quæ illis fuerat interdicta. Hoc intellige post pœnitentiam actam: post quam ob gravissima scelera interdicebatur communio interdum etiam vsque ad mortem, vt constat ex Concilio Turonico secundo, cap. 1. & 21. Capite autem sexto, hæc ait Concilium: *qui verò se sacris virginibus per coniunctionem nefandam miscuerit, vel propositum professæ religionis dereliquerit, vtrique à communione habeantur alieni.* Quando autem Concilia vetant à Sacerdotibus dimitti vxores religionis caussâ: non est quòd illarum vsus permittatur; sed quia præcepit Apostolus, ne à fideli dimittatur vxor infidelis; si illa consenserit, nec reluctetur religioni viri: ob hanc ergo caussam non volunt Concilia vxores dimitti ac Sacerdotibus; sed vt eas castè retineant, casque alant: nec propterea præcipitur, vt eas domi retineant; sed præcipitur, ne illas omnino deserant; in Cõcilio autem Taurinatensi anno 395. cap. 7. hæc asseruntur. *Hi autem, qui contra interdictum sunt ordinati, vel in ministerio, genuerint filios, nec ad maiores gradus ordinum permittantur.* §. 325.

Antiquiorem legem profero ex Sancto Clemente Romano epistola secunda ad Iacobum, his verbis: *quòd si post ordinationem ministro altaris contigerit proprium invadere cubile vxoris, sacrarij non intret limina, &c.* Viderunt Magdeburgenses hac epistola monstrari, tùm ipsorum incontinentiam, tùm se non esse vxoratos; sed publicos concubinarios: recurrunt ergo ad asyla sibi familiaria: negant enim authoritatem veterum illorum librorum, in quibus ipsorum vitia reprehenduntur. Idem præstant in hanc epistolam Clementis. Præcipuum fundamentum est, quia hæc scripta fertur iussu Sancti Petri, octo annis post obitum Sancti Iacobi. Cui argumento facit satis Pater Franciscus Turrianus, libro secundo pro epistolis Pontificijs, capite 13. vbi eleganter ostendit ex Platone, & alijs gravibus authoribus anti- §. 326.

S. Thom. q. 1. Ar. 4. quam esse consuetudinē libros doctrinales dirigere ad homines quidem mortuos, cum quibus confabulantur authores ac si essent inter vivos. Nam doctrina ad illos directa, ab illis & authoritatem accipit, & omnes sibi persuadent ad se ipsos spectare, quæ ad suos maiores diriguntur. Nec vero ignoravit author eius epistolæ Iacobum iam esse vita functum. Si enim id non ignorant recentes, & ignari Magdeburgenses, qui id ignoravit author eius epistolæ antiquissimus quidem, atque doctissimus? Ostendit autem recte Turrianus Photium eruditissimum virum, hanc obiectionē tàm esse puerilem censuisse & facilem, vt eum piguerit ei satisfacere. Item incredibile esse eam epistolam ab alio, quàm à Clemente scriptam: quam etiam tuetur libro 5. capite 20. Idē autem fuit scribere ad Iacobū, ac ad Ecclesiam Hierosolymitanam; in qua vivebat Iacobus: vt Sanctus Petrus Chrysologus in epistola ad Euthychetem (quæ est in præambulis ad Concilium Chalcedonense) ait, Petrum adhuc vivere in sede Romana, & ab eo doceri, qui quærunt fidei veritatem.

§. 327. 2. Arg. S. Hieron. Respond. Secundum argumentum sumitur ex Sancto Hieronymo in catalogo hæc asserente de Sācto Clemente: *fertur & secunda eius nomine epistola, quæ à veteribus reprobatur.* Respondeo cum Turriano eo capite vigesimo, non loquutum Hieronymum de epistola secunda ad Iacobum, sed de epistola secūda ad Corinthios. Etenim dixerat Sanctus Hieronymus à Clemente scriptam epistolam ad Corinthios valdè vtilem, & à veteribus laudatam: cum autem non meminisset Hieronymus aliorum scriptorum Clementis, expunxisset barbarè è catalogo scriptorum Clementis epistolam secundam ad Iacobum. Cum autem solum dixerit reprobatam à veteribus epistolam secundam, suppletur ibi *ad Corinthios:* quia aliam epistolam ad ipsos laudaverat. Minus reprehendo Lambertum Gruterum Venradium, quòd sententias huius epistolæ censuerit esse Clemētis: quamvis nō epistolam ipsam: seque subiecit Ecclesiæ.

§. 328. Hanc epistolam esse perantiquam eruditè ostendit Turrianus eo libro secundo capite decimo tertio: quia eius authoritate vtuntur Sanctus Anacletus epistola prima, & tertia, Sanctus Euaristus, Alexander atque Marcellus epistola secunda. Adde Lucium Papam in decreto adducto §. 324. verbum pro verbo descripsisse canonem Sancti Clementis ex hac epistola secunda:

S. Lucius Papa. ait enim Lucius: *si vero post ordinationē suam ministros contigerit propriæ vxoris invadere cubile, sacrarij non intrent limina, nec sacrarij portitores fiant, nec altare contingant, nec ab offerentibus holocausti oblationem suscipiant, nec ad Dominici corporis portionem *accedant.** Dubitabis itaque an Clemens loquatur in decreto Lucij, an autem Lucius in epistola Clementis? Hinc oritur odium Magdeburgensium in hanc epistolam, quia est familiaris Romanis Pontificibus, & extinguit flammeas illorum libidines. §. 329.

Tam constans est hæc in Ecclesia consuetudo, vt Concilium Turonicum secundum sub Pelagio primo asserat capite 21. Romana lege capite plecti, qui duxerit eam, quæ Deo vovit castitatem: præcipit autem, vt eiusmodi sacrilegi coniuges separentur potestate sæcularium iudicum: quos præcipit excommunicari, nisi opem ferant Episcopis ad eam separationem. Divinavit Concilium stragem Lutheranam, qua tot sanctimoniales traditæ sunt ganeonibus Luthero, Carolstadio, & alijs belluinis Germanis. Capite autem 20. ait diaconum olim damnatum ab Episcopis omnibus, quòd censuerit licitum esse diacono vxoris vsum. Hunc diaconum Pater Turrianus libro quinto capite 15. censet fuisse Nicolaum vnum ex septem primis. Hic coniunctus erat vxori formosæ, à qua cum diu abstinuisset, pellectus tandem eius amore & blanditijs ad eam fruendam redijt, contestans illius vsum sibi esse omnino necessarium: quamobrem ab Apostolis fuit eiectus è Concilio. Rem hanc ita testantur Irenæus, Tertullianus, Hilarius, Epiphanius, atque Hieronymus apud Baronium tomo primo anno 68. num. 9. Eusebius autem, Clemens Alexandrinus, & alij numero decimo, quos sequitur ipse Baronius, ex mente Sancti Ignatij, cēsent Nicolaum culpâ vacasse: cum enim argueretur ab Apostolis ob Zelotypiam, fertur in medium vxore producta dixisse: *nubat cui voluerit*: non quòd censuerit id esse licitum; sed vt ostenderet se non esse tactum Zelotypiâ. Hæretici autem arrepta ad libidinē ansâ, hinc effutiverunt licitas esse nuptias cum vxoribus diaconorum, omnesque mulieres esse communes. Quapropter Sanctus Ignatius ait Trallianis, Nicolaitas falsum sibi nomen vsurpasse: atque Baronius ex sententia Hippolyti, & Dorothei, Nicolaum diaconum fide Catholica probatissimum, creatum ab Apostolis Episcopum Samaritanorum. Cuiuscumque autem fuerit illa sententia, damnata quidem fuit ab antiquis, vt constat ex secūda synodo Turonica c. 20. Videāt Cēturiatores vtrū cęlibatus clericorū initiū sumpserit à Gregorio Magno ānis viginti posteriore illa Synodo? Irenæus. Tertull. Hilarius. Epiphan. Hieron. Eusebius. Clemens. Alexand.

Quæ

§. 330. Quæ graviter quidem, capite 28. ait: *& quia* hæresis Presbyterorum à quodam Presbytero primùm surrexit: etiam quod nullus potuit æstimare, quòd auderet ille, qui corpus Domini consecrat, talia perpetrare, nisi tempore novissimo pro peccatis nostris ista surrexerunt. Si illi Diaconi omnium sententiâ Episcoporum damnati sunt, & hæretici reputati, & si tales Diaconi illi subiaceant maledictioni, quos Patrum statuta pro hac caussa damnaverunt: quid illi infelices Presbyteri, qui tali sunt peccato subiecti, vt alios trahant in præceps secum, qui eos tali ordine vivere cernunt; & qui deberent esse forma præcepti, ipsi inveniantur norma peccati? Rectius est, vt caput morbidum, si curari non potest, amputent, quam grex per eumdem inficiatur. Talis ergo Sacerdos, & pastor non debet à populo venerari; sed renui, qui non formam disciplinæ; sed vitij docet, dum se ipsum non *corrigit.** Hæc tàm fusè retuli; primùm, vt agnoscant Centuriatores suam ignorantiam, & impudentiam: cælibatus enim tàm fuit à Sacerdotibus cultus, vt ante annum 569. (quo coacta fuit illa Synodus) non fuerit in Ecclesia auditum matrimonium Sacerdotum post ordines susceptos: secundò, vt considerent iudicasse Synodum incredibile fuisse tantam impietatem manasse ab homine contrectante Christi corpus. Misera Germania! quæ genuisti tot incredibilia monstra: nempè tot Sacerdotes monachos, & tot laicos, qui duxerunt vxores sanctimoniales: & lætis oculis adspexisti facinus tàm horrendum, vt apud Ethnicos Romanos puniretur acerbissimo vitæ supplicio, defossâ Vestali vivâ: cuius turpitudo tàm mæstè lugebatur, vt totius vrbis portæ, & fenestræ clauderentur: tu verò lætabunda, atque tripudians, acclamas infaustissimis nuptijs, obscœnior facta, quam gentilitas.

§. 331. Extincta fuit hæc hæresis in Occidente, revixit in Oriente Constantinopoli in PseudoSynodo Quinisexta, anno 692. Quæ tamen integra damnata fuit in Concilio generali Secundo Nicæno per legatos Adriani Primi, anno 698. vel vno, aut duobus annis post. Anno verò 1051. Leo Nonus mācipavit omnes mulierculas prostitutas Presbyteris intra Romana mœnia, vt fierent mancipia, quæ erant Diaboli ministræ. Anno verò 1061. Alexander Secūdus hortatur Clericos Mediolanenses, vt abijciant concubinas: quia occasione bellorum illa pestis occupaverat Mediolanum, quò missus fuit Sanctus Petrus Damianus, anno 1059. à Nicolao Secundo: vbi exstinxit duas hæreses; alteram Simoniacorum: alteram Nicolaitarum, quæ est hæc, de qua agimus. Ita autē convicit vniversum Clerū, vt Archiepiscopus, & Presbyteri eas hæreses abiuraverint. Vide Baronium, tomo 11. anno 1059. à versu *his itaque rationibus*. Vnū autem è præcipuis argumentis fuit, quia ex testimonijs hæreticorum intulit non solùm Presbyteros; sed etiam Episcopos, & monachos, & sanctimoniales debere inire matrimonium. Quod tàm absurdum visum fuit Clericis Nicolaitis, vt manibus datis se subiecerint Nicolao Papæ. O impudentia Lutherana! quæ devoravit obscænitatem absurdam, quæ ipsos etiam Nicolaitas superiores strangulaverat: habuit enim Lutherus patentissimas fauces balenæ, apud Hispanos *buen tragadero*.

Anno 1061. in schismate inter Alexandrum Secundum, & Cadaloum, Cadalous Antipapa, sive Antichristus ad se traxit multos Clericos incontinentes, quos Petrus Damianus dixit nuncupandos Cadaloitas; non vero Nicolaitas. Tandem anno 1065. damnati sunt Nicolaitæ ab Alexandro Secundo, contra quos stilum acuit S. Petrus Damianus: cuius diligentiâ commoti sunt Episcopi ad cohibēdos eiusmodi Clericos. Anno autem 1074. Gregorius septimus legatos misit in Germaniam ad compescendos Nicolaitas: quod refert Baronius ex Lamberto eius temporis historico. Henricus enim exhortatione Gregorij in suo Regno extinxit illas duas hæreses Simoniacorum, & Nicolaitarum, quas Mediolani confecerat Petrus Damianus, vt constat ex libro secundo epistolarum epistola 30. Gregorij, qui in Concilio Romano frequētissimo novis anathematis animadvertit in Clericos Nicolaitas: monuitque Episcopos, ne essēt segnes in ea peste extinguēda; sin minùs se in illos graviter animadversurum. Idē peractū est anno 1075. item 1078. Tandem anno 1134. S. Bernardus composuit Clericos Mediolanenses relapsos in id vitium, confirmans doctrinam multis, & preclaris miraculis. Denique recognosce Patrem Gualterium sæculo primo, octava veritate, vbi eruditè probat antiquitatem cælibatus & leges Romanorum Pontificum, & Conciliorum: & Patrem Gordonum in serie rerum gestarum, anno 57. vbi insinuat cælibatum ab Apostolo prælatum matrimonio; & anno 320. quo abrogatæ sunt à Constantino Magno leges Iulia, & Papia, quæ erant contra cęlibatum; & anno 326. prope finem, vbi cælibatum probat ex Sācto Hieronymo & Concilio Nicęno. Denique resedit illa pestis per annos plures quā 400. vsque ad annum 1522. quo ab inferis est à Luthero revocata verbis quidem §. 332.

S. Thom. q. 1. Ar. 4. tàm obscænis, quàm decebat eius oris latrinam; docente singulos homines debere vxorem ducere: quam duxit Andreas Carolstadius, anno 1524. Lutherus autem anno 1525.

§. 333. Nunc orationem convertam ad Lutheranos & Calvinianos: dicite (obsecro) discipulos Christi agentes cum ipso Christo fuisse ingratos, & reprehensos à Christo, vt dixit Calvinus vester: asserite Calvinum præcipientem matrimonia sapientiorem fuisse Apostolo Paullo præferenti virginitatem matrimonio; nam inter vestros Beza dixit, infra Deum nullum fuisse sapientiorem Calvino, quem Paullo doctiorem iactitaverunt alij (arbitror quia exemplo docuit sodomiam, quam in se ignoravit Paullus): affirmate Spiritum Sanctum pleniorem fuisse in Luthero, & Calvino: quàm in Christo (opinor, quia Christianus spiritus non consolatur carnem luxuriosam, & sodomiticam, vt Lutheranus, & Calvinianus): nam & Montanus, quem vos in parte sequimini, se anteposuit Christo: garrite omnes homines esse deceptos, vno excepto Luthero: hæc iactate, fidem enim præstabunt vobis belluini vestri discipuli, vestræque meretriculæ, quæ per pellicatum arbitrantur se in hac, & futura vita forè beatas: at verò negare antiquitatem cælibatus, qua fronte potestis? Aut ergo falsate omnia antiquitatis monumenta; aut abstinete ab hac ignorantia. Qui ignoratis Concilia Arelatense, & Turonicum celebrata in Gallia? qui Concilia Romana, & decreta Pontificum in Italia? qui leges Henrici obedientis Gregorio septimo in Germania? Eia confugite ad occultum vestrum Spiritum Sanctum; ne historias negetis, ne vel pueris sitis ridiculi: & ex hoc tàm impudenti mendacio, non ex vngue leonem; sed lenonem esse coniiciant.

SVBSECTIO XI.

Authoritas aliquorum Patrum.

§. 334. CONSTAT ex hac epitome chronologicâ Romam constantem semper fuisse in doctrina speculativa, & morali, quam accepit ab Apostolorum Principe; hæreticos autem Novatores vna cum fide demersisse totam honestatem doctrinæ moralis. Nunc libet ostendere quàm fuerit insitum Sanctorum animis Ecclesiam Romanam, non solùm fuisse semper Catholicam; sed etiam petram, & fundamentum conseruandæ fidei in Orbe toto. Ac primùm clarissimum est testimonium Sancti Irenæi adductum §. 182. quo asserit authoritate Ecclesiæ Romanæ confundi hæreticos omnes: quod recole in eodem §. & confirmat Leo Nonus, asserens omnia hæreticorum commenta convicta esse, & reprobata à Petro, & eius successoribus; cuius verba refert. P. Suarez in defensione fidei, lib. 1. cap. 5. num. 10. *Irenæus.*

Sanctus Cyprianus non solùm asseruit Romanam Ecclesiam fuisse semper constantem in fide, verùm etiam omnes hæreses exortas in Ecclesia, quia hæretici se abiunxerunt à Romano Pontifice. Epistola enim 55. ad Cornelium longè post initium, hæc ait: * *Neque* enim aliunde hæreses obortæ sunt, aut natâ sunt schismata, quàm inde, quòd Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec vnus in Ecclesia ad tempus sacerdos, & ad tempus iudex vice Christi cogitatur. Cui, si secundum magisteria divina, obtemperaret fraternitas vniversa; nemo adversum Sacerdotum collegium quidquam moveret; nemo post divinum iudicium, post populi suffragium, post Coepiscoporum consensum iudicem se, iam non Episcopi; sed Dei faceret; nemo dissidio vnitatis, Christi Ecclesiam scinderet; nemo sibi placens, ac tumens seorsum, foris hæresim novam conderet; nisi ita est aliquis sacrilegæ temeritatis, ac perditæ mentis, vt putet sine Dei iudicio fieri *Sacerdotem.* * §. 335. *Cyprian.*

Dices à Sancto Cypriano sermonem fieri non de Pontifice Romano; sed de singulis Episcopis. Contrà: Iacobus Pamelius versu vigesimo septimo scholiorum in eam epistolam, rectè observat Cyprianum hic locutum de solo Pontifice Romano: quod confirmat Pater Gaulterius sæculo primo, veritate 11. §. primo. Idque perspicuum est ex ipsa epistola: tùm quia infrà, hæc ait: * *Post* ista adhùc insuper Pseudo Episcopo sibi ab hæreticis constituto, navigare audent, & ad Petri Cathedram, atque ad Ecclesiam principalem, vnde vnitas sacerdotalis exorta est, à schismaticis, & prophanis litteras ferre: nec cogitare eos esse Romanos (quorum fides, Apostolo prædicante, laudata est) ad quos perfidia habere non possit *accessum.* * Quibus apertè te statur, Ecclesiam Romanam esse principalem; eamque esse hæresum tàm immunem, vt non satis miretur Cyprianus, §. 336. *Obiectio. Refell. Iacob. Pamel. P. Gault.*

auda-

audaciusm impudentiam hæreticorum, qui ausi Romam adire. Hæc autem huius disputationis instituto satis erant; sed cætera ostendamus: etenim si Cyprianus de quocumque Episcopo fuisset locutus, ineptè dixisset, illi obtemperaturam vniversam fraternitatem; neminemque adversum Sacerdotum collegium quidquam moturum; neminemque post Coepiscoporum consensum se facturum iudicem, non iam Episcoporum; sed Dei. Etenim cur multi Episcopi non possent agere contra Carthaginensem Episcopum? vt sæpiùs egit Sanctus Augustinus contra Cyprianum, contra Agrippinum, contra Donatum Archiepiscopos Carthaginenses.

§.337. Cùm autem dicit *Coepiscoporum consensum*, iam non loquitur de vno singulari; sed de vniversali, qui ad definitiones consulit fratres suos Coepiscopos. Item non sunt ortæ omnes hæreses ex dissidio Sacerdotum à suo Episcopo: sæpè enim Sacerdotes consentientes Episcopo sunt hæretici, quia & Episcopus hæreticus est: vt quando Sacerdotes Alexandrini secuti Patriarcham Dioscorum se hæresi infecerunt: sæpiùs etiam Sacerdotes dissentientes ab Episcopo sunt Catholici; quia Episcopus hæreticus est: vt cum Sacerdotes Constantinopolitani reclamaverunt Nestorio. Loquitur ergo Cyprianus de Episcopo Romano; ad quem (vt Papa est) non potest accedere perfidia ex Cypriano in eadem epistola: qui consultis cæteris Coepiscopis ita est iudex, vt qui reclamaverit se faciat iudicem Dei: qui vices Christi gerat vnus; at cæteri non sunt vnus: est ergò ille ex Cypriano vnus in Ecclesia Magister: Carthaginensis autem, Toletanus, & Parisiensis plures sunt, non vnus: cum ergo ibi dixerit Cyprianus Ecclesiam Petri esse principalem, & fontem vnitatis Ecclesiasticæ, quando dixit vnum iudicem, quis dubitet illum esse Episcopum Romanum? qui est caput vnitatis Ecclesiæ.

§.338. Rogas: quorsum Cyprianus ageret de Episcopo Romano? cùm sermo esset contra nonnullos hæreticos rebelles ipsi Cypriano, à quo Cornelium Papam appellaverant. Respondeo; Cyprianum id optimo egisse consilio. Etenim ostendit se esse legitimum Episcopum, impavidè resistentem & hæreticis, & gentilibus, & se nihil esse diversum in doctrinâ à cæteris Coepiscopis; in quos derivata est vnitas à Romano: quibus ostendit illos profugos hæreticos non solùm agere contra Cyprianum ipsum; sed etiam contra cæteros Coepiscopos; cum quibus ipse erat vnum per vnitatem cum Romano capite. Hinc igitur hæreses ortæ, & Ecclesia discissa, quia hæretici se disiungunt ab Episcopis, vt habent vnitatem doctrinæ à Romano. Ponit ergo Cyprianus argumentum, quod moveat Cornelium Papam, non quod provocet; provocaretur quidem Romanus Pontifex contra Episcopum tàm arrogantem, qui iactitaret illos quinque homines esse hæreticos solùm, quod ab ipsius doctrinâ descivissent: cum enim illi expostularent cum Cypriano apud Cornelium, iam censebant Cornelium habere potestatem in Cyprianum: quam potestatem negaret apertè Cyprianus, si assereret se esse iudicem vnum in caussis fidei. Moveret autem Cornelium argumentum Cypriani, si loqueretur de se ipso, vt habet vnitatem à principali Ecclesia Petri. Hinc orta admiratio hæreticæ audaciæ; qui Romam confugerint aversi ab illius doctrina, accusaturi Cyprianum coniunctum cum Romanis.

Sanctus Hieronymus, tomo primo, epistola 57. ad Damasum, hæc & verbis confirmat, & facto: cum enim Orientem hæresibus conspiceret ardere, testatur à se consuli Cathedram Petri; quia cæteræ Ecclesiæ non retinebant constanter fidem; Romanam autem incorruptam manere, extra quam omnes pereunt. Hæc sunt Hieronymi verba: * *Ideò* mihi Cathedram Petri, & fidem Apostolico ore laudatam, censui consulendam; inde nunc meæ animæ postulans cibum, vnde olim Christi vestimenta suscepi. Neque verò tanta vastitas elementi liquentis, & interiacens longitudo terrarum, me à pretiosæ margaritæ potuit inquisitione prohibere. Vbicumque fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ. Profligato à sobole mala patrimonio, apud vos solos incorrupta patrum servatur hæreditas. Ibi cespite terra fœcundo, Dominici seminis puritatem centeno fructu refert: hic obruta sulcis frumenta in lolium avenasque degenerant. Nunc in Occidente Sol iustitiæ oritur: in Oriente autem Lucifer ille, qui ceciderat, supra sidera posuit thronum suũ. Vos estis lux mundi, vos sal terræ, vos aurea vasa, & argentea: hîc testacea vasa, vel lignea, virgam ferream, & æternum operiuntur incendium. Quamquam igitur tui me terreat magnitudo, §.339. S. Hieron.

S. Thom. q. 1. Ar. 4. invitat tamen humanitas. A sacerdote victimam salutis, à pastore præsidium ovis flagito. Facessat invidia: Romani culminis recedat ambitio: cum successore piscatoris, & discipulo crucis loquor. Ergò nullum primum nisi Christum sequens beatitudini tuæ, id est, cathedræ Petri, cõmunione consocior: super illã petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus est. Siquis in arca Noe non fuerit, peribit regnante diluvio: & quia pro meis facinoribus ad eam solitudinem commigravi, quæ Syriam iuncto Barbariæ fine disterminat; nec possum Sanctum Dominum, tot interiacentibus spatijs, à Sanctimonia tua semper expetere: ideò hic collegas tuos Ægiptios confessores sequor, & sub onerarijs navibus parva navicula delitesco: non novi vitalem, Meletium respuo, ignoro Paulinum. Quicumque tecum non colligit, spargit: hoc est, qui Christi non est, Antichristi *est*.*

§. 340. *Marianus Victorius.* Rem hanc non minùs catholicè explicuit eruditus Scholiastes Hieronymi Marian⁹ Victorius Scholio 4. 5. 6. & 7.* *Christi* dictum pulcherrimè ad Romanam Ecclesiam trahit, ad quam veluti matrem, vndique fideles omnes convenire debent, vt animæ suæ pabulum, & quæstionum fidei veritatem recipere possint: quando sic semper fuisse consuetudinem, omnis prodit antiquitas. Id dicit, quia Romana Ecclesia hac Christi oratione defensa: ego autem rogavi pro te, vt non deficiat fides tua: numquam hæresi maculata est: etsi, non minus alijs etiam laborasse, Erasmus, numquam de vera Catholica Ecclesia bene sentiens, hic mentiatur. Tanta est Romani Pontificis authoritas atque maiestas, vt ab ea terreri sanctissimus etiam vir potuerit. Miro præconio Romani Pontificis authoritatẽ commendat, & vbique pari sententia super Petrum fundatam confitetur Ecclesiam: quod ipsum illustrius etiam Cyprianus, & Hilarius asseverant: tergiversatur, vt libet, vafer Erasmus, &c.

§. 341. *S. Hieron.* Eamdem sententiam repetit Hieronymus epistola 58. his verbis * *Hinc* enim præsidijs fulta mundi Ariana rabies fremit. Hinc in tres partes scissa Ecclesia ad se rapere me festinat. Monachorum circa manentium antiqua in me surgit authoritas. Ego interim clamito, siquis cathedræ Petri iungitur, meus est. Meletius, Vitalis, atque Paulinus tibi hærere se dicunt: possem credere, si hoc vnus assereret: nunc aut duo mentiuntur aut omnes. Idcirco obtestor beatitudinem tuam per Crucem Domini, per necessarium fidei nostræ decus, per passionem Christi, vt qui Apostolos honore sequeris, sequaris & merito: ita in solio cum duodecim iudicaturus sedeas, ita te alius senem cum Petro cingat; ita municipatum cœlicum Paullo consequaris; vt mihi litteris tuis, apud quem in Syria debeam communicare, significes: noli despicere animam, pro qua Christus mortuus *est*.*

Sãctum Augustinũ ab hac esse sententia clarissimè ostendit §. 209. vbi laudavit Romanorum fidem in Domino prædicandam: & §. 210. docet in Romana Ecclesia viguisse semper principatum: exemplo autem dicta confirmavit consulens Romanum Pontificem, & ab eo petens, vt confirmaret damnationem Pelagij, atque Cęlestij à Concilio Africano. Adde testimonium è tomo sexto contra epistolam fundamenti capite quarto his verbis: * *multa* sunt alia, quæ in Ecclesiæ gremio me iustissimè tenent: tenet cõsensio populorũ atque gentium, tenet authoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata: tenet ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas post resurrectionem Dominus commendavit, vsque ad præsentem episcopatum successio *sacerdotum*.* Hæc Ecclesia, in qua tenebatur Augustinus, erat Romana; siquidem successio sacerdotum, quæ illum tenebat, erat etiam Romanorum. Successio illa externa sacerdotum argumento erat Augustino internæ fidei. Item epistola 164. recenset omnes Pontifices Romanos à Sancto Petro ad Anastasium; quorum catalogo confundit Donatistas: in quibus ait conservatum esse ædificium Ecclesiæ. Quod si successio Pontificum tàm paucis annis, tantùm movit Augustinum, vehementiùs movere potest tàm longa successio eorumdem Pontificum tàm multis sæculis. §. 342. *Augustin.*

Sanctus Petrus Chrysologus monuit Euthichetem Hæresiarcham, vt in caussis fidei pareret Episcopo Romano: hæc epistola est tertia in præambularibus ante Concilium Chalcedonense tomo primo Conciliorum. Quamvis enim inscriptio epistolæ sit epistola Petri *Ravennatis Episcopi*, constat tamen ex Chrolonogia, illum Petrum esse Chrysologum: qui fuit Synchronus Leonis Magni, qui damnavit Euthichetem: hæc sunt autem verba Chrysologi: * *In* omnibus autem hortamur te fra- §. 343. *S. Petrus. Chrysolog.*

te, frater venerabilis, vt his, quæ à beatissimo Papa Romanæ Civitatis scripta sunt, obedienter attendas: quoniam beatus Petrus, qui in propria sede & vivit, & præsidet, præstat quærentibus fidei veritatem. Nos enim pro studio pacis & fidei, extra consessum Romanæ Civitatis Episcopi caussas audire non *possumus*. *

§.344. S. Bernar. Sanctus Bernardus epistola 174. clarissimè est ab hac sententia reprehendens Canonicos Lugdunenses, quod inconsulto Romano Pontifice festum ageret Conceptionis beatæ Virginis: * *Nam* si sic videbatur, (inquit Bernardus) consulenda erat priùs Apostolicæ Sedis authoritas. Et infrà: *quæ* autem dixi absque præiudicio sanè dicta sint, saniùs sapientis: Romanæ præsertim Ecclesiæ authoritati, atque examini totum hoc, sicut & cætera, quæ huiusmodi sunt, vniversa reservo: ipsius, si quid aliter sapio, paratus iudicio *emendare*. * Sancti Ambrosij, & aliorū Patrum testimonia vide, apud P. Suarez in defensione fidei, lib. 1. c. 16. ipse autē Bernardus pluribus in locis id verbo, factoque confirmat: præcipuè ex epistola 190. ad Innocentium hæc accipe: * *Oportet* ad vestrum referri Apostolatum pericula quæque, & scandala emergentia in regno Dei: ea præsertim, quæ de fide contingunt. Dignum namque arbitror, ibi potissimum resarciri damna fidei, vbi non posit fides sentire defectum. Hæc quippè huius prærogativa *Sedis, &c.* * Oculis lustra illustria ibidem testimonia.

§.345. Considera, obsecro te, tùm tramitem doctrinæ à Sancto Irenęo ad Sanctum Bernardum; tùm quam sint diversi isti patres à blasphemo Luthero, Calvino, eorumque discipulis, qui, vt sunt à fide, & sanctitate Patrum alieni, sic & à modestia. De conviciatoribus autem hæreticis audi Cyprianum epistola 55. *Vndè* (inquit) Cyprian. *& parentalibus pœnam Scriptura divina loco alio comminatur, & dicit: dies enim Domini Sabbaoth super omnem iniuriosum, & superbum; & super omnem elatum, & excelsum. De ore itaque, ac de verbis suis vnusquisque statim proditur, & vtrum Christum in corde suo; an verò Antichristum habeat, loquendo detegitur.*

SECTIO. X.

Collatio Ecclesiæ Romanæ, & hæreticarum.

Puent. Hurt. de Mendoza, vol. 2.

SVBSECTIO I.

Integritas doctrinæ Romanæ.

EADEM ratione hæreses sunt confutandæ, qua doctrinæ philosophorum. Primò enim Sectatores Romanæ disciplinæ, & doctrinâ, & moribus tàm longo intervallo præeunt hæreticis, vt pudeat eos conferre. Considera Polycarpum, Irenæum, Iustorium, Nistum, Laurentium, Cyprianum, Augustinum, Hieronymum, Ambrosium, Gregorium Magnum, Magnum Leonem, Chrysologum, Chrysostomum: & aliam Sanctorum multitudinem, è qua vnus solus argumento esset non levi integritatis fidei, quam profitentur. Nec possunt Hæretici iactare se in illorum esse religione: omnes enim illi Petri primatum recognoverunt, ac Romanū Pontificem in Orbe Christiano Vicarium esse Christi; hæretici autē eum dicunt Antichristum. Item omnes illi castitatem consuluerunt, atque coluerunt; virginitatem autem permulti: hæretici verò virginitatem censent imposibilem; eamque dissuadent, vt adversariam naturali divinoque iuri. Sanctus Chrysostomus ex virginum multitudine commendavit religionem Christi: ab eodem loco commendari potest religio Romana, quam condecorant virginum exercitus: hæretici autem ab opposito loco damnantur, Arius enim primo ictu profligavit septingentas virgines Alexandrinas: quibus pellexit in suam hæresim bonam Græciæ partem. §.346.

§.347. Ac ne iactitent hæretici, se non defecisse ab illis Magnæ Ecclesiæ Patribus, considerent Petrum Damianum, hostem Clericorum cōcubinariorum; Bernardum, Laurentium Iustinianum, Dominicum, Franciscum, Ignatium, Xavierum, & alios viros miraculis, doctrinâ, vitâ, & prophetiâ præstantissimos: non absimiles Apostolis, & primis Ecclesiæ Patribus: hæretici autem etiam recentes non sunt meliores superioribus: in quos Sanctus Augustinus, tomo sexto, capite 14. de vtilitate credendi, hæc ait: * *Vos* autem & tàm pauci, & tàm turbulenti, & tàm novi, nemini dubium est, quàm nihil dignum authoritate præferatis. Quæ igitur ista tanta dementia *est*? * Libro autem contra epistolam fundamenti, capite quarto, hæc ait: * *apud* vos autem, vbi nihil horum est, quod me invitet, ac teneat: sola personat veritatis pollicitatio: quæ qui- S. August.

 dem

S. Thom. q. 1. Ar. 4. dem, si tàm manifesta monstratur, vt in dubium venire non possit, præponenda est omnibus illis rebus, quibus in Catholica teneor. Si autem tantummodò promittitur, & non exhibetur, nemo me movebit ab ea fide, quæ animum meum, tot & tantis nexibus Christianâ religione *astringit*.* Perlege testimonium vtrumque, quod censebis latum contra Lutherum, & Calvinum: qui pollicitatione revelationis divinæ seduxerunt populos belluinos, quam revelationem numquam exhibuerunt, magis quam Montanus Paracletum suum.

§. 348. Martyres habet Ecclesia Romana nunc conferendos cum antiquis. Mitto qui ab hæreticis quæsitissimis cruciatibus necantur; & alios quos ex sacris Ordinibus Barbari peremerunt. Plenus est Oriens Christiano sanguine; quem idololatria nunc bibit tàm avidè, quàm Neroniano tempore. Hæretici autem cùm nullam habeant virginem, martyrem habent Michaelem Servatum, quem vivum lento igne Calvinus absumpsit: & iactitant clementiam, qua nullum perire volunt. In quos quadrat Tertullianicum ad Scapulam: *pro tanta innocentia*, (inquit) *pro tanta probitate, pro iustitia, pro pudicitia, pro fide, pro veritate, pro Deo vivo cremamur: quod neque sacrilegi, neque hostes publici veri, nec tot maiestatis rei pati solent*. Tertull.

§. 349. Non dubium, quin multi hæretici multa supplicia patiantur; at nihil pro pietate: omnem enim è medio tollunt: nihil pro pudicitia, quam dicunt impossibilem. Audiant Augustinum, tomo secundo, epistolâ 165. vbi monet, quam ob caussam hæretici patiantur: * *vndè* (inquit) hanc in vos iram Dei, de qua murmuratis, multo importunius, & vehementius provocavit. Videtis, quia vos contra pacem Christi violenter insurgitis; & patimini non pro ipso; sed pro iniquitatibus vestris. Quæ est ista dementia, vt cum malè vivitis, latronum facta faciatis; & cum iure punimini, gloriam martyrum *requiratis*?* Alia complurima mitto, quæ ipsis oculis sese offerunt: venio ad singulares aliquorum hæreticorum actiones: quæ ostendunt malas suorum authorum artes. August.

SVBSECTIO II.

De Martino Luthero.

§. 350. MARTINVM Lutherum describere possumus eisdem verbis quibus Apollinaris descripsit Montanum, cui Montano similis fuit Lutherus in asserenda revelatione Spiritus Sancti: quæ refert Baronius ex Eusebio, tomo secundo, anno 173. à num. 11.* *Iste* est (inquit) qui oblationum nomine munera accipienda prætexit: quin sui verbi prædicatoribus, vt eiusdem verbi doctrinâ sordido ventris abdomine; & ingluvie roborentur, salaria *suppeditabat*.* De mulierculis autem, quas secum avexit Montanus, hæc ait: * *Intelligendum* est, istas primas Montani prophetissas, vt primum spiritu illo repletæ erant, maritos deseruisse. Quàm falsò igitur mentiti sunt hi, qui Priscam virginem appellabant? Deinde subiungit: an non vniversa Scriptura videtur Prophetam vetare, ne munera, & pecuniam accipiat? Quando ego igitur fortè video prophetissam aurum, argentum, & vestes pretiosas cupidè accipientem, quid est cur illam non prophetissarum numero *excludam*?* relege quæ supersunt, & Lutheri facinora leges. Eusebius.

§. 351. Recognosce in §. 345. verba Sancti Cypriani contra hæreticos contumeliosos; & comperies Lutheri spurcitias testimonium esse in illo non habitasse Spiritum Sanctum; sed spiritum turpitudinis: tàm enim obscenè, & scurriliter egit, vt turpe sit dicere, quæ ipse linguâ volvebat. Multi libri in eum prodierunt, præsertim cuiusdam Rosæi (quem dicunt fuisse S. Thomæ Mori:) quo recensitis Lutheri spurcitijs, illis obstruxit eius os, nec ausus fuit respondere. Monachus vxorem duxit Sanctimonialem Catharinam Boream: Clericos & Monachos cum monialibus vxoravit. Mirum est homines coniugatos in eum lapides non conieciße: docuit enim mulierem, quæ non prægnat à marito, debere alium adire tentandæ fortunæ gratiâ, quæ si ab hoc secundo viro conceperit, educare tenetur sobolem expensis mariti: docuit ergo Lutherus mulieres, vt imponant cornua maritis; insuper &, vt ipsæ adulterinos filios alant: quod facetè Hispani vocant *sobre cuernos palos*, *fustes supra cornua*. En quem spiritum Paracletum libidinosis mulierculis Lutherus traxit è cœlo. Docuit prætereà tàm necessariam esse humanæ vitæ Venerem, quàm Cererem, nec minùs posse vitam degi sine vsu mulierum, quàm sine excretione excrementorum. Certè indigent Stabularij Germani mulierculis supponendis hospiti, sicut indigent mateleonibus: quod siquis vir nobilis hos novos Christianos excipiat, opus est, vt illis fœminam provideat, ne

ne periclitetur vxoris pudicitia. Anne Mahometes tàm vesanus fuit, quam hic stultissimus hæreticus, qui omnem pœnitentiam ademit, omnemque sensum pietatis?

§.352. Andreas Carolstadius Archidiaconus Vuitembergensis, discipulus Lutheri didicit eius mores: quin Moniali publicè ducta, Missam ad suum epithalamiũ composuit, quam refert Ioannes Cochlæus: cuius hæc erat Oratio, * *Deus*, qui post tã lõgam, & impiam Sacerdotum tuorum cæcitatem, beatum Andream Carolstadium ea gratia donare dignatus es, vt primus, nulla habita Papistici iuris ratione, vxorem ducere ausus fuerit: da quæsumus, vt omnes sacerdotes, recepta sana mẽte, eius vestigia sequentes, eiectis concubinis, aut eisdem ductis, ad legitimi consortium thori convertantur. Per dominum nostrum Iesum &c.* Deinde in prosa hæc dicuntur: ***Deus in tua virtute Andreas Carolstadius gaudet & lætatur thalamo copulatus. Piscatio Episcopi ipse primùm factus piscator est vxorũ &c.***

§.353. Denique infelix hic apostata, quem potuit habere magistrum nisi diabolum? quod asseruit Cochlæus, & latè probat P. Nicolaus Serarius duobus libris de magistro Lutheri: vbi eruditè & facetè cogit fateri ipsos Lutheranos Lutherum à diabolo doctũ. Item in apologia de eodem argumento: vbi etiam probat sæpe etiam Lutherum tentatum à diabolo ad desperationem. Neque mirum, videtur enim peior ipso diabolo; neque diaboli discipulus, sed magister.

SVBSECTIO. III.

De Ioanne Calvino.

§.354. IOANNES Calvinus fuit his temporibus aptissimum instrumentum, quo dęmones Gallias exagitarũt: fuit & ipse Gallus, neque solum fęminarum, sed etiam puerorum: habuit enim hic Iupiter duos Ganimedes. Cum enim esset presbyter Noviodunensis, sic puerum arsit, vt publico iudicio convictus lilio ferro sit in tergore vstus. Hæc cum Pater Leonardus Lessius evulgasset scriptis, Calviniani graves in illum sparsere querelas, quod tantam calumniam iniecisset in Apostolicum illum Doctorem: ipse autẽ Lessius ostendit testimonio aliquorum Calvinistarum se vera dixisse, & Calvinum non cælestem; sed sodomiticum fuisse Doctorem: ipsi enim Calvinistæ eum vocant ***Doctorem Liliatum***, stigmaticũ: lilia autẽ, hæc & stigmata nec sunt Christi; nec coelici [illegible] viri; sed dęmonum, & Inferni. Rem eandem testatur Hieronymus Bolsecus in vita Calvini capite 5. vbi testatur se suis oculis vidisse huius rei publicum testimoniũ: * *in* quo quidem testimonio (inquit Bolsecus) etiam hoc erat adiectum: Calvinum, cum curatum illic beneficium, & aliud Sacelli cuiusdam sacerdotium obtineret, sodomitici sceleris convictum, in vitæ discrimẽ venisse, vt igni (huiusmodi sceleris ordinaria, & legitima est pœna) concremaretur; cœterum Episcopi vrbis commiseratione pęnam moderatam, vt cauterio ardens eius humero lilium *inureretur*.*

§.355. *Staplet.* Stapletonius in promptuario Catholico sabbatho Hebdomadis 3. quadragesimę folio 144. hæc ait de eodem Calvino * ***Inspiciantur*** etiam adhuc hodie civitatis Noviodunẽsis in Picardia scrinia, & rerum gestarum monimenta; in illis adhuc hodie legitur Ioannem hunc Calvinum sodomiã convictum; ex Episcopi, & magistratus indulgentia, solo stigmate in tergore notatum, vrbe excessisse. Nec eius familiæ honestissimi viri adhuc superstites impetrare hactenus potuerunt, vt huius facti memoria, quæ toti familiæ notã aliquãinurit, è civicis illis monumentis, ac scrinijs eraderetur.

§.356. Impatiens contumeliæ Calvinus se recepit in flagitiosum castrum Genevense: vnde bellicum cecinit contra omnem pietatẽ, secutus omnia dogmata Lutheri, quibus corrumpitur honestas: vxorem duxit Idelletam Buream: suspicor & matrimonium cum inijsse cũ suo Adonide; quo eum abusum fuisse Genevæ, satis ostendit Bolsecus. Gratias agimus Calvino, quod non indixerit virorum connubia cum pueris: vix enim vllo se flagitio polluebat, quod non iactaret sibi à Spiritu Sancto dictari. Eius autem impotentissimam libidinem satis ostendit Bolsecus cap. 15. rapinas, sævitiã, & infanda huius diabolorum ministri personat liber ille. Quid desideramus testes? ipsa eius scripta suum describunt turpissimum authorem. De ijs duobus dęmonum ministris potest non sine lachrymis affirmari, eos in lupanaria convertisse sacras virginum ædes, cum Christus, & eius Apostoli veneris Cænobia vertissent in virginum hortos. Nec hi nati videntur nisi ad bellum inferendum pietati, & cęlo. Nec id impunes; Lutherus enim benè cænatus, & potus repentè interijt: Calvinus autem lento furore rabiens, dęmones vocans, & execrans diem, quo se applicuit ad scribendum; vt testatur Bolsecus.

S.Thom. q.1, art.4.

SVBSECTIO IIII.

De Theodoro Beza.

§.357. SVSPEXERVNT Genevenses Theodorum Bezam lapsum è Cœlo è quo soli dæmones lapsi: cum quibus & hic Corneus dœmon è sacerdote factus ganeo. Imitatus enim magistrum suũ Calvinum, vxorem duxit Candidam: cum autem in Longimensi vrbe (in qua erat prior) non posset impunè frui suis nuptijs, se recepit in commune asylum suæ farinæ hominum: vbi non solum sacrilegas nuptias professus; sed & sodomiam cum Andeberto. Stapletonius adductus §.355. refert hæc carmina Theodori ipsius. *Abest Candida, Beza quid moraris?*

Stapleton.

Andebertus abest, quid hic moraris?
Tenent Parisij tuos amores,
Habent Aurelij tuos lepores.
Et vale pater, & valete fratres,
Namque Vezelijs carere possum,
Et carere parente, & his, & illis:
At non Candidula, Andebertuloque.
Sed vtrum, rogo, præferam duorum?
Vtrum invisere me decet priorem?
An quemquam tibi, Candida, anteponam?
An quemquam anteferam tibi Andeberto?

Legat qui voluerit cætera carmina: ego enim ea non audeo describere, ita enim sunt homine indigna, vt erubeant & ipsi ganeones.

§.358. Hi sunt, ô Novatores, magistri vestri: qui venditant Spiritum Sanctum sibi adesse: quasi verò Spiritus Sanctus habitet in corpore subdito peccatis, & non sit seminator casti consilij. Cùm autem Sanctum illorum Spiritum vos non videatis, dicite quibus notis illi eum vobis probent? An maledicentiâ? luxurijs? rapinis? Sodomiâ? Cur non animadvertitis magistros vestros præ multitudine, & magnitudine flagitiorum nõ ausos subsistere in patrio solo, confugisse Genevam, vt tuti essent, rebellium & perditorum hominum præsidio? Comparate sacros Ecclesiæ Patres magistris vestris, & huius ætatis doctissimos, ac pientissimos viros; vt ex vtrorumq; moribus discriminetis, vtri sint aptius Spiritui Sancto templum? an magistri vestri pleni criminibus infandis? an verò illi, quorum mores sunt puriores solaribus radijs?

SVBSECTIO V.

De Henrico Octavo.

NON parùm vexat Ecclesiam Anglicanus error: quo Reges Angliæ sibi vsurpant in suo regno primatum Ecclesiæ. Quem ridiculum errorem impugnabo, disputatione trigesima quarta. Nunc repetenda sunt eius cunabula: vt ex radice cognoscantur fructus. Henricus Rex Angliæ contra Lutherum exercuit calamum; non quidem suum, sed Sancti martyris Ioannis Roffensis (vt nunc Iacobus eiusdem Angliæ Rex evulgavit librum scriptum ab aliquo ministro, & hæretico, & ignaro: Reges enim oportet meditari arma, & publicam regni administrationem; non libros, & controversias fidei; quæ non in aulis; sed in gymnasijs docentur.) Deinceps vinum & mulieres, quæ apostatare faciunt sapientes, everterunt Regis Henrici cor. Cùm enim deperiret Annã Bolenam, tàm famosam meretricem, vt nuncuparetur *equa Galliæ*: petijt à Pontifice Romano, vt declararet nullum esse suum matrimonium cum Catharina de Castella. Quod cum impetrare non potuisset, ipse se constituit caput Ecclesiæ, & repudiata Catharina duxit Annam, quam postea convictam adulterij capite iussit plecti in foro Londinensi: *&* primi huius laici Papæ *rauco strepuerunt cornua cantu.* §.359.

§.360. Omnes Novatorum hæreses tàm obscænam originem habent, vt mirum sit homines vrbanos & cultos tantùm potuisse desipere: vt meminerimus nos homines esse natos, Dœmonum ictibus expositos. Quod si non cadimus in tàm miserandas tenebras, beneficium est gratiæ Dei mentem illustrantis: pro quo illi sunt agendæ gratiæ. Henricus autem considerans quanta mala fecisset Hierusalem & Sanctis eius, morti vicinus voluit Ecclesiæ reconciliari; sed scelestus ille, quia non satis pęnituit, nõ est misericordiam consequutus: hausturusque vinum dixit: *omnia perdidimus.* Secunda Papissa fuit Isabella Henrici & Annæ filia; neutri absimilis, neque in crudelitate patri, neque matri in impudicitia: quæ in prostitutione sua corrupit terram: & novus hic Petrus viris nõ paucis dedit osculandos non solùm pedes; sed & manus, & caput: virgo contra opinionem suæ gentis, & suam: censent enim impossibilem esse virginitatem cum Luthero, atque Calvino: aut ergo falsum est Isabellam fuisse virginem; aut falsum est illud dogma Lutheranum, & Calvinianum; ego litem componam:

nam: neque enim illa fuit virgo, & esse potuit cum gratia Dei: ac propterea vtrumq; est falsum.

§. 361. Sequitur Iacobus Stuardus, Scotus; discipulus apostatæ Buccanani, quē imitatus est potius, quàm Mariam martyrem, à qua fuit genitus. Quæ huius Regis circumferuntur, nec satis habeo cōperta; nec scribenda censeo antequam ab historicis evulgentur; vt evulgata sunt Henriciana, & Isabellana: solum dico, quod nullus ignorat; hunc Regem visum Atheistam potius, quam Calvinianum, aut Lutheranum: quia religionem accommodabat statui. Sæpius dixi librum eius nomine evulgatum, non esse illius, nisi fortè post meridiem eum scripserit: ferunt enim Angli, & exteri eum Regem fuisse hominem semidie. Quid autem ponderis afferat ad fidem Carolus Iacobi filius, dicant Reges, cum quorum sororibus matrimonium, aut petivit, aut inivit, quam parum tuta fuerit in illo fides politica debita Regibus à Rege. Prætermisi Odoardum in regno priorem Isabella: quia puer vix regnavit.

§. 362. Tandem è tota disputatione colligo, religionem Christianam, vt colitur à Romana Ecclesia, non solùm esse credibilem; sed præ illa nullam aliam esse credibilem, qua parte Romanæ adversatur. Oppositæ enim non sunt hominum religio; sed ebriorum sectæ, atque bestiarum. Neque opus est ad credendum illam privatim cum singulis conferre; sed cognoscere nos non posse absque peccato illi dissentiri, neque assentiri oppositis. De ijs collationibus Ecclesiæ Catholicæ cum cæteris, breviter egit P. Suar. disp. 4. sect. 4. Recognosce autem egregium Tertulliani testimonium, num. 9. contra inanes hæreticorum novitates.

DISPVT. XXII.

Vtrùm mysteria fidei sint evidenter credibilia?

§. 1. SENSVS quæstionis constat ex disputatione 20. sectione 2. maximè §. vndecimo: perinde enim est, ac quærere, an evidens sit obligatio credendi mysteria fidei?

SECTIO I.

Pars affirmans.

§. 2. DICO nos habere evidentiam physicam de credibilitate mysteriorum fidei. Id est, mysteria hæc, tot argumentis proponuntur, vt; qui ea rectè penetraverit, cognoscat tàm evidenter se teneri illa credere sine hęsitatione, vt nullus sit tergiversandi locus. Quæ evidentia non est moralis; sed physica. Etenim evidentiæ morali potest physicè subesse falsum ex natura rei; secus autem evidentiæ physicæ: itaque tanta est hæc evidentia, quanta hunc parietem esse album. Ita frequenter Doctores; vterque Thomas hoc articulo quarto, cum suis (excepto Capreolo in tertium distinctione 31. & 32. quæst. vnica, articulo tertio, ad tertium; contra primam conclusionem: quamvis expresse id non negat; sed insinuat) PP. Valentia disputat. & quæst. 1. punt. 4. §. 3. Suar. disput. 4. sect. 3. Luisius, disputat. 7. dub. 1. Magister Lorca, disput. 16. Bañez in hunc artic. dub. 3. & 4. Aragon, & alij. *S. Thom. Caiet. Capreol. P. Valent. P. Suarez. P. Luisius Lorca. Bañez. Aragon.*

§. 3. Multa testimonia sacræ paginæ id confirmant: præcipuum autem est è Ioanne 15. 22. *Si non venissem, & loquutus fuissem eis, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo. Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.* Vndè argumentor, Iudæi visis operibus Christi, non habent excusationem peccati: ergo cognoverunt evidenter se teneri ad credendum: probo consequentiam, quia nemo peccat, nisi cognoscat evidenter, se teneri ad fugiendum id, in quo peccat. Etenim omne peccatum est voluntarium, ortum à cognitione repręsentante eius malitiam: quæ cognitio repręsentat obiectum illud vel esse contra naturam rationalem, vel contra aliquam legem, cui operans tenetur obedire: quapropter omne peccatum est contra dictamen rectæ rationis. Sed omnis, qui videt se operari contra dictamen rectæ rationis, cognoscit evidenter se teneri, ita non operari: ergo Iudæi, qui peccaverunt contra fidem, cognoverunt evidenter obligationem non agendi contra eam fidem. *Ioann. 15.*

§. 4. Non est animus probarè, omnes, qui peccant, habere necessariò cognitionem reflexam de obligatione abstinendi ab eo peccato: hæc enim quæstio non spectat ad præsens institutum; sed animus est ostendere, infidelem dissentientem mysterijs fidei sufficienter propositis, tàm evidenter cognoscere, se agere contra naturam rationalem, aut legem, quàm qui furatur: & quemadmodum fur potest reflexè cognoscere evidenter, se teneri ad non furandum: ita & infidelis ad non hæsitandum. Quæ confirmo, quia Iudæi non habuerunt dictamen

prol

S.Thom. q.1.art.4. probabile de prohibendo assensu: ergo habuerunt cognitionem evidentem de parte contradictoria. Antecedens patet ex Christo negante Iudæis excusationem peccati, quæ quidem illis non negaretur, si ex dictamine probabili operarentur. Consequẽtiam probo: quia, quando altera pars contradictionis est improbabilis, altera est certa: in præsenti autem casu non solùm est certa; sed etiam evidens: quia, qui videt evidenter se nulla ratione excusari in cohibendo assensum fidei, non potest negare, se esse inexcusabilem: esse autem hominem inexcusabilem, perinde est, ac esse accusatione dignum. Itaque mysteria fidei tàm efficaciter proponũtur, vt, qui ea calluerit, apertè videat se teneri ad credendum.

§. 5. Secundò probatur, quia tàm multa sunt argumenta ad credendum, vt convincant intellectum ad suadendam obligationem credendi: ergò. Probo antecedens, quia proponuntur obiecta, quorum fides est necessaria ad salutem æternam: sine qua fide peribimus æternùm: item proponuntur à testibus omni exceptione maioribus sanctitate, doctrina, prophetiâ, & miraculis. Item cæteræ sectæ, qua parte huic repugnant, convincuntur falsitatis in his, quæ lumine naturæ, possunt vestigari. Sed quando sic proponitur aliquid, vt necessarium ad salutem, tenemur illud amplecti: ergo. Probo minorem, tùm quia si duo, aut tres homines digni omni fide conspirent, vt mihi persuadeant fugam ex hoc loco, quia ipsi viderunt hostem huc adventantem ad me interficiendum, teneor fugere (nisi sit aliqua caussa, per quam mortem honestem): tùm à priori, quia vix possumus vitam prudenter agere; nisi fidem præstemus huiusmodi testimonijs; ergò non possumus, nisi contra dictamen rationis negare fidem his mysterijs: quia nulla ratione honestari potest illorum dissensus.

SECTIO II.

Argumenta diluo.

§. 6. 1. Arg. PRIMVM argumentum contra eam doctrinam est, quia si mysteria essent evidenter credibilia, ea cognosceremus evidenter esse possibilia, evidentiâ non solùm morali; sed etiam physica: hoc autem est absurdũ: ergo. Probo maiorem, quia omne, quod est evidenter credibile, est evidenter possibile eodem genere evidentiæ: ergo. Probo antecedens, quia omne, quod est evidenter impossibile, est eodem genere evidenter incredibile: ergò è contra omne, quod est evidenter credibile, est evidenter possibile. Antecedens patet, quia nulla res potest esse credibilis à vidente oppositum. Consequentiam probo: quia ab opposito consequentis bona est cõsequentia ad oppositum antecedentis: vt patet ex summulis. Exempli gratiâ, in hac illatione: *currit: ergo movetur*; vox *currit*, est antecedens ad motum: negato autem motu rectè negatur cursus. Similiter evidẽter credibile est antecedens ad evidenter possibile: & ex opposito valet consequentia.

Magister Bañez, quæst. 1. art. 4. ad 5. respondet, hoc argumentum esse Sophisma; quia vtraque propositio est affirmativa: at illo canone summulistico, altera propositio est affirmativa: altera negativa; vt hæ: *currit: ergo movetur: non movetur: ergo non currit*. Contrà: hæ propositiones, quæ in argumento obijciuntur, sunt modales, affirmativæ quidem de modo, de dicto autem altera affirmativa, altera negativa: inter quas valet consequentia summulistica: exempli gratiâ: *evidens est Petrũ currere: ergo evidens est moveri*. Hæc consequentia est evidens; quia repræsentatio evidens cursus, repræsentat evidenter motum. Ratio à priori; quia inter terminos antecedentes, & consequentes servatur affirmatio, & negatio: exempli gratiâ: *credibile & possibile* affirmantur; *impossibile autem & incredibile*: sunt termini negativi: affirmatio autem modi in vtraque propositione non obest oppositioni; sed favet; quia reduplicat modum cognoscendi evidenter vim consequentiæ inter illos terminos: consequentiam autem evidenter cognosci, non tollit; sed supponit consequentiam ipsam: ergo inter evidenter credibile, & evidenter possibile, est consequentia, quia est inter evidenter impossibile, & evidenter incredibile. §. 7. Bañez.

Secundò responderi potest mysteria fidei, tàm esse evidenter possibilia, quam credibilia; quia sunt credibilia evidenter moraliter; eadem autem ratione sunt possibilia. Hæc solutio est vera sumendo credibilitatem in primo sensu explicato disputatione 20. nempè sumendo credibilitatem pro denominatione ab ipso actu credendi, qui non est evidens physicè; sed moraliter tantùm. In quo sensu loquutus fui disputatione decima logicæ, sect. 25. §. 188. quia si revelatio, aut actus fidei infusæ cognoscerentur evidenter, non possemus dissentire mysterijs fidei. Nunc autem nõ ago de ea credibilitate, nec de obligatione credendi, vt infert evidentiam revelationis, aut actus fidei, quia eorum actuum non §. 8.

infert,

infert, nisi moralem evidentiam; ago autem de evidentia ipsius obligationis secundum se, vtrũ inferat evidentiã physicã mysteriorum; quemadmodum evidentia physica impossibilitatis, infert evidentiã physicam incredibilitatis?

§. 9. *Animad.* Adverto, terminum antecedentem esse, ex quo sequitur necessariò consequentia ad alium, qui propterea est consequens. Consequentia enim est nota necessariæ illationis termini consequentis ex antecedenti. Quod explico his propositionibus: *Petrus currit: ergo movetur*: quibus motus necessariò sequitur ex cursu. Itaque ad valorem consequentiæ ab opposito consequentis ad oppositum antecedẽtis, opus est, vt illi termini, à quorum oppositis sumitur argumẽtum, sint antecedens, & consequens; alioquin non erit argumentum ab opposito consequentis ad oppositum antecedentis; sed erit argumentum (vt aiunt) de subiecto non supponente. Quod quia aliqui non animadvertunt, implicantur his modalibus tricis.

§. 10. 2. *Anim.* Moneo secundò, *evidenter credibile & evidenter possibile* non esse terminos antecedentem & consequentem inter se: idem dixerim *de credibili, & possibili*. Probatur, quia multa impossibilia sunt credibilia, non solum fide imprudenti; sed etiam prudentissima, & sine hæsitatione. Ratio à priori: quia credibilitas non habet necessariã connexionẽ physicam cum possibilitate, nam possibilitas cognoscitur, vel ex rebus ipsis, vel ex caussis, vel ex effectis, vel ex aliquo illorum signo, quo repræsentatur, vt sunt, verbi gratia, ex scientia de rebus ipsis; credibilitas autem non oritur ex rebus ipsis, nec ex aliquo inde orto; sed ex alijs principijs, quæ sunt per accidens ipsis rebus: nẽpe ex authoritate loquentis, quæ valde per accidens est obiecto, quod loquimur. Nam tot viri graves possunt conspirare ad affirmandum aliquid, vt nisi temerè, negari nõ posit assensus; quid autem vetat eos homines, aut mentiri, aut decipi? Tunc autem prudenter præstatur assensus, & falsus, quia prudentia dictat esse habendam fidem tot viris: quod dictamen verum est, à quo fides imperata est prudens; falsa tamẽ, quia eius falsitas dependet ab eo, quod res est, vel non est.

§. 11. Ad argumentum ex §. 6. nego maiorem: ad probationem nego antecedens: ad probationem concedo antecedens, & nego cõsequentiam: ad probationem: regula summulistica valet inter terminos *antecedentem & consequentem*, vt ex ipsa constat; *evidenter autem credibile & possibile* non sunt termini antecedens & consequens, vt dixi §. 10. Itaque non sumitur argumentum ab opposito consequentis ad oppositum antecedentis: quia sumitur *ab impossibili ad incredibile*, impossibile autem est oppositum possibili, incredibile autem est oppositum credibili: quæ non sunt antecedens & consequens.

§. 12. Obijcis, hanc esse bonam consequẽtiam, *est evidenter impossibile: ergo evidenter incredibile*: ergo hæc est bona consequentia: *est evidenter credibile: ergo est evidenter possibile*: probo consequentiam, quia est ab opposito consequẽtis ad oppositum antecedentis: nam evidenter impossibile est antecedens ad evidenter incredibile. Adverte terminos, qui inferuntur per oppositionem antecedentis, & consequentis, debere esse inter se antecedentem & consequentem: exẽpli gratiã: hoc enthimemate: *Petrus currit: ergo movetur*: non solũ in se sunt antecedens & consequens; sed etiam termini illis oppositi, sunt etiam in se antecedens & cõsequens: nempè *Petrus non movetur: ergo non currit*: carentia enim motus necessariò infert carentiam cursus: quia à superiori ad inferius valet consequentia negativè. Itaq; si valet consequentia affirmativè ab antecedenti ad consequens, debet valere consequentia negativè ab opposito consequentis ad oppositum antecedentis; contra verò, quando valet consequentia negativa ab antecedẽti ad cõsequens, valet affirmativa ab opposito consequentis ad oppositum antecedẽtis: exempli gratiã: *currit: ergo movetur: non movetur: ergo non currit*. Præsto est ratio: quia hæc regula summulistica innititur alijs, nempè: *à superiori ad inferius valet consequentia negativè; è contrà verò ab inferiori ad superius valet consequentia affirmativè*. Item: *à caussa ad effectum valet consequentia negativè; è contrà ab effectu ad caussam affirmativè*: exempli gratiã: *est calefactio: ergo est applicatio: non est aplicatio: ergo non est calefactio*. Cũ autem *evidenter possibile & evidẽter credibile* nec sint superius & inferius; nec caussa & effectus, non habent necessariam consequentiam.

§. 13. Ad argumentum ex §. 12. nego consequentiam: ad probationem distinguo antecedens: sumitur argumentum ab opposito consequentis ad oppositum antecedentis, ita vt ipsa opposita sint inter se antecedens & consequens, nego antecedens: concedo autem sumi argumentum illud ab oppositis, quæ inter se non sunt antecedens & cõsequens. Ratio à priori, cur non valeat hæc consequentia, est: quia impossibile & incredibile non sunt termini antecedens & consequens: nam multa sunt impossibilia, & credibilia; evidentia autem impossibilitatis est antecedens ad evidentiam incredibilitatis

S.Thom. q.1.art.4. tatis: quia, qui videt rem esse impossibilem, videt decipi, aut mentiri, qui oppositum affirmant, quibus nec debet, nec potest credere, quia ad credendum indigemus duobus; altero, vt nobis loquatur aliquis fide dignus; altero, ne videamus oppositum; ex defectu autem vtriusvis non possumus credere. Hinc fit evidentiâ impossibilitatis impediri credibilitatem. Tandem evidentia credibilitatis, tantùm est evidentia obligationis credendi: obligatio au[illegible] credendi, nec infert obiectum, nec evidentia obligationis evidentiam obiecti: quia sunt omnino disparata obligatio & obiectum, & vtriusque evidentia.

§. 14. 2. Arg. Hinc sumet aliquis secundum argumentum: quia evidentia obligationis infert evidentiam actus fidei; sed evidentia actus fidei infert evidentiam mysterij crediti: ergo evidentia obligationis infert evidentiam mysterij. Resp. Distinguo maiorem: evidentia obligationis infert evidētiam fidei divinæ, nego maiorem; infert evidentiam fidei sine hæsitatione abstractæ ab humana, & divina, concedo maiorem. Distinguo item minorem: evidentia actus fidei divinæ infert evidentiam mysterij crediti, transeat minor (quam examinabo disputat. 25.) evidentia fidei abstractæ ab humana & divina, infert evidentiam obiecti crediti, nego minorem. Itaque nos non cognoscimus evidenter obligationem credendi fide divina: immò nec fide humana vera: cognoscimus autem evidenter obligationem credendi sine hæsitatione. Sæpè enim contingit rustico cognitio evidens de obligatione ad credendum sine hæsitatione, quæ fides potest esse falsa: quia rustico sufficit propositio totius Provinciæ, per quam proponi potest vera, & apparens revelatio: vtrâque autem tenetur credere absque hæsitatione.

§. 15. Obiectio. Resp. Dices: ergo non habemus obligationem credendi fide divina; nec contra illam peccat hæreticus. Nego consequentiam: quia ex negatione evidentis cognitionis de obligatione, infert negationem ipsius obligationis: fidem enim habemus, quamvis eam non cognoscimus evidenter; ita habemus obligationem ad fidem divinam, sine evidenti cognitione illius: quia obiectum non est dependens à cognitione evidenti sui. Quia igitur nobis certò constat, Deum habere paratum concursum ad fidem divinā, quoties revelationem existentem tenemur credere absque hæsitatione, ideò est obligatio credendi fide divina. Vt autem peccemus contra obligationem, non est opus fidem cognoscere evidenter; sed sufficit illam cognoscere absque hæsitatione, vel illam culpatè ignorare, quia illa cognitio facit voluntariam transgressionem: vt qui probabiliter, & sine hæsitatione credit, hominem, quem occidit, esse suum patrem, verè peccat parricidio. Immò evidenter cognoscimus dissensum hunc esse contra legem fidei divinæ: quia hæc lex evidenter obligat, quoties probabiliter, & sine hæsitatione censemus, nos illâ teneri: quia quamvis lex credendi, tunc non sit lata, tamen prudenter credimus illam esse tunc; & peccamus contra illam non secùs, ac si re ipsa existeret. Vt, si quis sibi persuadeat hunc esse diem sacrum, quamvis non sit, si non adsit Missæ, peccat contra legem audiendi sacrum non minùs, quàm si talis lex esset: itaque est evidens obligatio servādi legem, licet non sciamus evidenter legem illam. Ratio à priori; quia per illam prudentem persuasionem fit actus voluntatis voluntaria à lege digresio: lex enim non obligat; nisi vt cognita: in cognitione autem iam est lex.

§. 16. 3. Arg. Tertium argumentum est, quia nullus posset esse hæreticus: ergo credibilitas mysteriorum non est evidens physicè: probo consequentiam; quia evidentia determinat ad assensum. Resp. Nego antecedens: quia posita evidentiâ de obligatione credendi, possum ego nolle credere; quemadmodùm cum cognitione evidenti de obligatione ieiunandi, possum ego nolle ieiunare. Ratio à priori; quia actus credendi est bonitatis finitæ, cui miscetur aliquod malum physicum; quam ob caussam possum ego odisse fidem, & amare dissensum mysteriorum: quemadmodùm ieiunium potest mihi displicere propter incommodum physicum. Ioā. 5. 44. Christus apud Ioannem 5. 44. ***quomodo vos*** (inquit) ***potestis credere, qui gloriam ab invicem accipitis: & gloriam, quæ à solo Deo est, non quæritis?*** quibus docuit Christus appetitionem inanis gloriæ esse impedimento acceptandæ fidei. Paul. 1. ad Timoth. 1. 19. Paullus prima ad Timotheum primo 19. ***habens fidem & bonam conscientiam, quam quidam repellentes circa fidem naufragaverunt***, id est, naufragium fecerunt fidei, Hispanicè ***dieron al traves con la Fè.*** Itaque mores depravati naufragium faciunt fidei: hæretici autem non possunt habere dissensum de obligatione fidei, quia eis sufficienter proposita est: ostendi autem disputatione 21. §. 182. ex Irenæo omnes hæreticos à fide defecisse, motos aliquo vitio, vel inanis gloriæ, voluptatis, aut alius. Si autem sibi persuadeat hæreticus, se non teneri ad fidem Catholicam sufficienter propositam, est per ignorantiam culpatam.

***

DISPUT. XXIII.

Ad quem habitum spectet assensus de evidenti credibilitate mysteriorum?

§. 1. S.Thom. SANCTVS Thomas, quæst. 1. artic. 4. satis insinuat assensum de evidenti credibilitate oriri ab habitu fidei infusæ: Caiet. quod expressè docuit Caietanus ibi §. *ad secundum dicitur*: quibus consentiunt nonnulli Thomistæ: quos sequitur Magister Bañez, quæst. 1. art. 4. dub. 3. Bañez. Arogon. à §. *Propter hæc*: & Aragon §. *His tamen*: pro qua sententia nullum video, vel apparens argumentum. Caietanus ait, fidem esse lumen secũdum suum genus perfectissimum: cui non repugnat hæc visio credibilitatis, nec secundum se, nec in hoc statu: ergo hic actus oritur à fide. Antecedens est falsum: quia fidei repugnat omnis actus, cuius obiectum formale adæquatum, non sit divina veracitas, & revelatio; sed ostendam assensum de evidenti credibilitate non pendere à veracitate & revelatione Dei, vt ab obiecto formali: ergo non elicitur à fide.

§. 2. P.Valent. P.Suarez. P.Luisius Lorca. S.Thomæ. Patres Valentia, Suarez, disput. 4. sect. 6. num. 4. Luisius, Lorca, alijque exponunt Sanctum Thomam, quòd non egerit de inclinatione fidei, vt eliciat actum circa credibilitatem; sed, quia est inclinatio ad ea, quæ ad ipsam quoquomodo spectant: quorum expositionem laudo, quia nolunt à Sancto Thoma apertè discedere; non tamen mihi persuadeo expositionem in authorem quadrare. Lorca disputat. 26. num. 23. ait, Sanctum Thomam in respõsione ad quartum, nec leviter eam sententiam insinuasse: quia ibi non agit de credibilitate; sed de obiectis ipsis, eorumque assensu: de credibilitate autem egit ad tertium, eamque collegit, vel propter evidentiam signorum, vel propter aliquid huiusmodi. Miror hæc ita dici ab homine legente articulum: etenim ad secũdum constituit evidentiam credibilitatis non ex parte efficientis assensum; sed ex parte obiecti facientis assensum in ratione obiecti, qualia sunt miracula, & alia signa. Ad tertium autem agit quidem de obiectis ipsis; quæ tamen dicit videri per lumen fidei; at ex Beato Thoma non videntur, nisi B.Thom. sub ratione credibilis per miracula, & alia huiusmodi: ergo assensum evidentem de credibilitate, quem ex miraculis, vt ex obiecto adstruxerat in responsione ad secundum, adscribit ad tertium habitui fidei, vt principio activo: in quem sensum sequuntur Sanctum Thomam Caietanus, Caietan. Ferrara & alij. Ferrara.

§. 3. Conclusio. Censeo, eum assensum non oriri ab habitu fidei: quæ conclusio est Capreoli: & aliorum Thomistarum, vt refert Bañez: quẽ Capreolus. Bañez. sequuntur Patres Valentia, disputatione & quæst. 1. puncto 4. prope finem: Suarez P.Valent. Suarez. in manuscriptis disputat. 4. Luisius, disput. Luisius. 7. dub. 4. cum alijs: Magister Lorca disput. Lorca. 16. à num. 23. & alij.

§. 4. 1. Probatio Probatur: omnis actus elicitus à fide habet pro obiecto formali adæquato authoritatem, & revelationem Dei, vt ostendi primis disputationibus; sed actus de evidenti credibilitate, non habent pro obiecto formali authoritatem, & revelationem Dei: ergo nõ eliciuntur à fide. Probo minorem: tùm quia revelatio Dei est obiectum materiale illorum actuum: tùm etiam, quia ratio formalis de evidenti credibilitate sunt authoritas humana totius Ecclesiæ, miracula, martyria, & alia, quæ vocamus conditiones ad credendum: quæ conditiones non attinguntur per fidem; sed supponuntur. Confirmatur: aut ille assensus de Confirm. credibilitate est fidei, aut non? si non est fidei, non est elicitus à fide; quia omnis actus elicitus à fide, est fidei; si autem est fidei: ergo fides habet pro obiecto formali non solum authoritatem, & revelationem Dei; sed etiam authoritatem humanam, & cætera argumenta, quæ vocantur applicatio ad fidem. Probo consequentiam, quia ideò habemus evidentiam de credibilitate, quia cognoscimus argumenta, quæ nos movent ad cognoscendum, Deum aliquid revelasse: etenim hoc vtimur syllogismo: *credere debemus, quæ tot Doctores, & miracula confirmant; sed confirmant Deum revelasse Trinitatem: ergo credere debemus eam revelationem.*

§. 5. Immò quamvis authoritas humanæ Ecclesiæ esset obiectum formale fidei, adhuc illa authoritas non esset obiectum formale huius credibilitatis. Quod ita confirmo, quia fides haberet pro obiecto authoritatem Ecclesiæ in actu exercito; credibilitas autem in actu signato. Verbi gratiâ, fides vteretur hoc syllogismo: *omne quod Ecclesia dicit, est; sed dicit revelationem Trinitatis: ergo est revelatio Trinitatis.* At verò habitus de credibilitate vtitur hoc syllogismo: *est obligatio credendi omnia, quæ dicit Ecclesia; sed dicit esse revelationem Trinitatis: ergo est obligatio credendi revelationem Trinitatis.* Hi duo syllogismi diversas habent maiores propositiones, & conclusiones, ac propterea pertinent ad habitus diversos: quia authoritas Ecclesiæ ponitur in altero cum obligatione credendi; in altero verò sine illa.

§. 6. 2. Probat. Secundò probatur, quia in hæretico sępè con-

S.Thom. q.1.art.4. contingit hæc evidentia credibilitatis: at nullus in illo contingit actus fidei infusæ, elicitus per habitum, neque per auxilium: ergo. Maior patet ex disputat. 22. §. 16. Multi enim deficiunt à fide contra expressum dictamen rationis de obligatione non deficiendi; qui verò in hæresim labuntur, sine hac expressa cognitione, id faciunt per ignorantiam culpatam.

§. 7. Rogas: ad quem habitum spectet ille credibilitatis assensus? Respondeo, non ad prudentiam: quia hæc dictat quid hic & nunc sit agendum; spectat autem ad habitus naturales, quibus cognoscimus evidenter, quibus sit habenda fides: qui actus est speculativus: non enim dirigit cognoscentem in obiectum faciendum: nam obligatio credendi non fit; sed supponitur à credente: quemadmodùm obligatio ieiunandi non fit à ieiunante; sed supponitur aliundè imposita. Confirmatur exemplo Dei: hæc enim propositio: *tenemur amare Deum vrgente præcepto*: est speculatiua: quia repræsentat obligationem ortam ex præcepto: hæc autem propositio: *Deus est amandus*: est practica: quia potest dirigere cognoscentem ad exercendum amorem. Idem dixerim de obligatione credendi. Hic actus credibilitatis supponitur ante prudentiam: cognita enim obligatione credendi, prudentia dictat esse credendum: qui actus est practicus, nempè: *credendum est hic & nunc*.

DISPVT. XXIIII.

De evidentia in attestante, sive de cognitione evidenti revelationis.

§. 1. XPLANATA evidentiâ credibilitatis, agendum nunc de evidentia in attestante: quia sicut evidentia credibilitatis non est evidentia obiecti credendi per fidem; ita evidentia in attestante non versatur immediatè circa obiectum credendum; sed circa revelationem ipsius obiecti, vel circa ipsos actus fidei; de evidentia autem ipsorum actuum fidei agendum inferiùs.

SECTIO I.

Præmonitiones.

§. 2. IN actu fidei possumus considerare duas evidentias: alteram intrinsecam ipsis actibus fidei, qua directè tendant in obiectum creditum: quemadmodùm omnis demonstratio evidenter tangit obiectum, illud clarè repræsentans. De hac evidentia disserendum est infrà. Secunda evidentia actuum fidei potest esse extrinseca ipsis actibus fidei: quia est evidentia reflexa existens intrinsecè in actu reflexo, quo evidenter cognoscitur actus fidei. Exēpli gratiâ: Petrus exercet actum obscurum fidei circa revelationem de Trinitate: idem Petrus per actum scientiæ infusæ cognoscit evidenter illum suum actum fidei: hic secundus actus scientiæ infusę repræsentat evidenter primum actum fidei; actus autem fidei repræsentat obscurè revelationem de Trinitate: quemadmodū mea cognitio probabilis de distinctione quantitatis à substātia, repræsentat obscurè eam distinctionē; cognitio autem Angelica repræsentat evidenter meam cognitionem probabilem. Ratio à priori: quia illi actus habent diversa obiecta, & diversas species impressas; possumus autem habere speciem confusam de vno obiecto, & claram de alio. De hac secūda evidentia est sermo in hac disputatione.

§. 3. Evidentia in attestante non est sola evidentia veritatis testimonij: quia evidenter scimus, Dei testimonia esse vera; nec propterea habemus evidentiam in attestante de obiecto testato. Nec item est sola evidentia testimonij; sed evidentia testimonij veri. Itaque debemus evidenter cognoscere duo: & testimonij existentiam, & eius veritatem. Etenim evidenter cognoscimus existentiam testimonij humani; nec proptereà evidentiam habemus obiecti in attestante: possumus enim adhuc, viso testimonio humano, negare eius obiectum; at verò cum evidentia in attestante non potest negari obiectum testatum. Est igitur evidentia in attestante cognitio obiecti testati, per cognitionem evidentem existentiæ, & veritatis testimonij; sive ex cognitione evidenti testimonij veri, vt veri. Testimonium accipio latè, tùm pro revelatione ipsa Dei; sive hæc consistat in loquutione Dei, sive in auditione Prophetę; (vtramque enim amplector:) tùm pro actu fidei, & quocumque alio, verè repræsentante mysteria fidei; vel etiam pro actu visionis beatæ: est enim omnibus eadem difficultas.

SEC-

SECTIO II.

Possumus cognoscere evidenter revelationem Dei.

§. 4. *Caiet.* CAIETANVS constituens revelationem activam Dei in actu ipsius Dei, dicet, non posse extra patriam eam intuitivè cognosci; de revelatione passiva, quia à Caietano realiter distinguitur ab activa, id nō dicitur tàm necessariò. *Bañez.* Dominicus Bañez quæst. 1. artic. 5. §. ad *tertium argumentum*, & quæst. 5. artic. 2. dubio 2. negat vniversim, posse evidenter cognosci extra patriam revelationem Dei. Argumenta expendam inferiùs.

§. 5. Theologi ferè vniversi censent, revelationem Dei posse extra patriam evidenter cognosci. In re tàm aperta molestum esset scribere Doctorum verba, quos refert, *P. Luisius* & sequitur Pater Luisius disputatione 9. & *Suarez.* Pater Suarez disputat. 3. sect. 8. num. 2. *1. Conclus.* Dico igitur primò, posse revelationem passivam existentem in mente Prophetæ cognosci intuitivè, & quidditativè in patria, & extra, per scientiam infusam distinctam à lumine gloriæ: quam in Christo probavi cum omnibus fere Theologis in disputationibus de incarnatione: hæc enim scientia indè ponitur; hîc non probanda: de qua dixi multa, volum. 3. disputa. 55. Sed obiectum formale illius scientiæ, est ens supernaturale creatum, vt ibidem ostendi: quia omne ens creatum est à nobis cognoscibile immediatè, actibus illi proportionatis; obiectum autem supernaturale petit cognitionem supernaturalem: quia ad illam concurrit per speciem impressam supernaturalem: ergo revelatio passiva existens in mēte Prophetæ, potest quidditativè cognosci per scientiam infusam in patria, & extra. Egi de revelatione passiva, quæ est auditio Prophetæ, non quòd existimem illam esse distinctam à revelatione activa; sed quia evidentia revelationis passivæ constituit evidentiam in attestante.

§. 6. *Obiectio.* Dices: quamvis possint cognosci aliqua entia supernaturalia extra patriam quidditativè; non tamen potest revelatio Dei etiam passiva: quia sequeretur Deum *Respond.* extra patriam quidditativè cognosci. Hæc obiectio à nonnullis elata, est parùm efficax: etenim revelatio Dei cum non repræsentat quidditativè: quia propheta per illam revelationem non videt Deum, quem cognoscit per species alienas: ergo cognita quidditativè, aut comprehensivè, non ducet in cognitionem quidditativam Dei. Consequentia non eget probatione: quia, in ratione obiecti, non potest ducere cognitionem reflexam ad suum obiectum meliùs, quàm ipsa tendit: quia tota penetratio actus reflexi pendet à modo, quo repræsentatur obiectum illius revelationis passivæ.

§. 7. *Obiectio.* Dices revelatio passiva interdum tendit obscurè in suum obiectum, vt tēdit actus fidei; actus autem scientiæ infusæ tendens evidenter in revelationem passivam, aut actum fidei, tendit etiam evidenter in illorum obiectum: ergo licèt revelatio passiva & actus fidei non tendant quidditativè in Deum; scientia tamen infusa in illum tendit quidditativè. *Refell. 1.* Nego consequentiam: præsto est ratio: quia ad evidentiam scientiæ infusæ in obiectum fidei, sufficit cognoscere evidenter, actum fidei esse supernaturalem; vel loquutionem passivam esse loquutionem Dei: quia est evidens, loquutionem Dei, & actum fidei habere necessariam connexionem cum obiecto; evidentia autem actus nihil est præter necessitatem illum habendi; hæc autem necessitas oritur ex cognitione evidenti de existentia revelationis Dei; cognoscere autem quidditativè obiectum loquutionis passivæ non possumus ex ipsa loquutione non repræsentante obiectum ipsum quidditativè: quia ipsa non repræsentat omnia prædicata, & omnes modos obiecti sui; & quamvis illos repræsentaret, esset per species alienas, per quas vix potest formari conceptus proprij obiecti; cùm autem actus reflexus ad obiectum ipsum manuducatur per has species alienas, repræsentat necessariò obiectum ipsum imperfectè. Evidenter autem manuducitur scientia infusa in obiectum loquutionis passivæ: quia clarè videtur connexio eius loquutionis cum suo obiecto, vt per illam repræsentatur; at, quid in se sit, non cognoscit perfectè: quia obiectum formale, in quo illa cognoscit, in illud tendit imperfectè.

§. 8. *Refell. 2.* Contrà secundò. Multæ sunt revelationès, non de Deo; sed de creaturis: quæ revelationes possunt quidditativè cognosci: quia non est absurdum creaturam quidditativè cognosci, vel in se, vel in alio: ergo potest haberi evidentia in attestante de aliquibus mysterijs fidei; quamvis non posset haberi de alijs. Discrimen redditur ex obiectione ipsa: quia, quamvis est absurdum, Deum quidditativè cognosci extra patriam; creaturæ possunt ita absque absurdo cognosci.

§. 9. Quia verò opinor, posse mysteria increata extra patriam cognosci per evidentiam visionis beatæ; quin quidditativè noscan-

S. Thom. q. 1. Ar. 4. noscantur, placet respondere argumento è §. 6. Adverto cognitionem quidditativam haberi, vel per speciē propriā & immediatam, vel à priori per suam caussam. Itaque omnis cognitio quidditativa vel est immediata, vel est per caussam. Nam cæteræ cognitiones, quamvis sunt quidditatis; non tamen quidditativæ. Nam quæ habetur per alienas species, est valdè imperfecta. Cognitio creata accipit ab obiecto perfectionem efficienter per speciem impressam: quæ si immediatè emittatur ab obiecto, tribuit maiorem actui perfectionem, quàm si emittatur ab effectu ipsius obiecti: quod non dat speciem perfectam per aliud; nisi per caussam: quia hæc continet eminenter perfectionem sui effectus. Quæ hîc non disputo; sed pono ex libris de anima. Ad argumentum ergo ex §. sexto nego sequelam: ad probationem respondeo, cognita quidditativè, aut comprehensivè visione beata; cognosci omnia prædicata, & modos, quæ repræsentantur per ipsam visionem Dei; non tamen quidditativè, quia est cognitio Dei per effectum. Adeò hæc sunt vera, vt nonnulli dicant, creaturas non cognosci quidditativè in scientia Dei; sed in omnipotentia. Itaque ex comprehensione coloris comprehensivè cognita reflexè, non possumus cognoscere quidditativè colorem.

§. 10. 2. Conclus. Dico secundò, posse cognosci evidenter revelationem activam Dei, quamvis non distinguatur ab actu ipsius Dei. Probatur, quia revelatio passiva est effectus necessariò connexus cum revelatione activa: ergo ex evidenti cognitione revelationis passivæ, potest evidenter activa cognosci: quia ex effectu deducitur evidenter caussa. Sed probatum est posse evidenter cognosci revelationem passivam: ergo revelatio activa potest evidenter cognosci; quamvis non distinguatur ab actu Dei. Revelationem passivam necessariò connecti cum activa, non dubium, quia omnis passio connectitur cum actione. Item externa loquutio, & manifestatio obiecti sequitur ex voluntate, & iudicio loquentis; actus autem Dei possunt evidenter cognosci ab effectu: quemadmodum ex creaturarum existentia colligimus evidenter liberam voluntatem Dei, de illis creandis. At hæc evidentia revelationis activæ ex passiva, non est evidentia in attestante; sed est demonstratio *quia*, sive *ab effectu*, aut *à posteriori*: quia revelatio passiva est verè effectus actuum divinorum, qui ab his Doctoribus vocantur *revelatio activa*.

SECTIO III.

Argumenta solvuntur.

§. 11. 1. Argum. CONTRA conclusiones positas est primum argumentum, quia nō potest cognosci evidenter locutio Dei, quin priùs cognoscatur Deus ipse intuitivè: ergo extra patriam non potest cognosci evidēter loquutio Dei. Probatur antecedens, quia non potest cognosci hominis locutio, quin prius homo ipse. Inefficax

Respond. est hoc argumentum: etenim nos non penetramus ordinem transcendētalem actionis, per quam producitur vox: si enim illū penetraremus, penetraremus eā esse hominis actionem; at verò eam cognoscimus imperfectè per sensū percipientē eius tonū, & flexū; cùm autē hæc in multorū vocibus sint similia, non possumus discernere cuiusnā sit individui, nisi illud priùs loquens videamus; Angelus autē nostris actibus cōprehensis, ex illis nos cognoscit. Simile est in imagine picta, aut ficta: ex qua non possumus cognoscere exemplar: quia imaginis lineamenta possunt referre multorū hominum figuram: nisi enim priùs cognoverimus Alexandrū, non poterimus iudicare hanc esse eius imaginē, quia hæc nō est ordo transcendentalis ad illū. Ad argumentū ergò nego antecedens. Ad probationē concedo, per cognitionem imperfectā vocis nō posse discerni Petrū; secùs per perfectā: qua cognoscetur evidēter author in specie illius vocis, & fortè in individuo. Cū autē Deus nullū aliud habeat individuū suæ speciei, qui cognoverit perfectè loquutionem Dei, cognoscet eā esse Dei. Ratio à priori, quia hæc loquutio est actio solius Dei, ad quē dicit ordinē trāscēdentalē, vt ad authorē particularē; actio autē perfectè cognita ducit in cognitionē agētis: sic imago intētionalis, sive cognitio Dei prius cognita ducit in cognitonē ipsius Dei: quia illū repræsētat per transcendentalem ordinem: quod picturæ non contingit.

§. 12. 2. Argum. Secundū argumentū: Deus interdū loquitur per Angelū: ergo illā loquutionē nō possumus dignoscere esse Dei. Respondeo

1. Solutio. primū, omisso cōsequēti, quia quæstio est, vtrū possimus habere evidētiā in attestante mysteriorū fidei? ego affirmo; mihi autē sufficit eā haberi posse quando Deus per se loquitur. Secūdò resp ōdeo, ex præciso cōcep-

2. Solutio. tu physico loquutionis Dei per Angelū, nō posse cognosci illā esse Dei: quia illa Angelica loquutio in se, & physicè considerata non dicit ad Deum ordinem magis specialē, quā si ipse Angelus propria authoritate loque-

loqueretur; at verò ex affectibus Angeli, quibus imperat eam actionem, potest cognosci loquutionem esse Dei. Nam possumus extra patriam cognoscere evidenter iudicium verum, quo Angelus censet à Deo sibi imperari motum illum: item possumus cognoscere affectum honestum, quo Angelus obedit imperio Dei. Itaque non ex Angelica loquutione externa; sed ex voluntate & intellectione interna cognoscimus, Deum esse, qui loquitur per Angelum cum infallibili assistentia ne erret, quia eo vtitur legato ad loquendum; quidquid autē Angelus loquitur, adscribitur Deo, vt loquenti physicè per Angelum; moraliter autem per se: id est, perinde se habet, ac si per se loqueretur physicè.

§. 13. 3. Argum. Tertium argumentum: quia potest à solo Deo produci actus falsus: ergo à relatione actus ad solum Deum non satis colligitur loquutionem esse Dei. Distinguo antecedens, potest produci à solo Deo actus falsus, qui non repræsentet verba Dei, transeat antecedens; potest produci actus falsus repræsentans verba Dei, nego antecedens: de quo egi disputat. 18. à §. 50. Hinc nego consequentiam: quia si perfectè cognoscatur actus repræsentans verè verba Dei, cognoscentur ipsa verba Dei; si autem ille actus falsus, qui ponitur à solo Deo productus, cognoscatur perfectè, cognoscetur illum ex natura sua petere oriri à creatura; à Deo autem per solum concursum generalem: quòd si tunc producitur à solo Deo, est per accidens: ac propterea cognoscetur eum non esse loquutionem Dei, quia hæc per se, non per accidens, petit oriri à Deo speciali concursu, & non per solum generalem.

§. 14. Obiectio. Dices, posse contingere, vt aliquis actus sit auditio verborum, quæ appareant esse verba Dei; re tamen ipsa sint verba mali Dœmonis: vt contingere solet pijs mulierculis, quæ facilè deluduntur: ponamus hanc auditionem produci à solo Deo: hæc repræsentat verba Dei, & producitur à solo Deo; & tamen non potest cognosci esse loquutio Dei: ergo non potest dignosci loquutio Dei. Responsum est facile: quia si illa auditio perfectè noscatur, comperietur eam per accidens oriri à Deo specialiter; per se autem eam petere solum concursum generalem Dei. Item cognoscetur eam esse falsam, & repræsentare Pseudo-verba Dei; loquutio autem ipsius Dei verè petit Deum specialem authorem sui.

SECTIO. IIII.

Ad quem habitum spectet hæc evidentia?

PONO per fidem non haberi evidentiam in attestante. Primò: quia fides est libera in credenda revelatione, ac propterea non tendit evidenter in totum obiectum formale suum: quod clarè disputatione 45. constabit; evidentia autem in attestante non tendit liberè in testimonium, & revelationem Dei; ille autem modus sufficiens est ad discriminandos habitus. Secundò: quia fides vtitur authoritate divina in loquendo tāquā obiecto formali partiali, & veritatem revelationis deducit ex hoc principio: *Omne quod Deus dicit est necessariò verum*. Evidentia autem in attestante nō pendet necessariò ab eo principio: quamvis enim Deus posset per impossibile mentiri; adhuc possemus ex eius testimonio habere evidentiā in attestante: quia quamvis veritatem testimonij non possemus probare ex illo principio vniversali; adhuc ex supernaturalitate auditionis nostræ, & loquutionis Dei possemus evidēter cognoscere eius veritatem: quia omne iudicium supernaturale est necessariò verum. Item veritatem eiusdem testimonij (etiamsi esset naturale) possemus aliundè cognoscere, nempè ex alio iudicio supernaturali, quo affirmaretur loquutionem illam esse veram; ex veritate autem testimonij evidēter cognita, habemus evidentiam in attestante rei testatæ; vt autem sit per fidem, opus est, vt illa veritas cognoscatur ex authoritate loquentis: de quo recognosce disputationem quartam. §. 15.

Spectat ergò hæc evidentia ad habitum scientiæ, quam vocant *per se infusam*: cuius obiectum formale (saltem partiale) est ens supernaturale creatum. Hæc scientia, qua parte attingit revelationem passivam supernaturalem Dei, est aliquo pacto prophetia perfecta. Non disputo vtrùm præter hunc habitum possit esse alius, cuius obiectum formale sit sola revelatio Dei immediatè cognita? quid enim vetat hunc habitum? qui strictissimè erit prophetia perfecta: de qua agendum disputatione 28. Si autem loquutio Dei sit naturalis ordinis, poterit etiam cognosci actu supernaturali. Quo autem pacto prophetia strictè sumpta distinguatur à scientia infusa, constabit disputatione 28. §. 12. Hic posset disputari, vtrùm visio beata possit extra viam §. 16.

S. Thom. q. 1. Ar. 4. videri per hanc scientiam: quod spectat ad volum. 3. d. 55. sect. 11. vbi id disputo. Hic non est necessarium: quia satis est cognitio evidens de revelatione.

DISPVT. XXV.

Utrùm evidentia in atestante sit evidentia simpliciter?

§. 1. NON est dubium evidentiam testimonij, esse evidentiam simpliciter; est tamen controversia; vtrùm cognitio rei testatæ, deducta ex evidenti cognitione testimonij, sit evidens simpliciter, aut tantùm secundum quid? Quia verò quæstio potest esse de nomine, oportet disquirere quid sit evidentia, ne nos vocibus obtundamus.

SECTIO I.

Quid sit evidentia & certitudo?

§. 2. IN iudicio perfecto reperiuntur ***veritas, certitudo***, & ***evidentia.*** Veritas sumitur ex ipso actu: quia est illius conformatio cum obiecto, ad quam non egemus recursu ad principia activa illius actus: à quocumque enim principio fiat, est verus, si est conformis obiecto. Itaque ex sola conformitate actus cum obiectio sumitur & veritas, & eius explicatio. Certitudo est determinatio actus ad veritatem: sive est imposibilitas, vt actus sit falsus. In mea sententia constituente veritatem essentialem actibus, imposibile est, vt actus, qui semel est verus, potuerit, etiam divinitùs esse falsus: quia illa veritas pertinet ad essentiam illius actus. Considerãda est ergò imposibilitas non ex ipso actu præcisè; sed ex eius adæquato principio activo. Quando enim actus ita oritur à suis causis, vt ab illis, circa illud obiectum non potuerit oriri aliquis actus falsus, tunc ille actus est certus: quia ex conceptu suorum principiorum est necessariò verus; illa autem principia, quia perfecta sunt, dant ipsi actui essentiam perfectam: nempè perfectum ordinem transcendentalem ad suas causas: qui ordo est certitudo in actu secundo; ordo autem caussarũ ad ipsum actũ est certitudo in actu primo.

In sententia constituente veritatem accidentalem actibus, explicanda est certitudo eadem ratione: nempè actum esse certum, quando oritur à principijs, quæ non potuerunt, neque ipsum, neque alium efficere falsum circa idem obiectum. V. g. per principia probabilia ego infero Deum esse, aut quantitatem distingui à re quanta: hi actus ita sunt veri, vt nec per potentiam absolutam posint ese falsi; nec tamen propterea sunt certi: quia possunt esse cum actuali formidine, quæ excludit certitudinem: item quamvis obiectum in se sit omninò necessarium; tamen actus deductus ex medio contingenti est probabilis, & incertus. Ratio à priori, quia medium probabile cognoscitur per speciem etiam probabilem, repræsentantem eius contingentiã; apprehensa autem obiecti cõtingentiâ, possumus illi assentiri, & disentiri: quia sumus liberi, non solùm quoad exercitium; sed etiam quoad speciem actus. Itaque ipsa species impressa de obiecto probabili potest efficere illius assensum, & dissensum, & qui solo vtitur medio probabili, potest negare, & aserere existentiam Dei, & distinctionem quantitatis à quanto; qui autem exercet actum certum, vtitur specie impresa, & principio activo impotente per illam exercere actum falsum: ergo ad explicandam certitudinem confugiendum est ad perfectionem principij activi illorum actuum; & non ad repugnantiam in actu secundo, quâ actus ipse non posit esse falsus. Habitus naturalis intellectus est idem cum specie impresa, ac propterea omnis habitus probabilis est indifferens ad actus veros, & falsos. Quòd si constituatur alius habitus acquisitus determinatus ad actus veros: respondeo, eum non esse certum: quia eius determinatio est consequens: etenim gignitur per actum verum ortum à principio probabili: item habitus non est per se; sed per accidens principium actuum: quia ad illos non est necessarius; hic autem agimus de determinatione antecedente in principio per se. Hac de re agitur fusiùs, disput. 58 sect. 3. §. 3.

Reperitur etiam in actu perfecto evidentia, quæ est notitia clara, & perspicua obiecti. Sumitur metaphora ab actibus sensus videndi, qui frequenter sunt clari: estque evidentia intellectus quædam ipsius videntia, sive visio repræsentans obiectum. Hæ sunt metaphoræ, rem non explicantes; oportet autem non concionari, & vagari verbis; sed rem acu tangere. Pater Valentia disputatione prima, quæstione quinta, puncto primo, attigit scopum, aserens evidentiam esse §. 4. *P. Valent.*

esse necessitatem assentiendi obiecto: opinor ergò evidentiam esse necessitatem exercendi actum circa illud obiectum: necessitatem dico quoad speciem; idest, quando ita assentimur, vt non possimus dissentiri: quamvis enim censeo omni evidentiâ determinari intellectum ad exercitium actus; lis tamen adhuc non est composita apud omnes: censent enim multi evidentiâ determinari intellectum ad speciem actus; non tamen ad exercitium.

§. 5. Necessitas est duplex: alia consequens; alia antecedens: necessitas consequens est, quæ oritur ex ipso actu secundo, sive, quæ illum consequitur: est enim ex suppositione illius. Ego enim probabilliter assentio quantitatem distingui à quanto: supposito hoc assensu, non possum habere dissensum: quia non possum componere assensum, atque dissensum de eodem obiecto. Vocatur autem *necessitas consequens*: quia est necessitas ex suppositione actus, qui est consequens, & sequitur ex principijs activis. Necessitas autem orta ex ipsis principijs, est necessitas antecedens: quia cum ipsis principijs, (quæ actum antecedunt) antecedit actum ipsum. Hæc necessitas antecedens est simpliciter necessitas, & evidentia simpliciter; necessitas autem consequens est necessitas secundùm quid, & non evidentia vllo modo: quia de conceptu evidentiæ vt sic, est absoluta necessitas, quemadmodùm de conceptu operãdi cum determinatione ad vnum, & sine libertate, non est quæcumque necessitas; sed necessitas absoluta, & antecedens. Idem dixerim de certitudine: consequens enim necessitas, & determinatio ad veritatem, nullo modo est certitudo; est autem certitudo antecedẽs necessitas, & determinatio ad veritatem.

§. 6. Hinc deduces discrimen inter certitudinem & evidẽtiam vt sic: evidentia enim est species certitudinis. Certitudo enim est determinatio antecedens ad veritatem; ita vt principia actus certi nõ possint elicere actũ falsum circa illud obiectum; hoc autem cõvenit evidentiæ: quia species evidens ita repræsentat obiectum, vt circa illud non possit elicere actum falsum; quia determinans ad speciem actus, non dat locum actui contrario, qui esset falsus: actus autem, ad quem ipsa determinat, est verus necessariò: quia veritas obiectiva ita repræsentatur, vt non possit non movere intellectum ad se, differt autem hæc species certitudinis à certitudine obscurâ, quòd hæc, quamvis non possit esse principium actus falsi; tamen non tollit intellectui potentiam proximam faciendi per alia principia alium actum, qui sit falsus circa illud obiectum. Exempli gratiâ: habitus fidei infusæ & species impressa supernaturalis efficiunt certum assensum fidei: quia ex illis principijs non potest esse actus falsus circa illud obiectum; at verò fides non tollit potentiam proximam, vt per species naturales excitetur apprehẽsio obiecti contrarij, & possimus liberè dissentiri obiecto fidei; tunc autem fides corrumperetur, vel demeritoriè, & ex solo pacto Dei; vel, si ex natura rei; priùs tamen natura committitur hæresis, quàm destruatur fides: vt quamvis in nullo instanti reali sunt simul peccatum mortale & gratiâ; tamen prius ratione, & naturâ admittitur peccatum, quàm gratia destruatur: itaque certitudo obscura non facit per se actum falsum; non tamen impedit, quin fieri possit per alia principia. Certitudo autem clara, neque per se potest efficere actum falsum circa suum obiectum; neque relinquit intellectui potentiam proximam illum faciendi, etiam per alia principia. Etenim excitatâ apprehensione evidenti de aliquo obiecto, non possumus dissentiri, quantumcumque excitetur apprehensio obiecti contrarij; alioquin non determinaret intellectum ad speciem actus.

SECTIO II.

Enucleatur eadem doctrina.

CVM dico evidentiam esse absolutam necessitatem asentiendi cum repugnantia dissentiendi, rem explico per conceptum secundarium evidentiæ; non per primarium. Primus enim evidentiæ conceptus logicus non sumitur per connotationem ad negationem actus oppositi: sicut primus logicus conceptus lucis nõ est per connotationem tenebrarum, neque conceptus caloris per connotationem frigoris; sed sumitur conceptus primarius harum qualitatũ per intrinsecam illarum perfectionẽ: sic evidentia primariò cõstituitur per claram, & expressam repræsentationem obiecti; quia verò hæc claritas, & expressio habet pro effectu determinare intellectum ad asensum; sicut calor expellere frigus, ideò evidentiam explicamus per hanc determinationem ad asensum, & impotentiam ad dissensum, quæ sunt per se nota: ac propterea sic explicatur apprimè evidentiæ conceptus: qui est actus perfectio orta à principijs determinantibus ad illum. §. 7.

S. Thom. q. 1. Ar. 4. §. 8. Evidentiam sic explicandam, quamvis non exprimunt Authores, supponunt. Cũ enim quæritur: vtrùm evidentia conclusionis necessitet intellectum ad exercitium actus? supponunt omnes determinationem ad speciem; vt autem comperiant, quanta sit evidentiæ determinatio ad actum, disquirunt, vtrùm non modo sit ad actũ quoad speciem; sed etiam quoad exercitiũ: nam determinatio quoad speciẽ manifestè constituitur Aristotelica diffinitione syllogismi: *In quo quibusdam positis aliud sequi necesse est.* Multi dicunt sufficere necessitatem quoad speciem, neque requiri quoad exercitium; plures autem dicunt vtramque requiri, tantamque esse evidentiæ vim, vt non possimus non assentiri quoad exercitium: at quis dubitet diffiniri ab Aristotele syllogismum, in quo est evidens consequentia? ergo cum Aristotele omnes supponunt evidentiâ determinari intellectum ad speciem actus. Idem constat ex discrimine opinionis, & fidei à scientia: hæc enim non dependet à voluntate, quoad speciem actus; dependet autem fides, & opinio. Item quando aliquis negat propositionem evidentem, dicimus eam nõ posse negari, quia est evidens: eaquepropter quando in legitimo syllogismo, concessis præmissis, negatur conclusio, dicimus eam negari non posse, quia legitimè sequitur præmissas: & ideò conclusionem illam vocamus necessariam necessitate consequentiæ, quia deductio consequentiæ est evidens. Quando autẽ præmissæ sunt evidentes, dicimus conclusionem esse necessariam necessitate cõsequentiæ, & consequentis: quia cum non possint negari præmissæ, & forma syllogistica sit perfecta, cogimur admittere consequens: neque vero quis negare potest, quod videt: cùm igitur in principijs evidentibus reperiatur hæc determinatio, & non in alijs; rectè evidentiam explicamus per hunc effectum: quia adeò est evidentiæ proprius, vt qui decipitur per evidentiam apparentem; nonpossit dissentiri obiecto, dum non detegitur deceptio.

SECTIO III.

Quædam obiectio.

§. 9. QVI dicunt evidentiam in attestante non esse simpliciter evidentiam rei testatæ, coguntur dicere non esse evidentiam simpliciter quamcunque determinationem antecedentem ad assensum: sed illam præcisè, quæ vel est immediatè, vel à priori, vel per effectum: quia si fit per extrinseca principia, quale est testimonium loquentis, non erit evidentia simpliciter; sed secũdum quid. Idque probant ex Aristotele dividente adæquatè demonstrationem, in demõstrationem *quia & propter quid*: hæc est *à priori*; illa *à posteriori*. Contrà argumẽtor: primò ex eodem Aristotele definiente syllogismum, in quo quibusdam positis aliud sequi necesse est: hũc autem syllogismum divisit adæquatè in fallacem, Topicum, & demonstrativum; sed syllogismus hic, nec est Topicus, quia præmissæ non sunt probabiles; neque fallax: ergo est demonstrativus. Patet consequentia, quia sola superest species syllogismi Theologici, aut fidei: ad quas non spectat hic syllogismus. Cùm igitur præmissæ huius syllogismi negari non possint; consequẽtia autem sit legitima, pertinet ad syllogismũ demõstrativum. Et quidem ad demonstrationem *quia*, ad quam non exigitur, vt sit demonstratio caussæ per effectum propriè; sed per quasi effectum, ita vt reddatur vera propositio caussalis. Etenim quando per attributum solâ ratione distinctum ab essentia, clarè cognoscitur eadem essentia, ille syllogismus est demonstratio *quia*; & tamen non infertur caussa vera ex effectu vero: è contra verò quando per essentiam ostenditur attributum, est demonstratio *propter quid*, quamvis non agitur de caussa, & effectu proprijs. Sed obiectum testatum est aliquo modo caussa testimonij veri: ergo ostensio rei testatæ per testimonium pertinet ad demonstrationem *quia*. Probo minorem, quia veritas actus pendet ab obiecto, & est vera hæc propositio: *quia est Trinitas, verum est testimonium Dei de Trinitate*: Item actus creatus est effectus physicus obiecti saltem remotè: teste enim Augustino, *ab obiecto, & potentia paritur notitia*: obiectum enim vel immediatè per se, vel per speciem sui activè concurrit ad actum: color enim tàm propriè demonstratur per visionem, quàm ignis per calorem manus.

Contrà secundo: evidentia in attestante infert absolutam necessitatem ad assensum rei testatæ: ergo est evidentia absolutè rei testatæ. Probo consequentiam: quia determinatio antecedens ad assensum & evidentia absolutè, sunt idẽ. Quod ita probo. Determinatio antecedens principiorum ad veritatem est idem cum certitudine absoluta: quamvis illa determinatio sit dependens à testimonio Dei, & quovis alio principio extrinseco: §. 10. ergo

ergo etiam antecedens determinatio ad assensum, est evidentia absolutè: quamvis pendeat ab eodem testimonio, & principijs extrinsecis. Antecedens negari non potest: fides enim penitùs est certa; item evidenita in attestante est non minori iure certa; vtraque autem est per principium extrinsecum, & testimonium loquentis; consequentiam autem probo: quia certitudo eodem modo pendet ab obiecto, quo evidentia: neque ratio reddetur, ob quam repugnet intellectum aucupari evidentiam per testimonium, & principia extrinseca: & non repugnet aucupari certitudinem.

§. 11. Ratio est, quia vndecumque derivetur principium determinatum ad actus veros, derivatur certitudo: cur etiam non derivabitur evidentia eo ex capite, ex quo derivantur principia determinata ad assensum? Et, vt certitudo adæquatè consistit in determinatione principiorum ad actum verum, cum repugnantia ad actum falsum; cur evidentia non consistet adæquatè, in determinatione principiorum ad assensum, cum repugnantia ad dissensum? Alioquin si præcisè stamus Aristotelicæ diffinitioni, neque syllogismus evidens in attestante erit certus, neque certa fides: quia nec habetur immediatè, neque *quia* propriè, nec *propter quid*: etenim tàm facilè negabitur certitudo, quàm evidentia. Vt ergo illi syllogismi conveniunt cum omni determinatione in absolutâ determinatione ad veritatem, & ad dissensum; ita conveniunt in absolutâ certitudine, & euidentia absolutâ. Itaque propositio immediata ideò est evidens, solùm quia negari non potest: sicut ideò est certa, solùm quia est determinata ad veritatem: idem dixerim de cognitionibus per caussam, vel per effectum; esse autem immediatam, à priori, aut à posteriori, sunt differentiæ principiorum, ex quibus oritur evidentia, sicut oritur certitudo.

§. 12. Contra tertiò: effectus Dei est ordo transcendentalis extrinsecus ipsi Deo, non minus, quàm revelatio; sed ex hoc ordine extrinseco cognoscitur evidēter Deus: ergo etiam potest cognosci ex revelatione: quæ autem dicunt, per effectum cognosci Deum in se, per revelationem autem non cognosci in se; sed in testimonio, verba sunt. Etenim per effectum, non cognoscitur Deus in se magis, quàm per testimonium. Rem in se cognosci potest accipi bifariam: primùm, ita vt res ipsa cognoscatur immediatè, independenter ab alio obiecto priùs cognito: sic autem Deus per evidentem cognitionem effectus non cognoscitur in se, quia ea cognitio pendet ab effectu priùs cognito. Secundò dicitur res in se cognosci, quia quamvis pendeat ab alio obiecto priùs cognito; tamen cognitio verè, & propriè terminatur ad rem ipsam: tamquam ad obiectum materiale proximum (vt ego dico): vel tamquam ad obiectum formale *quod* (vt alij volunt): hac enim in parte sola est quæstio de nomine. Quod explico in cognitione conclusionis obiectivæ, & in electione medijs: medium enim amatur in se, & non remotè: conclusio item obiectiva cognoscitur in se, & non remotè, sicut substantia parietis remotè, & denominativè, & non in se videtur per visionem coloris: hoc autem pacto non minùs cognoscitur Deus in se ex revelatione priùs cognita, quàm per effectum: ex vtroque enim obiecto formali derivatur cognitio Deum attingens in se.

Dicunt, Deum ex revelatione cognosci sub ratione communi testimonij: ex effectu autem cognosci non sub ratione communi; sed particulari. Contrà: sicut Deus ostenditur ex effectu habente determinatam, & necessariam connexionem cùm ipso; sic ex revelatione ostenditur Deus non per testimonium in commune; sed per particulare habens necessariam, & determinatam connexionem cum ipso: vt enim non manuducimur aliquo effectu Dei, ita oriente à Deo, vt posset non oriri; sed manuducimur effectu, qui, quando existit, impossibile est, vt non existat à Deo: ita per revelationem Dei manuducimur ad Deum, non ex testimonio indifferenti ad verum, & falsum; sed ex determinatè verò: ergo non cognoscimus Deum ex communi ratione testimonij; sed ex determinata. §. 13. *Obiectio. Refell.*

Obijcies, per effectum cognosci connexionem inter subiectum, & prædicatum caussæ: quod non fit ex testimonio cognito. Contrà: connexio revelationis cum Deo tàm cognoscitur, quàm connexio effectus cum caussa: quia revelatio tàm essentialiter est ordo transcendentalis ad Deum, quàm effectus; connexio autem Dei cum revelatione non est opus, vt cognoscatur: quia est independens ab existentia revelationis, sicut ab existentia effectus: in esse autem possibili non est opus, vt cognoscatur ea connexio: quia ex conceptu præciso Angeli non cognoscitur, essentiam Dei pendere, aut nō pendere ab Angeli possibilitate: Deum enim fore, aut non fore, etiamsi Angelus repugnaret, nō cognoscitur ex existentia Angeli: connexio autem §. 14. *Obiectio. Refell.*

S. Thom. q. 1. Ar. 4. inter prædicata divina multo melius cognoscitur per revelationem & visionem beatam prius cognitas, quam per effectum. Per hunc enim immediatè cognoscitur esse in Deo virtutem activam, in qua eminenter continetur effectus; illam autem virtutem esse substantiam spiritualem, & vnam, non deducitur immediatè ex illo effectu; sed ex alijs principijs: at verò visa revelatione, aut visione, beata cognoscuntur in Deo esse omnia prædicata, quæ cognoscimus repræsentari illis actibus: ergo connexio prædicatorum Dei cognoscitur ex revelatione.

§. 15. Tandem argumentor, quia illa cognitio Dei ducta ex revelatione, aut est simpliciter evidens, aut simpliciter non evidens? si evidens simpliciter, habemus intentũ, si inevidens simpliciter: ergo est propositio simpliciter obscura; hoc autem videtur absurdum: quia nulla propositio simpliciter obscura determinat intellectum ad speciem actus, nisi per imperium volũtatis: propositionem autem simpliciter inevidentem, esse simpliciter obscurã probatur, quia obscuritas est carentia lucis, & evidentiæ; sed propositio inevidens habet carentiam lucis, & evidentiæ: ergo habet obscuritatẽ.

SECTIO IIII.

Opinio Patris Vazquez.

§. 16. EXPLICATO evidentiæ conceptu, vix potest esse controversia, nisi de voce: est tamen hac in parte commune Doctorum dissidiũ. P. Vazquez 1. p. disp. 135. cap. 3. & 3. p. d. 53. à n. 2. & d. 74. n. 11. docet evidentiam in attestante esse principium evidentię secundũ quid rei testatæ; non vero evidentiæ simpliciter. Consentit Magist. Lorca in 2. 2. disp. 16. nu. 18. & in 3. partem disp. 50. à num. 6. & P. Luisius disputat. 9. dubio 3. §. *sed communior*, & alij apud ipsos, quibus favet Sanctus Thomas, quæst. 5. art. 2. admittens in dœmone fidem aliquam mysteriorum, simul cum evidenti cognitione revelationis: cum autem S. Thomas nunquam componat fidem cum scientia, quia evidentia & obscuritas circa idem obiectum non possunt componi simul, & admittat fidem cum evidentia in attestante, non male colligitur à Sancto Thom. censeri evidentiam in attestante, nõ esse evidentiam simpliciter. Magister Bañez non vult Sanctũ Thom. esse ab hac sententia, quia ipse non est: exponit Sanctum Thomam loquutum de evidentia morali, quę simpliciter est obscuritas: vel ait negari à Sancto Thoma componi posse fidem cum evidentia immediata; evidentia autem in attestante non est immediata. Vtraque expositio dura videtur. Prima est aliena à Sancto Thoma agente de evidentia determinante intellectum ad assensum independenter à voluntatis imperio; at evidentia moralis præcisè non adimit hanc libertatem: ergo Sanctus Thomas non egit de evidentia morali. Secunda expositio non potest à me damnari, non quòd illam laudem quadrare in Sanctum Thomam; sed quia eius discipuli non poterunt dicere, me apertè ab illo dissentiri, neque in hac quęstione, neq; in alia de composibilitate fidei, & scientię: quia M. Bañez scientiam mediatam ex Sancto Thoma, cum fide componit.

(Margin: P. Vazq. — Lorca. — Luisius. — S. Thom. — Bañez.)

Præmittit Pater Vazquez omnem evidentiam demonstrationis, esse demonstrationis *quia* vel *propter quid*, id est, vel per caussam, vel per effectum: neque licere novas comminisci diffinitiones, cùm Aristoteles, & antiqui Philosophi sic diviserint demonstrationem: aitque Pater Luisius religione philosophorum compesci recentium audaciam in novis diffinitionibus. Secundò præmittit evidentiã ostendi connexionem extremorum rei in se, idque ratione peculiari. Effectus enim evidenter cognitus ostendit virtutẽ suæ caussæ, & qualis in se sit; hoc autẽ non præstatur per evidentiã in attestante, quia hæc est principium extrinsecum, & solùm connectitur cũ obiecto in ratione communi testimonij. §. 17.

Hinc argumentatur: omnis evidentia, aut est immediata, aut per caussam, aut effectum: vt constat ex præmissione prima; sed evidentia in attestante respectu rei testatæ, non est immediata, neque à priori, neque à posteriori: ergo non est evidentia simpliciter; sed secundum quid. Lorca ea disput. 50. num. 7. censet hoc argumentum esse evidens. §. 18. 1. Argum.

Respondeo, secundam præmissionem à me esse refutatam §. 13. & 14. Prima autem nullius est ponderis: primùm, quia illa divisio intelligitur de syllogismo demonstrativo; at evidentia in attestante potest esse absque syllogismo: ergo quamvis admittamus hanc tertiam evidentiam simpliciter, non admittimus novam speciem evidentiæ, præter constitutas à Philosophis. Probatur minor, quia cognita quidditativè revelatione, aut visione beata, absque alio discursu, fertur intellectus in illarum obiectum. §. 19. Resp.

Secundò, quia omnes Theologi cum Augustino admittunt ab obiecto, & potentia pari notitiam: est ergo cognitio creata §. 20.

effectus

effectus aliquo modo sui obiecti: vnde evidentia in attestante pertinet ad demonstrationem *quia*, vt ostendi §. 9. Quod ita confirmo, quia per scientiam beatam terminatam immediatè ad scientiam Dei, cognoscit beatus creaturas possibiles, & futuras: idque evidenter; sed scientia Dei simplicis intelligentiæ non est caussa creaturarum in esse possibili, quia solùm est illarum caussa in ordine ad existẽtiam: sciẽtia autem visionis non est caussa existentiæ rerum: neque obest scientiam Dei esse idẽ cũ omnipotentia, à qua res sunt possibiles. Etenim non solùm in Deo, vt est omnipotens; sed etiam vt omniscius, possunt videri creaturæ; ergo non solùm possunt cognosci evidenter ex caussa formaliter; sed etiam ex alio conceptu, qui non sit formaliter caussa. Tandem ex paternitate creata cognoscitur evidenter filiatio, & è contra: cùm tamen filiatio non sit effectus paternitatis, neque caussa. Dici etiam posset fidem non esse certam, quia nec est immediata, neque à priori, neque à posteriori.

§. 21. Argumentum non vrget: distinguo enim maiorem: omnis evidentia est aut à priori, aut à posteriori propriè, nego maiorem: est à priori, aut à posteriori, propriè vel reductivè, trãseat maior: distinguo item minorem: cognitio intuitiva increata non est propriè effectus sui obiecti, concedo minorem: non est impropriè quasi effectus: nego minorem. Visio autem Dei creata non est effectus propriè, obiecti, nego minorem: etenim Deus secundum se, non solùm, vt complet potentiam in ratione potentiæ; sed etiam in ratione obiecti, concurrit ad visionem sui immediata actione: ergo ex visione Dei potest monstrari Deus evidentiâ propria per effectũ: quod negant hi doctores, asserentes ex visione beata reflexè cognita; non posse Deũ cognosci evidenter etiam quod *an est*? At verò cognitio mediata obiecti est effectus remotus illius: ac propterea ex evidentia in attestante cognoscitur obiectum à posteriori: neque vero hoc requiritur: etenim ad demonstrationem *quia*, non exigitur, vt sit per effectum propriè; sed vt aliquo modo dependeat à re demonstrata.

SECTIO V.

Vera sententia.

§. 22. *Caietan.* CAIETANUS tertia parte quæst. 11. art. 1. §. *inquo* 1. docet evidentiam in attestante esse evidentiam simpliciter, quia censet Christum clara cognitione scientiæ infusæ cognovisse Trinitatem: consentit Pater Suarez 1. disputatione 27. sect. 5. & disp. 3. de fide sect. 8. num. 2. P. Valentia disp. 1. quæst. 5. punct. 1. & alij apud ipsos, & P. Luisium disp. 9. Probant aliqui, quia evidens est, verum esse omne, quod Deus dixit; sed evidens est Deum dicere, se esse trinum: ergo evidens est Deum esse trinum. Maior propositio est certa lumine naturæ. Minor autem est æquè certa habenti scientiam infusam de revelatione: consequentia autem negari nõ potest: quia ex duobus principijs evidentibus in recto syllogismo, evidentia sunt consequens & consequentia. Atqui concessa vtraque præmissâ, malè conclusione vexantur qui eas admittunt. *Suarez. Valentia. Luisius. 1. Arg.*

§. 23. *Solutio.* Duos explicatus habet syllogismus in maiori propositione, & cõclusione: primus est, vt tãtùm significetur vnius veritatis evidẽtia, v.g. vt sit evidẽs veritas omnis propositionis divinæ: evidens enim est, verum esse quod Deus dixit, id est, evidẽs est, omne testimonium Dei, & propositionem ab ipso dictam esse veram: in quo sensu evidens etiam est testimonium de Trinitate, esse verũ: quia cùm evidens sit veritas omnis propositionis Dei, evidens etiam est veritas huius propositionis. Vnde consequẽs in syllogismo nõ est illatũ exactè. Nõ enim erat inferẽdum: *ergo evidens est Deum esse trinum*: sed, *ergo evidens est testimoniũ Dei de Trinitate verũ esse.* Sũt enim hæc diversa; nam adversarij etiam admittunt esse evidentem veritatem revelationis divinæ, & visionis beatæ: immò in mea sententia, qui habet scientiam infusam de revelatione Trinitatis, habet immediatè evidentiam de veritate revelationis: de Trinitate autem habet evidentiam mediatam. Secũdus explicatus continet duas veritates: alteram formalem existẽtem in revelatione, aut visione beata; alteram obiectivam existentem in ipsa Trinitate, aut alijs obiectis: evidens est, omne quod Deus dixit, esse verum, sic explico, *evidens est veritas formalis revelationis divinæ*, & *evidens est veritas obiectiva rei revelatæ*: sic autem neganda est ab adversarijs maior propositio, & consequentia propositi syllogismi.

§. 24. *Probatio à priori.* Hæc conclusio probanda est à priori ex sectione 1. 2. & 3. quia omnis determinatio antecedẽs ad assensum, est evidẽtia simpliciter, vt ibidem ostendi; sed evidentia in attestãte, est determinatio antecedens ad assẽsum: ergo est evidentia simpliciter. Secundò: quia ipsi concedunt cognitionem necessariò deductam ex evidenti cognitione effectus esse simpliciter evidentem cognitionem

 tionem

nitionem caussæ; sed evidentia in attestante est necessaria cognitio ex evidenti cognitione effectus; ergo evidentia in attestante est evidentia simpliciter rei testatæ. Minor probatur primò in visione beata, ad quam Deus concurrit actione duplici: alterâ complens potentiam; alterâ movens intellectum in ratione obiecti: neque visio coloris est minùs propriè effectus coloris ipsius, quàm calor in ligno est effectus ignis; cæteræ autem cognitiones creatæ saltem remotè sunt effectus obiectorum: ergo sicut caussa remota demonstratur evidēter per effectum remotum, & intermedios; ita obiectum demonstrabitur evidēter per cognitionem ipsius, per speciem impressam, & per alia obiecta magis immediata.

§. 25. Explicatur in veritate propositionis: etenim hæc est vera caussalis: ***quia Deus est Trinus, revelatio de Trinitate est vera:*** ergo veritas revelationis reducitur ad effectus Trinitatis; consequentia patet, quia quoties vera est propositio caussalis, versatur inter caussam, & effectum propriè, vel reductivè. Antecedens patet, tum quia ***ab eo quod res est, vel nō est, propositio dicitur vera, vel falsa:*** tùm etiam, quia existentia obiecti & veritas actus non sunt disparatę; sed altera pendet ab altera, quod negat nullus; sed existentia obiecti non pendet ab actus veritate: ergo veritas actus pendet ab existētia obiecti. Confirmatur: siquis affirmet: ***Petrus est albus***, & rogetur vtrùm verum dixerit? respondebit affirmativè; rogatus autem vndè sciat affirmationem esse veram? respondebit, quia scit Petrum esse album; neque obest obiectū non esse caussam physicè influentem in veritatem actus: tùm quia neque applicatio ignis ad lignum influit in calorem ignis; cùm tamen ex evidenti cognitione caloris evidenter inferatur applicatio: ergo eàdem ratione cognoscetur evidenter obiectum testatum ex evidenti cognitione testimonij: quia ideò cognoscitur evidenter applicatio, quia calor in prima productione, illi est necessariò adstrictus; sed revelatio de Trinitate in veritate, & in essentia, est necessariò adstricta Trinitati: ergo ex evidenti cognitione revelationis infertur evidens cognitio Trinitatis.

Confirm.

§. 26. *Confirm.* Confirmantur quæ hactenus dixi: quia incarnatio est quasi caussa, & ratio obiectiva scientiæ liberæ, qua Deus videt existere incarnationē ipsam: ergo incarnatio est caussa remota omnium effectuum illius scientiæ liberæ. Nam ***quod est caussa caussæ, est etiam caussa caussati***, & constituitur in serie caussarum per se talis effectus, id est, constituitur inter principia tàm necessaria ad existentiam effectus remoti, vt sine illis nō possit effectus existere; sed scientia visionis de incarnatione, est caussa revelationis de incarnatione ipsa: ergo incarnatio est caussa per se revelationis: ergo cognitio incarnationis ex revelatione, est cognitio caussæ per effectum. Probatur minor ex disputat. 13. vbi ostendi revelationem, & quamcumque loquutionem externam oriri ex cognitione loquentis de obiecto, quod loquitur: vt enim constat ex Ioannis 3. 11. ***quod scimus loquimur, & quod vidimus, testamur.*** Vnde concludo revelationem de incarnatione esse effectum ipsius incarnationis. *Ioā. 3. 11.*

§. 27. *1. Obiect. Refell.* Dices primò, obiectum esse caussam remotam revelationis, & non proximam. Contrà: caussa remota demonstratur evidenter per effectum remotum: quia hic pendet immediatè ab effectu proximo; proximus autem pendet immediatè à caussa effectus remoti. Itaque ab effectu remoto ad proximum, est evidens consequentia; eadem etiam est ab effectu proximo ad caussam: ergo caussa remota evidenter monstratur per effectum remotum: & ita in demonstrationibus à priori, in prima ostenditur prima passio; deinde per primam ostenditur secunda, & sistitur in vltimo effectu: in demonstrationibus autem à posteriori incipimus ab vltimo effectu, & sistimus in primo: omnes verò demonstrationes in vtraque serie sunt evidentes simpliciter: ergo per consequentias à revelatione ad suam caussam proximam possumus evidenter cognoscere incarnationem.

§. 28. *2. Obiectio. Refell. 1.* Dices secundò, revelationem non existere, quia est incarnatio; sed quia Deus vult. Contrà primò: quia licet incarnatio non est tota caussa, ob quam revelatio existit; est tamen caussa partialis: sed ab effectu ad caussam partialem, est evidens consequētia: ergo & à revelatione ad incarnationē. Minor est absque dubio, quia species impressa solū est caussa partialis cognitionis: tùm etiam à priori, quia sine caussa partiali impossibile est effectum esse. Maior patet, quia voluntas revelandi incarnationē pendet à scientia visionis de eâdem incarnatione: quia hæc scientia potuit esse sine vlla voluntate: multa enim cognoscit Deus, quæ non revelat; voluntas autem revelandi, non potest esse absque eâ scientiâ: quia Deus non potest velle revelare, quæ non scit: est itaque evidens hęc consequentia: ***Deus vult revelare incarnationem: ergo scit eam esse: scit esse incarnationem: ergo est incarnatio.*** Dixit enim Aristoteles esse consequentiam à veritate propositionis ad obiectum: Socrates enim currit, si vera est oratio enuncians

cum

eum currere. Mirum mihi est hos Authores non animadvertisse, Aristotelem intulisse consequentiam ex veritate propositionis ad obiectum; cùm autem Deus vult aliquem effectum; non excluduntur; sed iam supponũtur cæteræ caussę, vel quasi caussæ, sine quibus Deus non potest velle talem effectum.

§. 29. Contrà secundò: quamvis incarnatio non sit immediata caussa, vt revelatio existat; est tamen caussa immediata, vt sit vera: immò & est vnica: quamvis enim veritas sit vna cum actus huius principijs; tamen immediata regula dignoscendi veritatem, est obiectum: ideò enim propositio est vera, quia obiectum est quale illâ dicitur: vndè veritas existens tàm immediatè ducit in cognitionem sui obiecti, quàm in cognitionem principij activi.

§. 30. Obiectio. 3 Resp. Dices tertiò; has demonstrationes non esse simpliciter demonstrationes, quia non versantur inter caussam, & effectum propriè. Sæpiùs ostendi id nihil obesse: tũ quia essentia & attributum, non sunt caussa & effectus: neque applicatio est caussa ignis: neque meritum est caussa physica augmenti gratiæ: estque evidentia simpliciter. Neque afferent discrimen vllum, cur ab igne ad applicationem, & in cæteris enumeratis sit consequentia evidens simpliciter, & non sit in hoc genere effectus, nempe, à veritate actus ad obiectum. Posse esse evidentiam in attestante, & cognosci Trinitatem in via, ostendo, volum. 3. disput. 55. sect. 10.

DISPVT. XXVI.

Vtrùm per miracula posſit eſſe evidentia in atteſtante?

SECTIO I.

Explicata quæſtio.

§. 1. MIRACVLVM potest esse intentionale, & physicum: intentionale est aliquis actus supernaturalis dicens ordinem transcendentalem, quo repręsentet testimonium Dei, aut Deũ ipsum: exempli gratiâ, actus fidei repræsentat revelationem Dei; visio autem beata Deum ipsum. Hos actus voco miraculum, non quòd rarò eveniant: sunt enim frequentes; sed quòd sunt supra vires naturæ. Item actus voluntatis supernaturalis dependens ab his cognitionibus supernaturalibus, potest in hoc sensu dici miraculum. Constat ex disputat. 25. ex his miraculis evidenter cognitis gigni evidentiam in attestante: quod iam probavi de actibus intellectus: de actibus voluntatis eadem est probatio, quia ab actu voluntatis supernaturali ad actum supernaturalem intellectus est evidens consequentia (quamvis ab illo physicè nõ pendeat); sed ab actu supernaturali intellectus ad obiectum est etiam evidens consequentia: ergo ab actu supernaturali voluntatis ad obiectum est evidens consequentia.

§. 2. Miraculum physicum est opus aliquod purè physicum excedens naturę vires: qualis est mortui suscitatio. Hoc miraculum potest cognosci; vel per solam evidentiam moralem: vt qui non viderunt Lazarum vocatum à Christo exilijsse è monumento ligatum linteaminibus; viderunt autem illum viventem, & bibentem: item viderunt oculatos testes revocationis Lazari à mortuis: hi non habuerunt evidentiam physicam miraculi; sed præcisè moralem: de quibus non est hæc quæstio. Potest secundò cognosci miraculum evidentiâ physica: vt qui viderunt Lazarum sepultum, & à Christo in lucem revocari: hi tàm evidenter cognoverunt illud miraculum, quàm cognoscimus hominem ab alio homine vulnerari, & curari: ita vt absque scrupulo iurare possimus hominem ab alio vulneratum. De his est in parte hæc quæstio. Vtrùm tantam habeãt evidẽtiã revelationes divinæ illo miraculo cõfirmatæ, vt eæ nullo modo negari possint: vt non potest negari revelatio cognita ex evidenti cognitione actus fidei: sive vt non potest negari te, qui mecum loqueris, esse hominem. Tertio potest cognosci miraculum per evidentiam metaphysicam, vt cùm actu supernaturali evidenti cognoscitur opus miraculosum. Rogo: vtrùm qui miraculum ita cognoscit, habeat evidentiam in attestantę revelationis ita confirmatæ?

SECTIO. II.

Prima ſententia.

§. 3. S. Thomas SANCTVS Thomas, quæst. 5. art. 2. apertè fatetur per evidentiam miraculi physici comparari evidentiam in attestante: quia si propheta suscitatione mortui confirmet aliquam revelationem Dei, convincit intellectũ videntis miraculũ, vt cognoscat manifestè, illud dici à Deo. Qua ratione docet Dæmones credere mysteria fidei ex evidentia miraculorum, & signo-

S.Thom. q.1.art.4. signorum, quibus confirmantur in Ecclesia: quæ evidentia illos determinat ad assensum, vel invitos: ait enim ad tertium: *dicendum quòd hoc ipsum dæmonibus displicet, quòd signa fidei sunt tàm evidentia, vt per ea credere compellantur.* Ergo Sanctus Thomas ex præcisâ visione signorum vult dæmones compulsos ad credendum: quod est proprium evidentiæ. Video Magistrum Bañez (Bañez.) oppositam sententiam sequentem conari explicare Sanctum Thomam, ne videatur cum illo aperto Marte pugnare. Sententiam Sancti Thomæ sequitur P. Loisius (P. Loisius.), disputat. 9. cap. 1. & alij.

§. 4. 1. Probat. Probatur primò: quia tunc habetur evidentia in attestante testimonij Dei, quando illud cognoscitur per principia extrinseca evidenter cognita; sed qui videt miraculū, habet evidentia principia extrinseca testimonij Dei: ergo testimonij Dei habet evidentiam in attestante. Minor probatur, quia habet evidentiam huius principij: *omne testimonium Dei est verum*: quo principio evidenter cognoscit infallibilem authoritatem Dei: item cognoscit evidenter hoc obiectum: *Deus testatur Trinitatem esse*: qua propositione cognoscit existentiam revelationis divinæ; hanc autem existentiam cognoscit per miraculum evidenter cognitum. Etenim tàm certum est, & evidens, Deum non posse miraculis confirmare falsitatem, quàm est evidens eum non posse mentiri: vndè efficitur hic syllogismus: *evidens est Deum non posse miraculo confirmare falsitatem; sed evidens est Deum miraculo confirmare revelationem de Trinitate: ergo evidens est non esse falsum talem revelationem existere.* Hæc autem est evidentia in attestante.

SECTIO III.

Opposita sententia.

§. 5. PER hæc physica miracula non posse haberi de revelatione Dei evidentiam in attestante testantur Magister Bañez (Bañez.), quæst. 1. art. 5. & quæst. 5. art. 2. & P. Valentia (P. Valent.) disputat. 1. quæst. 5. punct. 1. versu, *quamquàm ego*: quod fateri tenentur Lorca (Lorca.) & alij, qui negant evidentiam in attestante de revelatione Dei extra patriam. Quæ sententia mihi videtur probabilior. Nam vt cognoscamus evidenter revelationem per miraculum, opus est cognoscere evidenter Deum voluisse miraculum facere in confirmationem revelationis, aut mysterij, quod proponitur credendum. Nam evidens cognitio miraculi parum refert ad confirmationem veritatis fidei, nisi Deus velit eo miraculo fidem confirmare. Si enim Lazarus suscitetur ad solam ostensionem omnipotentiæ, & non ad confirmandam veritatem Christi, quid refert miraculum illud ad confirmandam veritatem Christi? Opus ergò est, vt Deus velit eo miraculo confirmare, aut revelationē, aut veritatem Christi: ergo etiam opus est, vt nos evidenter cognoscamus eam voluntatem; alioquin non habebimus evidentiam in attestante; quia non cognoscimus evidenter omnia principia necessaria ad eam evidentiam.

Sed ex solo miraculo physico non possumus cognoscere evidenter eam voluntatem Dei de sua revelatione confirmanda per miraculum: ergo ex solo miraculo physico evidenter cognito non potest haberi evidentia in attestante de revelatione Dei. §. 6. Probo minorem, quia illa voluntas extra patriam non cognoscitur immediatè; neque per aliquem actum intellectus, aut voluntatis, qui necessariam habeat connexionem cum ea voluntate Dei (vt pono ex §. 1.); neque cognoscitur per aliquem effectum habentem necessariam connexionem cum eâ voluntate: ergo non potest haberi evidentia physica de tali voluntate. Probo minorem, quia quando aliquis effectus est indifferens, vt oriatur ab hac, vel illa intentione, & non est determinatus, vt oriatur ab hac in particulari, non potest ex tali effectu evidenter cognito, inferri evidenter hæc intentio in particulari, magis quàm illa. Si enim ego possum verba facere, vel ex affectu charitatis, vel misericordiæ, quamvis alius videat ea verba à me fieri, non potest per ipsa cognoscere, illa fieri ex charitate in particulari, aut ex misericordia in particulari.

§. 7. At miraculum est indifferens, vt fiat ex intentione confirmandi mysterium fidei, & veritatis Christi; vel vt fiat ex motivo alius veritatis: ergo ex solo miraculo physico, non potest evidenter inferri in particulari intentio Dei de confirmanda veritate fidei. Probo minorem, quia Lazarum potuit Deus suscitare à mortuis, vel ex misericordia in sorores Lazari, vel ad confirmandos Iudæos in fide resurrectionis mortuorum, vel in confirmationem veritatis Christi: ex his enim tribus rationibus quælibet potuit movere Deum, quamvis non adesset alia: in quò non est opus tempus absumere: ergo resurrectio Lazari non ita oritur ab intentione Dei, quin possit oriri à quolibet ex tribus illis actibus; quis autem dicat substantiam & modū physicum illius resurrectionis habere ex natura sua necessa-

necessariam connexionem cum intentione Dei de confirmanda veritate Christi. Idque cognosci posse naturaliter.

§. 8. Secundò probatur exemplo Iudæorum, qui non potuerunt negare miracula Christi: quia tam evidenter cognoverunt Lazarum fuisse hominem, & mortuum, & revixisse, idque ad præsentiam Christi contestatis id circumiecto populo: dixerat enim: *gaudeo propter vos, vt credatis.* Iudæos id sibi certò persuasisse, verba Ioannis persuadent cap. 12. 10. *Cogitaverunt vt & Lazarum interficerent*: ergo sibi persuaserunt Lazarum fuisse hominem, & revixisse; alioquin insana esset illorum cogitatio. Si enim sibi persuaderent Lazarum fuisse phantasma, non cogitarent de illo interficiendo: *esset enim cum larvis luctari*: aut quis vnquam cogitavit de phantasmate interficiendo? Sanctus Augustinus tom. 9. tract. 50. in Ioann. prope finem ait. *Viso Lazaro resuscitato: quia tantum miraculum Domini, tanta erat evidentiâ diffamatum, tantâ manifestatione declaratum, vt nō posset vel occultare quod factum est, vel negare.* Sed adhuc illo, alijsque miraculis visis non crediderunt Iudæi: ergo sola evidentia miraculi non determinat intellectum ad assensum articuli fidei, neque infert evidentiam physicam testimonij Dei. Minor non sine admiratione expenditur à Ioanne 12. 37. *Cùm autē tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum.* Hoc autem significat verā ignorantiam (quamvis culpatam): Petrus enim Actorum 3. 7. dixit: *Scio quòd per ignorantiam fecistis, sicut & principes vestri*: & cap. 13. 27. *& principes eius hunc ignorantes*: principes ergò & plebs vniversa succlamaverunt Pilato, vt Christum crucifigeret, quia Filium Dei se fecit; ideò autem conclamârunt, quia arbitrati sunt eam fuisse horrendam blasfemiam; ita vt Pilatus timuerit magis audiens sermones hos: vndè concludo, Iudæos, visis evidenter miraculis, potuisse dissentiri testimonio Christi, nō alio ex capite; nisi quia potuerunt negare illa fieri à Deo ex intentione confirmandi veritatem Christi; quamvis ipse Christus externè profitebatur ea fieri à Deo eo fine. Vndè & dæmonia asserebant ab eo dispulsa in Beelzebub.

S. Aug.

Ioan. 12. 37.

Act. 3. 7.

SECTIO IIII.

Obiectiones.

§. 9. 1. Obiect. OBIICIES primò: non potest Deus ad præsētiā petitionis vitiosæ Pseudoprophetæ efficere miraculum: ergo ex evidenti cognitione miraculi comparatur evidentia in attestante. Probo antecedens: quia Deus esset deceptor per illud miraculum: ergo non potest illud efficere. Probo antecedens: quia præberet occasionē, vt deciperemur. Nego antecedēs. Ad probationem nego antecedēs ad probationem nego antecedens. Occasio enim sonat vitium, quo exhibemus signū de se ducens in errorem: quod Deus eo casu non exhiberet. Deceptio enim nō tā oritur ex ipso miraculo, quàm ex nostra incōsideratione: cùm enim opus illud possit fieri in illis circumstantijs ob multiplicem rationem, quid coegit hominem ad persuasionem, miraculum fieri ob hanc rationem potiùs, quàm ob illam? Iudicium tamē erit prudens; quamvis falsum.

§. 10. Posse miraculum fieri in circumstantijs alicuius petitionis ad Deum, quæ non sit ad cōfirmandā re ipsa veritatem, probatur primò, exemplo doni sanitatis: quod exerceri potest à pravo homine, sine pravo: si enim aliquis præditus eo dono, illo vti velit ex avaritia, libidine, aut mendacio, Deus cum illo concurret miraculosè ad sanitatem efficiendam: tunc miraculum illud poterit dirigi ab illo homine ad persuadendum alicui tale mendacium. Quod in consecratione panis est manifestum: Demus enim legitimum sacerdotē, velle alicui persuadere aliquam falsitatem: ad quod dicat homini ignaro se velle convertere panem in Christi corpus: si dicat verba consecrationis fiet transubstantiatio, quia verba facit cum intētione cōsecrandi: miraculum verò factum est ad vitiosam petitionē externam; at illam transubstantiationem iam factam potest Deus ostendere manifestè illi homini, qui propterea non poterit evidenter inferre factam transubstantiationem ad confirmandum illud mendaciū. Quòd si (vt potuit) Deus instituisset sacramentum in alteratione miraculosa sensibili, illud perageretur etiam per sacrilegam voluntatem sacerdotis, volentis ostendere miraculum fieri in confirmationem suæ falsæ doctrinæ: quod non esset difficile persuadere homini rudi: ergo ad præsentiam petitionis vitiosæ potest Deus efficere miraculum, non ad eam confirmandam; sed alias ob caussas.

§. 11. Ratio à priori: quia petitio vitiosa potuit concurrere per accidens cum alijs caussis honestis, quibus re ipsa Deus movetur; quin moveatur petitione vitiosa; concursus autem ille per accidens non tollit honestatem aliarum caussarum: ergo potest fieri miraculū in his circūstantijs. Maior patet, quia quando Christus Lazarum suscitavit,

eius

S.Thom. q.1.art.4. eius ſorores, & alij iuſti poterant à Deo petere Lazari ſuſcitationem, illo ipſo tempore, quo reſurrexit; tunc autem vt Chriſtus honeſto affectu eam reſurrectionem petijt, potuit alius, vel pravo affectu, vel honeſto ob ignorantiam inculpatam petere reſurrectionem illam: ergo potuerunt concurrere cauſſæ honeſtæ cum petitione, vel turpi, vel ignoranti. Tunc autem non tolli honeſtatem aliarum cauſſarum, probatur: quia miſericordia in Lazari ſorores locum habet apud Deum, etiamſi alius vitioſè, aut inculpatè Deum oraret: quemadmodùm nunc locum habet tranſubſtantiatio, vt Deus conſtans, & fidelis reperiatur, quamtumcumque pravus, aut ignorans Sacerdos eâ vtatur, ad falſitatem aliquam probandã, aut ad finem alium. Quoties contingit iuſtum & impium ſimul fundere preces ad Deum, vt miraculoſè ſalutem ægro reſtituat? moveturque Deus orationibus iuſti; alij autem arbitrantur falsò, impij ſanctitatem eo miraculo confirmari: Deus autem noluit oſtendere ſanctitatem impij; ſed iuſti. Ex quibus concludo, ſolam evidentem cognitionem miraculi, non ſufficere ad evidentiam in atteſtante de revelatione, aut re teſtata.

§. 12. *2. Obiectio* Obicijs ſecundò, quamvis in his caſibus hæc admittantur, non poſse ea admitti, in eo, qui petit miraculum: exempli gratiâ; concionator catholicus in confirmationem ſuæ prædicationis, quam arbitratur eſſe veram, petit à Deo reſurrectionem mortui, ex affectu honeſto veritatem auditoribus perſuadendi: tunc evidens eſt concionatori ſua intentio, item & miraculum: ergo habet evidentiam in atteſtante teſtimonij Dei, aut rei teſtatæ.

§. 13. *Reſp.* Nego conſequentiam: quia quamvis petenti nota fuit ſynceritas ſuæ petitionis; tamen non ſcit evidenter, Deum illi petitioni reſpondere: potuit enim Deus moveri alio honeſto fine, & non illius petitione. Demus enim (id ignorante concionatore) Lazari ſorores petere reſurrectionem fratris, vel eam peti à Chriſto, non in confirmationem fidei; ſed ſolùm ob Dei gloriam, & ex miſericordia in Lazarum, & ſorores: hæc enim fieri poſſunt eodem tempore, quo concionator ex affectu pio, ignorante tamen, peteret eamdem reſurrectionem à Deo: tunc autem ob Chriſti merita eſſet Lazarus ſuſcitatus; non verò in confirmationem doctrinæ falſæ, quam concionator inculpatè cenſebat eſſe veram, & petebat á Deo confirmari: ergo huiuſmodi concionator, non poteſt evidentiam habere de intentione Dei in faciendo miraculo: ergo eius ſyncera intentio, non potuit eſſe principium ſufficiens ad cognoſcendam evidenter intentionem Dei, reſpondentem ſuæ petitioni.

§. 14. *2. Argum.* Secundò probatur: potuit eſſe contentio inter Catholicum, & hæreticum de incarnatione Chriſti, quam Catholicus vellet confirmare ſuſcitatione mortui exiſtentis in alio cubili. Demus item fieri ſacrum ab homine opinante falsò, ſe eſſe Sacerdotem; qui tamen ad confirmandam præſentiam Chriſti in hoſtia, quam arbitrabatur conſecratam, petat à Deo ſuſcitationem eiuſdem mortui: & vterque ſimul dicat, vt mortuus ſuſcitetur in nomine Chriſti, ad confirmandum myſterium, quod vterque tractat: tũc quis dubitet poſſe ſuſcitari mortuum in confirmationẽ incarnationis? & tunc conſtaret illi, qui ſe cenſebat Sacerdotem de ſua bona intentione; nec tamen poſſet habere evidentiam in atteſtante: quia Deus non fecit miraculum ad confirmandam præſentiam Chriſti in ea hoſtia individuâ. Quæ facilè confirmari poſſunt multis exemplis, petitis ex effectione ſacramentorum, quæ facilè quiſque poteſt proponere.

SECTIO V.

Ad argumentum.

ARGVMENTVM propoſitũ §.4. non vrget: quia non habemus per ſolum miraculum phyſicum ſufficientia principia ad evidentiam in atteſtante. Vndè, conceſſa maiori, nego minorem. Ad probationem, nego minorem: per miraculum enim nõ cognoſcimus Deũ teſtari revelationem, aut myſterium aliquod fidei: vt hoc enim cognoſceremus evidenter, cognoſcenda erat evidenter intentio Dei de confirmando obiecto fidei, per illud miraculum: videmus quidem miraculum; at quo animo fiat à Deo non videmus. Quapropter ad evidentiam in atteſtante per miraculum requiritur hic ſyllogiſmus: ***evidens eſt Deum non poſſe efficere miraculum ad confirmandum aliquid falſum; ſed evidens eſt Deum feciſſe hoc miraculum ad confirmandam incarnationem: ergo incarnatio verè eſt.*** In quo ſyllogiſmo minor propoſitio eſt falſa. §. 15.

§. 16. *Obiectio. Reſp.* Dices: ergo non tenemur credere per miraculum. Diſtinguo conſequens: non tenemur credere per miraculum, vt per principium nos evidenter, & infallibiliter ducens in revelationem, concedo conſequentiam; non tenemur credere miraculum moraliter certum, & prudenter exiſtimatum factum

factum in confirmationem fidei, nego consequentiam. Debemus enim perpendere qualitatem doctrinæ propositæ, personæ proponentis, miraculi facti, & alia adiuncta: quòd si hæc omnia nec adversantur lumini naturæ, nec doctrinæ Ecclesiæ, neque bonis moribus, tunc prudentissimè movent ad credendum absque hæsitatione: vndè si tunc vera revelatio existit, potest credi actu supernaturali: quia existit eius obiectum cum sufficienti applicatione, vt sæpius dixi.

DISPVT. XXVII.

Vtrùm Angeli habuerint evidentiam in attestante?

§. 1. ONTRA Scotum, & Durandũ pono, Angelos permissos solis naturę viribus nõ posse intuitivè cognoscere obiectũ supernaturale quoad substantiam: quod docuit S. Thomas 1. par. quæst. 57. art. 5. & Patres Molina disputat. 1. & Vazquez disput. 14. cap. 3. quia obiectum supernaturale concurrit ad producendam speciem supernaturalem impressam: nam caussa supernaturalis producit effectum supernaturalem (vt aliundè pono); species autem supernaturalis producit eamdem ob caussam actum supernaturalem: ergo actu naturali non possumus intuitivè cognoscere obiectum supernaturale. Item neque actu naturali possumus evidenter cognoscere obiectum supernaturale per aliquod medium supernaturale: quia hoc medium supernaturale producet actum supernaturalem; at verò potest Deus loquutione naturali quoad substantiam manifestare Angelo obiecta supernaturalia: deindè potest Angelus evidenter cognoscere, loquutionem illam esse Dei; tunc autem cognoscet evidenter obiectum loquutionis: qua ratione disputatione 59. ostendam, dæmones non posse dissentiri mysterijs fidei per evidentiam in attestante: non est ergò quæstio, vtrùm Angeli potuerint per scientiam infusam habere evidentiam in attestante? Pars enim affirmativa liquet: quia si hæc scientia est composs ibilis cum fide, potuerunt componi; si autem non est compossibilis, potuerunt Angeli scientiâ infusâ donari, & carere fide.

S. Thomas
P. Molina
P. Vazq.

SECTIO I.

Pars affirmans.

PATER Luisius disputat. 9. dubio 2. opinatur, Angelos per scientiam infusam habuisse evidentiam in attestante mysteriorum fidei: quia per eam scientiam cognoverunt evidenter revelationem Dei. Quam sententiam indicare videtur Sanctus Thomas; quem tamen Magister Bañez explicat suo more. Adducit P. Luisius P. Valentiam, Durandum, & alios: qui non sunt admodùm clari in eius propugnatione: quia Pater Valentia in oppositam sententiam inclinatur; Durandus autem negat Angelis fidem: quia solis naturæ viribus cognoscunt evidenter mysteria fidei in se, & in revelatione ipsâ. §. 2. P. Luisius Bañez. P. Valent. Durand.

In hac sententia est mihi dubium: quia eius Doctores componunt evidentiam in attestante cum fide mysteriorum fidei; hæc autem non possunt ex illorum sententia componi: ergo. Probatur minor: quia ipsi nolunt componere fidem cum evidentia scientiæ circa mysteria fidei: ergo non possunt componere evidentiam in attestante cum fide: probo consequentiam, quia est eadem ratio in quacumque evidentia. §. 3.

Sanctus Thomas quæst. 5. art. 2. Pater Vazquez, & Luisius, respondent componi posse fidem, & evidentiam in attestante; quamvis non componatur fides cum evidentia scientiæ: quia evidentia in attestante est evidentia secundum quid; alia autem evidentia simpliciter. Contra hanc doctrinam faciunt, quæ dixi disputat. 25. probans evidentiam in attestante esse evidentiam simpliciter. Secundo argumento præmittò primò, non posse esse actum fidei circa revelationem cognitam evidenter simpliciter (ex doctrina Sancti Thomæ & P. Luisij: quod etiam docet P. Vazquez de evidentia cognitionis immediatæ). Secundò præmitto, per hanc scientiam infusam cognosci evidenter & immediatè passivam revelationem Dei: quæ evidentia respectu revelationis est simpliciter evidentia; quamvis comparata obiecto revelato sit evidentia secundum quid. §. 4. S. Thom. P. Vazq. P. Luisius

Vndè argumentor: evidentia simpliciter & fides circa idem obiectum non possunt per vos esse simul; sed si Angelus habuisset cum fide evidentiam in attestante, fuissent simul evidentia simpliciter & fides circa obiectum idem: ergo. Probo minorem, quia quicumque fide credit mysteriũ revelatum, exercet eamdem fidem circa revelationem: quia non potest fides exerceri circa §. 5.

S.Thom. q.1.art.4. circa obiectum materiale, quin circa formale etiam exerceatur: ergo Angelus fide cognovisset revelationem; sed revelationem etiam cognovisset evidentiâ simpliciter per scientiam infusam: ergo circa eamdem revelationem habuisset Angelus simul fidem, & evidentiam simpliciter. Probo minorem: quia vel revelatio Dei consistit à parte rei in auditione prophetæ, vel in aliquo signo ad extra: sic autem scientia infusa cognoscit immediatè revelationem Dei; aut revelatio Dei consistit à parte rei in aliquo actu interno ipsius Dei: sic autem revelatio Dei cognoscitur evidenter per demõstrationem *quia*: etenim auditio prophetæ est effectus ortus à revelatione activa Dei in genere caussæ efficientis; cognita autem evidenter auditione prophetæ, infertur evidenter loquutio activa Dei: quia ea auditio est proprius effectus illius: ergo revelatio cognoscitur evidenter per demonstrationem *quia*. Tandem Angelus cognoscit revelationem evidenter: ergo vel immediatè, vel per aliquem effectum proprium ipsius: quia si per aliam revelationẽ, redit eadem difficultas in infinitum: sistendum ergò est in aliqua revelatione cognita immediatè, vel per effectum aliquem illius immediatè cognitum. Vndè concludo non posse componi in Angelo fidem, & hanc evidentiam in attestante; nisi possint componi fides & scientia.

§. 6. P. Luisius Pater Luisius disputatione 9. dubio 4. respondet, componi posse evidentiam in attestante, & fidem circa revelationem: quia hæc attingitur per illas diverso modo: nam per fidem revelatio cognoscitur immediatè, & vt *quo*; per scientiam autem infusam revelatio cognoscitur mediatè, & vt *quod*. Quod explico: quia revelatio in sententia huius Doctoris consistit in actu interno Dei, ad quem non terminatur immediatè scientia infusa; terminatur autem immediatè fides ad eum actum Dei. Terminari autem *vt quo*, est terminari ad revelationem, vt ad obiectum formale, & primarium, quo manuducimur ad credenda mysteria revelata; terminari autem *vt quod*, est terminari ad obiectum secundarium. Dicit ergò P. Luisius, fidem & scientiam non posse terminari ad idem obiectum simul *vt quod*; at verò rectè posse terminari alteram, vt ad obiectum primarium; alterã, vt ad secundarium. Hæc doctrina vt ex proprijs principijs impugnetur, non est impugnanda ex eo, quòd revelatio Dei distinguatur ab ipsius actu: hoc enim iam disputavi, eoque admisso, conabor ostendere ad hominem, non posse componi fidem, & scientiam, *vt quo*, & *vt quod*.

Primò: quia ipsi negant fidem & scientiam circa idem obiectum materiale cognitum per diversa media; sed eadem est ratio, etiamsi obiectum cognoscatur per vnum habitum, *vt quo*, & per alium, *vt quod*: ergo æquè repugnat vtroque modo. Probo minorem: quia eâ ratione negatur fides circa obiectum materiale scitum: quia fides & medium obscurum non habent vim ad movendum intellectum, præsente evidentiâ; sed præsens est evidentia scientiæ Infusæ revelationis Dei: ergo neque immediatè poterit revelatio movere, ad immediatam cognitionem sui obscuram. Quę sic expono: mysterium revelatum debet cognosci fide dependenter à revelatione, quæ est medium formale in illud ducens: item revelatio cognosci potest simul, quando cognoscitur medium demonstrativum; Philosophus enim Christianus, qui evidenter cognoscit vnitatem Dei, simul credit Deũ revelasse eam vnitatem: &, quamvis hęc revelatio habeat necessariam connexionem cum vnitate Dei; tamen hæc vnitas non creditur per fidem ab eo Philosopho: quia, præsente medio demonstrativo, non habet vim medium obscurum ad inferendam cõclusionem; at, præsente scientiâ circa revelationem, hęc obscura manet respectu fidei; immò non est cognita per aliud medium habens cum illa necessariam connexionem: quia tantùm est applicata per conditiones moraliter tantùm certas; physicè autem incertas: ergo multo magis repugnat scientia cum fide immediata circa revelationem, quàm cum mediata circa obiectum revelatum. §. 7. 1. Prob.

Confirmatur: quia, vt responsum esset efficax, deberet ostendere discrimen obscuritatis, & evidentiæ, inter obiectum *quo*, & *quod*: quod discrimen non esset inter duo obiecta *quo*, vel inter duo *quod*; sed nullum est hoc discrimen: ergo. Probo minorem: quia tàm obscurè cognoscitur revelatio per fidem, quàm mysterium revelatum; vtrumque enim cognoscitur cum carentiâ evidentiæ: cùm igitur obscuritas sit eadem, æqualem habebit impotentiam ad movendum, præsente evidentiâ: sive motio fit ad obiectum primarium, sive secundarium. Sin, constituamus cognitionem immediatam, & evidentem circa incarnationem Christi, vel aliud obiectum creatum, v. g. circa lucem nunc existentem: hæc evidentia terminatur, *vt quo*, ad lucem; tunc autem ea non potest simul componi cum fide terminata ad lucem, *vt quod*: ergo parum interest, alteram terminari *vt quo*, alteram *vt quod*. Ex authoribus oppositis aliqui censent, nullam fidem posse componi cum scientia mediata, §. 8. Confirm.

vel

vel immediata: ergo è contra parùm interit, fidem esse immediatam, & scientiam mediatã, & quidem Sanctus Thomas, quęstione quinta, artic. 1. & 2. admittit in Angelis fidem, & scientiam circa præcipuum obiectum fidei, qui est Deus: hæc autem cognoscuntur, *vt quod*, per Dei revelationem ad creaturas. Quæ fuerit Sancti Thomæ sententia, & vtrum hæc scientia cõponi possit cum fide? ostendam disputatione 30. §. 31. & 32.

SECTIO II.

Quid de quæstione?

§. 9. 1. Conclus. DICO primò, Angelum potuisse habere fidem, & evidentiam in attestante: quia componi possunt fides, & scientia de eodem obiecto, in sensu explicando, disputatio. 30. §. 34. & 36.

2. Conclus. Dico secundò, Angelum potuisse habere solam fidem, cognoscendo revelationem obscurè: ita Magister Bañez, & P. Valētia disp. 1. quæst. 5. punct. 1. & qui negant evidentiam in attestante ex tra patriam. Probatur, quia potest Deus per actum supernaturalem loqui alicui angelo: hic autem Angelus potest actibus naturalibus proponere alijs angelis revelationem illam credendam cum argumentis evidentis credibilitatis: tunc autem angelus crediturus, relictus naturæ viribus, non potest evidenter cognoscere revelationem, vt ostendi, §. 1. neque habet evidentiam alicuius actus angeli loquentis, qui actus necessariam habeat connexionem cum revelatione; quia angelus loquens relictus naturæ suæ, & seclusa confirmatione in gratia, potuit mentiri, & decipere alium angelum. Pono enim secreta cordis esse ex natura rei Angelis occulta: potuit igitur Angelus loquens velle manifestare audienti revelationem divinam, per aliqua signa sufficientia ad evidentiam credibilitatis, neque sufficientia ad evidētiam revelationis: non ergò repugnat Angelum vti fide.

Bañez. P. Valent. 1. Prob.

§. 10. 2. Probat. Secundò probatur, quia potest Deus Angelo loqui loquutione supernaturali, quin eam cognoscat evidenter: ergo potest eam cognoscere per fidem: consequentia est certa, quia habet iam obiectum formale fidei, & cum sufficienti applicatione. Antecedens probo: quia Angelus solis naturæ viribus non potest cognoscere revelationem supernaturalem per propriã speciem, & immediatè: neque per aliquem effectum proprium ipsius revelationis: quia talis effectus est supernaturalis, qui eamdem ob caussam non potest immediatè cognosci: idemque est de cæteris effectibus: restat ergo, vt divina revelatio cognoscatur per species alienas acceptas ab Angelicis loquutionibus naturalibus: quemadmodùm à nobis cognoscuntur res superiores per species inferiorum. At illæ species sunt tàm imperfectæ, vt non repræsentent clarè, & evidenter loquutionem illam esse Dei: ergo Angelus potuit cognoscere revelationem per fidē: quid enim vetat Angelum evidenter non scire loquutionem illam esse ab alio Angelo, vel à Deo? Etenim, vt Angeli possunt decipi in his, quæ cognoscunt per species alienas, ita possunt non cognoscere evidenter principia eorum obiectorum, quæ ita cognoscunt.

§. 11. Dices, Angelum simul cum auditione supernaturali exercere aliam naturalem: hanc autem naturalem potest angelus evidenter cognoscere per propriam speciem: eaque sic cognita ducit in Deum loquentem: ergo per illam habet viribus naturæ evidentiam in attestante de mysterijs fidei. Adverte angelum exercere posse tria genera cognitionum supernaturalium: primũ, visionem beatam: secundùm, scientiam infusam immediatè terminatam ad creaturas supernaturalia creata: tertium, fidem, & si qui sunt alij actus obscuri. Circa obiectum visionis beatæ non exercet angelus actũ naturalem, respondentem visioni, & eam comitantem: quia Deus non potest intuitivè cognosci per actus naturales, neq; hi exercentur respondentes scientiæ infusæ; quia nullus actus naturalis repræsentat intuitivè obiectum supernaturale: at verò multi opinantur cum tertio genere actuum supernaturalium simùl exerceri naturales circa illorum obiecta: redduntque rationem, quia illi actus supernaturales confusi, vel exercentur per species impressas naturales, vel per supernaturales, & infusas respondentes naturalibus: quia ergo intellectus est completus per eas species, est proximè potens ad actum naturalem, & supernaturalem: cognitio autem beata, & scientia infusa non pendet à speciebus naturalibus in vllo genere caussæ, aut conditionis, eaque propter intellectus solùm completur ad actus supernaturales. Hinc arbitror beatã Virginē in primo instāti suæ conceptionis absque peccato originali, per hãc scientiã cognovisse mysteria gratiæ independēter à sensibus: eumque actũ numquã intermissũ, neque intermissũ iri: sic accipio: *Ego dormio & cor meum vigilat*: id est, sensibus sopitis

S. Thom. q. 1. Ar. 4. sopitis vigilat animus per scientiam infusam: amor autem ortus ex hac scientia numquam fuit intermissus; sed auctus per momenta. Eam habuisse eo instanti visionem beatam satis probabile fecit Pater Fernandus Salazar in eleganti, acuta, erudita, & pia defensione Marianæ Conceptionis, cap. 32. num. 48.

§. 12. Ad argumentum respondeo Angelum intuitivè cognoscere suam auditionem naturalem; non tamen propterea potuit cognoscere evidenter auditionem supernaturalem: quia vt nos non discernimus eos actus, ita neque Angeli cognoscunt se habere duos. Item cognoscit Angelus evidenter, se esse principium vitale illius actus: at verò non cognoscit vtrùm Deus in particulari sit, qui in ratione loquentis efficit signa, quæ sunt instrumentalis loquutio. Comprehendens igitur Angelus illum actum rectè cognoscet Deum esse illius authorem in ratione loquentis: quia cognoscet eius veritatem: at vero illi non debetur comprehensio: quia cùm ille actus sit de obiectis supernaturalibus, quæ manifestantur per species alienas, fugit naturaliter comprehensionem sui ab Angelo. Quemadmodũ cogitationes cordis sunt interdum naturales, nec tamen propterea necessariò cognoscuntur ab Angelis.

§. 13. *Obiectio.* Dices: Angelus cognoscit evidenter non esse alium superiorem se, qui ei loquatur: ergo cognoscit Deum esse, qui loquitur. *Resp.* Antecedens est falsum, & consequentia mala. Etenim non potest Angelus evidenter cognoscere viribus naturæ non esse alium superiorem se: quia Deus potuit eum producere, & occulere; neque enim tantum miraculum est Angelum superiorem esse occultum inferiori, quantum est oculis apertis non videri præsentem lucem; qui autem scit Angelus, an Deus speciali providentia sibi occulat superiorem? Consequentia autem est mala; quia Angelus supremus potest non habere evidentiam, vtrùm ea locutio sit alicuius inferioris Angeli, an à solo Deo.

§. 14. *vlt. Concl.* Dico vltimò: Angelus naturæ viribus potuit habere evidentiam in attestante de mysterijs gratiæ (supposita revelatione Dei, quæ legibus naturæ non debetur). *Prob.* Probatur, quia Deus loquutione naturali quoad substantiam potuit Angelo dicere mysteria gratiæ; sed eam loquutionem potuit Angelus cognoscere esse à Deo in ratione loquentis: ergo potuit cognoscere evidẽter loquutionem Dei, & eius veritatem. Maior probatur primò: quia Deus hoc genere loquutionis dixisse videtur Dæmoni iustitiam Iobi, & eius amicitiam cum ipso Deo. Etenim Dæmon loquutione Dei potuit esse certus amicitiæ inter Deum, & Iobum. Sermonem initum à Deo cum Dæmone ex Sancto Athanasio, & alijs, docet Pater Pineda, capite primo in Iob, versu sexto, numero decimo primo. *Pined.* Quidquid autem sit de illo sermone cum Dæmone, non est dubium, quin fuerit possibilis; neque dicet aliquis, auditionem Dæmonis fuisse supernaturalem quoad substantiam.

§. 15. Probatur autem ex eâ auditione naturali, Angelum potuisse habere evidentiam in attestante: quia potuit evidenter cognoscere, Deum esse specialem authorem illius actus in ratione loquentis: quia quamvis obiectum, quod loquitur Deus, cognoscatur imperfectè per species alienas, potuit tamen evidenter cognosci ordo trãscendentalis ad Deum specialiter authorem: quemadmodum quamvis ego imperfectè concipiam, quid mihi loquatur amicus, possum tamen evidẽter cognoscere loquutionem instrumentalem esse illius.

§. 16. *Obiect.* Dices non posse cognosci evidenter naturaliter actum illum naturalem, qui simul fit cum supernaturali circa supernaturale obiectum: ergo neque potest evidenter cognosci ab Angelo viribus naturæ hæc auditio naturalis. *Resp.* Nego consequentiam: quia actus ille, de quo in antecedenti, fit comitanter cũ actu, & circa obiecta, quæ petunt ex natura sua occultari: hic autem actus petit ex natura sua manifestationem. Quæ doctrina facilis est, si eos actus specie distinguamus: quòd si sunt eiusdem speciei, non est ratio difficilis: quia Angelis non debetur cognitio aliquorũ obiectorum, nisi accedat liber consensus aliorum: cum eo autem consensu debetur ea cognitio.

DISPVT. XXVIII.

De Prophetia.

§. 1. NTEQVAM progrediamur, oportet breviter expedire prophetiam: quia versatur circa revelationem Dei; oportet autem explicare discrimen inter fidem, & prophetiam, an oriatur ex obiecto; an verò ex modo tendendi? De prophetia pauca perstrinxi disputatione decima tertia, à §. 98. Non ago de prophetia imperfecta, quam Sanctus Thomas vocat instinctum; sed

sed de Prophetia clara, atque perfecta: de quo argumento agit. P. Suarez, disputat. 8. sect. 3. 4. & 5.

SECTIO I.

Quid sit Prophetia?

§. 2. PROPHETIA, spectata etymologia vocis, perinde est ac *visio procul*; ea enim, quæ longè absunt à nostra cognitione, egent revelatione Dei. Hinc ex communi Patrum, & Theologorum vsu Prophetia sumitur pro auditione verborum Dei. Cùm Deus loquitur, facit aliquod signum, quo manifestet, quid censeat ipse Deus de obiecto, quod loquitur. In Prophetia reperiuntur duo: alterum est prædictio obiecti; alterum auditio verborum Dei. Prædictio propriè est enunciatio futurorum: vndè dicere præsentia, aut præterita, nō est propriè prophetare: vt ex Sancto Gregorio Magno docet P. Antonius Fernandus in visiones veteris testamenti præludio 1. nu. 3. At verò minùs propriè Prophetia amplectitur assertionem præsentium, & præteritorum. Matthæi 26. 68. *Prophetiza nobis, Christe, quis est, qui te percut?* Ratio est manifesta, quia constabit §. sequenti Prophetiam propriè esse auditionem verborum Dei: illis autem verbis significari præsentia, præterita, aut futura, parùm interest substantiæ Prophetiæ, quamvis intersit vocabuli proprietatis.

Greg. Mag. *P. Anton. Fernand.* *Matth. 26 68.*

§. 3. Reperitur in Prophetia cognitio ipsa Prophetica habita, inspirante, & loquente Deo. Est itaque Propheta ille, cui loquitur Deus: quod patet ad Hebræos 1. *Multifariam multisque modis loquens olim Deus Patribus in Prophetis*, & in symbolo: *Qui loquutus est per Prophetas*: ergo loquutio Dei ad Patres erat in Prophetis. Quod clarissimè docuit Sanctus Augustinus tomo quarto, libro secundo quæstionum super Numeros (vel capite) 16. vbi Pharaonem, & Balthassarem vocat Prophetas, solùm quòd audierunt, & viderunt signa, & characteres Dei: *hic* (inquit) *insinuatur nobis, ea loqui Prophetas Dei, quæ audierunt à Deo: nihilque aliud esse Prophetam Dei, nisi enunciatorem verborum Dei hominibus, qui Deum, vel non possunt, vel non merentur audire.* Itaq; quia Deus non dignatur cum omnibus hominibus loqui, loquitur nonnullis, per quos manifestet aliis mentem suam; ij igitur, cum quibus loquitur, vocantur ab Augustino Prophetæ. Idem docet Sanctus Basilius in c. 3. Isaiæ. *Propheta igitur* (ait) *est qui per Spiritus Sancti revelationem, quod futurum est, prænuntiat.* S. Basil.

Heb. 1. *August.*

§. 4. Consentit Sanctus Thomas 2. 2. quæst. 171. articulo sexto, his verbis: *Prophetia est quædam cognitio intellectui Prophetæ impressa ex revelatione divina, per modum cuiusdam doctrinæ.* Hæc vltima verba indicant apertè Prophetiam fieri per loquutionem Dei, quemadmodum inter nos fit doctrina. Quod autem dixit, *ex revelatione Dei*, loquitur de revelatione instrumentaria, non de formali, quam divisionem loquutionis, & revelationis satis explicui disputatione 13. à §. 57. Idem Sanctus Thomas eâdem quæstione 171. articulo secundo, hanc doctrinam tradit expresè ex Isaia: quia Propheta semper expectat, vt Deus in ipso loquatur: quod patet ex Prophetis ipsis proponentibus sua verba, vt facta ab ipso Deo: *Hæc dicit Dominus*, & *factum est Verbum Domini*. Denique articulo tertio, ad quartū, ait Sanctus Thomas per Prophetiam nihil esse cognoscibile, nisi per revelationem Dei. Et quamvis cum Deus loquitur cum Dæmone, & damnatis, eis sententiam dicens; possumus eos aliquo pacto vocare Prophetas, cum Augustino adducto §. 3. vocante Prophetas Pharaonem, & Balthassarem: item quia & Prophetia datur interdū improbis, vt Balaam: at vulgata phrasi, eos non dicimus Prophetas: quia nihil habent in substantia, aut modo, supernaturale, ex gratia per Christum; Prophetia enim adscribitur Spiritui Sancto: quia contingit ex gratia per Christum, etiam improbis hominibus: at cū damnatis non exercetur hoc genus gratiæ: quod indicat Augustinus, & exprimit Basilius adducti §. 3. Quamvis loquutio de futuris, & occultis, est supernaturalis quoad modum; sed non ex gratia Christi. S. Thom.

SECTIO II.

De obiecto formali Prophetiæ.

PROPHETIAM esse actum intellectus, clarè colligitur ex dictis: quia omnis actus docendi est actus intellectus, effectus à magistro extrinsecus movente per doctrinam. Quod clarè dicit Augustinus tomo tertio, libro 12. de Genesi ad litteram, capite nono. *Vndè* (inquit) *apparet magis ad mentem* §. 5.

S. Thom. q. 1. Ar. 4. *pertinere prophetiam*. Recognosce disputationem 13. à §. 62. vbi ex Augustino probavi loquutionem formalem esse actum audientis, quo percipitur loquutio instrumentalis: ibi enim dixi tunc fieri revelationem, cognitionem, & prophetiam: item prophetiam esse perceptionem signorum Dei: tomo autem 4. lib. 2. ad Simplicianum post initium vocavit prophetam Pharaonem, Iosephum, & Danielem: sed Pharaonem minus prophetam Iosepho, quia Pharao sola vidit signa, significatum non assequutus, Iosephus autem sine visione signorum assecutus est significatum: Daniel autem fuit magis propheta, quia præstitit vtrumque. Caietanus quæst. 171. art. 5. 6. *in eodē articulo*, docet, prophetiam esse evidentem cognitionem signorum Dei, & rei significatæ per illa: quam doctrinam adscribit Sācto Thomæ pluribus in locis, partim adductis §. 4. partim ex artic. 5. distinguenti instinctum à prophetia per claritatem, & obscuritatem: estque communis omnibus Theologis carpentibus Abulensem censētem in Christo non fuisse prophetiam: quia opinatur omnem prophetiam esse obscuram; Christus autem nullam habuit cognitionem obscuram.

§. 6. S. Aug. Componenda supersunt nonnulla Sancti Augustini testimonia mutuò iurgantia primâ fronte: nam (vt vidimus) obscuram signorum cognitionem vocat prophetiam, quam Sanctus Thomas vocat instinctum: at vero tomo quinto libro de Civitate capite 9. ait: *omnem prophetiam luce clariorem conatur auferre*. Respondetur; perceptionem signorum obscuram, esse prophetiam imperfectā, quam Sanctus Thomas dixit instinctum, & quid inchoatum in genere prophetiæ: quandò vero dicit Sanctus Augustinus omnem prophetiam esse luce clariorem, non docet omnem actum propheticum esse luce clariorem: quamvis enim id verum est de omni prophetia perfecta, mens tamen Augustini est longe alia: disputat enim contra Tullium negantem futurorum præscientiam: cuius errorem improbat: quia ex eo tollenda esset prophetia, quæ est luce clarior; id est, luce clariùs ostenditur fuisse prophetias: quia constat ex libris prædictos multos eventus, multò antequam contingerent: estque luce clarius eventus prædictionibus respondisse.

§. 7. Obiectio. Obijcies secundò ex tomo quarto libro secundo ad Simplicianum post initium, vbi docet Sanctus Augustinus cognitionem deductam per signorum coniecturam, non pertinere ad prophetiam.

Solutio. Respondeo à Sancto Augustino non negari illationem rei cognitæ ex signis; sed negari eam illationem pertinere ad eam prophetiam, de qua ibi agit: disputat enim ibi de prophetia per spiritum, id est, existente in spiritu: spiritum autem vocat imaginationem, quæ non potest vnum ex alio deducere discursu formali, aut virtuali. Recognosce disputationem decimam tertiam §. sexagesimo tertio, vbi ex Augustino docui spiritum interdum à mente distingui.

Vestigandum est obiectum formale huius cognitionis propheticæ: quod non est difficile ex disp. 13. Etenim prophetiam dicimus esse auditionem verborum, & revelationis Dei: ibi autem distinxi loquutionem, & revelationem instrumentariā à loquutione, & revelatione formali: hanc ostendi eā disputatione 13. à §. 57. non distingui ab auditione; revelationem autē instrumentariam dixi esse ea signa, aut apprehensiones, quæ à Deo dātur: quæ interdùm sūt voces externæ, vt ostendi ea disp. 13. §. 76. interdum autem illa signa sunt in imaginatione, vt ibidem docui §. 61. interdum autem est sola apprehensio spiritualis, vt ibidem ostendi §. 110. interdum autē fiunt more animæ separatæ, vt constat ibidem §. 122. Itaque obiectum partiale prophetiæ est loquutio instrumentalis Dei. Differt autem ex parte obiecti ab actu fidei, qui nō est prophetia perfectè, aut inchoatè: quòd fides habet pro obiecto partiali actum prophetiæ: propheta autem habet signa Dei: v. g. Revelat Deus Isaiæ incarnationem per signa illam significantia: quæ signa, & significatum cognoscit evidenter Isaias: deindè cum evidenti credibilitate proponitur mihi hoc iudiciū propheticum Isaiæ; en prophetia Isaiæ est obiectum meæ fidei! & quamvis hæc possit etiam terminari ad revelationem instrumentalem Dei, semper tamen, vt coniunctam cum formali revelatione: item formalis revelatio, vt coniuncta cum instrumentali, attingitur per fidē: quia cognoscimus prophetam per revelationem Dei cognovisse mysterium, & Deū illud mysterium ostendisse prophetæ; Prophetia autē non se habet pro obiecto, sed solam revelationē instrumentalem. Quod discrimen sufficit ad distinguendos illos actus specie quasi physica; nō tamen morali: nec propterea spectabunt ad diversos habitus; nisi ex modo tendēdi clarè, & obcurè: quia disp. 13. §. 84. ostendi actum obscurè terminatum ad loquutionem instrumentalem Dei pertinere ad fidem non minus, quàm si terminaretur ad revelationem formalem. Hæc de obiecto partiali prophetiæ: non secùs ac de obiecto fidei. §. 8.

Non

§. 9. Nonnulli censuerunt prophetiam non terminari ad veracitatem Dei; sed ad solam scientiam; ita vt ex parte obiecti respondeant hæ duæ propositiones: *Omne quod Deus sentit, est; sed incarnationem sentit: ergo incarnatio est.* Hic syllogismus censetur propriè pertinere ad prophetiam: ad fidem autem pertinere hic. *Omne quod Deus dicit, est; sed dicit incarnationem: ergo est incarnatio.* Differunt autem hi syllogismi: quia primus habet in præmissis solam scientiã Dei; secũdus autẽ habet veracitatem internam Dei, & externam loquutionem. Quod consequenter dicent, qui loquutionem Dei constituunt adæquatè in actibus internis ipsius Dei: auditionem autem, prophetiam, & omnia signa extra Deum dicunt non esse obiectum formale; sed conditionem sine qua non: quos confutavi disputatione sexta. Eâdemque ratione eosdem impugno probans obiectum adæquatum prophetiæ vt sic, non esse actus internos Dei; sed etiam externa signa: nam omne obiectum, quod priùs cognitum ducit necessariò in cognitionem alterius, est obiectum formale, vt sæpiùs ostendi; sed externa signa Dei priùs cognita ducunt necessariò in actum internum scientiæ Dei: ergo hæc signa externa sunt obiectum formale comparatione actus interni. Probo minorem: quia illa signa cognoscuntur quidditativè per prophetiam perfectam; sed effectus specialiter ortus à Deo, si quidditativè cognoscatur, ducit in Deum necessariò, propter necessariam, & specialem connexionem, quam habet cum illo: ergo ex signis priùs cognitis cognoscimus necessariò Deum, & eius scientiam, per quam est principium illorum signorum. In qua quæstione eâdem ratione agendum est, qua disputatione septima egi de revelatione Dei, ostendens eam esse obiectum formale partiale fidei: est enim hæc sententia eâdem ratione probanda, & opposita refellenda.

§. 10. S. Thomas Quam Sanctus Thomas expressit quæstione 171. articulo tertio, & quarto: vbi docet lumen divinum esse obiectum formale Prophetiæ, quod lumen intelligo esse scientiam Dei; clarissimè autem id docuit articulo sexto, ex Sancto Hieronymo docente prophetiam esse signum divinæ præscientiæ, & quemadmodũ scientia Dei falli non potest, ita nec prophetia; articulo autem quarto, docet veritatem primam esse obiectum, quo prophetice cognoscuntur omnia. Ostendi autem disputatione sexta, à §. quarto, authoritatem Dei in loquendo constitui per repugnantiam, vt Deus fallatur, aut fallat: primum est per scientiam infallibilem Dei; secundum est virtus veracitatis. Differt autem Prophetia à fide, non ex parte obiecti formalis; sed ex modo illud attingendi: quia fides revelationem formalem, aut instrumentalem Dei attingit obscurè; prophetia autem perfecta clarè; & quamvis non repugnet per potentiam absolutam Dei eodem habitu per se infuso cognosci idem obiectum adæquatum per actus iam claros, iam obscuros; tamẽn non repugnat id etiam præstari per habitus diversos: idque factum testantur Theologi, & Patres ex Paullo diffiniente fidem *argumentum non apparentium.*

(B. Hieron.)

§. 11. Hæc intelligo de illo habitu prophetiæ, qui veritatem omnis revelationis divinæ cognoscit hoc principio generali: *Omne quod Deus manifestat, est*: sic enim veritas cuiuscumque revelationis cognoscitur ex authoritate Dei: quod principium commune est fidei, & huic speciei prophetiæ; & quemadmodùm per fidem sola cognoscitur obscurè existentia revelationis Dei; ita per hanc prophetiam sola cognoscitur existentia revelationis instrumentariæ Dei, quam quidditativè cognoscit in ordine ad caussas physicas, à quibus efficitur: neque opus est, vt illo actu cognoscatur veritas illius revelationis, vt non cognoscitur per illum actum fidei, qui terminatur ad existentiam revelationis: neque opus est, vt quæcumque quidditativa cognitio repræsentet veritatem actus, quem cognoscit: nam dùm non comprehenditur actus, non est opus perfectè cognoscere omnia eius prædicata; neque hæc prophetia indiget, nisi cognoscere evidenter revelationem illam esse Dei: quia eius veritatem cognoscit principio illo generali, *Omne quod Deus dicit, est.* Vndè formatur hic syllogismus obiectivus: *Omne quod Deus dicit, est; sed incarnationem dicit: ergo est incarnatio.* E quibus patet ad argumentum ex §. 9. Nec enim alius est primus syllogismus prophetiæ, quàm hic, quem constituo.

§. 12. Alio modo potest cognosci revelatio divina evidenter per scientiam infusam, cuius obiectum formale adæquatum sunt creaturæ supernaturales (vel fortè etiam naturales.) Hic habitus non est Theologicus, vt sunt fides, & prophetia; quia neque partialiter attingit Deum, vt obiectum formale, vt eum attingunt fides, & prophetia; hi enim duo habitus cognoscunt veritatem revelationis divinæ non in ipsa; sed cognoscendo, vt obiectum primarium, infallibilem authoritatem Dei, qua

S. Thom. q. 1. Ar. 4. qua nec falli potest, nec fallere: neque cognoscendo existentiam revelationis cognoscunt aliundè eiusdem veritatem. At vero scientia infusa non innititur huic principio: *omne quod Deus dicit, est verum*: quod explicamus primariò authoritatem divinam in loquendo; sed vtitur hoc principio: *omnis actus supernaturalis est verus*: sivè hoc: *omne signum supernaturale est verum*: quod principium cognoscit evidenter per comprehẽsionẽ entis supernaturalis creati, vel per cognitionem perfectè quidditativam. Cernitur apertè discrimen, quia si per impossibile Deus posset mentiri, tamen non posset dare aliquod signũ supernaturale falsũ: vnde hæc sciẽtia per locũ intrinsecũ nõ pendet ab infallibili authoritatẽ Dei: quidquid enim de illa sit, præcisè considerat perfectionem signi supernaturalis. Demus duas loqutiones Dei, alteram supernaturalem quoad substantiam; alteram naturalem: Demus autem per impossibile naturalem esse falsam; supernaturalis erit necessariò vera: hæc veritas cognosceretur per scientiam infusam, non ex eo quòd sit loqutio Dei; sed quia est signum supernaturale. Quod ergo tunc cõtingeret, contingit nunc ex conceptu formali huius scientiæ: cuius ad penetrandam veritatem revelationis Dei parùm refert eius infallibilitas in loquendo: interest autem supernaturalitas: quia ab alijs actibus supernaturalibus, qui non sũt loqutio Dei, penetratur veritas præcisè, quia supernaturales sũt: ergo huius sciẽntiæ parum interest authoritas divina.

§. 13. Rogas primùm: vtrùm ad prophetiam requiratur directio loqutionis Dei ad aliquem: exempli gratia, Deus loquitur Isaiæ, qui percipit loqutionẽ sibi factã; quam item percipit alius tàm clarè, & distinctè, quàm Isaias: quæritur, vtrùm vterque eã auditione sint prophetæ? Respondeo, illos duos actus non esse specie distinctos, quia tendunt in idem obiectum sub eâdem ratione formali, & eodem modo: vtrùm autem vterque sit Propheta? quæstio est de nomine: inclinor tamen in partem negativam, & arbitror, eum solum dici prophetã, qui audit Deum sibi loquentem: quod colligo ex Sancto Augustino adducto §. 3. volente illum solum esse prophetam, qui audit verba Dei ad ipsum: tùm etiam quia quamvis ego cognoscam obscurè revelationem factam alicui, non dicor habere instinctum; dicitur autem illum habere, qui audit verbum sibi factum. Igitur habitus prophetiæ habet aliquos actus, qui propriè denominantur prophetia; alios autem, qui non denominantur sic, sicut spes habet aliquos actus, qui non sunt spes, id est, desiderium: & quemadmodum omnis actus elicitus per illũ habitum est spei habitualis, quamvis nõ est spes actualis; ita omnes illi actus sũt prophetiæ habitualis, quamvis nõ sunt prophetiæ actuales: quia habitus per se infusi amplectuntur plures actus, quàm qui sortiuntur eamdem denominationem prophetiæ.

§. 14. Obiectio. Dices: habitus, quo amamus propriam beatitudinem propter ipsam, distinguitur specie ab habitu amante alienam beatitudinem propter ipsam: ergo habitus cognoscens revelationem propriam, distinguitur specie à cognoscente revelationem alienam.

Solutio. Nego consequentiam, primùm per instantiam, quia fides, qua Isaias obscurâ reflexione cognovit revelationem sibi factam à Deo, non distinguitur specie à fide, qua idẽ Isaias cognovit revelationem factam Moysi: secundò: quia habitus voluntatis habent specialem difficultatem in obiectis honestis consequendis per proprios actus, v.g. voluntas, vt ego virginitatem colam, distinguitur specie à voluntate, vt alius perseveret etiam virgo: quia maior est difficultas in me, & exigitur in actu vis compescendi pravos motos, & non rarò flagris eos abigendi; quæ non requiruntur in voluntate de virginitate alterius; sic spes vim habet ad me exercendum laboribus multis; secus vero voluntas de aliena beatitudine: ex hac actuum disparitate disparantur etiam habitus: in intellectu autem hæc non ita contingunt.

§. 15. Rogas secundò: vtrùm prophetia distincta à sciẽtia infusa, sit virtus propriè Theologica? Equidem tàm propriè, quàm fides; dicuntur autem tres esse virtutes Theologicæ; nõ quòd in intellectu sola fides sit Theologica, quis enim neget lumen gloriæ esse Theologicum, cùm Deum immediatè contempletur? sunt autem tres virtutes Theologicæ: quia fides in ratione virtutis in intellectu, est Theologica, nam propter obscuritatem liberè, & meritoriè exercetur: lumen autem gloriæ, & prophetiæ non pendet à libero voluntatis affectu: vel tandem tres dicuntur virtutes Theologicæ, quia solũ hi tres habitus Theologici offeruntur singulis, & more habitus: prophetia autem neque singulis offertur, neque more habitus.

§. 16. S. Thom. Rogas tertiò: vtrùm in patria sit prophetia? Negat Sanctus Thomas quæstione 174. articulo quinto: nam beati non sunt procul ab eventibus, quia sunt in termino beatitudinis. Quæstio hæc est de nomine: beati enim clarè vident loqutionem Dei ad ipsos: eventus autem

etiam

etiam sunt procul; neque interest, si non sint: quia dum aliquis percipiat loquutionem Dei, obiectum materiale parum interest, si sit præsens, aut futurum: & quidem Antichristus futurus est respectu beati Petri, tàm futurus, quàm respectu mei. Christus autem secundùm corpus tàm abest in cœlo ab Antichristo, quàm in terra: in terra autem erat Propheta: ergò & in cœlo; aut quid interest status ille corporis gloriosi, aut carentis gloria ad rationem prophetiæ, quæ non est in corpore? sunt igitur beati Propphetæ, vt fuit Christus: quia Deus illis loquitur futura, quæ ipsi cognoscunt ex loquutione Dei.

§. 17. De obiecto materiali prophetiæ nihil dicendum occurrit, præter quæ disputatione 16. dixi de obiecto materiali fidei à §. secundo, ad octavum. Omnia enim, quæ Deus potest loqui, sunt obiectum materiale fidei, & prophetiæ: Deus autem est obiectum adæquatum attributionis.

SECTIO III.

Utrùm Prophetia sit habitus?

§. 18. QVÆSTIO est non de instinctu: quem sæpè dixi non distingui ab habitu fidei: quando autem Theologi dicunt prophetiam non esse habitum, loquuntur de prophetia perfecta, quæ est clara, & evidens auditio Dei; non verò de prophetia inchoata; vt constat ex Sancto Thoma quæst. 171. artic. 2. vbi agit de hoc genere prophetiæ. Neque item est quæstio de scientia, quæ vocatur *per se infusa*: quia hæc non vocatur prophetia propriè: quia, quamvis percipiat revelationem factam à Deo, tamen ad credendam eius veritatem non movetur authoritate divina priùs cognitâ; vocari autem potest prophetia propter perceptionē loquutionis Dei. Est igitur quæstio de illa qualitate, per quam efficienter producimus cognitionem claram revelationis divinę existentis, & ex authoritate divina deprehendimus veritatem eiusdem revelationis.

S. Thomas

§. 19. Sanctus Thomas quæstione 171. artic. 2. perspicuè negat prophetiam esse habitum; movetur duobus argumentis. Primò: quia lumen propheticum, si esset per modum habitus, & formæ permanentis, efficeret, vt Propheta posset semper prophetare: hoc autem apertè est falsum: ergo. Probat maiorem: quia lumen intellectuale in aliquo existens per modum formæ permanentis, & perfectæ, perficit intellectum principaliter ad cognoscēdum principium illorum, quæ per illud lumen manifestantur: sicut per lumen intellectus agentis, pręcipuè intellectus cognoscit prima principia omnium illorum, quæ naturaliter cognoscuntur; sed si Propheta haberet prophetiam per modum habitus, posset perpetuò cognoscere obiectum, quod est principium cognoscendi cætera: ergo posset perpetuò prophetare. At verò principium illorum, quæ propheticè cognoscuntur est Deus ipse: qui per essentiam à prophetis non videtur: videtur autem à beatis in patria: ergò lumen propheticum inest per modum cuiusdam passionis. Secundùm argumentum est ex modo loquendi, qui prophetiam designat per loquutionem Dei: hæc autem transitum significat, & non permanentiam: ergo.

§. 20. Caiet. Caietanus longam orationem texit in propugnanda hac Sancti Thomæ ratione; qui totus est in probāda distinctione inter habitum, & qualitatem citò transeuntem: quam distinctionem admitto, disputandi gratiâ, impugnandā disputationibus de charitate: ac primùm S. Thomas discriminare conatur Prophetas à beatis, quòd beati cognoscunt obiectum principale prophetiæ, qui est Deus, per habitum, quo eum vident: Prophetę autem illud cognoscunt per qualitatem transeuntem: videtur autem insinuare Prophetas Deū visuros, si haberent prophetiam per habitum permanentē, quæ doctrinâ non caret difficultate: Prophetæ enim, & beati nō distinguuntur per solam qualitatem transeuntem, aut permanentem, sed per obiectū formale illarum qualitatū; etenim Deus est adæquatum obiectum formale luminis gloriæ: ponamus ergò visionem beatam fieri lumine habituali in beato Petro, in Moyse autem fieri lumine transeunte: hæc duo lumina distinguuntur specie: quia alterum est naturâ fixum, alterum naturâ fugax: quæ probat Caietanus, & non aliud; obiectum autem formale vtriusque est idem: nempè Deus secundū se; prophetia verò non tendit in Deum immediatè videndum: tendit autem abstractivè in authoritatem Dei; intuitivè autem in eius revelationem passivam: ergò etiamsi propheta haberet prophetiam habitualem, non proptereà Deum videret: quia prophetia permanens, & transiens idem habent obiectum formale, & eodē modo: solùmq; differunt per fugacitatem, & permanentiā: omnis enim actus supernaturalis potest fieri & per auxilium trāsiens, & per habitū permanentē; vtrumque autem habet idem obiectum

S. Thom. q. 1. Ar. 4. iectum formale, & materiale. Arbitror S. Thomam noluisse discriminare prophetas, & beatos per solam permanentiam luminis gloriæ, & transitum qualitatis; sed voluisse ex lumine gloriæ colligere permanentiã prophetiæ, & ex carentia luminis, carentiã prophetiæ habitualis: quia habitus prophetiæ est connaturalis in patria, in qua sunt omnes thesauri scientiæ Dei; in via autem non cognoscimus, nisi valdè ænigmaticè; quando autem Deus vult illustrare prophetam, id præstat raptim, & quasi furtivè: quod sæpè contingit in exercitio aliarum virtutum.

§. 21. Maior difficultas est in prima propositione argumenti S. Thomæ censentis, prophetam posse liberè prophetizare, si habeat prophetiam habitualem. Primum ego habeo fidem habitualem, quã possum credere revelationem; si fiat Petro; tamen nõ possum, quoties volo, illam credere fide divina: quia non satis est habere potentiam completam ad assensum, nisi existat eius obiectum; at potest obiectum non existere, etiamsi ex parte potentiæ nihil desit ad illud percipiendum, quoties existat. Quod ita confirmo: qui non est surdus, habet potentiam completam ad percipiendã loquutionem Petri: sive enim Petrus loquatur; sive nõ, aures ex parte sui proximè sunt potentes ad audiendam vocem Petri, si sonet: quòd si eam non audiunt, non est in illarũ culpâ; sed quia obiectũ nõ existit, eaq; propter nõ excitatur in aure species impressa vocis: ergo etiã si intellectus propheticus sit habitualiter instructus per prophetiã, adhuc non prophetizabit, quoties voluerit: quia prophetizare, est audire vocem Dei: quæ non potest audiri dum à Deo non fit, quantumcumque habitus illius perceptivus sit in intellectu prophetæ. Ratio à priori, quia ad audiendam vocem Dei, requiruntur duo principia: alterum ex parte potentiæ, alterum ex parte obiecti. Ex parte potentiæ requiritur habitus, vel loco illius; auxilium, sive intrinsecum, sive extrinsecum: ex parte obiecti, requiritur eius existentia, & species impressa; alterutro autem deficiente, deficit prophetia actualis. At potest deficere existentia vocis Dei, & species impressa, quamtumcumque intellectus sit instructus prophetiã habituali, vel loco illius auxilio intrinseco, aut extrinseco: ergo ex permanentia prophetiæ habitualis non infertur eius vsus pro libito Prophetæ. Cùm autem Sanctus Thomas hanc doctrinam ibidem insinuet, non est credendus loquutus in sensu explicato: voluit itaque Prophetam vsurum pro libito prophetiã habituali: non quòd id sequatur ex ipso habitus conceptu, sed ex voluntate Dei, qui nullum habitum nobis infundit, quo non possimus vti pro libito: *habitibus enim vtimur, cùm volumus*: cùm igitur eo genere habitus non possimus vti, cùm volumus, signum est, eum nobis non in esse.

§. 22. 1. Conclus. Dico primò: qui censent non posse per potentiam absolutam fieri à nobis actum supernaturalem sine habitu, tenentur dicere, actum prophetiæ fieri à prophetia habituali. Quia actus prophetiæ est supernaturalis: ergo debet oriri à principio intrinseco intrinsecè completo (vt ipsi aiunt): quia non admittunt auxilium extrinsecum supernaturale; neque qualitatem naturâ suâ fluentem. Qui negant etiam, prophetiam esse habitum, respondebunt, eam quidem esse qualitatem naturâ suâ permanentem; non tamen permanere ex voluntate Dei. Contrà: nam illa qualitas verè est habitus, quemadmodùm charitas & gratia sunt habitus, quamvis per peccatum destruantur paulò post infusionem.

§. 23. 2. Conclus. Dico secundò: omnis actus supernaturalis prophetiæ, petit connaturalius oriri à prophetia habituali: quia habitus infusus est actuum maximè connaturale principiũ; auxilium autem est loco habitus.

§. 24. 3. Conclus. Dico tertiò: in via actus prophetici eliciuntur per auxilium extrinsecum, & intellectum prophetæ. Huius conclusionis nulla est ratio, præter solam voluntatem Dei; hanc autem vestigamus ex authoritate Patrum, & Theologorum: hi eam satis probabiliter coniectant ex scripturis: cùm enim Deus possit in eos actus influere, vel per habitum, vel per auxilium, non est cur dicamus per habitum: quia hic esset protinus destruendus: non est enim consentaneus ænigmati, quo Deus decrevit, vt incedamus; cur autem Deus produceret habitum, corrumpendum è vestigio? Dixi, hũc habitum non reperiri in via: quod non intelligo de Christo, nec de eius Matre: Principes enim non tenentur legibus subiectorum; quâ autem ratione intelligendus sit Apostolus, docens in patria cessaturam prophetiam, ostendã disputationibus de charitate. De prophetia, hæc sufficiunt instituto nostro. Multa de revelatione dixi disputat. 13. cætera qui voluerit, adeat Sanctum Thomam à quæst. 171. ad 175. & P. Suar. disputatione 8. à sectione 3.

DIS-

DISPVT. XXIX.

Vtrum fides & scientia habituales opponuntur ex natura sua?

§. 1. SANCTVS Thomas articulo quinto disquirit oppositionē fidei & scientiæ: quam nos persequemur, nonnulla reijcientes in disputationem decimam de anima sect. 5.

SECTIO I.

Fides & scientia habitualis non opponuntur.

§. 2. *P. Valent.* CONCLVSIO hæc communis est omnibus Theologis, quos referunt, & sequuntur P. Valentiā disputatione 1. quæst. 1. puncto 4. §. 2. & alibi: qui enim admittunt simul fidem & sciecientiam actualem, faciliùs component habituales: Item qui negant, posse componi actuales, id nō negāt de habitualibus. *Luisius. Lorca.* P. Luisius disputat. 11. dubio 2. & Magister Lorca disp. 15. probant: quia habitus, qui dat simpliciter posse, non opponitur habitui acquisito per actus: quia habitus per se infusus non comparatur physicè actibus, secus habitus acquisitus. Hoc principio sæpè sum vsus ex Aureolo, quo consequenter aio, non opponi ex natura rei habitum fidei & hæresim; neque habitus infusos voluntatis, & habitus vitiosos; qui autem dicunt, vitia & virtutes infusas, fidem & hæresim opponi ex natura rei, non possunt hoc argumento vti, quia hæresis, & quodvis vitium habituale actibus physicè comparatur, & tamen ex horum sententia opponuntur ex natura rei habitibus per se infusis: ergo hæc ratio non potest his authoribus esse communis.

§. 3. Aiunt alij, habitum fidei operari posse etiàm compositum cum scientia habituali, si hæc simul non operetur; sed habitus possūt esse simul, quando possunt operari, licèt non possint operari simul: ergo. Nec hæc ratio est efficax: etenim etiàm fides potest operari composita cum hæresi habituali, dum hæc non exeat in actum: ergo etiàm poterunt esse simul: itē quævis infusa virtus poterit operari, si vitia non operentur: ergo poterunt simul esse: quod an ipsi admittant, disquiram disp. sexagesima. Tertiò: quia indè sequeretur, non opponi habitus naturales acquisitos; hoc autē est falsum: ergo. Minor est certa: quia temperantia intemperantiaque mutuò se expellunt: maior probatur, quia si habitus temperantiæ non operatur, poterit operari habitus intemperantiæ: intemperantiæ enim nihil opponitur in operando, præter operationē temperantiæ: ergo dum temperantia non operatur, intemperantia poterit operari: ergo poterūt esse simul, nec erit vlla oppositio inter habitus.

Certè, qui dicunt, opponi ex natura rei scientiam & fidem de eodem obiecto: item qui dicunt, habitus infusos opponi vitijs, difficilè tuebuntur cōclusionem hanc: quia, quando actus opponuntur, opponuntur etiàm habitus; sed ex horum sententiā actus fidei & scientiæ opponuntur: ergo & habitus. Maior constat: quia ea ratione habitus temperantiæ & intemperantiæ opponuntur, quia actus temperantiæ & intemperantiæ sunt oppositi; eâque ratione dicunt, temperantiam infusam opponi intemperantiæ, & hæresim fidei; neque refert id intelligendum de actibus, qui tendunt in obiecta opposita, quorum habitus sunt etiàm oppositi; fides autem & scientia nō opponuntur ex obiectis; sed ex modo: hoc (inquam) non refert: quia sicut actus oppositi ex obiecto oriuntur ab habitibus oppositis ex obiecto, cur actus oppositi ex modo, non orientur ab habitibus oppositis etiàm ex modo? Ratio à priori, quia habitus non tēdunt in obiectum, nisi per actus; à tendentia autem actuali accipiunt habitus oppositionem: ergo, vt eam accipiunt ex oppositione actuum ab obiecto, eamdē accipient ex eorumdem oppositione à modo. Quod explico in habitib⁹ opinionis & scientiæ, qui ex horum sententia opponuntur: licet enim sint de eodem obiecto; alter tamen est obscurus, & cum formidine; alter sine formidine & clarus. §. 4.

Hæc conclusio in mea sententia facillimā habet probationem. Primum, quia actus fidei & scientia non opponuntur. Rogas: vtrùm fides & lumen gloriæ opponerentur, si illorum actus essent oppositi? Respondeo; in affirmatione nullum esse absurdum: vtrū autē visio & fides actualis opponātur ex natura sua? id est, vtrùm habeāt effectus formales reciprocè pugnantes? an verò oppositio sit in solo impedimento luminis, ne fides operetur? disputabo disputatione sequenti. Secunda probatio est, quia quamvis actus fidei & scientiæ sint oppositi; tamen habitus non opponentur: nam habitus acquisitus non opponitur habitui infuso: quod vniversim assero in voluntate, in quo admit- §. 5.

hom. admitto habitus acquisitos : & in intelle-
q.1.art.4. ctu ; in quo illos admittunt hi authores. Tertiò quamvis admittatur oppositio in voluntate inter habitus infusos, & vitiosos, adhuc non est admittenda in intellectu : in quo nō sunt propriè habitus naturales, vt ostendi disp. 16. de anima sect. 2. Igitur in intellectu non sunt, nisi habitus infusi, & species impressæ ; species autem impressa evidens non opponitur ex natura sua fidei obscuræ : quia vtrumque principium pertinet ad actum primum suorum actuum, ad quos est simpliciter necessarium : non repugnat autem potentiam eamdem simul esse completam ad exercendos actus oppositos diversis temporibus. Immò non repugnant simul esse duæ apprehensiones eiusdem obiecti ; altera clara, & altera obscura : qui enim apprehendit evidenter Deū existere, apprehendit etiam obscurè Deum, vt propositum credendum.

§. 6. Alia ratio sumitur ab absurdo: quia si fides, & scientia habituales opponuntur ex natura sua : ergò nullus Philosophus potest esse fidelis : hoc autem nullus non censebit absurdū : quia nō posset philosophus exercere charitatem supernaturalem ; neque liceret Christiano navare operam demonstrationi Dei : quia melior est fides, quàm scientia : quia sine fide impossibile est placere Deo, non est autem impossibile sine scientia. Maior probatur: quia habitus oppositi componi possunt in gradibus remissis, non verò in intensis : ergo tàm intensa potest esse scientia naturalis, vt penitùs fidem extinguat, quemadmodum extinguit naturales habitus oppositos.

§. 7. Lorca. Respondet Magister Lorca fidem habere plura obiecta, quàm scientiā, posseque permanere circa ea, ac propterea non destrueretur. Contra primò: ponamus haberi scientiam de prima veritate, quæ est obiectum formale fidei : hæc prima veritas non potest cognosci per fidem à philosopho: ergo non potest manere fides circa alia obiecta. Probo consequentiam : quia fides nullum attingit obiectum, nisi per primam veritatem priùs cognitam; sed circa primam veritatem est oppositio scientiæ & fidei ; ergo consequenter est circa omnia obiecta fidei. Secundò, quamvis fides ambiat obiecta plura ; tamen sufficit oppositio circa vnum, vt destruatur circa omnia : quia habitus est indivisibilis, neque respicit per plures sui partes obiecta plura ; sed totus respicit totum obiectum, & totus quamlibet partem obiecti : quemadmodum vna indivisibili cognitione attingimus quatuor: quæ cognitio tota destruitur per actum contrarium circa vnum obiectum solum: v.g. vno actu affirmo hic adesse Petrum & Paullum : si postea affirmem non adesse Petrum ; corrumpitur totus primus actus, quamvis maneat aliud obiectum : ergo tota fides corrumperetur per oppositionem circa vnum obiectum. Ratio à priori : quia omnia obiecta contemplatur fides per indivisibilem entitatem : quæ ab vno solo obiecto potest oppositionem accipere cum scientia : qua oppositione accepta destruitur tota fides; neq; vero opus est oppositione circa omnia obiecta ; nā ad concordiam duarū rerum opus est, vt in nullo absonent : quævis enim absonantia sufficit ad oppositionem, vt ostendi actus exemplo : *bonum enim ex integra caussa ; malū autē ex quocumq; defectu*. Quo argumēto satis efficaciter probo scientiam naturalem (si habitus sit acquisitus) non esse vnam simplicem qualitatem: quia philosophus, qui habet habitum demonstrativum de existentia Dei, illum amitteret per errorem de compositione cœlorum : quia error de cœlo, & scientia de eodem cœlo opponuntur ; sed scientia de Deo esset scientia de cœlo: ergo error de cœlo opponeretur scientiæ de Deo : idem dixerim de virtutibus naturalibus, & vitijs: quia per intemperātiam circa potum aquæ, amitteretur castitas, quæ est species temperantiæ.

SECTIO. II.

De oppositione fidei cum lumine gloriæ.

SOLUS Durandus ausus constituere habitum fidei in patria ; neque tamen id determinatè; sed asseruit posse id asseri absque incommodo: quia neutra pars satis colligitur ex scriptura, in tertium distinct. 31. quæst. 3. num. 11. numero autem 13. censet potuisse fidem in patria manere. Theologi non pauci censent habitum fidei naturâ sua pugnare cum lumine gloriæ: Lorca disputat. 15. numero 13. & alij apud ipsum : quamvis enim ipse numero 15. negat oppositionem naturalem inter hos habitus, dicit tamen fidem dedecere in illo statu beatorum; quo relabi videtur in sententiam negatam : quia decentia naturalis est illi statui : si ergo propter indecentiam fides non potest esse in patria: ergò natura sua excluditur à patria; quidquid autem sit de hac naturali oppositione, probat Lorca suam sententiam : quia fides est imperfecta in genere entis cōparatione ad

§. 8. Durand.

Lorca.

ad alia genera; neque vero est imperfecta comparatione aliorum; nam & homo sic est imperfectus Angelo comparatus; sed etiam est imperfecta in proprio suo genere: quia in ratione cognitionis illi multa desunt, quemadmodum equus mancus est imperfectus, non solùm comparatus homini; sed etiam in genere equi, quia illi deest aliqua perfectio equo debita. Virtutes autem voluntatis, quamvis sunt imperfectæ in genere entis comparatione aliarum; tamen in suo genere non sunt imperfectæ. Quod mutuatus videtur Lorca ex 1. 2. q. 67. art. 3. sed non eodem sensu.

§. 9. Contrà: fides in proprio genere est tàm perfecta, quàm virtutes voluntatis: ergo aut illæ non manent in patria, aut fides manet. Probo antecedens: quia actus fidei perfectiores sunt in se, quàm temperantiæ: item in genere actus fidei nihil illis deest: ergo in suo genere tàm perfecta est fides, quàm temperantia. *Confirm.* Confirmatur, quia cognitio scientiæ naturalis de Deo, non est magis perfecta in suo genere, quàm fides in suo; & tamen manet ea scientia: ergo manebit & fides. Maior patet, quia vtraque scientia est defectiva, & quamvis naturalis est evidens; tamen non habet Deum pro obiecto formali, nec est supernaturalis, nec tàm certa, quàm fides.

§. 10. *Obiectio. Refell.* Dices, fidei nihil deesse in ratione fidei, illa tamen ratio est valdè imperfecta in ratione cognitionis de Deo. Contrà: quando dicimus aliquid esse perfectum, aut imperfectum in suo genere, *genus* accipitur pro specie, non verò pro genere propriè: quia equus, cui nulla deest perfectio debita speciei equinæ, est perfectus in genere equi, nō tamen in genere animalis, quia multis perfectionibus caret debitis animali; sed fides nulla caret perfectione debita fidei: ergo tàm perfecta est in suo genere, quàm equus in suo. Illa autē reduplicatio perfecti in suo genere non excludit imperfectionem in proprio genere: quia etiam genus equi, est genus imperfectum. Explico; scientia de Deo per effectus est in genere imperfecta: quia caret multis perfectionibus, quæ possunt convenire scientiæ de Deo; nec tamen propterea est imperfecta in proprio genere, nisi quando est aut remissior, aut obscurior, quàm postulat genus illud. Item eleemosyna est in genere valdè imperfecto diligendi proximum, & opitulandi: quia eius obiectum potuit amari charitate: & tamen est in proprio genere perfecta, & manet in patria: ergo & fides, quæ est in genere perfectiori, & in eo nihil illi deest. Quod ait Lorca; motum esse in proprio genere imperfectum, nihil obest: tùm quia si motus habet omnem perfectionem suæ speciei, est in suo genere perfectus: tùm etiam, quia motus est productio, & modus sui termini; modus autem reducitur ad rem, cuius est modus; fides verò est in alia specie entis absoluti, quàm lumen gloriæ. Neque apparet cur cum habitu perfecto circa Deum non possit componi imperfectus.

§. 11. *Conclus.* Dico, de facto non reperiri habitum fidei in patria: non quòd opponatur ex naturâ sua cum lumine; sed quia id communiter asseritur à Theologis, & Patribus, cū non levi fundamento ex scriptura. Ratio sumitur ex habitus otiositate; fides enim numquam exercetur in patria: ergo habitus fidei non est in patria. Patet consequentia: quia habitus operativus non est in eo statu, in quo non potest per se operari. Dixi, per se, quia in pueris, & amentibus per accidens otiatur habitus; per se enim status viæ non est ineptus ad vsum fidei. *Lorca.* Lorca impugnat hanc rationem: quia virtutes morales nunquam operantur in patria; in ea tamen manent: ergo perpetuum otium non excludit habitum. Probatur maior: quia actus eleemosynæ non possunt in patria exerceri: quia in patria nullus est miser, cui opitulemur. Nego maiorem, & probationem concedo. At verò licèt non possimus exercere actus, quibus opitulemur alicui, possumus tamen gaudere ex obiecto formali misericordiæ, de operibus in via exercitis: item amore stricto possumus affici in obiectum misericordiæ: fides verò nullos potest actus exercere; manet autem affectio pia: quia & gaudium de exercita fide, & amor strictus in fidem secundum se possunt exerceri.

§. 12. *2. Conclus.* Dico secundò: de potentia absoluta potuit manere fides habitualis in patria. Hæc conclusio nota est per se, neque opposita videtur vlla ratione probabilis, quidquid dicat Ægidius lib. 1 r. quæst. 8. art. 10. §. 2. *Ægidius.* Authores enim, quos cōgerit pro opposita, loquuntur de potentia ordinariâ, non absolutâ: hæc autem doctrina à tàm multis traditur, vt non egeat illorum censu. Probatur: quia lumen, & fides esto opponantur ex natura rei, opponuntur quasi contrariè, & nō contradictoriè: ergo potuerunt esse de potentia absoluta: consequentia patet, quia formæ supernaturales, quasi contrariæ, poterunt conservari speciali concursu terminato directè ad ipsas: actus autem oppositi arguunt contradictionem in obiecto, ac propterea componi non possunt. Antecedens patet: quia nullam contradictionem arguunt illi habitus: quòd enim alter sit evidens, & alter obscurus, non refert: quia evidentia & obscuritas non sunt formales,

S.Thom. q.1.art.4. sive in actu secundo; sed tantùm virtuales, & in actu primo, quæ non opponuntur contradictoriè: nullus enim dicit opponi contradictoriè duos oppositos habitus voluntatis; nec duas species impressas, quamvis actus, qui ab illis possunt oriri, opponãtur quasi contradictoriè. Item Deus habet virtutem ad illuminandum aerem, & obtenebrandum.

§. 13. Secundò: quia lumen gloriæ, & fides habitualis non opponuntur ex natura rei: ergo possunt componi. Probo antecedens: quia illi habitus præcisè sunt complementum potentiæ ad actus oppositos; sed complementa ad actus oppositos nullam habent oppositionem: ergo neque fides, & lumen. Minor est certa: tùm quia species impressa ad vnum actum, nullam habet oppositionem cum specie impressa ad actum oppositum: quia quando inevidenter assentimur alicui obiecto, habemus speciem impressam ad assensum, & dissensum, vel ergò habemus duas species, vel vnam? si duas, habemus intentum; si verò vnam, magis est à nobis: quia esse principium actuum oppositorum, potest reperiri in vna entitate: ergo multò meliùs reperietur in duabus entitatibus existentibus in vno subiecto: item eadem voluntas, est principium amoris & odij; idem intellectus ad assensum & dissensum; eadem potentia ad motum & quietem, ad ascensum & descensum: tùm à priori, quia oppositio actuum non continetur formaliter; sed virtualiter in potentia: contineri autem aliquid virtualiter in aliquo, præcisè est in illo esse virtutem ad opposita; virtus autem ad opposita nullam dicit oppositionem in se: quia Deus est virtus ad calorem, & frigus: ergo vna, vel duæ virtutes ad actus oppositos nullam dicunt oppositionem.

§. 14. Obiectio. 1. Respon. Dices, lumen, & fidem non esse solum complementum potentiæ; sed etiàm inclinationem, & promptitudinem ad operandum: duæ autem promptitudines ad actus oppositos sunt oppositæ. Contrà: ostendam infrà habitus per se infusos non esse ad promptè, & delectabiliter operandum; sed ad simpliciter posse. Secundò admitto id convenire fidei, non tamen convenit lumini, quod nullo modo pendet à voluntate, nec in applicatione, nec in operatione; sed rapit intellectum more naturæ non secùs, quàm lux visum, & aures sonus: ergo sicut in his, quæ operantur more naturæ, non reperitur habitus ad promptè, & delectabiliter operandū; sed præcisè reperitur promptitudo, & delectabilitas in actu primo determinato more naturæ: ita neque lumen gloriæ habebit delectationem more habitus; sed præcisè more potentiæ naturalis ad vnum determinatę: ergo nullam habet oppositionem cum fide: probo consequentiam, quia, qua parte vtraque qualitas est complementum potentiæ, non opponuntur, vt ostendi; at verò qua parte fides est inclinatio ad actum more promptitudinis habitualis, non convenit cum lumine carente eo genere promptitudinis.

§. 15. Tandem esto visio beata, & fides actualis non possint simul esse; fides item habitualis, & lumen sint promptitudo, & inclinatio more habituum in actus, adhùc non opponentur ex natura rei. Etenim incompossibilitas illorum actuum non est ratione effectuum formalium; sed quia visio retardat vires fidei, ne exerantur: duplici enim ratione possunt duo actus esse incompossibiles: primùm per effectus formales, qui adeò sunt oppositi, vt etiam divinitùs repugnet eos componi simul. Quod explico hac hypothesi; demus actum vitalem consistere in sola qualitate; item eum produci à solo Deo, & constitui in intellectu, aut voluntate: tamen assensus, & dissensus de eodem obiecto: amor, & odium non poterunt componi simul. Ita enim ratiocinandum est in sententijs, quas hic disputationis ergò pono; (quamvis contra eorum authores oppositum ostendere contendi disputatione sexta de anima.) At verò actus fidei, & scientiæ possent simul componi à Deo, eos simul infundente intellectui: quia nullam arguunt oppositionem in obiecto: quia ergò impedimentum fidei ad operandum in visionis præsentia, Deus non patitur, quia Deus nullo modo visione retardatur: ideò poterit eos actus simul constituere.

§. 16. Conclus. Prob. His positis censeo; habitus fidei, & luminis non oponi: quia illi habitus opponuntur, qui inclinant ad actus oppositos ratione suorum effectuum formalium; alij autem habitus non opponuntur; sed visio, & fides non opponuntur ratione suorum effectuum formalium: ergo nec illarum habitus opponuntur. Confirmatur, quia potentia loco motiva existens in altera manu, nõ tollitur, quamvis eius motus impediatur aliquo tempore, aut impetu aliundè accepto: ergo neque tolletur habitus fidei, quāvis eius actio impediatur lumine. Ratio à priori: quia potentiæ non pendent ab operatione actuali, possunt enim absque illa existere: ergo impedimentum ad operationem non tollet habitum fidei; quemadmodum non tollitur in amentibus, quamvis ibi eius actio impediatur.

Confir.

§. 17. Dixi, hos habitus non opponi; nempè immediatè ratione effectuum formalium: mediatè

diatè autem opponuntur physicè; quia derivantur à gratia in statibus oppositis; in altero non est lumen; quia in via non exercetur visio; in altero non est fides; quia in patria non creditur. Hi status sunt gratiæ naturales, & oppositi: vndè illi habitus opponuntur ratione statuum: vt etiam dixi, volum. 1. d. 10. de anima à §. 73.

DISPVT. XXX.

De oppositione actuum fidei, & scientiæ.

SECTIO I.

Præmonitio.

§. 1. HAC de re egi disputat. 10. de anima, sectione 5. Pono opinionem cum actuali formidine non posse componi cum scientia: quia non possumus simul formidare, & esse certi de eodem obiecto: quia per certitudinem cognoscimus rem non posse aliter esse: per formidinem autem nobis persuademus, eam posse aliter esse: si autem hæc nobis simul persuaderemus, nobis persuaderemus duo obiecta mutuò contradicentia: si verò non sit formido actualis, possumus componere scientiam cum opinione.

§. 2. Secundò pono, scientiam non posse componi cum fide humana, quia hæc fides semper est cum actuali formidine, nisi in homine insano, qualis non est, qui scientiam habet. Quando verò ea disputat. 10. à §. 60. dixi componi posse scientiam cum fide, egi de fide divina, quæ potest esse, & est absque formidine actuali, vt constat ex §. 74. Item de opinione, quæ potest esse absque ea formidine; non verò de fide humana, quæ numquam potest esse absque formidine. Tertiò, omittam rationes philosophicas, quas ibi proposui, & vtar Theologicis proprijs huius instituti.

§. 3. Quartò, possumus cognoscere revelationem immediatè, vt obiectum formale, vt cùm ego credo revelationem Isaiæ, & per illam mysterium revelatum; revelatio est obiectum formale, mysterium autem est obiectum materiale. Possumus item cognoscere revelationem vnam, vt obiectum materiale: quia eam cognoscimus per aliam revelationem prius cognitam: exempli gratia, Deus mihi revelat se revelasse Isaiæ incarnationem: hæc mea revelatio potest credi immediatè per fidem, si proponatur sufficienter. Mea revelatio erit obiectum formale: quia priùs cognita ducit in revelationem Isaiæ, quæ propterea est obiectum materiale. Hæc observa in totam hanc disputationem.

SECTIO II.

Non opponuntur scientia, & fides de eodem obiecto materiali.

DICO primò: actus fidei, & scientiæ possunt esse simul circa idem obiectum materiale, per diversa media: alterum clarè, alterum obscurè cognitum: quæ conclusio docetur à multis Doctoribus, quos adduxi disputat. 10. de anima §. 61. quibus adde Sanctum Augustinum, tomo 3. in Enchiridio, cap. 8. his verbis: *Vndè putari potest non esse consequens, vt non videatur res quæcumque creditur*, id est, non est bona consequentia: *res videtur: ergo non creditur*. Adeundus est P. Suarez, disput. 3. de fide, sect. 8. num 26. & sect. 9. num. 7. & disput. 6. sect. 9. num. 7. §. 4. Conclus. Aug. Suar.

SVBSECTIO I.

Primum argumentum.

PROBATVR: quia Philosophus etiam dùm habet actualem demonstrationem de existentia Dei, tenetur eamdem existentiam credere fide divina: ergo possunt simul componi fides & scientia actuales. Probo antecedens: quia Philosophus dum habet demonstrationem actualem, tenetur credere duo principia, ex quibus necessariò infertur fides de existentia Dei: ergo tenetur credere existentiam Dei, etiam dùm habet demonstrationem actualem de eadem existentia. Consequentia patet, quia nullâ aliâ ratione tenemur ad effectum ortum necessariò ex caussis, nisi quâ tenemur ad caussas ipsas. Antecedens probo, quia tenetur credere Philosophus hoc principium: *Omne quod prima veritas revelat, est*. In quo principio nulla est oppositio, neque cum existentia Dei, nec cum effectibus, per quos ea existentia demonstratur: item tenetur credere hanc propositionem: *Prima veritas revelat existentiam Dei*; §. 5.

quæ

S.Thom. q.1.art.4. quæ propositio non opponitur existentiæ Dei, neque principijs, per quæ ostenditur; sed hæc duo principia inferunt necessariò hanc conclusionem: *Ergo Deus est*: quia est conclusio rectè disposita in tertio modo primæ figuræ: æquipollet enim huic syllogismo: *Omne dictũ à prima veritate, est; sed existentia Dei est dicta à prima veritate: ergo existentia Dei est*: vndè concludo, Philosophum etiàm dum habet demonstrationem actualem de existentia Dei, teneri ad credendum duo principia, ex quibus necessariò sequitur assensus fidei de eâdem existentia Dei.

§. 6. Obiect. Refell. Dices, assensum conclusionis non esse necessarium quoad exercitium; sed tantùm quoad speciem. Contrà; iam ostendi disputatione 7. de anima, sectione 4. intellectum præmissis legitimi syllogismi determinari ad exercitium conclusionis. Deinde esto nō determinetur, sicut nec determinaretur ad consequentiam de obiecto evidenter cognito per evidentes præmissas: ponamus enim hominem simul percipere illas duas præmissas fidei, & præmissas evidentes ad inferendam existentiam Dei; velitque hic Philosophus suspendere assensum in conclusionem, deinde instructus vtrisque præmissis, velit assentiri: in hoc casu assentietur per vtrumque medium: ergo tunc assentietur fide, & scientiâ. Consequentia patet, quia assensus deductus ex authoritate, & revelatione Dei est fidei: item deductus ex effectis evidenter cognitis pertinet ad demonstrationem *quia*. Antecedens autem probo: quia applicatis duabus caussis; non est in potestate Philosophi exercere vnam, & non aliam. Exempli gratia, habeat simul præmissas philosophicas evidentes de terræ rotunditate: item alias astronomicas de eâdem rotunditate: non est in huius potestate elicere conclusionem astronomicam, & cohibere physicam, sed vel vtramque inferet, vel ab vtraque cessabit. Si enim fingas, eum dicere volo assentiri propter præmissas astronomicas, & non propter physicas; fingis chymæram: si enim semel fuerit assẽsus physicis præmisis, non potest pro suo arbitratu cohibere illarum vim. Ita potest non assentiri fidei præmissis; at verò illis assensus nō potest dicere: *nolo assentiri propter revelationem Dei*; repugnat enim, vt illi assentiatur, vt habenti necessariam connexionem cum obiecto revelato, & nolit assentiri propter illam.

§. 7. Confir. Confirmatur, quia non potest velle assentiri propter revelationem Dei, & nolle assentiri propter præmissas evidentes: quia hæ habent tantam vim, vt non possint impediri pro solo arbitratu voluntatis, si semel hæc velit assentiri obiecto materiali. Ratio à priori est: quia vis caussativa præmissarum in conclusionem est, in ostendenda identitate extremitatum cum medio: quæ identitas iam est persuasa per præmissas evidentes, & fidei; cùm ergo intellectus progreditur ab idẽtitate extremorum cum medio, ad identitatem extremorum inter se, non potest adimere alteri medio vim influendi in conclusionem: quia non influit, nisi per cognitionem identitatis extremorum cum medio: quæ cognitio perseverat circa præmissas vtrasque. Quòd si præmissæ efficienter influunt in conclusionem, ille influxus orietur necessariò ex actuali cognitione præmissarum: & quemadmodum non est in potestate voluntatis exercere tẽperantiam naturalem, & non supernaturalem, quando habet potentiam completam ad vtramque; sed vel vtramque exercet, vel cessat ab vtraque; ita tunc exercet fidem, & scientiam simul, vel neutram exercet.

SVBSECTIO II.

Opposita argumenta.

§. 8. Obiectio. DICES secundò, medium fidei non habere vim ad inferendam cōclusionem præsente medio demonstrativo: ergo non habentur simul fides, & scientia. Probo antecedens primò: quia actus fidei est obscurus, actus autem scientiæ est clarus; sed claritas, & obscuritas non possunt esse simul: quia obscuritas est carentia evidentiæ, & claritatis: quæ non possunt esse simul in eodem subiecto, sicut idem aer non potest simul esse clarus, & obscurus. Secundò probatur, quia assensus fidei est liber quoad speciem; assensus autem demonstrationis est determinatus etiā quoad exercitium: at non possumus simul circa idem obiectum habere assensum liberum, & necessariũ: ergo. Tertiò probatur, quia fidem humanam certum est non habere vim ad inferendam conclusionem pręsente medio demonstrativo circa idem obiectum. Quartò probatur, quia lumen minus non potest movere sensum præsente lumine maiori, quod patet in sole non patiente astra discriminari visu: ergo multo minùs evidentia medij, patietur intellectum moveri præmisis obscuris.

§. 9. Refell. Cōtrà: evidẽtia medij non tollit assensum de identitate extremorum cum medio: ergo non tollit vim obscuri medij ad inferendam conclusionem. Probo consequentiam, quia tota vis caussativa consistit in persuasione illius idẽtitatis extremorũ cum medio:

dio: ergo sicut omnia quæ sunt eadem vnitertio creato, necessariò sunt inter se idem, ita quocumque habitu cognoscuntur esse eadem vnitertio, manet vis ad cognoscendum esse idem inter se. Quod explico exemplo præmissarum: quia in præmissis fidei cognoscitur obscurè existentia Dei, in præmissis autem demonstrativis eadem existentia cognoscitur clarè: quia obiectum præmissarum est à parte rei idem cum obiecto conclusionis: solùmque distinguitur, non ex parte obiecti; sed ex parte modi in illud tendendi, magis, aut minùs expressè: ergo vt possunt duæ cognitiones, clara & obscura terminari immediatè ad existentiam Dei, eam minùs expressè repræsentãdo, poterunt etiam terminari ad eamdem existentiam magis expressè. Probo consequentiam, quia omnes rationes sumptæ ex repugnantia claritatis, & obscuritatis, & aliæ similes habent eamdem vim in actibus minùs expressis circa existentiam Dei.

§. 10. *Ad arg.* Ad argumentum ex §. 7. nego antecedens: ad primam probationem nego minorem: ad probationem respondeo eam oriri ex æquivocatione: ponit enim evidentiam esse formam aliquam distinctam ab actu evidenti, obscuritatem autem actus esse carentiam illius formæ; comparant enim hi authores evidentiam, & obscuritatem luci, & tenebris: & quemadmodum lux, & tenebræ non possunt simul afficere subiectum idẽ, arbitrantur idem de evidentia, & obscuritate: positio est falsa: evidentia enim & obscuritas non distinguntur à substantia actus evidentis, & obscuri: ergo obscuritas actus non est carentia evidentiæ: antecedens probavi disputatione 8. de anima, sectione 1. quod ita confirmo, quia evidentia est actus perfectio dicens essentialem ordinem ad principia determinantia intellectum ad assensum, vt dixi disp. 25. sect. 1. per suam autem entitatem est actus ita perfectus, vt connotet ea principia: consequẽtia autem patet, quia vnus actus non est alterius carentia: non ergo comparantur aptè obscuritas, & evidentia tenebris & luci.

§. 11. Quod explano exemplo apprehensionis simplicis, & iudicij, quæ possunt simul cõponi; cùm tamen apprehensio simplex habeat carentiam affirmationis, quam carentiam non habet iudicium: quia quamvis carentia affirmationis explicetur in apprehẽsione more veræ carentiæ; tamen non est, nisi ipsa essentia apprehensionis: igitur obscuritas actus est essentia ipsius actus dicens ordinem ad principia imperfecta, quæ non determinent ad assensum: hæc obscuritas habet distinctionem à claritate, non verò privationem, aut negationem illius, quemadmodum apprehensio simplex non habet carentiam iudicij; sed distinctionem: item vt duo actus obscuri sunt inter se distincti, quin alter habeat carentiam alterius: sunt enim valdè distincta, vnam rẽ non esse aliã, ac vnam habere carentiam alterius: ego enim nõ habeo carentiam Dei, quamvis distinguor à Deo: quia carentia est in aliquo, vt in subiecto comparato alicui tamquam formæ, cuius est capax, aut incapax: hinc patet imbecillitas eius scipionis, cui oppositi authores infirmè nixi; etenim rectè possum ego habere duos actus, quorum alter sit ab alio distinctus: aliundè ergo quærenda est illorum pugna, quàm ex oppositione contradictoria propter obscuritatem, & claritatem: vt ergo in aere possunt simul esse duæ qualitates, altera lux, altera non lux; ita & in intellectu.

§. 12. Secundò, admitto obscuritatem esse carentiam lucis: probat quidem eumdem actum non posse simul esse clarũ, & obscurum, sicut neque eumdem aerem lucidum, & tenebrosum: quia forma &, eius carentia non possunt simul esse in eodem subiecto: at non probat non posse simul esse actum clarum, & obscurum. Ratio à priori, quia obscuritas non est in intellectu, vt in subiecto immediato, sed præcisè, vt in subiecto remoto: est autem obscuritas in actu obscuro, vt in subiecto proximo, vt claritas est in actu claro: at non pugnant in eodem subiecto remoto claritas, & obscuritas: sicut nõ pugnant affirmatio, & negatio. Quod explico manifesto exemplo: ponamus lucem immediatè recipi in quantitate: quantitas recipit in se lucem, cuius carentiam habet albedo; quià autẽ repugnat lucẽ esse in quãtitate cum albedine carente luce? quia vnio lucis nõ est ad albedinẽ; sed ad quantitatẽ: carentia autem non est ad quantitatem; sed ad albedinem: quid autem ex hoc capite repugnat vnire materiæ immediatè quantitatem vnitam luci; & albedinem non vnitam; sicut eidem intellectui vniuntur actus vnitus cũ supernaturalitate, & alius nõ vnitus: intellectus autem tunc non habet carentiam *absolutè* evidentiæ, sed habet carentiã *secundum quid*, id est, habet evidentiã simpliciter per vnum actum, obscuritatem autem habet per alium, id est, vt affectus actu obscuro habet obscuritatem, & negationem evidentiæ: quæ non est negatio absolutè illius intellectu, ita vt intellectus sit non evidens; sed reduplicativè, vt subest illi actui.

§. 13. Ad secundam probationem primùm distinguo maiorem: actus fidei est liber in se, & immediatè, vt terminatur ad mysterium revelatum, nego maiorem: est liber mediatè

S.Thom. q.1.art.4. diatè, vt pendet ab assensu libero circa revelationem, concedo maiorem: distinguo autem minorem, non possunt simul esse duo actus immediatè liberi circa idem obiectum, transeat minor: non possunt esse duo actus immediatè necessarij, quamvis alter sit mediatè liber, nego minorem: quia libertas remota vnius actus pendet à libertate proxima præmissarum circa aliud obiectum, nempè circa revelationem Dei: liber autem assensus circa revelationem non pugnat cum aliqua parte demonstrationis naturalis. Constat ex logicis principijs assensum conclusionis in legitimo syllogismo esse omnino necessarium supposito assensu præmissarum: quæ necessitas vocatur *necessitas consequentiæ*; in quo non differunt syllogismus evidens, & obscurus: differunt autem in assensu præmissarum, qui necessarius est in syllogismo evidenti, in obscuro autē liber: vndè cōclusio in obscuro syllogismo, est necessaria necessitate consequētiæ, nō consequētis; id est, est necessaria supposito assensu præmissarum; illa tamen suppositio non est necessaria: è contra conclusio syllogismi evidentis est necessaria necessitate consequentiæ, & consequentis: quia & necessariò sequitur ex præmissis, & ijs necessariò assentimur. Itaque supposito assensu præmissarum, tàm necessariò assentimur conclusioni obscuræ, quàm evidenti: si ergo consequentia rectè apprehensa necessitat quoad exercitium, vterque actus est necessarius quoad exercitium: ac propterea libertas non opponitur alterius necessitati. Meritum autem non erit per se immediatè in assensu circa obiectum revelatum; sed in assensu circa revelationem, in qua acceptanda est meritum (cæteris suppositis): quia potuimus illam negare: si verò consequentia rectè apprehensa non necessitat quoad exercitium; sed tantùm quoad speciem, vterque actus suppositis præmissis est necessarius quoad speciē, & liber quoad individuum: libertas autem erit nova, & novum meritum, non in negando mysterio: quia suppositis præmissis id fieri non potest; sed in eo asserendo hic & nunc: duo autem actus ita liberi qui pugnabunt?

§. 14. Respondeo secundò, ad eamdem secundam probationem ex §. 7. omissa maiori, & negata minori: quia circa idem obiectum formale possumus habere simul actum liberum, & necessarium: nam beati per scientiam infusam amant liberè Deum, quem sub eâdem ratione formali amant necessariò per scientiam beatam: quod non est magis miraculosum in illo statu, quàm casus, de quo disputatur: quia assensus fidei infusæ non fit ex sola potentia naturali; sed ex supernaturali Dei, & obedientiali creata. Ratio videtur esse, quia principia determinantia potentiam ad actum non adimunt alijs principijs vim in suos effectus: si ergo intellectus, & voluntas determinantur per aliqua principia ad vnum actum, & habent principia sufficientia non determinantia ad alium, quid ni poterunt vti pro suo arbitratu principijs liberis, non secùs ac si non haberent alia principia determinantia ad alium actum?

Ad tertiam probationem respondeo, disparem esse rationem fidei humanæ, & divinæ: quia humana non habet obiectum formale habens necessariam connexionem cum re testata; & vix formatur syllogismus robustus; sed tàm mancus, vt vix moveat ratione formæ, vt ostendi disputatione 4. sectione 2. Itaque medium de se non habēs connexionem cum conclusione, non movet propter actualem formidinem, qua cognoscimus medium illud expositum errori: opinio autem sæpè non cernitur habere in obiecto contingentiam ad errandum: quia sæpè censemus medium esse evidens, cùm non sit nisi probabile, & incertum: at verò divina fides attingit obiectum habens infallibilem connexionem cum re testata; & syllogismus tàm rectè, & absolutè disponitur, quàm in demōstratione: omne enim, quod Deus dicit, est infallibiter verum: at non ita est omne, quod homo dicit: vndè authoritas humana imbellis est ad assensum: Deum autem dicere incarnationem tā certi sumus, vt pro propugnatione mortem oppetamus: hæc autem inferunt necessariò conclusionem: quæ vis deficit authoritati humanæ, quæ propterea movere non potest, nisi absente demonstratione: de quo sermo redibit sect. 2. §. 15.

§. 16. Obiectio. Dices, etiam nos cum fide divinâ posse habere formidinem physicam de opposito: v. g. solùm habemus evidentiam moralem de existentia revelationis; motiva autem sive applicationes, quæ nos movent, quamvis moraliter non sint expositæ errori, sunt tamen physicè: ergo non possunt esse simùl fides, & scientia. Contrà primùm: ergo quādo per evidentiam signorum cogitamus de obligatione credendi, & non de physica cōtingentia, poterunt componi fides & scientia, sicut opinio, & scientia. Contrà secundò, id rectè probat, non posse haberi evidentiā & fidem de eâdem revelatione cognitā immediatè, vt obiecto formali, vt ostendam sectione 2. at non probat præstito assensu revelationi, non posse præstari assensum fidei simul cum scientia obiecto revelato: quia revelationem firmiter credimus sine

vlla

vlla hæsitatione: at circa revelationem nullam habemus evidentiam, quæ nos cohibeat ab illius assensu: ex revelatione autem, & authoritate divina rectè sequitur mysterium revelatum: at verò authoritas humana nos non movet eâ vi: omnem autem formidinem etiam physicam deponimus circa obiectum revelatum: quia quamvis motiva humana sint physicè exposita errori; tamen non sunt obiectum formale, quo assentimur revelationi: illa enim motiva fides non attingit; attingit autem solam authoritatem, & revelationem vt existentem, & mysterium revelatum: in his nullum est periculum falsitatis: vt verò exerceamus assensum circa revelationem, sufficit depulsio hæsitationis per firmam voluntatem credendi. At authoritas humana est obiectum formale assentiendi rei testatæ: quod obiectum de se apparet contingens ad verum, & falsum.

§. 17. Ad quartam probationem ex eodem §. 7. respondeo, illam esse omnino abs re: quia experientia solis ostendit non posse simul visu distingui corpora duo inæqualia luce. Nā nō discriminamus astra lucentia minùs: ergo inde probaretur nos non posse habere duas demonstrationes inæquales evidentiâ de duobus obiectis realiter distinctis: patet consequentia, quia exemplum solis non probat repugnare ipsum solem clarè, & obscurè videri simul; sed probat non posse cum ipso Sole dispici astrum aliud: neque item id probat: interdum enim prope Solem cernitur stellula: Luna item conspicitur interdiù: quod oritur ex diversis immutationibus per species intentionales: quæ oculis, & auribus contingunt circa obiecta propria; menti autem non contingunt valenti simul multa distincta cogitare: vt ergò eo exemplo non probatur non posse simul esse duas demonstrationes inæquales de duobus obiectis; ita non probatur non posse simul esse fidem & scientiam de eodem obiecto.

SVBSECTIO III.

Secundum argumentum.

§. 18. 2. Arg. Athanas. SECVNDVM argumentum sumitur ex Symbolo Athanasij, vbi proponit mysteria, quæ vnusquisque hominum credere tenetur, inter quæ proponitur Deus credendus: concludit autem, *hæc nisi quisque fideliter, firmiterque crediderit salvus esse non poterit.* Clariùs id dixit Apostolus ad Hebr. 11. 6. *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator fit.* Apostolus autem agit de fide divina: agit enim Apostolus de Henoch, qui fide placuit Deo: ex eo autem quòd Deo placuerit, infert Apostolus, eum habuisse fidem; quia sine fide impossibile est placere Deo: idque probat, quia oportet accedentem ad Deum credere, quia est. *Ad Hebr. 11. 6.*

§. 19. 1. Obiectio. Dices primò, Apostolum locutum de quocumque assensu firmo, sive sit scientiæ, sive fidei: dum enim nobis persuadeamus Deum esse, non est opus fide diuina. Refell. Contrà: Apostolus loquitur de fide, qua placemus Deo: at placere Deo ad iustitiam non possumus ex solis naturæ viribus; sed ex inspiratione, & coadiutorio Spiritus Sancti, vt patet ex Concilio Tridentino, cap. 6. & canone 3. *si quis dixerit sine præveniente Spiritus Sancti inspiratione, atque eius adiutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse, sicut oportet, vt ei iustificationis gratia conferatur, anathema sit:* cùm ergo assēsus scientificus non sit ex inspiratione Dei; sed ex solis naturæ viribus, non possumus illo disponi ad iustificationem. De quo vide disput. 40. sect. 3. *Trident.*

§. 20. 2. Obiectio. Dices secundò, non oportere credere existentiam Dei Fide divina; sed sufficere illâ credere remunerationem, quæ non potest evidenter cognosci. Refell. 1. Contrà primò: providentiam Dei in pœnis, & præmijs possumus etiam cognoscere evidenter, adeò vt ex ea providentia sumamus efficax argumentum ad probandam immortalitatem animi: ergo non erit opus Fide divina. Refell. 2. Contrà secundò: Apostolus dixit hæc duo esse credenda, nempè & *quòd Deus est; & quòd remunerator*: Concilium autem dixit, non posse credi congruè ad iustificationem sine adiutorio Spiritus Sancti. Sic argumentor: nemo potest iustificari, nisi credat existentiam Dei, & remunerationem ex Apostolo; sed id, quod oportet credere, non possumus credere congruè ad iustificationem, sine adiutorio Spiritus Sancti: ergo non possumus credere Deum esse, vt oportet ad salutem, sine adiutorio Spiritus Sancti: at huiusmodi adiutorium, & inspiratio non est ad demonstrationem naturalem, quæ est omninò naturalis: exercitium autem conclusionis, quamvis esset liberum, posset esse sine inspiratione Dei: ergo cùm Philosophus Christianus teneatur cum gratia Dei disponi ad iustificationem; tenetur credere Fide divina existentiam Dei.

§. 21. Melchior Canus cēsuit Apostolum egisse de Canus.

S. Thom. q. 1. Ar. 5. Refell. de existẽtia Dei, vt est author supernaturalis, nõ verò, vt est naturalis. Contrà: duo obiecta proposuit Apostolus, & existentiam Dei; & remunerationem: probo sufficere cognoscere Deum secundùm se abstractè ab authore naturali, & supernaturali. Ponamus enim fide divina credi à non Philosopho existentiam Dei, vt est ens à se, infinitum, & omnipotens, in eo cõceptu abstractum ab effectibus supernaturalibus: deinde alio conceptu cognoscat remunerationem Dei supernaturalem: hæc credi possunt fide divinâ ab eo homine: demus hunc ex gratia per Christum diligere Deũ sic cognitum propter ipsum: hic exercetur charitas supernaturalis, quia Deus secundùm se amatus propter ipsum terminat actum charitatis infusæ, cui præit cognitio infusæ fidei: ergo ad iustitiam non est opus ex parte Dei credere illum, vt authorem supernaturalem: & quidem cum Apostolus ex parte remunerationis intelligi posit de remuneratione supernaturali, (quod adhuc sub iudice est) de Deo id non potest intelligi: quia præcisè dixit *credere quia est*: qui autem credit eum secundum se, verè credit, quia est. Quod afferunt Caietanus, & Canus, Paullum locutum de obiectis per se fidei indemonstrabilibus lumine rationis, nihil refert: Paullus enim agit de fide infusa, vt est ex parte subiecti necessaria ad salutem: hanc autem ita necessariam, dixit, oportere terminari ad Deum, & remunerationem. Adde Deum in se nõ habere illas differentias authoris naturalis, & supernaturalis: hæ enim sunt effectuum differentiæ, non Dei: qui per eamdem indivisibilem omnipotentiam est caussa entis naturalis, & supernaturalis; in suo autem conceptu supernaturalis est, quia & est supra omnem naturam, & se ipsum proprijs viribus intuetur.

Caiet. Canus.

§. 22. Deinde permitto Caietano, & Cano illorum expositionem, & probo eâ non enervari argumentum: quia, qui habet actualem demonstrationem de existentia Dei per effectus naturales, cognoscit evidenter existentiam Dei secundùm se, id est, existentiam à se ipsa sine dependentiâ ab alio: qui autem ex fide cognoscit Deum vt authorem supernaturalem, cognoscit obscurè eamdem existentiam Dei secundùm se, nempè eam esse à se cum independentiâ ab alio: ergo circa idem obiectum possunt simul componi fides, & scientia actualis. Consequentia patet, quia quamvis per naturalem demonstrationem cognoscatur existentia Dei comparatam effectibus naturalibus; tamen simul cognoscitur illam existentiam esse à se, sine dependentia ab alio: connotatio enim ad illos effectus facit, vt præter existentiam secundùm se cognitam in recto, cognoscatur aliquod connotatum ab illa diversum; hoc autem non tollit illam secundùm se cognosci: quod enim Petrus simul cum Paullo cognoscatur, & natura divina simul cum Paternitate, & Omnipotentia simul cum Angelo, non tollit quod Petrus cognoscatur secundùm se, neque vt non cognoscatur natura divina, aut omnipotentia: ergo quod cognoscatur Deus cum ordine ad effectus naturales; nõ tollit quominus ipse secundũ se cognoscatur: quia ille conceptus secundùm se includitur in conceptu Dei authoris supernaturalis. Item quando per fidem cognoscitur Deus, vt author supernaturalis, cognoscitur secundùm se: insuper additur cognitio effectuum supernaturalium: Deus ergò secundùm se cognoscitur per vtrumque actum: ergo actus clarus, & obscurus possunt simul terminari ad existentiam Dei, vt est à se independens ab alio: ergo absolutè fides, & scientia possunt esse circa idem obiectum: patet consequentia, quia illi actus quamvis partialiter terminentur ad diversos effectus connotatos; tamen Deus ipse secundùm se terminat partialiter eosdem: rogo igitur, vtrùm obscuritas circa hoc obiectum partiale, & claritas circa idem opponantur contradictoriè, vel vtrùm claritas vim adimat obscuro medio: & quidem qui dicunt componi posse opinionem, & scientiam de eodem obiecto, apertè supponunt obiectum illud diversimodè connotari opinione, & scientiâ: quia per diversas caussas, aut effectus comparantur demonstratio, & opinio: & in eo sensu negatur ab adversarijs compossibilitas eorum actuum: ita in demonstratione naturali, non est opus Deum cognosci hoc actu: *ergo Deus est author naturalis*; sed dicitur cognosci vt author naturalis, quia principia eum cognoscendi sunt effecta naturalia: ergo vt Deus sic potest cognosci scientiâ, & fide divina, sic componi poterunt opinio, & scientia.

Ratio, ob quam necessarius est actus supernaturalis fidei, est propter dependentiam affectuum supernaturalium à supernaturalibus cognitionibus: quæ non possunt oriri à cognitione naturali, per quam obiectum non proponitur congrue amori supernaturali: & quemadmodum requirit Deus ad iustificationem effectus supernaturales, neque sufficit naturalis §. 23.

amor

amor: ita vindicat in intellectu actus supernaturales donatos ex gratia Christi, neque sufficiunt naturales.

§. 24. *Obiectio.* Obijcis hæc esse vera, neque concludere simul componi posse fidem, & scientiam: quia Philosophus Christianus tenetur distrahi ab actuali demonstratione, vt posit per fidem credere. *Resp.* Certè in magnum discrimen adducitur Philosophorum salus: qui enim sunt vehementer assueti demonstrando Deo, cum ingenti difficultate se avellent ab assensu demonstrativo: quòd si excitetur species evidens, non poterit non assentiri, sicut apertis oculis non videre lucem benè propositam. In hoc vltimo sensu Sanctum Thomam interpretatur Pater Arrubal prima parte, disputatione nona, capite secundo. *P. Arrub.*

SVBSECTIO IIII.

Tertium argumentum.

§. 25. *3. Arg.* TERTIO argumentor: quia rusticus fidelis melioris esset cōditionis, quàm Philosophus Catholicus: hoc autem est falsum: ergo. Minor nota videtur per se: quia maior doctrina, & honestum studium, quo Catholici curant demonstrandum Deum, ad arguendos infideles, non vergit in illorum detrimentum: vt habita demonstratione Dei, carerent actu fidei, qui est perfectior, & actu charitatis, qui non potest oriri ex actu demonstrativo: maior patet; tùm quia minus bonum est exercere actus minus bonos, quàm meliores; item minus bonum est habere principia proxima ad solum amorem naturalem, quàm ad supernaturalem: tùm etiam quia Philosophus esset minus certus de existentia Dei, quàm fidelis rusticus: quod probo, quia ostendam disputatione 58. sectione quarta, actum fidei certiorem esse quàvis demonstratione naturali; sed rusticus haberet actum fidei, Philosophus verò demonstrationem naturalem: ergo rusticus esset certior de existentia Dei, quàm Philosophus.

§. 26. *1. Obiectio* Dices primò, Philosophum tàm certum esse de existentia Dei, quàm rusticum, quia ex habitu fidei accrescit certitudo demonstrationi naturali: quia Philosophus habet, & certitudinem habitualis fidei, & scientiæ actualis. *Refell.* Contrà primò: quia non occurritur primo incommodo de impedimento ad amorem supernaturalem, ad quem non est apta naturalis demonstratio: quia etiamsi exerceatur à fideli, non potest movere ad amorem supernaturalem, quia fides non dat demonstrationi supernaturalitatem, nisi idem numero actus producatur à fide & metaphysica, sub vtriusque ratione formali: quod an contingat, disputabo disputatione sequenti.

§. 27. *Refell. 2.* Contrà secundò: quia habitus fidei non facit demonstrationem tàm certam, quàm suum actum fidei: ergo rusticus actu exercens fidem certior est de existentia Dei, quàm Philosophus: antecedens liquet, quia semper actus fidei manet supernaturalis; demonstratio autem naturalis: nam ex parte habitus fidei tàm certus manet rusticus, quàm Philosophus: at ex parte actuum minus certus est Philosophus rustico, quia minus certa est demonstratio, quàm fides: ergo qui coniungit actum, & habitum fidei: magis certus est, quàm qui coniungit demonstrationem, & habitum fidei: patet consequentia, quia ex parte vnius formæ certitudo est æqualis: ex parte vero alterius maior est certitudo rustici: ergo vtraque reddet rusticum certiorem.

§. 28. Præterea fides, aut appingit aliquid demonstrationi, aut non? Si non, ergo demonstratio manet cum solâ certitudine naturali, quam haberet etiam absente fide: quia certitudo est intrinseca actui certo, qui dùm intrinsecè non mutatur, non est magis, aut minus certus; si autem aliquid appingit, erit sub ratione formali fidei: actus enim nihil accipit à fide, nisi operante sub ratione sua formali: nullus enim habitus exit in actum, nisi sub ratione formali ipsius habitus; sed obiectum formale fidei tunc non movet habitum, quia medium obscurum non habet vim cum claro: ergo tunc demonstratio nihil accipit à fide. Quòd si aliquid acciperet, ille actus esset demonstrativus, & fidei: actus enim fidei nihil dat efficienter, nisi suis actibus: coexistentia verò habitus cum actu nihil refert, quia etiam actus probabiles coexistunt interdum cum habitu fidei, à quo nullum accipiunt gradum certitudinis. Item eam coexistentiam habet actus fidei in rustico: ergo rusticus erit certior Philosopho.

§. 29. *2. Obiectio* Dices secundò: Philosophum esse certiorem rustico, quia præter demonstrationem, & habitum fidei habet etiam cognitionem fidei circa revelationem: item habet hunc actum: *ergo crederem propter revelationem, si non haberem demonstrationem.* *Refell.* Contrà: aut ille actus circa revelationem est absolutè circa Deum vt existentem, aut non est? si est, ergo actus

S. Thom. q. 1. Ar. 4. clarus, & obscurus sunt simul circa obiectum idem: quia vt terminatus ad revelationem, & eius obiectum est obscurus: si autem non est absolutè de Deo: ergo circa Deum certior est rusticus Philosopho: quia actus rustici circa Deum est certior actu Philosophi: de certitudine autem circa revelationem non est controversia, quià iam est de alio obiecto non demonstrato, circa quam tàm certus est rusticus, quàm Philosophus.

§. 29. De illo autem actu Philosophi: *ego crederem, &c.* Respondeo, eum esse actum voluntatis: quia est voluntas conditionata credendi, id est, est affectus simplex tendens in assensum, qui eum imperaret, si proposita esset conditio: at iste actus non facit certitudienm in intellectu: rusticus autem posset eum exercere sub multis conditionibus: quia posset dicere: *ego crederem cras mundum periturum, si id mihi Deus revelaret.* Item hic actus: *ego crederem*, potest esse intellectus, quo ego probabiliter credo me crediturum: sicut ego credo hominem se vindicaturum, si peteretur iniurijs: hi autem actus nihil faciunt ad rem: quia possunt esse falsi: & si sint veri, iam supponunt sua obiecta futura, & non sunt, nisi eorum speculationes.

SUBSECTIO V.

Mens Sancti Thomæ.

§. 30. SANCTVS Thomas non est facilis explicatu: quia in diversis locis diversa videtur loquutus: etenim articulo quarto, perspicuè negat, componi posse fidem cum actu non dependente ab assensu voluntatis: quamvis enim agit de fide, & visione, ratio tamen videtur esse communis: articulo autem 9. perspicuè negat fidem, & scientiam simul esse posse: quæstione verò 5. articulo primo, videtur admittere fidem cum scientia non

S.Thom. intuitiva, his verbis, *cùm ergo Angelus ante confirmationem, & homo ante peccatum non habuerit illam beatitudinem, qua Deus per essentiam videtur, manifestum est, quòd non habuit sic manifestam cognitionem, quòd excluderetur ratio fidei.*

§. 31. Ex quibus verbis evidenter concludo, Sanctum Thomam sensisse solâ intuitione Dei expelli rationem fidei: alioquin inanis esset eius argumentatio: quia ex sola acceptatione visionis Dei intulit Angelum potuisse habere fidem, quia cæteræ cognitiones non sunt tàm manifestæ, vt excludant rationem fidei: sed Angelus habuit evidentem cognitionem à posteriori de existentia Dei, vt constat ex re ipsa, & Sancto Thoma: ergo Sanctus Thomas solùm negavit compositionem fidei, & intuitionis, non vero scientiæ abstractivæ: in eodem sensu loquitur 1. 2. quæst. 67. articulo tertio: *fides autem* (inquit) *in sui ratione habet imperfectionem, quæ est ex parte subiecti, vt scilicet credens non videat id quod credit.* In hanc expositionem ait

Bañez. Bañez adductus disputatione vigesima quinta, §. decimo sexto, cui agendæ sunt gratiæ, quòd articulo quinto censuerit, hanc nostram opinionem non esse hæreticam, quam tradit maior Theologorum pars, & ratio confirmat non leviter.

§. 32. Superest explicandus Beatus Thomas articulo nono; nec enim censendus est retractasse sententiam. Respondeo non negari à Sancto Thoma omnem compositionem fidei, & scientiæ; sed fidei, & scientiæ derivatæ ex obiecto viso, & credito. Possumus considerare Deum, & dubitare, vtrùm, qui eum vident, possint habere fidem de ipso? quod negat Sanctus Thomas. Possumus item quærere, vtrùm, qui vident Deum, & ex eo viso vident Angelum esse possibilem, dubitari inquam potest, vtrùm, hi possint habere fidem de Angelo? in hac quæstione videtur loquutus Sanctus Thomas, & negasse eam compositionem: ait enim huiusmodi scientiam pendere ab obiecto prius viso: videtur igitur sentire nō posse haberi fidem de Deo, & eius effectibus ab eo, qui videt Deū ipsum. Quòd verò ratio S. Thomæ reddita articulo quarto, se extendat ad omnem scientiam, probat quidē, hæc testimonia S. Thomæ esse difficilia cōciliatu: respondeo tamē ibi sermonem esse de determinatione voluntatis magis efficaci, & cognita, qualis est in scientia intuitiva, immediata enim species obiecti robustior est ad trahendum intellectum: hæc si non placent, adducantur meliora, quæ lubentius admittam, quàm retractationem Sancti Thomæ, qui fortè est loquutus de fide, & scientia de eodem obiecto formali: vt dicam §. 34. & 36.

***

SE-

SECTIO II.

Vtrùm fides & cognitio evidens possint esse simul circa idem obiectum formale?

§. 33. QVÆSTIO est, vtrùm qui intuitivè videt revelationem Dei, possit simul credere eius existentiam? recognosce §. tertiū, vbi ostendi posse vnam revelationem cognosci, vt obiectum materiale, propter reflexam aliam revelationem prius cognitam: potest item revelatio aliqua immediatè cognosci per fidem.

§. 34. 1. Conclus. Dico primò, non repugnat revelationem aliquam cognosci intuitivè per scientiam infusam, aut beatam, & cognosci per fidem, vt obiectum materiale. Hæc doctrina parùm differt à conclusione in §. quarto. P. Vazq. Pater Vazquez ab ea discedit, quia censet intuitionem esse impedimentum ad exercendam fidem circa idem obiectum: S. Thom. quod sentit apertè Sanctus Thomas adductus paulò antè: quos tamen intelligo circa idem obiectum immediatè cognitū per vtrumque habitum, vt ostendam conclusione secunda. Hæc autem probatur, quia, qui videt revelationem, potest credere duo obiecta, quæ non videt, ex quorum assensu necessariò sequitur assensus fidei circa revelationem, quam videt: ergo potest illam simul credere, & videre. Antecedens patet: quia, qui videt revelationem Isaiæ, non propterea videt revelationem alius Prophetæ terminatam ad ipsam revelationem Isaiæ: & ita potest ab Ecclesia proponi ea revelatio alius Prophetæ, vt qui eam non videt, teneatur eam credere simul cum authoritate divinā: at ex authoritate divina, & eius revelatione sequitur necessariò assensus circa revelationem Isaiæ: ergo, qui videt revelationem Isaiæ, potest credere duo principia, ex quibus necessariò credatur revelatio, quam videt. Quod argumentum recognosce à §. 5. potes enim illo vti, vt ibidem proponitur.

§. 35. Secundò probatur eadem conclusio, quia, qui videt Petrum existere, potest per principia evidentia à posteriori, vel à priori cognoscere eius existentiam per demonstrationem: ergo etiàm potest eam existentiam fide cognoscere per authoritatem, & revelationem Dei: probo consequentiam, quia sicut potest habere alia principia evidentia, ita potest habere obscura fidei principia: & quemadmodum ex præmissis evidentibus sequitur necessariò conclusio, ita sequitur ex præmissis fidei: quia assensus conclusionis in omni syllogismo legitimo est æquè necessarius ex suppositione præmissarum: quia admissa identitate duorum extremorumcū medio creato, determinamur ad identitatem extremorum inter se, quæ est conclusio, propter commune principium metaphysicum, *quæ sunt eadem vniertio, sunt idem inter se*: item, *dici de omni, & dici de nullo*. Sæpius autem ostendi discrimen syllogismi evidentis, & obscuri, non esse in conclusione formaliter, & immediatè, sed in præmissis, quia possumus dissentiri præmissis syllogismi obscuri, non tamen evidentis: at verò posito assensu in evidentium præmissarum, eamdem habent vim ad conclusionem præmissę obscurę quam evidentes: colligitur ergò qui videt Petrum, posse habere præmissas fidei, & ex illis conclusionem deducere.

§. 36. 2. Conclus. Dico secundò: qui evidenter cognoscit revelationem, non potest ex natura rei moveri ad eam credendam fide, tamquam obiectum immediatum: quod intelligo de quacumque cognitione evidenti simpliciter, sive immediatā, sive mediatā: nullum enim discrimen agnosco hac in parte inter intuitionem & scientiam. Hæc conclusio satis est communis. Prob. Probatur, quia experimur nos non moveri ad credendum, quod videmus, nisi per aliquod medium non visum, habens infallibilē connexionē cum re credenda; sed revelationem visam non cognoscimus per aliquod medium non visum connexum necessariò cum illa: ergo non possumus credere revelationem, quam videmus. Minor patet, quia ad credendam revelationem immediatam manuducimur authoritate humana Ecclesiæ, & aliis argumentis, quæ non habent necessariam connexionem physicam cum revelatione.

§. 37. Quod explico in opinione, & fide humana: cùm enim cognoscitur medium probabile, vt probabile, non habet vim ad movendum: non quod supposito assensu præmissarum non possit movere; sed quia præmissas ipsas despicimus, & impetu naturali movemur ad hunc actum: *Iam ego id scio*: cùm enim præmissas audimus contingentes, retardatur voluntas ab assensu: quapropter rectè dixit Sanctus Augustinus, fidem esse, dum non cognoscitur evidenter obiectum: quod intelligo de fide, vt terminatur immediatè ad revelationem: syllogismus autem proba-

Ar.4. probabilis dicitur à logicis esse initium, & gradum ad demonstrationem: quâ comparatâ functus est suo munere, & evanescit probabilis syllogismus, cognitus vt probabilis. Res est clarior in fide humana, quæ innititur authoritate humana nullam habente necessariam connexionem cum obiecto; quæ propterea despicitur, quando de obiecto constat claré. En autem discrimen inter assensum immediatũ de revelatione, & mediatum de obiecto revelato: quod assensus mediatus pendet à duobus principijs non oppositis scientiæ, & necessario, infallibiliterque connexis cum obiecto revelato: hæc principia sunt authoritas, & revelatio Dei, quæ tenemur credere, etiamsi habeamus immediatam cognitionem de obiecto revelato: illis autem creditis, sequitur necessariò assensus fidei circa revelatum obiectum: at verò revelatio ipsa non potest cognosci nisi dependenter ab applicatione moraliter certa, physicè autem contingenti ad verum, & falsum.

§. 38. *Obiectio.* Obijcies, posse relinqui species immediatas de revelatione, & excitari actum immediatè illam repræsentantem: ergo hic poterit componi cum evidenti cognitione. *Respond.* Respondeo, vix concipi actum immediatè terminatũ obscurè ad obiectum, quin manuducatur aliqua applicatione. vnde negatur antecedens: consequentia autem est mala, quia illi actus non habent maiorem vim, quàm alij priores, ex quibus relicti fuerunt: illi autem sunt ex natura sua incõpossibiles cum cognitione evidenti; ergo & hi posteriores.

§. 39. *3.Conclus.* Dico tertiò: in patria non potest exerceri aliquis actus fidei ex natura rei: quia omnis revelatio Dei cognoscitur evidenter: revelatrix autem voluntas cognoscitur intuitivè: ergo non potest fides exerceri. Antecedens patet, quia beati vel per scientiam infusam, vel per beatam cognoscunt omne ens supernaturale, & loquutionem Dei, ænigmata enim solvuntur in illo felicissimo actu: consequentia patet, quia revelatio, vt cognosceretur fide, esset cognoscenda immediatè vt obiectum formale, applicanda per motiva physicè contingentia, quæ non valent ad extorquendum assensum, præsente cognitione evidenti: scientia autem de Deo à posteriori potest esse in patria ex natura rei, quia videntur principia necessario cõnexa cum ipso Deo: quibus cognitis, Deus non potest non cognosci.

Dico quartò: rectè posset Deus efficere, vt beati vterentur fide circa obiecta, quæ non vident: ita Lorca, & alij ex negantibus componi posse fidem & scientiam: probatur, quia potest Deus celare beatis revelationem suam, illamque proponere per motiva facientia evidentem credibilitatem: sed tunc rectè vterentur fide; quia eius obiectum est sufficienter applicatum, & aliundè latet beatos: ergo possunt vti fide: visio enim beata, & scientia infusa non impediunt fidem circa obiecto per ipsas non cognita: quia circa hæc per accidens sunt illæ scientiæ: videri autem claré veracitatem Dei, non est contra fidem: philosophi enim catholici evidenter cognoscunt eamdem veritatem; & possunt in patria excitari species illæ evidentes, quæ cum specie de revelatione possunt efficere actum fidei.

§. 41. *5.Conclus.* Dico quintò: de potentia absoluta possunt componi intuitio, & fides immediata circa revelationem. Probationi præmitto, hos actus non esse oppositos propter effectus formales mutuò pugnantes; sed pærcisè, quia principia vnius retardant voluntatem, ne liberè, aut necessariò possit moveri ad imperandum assensum circa media cognita, vt contingentia. Sed Deus independenter à voluntate nostra, potest movere intellectum, vt assentiatur: ergo: probo minorem, quia circa obiectum alicuius habitus potest Deus determinare intellectum non secus, ac voluntas propria.

§. 42. Rogas: siquis sibi persuadeat propositionem humanam Ecclesiæ esse physicè infallibilem, an possit coniungere fidem immediatam circa revelationem cum immediata visione illius? Respondeo eventum esse impossibilem ex natura rei, quia qui videt revelationem, habet scientiam infusam supernaturalem: intellectus autẽ sic illustratus non potest tàm miserè deludi. Admisso vero casu, respondeo eos actus posse componi; quemadmodum componi possunt scientia, & opinio per medium probabile, cum apparet evidens.

DISPVT. XXXI.

Utrùm fides cum habitu evidenti possit concurrere ad actum eumdem?

SET-

SECTIO I.

Explicata quaestio.

§. 1. MEDIVM fidei potest disponi cum alio medio physico, aut metaphysico; ita vt ex vtroq; simul disponatur syllogismus, ad inferendū aliquem actum circa obiectum, quod non posset cognosci per solum obiectum fidei, nec per solum obiectum metaphysicæ. Non agimus de eo genere concurrendi: ostendi enim disputatione 12. à §. 4. hunc actum non esse fidei, sed Theologiæ.

§. 2. Item medium fidei, & metaphysicæ disponi possūt tàm sufficienter circa idem obiectum materiale, vt obiectum illud cognosci possit solis principijs metaphysicis independenter à fide: item cognosci possit per sola principia fidei independenter à metaphysica: exempli gratia: Astrologus per principia astronomica sufficienter disposita cognoscit terram esse rotūdam: item Deus revelat terræ rotunditatem: hic per sola principia fidei potest terræ rotunditatem cognoscere, quam posset etiam cognoscere per astronomiam, quamvis Deus de eâ nihil revelasset.

§. 3. Hinc oritur quæstio. An hæc conclusio obiectiva, *terra est rotunda*, posit cognosci vno actu elicito simul ab habitu fidei, & principijs astronomicis? qui actus dicat essentialem dependentiam ab vtrisque principijs: ita vt hic actus in specie, non posit oriri à sola fide, neque ab astronomia solâ; sed ab vtroque simul: quòd si sola fides absque astronomia concurreret ad cognoscendam eam conclusionem, esset quidem per actum specie distinctum ab eo, quem producit cum astronomia: è contra vero astronomia, si non esset tunc fides, determinaret intellectum ad alium assensum specie distinctum.

SECTIO. II.

Pars affirmans.

§. 4. POSSE ex vtroque habitu conflari vnum principium adequatum efficiens vnum numero actum; cuius obiectum adæquatum sit medium physicum & metaphysicum, testantur Pater Molina prima parte, quæstione prima, articulo primo, disputatione prima, à versu, *dicendum itaque est*. Pater Valentia, tomo 3. disputat. 1. quæst. 1. puncto 4. §. 2. versu, *ac potest*: & alij, quos refert, & impugnat Pater Luisius disputatione 12. dubio primo; quales sunt Durandus, Capreolus, & Sotus: Aragonius autem in articulo quinto, ait rem esse certam: Zumel prima parte, quæstione secunda, articulo secundo, quæstione prima, conclusio. tertia, idem affirmat, eius autem sensus hac in parte ita fluctuat, vt vix emergat: itaque ex his qui negant componi posse simul actum fidei, & scientiæ, adstipulantur non pauci huic sententiæ.

Molina
P. Valent.
P. Luisius
Durand.
Capreol.
Sot.
Arag.
Zumel.

§. 5. Quæ probatur primò à simili, quia medium fidei, & metaphysicæ concurrunt ad actum Theologiæ: ergo poterunt concurrere ad actum evidentem. Probo consequentiā, quia ex duobus medijs inadæquatis ad inferendam conclusionem Theologicam, potuit conflari vna caussa adæquata actus Theologici: ergo ex duobus medijs adæquatis poterit conflari alia caussa totalis illius actus. Probo consequentiam, quia sicut actus conclusionis Theologicæ habet pro principio inadæquato medium fidei, item & medium metaphysicum; vtrumque autem medium habet pro principio adæquato; ita actus, de quo disputamus, pendet ab vtroque medio adæquatè, inadæquatè autem ab alterutro.

§. 6. Obiectio. Dices, actum Theologicum pendere à medio fidei, tamquam ab obiecto formali partiali conclusionis obiectivæ; item pendere à medio metaphysico partialiter: at vero actus, de quo disputatur, pendet ab vtroque medio, vt ab obiecto formali adæquato conclusionis obiectivæ: at duæ caussæ adæquatæ non possunt influere in effectum. Rem explico: hæc conclusio: *Christus est risibilis*, pendet inadæquatè ab hoc principio fidei: *Deus revelat Christum esse hominem*; & ab hoc principio metaphysico: *Omnis homo est risibilis*, ex quibus, vt ex obiecto formali adæquato, infertur: *Ergo Christus est risibilis*. At verò in casu nostræ quæstionis aliter contingit: quia hæc conclusio obiectiva cognoscitur adæquatè ex hoc principio fidei: *Deus revelat, terram esse rotundam: ergo est rotunda*: quæ conclusio, vt inferatur, non eget astronomico principio: idem dixerim de principio astronomico, quod non indiget principijs fidei: ergo non arguitur bene à conclusione Theologica ad casum quæstionis: probo consequentiam: quia arguitur à congressu duarum caussarum partialium ad duas totales.

Contra: quamvis hæc conclusio: *Terra est rotunda*: posit cogn

S. Thom. q. 1. Ar. 4. actum fidei independentem ab astronomia; tamen per hunc actum, de quo disputo, non potest cognosci per medium fidei, nisi vt per principium inadæquatum: quia hic actus in specie non potest oriri à sola fide, nisi partialiter: ergo non sumitur argumentum à caussis partialibus ad totales; sed à partialibus ad partiales. Quod ergo aiunt, non posse concurrere simul duas causas adæquatas, distinguo: non possunt concurrere duæ causæ adæquatę tàm circa obiectum, quàm circa actū, concedo: quia iam darentur duæ caussæ efficientes totales; non posunt concurrere duæ caussæ totales circa obiectum idem, partiales tamen circa actum, nego: quia illa totalitas causarum non est in ordine ad hunc actum; sed ad alios, de quibus non disputamus.

§. 8. Nostrum autem casum sæpè contingere patet: quia obiectum, quod est sufficiens ad terminandum vnum actum, potest coniungi cum alio obiecto sufficienti ad alium actum; ex hac autem obiectorum coniunctione oritur tertius actus distinctus specie ab illis duobus, qui posent oriri ab illis duobus obiectis non coniunctis. Verbi gratia, si quis affirmet: *Petrus currit*; & alius affirmet: *Petrus loquitur*, hi duo actus specie distinguuntur: & tamen potest esse tertius actus, quo quis affirmet: *Petrus currit, & loquitur*: en duo obiecta adæquata respectu duorum actuum, fiunt inadæquata respectu tertij: idem contingit in voluntate; sæpè enim ex duabus intentionibus specie distinctis oritur vna electio specie distincta à duabus, quæ posent oriri à singulis intentionibus divisim. Ratio à priori: quia caussalitas obiectiva non est absolutè, & physicè causalitas; sed metaphoricè, & secundum quid; caussalitas autem specierum impressarum & habituum infusorum in actus est absolutè & physicè causalitas: vndè non datur vnus actus pendens ab habitibus, & speciebus, vt à duabus causis totalibus; sed vt ab vna totali, & duabus partialibus: obiectum autē formale dicitur totale, non comparatione huius actus; sed aliorum, qui possunt fieri ab obiecto fidei solo, vel ab obiecto astronomico.

§. 9. 2. Argum. Secundò argumentor, quia causæ physicæ ita posunt coniugari, vt quæ est sufficiens ad vnum effectum, posit cum alia ad alium effectum sufficiente coniungi, & ex vtraque resultat tertius effectus: ergo idem contingeret in habitibus. [illegible] antecedens: quia ex congresu terræ cum Sole resultat diversus [illegible] congressu solius terræ & Solis, vel solius aquæ & Solis: terra enim, & Sol causa adæquata sunt multorum effectuum; ita Sol & aqua: si autem terra, & aqua coagmententur, producunt cū Sole effectus longè diversos. Ratio est, quia vna virtus activa non hebescit; sed acuitur aliarum congressu: effectus autem, qui non potest oriri ex vna caussarum serie, oritur ex alia.

SECTIO III.

Respondetur argumentis.

PATER Luisius disputatione 12. dubio primo oppositam sententiam tuetur; pro qua adducit Sanctum Thomam 1. 2. quæstione 67. artic. 3. qui tamen illi non favet: quia Sanctus Thomas tantùm loquitur de repugnantia fidei cum intuitione Dei: de qua nunc non disputo, quia iam ostendi, non posse in eo statu cognosci obscurè revelationē Dei; adducit prætereà Gregorium in Prologo, quæstione secunda, articulo secundo: qui tamen articulo primo, vbi eam quæstionem tractat, non agit nisi de congressu habitus scientifici & opinativi. Adducit etiam Henricum quodlib. 2. quæst. 15. art. 3. sine dubio per Amanuensis errorem; ibi enim hac de re non agit Henricus: qui quodlib. 8. quæst. 14. componit fidem cum scientia abstractiva, non tamen cum intuitiva: at, verò de hac quæstione, nec verbum ibi. §. 10. P. Luisius S. Thom.

§. 11. 1. Arg. Argumentatur primò contra componentes fidem & scientiam: quia cùm quilibet habitus sit principium sufficiens ad suos actus, non habetur aptum argumentum ad asserendum vnum actum oriri ab vtroque habitu: quia sola simultas non est sufficiens argumentū. Respondeo, argumenta iam esse reddita sectione secunda: simultas autem sufficit, vt caussa prima partiatur influxum pro suo arbitratu, vel ad duos actus, vel ad vnum. Quando fides præcessit cum suo actu, si postea accedat demonstratio, generat alium actum, & componuntur fides, & scientia; si autem simul applicentur duo obiecta, vel vtriusque species applicentur simul, tunc fit vnus actus ab vtroque habitu. Ratio est, quia adveniente demonstratione, non est cur pereat prior actus fidei: quandò verò nullus præcessit actus, non est cur multiplicentur effectus; sed oriatur vnus actus evidens, & supernaturalis, qui fiat partim viribus naturæ; partim, atq; præcipuè ex supernaturali gratia per Christum; sitque Resp.

sitque principium dirigendi voluntatem ad actus supernaturales.

§. 12. 2. Argu. Secundum argumentum: quia principia fidei sufficiunt ad efficiendos assensus speciæ distinctos ab his, quos potest efficere evidens habitus; sed huiusmodi principia nō possunt cōcurrere ad vnū actū: ergo. Probo minorem, quia si concurrerent ad vnum actum, posset dari vnus habitus, qui haberet pro obiecto adæquato obiectū illius actus: sed hoc est absurdum: ergo. Maior patet, quia ad vnum actum sufficit vnus habitus: id enim non repugnat ex obiecto, quia habitus latius porrigitur, quàm actus. Minor autem constat: quia essent plures virtutes Theologicæ, quàm tres: hic enim tertius habitus haberet idem obiectum, quod fides; nec tamen esset fides; quia hæc nullum habet actum evidentem ex obiecto: vt eum haberet tertius ille habitus. Secundò probatur absurdum, quia in voluntate possent esse habitus infiniti, quia obiecta formalia virtutū posśūt infinitis modis disponi: obiectum enim charitatis potest disponi iam cū obiecto spei, iam cum obiecto misericordiæ, & spei in infinitum.

§. 13. Solutio. Negò minorem. Ad probationem respondeo, in intellectu non posse vnū habitum concurrere ad illum actum: qui essentialiter pendet à fide infusâ & speciebus impressis evidentibus: in intellectu autem non dantur habitus præter infusos, & species impressas. Ad probationem respondeo, ad vnum actum sufficere vnum habitum, quando habitus operatur solis suis viribus; secùs quando cum alienis: sunt enim duo genera effectuū; alterū quādo effectus oritur ab vno principio adæquatè; alterum quando inadæquatè, vt ostendi exemplo terræ, aquæ, & solis: sic ad hoc genus actuū non sufficit vnus habitus: quod probo exēplo Theologiæ, quæ infert suum actum ex duobus obiectis formalibus duorum habituum: quæ obiecta, cùm adæquata sint ad aliud genus actuum, sunt inadæquata ad hoc: idem dixerim de habitibus: habitus autem ampliores habēt obiecti terminos, quàm actus, si cum proportione accipiantur: nempe habitus, qui est principium actuum, amplectitur latius obiectum, quàm actus: habitus autem in hoc casu non est vnus; sed plures, qui amplius habent obiectum, quàm actus; at verò singuli partiales habitus non habent tàm latum obiectum, quàm actus: quia hic amplectitur obiectum habitus vtriusque; alter autem habitus non attingit obiectum alterius.

§. 14. Quia verò in voluntate admitto habitus acquisitos, respondēdū aliter, atque dicēdū absolutè, posse ita multiplicari habitus acquisitos: nā quilibet actus liber generat habitum inclinantem ad actum similem. Ad probationem primam respondeo, virtutes Theologicas non esse nisi tres, quia non sunt nisi tres habitus per se infusi tendentes in Deum, vt obiectum formale: de quibus habitibus Theologi loquūtur, quin meminerint habituum acquisitorum: doctrina enim de his habitibus est valdè incerta: negantur enim à multis: ac propterea nihil de illis potest certò affirmari. Quod confirmo, quia non admittūtur duæ fides Theologicæ, nec duæ charitates, nec spes duæ: cùm tamen præcipui Theologi admittant fidem acquisitam naturalem, & habitus naturales respondentes per se infusis circa obiectum idem. Est igitur virtus Theologica habitus per se infusus circa Deum, vt obiectum formale, vt ostendam disp. 101. §. 17. Posset item responderi negando eiusmodi habitus generari, qui habeant totum obiectum; etenim actus generat duos habitus: alterum temperantiæ, v.g. alterum misericordiæ: quia cùm exerceretur voluntas circa quodlibet obiectum, experiretur facilitatem circa obiectū formale illius virtutis, quamvis non proponeretur obiectum alius: idque postulat natura voluntatis, vt facilitatem experiatur circa omnia obiecta, quibus fuit assueta: hac autem doctrinâ abstineo, quia de habitibus multa supponit, à me non probāda. Vnum adverto, habitus infusos nō multiplicari ob hāc diversitatē actuū: quia illi habitus physicè nec generātur, nec augētur actibus; verū autē divinitùs vna qualitas infusa plura obiecta possit amplecti? non est huius loci. Si verò agitur de dispositione morali actuū ad habitus, respondetur, actu fidei, & scientiæ disponi ad augmētum fidei, & habituū infusorū, quia est supernaturalis, & oritur ex libero assensu in revelatione.

§. 15. 2. Argu. Secundum argumentum eiusdem Patris Luisij: quia nullus actus potest esse in duplici specie: sed huiusmodi actus esset in duplici specie: ergo. Minor patet, quia esset in specie fidei, & scientiæ. Maior patet, species generis ita illud dividunt, vt quælibet habeat negationem aliarum; vt patet in albedine, & nigredine. Hoc argumentum sæpiùs refelli: est enim consideranda species infima cuiusque rei, & ratio communis, in qua ea species infima convenit cum alijs: nulla enim potest esse in duplici specie infimā substantiali ipsi rei, neque physicè, neque moraliter, propter argumentum factum: ita non potest conflari vna species coloris, quæ sit albedo, & nigredo: quia hi sunt conceptus infimi.

§. 16. At verò potest reperiri tertia quidem speci-

S. Thom. q. 1. art. 4. speoies, quæ conveniat in aliquo conceptu communi illarum specierum. V. g. iudiciū de solo cursu Petri, differt specie à iudicio de sola doctrina Petri; neque potest reperiri actus, qui sit simul in vtraque specie, vt ex terminis constat: at verò iudicium de solo cursu Petri, convenit cum alijs in ratione repræsentandi cursum Petri: si autem detur tertius actus, qui simul repræsentet cursum, & doctrinam Petri, conveniet cum prioribus in repræsentando cursu, & doctrinâ; differtque ab vtroque, quòd alij habent carentiam repræsentandi aliud obiectum præter cursum, aut doctrinam; tertius autem actus non habet eam carentiam: quia cum cursu doctrinam etiam repræsentat. Ita actus fidei potest considerari, vt infertur ex solo vno medio, & vt infertur ex duobus: hi actus non sunt formaliter in vna specie infima; sed in duabus: scientia igitur, quæ infertur ex vno solo medio, & fides, quæ infertur ex alio medio, ita differunt specie, vt repugnet tertium actum esse in vtraque simul: at verò illi duo actus fidei, & scientiæ in hoc, quod est inferri ex medio fidei, aut ex medio scientiæ conveniunt cum alio actu illato ex vtroque medio: itaque sunt tres species: prima solius scientiæ; secunda solius fidei; tertia scientiæ simul, & fidei: quia infertur ex vtriusque medio: in voluntate eadem ratio reperitur, quia potest vnus actus esse formaliter furti, & formaliter incontinentiæ: quæ tertia species differt physicè, & moraliter à solo furto, & à sola incontinentia; moraliter autem æquivalet vtrique. Ille actus est supernaturalis, cū certitudine supernaturali in modo; ex parte autem obiecti est certitudo partim naturalis, partim supernaturalis. Quibus responsum est argumentis etiam P. Suarez, disputat. 3. sect. 9. à num. 4. qui prodijt post hæc iam scripta: ex duabus speciebus concurrentibus ad generationem oritur filius nobilior alterâ; non vtrâque: ita hic actus est nobilior specie naturali; ignobilior fide.

§. 17. 3. Argu. Tertium argumentum, quia fides non potest concurrere ad aliquem actum, nisi sub ratione formali sua; sed medium scientiæ non est ratio formalis fidei: ergo fides non concurrit sub ratione formali scientiæ.

Resp. Respondeo, aliud esse fidem non posse concurrere ad actum, nisi sub ratione sua formali; aliud non posse concurrere, nisi sub sola sua ratione formali. Primum est verum, quia fides non concurrit per modum habitus, nisi ad actus credendi: hi actus habent pro obiecto formali authoritatem, & revelationem Dei, adeò vt divinitùs repugnet actus credendi Deo, nisi per hoc obiectum formale; ac propterea habitus fidei non potest concurrere, nisi sub authoritate, & revelatione Dei. Secundum autem est falsum, quia authoritati, & revelationi Dei adiungitur aliud medium cognitum alio habitu: hi duo habitus inferunt vnam cōclusionem sub vtriusque ratione formali, quæ conclusio materialiter quidem oritur ab vtroque habitu; formaliter autem vt pendet à medio scientifico, oritur à scientia; vt autem formaliter oritur ex authoritate, & revelatione, oritur à fide.

Ad argumentum distinguo maiorem fides non potest concurrere, nisi sub ratione formali sua, vel sola, vel cōiuncta cum alijs, concedo maiorem; non potest concurrere, nisi sub solâ suâ ratione formali, nego maiorem: concedo item minorem, & distinguo consequens: non potest fides concurrere per solum medium scientificum, concedo consequentiam; non potest cum medio scientifico coniuncto authoritati, & revelationi Dei, nego consequentiam. §. 18.

Quartum argumentum: quia si ex duobus medijs circa idem obiectum potest oriri vnus actus, poterit etiam oriri ex medio fidei, & opinionis; consequens est falsum: ergo. Maior patet, quia, vt potest coniungi medium fidei cum medio scientifico, ita potest cum medio opinativo: non enim repugnat assentiri simul per diversos actus medio fidei, & opinionis; quia ea obiecta nullam in se habent oppositionem: ex hac autem existentia mediorum colligimus vtriusque influxum in eumdem actum. Minor patet, quia actus opinativus est expositus falsitati: quia medium probabile indifferens est ad actum verum, & falsum. §. 19. 4. Argu.

Aliqui, concessa maiori, negant minorem: ad probationem respondent, medium posse dupliciter considerari. Primò ex parte obiecti secundum se considerati: sic autem est indifferens ad actus conclusionis veros, & falsos; quia est indifferens ad assensum, & dissensum sui ipsius: dixi enim de ratione medij probabilis esse, vt illi possimus assentiri, & dissentiri: si assentimur inferimus diversam conclusionem, ac cùm dissentimur: quia per assensum inferimus conclusionem affirmativam: per dissensum verò negativam. Secundò potest considerari medium probabile ex parte assensus; quia nimirum iam illi præstitimus assensum: sic enim iam sumus determinati ad assensus veros, qui non sunt indifferentes, neque ad falsitatem in se, neque in conclusione ex illis inferenda. Quando igitur coniungitur medium fidei medio opinativo cum assensibus adsonantibus medio, & assensibus fidei, tunc non est periculum inferendi conclusio- §. 20.

clusio

clusionem falsam: quia fides non infert assensum ex medio probabili secundùm se; sed ex medio probabili, vt cognito iam per præmissas veras: sit autem ille actus non est indifferens ad falsitatem.

§. 21. Contrà: ille actus esset incertus: ergo non potest oriri à fide. Probo antecedens: quia ille actus esset probabilis; sed omnis actus probabilis est incertus: ergo ille actus esset incertus. Minor constat ex disputatione 25. vbi ostendi hoc differre actum certum à probabili: quòd certus oritur à principijs determinatis ad actum verum; probabilis autem oritur à principijs indifferentibus ad verum, & falsum. Maior patet, quia ille actus oritur à medio probabili, & contingenti ad actum verum & falsum.

§. 22. *Confirm.* Confirmatur: ille actus convenit cum actu fidei solius in certitudine, & supernaturalitate; item convenit cum actu solius opinionis inquantum est sola opinio; sed cum illo actu non convenit in quantum est opinio, nisi in sola incertitudine: ergo ille actus esset incertus. Maior est clara, tùm exemplo scientiæ, & fidei, quæ, quando concurrunt ad vnam conclusionem, inferunt actum convenientem cum sola fide, in quantum fides est, & cum scientia, vt scientia est, & ea conclusio est formaliter fides, & scientia; tùm etiàm à priori, quia ille actus oritur à medio opinionis, vt opinio est, convenit ergò in aliquo cum actu opinionis, inquantum opinio est. Minor probatur, quia opinio, vt opinio differt à cæteris actibus in sola incertitudine cum probabilitate; per probabilitatem differt ab actibus improbabilibus; per obscuritatem differt à scientia, & convenit cum fide divina: certitudinem autem non habet opinio: ergo opinio, vt opinio habet incertitudinē, quæ est probabilitas: ergo actus ille esset incertus.

§. 23. *Resp.* Responderi potest negando, actum illum fore incertum. Ad probationem antecedentis in §. 21. nego maiorem; ille enim actus non esset probabilis: ad probationem maioris, distinguo antecedens, ille actus oritur à solo medio probabili, nego antecedens: oritur à medio probabili simul cum medio certo, concedo antecedens; nego autem actum propterea esse probabilem: quia contingentia medij probabilis impeditur, medio certo: quia coniunctio cum medio certo efficit, ne actus oriatur à medio probabili secundū se, sed vt iam terminat assensum verum præmissarum. *Ad confir.* Ad confirmationem distinguo maiorem: ille actus convenit cum actu solius opinionis, in ordine transcendentali ad medium probabile, concedo maiorem; convenit in modo illius ordinis, nego maiorem: quia non convenit in modo respiciendi illum terminum cum periculo falsitatis; quod est differre in modo, sive differre in differentiâ specifica relationis transcendentalis: hinc nego minorem, quia proprium est actus opinionis dicere ordinem ad medium probabile; in quo ordine reperitur communis ratio ordinis, & ratio particularis tendendi incertè in illud medium: actus ergò supernaturalis, de quo agimus, convenit cum sola opinione in conceptu communi dependendi à medio probabili; differt tamen in differentia tendendi incertè. Equidem hæc non possunt liquidò explicari ante disputationem sequentem; vide à §. 15. maximè 17. vbi ostendam propter hæc argumenta, eos actus esse certos, & non probabiles, ac propterea posse esse à fide.

DISPVT. XXXII.

Vtrùm idem actus possit simul esse evidens & obscurus; certus, & incertus?

SECTIO I.

Quæstionis explicatus.

OBIECTVM adæquatum alicuius actus potest esse conflatum ex pluribus, verbi gratia, vno actu ego affirmo Petrū currere, & esse doctum: nō est quæstio, verū hic actus simul possit esse clarus, & obscurus? pars enim affirmās videtur clara: quia cùm obiecta sint distincta, possunt vno actu diversimodè cognosci: quemadmodum potest repræsentare vnum obiectum, vt est; aliud autem aliter ac est. Ratio à priori, quia species vnius obiecti potest determinare intellectum ad assensum; species vero alius obiecti potest non determinare ad assensum: actus autem ortus ab vtraque claré percipit obiectum, ad quod determinatur; obscurè autem id, ad quod est indifferens. §. 1.

Secundò potest considerari obiectum secundum diversa prædicata convenientia eidem entitati, vel quia eadem refertur ad connotata diversa, vel quia concipitur diversis actibus: exempli gratia, hominis entitati conveniunt prædicata, animal, rationale, §. 2.

S.Thom. q. 1. art. 4. tionale, risibile: possumus concipere evidenter hoc individuum esse animal, & confusè esse rationale, aut risibile: quia cognoscimus aliquos effectus, qui non possunt oriri, nisi ab animali: cognito autem effectu evidenter, evidenter cognoscitur causa: at verò alios effectus videmus, qui probabiliter suadent illud individuum esse hominem; non tamen evidenter: tunc autem necessariò assentimur illud individuum esse animal; non tamen rationale: ergo ille conceptus repræsentat evidenter animalitatem; non tamen rationalitatem: ille autem conceptus est evidens repræsentatio sui obiecti: immò quando conceptu evidenti cognoscimus animalitatem præcisam à rationalitate, tunc non cognoscitur rationalitas obscurè, quia in ordine ad sensationem cognoscitur clarè rationalitas, sicut animalitas: in ordine autem ad discursum non cōcipitur, at propterea non concipitur obscurè; quia conceptus obscurus est, quo res concipitur cum indifferentia ad assensum, & dissensum ex parte principiorum: dicitur autem ille conceptus confusus respectu rationalitatis, quia eam non distinguit, neque concipit in particulari magis, quàm si non esset; hic autem conceptus evidens animalis est absolutè conceptus evidens hominis, quamvis inadæquatus.

§. 3. Tertiò considerari potest actus adæquatè circa idem obiectum tàm in recto, quàm in obliquo significatum: verbi gratia: hæc propositio: *Deus est*, cognoscitur fide, & metaphysicâ, quæ facultates in illa conclusione habent omninò obiectum idem. Est igitur quæstio, vtrùm actus, qui simul oritur à fide, & metaphysicâ circa eam propositionem, possit simul esse evidens, & obscurus?

SECTIO II.

Prima opinio.

§. 4. NONNULLI opinantes non posse componi duos actus fidei & scientiæ, opinantur posse ab vtroque habitu produci vnum actum: quia in hoc non componuntur obscuritas, & evidentia. Quia actus ortus à fide sola, habet obscuritatem à medio adæquato: hæc verò obscuritas tollitur in actu, de quo disputamus, per medium evidens metaphysicum: itaque imperfectio, quæ oriretur à sola fide, impeditur per concursum metaphysicæ: quemadmodum actus ortus à solâ metaphysicâ esset naturalis; concurrente autem fide cum metaphysicâ oritur actus supernaturalis. Præsto est ratio, quia causa adæquata huius actus, est in actu primo evidens, certa, & supernaturalis: media autem sunt etiam evidentia, certa, & supernaturalia: ergo inferent conclusionem supernaturalem, certam, & evidentem.

§. 5. Obiectio. Dices, conclusionem sequi partem debiliorem; nec enim sufficit ad evidentiam cōclusionis evidentia in vnâ parte medij; sed opus est, vt totum medium sit evidens; sed in casu quæstionis sola pars medij est evidens, & non totum: ergo conclusio non est evidens: probo minorem, quia medium fidei est obscurum, ex quo partialiter infertur hic actus. Respondeo, adagium illud, *conclusio sequitur debiliorem partem*, intelligi de præmisis, & medio vno adæquato; non verò de duobus adæquatis. Explico, infertur hæc conclusio, *Deus est*, ex sola authoritate, & revelatione Dei: authoritas est evidens, revelatio obscura; conclusio sequitur obscuritatem revelationis, & non evidentiam authoritatis: quia tota ratio cognoscēdi idemtitatem extremorum inter se pēdet ab identitate extremorum cum medio; quæ idemtitas absolutè est obscura propter obscuritatem alterius præmissæ. Quando verò ad vnam conclusionem concurrunt duo media adæquata, & alterum est evidēs, iam est sufficiens principium ad evidentiam conclusionis: quia idemtitas extremorum inter se cognoscitur ex idemtitate extremorum cum medio evidenti: est enim evidens duo esse idem inter se, quando est evidens ea esse idem vni tertio. Resp.

§. 6. 1. Arg. Primò argumentantur, quia idem actus nō potest simul esse verus, & falsus circa vnū, aut circa duo obiecta: ergo nec evidens, & obscurus. Hoc argumentum est leve: quia actus de duobus obiectis potest adsonare vni, & alteri absonare: quidquid sit, vtrùm actus sit vocandus absolutè verus, an verò absolutè falsus, an autem in parte verus, & in parte falsus. Circa idem obiectum non potest simul esse verus, & falsus, quia impossibile est *idem simul esse, & non esse*; hinc patet nullitas consequentiæ; quia veritas, & falsitas sumuntur ab eo quòd res est, vel non est; & quia non potest simul esse, & non esse, non potest vno actu simul repræsentari verè, & falsò: obscuritas autem & evidentia sumuntur ex principiorum determinatione, & indifferentia ad assensum, & dissensum; potest autem vnum principium esse indifferens, & aliud determinatum ad assensum, & dissensum, ac propterea poterit idem actus esse simul evidens, & obscurus, quia simul oritur ab vtroque illo medio.

Secun-

Secundum argumentum: quia non potest idē actus simul esse naturalis, & supernaturalis: ergo nec simul evidens, & obscurus. Consequentia difficillima probatu: quia naturalitas, & supernaturalitas in eodem actu opponuntur contradictoriè: quia naturalitas dicit rem non esse supra vires subiecti; sed posse ex solis naturæ viribus in illo esse: supernaturalitas autem dicit actum esse supra vires subiecti, & non posse in illo esse ex solis naturæ viribus: esse autem, & non esse rem eamdem supra vires eiusdem subiecti, opponuntur contradictoriè, quemadmodum posse, & nō posse oriri à solis naturæ viribus. At verò evidentia, & obscuritas non opponuntur contradictoriè: quia non repugnant duo media adæquata; alterum determinatum ad asſensum, & alterum indifferens.

§. 7. 2. Arg. Resp.

Tertium argumentum, quia claritas, & obscuritas opponuntur contradictoriè in eodem actu: ergo non possunt simul esse. Debet antecedens probari: ostendi enim disp. 25. obscuritatem esse actum positivū, sicut & evidentiam. Dices: etiam affirmationem esse idem cum actu affirmativo, similiter & apprehensio simplex est per suā essentiam simplex: & tamen non potest idem actus esse simul apprehensio simplex, & iudicium: ergo neque clarus, & obscurus poterit esse idem actus. Nego consequentiam: quia non potest idem actus affirmare, & non affirmare idem obiectum, simplex autem apprehensio est fundamentum negationis & affirmationis: certitudo verò, & obscuritas per idē medium fundant contradictionem mutuam: quia connotarent eadem principia esse, & non esse determinata ad assensum: at per duo media nullius contradictionis sunt fundamentum: quemadmodū enim vnus actus esse potest affirmatio vnius obiecti, & simplex apprehensio alius, non tamen respectu eiusdem; ita idem actus per duo media potest esse clarus, & obscurus, non tamen per vnum: quia: vt affirmatio & apprehensio connotant obiecta, ita certitudo & evidentia connotāt media. Sectione 3. ostendam vtrùm obscuritas & certitudo inferant contradictionem in eodem actu etiam per diversa media.

§. 8. 3. Arg. Resp.

Obiectio.

Resp.

SECTIO III.

Opposita sententia.

§. 9. NEGARI non potest, eum actum esse evidentem: quia principium adæquatum illius est determinatum ad assensum: ergo actus est evidens. Consequentia liquet ex disp. 25. antecedens patet, quia in principio adæquato illius actus est medium evidens, quod determinat ad assensum præmissarum, quin possit illis dissentire intellectus; qui autem assentitur præmissis, iam non potest conclusioni dissentire: coniunctio autem cum medio obscuro non tollit evidentem cognitionem præmissarum, & illationem evidentem.

Dices, totum illud medium esse indifferens ad illum actum: ergo actus non est evidens: patet consequentia, quia evidentia est determinatio antecedens ad actū. Distinguo antecedens: medium est indifferens ad actum in specie, concedo antecedens: est indifferens ad actum in genere assensus, nego antecedens; & consequentiam: ad cuius probationem respondeo; evidentiam esse determinationem antecedentem ad assensum, non verò ad hanc speciem assensus. Principium enim, cum quo non potest componi dissensus obiecti, est evidens; at verò oriri hunc assensum in specie, non est necesse, quia illud principium est indifferens, vt cum aliis coniungatur, pro quorum diversitate diversi oriātur assensus: quemadmodum demonstratio naturalis est evidens, quāvis præmissæ sint indifferentes ad hanc, & illam conclusionem formalem individuam: quid igitur coniunctio cum aliis causis non tollit principio evidenti repugnantiam, vt componatur cū dissensu, ideo non tollit evidentiam actus.

§. 10. Obiectio.

Solutio.

De obscuritate longè alia est difficultas. Vt autem vitetur quæstio de nomine, præmittamus convenientiam, & discrimen huius actus ab actu penitùs obscuro; & evidenti adæquatè. Negari non potest, hunc actum oriri à principio adæquato determinato ad assensum: item à principio partiali indifferenti ad assensum, & dissensum: potest cōsiderari principium partiale comparatione conclusionis formalis, quæ est actus intellectus repræsentans hoc obiectum: *Deus est*: comparatione huius actus medium fidei est partiale: item & medium metaphysicum: quia iste actus dicit essentialem ordinem ad præmissas circa illa obiecta; quomodo modum calefactio orta à duobus ignibus, dicit essentialem ordinem ad vtrumque. Item potest considerari medium fidei, aut metaphysicum, non comparatione conclusionis formalis, sed obiectivæ: *Deus est*: respectu cuius vtrumque quodque ex illis obiectis est adæquatum: quia quamvis per hunc actum in specie non possimus assentire, nisi per vtrumque medium, tamen vtrumvis medium habet sufficientem virtutem ad inferendum se solo circa idem obiectum aliud assensum in specie; sic propter circā quodlibet medium

§. 11.

S.Thom. q.1.art.4. medium est adæquatum, quia ad inferendum assensum, neutrum indiget altero: quemadmodum calor ortus à duobus ignibus, oritur à duabus caussis adæquatis in actu primo: quia quamvis per hanc actionem non posset oriri, nisi ab vtroque igne; hic tamen calor per aliam actionem potuit oriri ab alterutro.

§. 12. Obiectio. Hinc patet actum hunc oriri circa hoc obiectum à medio adæquato ipsius obiecti, indifferenti ad assensum, & dissensum: in quo convenit cum actu obscuro. Dices medium obscurum respectu evidentiæ huius actus se habere præcisivè, & non negativè: quia quamvis non influit claritatem formaliter; tamen non infert obscuritatem. Quẽadmodum species impressa naturalis obscura (si influit in actum fidei infusæ), non dat certitudinem actui supernaturali; non tamen dat incertitudinem: quod commune est cuivis caussæ partiali, quæ se habet præcisivè respectu formalitatis, quam effectui non communicat formaliter. Resp. Respondeo pro hac sententia, discrimen esse clarum inter caussas partiales, & totales: partiales enim ita attingunt effectum, vt idem non possint, nisi cum alijs, quarum consortio indigent, vt ex omnibus conflętur adæquatum principum omnium formalitatum effectus: totales autem caussæ per accidens iunguntur alijs, quia sine illis suos tangunt effectus. Cùm igitur medium fidei se solo per alium actum possit attingere conclusionem illam, non influit præcisivè obscuritatem; sed positivè: quia influere positivè obscuritatem nihil est, nisi influere, vt medium adæquatum conclusionis obiectivæ, indifferens ad assensum, & dissensum. In quo differt hoc medium à caussis partialibus tàm obiectivis, quàm efficientibus.

§. 13. Neque item negari potest, actum illum non habere in sua entitate imperfectionem illam, quæ est in actu penitus obscuro: etenim ex adæquato medio obscuro derivatur in actum quædam imperfectio, qua repræsentatur obiectum tàm imperfectè, vt vix formetur proprius de illo conceptus: quod explicari potest ex visu claro, & obscuro: claro enim formamus proprium & perfectũ cõceptum albedinis v.g. ita vt illam negare non possimus: hæc perfectio non reperitur in obscuro visu: qui tàm communiter repræsentat albedinem, & imperfectè; vt illam confundamus cum alijs coloribus. Principia igitur dicuntur evidẽtia, quia in actu primo continent virtutem ad communicandam actui illam perfectionem. Cùm igitur in obiecto adæquato actus fidei & scientiæ, sit virtus in actu primo ad communicandum illi actui illam perfectionem qua caret actus penitus obscurus, hic actus fidei & scientiæ non est obscurus; sed clarus. Probo, quia actus obscurus est, qui accipit à principio adæquato imperfectum modum repræsentandi obiectum, propter quã imperfectionem principium adæquatum actus est indifferens ad assensum, & dissensum; sed actus fidei & scientiæ non habet illum modum repræsentandi imperfectè obiectũ, neque oritur à principio adæquato sui indifferenti ad assensum, & dissensum: ergo ille actus non est obscurus; sed penitus clarus: maior patet ex disputatione 25. vbi ostendi obscuritatem, & evidentiam esse perfectionem, & imperfectionem intrinsecam actibus, quam explicamus per determinationem principiorum, & indifferentiam ad assensum, & dissensum. Minor patet, quia actus fidei & scientiæ tàm clarè & perfectè repræsentat Deum, quàm si esset solius scientiæ. Ratio à priori, quia coniunctio medij obscuri non tollit evidentiam medij clari, neque minuit: ergo neque minuit evidentiam cõclusionis formalis: quia tota ratio cognoscendi evidenter conclusionem obiectivam, est cognitio evidens præmissarum.

§. 14. Obiectio. Dices: coniunctio vnius caussæ imperfectæ efficit, vt alia magis perfecta operetur minùs perfectè: ergo coniunctio medij obscuri efficiet, vt medium clarum operetur minùs perfectè. Resp. Respondeo posse argumentum retorqueri, quia coniunctio caussæ perfectæ efficit, vt minùs perfecta operetur perfectiùs: ergo medium evidens efficiet, vt medium obscurum operetur perfectiùs. Quidquid autem sit de caussis physicis, præmissæ non impediuntur in medijs adæquatis: quia manet integra cognitio evidens præmissarum, ex quibus cognoscitur evidenter conclusio.

SECTIO IIII.

Conclusio.

§. 15. 1. Conclus. DICO primò; quæstionem hanc iam esse de nomine: quia prima sententia vult sufficere ad obscuritatem actus, illum oriri à principio obiectivo adæquato ad conclusionem obiectivam, indifferenti ad assensum, & dissensum: sententia verò secunda vult id non sufficere ad obscuritatem; sed requiri, vt actus in se sit imperfectus, ne attingat obiectum tàm clarè, & distinctè, quàm actus scientiæ: hoc autem iam relabitur in quæstionem de significatione obscuritatis.

Dico

§. 16. 2. Conclus. Dico secundò, secundam sententiam melius probari, vt constat ex §. 13. quia adimitur actui fidei, & scientiæ intrinseca imperfectio obscuritatis: medium autem fidei esse secundùm se indifferens ad dissensum; parum refert, quia illa imperfectio indifferentiæ in actu primo communicaret actui fidei intrinsecam imperfectionem obscuritatis, nisi adesset aliud medium: impeditur autem medio metaphysico, ne illam communicet: vndè facilè solvuntur, argumenta sectionis tertiæ.

§. 17. 3. Conclus. Dico tertiò, posse etiam ex medio evidenti, aut fidei divinæ, & opinionis veræ inferri actum vnum circa idem obiectum: vt constat ex disputat. 31. §. 21. & 22. quia actus ille non esset opinativus; sed omninò certus, aut evidens.

DISPVT. XXXIII.

Difficultates nonnullæ.

§. 1. S. Thom. SANCTVS Thomas ab articulo 6. ad 9. nonnullas quæstiones movet levioris armaturæ: quas eruditè, & breviter disputat P. Luisius Pater Luisius disput. 13. eas non persequar; sed leviter indicabo: vide autem P. Suarez, disput. 2. sect. 5. & 6.

SECTIO I.

De articulis fidei.

§. 2. S. Bonav. Richard. SANCTVS Bonaventura in tertiũ distinctione 24. art. 3. disput. an articulus fidei rectè diffiniatur à Richardo Victorino, & Sancto Isidoro. Richardus ita diffinit, *articulus est indivisibilis veritas de Deo, arctans nos ad credendum*: quam diffinitionem Bonaventura tuetur quæstione prima: *arctare* dicitur articulus activè, & passivè: passivè sumptus est quid coarctatum, estque terminus, in quem fit vltima resolutio: qualia sunt prima principia metaphysicæ: activè autem articulus perinde est, ac principium distinctionis: quia in grammatica dicuntur articuli quædam voces, quibus distinguuntur genera nominum, & casus. Sic articulus fidei est veritas cognitionis de Deo, quæ est quasi primum principium credendi cætera, & in quod cætera vltimò resolvuntur.

§. 3. Sanctus Isidorus ita diffinit, articulus est *perceptio divinæ veritatis tendens in ipsam*. Sanctus Bonaventura quæstione secunda ait, diffinitione Richardi explicari significationem vocis; Isidori autem diffinitione rem significatam explicari. S. Bonav. Durandus in tertiũ distinct. 25. quæst. 2. num. 5. docet articulũ posse accipi bifariàm: primum pro veritate ad quam nos adstringit fides: secundò, pro veritate ad quam nos adstringit sola fides: Durand. hæc enim diversa sunt: quia fides adstringit non Philosophos ad credendam existentiam Dei: at verò sola fides ad id non adstringit, quia etiam metaphysica Philosophum adstringit ad assentiendum existentiæ Dei.

§. 4. Henric. Henricus quodlibeto 8. quæst. 14. fine, docet existentiam Dei non esse absolutè articulum fidei; sed præcisè respectu ignarorum Philosophiæ. Quæ doctrina satis congruit Thomisticæ quæst. 1. artic. 6. ait enim Sanctus Thomas articulum esse coaptationem aliquarum partium rerum fidei. Quia verò fides est de obiecto non viso, articulus fidei est obiectum speciali ratione non visum: erunt ergo articuli fidei mysteria fidei habentia specialem difficultatem, vt credantur: quia verò existentia Dei non habet specialem difficultatem, vt credatur, ideò non est specialis articulus respectu omnium: quia verò existentia Dei est fundamentum mysteriorum fidei; rectè statuitur primus articulus inter septem de divinitate: quia non est necessaria difficultas ad credendum ad rationem articuli; sufficit enim specialis necessitas assentiendi mysterio: quæ doctrina traditur à Durando illo numero 6. distinguente duos articulos, alterum, qui potest cognosci fide, & scientiâ; alterũ, qui potest cognosci solâ fide: vtrumque autem vocat absolutè articulum: consentit Bonaventura, quia articulum vult esse primũ principiũ, in quod resolvantur cætera credibilia: Richardus autem & Isidorus apertè favent, quia lege fidei arctamur ad credendam existentiam Dei; item fide tendimus in primam veritatem, credentes existentiam Dei.

§. 5. Articuli communiter dicuntur quatuordecim: alij voluerunt esse duodecim (vt refert Sanctus Thomas), quia tres articuli de tribus personis divinis continentur in vno articulo de Trinitate. Asserendum est expedisse distributionem mysteriorum fidei in certos articulos, seu capita præcipua, ad quæ docti, & indocti essent facilè comparati: quæ capita includunt, quæ sunt necessariò credenda necessitate medij: qualia sunt existentia Dei, & remuneratio, & si quod est aliud mysterium hac necessitate credendum: continentur item præcipua capita,

S.Thom. q. 1. art. 6. pita, quæ sunt credenda necessitate præcepti: hæc autem capita distributa sunt in symbolo, partim, quia sunt fundamentũ Christianismi, vt existentia Dei, Trinitas, & incarnatio: partim ad confirmationem Ecclesiæ, in aliquibus dogmatibus impugnatis tunc ab hæreticis: vt constat ex symbolo Niceno edito contra Arium; ita huic symbolo addita est declaratio processionis Spiritus Sancti à Patre, & Filio, illis verbis, *qui ex Patre Filioque procedit*: Græci enim calumniati sunt Latinis, quòd eam particulam addiderint, vt cõstat in Concilio Florentino in disputatione Macharij Episcopi Ephesini, cui respondit pro Latinis Andreas Episcopus Colossensis. Et quidem illi articuli quatuordecim prudentissimè sunt cõstituti: oportebat enim mysterium Trinitatis explicatissimè proponi: mysterium autem Eucharistiæ, & alia id genus reduci possunt ad articulum incarnationis, vel iustificationis: quia sunt media, quibus peccata remittuntur, comparatur iustificatio, conservatur, & augetur.

SECTIO. II.

De symbolo.

§. 6. SYMBOLVM, seu symbolus varios habet significatus, vt constat ex benè Latinis, & Ambrosio Calepino: significat signum, & collationem plurium, verbi gratia, multi conferunt partem, vt cum aliorum partibus efficiatur aliquid cõmune: sic quando ad cœnandum multi conferunt partem aliquam cœnæ, illa collatio vocatur symbolum: hinc collationem plurium sententiarum ad scopum vnum symbolum vocamus. Hincque symbolum Apostolorum ita vocatur, quòd singuli sententiam suam contulerint: quam autem sententiam quisque tulerit refert Pater Lussius disputat. 13. dubio primo. Quia verò professio horum mysteriorum est signum, quo Christiani disparantur ab infidelibus, ideò & collatio sententiarum dicitur symbolum, quod est signum bellicum, quod à latinis tessera appellatur: quia enim Iudęi se fingebant Apostolos, ait Calepinus, ab Apostolis hoc symbolo fideles sunt tesserati.

§. 7. Primum symbolum est Apostolorum, quod est omnium brevissimum, quod recitamus secretò ante matutinum, & primam, & post completorium. Secundum symbolum est Athanasij, qui fugiens Arianorum rabiem, eosque Romæ accusans, illud obtulit Iulio Secundo Pontifici Romano: hoc symbolum recitatur in prima in officio Dominicarum: vbi vocatur symbolum Athanasij. Sanctus Thomas art. 10. ad 3. docet non fuisse ab Athanasio compositum symbolum; sed scriptam suę fidei professionem, quam Pontifex Romanus omnibus credendam proposuit. Vndè arbitror eam professionem dictam esse symbolum. *S.Thom.*

§. 8. Tertium symbolum est Nicænum, quod à Patribus eius Concilij compositum est contra Arium, & in eo explicata divinitas Verbi, & consubstantialitas cum Patre, quã negabat Arius. In Concilio autem Constantinopolitano explicata est divinitas Spiritus Sancti contra Macedonium eam negãtem: postea verò à Latinis Patribus contra Græcos fuit explicata Sancti Spiritus processio ex Patre, & Filio: quam iure additam rectè explicaverunt contra Græcos Andreas, & Ioannes, exemplo Concilij Constantinopolitani, aliquid addentis symbolo Nicæno, quo non opponebatur doctrina Constantinopolitana Nicænę; sed eam potiùs explicabat.

§. 9. Quæri solet cum S.Thoma art. 7. vtrùm articuli fidei creverint successu temporis? Quæstionem rectè dirimit S. Thomas distinguendo fidem implicitam ab explicita, non solùm ex parte actuum; sed etiàm ex parte obiectorum. Prima igitur conclusio S. Thomæ est, omnes articulos fidei, quos nunc explicitè credimus, contentos esse implicitè in mysterijs, quæ antiqui Patres crediderunt, & articulos nunc explicitos, creditos fuisse à Patribus implicitè. Probat: quia illi explicitè crediderunt adventum Messiæ reparatoris, vt constat ex Iob, Abraham, David, & alijs: tunc autem implicitè crediderunt sacramenta, & alia mysteria, quibus reparatio erat peragenda. Credere enim implicitè, est credere aliquod obiectũ, in quo implicantur, sive involuuntur alia. Secunda conclusio est, fidem obiectivam explicitam temporis successu crevisse: multa enim nunc sunt in Ecclesiæ explicitè proposita ad credendum, quæ Deus Apostolis manifestavit, quæ nõ erant explicitè cognita ab antiquis. Cognitio enim Apostolorum longè fuit amplior, & illustrior, quàm aliorum: Christus enim ea ratione dixit eos iam non esse servos Christi; sed amicos, quia illis nota fecit, quæcumque audivit à Patre: multa item ipse cùm degeret inter eos, explicanda reliquit Spiritui Sancto, tunc enim ea non poterant ferre.

§. 10. Hæc autem articulorum novitas, non est dicenda *additio*, neque, *incrementum simpliciter*;

citer; sed est vocanda *explicatio antiquæ doctrinæ*. Cùm enim Græci in Concilio Florentino quererentur Symbolo Nicæno aliquid additum à latinis, quod erat contra præceptum Concilij Nicæni præcipientis, ne quis illi doctrinæ adderet, aut detraheret; responderunt latini, nihil additum: quia additio fit, quando foris trahitur id quod ponitur de novo: at verò quando id, quod ponitur, non trahitur foris; sed virtute continetur in eo, quod ponitur, non est additio; sed explicatio. Etenim rem implicitè contineri in alia diximus esse, in illa esse involutam: quando autem res illa explicatur, idem est ac evolvi, quia igitur explicatione mysteriorum ea evolvuntur, non adducuntur nova mysteria; sed explicãtur antiqua. Quia verò hic poterat esse quæstio de nomine; responderunt Græcis latini tunc additionem esse vitiosam, quando est contra antiquam doctrinam: quæ additio prohibita fuit in Concilio Nicæno, & scripturis: quandò verò additio non oppugnat antiquam doctrinam; sed potius explanat, atque confirmat, nec est vitiosa, neque damnanda; sed laudanda potiùs. Potest enim Deus multa de novo loqui, quæ nos tenemur credere. His de rebus satis disputat P. Suarez disp. 2. de fide sect. 5. & 6.

DISPVT. XXXIIII.

Vtrùm Imperium Ecclesiasticum sit penès Reges?

§. 1. Hristianorum militum Præfectus Paullus nos à vertice ad talos curat armandos, inituros prælium adversus mundi Rectores tenebrarum harum: ibi autem bellicum cecinit, non in carnem, & sanguinem; sed adversus Principes, & potestates, ac dœmonũ exercitus rebellantes ex Orco; nos verò luctamur, & adversus Rectores tenebrarũ, hæreticos Principes, & potestates, & pedem conferimus contra illorum carnem, & sanguinem: in syncęram enim fidem Petri, quã illis caro, & sanguis non revelavit, pro qua imperium accepit ille in Orbe Christiano, rebellavit caro, & sanguis Henrici Octavi Anglorum Regis. Homo enim ad ingeniũ natus, imitatus Neronis quinquenniũ, sic à Circęa Anna Bolena fuit veneficijs è mentis sede deiectus, vt in porcũ abierit, totusque sit factus caro, & sanguis; suorum sanguinẽ passim effũdẽs: carneos, & sãguineos suorum parentum mores imitata Isabella Henrici ex Anna filia, exitiale bellum indixit Ecclesiæ; quam impietatem ebibit ex Buccanano grammatico apostata, Iacobus Stuardus Scotiæ, & Angliæ Rex: eamque evomuit in alieno libro: adversus cuius rudes, & ineruditos errores nostræ insonant tubæ, & arma parantur: quæ sæviùs, & cum desperatione pacis cruentant, quòd *non de pecunijs, non de gloria, sed propter mancipationem certatur. Propterea & irreconciliabiles hic sunt inimicitiæ: vehementior est contentio, & pugna, quando pro magnis pugnatur.* *Chrysost.*

§. 2. S. Thomas art. 10. rectè quærit an spectet ad Pontificem Romanum designare, & Ecclesiæ proponere dogmata fide divina credenda? In qua controversia ea præcisè tractabo, quæ sunt necessaria ad disputationes de fide: nempè, ad quem spectet controversiarum compositio, quæ possunt emergere circa articulos, & dogmata fidei? reliqua verò, quæ de potestate Papæ tractãtur, nec sunt huius loci, neq; tãguntur à S. Thoma. De quibus nuper scripsit P. Franciscus Suarez adversus errores Regis Angliæ librum, dignum quidem Hieronymo, & Augustino: ob quem à Paullo Quinto nuncupatus est *Doctor eximius*: de cuius libri magnitudine quid sentiendum conijce ex Regis furore, quo eum ad publicam flammam proscripsit.

SECTIO I.

Præmonitio prima.

§. 3. PRIMVM censeo librum Apologiæ pro iuramẽto fidelitatis, & eius præfationem monitoriam, non esse filiũ genitum à Serenissimo Iacobo Stuardo Anglię, & Scotię primo Rege; sed adoptatum; natũ verò ex aliquo ministro rudi, inerudito, & mẽdaci, suppositumq; Regi adulationis ergò. Moveor primũ: quia apud Reges Angliæ percrebuit hic mos evulgandi libros, quos ipsi nec composuerunt, neque potuerũt: exemplo nobis est Henricus Octavus, qui dum suæ libidini non permisit imperium, verè ipse imperavit, sibi serviens Deo, cuius fidem defendendam suscepit, evulgato contra Martinum Lutherum gravi, & erudito libro: ob quem à Pontifice Romano Leone Decimo donatus est cognomento *defensoris fidei*: vndè conijcio hunc etiam librum esse supposititium.

§. 4. Dices, librum illum Henrici præ se tulisse à Rege nihil accepisse præter authoritatem: est enim refertus doctrinâ, & eruditione reconditiore, quàm, quæ in aulâ in-

ter

S. Tho. q. 1. Art. 10. Roffensi. ter armorum strepitum speranda foret: quapropter visus est dignus Ioanne Roffensis. Hæc autem Apologia tàm est vitijs referta, & inerudita, vt à quolibet effici potuerit. Respondeo hinc esse mihi secundam coniecturam: quamvis enim Rex parum posit esse versatus in historijs, & Patribus adductis ea Apologia, tamen hæc non sunt tàm rara, quin alicuiuspædagogi opera potuerit per centones videre: tamen rationũ momenta sunt tã exigua, tàm stultæ argumentationes, mendacia, & imposturæ tàm frequentes, vt imposibile sit in Regem vrbanum, quamvis hæreticum, ea incidisse, vt obseruat Pater Suarez lib. 5. cap. 19. numero secundo de maledicentia, & contumelijs Regis in Pontificem: *quæ protestantes* (inquit) *& scripturam adulterantes in ore Regis posuerunt.* Itaque vt Roffensis liber propter eruditionem, & excellentiam doctrinæ non potuit Henricianus videri; ita neque hæc Apologia cẽseri potest Iacobęa propter infamia vitia, quibus scatet: quorum pœniteret Regem, si ea recognouisset: neque dubium ab eo affectum iri supplicio ministrum, à quo esset tàm fœdè Regia maiestas deturpata. Quia verò Rex eius libri non est author: quæ in libri authorem cõijciam, Regem minimè præstringent, quem, qua parte pro Rex est, honore sequimur, & studio: qua verò hæreticus, laudare nõ possumus; sed orare pro eius conversione: & errores impetere. Regiam dignitatem suspicio; hæresim non possum non impugnare: hæretici Doctoris errata non possunt à catholico Doctore dissimulari: ne fides, quàm proprio sanguine alere tenemur, iacturam patiatur.

P. Suarez.

§. 6. Basil. Quin Regium nomen præfixum Apologiæ fronti, stimulos mihi admovet: * *Valde enim* (Basilius ait hom. 12. in principio Proverb.) ad præcepta morum tradenda refert eum, qui scribit, Regem esse, quis enim dubitat in vtrãq; partẽ plurimũ valere authoritatem Regiam? si enim Regnũ est legitima potestas, manifestum, quòd ex Rege alioqui hoc nomine digno, exeuntes vitæ præceptiones multũ quidẽ apud omnes momẽti habeant, ad cõsiderandã, consequendãq; in communi bono vtilitatẽ, & nõ ad privata commoda respiciẽtes. Hoc enim tyrannus à Rege differt, quòd ille sua ipsius quomodocumq; & vndecũq; respicit ac tuetur: hic subditis consulere tantùm *quærit.* * An autẽ hic Apostatæ Reges Angliæ describãtur, reijcio in considerationem eorum, qui noverunt, hunc illorum Papatum colorem esse ad ditandam aulam, & aulicos, & compilanda templa, & spoliandos cives, avitam religionem tuentes.

§. 7. Conc. Tri. Concilium Trident. Sessio. 23. cap. 4. vocat fures, atq; latrones, quotquot blaterant ordinationem ministrorũ Ecclesiæ ad Principes sæculares pertinere: ne verò id calũnientur hæretici dictũ ab Episcopis, & Põtifice Maximo, quorũ ipsi authoritati derogant, audiant Damascenũ, rugientẽ in Leonem Isauricum, vsurpantem sibi Põtificias partes: *Regum est* (inquit) *civilis administratio; Ecclesiastica verò constitutio Pastorum atq; Doctorum. Impetus iste latronum est fratres.* Hæc dixit non Põtifex, aut Episcopus; sed Consiliarius Regis Arabiæ: quo in honore Pontificiam authoritatem tuens, Imperatorem latronem appellat, quod falcẽ miserit in Episcoporum messem. Vnde conijciat Rex Angliæ non esse alienũ à modestia Sanctorum, eorũ vitia exprobrare de scripto, & suadere populis, ne iniquorum Regũ authoritate turbentur. * *Hoc* igitur gravi metu perculsus ad dicendũ accesi (inquit idem oratio. 2.) nec veritati Regiam amplitudinem prętuli. Loquebar enim, inquit divinus ille Pater David, incõspectu Regum, & non confundebar. Quinetiam ob id magis sum incitatus. Nam ad subiectos populos decipiẽdos multùm valet Regis authoritas. Pauci enim, nimirùm illi, qui terrarũ Reges cęlestis Regis imperio gubernari, & leges debere Regibus imperare sciunt, iniqua eorum iussa negligunt, & aspernantur. Hoc igitur tamquam fundamento disputationis posito, & constituto, vt Ecclesiasticę constitutionis obseruatio, per quã salus paritur, teneatur; orationi campum, in quo tamquã equus rectè frænis obtemperans, & carceribus dimissus, excurret. *patefecimus.**

Damasce.

Idem Damascen.

§. 8. S. Hieron. *In fœlices populi*, ait Hierony. lib. 5. in cap. 7. Oseæ in id *dies Regis qui è Rege Diabolo, & ab eius Principibus seducuntur: sive qui ab hæreseos Principe, & ab eius ducibus solemnitates alias susceperunt. relinquentes Ecclesiam, & veritatem conculcantes fidei, solent clamare, & dicere. hæc est dies Regis nostri*: quibus S. Doctor proponit ob oculos infandam Anglorum calamitatem: qui Regum tyrannide ab Ecclesiæ, & Apostolicis moribus transvecti sunt ad stultisimam sectam, ante hæc sęcula inauditam: qua Regi acclamantes, illũ corporibus, animisque præficiunt: in quos apprimè quadrant, quæ de Ieroboamo ex eodem Doctore sequuntur: * *Vidit* consurgere, & nullum esse, qui suæ resistat volũtati, tota nocte dormivit, id est, securus fuit: versatus in tenebris est, dum illi loquerentur, & impietatis panẽ efficerent. Vnde postẽa surrexit manè, & scelerum suorum flammã apertæ ostendit insania: vt nequaquã per insidias, sed impudẽter, & à Dei cultu ad Idolorum cæremonias *transilierint.**

Idem.

§. 9. Audacior fuit Angliæ Rex, qui non solùm se ipsum idololatricè adorandum curat à suis; sed Catholicos Principes solicitat ad defectionem à cultu Christi, & Ecclesiæ. Nec ipse miretur ab homuncione sic Regem tractari: tenetur enim Catholicus quisque pro fide cum ipsis etiam Regibus certamen inire: & qui tàm inurbanè Vicarium Christi, successorem Petri, *Antichristum* appellat, eumque non vrbanitate Regia in Regem etiam; sed hæreticâ maledicentia, probris, ac contumelijs exagitat: quā expectat responsionem mitiorem, quā ipsum cæcum esse ducemque cæcorum? Quòd si ob authoritatem Regiam se arbitratur impunem à calamis Pontificiorum; cur ipsa authoritas Regia eum non compescuit, ne per iniuriam ageret cum Pontifice? cui si minùs paret, quia hæreticus est Rex ipse; cur eidem non præbet honorem, non minus Regi in Romana ditione, quā est ipse in Anglia? respondendum enim stulto iuxta stultitiam suam, non ob rependendam iniuriam, neque ad lacessendum Regis animum, cuius salutem tàm calidè amamus, vt eam proprio emeremus sanguine; sed ne sibi cum salutis discrimine sapiens videatur esse; ne item intereant sui, & alieni Regio splendore delusi.

§. 10. Faxit Deus, qui non permisit Reges alios, vt hunc miserum, cęcutire, cuius insani conatus exitum Hieronymus divinasse videtur. *Deus* (inquit) *hæreticorum Reges, & Principes non exaudit: quia non est inter eos, qui clamet ad Dominum.* Cùm autem ipse Rex Regiâ fide interpositâ fuisset pollicitus se animo lubenti Pontificiorum responsiones auditurum, & acquieturum illorū doctrinę, si placuisset, eos non excepit Regiè; sed fefellit hæreticè: cùm enim Pater Franciscus Suarez modestè & summissè respondisset, eius librū donavit flammis. Si præcisè non acquievisset eius doctrinæ, respondere posset eam sibi displicuisse; ne violasse videretur sanctam, & inconcussam Regum fidem: quod tamen integrè respondere non potest post librum publico edicto combustum. Si enim ipse Pontificios provocat ad disputationem: vtque ad suam apologiam respondeant, dat quidem illorum scriptis salvum conductum, non secùs, ac Doctoribus ipsis, si eos Londinum vocaret ad disputandum. Cur autem combussit librum, nisi quia obdurato Pharaoni, & in populi Dei fortunas inhianti, displicuit nuda & aperta veritas; qua apud conscientiam suam torquebatur? Hierony. tom. 8. in c. 16. proverb. versu, *voluntas Regum*, ait. *Reges terreni multum sæpè labia iusta detestātur, vt Herodes Ioannis: propter quod eum & capite punivit.*

Margin: Hieron. (beside "Faxit Deus"); Hieron. (beside "Hierony. tom. 8")

SECTIO II.

Præmonitio secunda.

§. 11. QVIA verò Rex passim clamitat à Pontificijs Regiam authoritatem minui, & populum solicitari ad rebellandum, idque præsertim imponit illustrissimo Cardinali Roberto Bellarmino, non quod id ita censeat author libri, videt enim id esse mendacium; sed vt illustrem de hæreticis triumphatorem Cardinalem, in Catholicorum vocaret invidiam, præmittendum secundò, apud Pontificios Regiam authoritatem sanctam, & à Deo esse, sanctèque colendam: Regesque ipsos summo afficiendos honore, illisq; parendū; Scripturæ testimonia congerit in hunc scopum P. Suarez, lib. 3. c. 1. nempè ex Proverbiorū 29. Sapientiæ 6. prima Petri 2. ad Romanos 13. ad Titum 3. Christus enim præcepit apertè reddenda Cæsari, quæ Cæsaris sunt; adducit prętereà ingentia Patrū agmina. Adde Hieron. tom. 5. in Ecclesiastē, c. 8. in ea verba, *ego os Regi custodio, videtur mihi quidam* (inquit) *præcipere iuxta Apostolum Regibus, & potestatibus obsequendum,*

Margin: P. Suarez. Hieron.

§. 12. Hæc autem obedientia non est præstanda præceptis advesantibus legi Dei. S. Basilius in regulis brevioribus interrogatione 114. qua quæritur, cui, & qua ratione obediendū? Respōdet: * *Ex* his autē hoc intelligitur, quòd si quid nobis imperatū sit, quod idē sit cū mādato Domini, adiuvet vè illud tamquā voluntas Dei, studiosiùs, diligētiùsq; à nobis suscipi debet, idque servari convenit. Quoties verò aliquid, quod mandato Domini, aut repugnet, aut aliqua ex parte vitiet, contaminetve, facere ab aliquo iussi fuerimus, tunccōmodè illud vsurpabimus, oportet obedire Deo magis, quā hominibus: memoria tenentes dictum esse à Domino: alienum autem non sequentur; sed fugient ab eo. Ex quibus illud docemur, quòd licèt necessitudine maximâ aliquis nos attingat, & gloriâ præter modum excellens sit, qui vetet, quod à Domino imperatum est, aut contrà, quod ille vetuerit, faciendum suadeat, is ab omnibus, qui Dominum diligunt, fugiendus est, atque execrationi *habendus.* Cùm autem Rex Anglię multa præcipiat contra legem Christi, fugiendus est, & execrationi habendus.

Margin: S. Basil.

§. 13. Obiectio. Resp. Dices, hinc oriri discordiarum semina; quia si Rex aliquid præcipiat, Pontifex autem imperet oppositum, cui parendum erit? Respondeo, iura esse divisa: neque enim Rex potest de religione decernere; neq; Pōtifex potest civilia negotia impedi-

S. Thō. q. 1. Art. 10. Damaſ. re, & inter Catholicos conſtat quid ad quẽ ſpectet. Quæ egregie diſcriminavit Damaſcenus oratione ſecunda de imaginibus.* *Regum* (inquit) eſt civilis adminiſtratio: Eccleſiaſtica verò conſtitutio Paſtorum atque Doctorum. Paremus tibi, Rex; in his, quæ ad vitæ civilis negotia pertinent, vt in tributis, vectigalibus, congiariiſque ſolvendis, quorum tibi, quantum ad nos ſpectat, munus eſt creditum, ac demandatum. At in Eccleſiaſticis rebus ſtatuendis, ac decernẽdis habemus Paſtores, qui nobis loquuti ſunt verbum; & leges atque inſtituta Eccleſiaſtica tradiderunt. Non transferimus terminos ſempiternos, quos nobis Patres noſtri conſtituerunt, ſed quę nobis reſcripta ſunt, vt ea accipimus, tuemur, atq; defendimus. Si enim experimur ædificium Eccleſiæ, vel parvis in rebus diruere, totum paulatim *diſolvetur*.* Hæc Damaſcenus, nõ contra Regem tenebricoſi Orbis alicuius anguli; ſed contra imperantem in Orientis luce, nec quòd Sacerdotium vſurpaſſet; ſed quòd ſacras imagines cenſuiſſet abolendas; quid dixiſſet in Iacobum, arrogantem ſibi Pontificatum Summum?

§. 14. Vnum ex capitibus, quo Rex criminatur anſam præberi populo à Bellarmino ad rebellandum contra Reges eſt, quòd Bellarminus dixerit Regiam authoritatem à Deo immediatè non eſſe conceſſam Regibus, perinde ac Pontificibus: etenim Pontificia dignitas fuit immediatè conceſſa à Deo, quin homines eam concederent: è contra verò Regia dignitas conceſſa eſt hominum authoritate; à Deo autem conceditur vt à cauſſa vniverſali, moventе interdum hominum voluntates, vt eas movet ad erogandam ſtipem. Hanc doctrinam graviter à Rege accuſari teſtatur Pater Suarez lib. 3. capite 2. numero 1. cap. autem 3. num. 1. refert hoc Regis argumentum, quod ratione ſyllogiſtica poſſumus formare.

P. Suarez.

§. 15. Si authoritas Regia immediatè confertur à populo, ergo anſa præbetur populo ad ſeditiones, factiones, & rebelliones: probo conſequentiam, quia ſi authoritas Regia pendet à populo: ergo penes populum integra manet poſteas recuperandi eam dignitatem: eamque in alium conferendi: item poterit populus legem latam à Rege abrogare. Maximè cum Bellarminus dicat populum numquam ita ſuam poteſtatem in Regem transferre, quin illam ſibi in habitu retineat.

§. 16. Hoc argumentum adeò eſt ſtolidum, vt propter illud mihi perſuaſerim, apologiã hanc non eſſe ab authore Rege; ſed ſolum evulgatore: eſt autem ab aliquo authore, qui nihil novit dare. Nam omnia, quæ ipſe donat, cenſet à ſe poſſe repeti. Nã ideò cenſet Regiam dignitatem poſſe à populo repeti, quia populus eam dedit; ſed etiam ipſe dedit amico pecuniam, aut veſtem: ergò ſicut populus poteſt, quoties voluerit, repetere Regiam dignitatem, ita & ipſe veſtem, aut pecuniam. Eſt igitur inepta hæc conſequentia: *populus dedit poteſtatem Regi; ergo populus poteſt eam repetere, & impedire eius vſum in ferendis legibus, & exigendis tributis*: ſicut hæc eſt mala conſequentia: *Petrus mihi dedit centum aureos: ergo poteſt eos repetere, & impedire illorum vſum*. Præſto eſt ratio, quia libera donatio, & acceptatio Regiæ poteſtatis eam transfert à populo in Regem; eiuſque dominium, & vſus non manet penes populum; ſed penes Regem: vnde populus non poteſt deinceps eam vſurpare magis, quàm ſi eius numquam fuiſſet Dominus: ſicut Petrus non magis poteſt vſurpare centum aureos, quibus me donavit, quàm ſi nullum vnquam in eos dominium habuiſſet; quia dominium antiquũ extinguitur libera donatione, & acceptatione. Vndè patet primã conſequentiam Regis eſſe ridiculam: ad probationem reſpondeo: populum non poſſe repetere, quod ſemel donavit: quia donatio dominium extinxit. Quæ autem Bellarminus dicit de retenta in habitu dignitate Regia, intelliguntur in paucìſsimis, rariſque caſibus; in quibus iure ipſo naturæ poteſt Reſpublica in Regem inſurgere; vt certis in caſibus poteſt privatus homo aliũ etiam privatum exarmare, & occidere. Vide c. 32. vbi ex Baſilio conſtabit Regiam poteſtatem eſſe ab hominibus; ſpiritalem autem à Deo.

SECTIO. III.

Error Brentij, & Regum Angliæ

§. 17. BELLARMINVS tomo 1. lib. 1. de Romano Pontifice, c. 7. refert duos errores Ioannis Brentij: primum, Reges eſſe in Eccleſia optimates, Epiſcopos autem illorum mancipia: ſecundus error eſt, ad Reges ſpectare primatũ Eccleſiæ, & regimen. Non dubium, quin fuerit Brentianus hic error, quia in legendis ad confutandum hæreticorũ ſcriptis eſt Bellarminus verſatus apprimè; miror tamẽ omiſſum hũc errorem à P. Gualterio, ſæculo 16. cap. 19. vbi cẽſet Brẽtianos errores: fuit autem Brentius ſemilutheranus, & author

aliorum

aliorum errorum, qui non sunt hoc minùs absurdi. Hic hæreticus etiam in hoc errore rectè vocatur semilutheranus: quia Lutherus valdè depressit Episcopalem dignitatem: Principes autem adeò subditis reddidit invisos, vt illos appellaverit tyrannos, carnifices, atque tortores: neq; verò agit de Ethnicis; sed de Catholicis: quos ait stultos esse plerumque; Principem autem probum esse raram avem in terris, eosque esse hostes publicos Evangelij: hoc autem quare? Quia refragabantur Evangelio spurco secundum Lutherum. Hæc referuntur à Ioanne Cochlęo in actis Martini Lutheri, anno Domini 1523. initio: egoque recensui, vt videant Lutherani, & Calvinistæ, an Spiritus Sanctus dictaverit vtrique hæretico propositiones oppositas mutuò.

§. 18. Hunc errorem secutus est Henricus Octavus Angliæ Rex: qui cùm legatos misisset cum libro, & epistolis ad Principes Germanos, vt resisterent impudentiæ Lutheranæ, & Lutherus in illum evomuisset bilem, vt refert Cochlæus, postea sunt reconciliati Herodes & Pilatus, illuso & flagellato Christo. Cùm enim Lutherus monstrosa connubia tentasset monachus cum sanctimoniali, & Henricus legitima vxore Cathalina esset contentus, non potuit Henricus ferre incontinentiam Lutheri: cùm autem libido Henrici imperium accepit, & adulterinas nuptias, legitima vxore superstite, ei imperasset, illi etiam reconciliavit Lutherum: ne duo novarum nuptiarum exemplaria dissiderent. Henricum secuta est Isabella filia, virgo quidem professione in secta opinantium & virginitatem esse impossibilem, & castitatem commentum Diaboli. Quos sequutus Iacobus: quo animo, ipse viderit: constat Catholicos Anglos præcipuam esse partem vectigalium Regum. Vtrùm autem hæc avaritia malorum horum radix, & servitus Idolorum sit in caussa, vt perennet error in Anglia, iudicent, qui vident egenos ministros Regum, rapinis bonorum Ecclesię, & Catholicorum: neque enim absimile contigit primitivæ Ecclesiæ.

§. 19. Hunc errorem proponam argumentis suorum authorum; opponamque singulis argumenta à similibus locis petita: vtrisque autem efficiam, vt liquidò constet, impossibile esse, nisi in homines insanos incidisse tàm insanum deliramentum?

***

SECTIO IIII.

Primum argumentum hæreticorum, petitum à Scriptura?

SVBSECTIO I.

Duo ex Apostolo testimonia.

ARGVMENTATVR Brentius ex secunda ad Corinthios 4. 5. *non enim nosmetipsos prædicamus; sed Iesum Christum Dominum nostrum: nos autem servos vestros per Iesum.* Hinc argumentatur Brentius: Apostolus se prædicat servum omnium: ergo Episcopi se debent servos omnium prædicare: ergo tenent infimum locum in Ecclesia. Ostulte! quàm ostendis à te id non sentiri; sed effutiri ad adulandum Regibus. Si ergo Episcopi, quia sunt omnium servi, infimum locum in Ecclesia tenent: ergo etiam Apostoli tenent locum infimum: probo consequentiã, quia Paullus & cæteri Apostoli se prædicant servos omnium; hoc autẽ quì quadrat in Apostolũ ipsum prima ad Corinthios 12. 28. cùm enim descripsisset mystici Ecclesiæ corporis membra, eaque nobilitate distinxisset per actus, asseruit primum locum Apostolos tenuisse: item ad Ephesios 2. 20. docet Ecclesiam niti Christo lapidi angulari, & fundamento Apostolorum: item Apostolus 1. ad Corinthios 4. se vocat patrem Corinthiorum: versu enim 25. *in Christo Iesu* (inquit) *per Evangelium ego vos genui*: an arbitrabitur Brentius patrem in familia esse mancipium, & in loco infimo? aut fundamentum Ecclesiæ esse illius cęmentum, & non coronidem? Recognosce, obsecro te, Augustinum tom. 8. in Psalm. 121. constituentem discrimen inter fundamentum materiale, & spiritale: quòd illud in imo ponitur; hoc in sublimi: *quia verò* (inquit) *spiritaliter ædificamur, fundamentum nostrum in summo positum est*. Christus ergo tenebit locum postremum; quia ipse est fundamentum primum Ecclesiæ: venit item non ministrari; sed ministrare, servi accepta formâ: ergo illa servitus non opponitur principatui, quem plurimùm extollit, atque commendat. §. 20. 2. ad Corinth. 4. 5. 1. Arg. Brentij. Ad Ephes. 2. 20. 1. ad Corinth. 4. August.

§. 21. Locum hunc exponit egregiè Pater Iustinianus, Apostolum prædicatione, non quæ-

S. Tho. q. 1. Art. 10. quærere nisi gloriam Christi, & fidelium salutem: suum autem commodum nequaquam quærere: in quo verè, & non ficte imitatur Apostolus servos, quorum opera sunt in dominorum vtilitatem. Chrysostomus tom. 4. homil. 8. exponit ab Apostolo, eos præstringi, qui tā inter alios se efferebāt, vt vellent discipulos à se nomen accipere: hi enim, non Christum, sed se ipsos prædicabant: Apostolus è contra nihil præter Christum prædicabat: * *vidisti* (inquit) animam à gloriatione puram; non enim aliquid ex his, quæ Domini sunt, inquit, nobis proprium facimus; sed & vobis nos ipsos propter illum *subijcimus.** Itaq; Pseudo-Apostoli propriam quærebant gloriam, & se quærebant dominari. Paullus autem non vult, nisi dominari Christum: se autem vult tàm alienum à gloria, vt velit pro servo haberi, non pro Domino.

Chrysost.

§. 22. *Hierony.* Consentit apud Hierony. quidā author, tom. 8. his verbis: *qui enim commoda propria quærit, non Christum, sed semetipsum prædicat, sicut qui suo ventri serviunt. Nos autem servos vestros: quia vestræ vtilitati omnia procuramus, exemplo Christi, qui formam servi accepit, non gloriæ, neque avaritiæ caussâ *docemus*:* eamdem sententiā iisdem ferè verbis S. Ambrosius expresit: Quando aliquis se totum dedit alicuius cōmodis, dicimus id ius fieri mancipium: hispanè, *servir como esclavo*. Adsonat Basilius Magnus in regulis brevioribus interrogatione 118. his verbis, *quomodo* alij alijs obedientiam inter nos præstabimus, tamquam servi adversum Dominos: convenienter illi præcepto Domini: qui vult in vobis esse magnus, sit omniū vltimus, servus omniū. Quibus verbis adiungit, quòd nos efficacius etiam posit permovere: sicut filius hominis non venit, vt ministraretur ei, sed vt ministraret. Et consentaneum in modum etiā dicto illi Apostoli, per charitatem spiritus servite *invicem.**

Basil.

§. 23. Disce, ô stulte, quid in scripturis, & apud Patres sit, *servire*, & comperies, nihil esse magis Regiū eâ servitute, filiā charitatis. Quòd si quid aliud desideras, lege S. Damascenū 2. Parallel. cap. 25. vbi confirmat ex S. Basilio, *multorum curam gerere, nihil esse quā multis inservire.* Ad argumentum ex §. 20. respōdeo, Episcopos esse servos, non servitute vili, adimente libertatem, & hominem mancipante; sed servitute ingenuâ, & Regiâ, quâ per charitatem nemo quærit, quæ sua sunt; sed quæ Iesu Christi. Nego autem hac servitute Episcopos deprimi sub Reges; sed collocari existimo in vertice ædificij; sive in fundamento Ecclesiæ.

Damasc.

§. 24. 2. *Argum.* Secundum argumentum est Regis Angliæ, vt refert Pater Suarez libro tertio, capite nono, numero septimo ex capite decimo tertio ad Romanos: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non est enim potestas, nisi à Deo: quæ autem sunt à Deo, ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit*. Vbi Apostolus apertè loquitur de Regibus: subijcit enim, *qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem adquirunt. Nam Principes non sunt timori boni operis, sed mali.* Deinceps ait non sine caussâ gladium ab ipsis portari. Vnde argumentor: omnis anima, id est, omnis homo subditus sit Regibus: ergo omnes fideles sunt sub Regis imperium: ergo Reges habent ius in Episcopos. Confirmatur ex Sancto Bernardo epistola quadragesima secunda, monente hoc testimonio Henricum Archiepiscopum Senonensem, vt obediat superioribus, his verbis. * *Omnis* anima potestatibus sublimioribus subdita sit: Si omnis & vestra. Quis vos excipit ab vniversitate? Si quis tentat excipere, conatur decipere. Nolite illorum acquiescere consilijs, qui cùm sint Christiani, Christi tamen, vel sequi facta, vel obsequi dictis opprobrio ducunt. Ipsi sunt, qui vobis dicere solent: servate vestræ sedis honorem. Decebat quidem ex vobis, vobis commissam Ecclesiam crescere: nunc verò saltem in illa, quam suscepistis, maneat dignitate. Hæc isti: Christus aliter iussit, & gessit: reddite (ait) quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt Dei, Deo. Quod ore locutus est, mox opere implere curavit. Conditor Cæsaris, Cæsari non cunctatus est reddere censum. Exemplum enim dedit vobis, vt & vos ita *faciatis.* * Arbitror quòd à ministro authore Apologię Regis nomine excussę, hic locus Bernardi plurimi factus fuisset: quia consulens Archiepiscopo obedientiam, eam consulit potestatibus sublimioribus, de quibus loquitur Apostolus, ex quorum obedientia neque Archiepiscopum excipit Bernardus, sicut nec Chrysostomus §. vigesimo sexto adducendus.

P. Suar. *Ad Rom.* 13.

Confirm.

Bernard.

§. 25. *Solutio.* Hoc testimonium Apostoli non magis facit scopo regio, quàm superius Brentiano: argumentatio enim vtrobique est eiusdem farinæ. Primùm enim solùm probat omnes homines subditos alicui Regi, subditos esse ipsi Regi in administratione civili, & non spectante ad spiritale Ecclesiæ regimen: at verò vnde concludit Rex Reges Christianos iure Regio habere in Ecclesiam spirituale ius? Dixit enim rectè Damascenus adductus §. decimo tertio à nobis parendum Regibus in administratione civili; non verò in spirituali: Basilius item adductus §. 12. voluit parendum Regi-

Regibus, dùm non oppugnāt legem Dei: si autem illorum præcepta adversantur legi Dei, non sunt exequenda.

§. 26. Vt autem constet, quàm longè à scopo Rex aberret, animadverte ab Apostolo præcipi obedientiam, non solùm Regibus Christianis; sed etiam ethnicis, qui tunc dominabantur: voluit autem ijs subiectos esse ipsos etiam Apostolos: vt rectè monuit Chrysostomus, tomo quarto, homilia 23. his verbis: *ostendens, quòd ista imperentur omnibus, & Sacerdotibus, & Monachis, non solùm secularibus: id quod statim ipso exordio declarat, cùm dicit: omnis anima potestatibus supereminentibus subdita sit. Etiamsi Apostolus sis, si Evangelista, si Propheta, sivè quisquis tandem fueris; neque enim pietatē subvertit ista *subiectio*.* Quòd si Chrysostomus vult, vt Apostoli obediant Principi Ethnico, non loquitur Paullus, nisi de obedientia in administratione, & politia civili; non verò in administratione Ecclesiastica, & spiritali: nempè vt administratione civili observata, nulla iaciantur semina bellorum: quod expressit Chrysostomus idem his verbis: *facit autem hoc ideò, vt ostendat Christum leges suas non ad hoc induxisse, vt politias evertat; sed, vt ad melius instituat, vt pariter doceat superflua, & inutilia bella non esse suscipienda.* Quis autem dicat Principes Ethnicos esse caput Ecclesiæ in spiritali administratione? at verò Principibus sunt subditi omnes fideles etiam Ecclesiastici in administratione civili: ergo hæc subiectio non est in rebus spiritualibus; sed in administratione civili, quà parte non adversatur legi Dei, neque immunitati Ecclesiasticæ.

Chrysost.

§. 27. Confirm. Quæ ita confirmo: quia Apostolus voluit ostendere, falsos esse rumores, quibus nonnulli persuadebant principibus, Christianos esse regibus inobedientes, quia lex Christi illos reddebat immunes: quod ex Patribus maximè docuerunt Chrysostomus, & Hieronymus, ostenduntq; Patres Iustinianus & Cornelius: vt autem Apostolus eos rumores sedaret, ostendit etiā Christianos omnes subditos esse principibus, qui tunc in orbe dominabantur. Romæ autem imperabat Nero: ergo Neroni dicit Paullus omnem animam esse subditam: ergo Nero habebat ius spiritale, & Ecclesiasticum: patet consequentia ex argumento Regis Angliæ probantis hoc testimonio se in suo Regno esse caput Ecclesiæ. Vtinam esset pes: vide Tertullianum in Apologetico pluribus in locis asserentem, cùm esset presbyter, Christianos omnes ex Apostoli præcepto obedire Cæsari, nisi quando præcipit aliquid contra legem Christi: lege præcipuè caput 30. & 40. Sanctus Cyprianus Archiepiscopus Proconsuli illi objicienti rebellionem contra Cæsarem, respondit, Christianos longè esse ab illo crimine, quia semper obtemperant, & benecupiunt Cæsari, quia princeps illorum est.

Tertull.

S. Cyprian.

§. 28. Obiectio. Dices; Neronem non potuisse esse caput Ecclesiæ, quia ethnicus erat: at verò possunt Reges Christiani. Refell. 1. Contrà primò: ergo neque Iacobus potest esse caput Ecclesiæ: quia est extra illam per hæresim, sicut Nero per Paganismum. Refell. 2. Contrà secundò: ergo ex illo testimonio Paulli non colligitur ad reges pertinere primatum Ecclesiæ: probo consequentiam, quia totum illud testimonium locum habet in Nerone, & quovis alio Principe Pagano: vt ergò Rex eo testimonio aliquid efficeret, deberet ostendere Paullum diversâ ratione loquutum de Christianis Regibus, ac de ethnicis: at Apostolus vbi posuit discrimen illud eo in capite? Ratiò est manifesta: quia ius Regium, & eius legitima potestas, non pendet à Christianitate; sed aliundè legitimè trahitur. Quare ius Regium æquale est in Pagano, ac in Christiano: Christianitas autem tàm per accidens est iuri Regio, quàm Regium ius Christianitati: habet ergò Rex Christianus in ratione Regis omninò eadem quæ Paganus; in ratione autem Christiani non habet, nisi quæ quilibet privatus: quia verò ipse simul est Christianus, & Rex, primum locum tenet in populo Christiano: in hierarchia autem Ecclesiastica nullum tenet locum: quia est Rex, nisi fortè cum Regno clericatum accipiat, sicut alij privati.

§. 29. Magnus scripturarum interpres Calvinus inter pocula, & scorta exprobrat recentibus Catholicis, quòd abutantur hoc testimonio ad probandum præstandam obedientiam Præfectis Ecclesiasticis: est tamen mira, vel ignorantia, vel impudentia Calvini, vel vtraque: Hieronymus enim (vel quisquis est eorum commentariorum author, qui, si hæreticus est, vt quidam suspicatur, pluris ab illis fiet, quàm Hieronymus) tomo 8. id dixit expressè: cū enim dixisset Apostolum verba fecisse de potestate sæculari, secūdum sensum adijciens hæc ait: *aliter quòd sublimiores potestates, Ecclesiasticæ dignitates intelligantur*: postea ait: *si de sæculi potestatibus dicere videatur*: inferius autem explicans illud verbum: *non enim sine* caus-

Hieron.

S. Tho. q. 1. Art. 10. *causa gladium portat* : ait, *& in te habet officium, si peccaverit : nec tibi proficit ad mercedem. Sive Sacerdotes gladium spiritualem portant : sicut Petrus percussit Ananiam & Saphiram, & Paullus Magum* : inferius verò ait : *possunt & tributa Sacerdotum intelligi, quæ illis à Deo sunt constituta*. Itaque author ille totum locum exponit de potestate sæculari, & Ecclesiastica.

§. 30. Adde à recentibus argumentum sumi à minori (vt aiunt) ad maius; tùm quia si potestati minus præcipuæ, & quæ sola est de iure humano, Paullus præcipit obediendum, strictiùs intelligitur præcipere obedientiā sublimiori potestati, collatæ iure divino : tùm etiam, quia ratio Paulli communis est vtrique potestati. Imitantur quidem recentiores antiquos Patres. Bernardus enim eâ epistola quadragesima secunda, post verba citata §. vigesimo quarto; hæc ait : * *quando* verò Dei Sacerdotibus debitam negaret reverentiam, qui hanc sæcularibus quoque potestatibus exhibere curavit? Porrò vos Cæsaris successori, id est, Regi, sedulius in suis Curijs, Consilijs, negotijs, exercitibusque adestis: indignum erit vobis cuicumque Christi Vicario taliter exhibere, qualiter ab antiquo inter Ecclesias ordinatum *est*. Bernard.

§. 31. Duo colligo ex hoc testimonio Bernardi : alterum contra Calvinum; quia argumentum sumit Bernardus ab obedientia præcepta ab Apostolo in potestates sæculares, ad obedientiam in Prælatos Ecclesiæ : quibus ille Archiepiscopus videbatur esse rebellis : neque solùm ipsum obiurgat; sed etiam nonnullos monachos detractantes obedientiam Sacerdotibus: alterum, quod colligo, est contra Regem Angliæ : ait enim Bernardus Archiepiscopum debere obedire Vicario Christi in his, quæ illi potest præcipere, maiori cum solicitudine, quàm Cæsaris successori in his; quæ Cæsaris sunt. Recognoscit ergo Bernardus duos Principes, quibus Archiepiscopus debet obedientiam : alter est Rex, cui adest in exercitibus, Regisque negotijs; alter est Papa, Vicarius Christi, cui iuxta traditionem Ecclesiæ probat maiori cum solicitudine esse obediendum, quàm Regi. Ad testimonium ergo Bernardi ex §. vigesimo quarto, respondetur primò, Archiepiscopos, quandò non sunt supremi domini temporales, non esse exemptos ab obedientia in Principes in civili Politia, dùm non opponitur legi Dei, nec Ecclesiasticæ immunitati. Secundò respondeo, Bernardum ibi non egisse de obedientia in Principes sæculares; sed ab illâ argumentum prompsisse ad obedientiam in Prælatos Ecclesiæ.

Nec solùm Bernardus; sed & Basilius, Scripturæ interpres melior Calvino ita argumentatur ex hoc loco Paulli in constitutionibus Monasticis, capite vigesimo tertio: cùm enim præmisisset agendum sibi de obedientia, quam religiosi tenentur præstare antistitibus, vtens hoc testimonio Apostoli, inde probat quantum sit obediendum Prælatis. * *Si igitur* (inquit) qui mundo huic præsunt, & ex lege humana illam imperandi potestatem habuerunt, ijs divina lex pietatis cultores tantopere voluit esse subiectos, & quod maius est, quorum vita tota tunc erat impietas : quàm magna tandem ei à pietatis cultore præstanda obedientia est, qui à Deo constitutus præses sit, & imperandi potestatem à legibus illius acceperit? & qui defendi potest eum non Dei ordinationi resistere, qui antistiti resistat suo? præsertim cùm apertissimè Apostolus iubeat omni in re parendum esse spiritualibus *præpositis*. * Quibus oppilatur os Calvini, quia ex testimonio Paulli, & ratione ostendit Basilius obediendum esse spiritualibus præpositis : quorum authoritatem confirmat ex capite 13. ad Hebræos 17. Colliges etiam contra Regem Angliæ, Regnum temporale esse de iure humano; spiritualem autem authoritatem Ecclesiæ de iure divino; & ex testimonio Paulli non solùm effici, non esse negandam obedientiam spiritualibus præpositis; sed potiùs eam maximè confirmari ab antiquis Ecclesiæ Patribus, quādo nec per somnum cogitabatur de hoc Regis errore. §. 32. Basilius.

SVBSECTIO II.

Alia duo testimonia.

TERTIVM testimonium accipit Rex ex prima Petri 2. 13. *subiecti igitur estote omni humanæ creaturæ propter Deum : sive Regi, quasi præcellenti : sive ducibus tamquam ab eo missis* : & versu decimo septimo : *Regem honorificate*. Quid inde? Rex tunc erat Nero, qui tunc ex Basilio totus erat impietas; an quia Petrus illi præcipit obedientiam, illum voluit esse caput Ecclesiæ? illi voluit obediendum in his, ad quæ habebat ius legitimum: nos etiam consulimus Anglis, vt Iacobo §. 33. 3. Arg. 1. Pet. 2.

Iacobo hæretico etiam obediant, dùm fuerit legitimus Rex, in his, quæ legitimè præcipit: nec tamen propterea illum censemus caput Ecclesiæ. Non considerat Rex ibidem præcipi ab Apostolorum Principe, vt obediatur ducibus à Rege missis: an propterea illi ius habent spirituale in animas? Item ait versu 18. ***Servi subditi estote in omni timore dominis, non tantùm bonis, & modestis; sed etiam dyscolis.*** cap. item 3. ***Mulieres subditæ sint viris suis.*** Anne vir sacrificulus erit vxori suæ & dominus Pontificium habet in servum? Quia igitur lege naturali Dei, subditi debet obedientiam Regibus, & Ducibus; servi dominis; & vxores maritis; ideò eos hortatur Apostolus ad obediendum, tùm quia ea est voluntas Dei; tùm etiam, vt occludat fideles ignorantium ora, obijcientiũ Christianis inobedientiam in suos Reges, vt cõstat ex eodem loco. Iam alienum est hoc testimonium à proposito Regis, vt mirer hominem non barbarum illo vsum tàm abs re! Verùm minister author libri, ea testimonia obiecit, quæ Regum quoquo modo meminerunt, ad faciendam Apologiam quisquilijs, & lanugine.

§. 34. 4. Arg. 1. ad Thi. n. 1. Quartum testimonium (si Deo placet) non erit tàm stultè abs re: ex prima ad Timotheum 2. 1. ***Obsecro*** igitur primùm omnium fieri obsecrationes, & orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus, qui in sublimitate ***sunt.*** Pater Suarez lib. 3. cap. 9. num. 7. ait à Rege ita legi: ***orandũ pro omnibus, sed præcipuè pro Regibus***: illa verò dictio ***præcipuè*** nõ est dicta à Paullo; sed adiecta à Iacobo: hi enim novi Papæ addũt & adimunt Scripturæ, quæ illis videntur suo instituto prodesse, & obesse, non metientes sensa sua ex scripturis; sed scripturas comminiscentes ad sua errata: hoc autẽ commentum parum profuit authori Apologiæ: quia Sanctus Augustinus in Enchiridio cap. 103. dicit orandum præcipuè pro Regibus; non quòd ita legatur hoc testimonio; sed quia est in Regibus præcipua necessitas: nec tamen eos censet Augustinus caput Ecclesiæ. Hæc enim consequentia: ***orate præcipuè pro Regibus: ergo Reges sunt caput Ecclesiæ***: à quo stulto Theologo potuit deduci? aut à quo lutulento summulista? Vt siquis dicat. ***Orate*** pro omnibus hominibus, præcipuè autem pro his, qui in peccato mortali sunt, aut pro his præcipuè, qui sunt morti viciniores: ergo omnes homines, præcipuè autem qui sunt in peccato mortali, aut morti viciniores sunt caput ***Ecclesiæ.*** Quasi verò Reges non habeant aliam caussam præter summam authoritatem in Ecclesiam, vt pro illis oretur. Quia igitur temporalis Reipublicæ salus, quies, & trãquillitas maximè pendet ex Regibus, ideò præcipuè est pro illis orandum: rationem reddit Paullus: ***vt quietam, & tranquillã vitam agamus in omni pietate, & castitate.*** (1. ad Ti.) Inter armorũ strepitum, & hominum tumultum, vix potest castitas, & pietas observari: itẽ, quia Deus vult omnes homines salvos fieri, ait Paullus Deo placere orationẽ pro omnibus hominibus: quæ oratio præcipuè debetur Regibus, quia ipsi pro singulis suis subditis laborant. Percurramus autem vetustorum Patrum expositionem, an significent orationem pro Regibus præcipi à Paullo, quia ipsi sunt caput Ecclesiæ.

§. 35. Hieron. Hieronymus (sic voco eius libri authorem: quia inter opera Hieronymi circumfertur) tomo 8. sic ait: ***Pro Regibus, vt cognoscant Deum: sivè vt subiectas habeant gentes: illorum enim pace tranquillitas nostra consistit.*** Colligitur ex hoc testimonio Hieronymi Paullum voluisse orari pro Regum conversione; erant enim Pagani. Quod clariùs dixit S. Chrysostomus tom. 4. hom. 4. in eum locũ, (Chrysost.) his verbis: ***Denique*** ait pro Regibus: nec enim tunc Reges Deum colebant, verũ multis postea temporibus in infidelitate, quam per seriem successionis acceperant, ***perstiterunt:*** ita & nos oramus pro Angliæ Rege, non quòd sit caput Ecclesiæ; sed quia successit Henrico, & Isabellæ in hæresi non minùs, quàm in Regno, vt Deus illam misericordi gratiâ suâ trahat ad Ecclesiam. Sanctus Augustinus, tom. 3. in Enchiridio cap. 103. explanans hunc locum ait: ***præceperat*** (S. August.) enim Apostolus, vt oraretur pro singulis hominibus, & specialiter addiderat Regibus, & his, qui in sublimitate sunt, qui putari poterant fastu, & superbiâ sæculari à fidei Christianæ humilitate abhorrere. Et infrà: quippe Deus bonum iudicavit, vt orationibus humilium dignaretur salutem præstare ***sublimium.*** Vides orationem non fieri pro Regibus, tunc, quòd caput essent Ecclesiæ: sed quia erant Pagani, atque superbi: in eâdem necessitate sunt Reges Angliæ, qui præ superbiâ nolunt subiici pedibus Piscatoris. Recognosce Patres Cornelium & Iustinianum in eos, qui & Hieronymo abutuntur contra libertatem Ecclesiæ.

§. 36. OEcume. Quàm verò longè absunt antiqui Patres ab hac hæreticorum scripturizantium expositione, OEcumenius hæc ait, ***tùm*** Episcopus communis sit Pater, debet pro omnibus hominibus precari, fidelibus, & infidelibus, amicis, & inimicis, calumniatoribus, ***& affligentibus.*** Ergo ex OEcumenio piscopus orat pro Regibus, non quòd potestate sit illorũ filius; sed quia est & ipsorum, & totius Orbis Pater. Id elegantiùs

S.Tho.q. 1. Art. 10. Chrysost. Chrysostomus dixit initio homiliæ sextæ: *quasi communis quidam totius Orbis pater Sacerdos est: dignum igitur est, vt omnium curam agat, omnibusq; provideat: sicut & Deus, cuius ministerio servit, & fungitur vice.*

SVBSECTIO III.

Alia testimonia ex Evangelio.

§. 37. 3. Arg. Matth. 22. 20. QVINTVM testimonium erit magis è re ex Matthæi 22. 20. cùm enim Iesus interrogaretur, vtrùm liceret censum dari Cæsari? respondit: *reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt Dei, Deo: semperne de Cæsare servulis Dei invidia commovetur?* (inquit Ambrosius adducendus §. 38.) *& hoc ad calumniam sibi arcessit impietas, vt imperiale nomen obtendat?* Confirmarique potest, quia Christus tributum pro se, & Petro solvendum iussit. Benè: reddamus ergo & nos tributum Regibus: admittamus nunc (quod non disputo, quia nihil interest instituti nostri) nullam esse Ecclesiasticis immunitatem à tributis: ponamus item, eâdem disputandi gratiâ, Christum, qua ratione homo est, debuisse tributum: rogo, vtrùm Tiberius Cæsar, cui tributum reddidit Iesus, fuerit caput Christi in rebus spiritualibus? si ergò Christus est caput Ecclesiæ, & potuit nihilominùs tributum pendere Cæsari: ergo rectè potuerunt Pontifices Ecclesiæ solvere tributum Regibus, & retinere principatum spiritalium: quemadmodum Christus potuit non esse Rex temporalis simul, & esse Rex spiritalis (id enim potuisse nemini dubium): ergo eadem ratione potuit Regnum spiritale penes Pontifices esse; temporale autem penes Reges. Et quemadmodum Ecclesiastici tenētur obedire Regibus in politia civili; ita & Reges Ecclesiasticis in imperio spiritali. Ratio à priori; quia hæc Regna sunt omninò disparia: & alterum spectat ad corpus, & fortunas externas; alterum verò ad animam: poterunt ergò hæc dividi: quemadmodum ibi satis indicatur fuisse divisa: Cæsari enim solum censum præcepit reddi, & alia quæ Cæsaris erant: at non erat tunc Tiberij administratio spiritalis Ecclesiæ: Deo autem reddi præcepit, quæ sunt Dei, id est, quæ sunt religionis, & animæ.

Ambros. Confirm.

§. 38. Hieron. Sanctus Hieronymus tomo 6. ita exponit hunc locum: ** Reddite*, quæ sunt Cæsaris, Cæsari: id est, nummum, tributum, & pecuniam: & quæ sunt Dei, Deo, decimas, primitias, & oblationes, ac victimas; sentiamus, quomodo & ipse reddidit tributa pro se, & Petro: & Deo reddidit, quæ Dei sunt, Patris faciens voluntatem.* En à Beato Hieronymo exponi locum illum in opposita significatione: constituit enim duos Principes; alterum sæcularem, cui debetur tributum; alterum Ecclesiasticum, cui victimæ, & decimæ debentur: & quidem testimonium illud nihil aliud concludit: Pharisæi enim, vt Christum facerent reum læsæ maiestatis, eum provocaverunt, vt Cæsari tributa negaret, vt fecerant Iudas Gaulonites & Theudas: Christus autem illa tributa reddenda præcepit: at non præcepit obedientiam in rebus spiritalibus. Demus ergò Angliæ Regi, quod Christus Tyberio reddi præcepit; at non propterea illi reddemus Principatum Ecclesiæ, magis quàm Christus fecit Tiberium Regem spiritualem sui ipsius. Chrysostomus tomo 2. homilia 71, *potestis enim*, inquit, *& hominibus sua reddere, & quæ Dei, Deo debetis præstare. Tu verò cùm audias reddenda esse Cæsari, quæ sua sunt: illa solùm dici non dubita, quæ pietati, ac religioni nihil officiunt: nam quod fidei, aut virtuti obest, non Cæsaris; sed Diaboli tributum & vectigal est*: cùm igitur Rex petat ludibria in imagines, vsurpationem muneris Pontificij, & alia id genus, petit proculdubiò tributa, quæ non Regis; sed quæ Diaboli censuit esse Chrysostomus cū tota antiqua Ecclesia. Claudat agmen S. Ambrosius in hæreticum Imperatorem, tomo 5. concione 1. de Basilicis non tradendis hæreticis. *Solvimus* (inquit) *quæ sunt Cæsaris, Cæsari; & quæ sunt Dei, Deo: tributum Cæsaris est, non negatur: Ecclesia Dei est; Cæsari vtique non debet addici: quia ius Cæsaris esse non potest Dei templum*: vt autem videas quàm mali sint protestantes, audi eumdem Ambrosiū paulò superiùs: *& tamen* (inquit) *videtur quanto peiores sunt, quàm Iudæi: illi quærebant vtrùm solvendum putaret Cæsari ius tributi? isti Imperatori volunt dari ius Ecclesiæ.* Quod nō solùm de templo materiali, quod minùs esset absurdum; sed etiam de iurisdictione spirituali sentit: tùm quia dixerat se non vt reum; sed vt iudicem futurum in tribunali Cæsaris: tùm quia Imperatorem dicit ibidem non esse supra; sed intra Ecclesiam. Chrysost. Ambros.

§. 39. 6. Arg. Ioā. 18. 36. Sextum testimonium vsurpat Rex ex Ioanne 18. 36. *Regnum meum non est de hoc mundo: si ex hoc mundo esset Regnum meum ministri mei vtique decertarent, vt non traderer Iudæis: nunc autem Regnum meum non est hinc.* Ex quo testimonio vult colligere Rex, Pontificem nullum habere spiritale Regnum in mundo: alioquin quorsum hoc testimoniū? Scopus enim Regius est adimere Summo Ponti-

Pontifici Regnum, non quidem temporale: Hispani enim, qui à Rege ad rusticum proprio sanguine tuemur primatum Romani Pontificis in totam Ecclesiam, non dicimus Papam esse temporalem Regem Hispaniæ; neque id Pontifex affectat: Rex ergo eo testimonio demoliri conatur spiritale Regnum Pontificis. Vndè sic argumentor: ergo Christus non fuit spiritale caput Ecclesiæ: probo consequentiam ex Rege, quia Regnum Christi non fuit de hoc mundo; sed quia Regnum Christi non fuit de hoc mũdo, Papa non est Rex spiritualis: ergo Christus propter eamdem rationem nõ fuit Rex spiritualis. Vrgeo argumentum: aut Christus fuit Rex spiritualis, aut non fuit? Si fuit, ergo rectè potuit esse Rex spiritualis, quin Regnum eius esset de hoc mundo: nõ enim pugnant esse Regem spiritualem simul, & non esse temporalem: ergo potuit Papa succedere Christo in Regno spirituali, quin in temporali: quia spirituale habuit Christus, temporale autem non habuit, vt tu conaris: vt ergò in Christo hæc componi potuerunt, quidni & in Pontifice? si autem Christus non fuit Rex spiritualis, non mirum, neque Pontificem Regem esse. Tàm avidè Rex invidet Regnum Pontifici, vt parum absit, quin id neget Christo: si enim velit hanc suam argumentationem tueri, necesse est, vt Regnum adimat Christo.

§. 40. Ne autem in hunc prolabatur errorem, pono quæstionem esse inter Scholasticos, vtrùm Christus, quâ homo, fuerit Rex temporalis, & quâ ratione? aliqui negant ob hoc testimonium ipsius Christi, quos sequitur Pater Maldonatus ibidem: quid autem ego censeam ostendam volumin. 3. abstinens autem ab eâ quæstione, do, Christum non fuisse Regem temporalem disputandi gratiâ: arma enim vtraque manu in hæreticos movens, nolo cum Scholasticis Catholicis implicari certamine. Quamvis ergo Christus non fuerit Rex temporalis, non dubium eum fuisse Regem spiritualem: tùm quia eius ingressus palmis triumphantis prædictus fuerat titulo Regis mansueti: tùm etiã, quia ex ipsâ responsione Christi ad Pilatum luce clarius ostenditur Regnum Christi asserentis Regnum suum non esse de hoc mũdo, neque esse hinc. Vnde conclusit Pilatus: *ergò Rex es tu*: concessit autem Christus: *quia Rex sum ego*. Deinde titulus crucis Regnum Christi prædicavit. Ne igitur Rex Angliæ Christo in cœlo regnanti adimat Regnum, quod illi morienti adiudicavit Pilatus.

§. 41. Obiectio. Refell. Dices, Christum ratione Deitatis fuisse Regem. Contrà: quia ipse dixit Regnum suum non esse de hoc mundo, quod vos exponitis, Christum non habuisse dominium Regni temporalis: quod dici non potest de Christo, vt Deo: Deus enim supremus Dominus est rerum omnium temporalium: ergo vt homo habet aliquod Regnum non de hoc mundo, quod est Regnum spiritale: hoc autem Regnum est Davidis Patris eius, vt Virgini dixit Angelus: item hoc imperium fuit super humeros eius, id est, acquisitum proprio sanguine: estque semen illud longævum, & principatus futuri sæculi, & pacis, quod illi obtulit Deus, si poneret pro peccato animam suam. Neque arbitror à Rege negari Christo spiritale Regnum Ecclesiæ: alioquin nec ipse Rex Angliæ posset sibi vsurpare spiritalem principatum in suos, ac relaberetur in Puritanismum, quem non raro detestatur. Ergo Christus, quamvis vt homo non fuerit Rex temporalis: fuit tamen spiritualis: ergo Pontifex potest esse Rex spiritalis Ecclesiæ, quin sit temporalis. Quid ergò probat Rex illo testimonio Ioannis?

Recognoscat Rex Sanctum Augustinum in Ioannem tom. 9. tract. 115. * *Audite* ergò Iudæi (inquit) & gentes, audi circumcisio, audi præputium, audite omnia Regna terrena, non impedio dominationem vestram in hoc mundo, Regnum meum non est de hoc mundo. Nolite metuere metu vanissimo, quo Herodes ille maior, cùm Christus natus nunciaretur expavit, & tot infantes, vt ad eum mors perveniret, occidit, timẽdo magis, quàm irascendo crudelior: Regnum inquit, meum non est de hoc mundo. Quid vultis amplius? venite ad Regnum, quod non est de hoc mundo: venite credendo. & nolite sævire *metuendo*.* Quæ in Reges Angliæ quadrant apprimè: metuunt enim Romani Pontificis authoritatem, neque credunt in Christum; credant, & erunt in Regno Christi, & in suo pacati. Subiicit Augustinus: *Vndè & hic non ait, Regnum meum non est in hoc mundo: sed, non est de hoc mundo: Non ait, nunc autem Regnum meum non est hic; sed, non est hinc: hic est enim Regnum eius vsque in finem sæculi.* E quibus liquidò constat posse in hoc mundo esse Regnum Christi, non de hoc mundo; & posse esse Regnum temporale Principum de hoc mundo, hoc est, penes principes sæculares; illud autem administratur à Summo Pontifice, Vicario Christi. In eumdem sensum explicat eum locum Sanctus Chrysostomus tomo 2. homil. 83. in Ioannẽ asserens Regnum Christi excellentius esse temporali: & Sanctus Ambrosius in cap. 3. Lucæ in illa verba, *qui fuit Salatiel, &c.* §. 42. S. Aug.

Ne autem nobis in fine huius convivii iucundum desit acroama, quo invito Rege frua- §. 43.

S. Tho. q. 1. Art. 10. Epiph. fruamur, subijciamus transmissam spiritalis Regni Christi successionem in Pontifices, ex Sancto Epiphanio hęresi 29. contra Nazarços: *Thronus igitur David* (inquit) *& Regia sedes, & Sacerdotium in sancta Ecclesia quæ dignitatem Regiam, simulque Pontificiam simul coniunctim largitus est Dominus sanctæ Ecclesiæ suæ, translato in ipsam throno David non deficiente in æternum.* Subijcit deinde nonnullis interiectis: *manet enim thronus ipsius in æternum, & Regni eius non erit finis, & sedet super thronum David, ita vt Regnum David vna cum Pontificatu transtulerit, ac largitus sit seruis suis, hoc est, Pontificibus Catholicæ Ecclesiæ.* Vidisti, ò Rex, antiquos Ecclesiæ Patres exponentes testimonium à te obiectum, tuum errorem confutasse? quia quamvis Regnum Christi non fuerit ex hoc mundo; habuit tamen de cœlo in hoc mundo Sacerdotale Regnum, quod administrat per Ecclesiæ Pontifices. Adde antiquiorem Gregorium Theologum in Apologetico primo, hæc de Episcopis asserentem: *qui cum Angelorum classe, atque ordine futurus est, qui cum Archangelis Deum celebrabit, qui ad supernum altare sacrificia transmittet, simulque cum Christo Sacerdotio fungetur.*

§. 44. 7. Arg. Luc. 12. 14. Septimo testimonio Rex vtitur ex cap. 12. Lucæ 14. *homo, quis me constituit Iudicem, aut divisorem super vos?* Nescio sanè quò tendat argumētum tàm inscitum: probat enim ex scopo Regis Christum non fuisse caput Ecclesię, quia non erat Iudex agri dividendi. Quasi verò ad spiritalem primatum Ecclesiæ necesse sit Iudicem esse civilem, & leges ferre de dividenda bonorum possessione. Refugit Christus munus illud, vt se indignum. Ambros. * *Benè* terrena declinat (inquit Ambrosius in eum locum) qui propter divina descenderat: neque iudex esse dignatur litium, & arbiter facultatum, vivorum habens mortuorumq; iudicium, arbitriūque meritorum. Non ergo quid petas; sed à quo postules, intuendum est; nec coram maioribus intento animo putes minoribus obstrependum. Vndè non immeritò refutatur hic, frater, qui dispensatorem cœlestē gestiebat corruptibilibus *occupare.** Satis patet quàm sit ridiculus author Apologiæ Regiæ: qui ex eo testimonio, quo maximè cōmendatur Christi & Pontificum in spiritualibus authoritas, conatur eam submovere. Non est absimilis argumentatio ex cap. Lu. 22. 25 22. Lucæ 25. *Reges gentium dominantur eorum: vos autem non sic.* Etenim indidem cōstat inter discipulos esse inæqualitatem spiritalem; *sed qui maior est in vobis, fiat sicut minor, & qui præcessor est, sicut ministrator:* Sanctus Ambrosius docet illis verbis Petrum instructum humilitate, idque proposito Christi exemplo: noluit enim Christus Vicarios suos esse superbos more Ethnicorum, & hæreticorum Regum, sed humiles more Christiano.

SECTIO. V.

Retorquetur primum argumentum ex Scriptura contra Brentium & Regem Angliæ.

EXPENDAMVS an arma militiæ nostræ feriant acutiùs, & duriùs cruentēt: arma enim Regis acumine ferreo nostros dilaniant, ingenio autem neque tangunt. Pręmitto, contra Regem sumi efficax argumentum ad excludendos Reges ab Ecclesiastica hierarchia, ex sola Scriptura eos non admittente; sed potiùs excludente: quamvis enim Catholici non solùm scripturâ movemur; sed etiam traditione, tamen hęretici Novatores reijciunt traditiones: si igitur probemus in scripturis nullam esse memoriam Regum in Ecclesiastica hierarchia, nullum fundamentum habet Rex ad errorem suum. Ostendi sect. superiori quàm sint inania eius fundamenta; nunc libet ex eadem scriptura ostendere Episcopos Regibus esse in spiritualibus superiores. §. 45.

SVBSECTIO I.

Duo testimonia Principum Apostolorum.

PRIMVM testimoniū est Pauli Actorum 20. 28. *attendite vobis, & vniverso gregi, in quo vos Spiritus Sāctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* §. 46. Actor. 20. 28. Vbi Apostolus partitur Ecclesiam in gregem & pastores. Pastores quidem provident vniverso gregi: ergo qui non fuerit Episcopus nec in ordine Episcopali, nempè Sacerdotali, pertinet ad gregem. Probo consequentiam, quia Episcopi constituti sunt à Spiritu Sancto ad regendum Ecclesiam Dei, & vniverso gregi providendum, sed in munere Episcopali nullus erat Rex constitutus: ergo in ordine pastorum non includuntur Reges: patet minor, quia Mileti, & Ephesi, vbi Apostolus hæc dixit, nullus erat

erat Rex: parebant enim Romanorum imperio, quod Nero gerebat: ergò spiritalis cura pascendi gregem vniversum non pertinebat ad Reges, sed ad Episcopos. Quapropter Clemens Romanus lib. 7. constitutionũ Apostolicarum cap. 32. *constituite* (inquit) *Episcopos dignos domino, presbyteros quoque, & Diaconos, &c.* Sanctus Ignatius epistolâ ad Smyrnenses hæc ait: * *Facite* omnes, vt Episcopum sequamini, quemadmodũ Christus Patrem: Presbyterorum chorum, vt Apostolos: Diaconos autem vereamini non secus, ac Dei mandatum. Nemo quicquam eorum, quæ ad Ecclesiam attinent, citra Episcopi authoritatẽ faciat, ea firma Eucharistia esse censeatur, quæ ab Episcopis fit. Vbi Episcopus apparuerit, illic vulgus sit; quemadmodũ, vbi est Christus, illic etiam catholica Ecclesia est. Citra Episcopum, nec baptizare, nec sinaxim facere licet; sed quod ille probaverit, hoc Deo quoque gratum est. Qui Episcopum honore afficit, is à Deo honoratur, qui clã Episcopo aliquid facit, hic diaboli *cultor est.* *

Clemẽs Romanus.

S. Ignat.

§. 47. Quàm bonus commentarius huius testimonij est hic locus Ignatij! nihil enim vult in administratione spirituali, nisi ex Episcopi præscripto: quæ autem præter illud fiunt, diaboli vult esse facturam. Quid diceret, si videret, non solùm præter Episcopi consensum, sed contra Pontificem Pontificum omnia geri. Adde Nazianzenum tùm adducendum 154. vbi Imperatorem Theodosium vocat sui gregis ovem: tùm in Apologetico. 1. *Oues* (inquit) *pastores vestros ne pascite, nec vltra terminos vestros assurgite: satis enim vobis est, si rectè pascamini: in iudices censuram vobis ne arrogate, nec legislatoribus leges imponite.* Quibus Nazianzenus Principes sæculares alloquitur, quos oves constituit in grege, Episcopos autem vocat Pastores, & Legislatores. Quæ duo testimonia, & explicant textum Paulli, & sunt omni veneratione excipienda: tùm, quia sunt tantorum Patrum; tùm, quia à Sancto Damasceno adducuntur simul cum testimonio Apostoli, ad probandum Ecclesiæ regimen ad solos Episcopos pertinere lib. 2. Paralellorum cap. 25. Quòd si Ignatius, & Nazianzenus, quia fuerunt Episcopi, suspecti sunt Regi in causâ propria (in quâ damnatione ipse est) ne sit illi suspectus Damascenus, qui nõ fuit Episcopus; sed aulicus. Quæ clarius constabunt ex interpretatione loci sequentis.

Nazianz.

§. 48. Secundum igitur testimonium sumitur ex prima Petri 5. 1. *Seniores ergo qui in vobis sunt, obsecro cõsenior, pascite, qui in vobis est, gregem Dei.* Vbi Petrus eâdẽ ratione, qua Paullus præcipit Episcopis, & Presbyteris, vt pascant gregem Dei: quod enim Paullus dixerat: *Regere Ecclesiam Dei*, dicit Petrus, *pascere gregem*. Petrum autem sermonem direxisse ad Episcopos constat ex OEcumenio explicante vocem illam *consenior*, id est, *sum presbyter Coepiscopus*. Glossa: *dicuntur autem seniores Episcopi: gregem autem ait, esse populum, commissum Episcoporum regimini.* Quæ mutuatus videtur Lyra ex Ambrosio in caput secundum Lucæ, asserente: *grex igitur populus, nox sæculum, pastores sunt Sacerdotes: non solùm Episcopos ad tuendum gregem Dominus ordinavit, &c.* In caput autem primum Isaiæ eos ait Ecclesiæ præesse, Strabus hæc ait ex Beda, Doctore Anglo, quo tempore Reges Catholici dominabantur in Anglia: *Sicut Dominus Petro totius gregis curã habere iussit, ita Petrus sequentibus Ecclesiæ pastoribus iure mandat, vt quisque, qui secum est, gregem Dei solicita gubernatione tueatur.*

1. Pet. 5. 1

OEcumen.

Glossa.

Lyra.

Ambros.

Strabus.

§. 49. Obiectio. Solutio.

Dicet Rex, ibi non excludi Reges: Doctores autem, qui eos excludunt, esse Sacerdotes & Episcopos, qui propriam caussam tuentur. Certè responderi potest Regi: *Nec tu Deum times qui in eadem damnatione es: prædicas item non furandum, & furaris.* Tu, ò Rex, cuius caussam agis? tuam ne? an alienam? Episcopi caussam agunt ea vitæ sanctitate, ac modestia, vt & honores recusaverint sæpe, nec pro commodo vllo se scelere polluant; sed potiùs vitam profundant. Ostendam autem ex Gelasio, & alijs Pontificibus, eos sæpè docuisse regnum temporale ad eos non pertinere: eaque sibi vendicant, quæ scriptura, & Apostoli ipsorum esse docuerunt. Quapropter Sanctus Ambrosius caussam hanc dicens contra Valentinianum tomo 5. lib. 2. Epistolarum epist. 14. ad Marcellinam sororem rectè dixit, à Sacerdotibus antiquo iure donata Regna Imperatoribus; non vsurpata. Quod communi adagio, & opinione vulgi confirmat. *Vulgò dicitur* (inquit) *quòd Imperatores Sacerdotium magis optaverunt, quàm imperium Sacerdotes*: quod in novissimis Angliæ Regibus non sine lachrymis cernimus.

Luc. 23. 4

Ambros.

§. 50. Ne autem Rex obcæcetur concepto in Pontifices odio, recolat, obsecro, Damascenum, qui cùm penes ipsum, esset totius Saracenici Regni summa, restitit laicus Imperatori, vsurpanti partem aliquam muneris Pontificij: Cassiodorus autem 12. variarum epist. 17. ad Ioannem summum Pontificem: *Pascitis quidem* (inquit) *spiritualiter commissum vobis gregem.* Erat autem Cassiodorus vir Prætorius. Basilius Macedo Imperator Orientis suos ita alloquitur, vt patet ex Concilio octavo Generali, & alijs antiquis authoribus, qui res Ecclesiasticas, & Basilij scripserunt, quos refert, & sequitur Baronius tomo 10. anno 869. §. autem *ad laicos,*

Cassiodor.

S. Tho. q. 1. Art. 10. laicos, hæc refert verba Basilij: * de vobis autē laicis, tàm qui in dignitatibus, quàm qui absolutè conversamini, quid amplius dicā, quàm quia nullo modo nobis licet de Ecclesiasticis caussis sermonem movere, neque resistere penitùs integritati Ecclesiæ, & vniversali Synodo adversari? hoc enim investigare, & quærere Patriarcharum, Pontificum, & Sacerdotum est: qui regiminis officium sortiti sunt; qui sanctificandi, qui solvendi, & ligandi potestatem habent; qui Ecclesiasticas, & cœlestes adepti sunt claves; non nostrum, qui pasci debemus, qui sanctificari, hoc est, benedici; qui ligari, vel à ligamento solvi egemus. Quantæcumque enim religionis & sapientiæ laicus existat, ovis vocari non desinet. Rursumque quantumcumque Episcopus sit irreverentiā plenus, & nudus omni virtute, donec antistes est, & veritatis verbum rectè prædicaverit, Pastoris nominationis, & dignitatis damna non patitur. Quæ ergo nobis ratio est in ordine ovium constitutis Pastores verborum subtilitate discutiendi, & ea, quæ super nos sunt, quærendi & ambiendi? Oportet nos cum timore, & fide syncera hos audire, & à facie eorum vereri; cùm sint ministri Domini omnipotentis, & eius formam possideant, & nihil amplius, quàm, quæ nostri ordinis sunt, *requirere.**

§. 51. Obijcimus Regi, & suis, scripturæ testimonia, quibus detegitur esse ovis & non Pastor, quæque id clarissimè sonant: sic accepta sunt ab vniversa Ecclesia, quæ in hac administratione perennat: sic exponuntur à sanctis Pontificibus, quos Deus Doctores dedit Ecclesiæ: nec modò in angulis ea defendunt; sed etiam à nonnullis Imperatoribus etiam invitis extorserunt, vt Ambrosius à Valentiniano: sic exponuntur à laicis ministris Regum, sic ab Imperatoribus, qui se in ordinem ovium redegerunt: ipsi autem ridiculis argumentis, sine vlla specie in scriptura, sola authoritate Brentij in multis alijs delirantis, contra communem Ecclesiæ sensum in Pontifices rebellārunt: & dùm ex ovibus volunt fieri Pastores, nec Pastores sunt neque oves; sed rapaces lupi, neque tecti ovina pelle; sed ostendentes lupinam.

SVBSECTIO II.

Alia scripturæ testimonia.

§. 52. 1. ad Corinth. 12. 28. PAVLLVS non semel recensuit dignitates Principes in Ecclesiastica hierarchia, 1. ad Corinthios 12. 28. *& quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia: primùm Apostolos, secundò Prophetas, tertiò Doctores; deinde virtutes, &c.* & ad Ephes. 4. 11. *& ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Evangelistas, alios autem Pastores, & Doctores, ad consummationem Sanctorum in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi.* Hæc Apostolus dixit de Ecclesiastica hierarchia necessariā ad perfectionem Ecclesiæ, penitùs oblitus Regum: ergo Reges, si solum ius Regium consideretur, non spectant ad ordinem hierarchicum: patet consequentia, quia non esset recensus totus ordo hierarchicus, si deesset princeps illius pars. Audi Damascenum oratione secunda de imaginibus in Leonem Isauricum, suorum sanguinem lābentem pro vsurpatione muneris Pontificij, vt Reges Angliæ: *Regum,* (inquit) *partes non sunt vt Ecclesiæ leges præscribant: considera enim quid divinus Apostolus dicat: & quosdam quidem in Ecclesia posuit, primùm Apostolos, deinde Prophetas, tùm Pastores & Doctores: ad Ecclesiæ constitutionem non adhibuit Reges,* & infrà. *Verbum non loquuti sunt vobis Reges; sed Apostoli, & Prophetæ, Pastoresque, atque Doctores.* Hæc testimonia oportet explanare ex communi interpretatione Patrum, & vsu Ecclesiæ, atque ratione: quibus ostendetur Reges solo iure Regio non spectare ad statum hierarchicum Ecclesiæ. Quod constat primùm ex adductis Patribus, & Basilio Imperatore, à quibus Reges accensentur gregi pascendo, Sacerdotes autem & Episcopi Pastoribus: sic ostendendum est Reges non constitui à Patribus, nec in ordine Pastorum, neque inter optimates in Ecclesiastica hierarchia: quæ enim ex Patribus huic faciunt instituto, faciunt etiam huic loco interpretando.

Ad Ephes. 4. 11.

Damas.

§. 53. Ambros. Ac primum certamen ineat Ambrosius, qui Imperatoribus tàm hæreticis, quàm Catholicis sæpè restitit, ostendens se illis in spiritali administratione esse superiorem, lib. 2. epistolarum, epistola 15. ad Imperatorem Eugenium, eumdem Imperatorem reprehendit, quòd cōtra religionem sumptus dederit ad idolorum sacrificia. *Non sumus* (inquit) *vestræ liberalitatis, nec aliorum commodorum invidi, sed sumus interpretes fidei.* Quibus satis clarè ostendit Ambrosius, Imperatorem ab Episcopo interprete pendere in causis fidei. Est autem clarissima constantia Ambrosij adversus Valentinianum eodem lib. 2. epistola 14. ad Marcellinam sororem, cui suum describit certamen cum Arianis & Valentiniano, petentibus Basilicam vnam: cùm autem descripsisset aulicorum questus, quibus obijciebant Ambrosium velle esse potentiorē Imperatore, hæc

Idem. hæc ait Ambrosius : * *Quæ* ratio igitur est adversus hunc vermiculum moliri graviores tentationes, nisi quia non me, sed Ecclesiam persequuntur? Mandatur denique: trade Basilicam : respondeo, nec mihi fas est tradere, nec tibi accipere, Imperator, expedit. Allegatur, Imperatori licere omnia, ipsius esse vniversa. Respondeo: noli te gravare, Imperator, vt putes te in ea, quæ divina sunt, imperiale aliquod ius habere: noli te extollere; sed, si vis diutiùs imperare, esto Deo subditus : scriptum est, quæ Dei, Deo; quæ Cæsaris, Cæsari. Ad Imperatorem palatia pertinent; ad Sacerdotem Ecclesiæ. Publicorum tibi mænium ius commissum est, non *sacrorum.* * Potuitne clariùs clarissimus Ambrosius obscurare nebulones istos, & nuperos Angliæ Regum. Epistolâ autem

Idem. 13. hæc ait Valentiniano ipsi: *quando audisti clementissime Imperator, in caussa fidei laicos de Episcopo iudicasse?* Inauditum ergò erat Ambrosiana tẽpestate Anglicum hoc schisma. * *At certè* (prosequitur Ambrosius) si vel scripturarum seriem divinarum, vel vetera tempora retractemus, quis est, qui abnuat in causâ fidei, in caussa, inquam, fidei Episcopos solere de Imperatoribus Christianis, nõ Imperatores de Episcopis iudicare? eris, Deo favente, etiam senectutis maturitate provectior, & tunc de hoc censebis, qualis ille Episcopus sit, qui laicis ius Sacerdotale substernit. Pater tuus, Deo favente, vir maturioris ævi dicebat: non est meum iudicare inter Episcopos. Ambrosius ergò doctrinam nostram confirmat & scripturarum authoritate, & temporum consuetudine, & Imperatorum exẽplo; conatum autem Valentiniani ortum censet ab ætate præcipiti: quem sperat iri emendatum iudicij, & ætatis maturitate: heu! non possum non lugere Reges, inter canos puerascentes.

§. 54. *Nazian.* Nazianzenus in Apologetico primo sæpissimè repetit, Episcopos præfectos esse pascendo Dominico gregi: non enim longè ab initio hæc ait: *nam profectò ars quædã artiũ & scĩetia scientiarũ mihi esse videtur, hominem regere.* Prius autem dixerat, hoc regimen esse Episcoporũ præfecturam: deinde multo longiùs ait « Sacerdotis munus esse animarum curam, & gubernationem, esséque mediatorem inter Deum & vulgus. Item *homini cùm difficile sit parere, tùm verò longè difficiliùs esse videtur scire hominibus imperare, ac præsertim in hoc nostro imperio quod & in lege divina est, & ad Deum ducit.* Item *tãtò sublimius est Regnũ Sacerdotium, quantò spiritus carne præstantior.* Quæ & alia multorum Patrum refert Damascenus secundo Parallelorum, cap. 25. Adde Nazianzenum ipsum in oratione ad cives Nazianzenos, & Principem irascentem (qui erat Theodosius), ad quem hæc ait: * *Nam vos* quoque potestati meæ, meisque subsellijs lex Christi subijcit. *Idem.* Imperiũ enim ipsi quoque gerimus. Addo etiam præstantius, ac perfectius; nisi verò æquum est spiritum carni fasces submittere, & cœlestia terrenis cedere; sed non dubito quin hanc dicendi libertatem in optimam partem accepturus sis, vtpotè sacri mei gregis ovis sacra, magnique Pastoris *alumna.* * De eâdẽ fidelia duos parietes dealbo: etenim authoritate Gregorij, & Magni Theodosij armatus exemplis, impetum facio in Regem inermem : ait enim sententiam subijcientem Reges Episcopis nuperam esse, atque novitiam : ohe quàm est tyrom inister author Apologiæ! quàmque fatuo & pravo ingenio! Nuperi erunt (si Deo placet) Nazianzenus atque Theodosius, quorum alter Imperatorem præsentem sui gregis ovem compellat; alter libenter audit. Novitij erũt Ambrosius, Valẽtinianus, Eugenius, Theodosius, & omnia sæcula teriora : quorum consuetudine, & exemplo confirmat Ambrosius, in caussis fidei solitos Episcopos de Christianis Imperatoribus iudicare ; solus Angliæ Rex eiusque ministri sunt veterani.

Apostolis Episcopos in hac spiritali præfectura, atque primatu successisse ex authoribus adductis satis ostenditur: ipsi enim ad probandum suum principatum, vtuntur testimonijs, quæ ego proposui: id tamen disertè constat ex Augustino, tom. 8. in Psal. 44. prope finem, explicante versum: *pro patribus tuis nati sunt tibi filij*: docet enim ab Apostolis Ecclesiam genitam in Christo : illosque non potuisse nobiscum permanere: * *ergo* (inquit Augustinus) illorum abscessu deserta est Ecclesia. Absit. Pro Patribus tuis nati sunt tibi filij. Patres missi sunt Apostoli, pro Apostolis filij nati sunt tibi, constituti sũt Episcopi. Hodie enim Episcopi, qui sunt per totũ mundum, vndè nati sunt? ipsa Ecclesia Patres illos appellat, ipsa illos genuit, & ipsa illos constituit in sedibus Patrũ: nõ ergò te putes desertã, quia nõ vides Petrũ, quia non vides Paullũ, quia nõ vides illos, per quos nata es, de prole tua tibi crevit *paternitas.* * Augustinus ergo censuit Episcopos locum tenere Apostolorum : illi autem primum tenuerunt locum in hierarchia Ecclesiastica: ergo ex Augustino Episcopi primatum spiritalem tenent. §. 55. *Psal. 44.* *August.*

Sanctus Ambrosius lib. de dignitate Sacerdotali, cap. 2. cum Episcopos prætulisset Regibus, hæc ait : *Quas oves, & quem gregem non solùm tunc beatus suscepit Petrus, sed & cum illo eas nos suscepimus omnes. Vndè regendæ Sacerdotibus cum traduntur, meritò ressosiphe suit* §. 56. *Ambros.*

S. Tho. q. 1. Art. 10. *sui subdi dicuntur*. Sanctus Hieronymus explicans versum eumdem Psalm. 44. hæc ait: **fuerunt*, ô Ecclesia, Apostoli Patres tui: quia ipsi te genuerunt. Nunc autem, quia illi recesserunt à mundo, habes pro his Episcopos filios, qui à te creati sunt. Sunt enim & hi Patres tui: quia ab ipsis regeris. Constituit Christus Sanctos suos super omnes populos: in nomine enim Dei dilatatum est Euangelium in omnibus finibus mundi: in quibus Principes Ecclesiæ, id est, Episcopi constituti *sunt*:* vbi obsecro te, ô Rex, hi antiqui Doctores meminerunt Regũ? abscedentibus Apostolis successerunt Episcopi in eorum locum: Reges non successerunt.

§. 57. Ambros. Atque, vt id penitus antiquũ in Ecclesia esse sciãt, & non nuperũ, vt mētitur author Apologiæ, audiant Ambrosium tomo 5. in concione de Basilicis non tradendis hæreticis: ***ad palatium Imperatoris irem libenter, si hoc congrueret Sacerdotis officio, vt in palatio magis certarem, quàm in Ecclesia; sed in consistorio non reus solet Christus esse; sed iudex. Caussam fidei in Ecclesia agendam quis abnuat?*** Quibus satis apertè ostendit Ambrosius in caussis fidei se Imperatore esse superiorem: quia in eo consistorio Episcopi non sunt rei; sed iudices: ad quas caussas peragendas Imperatores venturi sunt in Ecclesiam, & non Episcopi in palatia. Reges autem non esse caput Ecclesiæ; sed priuata membra, dixit Ambrosius ad Imperatorem, & eius aulicos prope finem eius concionis, his verbis:

Idem. **Quid* enim honorificentius, quàm vt Imperator Ecclesiæ filius esse dicatur? Quod cùm dicitur, sine peccato dicitur, cum gratia dicitur. Imperator enim bonus intra Ecclesiam, non supra Ecclesiam est. Bonus enim Imperator quærit auxilium Ecclesiæ, non refutat: hæc, vt humiliter dicimus, ita constanter *exponimus*.* Caussam autem ita obtinuit Ambrosius, vt Imperator propter illum non solùm timuerit populum; sed & suos familiares, vt refert Ambrosius eidem Marcellinæ epistola 14. Tandem quàm sint Reges infra Episcopos, explicuit Ambrosius idem, tomo 4. lib. de dignitate Sa-

Idem. cerdotali, cap. 2. his verbis: **Honor* igitur, fratres, & sublimitas Episcopalis nullius poterit comparationnibus adæquari. Si Regum fulgori compares, & Principum diademati, longè erit inferiùs, quàm si plumbi metallum ad auri fulgorem cõpares, quippe quùm videas Regum colla, & Principum submitti genibus Sacerdotum, & exosculatis eorum dextris, orationibus eorum credant se *communiri*.*

§. 58. Quibus efficitur, Reges Christianos non esse iure Regio Sacerdotes, & Episcopos. Lutherus censuit, omnes Christianos cum Baptismo fieri Sacerdotes, etiam fœminas; quas ipse sibi deuinxit, quia, quas Apostolus præcepit in Ecclesia tacere, Lutherus fecit Sacerdotissas, & Episcopas, quæ in templis etiam prædicarent: homo enim mulierosus non est passus nec in templo carere fœmineâ musicâ: tamen non est ausus hic Apostata asserere omnibus licere Sacerdotio fungi; sed illis dumtaxat, qui ad hoc publicè designantur. Igitur Reges non esse Episcopos solo iure Regio satis liquet ex his Patribus, negantibus Imperatori ius aliquod in Ecclesiam: quòd si Imperator, quia Imperator Christianus est, esset Episcopus neque à Nazianzeno diceretur ovis sui gregis, neque Valentinianus Maior dixisset, non esse suum inter Episcopos iudicare, neque Ambrosius contenderet cum Imperatoribus de Ecclesiastico iure. Neque item Sacerdotium contingit alicui, nisi per impositionem manus, & vnctionem. Hæc omnia aliundè pono; nec enim ab Angliæ Rege negantur, quis enim dicat fœminam, ad quam spectat ius Regium, ipso iure Episcopam esse?

Tandem concludo, totam Ecclesiasticam hierarchiam integrè constitutam à Christo, & Apostolis absque Regibus, quia tempore Apostolorum Ecclesia fuit perfectè constituta: nec enim sine capite, & Pastore eam reliquit Deus tàm multis annis; sed tũc nullum habuerunt Regem Christianum, nisi fortè regulum aliquem: ergò sine regibus constituta fuit Ecclesia: Apostoli autē non solùm constituerunt Episcopos per ciuitates; sed ipsis reliquerunt potestatem alios constituendi: vt constat ex Paullo ad Titum 1. 5. ***huius rei gratiâ reliqui te Cretæ, vt ea, quæ desunt, corrigas, & constituas Presbyteros per ciuitates, sicut & ego disposui tibi.*** Sanctus Chrysostomus tomo 4. hom. 2. ad Titum asserit, Apostolos Orbem administrasse, velut familiam vnam, in eaque munera distribuisse. Quòd si independenter à Regibus constituti sunt Episcopi cum potestate alios etiam creandi, idque Sanctorum expositio, & totius antiquitatis consuetudo confirmat, neque Scriptura Reges donat imperio sacro; vndè, obsecro, soli tres Angliæ Reges irrepserunt in Pontificium? §. 59. Ad Titum 1. 5.

SECTIO VI.

Secundum argumentum Regis.

SECVNDVM argumentum Regis est, quia ipso iure naturali Rex est princeps, etiam in spiritalibus. Quod §. 60. 2. Arg.

probat,

probat, quia Reges simul fuerunt Summi Sacerdotes in lege naturali: quodpatet ex Melchisedech, qui simul fuit Rex, & Sacerdos: in ea autem lege omnia fiebant iure naturæ: illud verò ius non est mutatum à Christo: ergo in lege gratiæ penes Regem manet spiritalis principatus. Vndè sic effor matur argumentum: iure naturæ Summum Sacerdotium est coniunctum Regiæ dignitati; sed ius naturæ non est mutatum in lege gratiæ: ergo in lege gratiæ Summum Sacerdotium annectitur Regię dignitati.

§. 61. Non potuit hæreticus robustiori inniti scipioni: est enim hoc argumentum claudum vtroq; pede, nempè vtraque præmissa falsa. Primum enim non est de iure naturali connexio illarum dignitatum: nam sicut non erat de iure naturali, vt in vnaquâque familia primogenitus esset sacerdos, ita neque, vt Rex esset sacerdos maximus. Etenim Sacerdotes privati creabātur à populo, vel Regibus. Quod patet tùm ex Græcis: Alexander enim summum Sacerdotium numquam exercuit; sed cùm occupasset Ægyptum, eius regni sacerdotes consuluit, quorum maximus responsa Iovis illi reddidit. Apud Romanos res est absque controversia: erat enim collegium Pontificium, in quo cooptabantur Sacerdotes populi suffragio: apud quos dixit Tullius caussam pro domo sua. Pontifex autem maximus erat tunc Caius Cæsar, vt dixit Manutius eam orationem explanans. Hunc Pontificatum summum adeptus est Cæsar multo antè quàm consulatum, vt refert Plutarchus in Caio Cæsare. Quem Pontificatum institutum ad infringendas vires potentium testatur Plutarchus idem in Numa Pompilio, his verbis. * *Vocatos* autem Pontifices alij dicunt, quoniam Deos colunt, potentiæ, ac omnium dominos: alij verò inquiunt, nomen effictum esse ad potentum profligationem, tamquam iubente legum latore Sacerdotes obire potentię sacra: si verò quid maioris impedimenti fi[illegible], haud *calumniante*. * Plutarch.

§. 62. Satis patet civilium Magistratum potentiam suspectam fuisse Romanis: ad quam frænandam Pontifices creaverunt: qui quidem frequenter distinguebantur à Consulibus, Prætoribus, & Dictatore. Valerius Maximus lib. 1. cap. 3. refert, Posthumum Consulem petentem Africam ad gerendum in ea bellum, retentum à Metello Pontifice Maximo, qui Consuli mulctam indixit, si discederet Româ non sacrificans Marti. Cap. autem 11. hæc ait: *Quapropter non dubitaverunt sacris Imperia servire: ita se humanarum rerum futura regimen existimantia, si Divinæ potentiæ benè, & constanter fuissent famulata.* Constat igitur Imperium administrantes subiectos fuisse Pontificibus, qui sacrorum curam gerebant: ne novum videatur Angliæ Regi hoc Sacerdotale Imperium in Reges. Quod tantum erat, vt Imperatores postea simul cum Imperio vsurparent Pontificium: quòd Summi Pontifices tàm essent Consulibus, & Imperatoribus superiores, vt illis essent impedimento ad res pro arbitratu gerendas: itaque Romæ cum libertate extincta fuit separatio Pontificiæ dignitatis à potentia civili: cum tyrannide autem coniunctæ fuerunt illæ duæ potentiæ. Adumbravit enim Deus in Ethnica Roma Christianam: Reges enim Catholici se subijciunt Pontificibus, vt olim summi Magistratus: Reges autem tyranni refugiunt hanc subiectionem, arrogantes sibi Pontificatum Summum. Qua de re eruditè Baronius agit tomo tertio, anno 372. à numero 94. Baron. Videat Rex Angliæ vtros imitetur? Neutros equidem: non probos, quia non se subijcit Pontificibus, vt illi; neque pravos: quia non vsurpaverunt Pontificatum; sed illud accipiebant delatum à Pontificibus: Rex autem illum sibi vsurpat iure (vt iactitat) naturali. Hæc de maiori propositione Regiæ argumentationis. Val. Max.

Minor autem non est magis vera, quàm maior. Pater Suarez libro tertio, cap. nono, à numero secundo, rectè docet Christum instituisse Sacerdotium Summum in non Regibus. Constat ex Scriptura Sacra, divisum fuisse Regnum Israëliticum à Sacerdotio Summo: hoc enim erat in Tribu Levitica in familia Aaron: Regnum autem fuit in Tribu Iudà: ergo non est de iure naturali coniunctio Summi Sacerdotij, & Regni; vel si est, iam Deus in illo Regno illud ius mutavit. Cùm verò Machabæi coniunxerint Sacerdotium cum Regno, postea illud diviserunt: Hyrcanus enim retento Summo Pontificatu Regnum cessit Aristobulo fratri minori natu, teste Iosepho lib. 14. antiquit. cap. primo, & primo de bello cap. quarto: ab Herode autem abiunctum fuit Regnum à Pontificatu. §. 63. P. Suarez. Ioseph.

Idem contigit in lege gratiæ. Petrus enim non erat Rex; sed piscator egenus, cui Deus commisit pascendos greges ex primis Ecclesiæ sæculis. Ad argumentum Regis in §. 60. nego maiorem: vtebantur enim homines libertate suâ in Pontificibus eligendis. Vndè iam Reges creabantur etiā Summi Sacerdotes, vt in Melchisedec: & nos idē possumus: iam verò dividebātur hęc imperia, vt in Gręcis, & Romanis. §. 64.

S.Tho.q. 1.Art.10. Distinguo item minorem ius naturale non fuit mutatum à Christo in rebus naturalibus, concedo minorem; quando res naturales non præbent fundamentum ad supernaturales; nego autem minorem, quando illud præbent. Nam Pontificium Christianum est ad remittenda peccata; quod est supra naturam: cum verò Deus non permiserit aliud sacrificiũ quàm Eucharisticum, sic noluit Pontifices naturales, id est, agentes solo iure naturæ; sed elevatos charactere supernaturali, qui possent Christi corpus offerre, quod non tam est mutare ius naturale, quàm perficere.

SECTIO. VII.

Tertium argumentum Regis ab authoritate Patrum.

§. 65. 3.Arg. TERTIO Rex argumẽtatur, quia Reges vocantur, & sunt Dei vicarij: ergo sũt etiã in spiritalibus Vicarij. Antecedẽs probat primò, ex Sãcto Eduardo Angliæ Rege, qui cap. 19. suarum Legum, Rex vocatur Vicarius Dei: secundò August. idem probat ex Sancto Augustino in quæstionibus veteris & novi testamenti parte Eleuther. secunda quæst. 91. Vbi de Rege dicit: *Adoratur in terris, quasi Vicarius Dei.* Eleutherius Papa hæc ait in quâdam epistola ad Lucium Britaniæ Regem: * *Suscepistis* nuper miseratione Divina in Regno Britanniæ legem, & fidem Christi: habetis vos in Regno vestro vtramque paginam: ex illis Dei gratia per Concilium Regni vestri sumite legẽ, vos enim in regno vestro Vicarius Dei *estis.** Ergo præter hunc Vicarium non est necessarius alius in spiritualibus.

§. 66. Solutio. Consequentiam hanc ex illo antecedenti non consequetur accipiter; adeò enim non sunt connexæ illæ propositiones. Etenim Prætor civilis Vicarius est Regis, & tamen Rex Angliæ fatetur necessarios etiam esse Episcopos, & Sacerdotes privatos, qui privati etiam sint Vicarij Christi: ergo etiam si Rex sit Vicarius Dei, adhuc locus est secundo Vicario, qui in spiritalibus primatum teneat. Probo consequentiam, quia quemadmodùm Rex exercet duas potestates, alteram civilem, alteram spiritalem; & mittit prætorẽ, qui in civili sit Vicarius Regis; mittit etiam Episcopum, qui in spiritualibus Vicarius sit Regis: ita Deus vtrãque potestatem partitur: mittitque Regẽ Vicariũ in civili administratione; summumque Pontificem in spirituali. Quæ ad hominem dico: Rex enim Angliæ fatetur præter civiles magistratus, necessariã esse Ecclesiasticam hierarchiam, cui se caput effingit: alioquin esset Puritanus, quam sectã execratur maximè Rex. Demus autẽ partitum hæc munera; nonne Rex Vicarius erit Dei in administratione civili? gerit enim vices Dei in eâ gerenda: quemadmodùm Reges Hispaniæ Vicarium vocant eum, quem præficiunt tribus Regnis, quibus in Italia fruuntur Mediolanensi, Neapolitano, & Siculo.

Videamus ergò quid Rex probet. Vtitur primùm exemplo S. Eduardi: quem vtinam imitaretur: etenim eo tempore Reges Angliæ tàm erant Ecclesiæ Catholicæ filij, vt voluerint esse vectigales Romanorum Pontificum, non domiti ferro, sed pietate inclinati. Recognosce Patrem Gordonum anno 704. id probantem ex Polydoro Virgilio Anglo. Item anno 975. probat ex Osverto Eduardum egisse contrà Clericos concubinarios: cum igitur Rex Iacobus maiorem suum imitetur Eduardum in compellatione Vicarij Dei, obsecro imitetur eumdem vectigal, & obedientiam pensitantem Romano Pontifici. Proh tamen dolor! imitatur Eduardum in compellatione Vicarij; in compilatione autem templorum imitatur Henricum. Cur autem tàm curtè bonos imitatur? §. 67. P.Gord.

Probatio ex Sancto Agũstino est quidem hæretico digna. Pater Suarez libro tertio capite 9. num. 12. docet librũ illum quæstionum novi & veteris testamẽti non esse ab authore Augustino: Bellarminus de scriptoribus Ecclesiasticis in observatione tomi quarti censet auctorem esse hæreticum, confirmatque ex Sancto Hieronimo librum illum esse imperitum sermone, & scientiâ: scatet enim erroribus præsertim Manichæorum: item ex chronologia probat apertè librũ illum esse auctoris antiquioris Augustino. Epistola Eleutherij stylo redolet hæreticos novatores: nec enim reperitur in tomis Conciliorum, aut Epistolis Pontificum. Neque si esset Eleutherij, aliquid probat: fatemur enim Regem in bono sensu esse Vicarium Dei: quod autem monuit, vt ipse legem sumeret non alienam ab vtroque testamento, nihil refert, tùm quia id intelligi posset de lege civili, quæ vt sit iusta necessariò debet non repugnare Scripturæ sacræ: tùm etiam, quia cùm dicit, id fiat consilio Regni, non excluduntur Episcopi, qui Sacras cæremonias sancirent ex antiquo §. 68. S.Aug. P.Suarez. Bellarm. S.Hieron.

ritu

ritu Ecclesiæ Romanæ, per quam præcipuè Angliæ Regnum Deo fuit comparatum.

§. 69. Quòd si iure naturali Regnum & summum Sacerdotium sunt coniuncta; & hæc naturalis lex non fuit à Christo mutata: ergo Christus non fuit Sacerdos Summus. Probo consequentiam, quia Christus non fuit Rex temporalis ex multorum Theologorum sententia, quam Rex sequitur, non quòd Theologorum & probabilis sit; sed quia ex illa conatur evertere Principatum Romanum, vt constat ex §. 39. Etenim nullus Summus Sacerdos potest esse iure naturali, nisi Rex sit; sed Christus non fuit Rex temporalis: ergo Christus iure naturali non potuit esse Summus Sacerdos. Sed in hoc iure naturali nihil est mutatum à Deo in lege gratiæ: ergo Christus non fuit Summus Sacerdos: videat Rex quod consequens suam argumentationem sequatur: ne autem ita sit deridendus, alterum è duobus admittat, vel non esse de iure naturali coniunctionem Regni, & Summi Sacerdotij, vel eam legem dispensatam à Deo in Ecclesia. Christus ergo reliquit Apostolos, & Episcopos in Summo Pontificatu Vicarios; Petrum quidem, & eius successores; reliquos autem privato Sacerdotio donavit: Regnum autem temporale, quod quantum ad vsum & administrationem non habebat, vt homo, non reliquit Apostolis & Episcopis: vt enim hæc in Christo divisa fuere, eadem divisa perennant in Ecclesia: etenim, vt Christus potuit peccata dimittere, & sacrificium offerre absque administratione temporali Regnorum, quid ni poterit Episcopus Romanus supremam hanc potestatem retinere in totum Orbem, quin in illum temporaliter dominetur? Quid autem absolutè sentiam de Regno Christi, ostendam volumine tertio. Hæc autem potiùs sunt ad hominem, & ex aliorum opinione.

Confirm. S. Isidor. Confirmari potest argumentatio Regis ex Sancto Isidoro libro tertio sententiarum, seu de summo bono, cap. 49. asserente: ***Dedit Deus Principibus præsulatum pro regimine populorum***: præsulatus autem significat præsidentiam spiritualem. Sanctus Basilius in cap. 11. Esaiæ Christianis regibus adscribit munus Pastorale, *Basilius.* his verbis: ***Reges verò, qui ad Pastorale regimen Ecclesiæ eliguntur, quos etiamnum Dominus nominatim dixit filios esse Regni.*** Hæ sunt quisquiliæ: arripiuntur enim voces communes quidem præsulatui, & pastoratui spiritali, & temporali: quamvis enim *præsul* vocabatur primus inter Sacerdotes Salios, quòd saliendo cæteris anteiret; tamen porrecta fuit illa vox ad significandum quemcumque Antistitem, vt docet Ambros. Calepinus: Antistites autem non solùm erant Summi Sacerdotes; sed etiam civiles Magistratus, vt constat ex Tertulliano in Apologetico, quem direxit ad Senatum, Senatores autem vocat ***Antistites summi Imperij***. *Tertull.* Immò Cicero primo de oratore, Principes alicuius artis vocat ***artis Antistites***: *Cicero.* quia doctrinâ stant ante alios: ita Sanctus Isidorus omnes Reges tàm Ethnicos, quàm Christianos vocat præsules: agit enim eo titulo *de prælatis*, inter quos recenset Reges, vt observat Pater Suarez lib. tertio, capite nono, numero decimo tertio. *P. Suarez.* Sanctus Basilius nihil iuvat Regem. Primùm enim potest intelligi de Regibus, qui eliguntur ad Ecclesiasticam hierarchiam: in quo sensu est contra Regem Angliæ: quia si postquam adepti sunt Regnum, adhùc indigent novâ electione: ergo solo iure Regio non spectant ad Ecclesiasticam hierarchiam: vel possunt intelligi Reges eligi ad Christianismum, vt in eo exerceant regimen Pastorale: sic autem nihil concluditur: Reges enim Christiani sicut in sano sensu possunt dici *Vicarij*, ita possunt dici *Pastores Ecclesiæ*: non quidem formaliter, vt Ecclesia est, præscribendo leges Ecclesiasticas; sed materialiter: quia iure, & politiâ civili pascunt fideles, qui sunt Ecclesia Dei. Tiberius Cæsar imperium iniens, *Tiber. Cæsar.* vt ostenderet se provisurum imperio, dixit, ***oportere pecus tondere, non deglubere***: quibus se per metaphoram Pastorem appellat. Nunc autem non sumus vsuri his vocibus, nisi ad significandos spiritales præsules, & Pastores: quia propter contentionem cum hæreticis, his simplicibus vocibus vtimur ad discriminandos Magistratus civiles à Sacerdotibus: quid autem Basilius, & Isidorus senserint, testantur illorum prælia cum Imperatoribus, & Regibus hæreticis.

Secundò confirmari potest argumentum Regis, quia sæpè ab Ecclesia delatus est Principatus spiritalis Regibus: sæpè enim petitur à Regibus, vt depellant errores, & omnia rectè disponant. §. 71. 2. Confir. Epiphanius hæresi 40. docet Reges datos, ***ad bonam ordinationem terræ, vbi cædes & pugnæ, ignorantiaque doctrinæ bonæ, &c.*** *Epiphan.* Quibus significat Regia esse hæc omnia munia. Alcuinus in præfatione librorum de Trinitate ad Carolum Magnum ait, *Alcuin.* sapientiam illi datam, ***vt regat & doceat suâ solicitudine subiectos***. Et infrà ait ad illum pertinere, ***iusta decernere recta præcipere***

S.Tho.q. 1.Art.10. sancta admonere, vt quisque lætus cum perpetuæ salutis præcepto domum redeat. Item: Principem populi Christiani cuncta scire, & prædicare, quæ Deo placent, necesse esse, notissimum est. Nec enim quemquam magis decet, vel meliora nosse, vel plura, quàm Imperatorem, cuius doctrina omnibus prodesse debet *subiectis*. * Quin potiùs Concilium Arelatense capite vltimo, hæc ait: * *Hæc* Domino Imperatori præsentanda decrevimus, poscentes eius clementiam, vt si quid hic minus est, eius prudentiâ suppleatur: si quid secùs quàm se ratio habet, eius iudicio emendetur; si quid rationabiliter taxatum est, eius adiutorio divina opitulante clementiâ *perficiatur*. * Concil. Arelat.

§. 72. Respondeo, numquam in Ecclesia directè datam Regibus potestatem spiritalem; sed Episcopos illorum potentiâ adductos eam exercuisse directè. Epiphanius adducitur penitùs abs re: agit enim ibi contra stolidissimos quosdam hæreticos delirantes in opinionibus de Angelis, & animis, contra quos ait spiritus Principes diversorum chororum, non esse ad dissensionem; sed ad pacem: idque probat exemplo humanæ Reipublicæ: * *Quòd* si in terra vbi non solùm sunt virtutes & bonæ doctrinæ; sed etiam mala & vitia, diversi Magistratus parent vni Regi, cuius regimen pro fine habet, vt omnia benè disponantur, commodiùs hæc erunt in Republicâ cœlesti, vbi nulla *seditio*: * Regem autem habere pro fine, vt omnia rectè disponantur quis negat? Deus enim etiam politiam civilem direxit in supernaturalem finem: dixit enim Apostolus, ornandum pro Regibus, vt tranquillam, & quietam vitam agamus in omni pietate, & castitate: non verò quòd spectent ad Reges Ecclesiasticæ leges, & spiritalis Principatus. Epiphan.

§. 73. Testimonium Alcuini præcisè probat, oportere vt Reges sint exculti doctrinâ sanâ, tùm vt leges civiles piæ sint, & à Deo non alienæ; tùm quia *procerum motus hæc cuncta sequuntur: Regisque ad exemplum totus componitur Orbis*; quod non sine dolore cernitur in Anglico Regno: quod cùm catholicissimum fuerit, Henrici tamen, Isabellæ, & Iacobi errores iam vi, iam adulatione amplectitur. Sanctus Bernardus libro de natura, & dignitate divini amoris capite decimo quarto, hæc ait: * *Fœlices* res humanas, dicit quidam Philosophus, si aut soli sapientes regnarent, aut Reges philosopharentur; sed cùm sapienter fugiunt sapientes super insipientes regnare, etiam insipientes fugiunt insipienter sub sapientibus esse, omnia desipiunt, & confunduntur, & *conturbantur*: * quibus nihil potuit dici magis appositè ad lamentabilem statum Angliæ: cuius Reges cùm insipienter fugiant esse sub sapientibus Ecclesiæ Patribus, omnia confundunt, factique cæci, duces sunt cæcorum: vt igitur Regna hanc calamitatem declinent, indigent sapiente Rege, & humili; non ignaro, & arrogante. Quod affertur ex Concilio Arelatensi commodiùs disquiretur sectione sequenti. Bernard.

Tandem possunt obijcere Sanctum Gregorium epist. 62. ad Mauritium, & 65. ad eius Medicum: vbi docet Imperatori subiectos esse non solùm laicos; sed etiam Sacerdotes: Baronius tom. 8. anno 593. refert hæreticos hoc testimonio arbitrari, se de Catholicis triumphasse: prædicant enim nefas esse à tàm Sancti Doctoris sententiâ discedere. Mirum est hæretici quàm sint observatores Sanctorum. Sanctus Gregorius passim clamitat mortuam esse fidem sine operibus: item Romanam Ecclesiam caput esse Orbis terrarum, aliaque eiusmodi dogmata: cur ergò hæretici tàm impudentèr deserunt sententiam tàm Sancti Doctoris? Brentius non videtur tã ignarus sententiæ Gregorij, quem appellat iniustum persecutorē piorum Magistratuum, quòd Mauritio vires fregerit, quas exercebat in Ecclesiam. §. 74. Gregor. Baron.

Baronius eruditè probat à Gregorio sentiri traditos Sacerdotes Imperatori permissivè, quia in eos Mauritius tyrannum egit: quemadmodum traditi fuere Diocletiano. Quæ expositio est subdifficilis: cùm enim Gregorius mulcere voluisset Mauritium, vt legem abrogaret de interdicendo monachismo militibus, & inducat Deum cum Mauritio loquentem, eique obiicientem beneficia, quibus eumdem donaverat, non est verisimile voluisse Gregoriũ Mauritio obijcere tyrannidem: neque formaliter permissio peccati obijcitur à Deo peccatori pro beneficio. Missa igitur interpretatione Baronij, neque probata, neque improbata, facillima est responsio ex S. Damasceno, quē adduxi §. 13. vbi discriminat Damascenus Ecclesiasticam, & civilem potestatem? in civili subiecti sunt Sacerdotes Imperatori in multis actionibus, in quibus non derogatur immunitati Ecclesiasticæ: absolutè enim omnes Hispani etiam Sacerdotes subiecti sumus Regi, eius Imperio paremus; quamvis neque per somnum cogitamus de illi deferendo primatu Ecclesiæ: & Concilia sectione sequenti adducenda, pleno ore Carolum Magnum Dominum compellant: cuius voluntati paratissimi sunt Episcopi obedire: in quo sensu magnum beneficium collatum à Deo Imperatori, quod §. 75.

quod illi subiecerit Sacerdotes. Recognosce sectionem secundam, & quartam.

§. 76. Vt autem cernatur, quàm verum sit adagium Hispanicum *fures ad pedem furcæ furantur*, recognosce quid Gregorius senserit tùm de Mauritio, tum de Primatu Romano, explanans enim Psalm. 4. Pœnitentialem versu *tota die*, ita invehitur in Mauritium *Gregorius* * *Ecclesiam* quippe, quam sui sanguinis pretio redemptam, salvator voluit esse liberam, hanc iste potestatis Regiæ iura trāscendens facere conatur ancillam. Quantò melius foret sibi Dominam suam esse agnoscere, eiq; religiosorum Principum exēplo devotionis obsequium exhibere, nec contra Deum faustum extendere dominationis: in tantùm autem suæ temeritatem extendit vesaniæ, vt caput omnium Ecclesiarum Romanam Ecclesiam sibi vendicet, & in Dominam gentium terrenæ ius potestatis *vsurpet*.* Hęc Gregorius dixit, quia Mauritius pecuniæ cupidus, eam exigebat pro confirmatione Romanorum Pontificū, quam barbarè Gotti posuerant.

SECTIO VIII.

Quartum Regis argumentum ex Concilijs.

§. 77. 4. Arg. ADDVXI §. 71. testimonium ex Concilio Arelatensi, quo Rex contendit Imperatori Carolo Magno delatum fuisse iudicium rerum in Concilio decretarum. Quod confirmari potest ex Concilio Cabilonensi: quod decreta Episcoporum præsentari voluit Imperatoris iudicio. Neque dissentit Cōcilium Remense: quod asseritur coactum à Domino Carolo pijssimo Cæsare. Moguntinum autem expressit se subijci Carolo: Turonensis autem hæc sunt verba prope finem: *Concil. Mogunt.* * *hæc* nos inconventu nostro ita ventilavimus; sed quod deinceps pijssimo Principi nostro de his agendum placebit, nos fideles eius famuli, libenti animo ad nutum, & voluntatem eius parati *sumus*. * Nec sunt omittenda Cabilonensia in præfatione: *Concil. Cabilonēs.* * *eidem* Domino Imperatori præsentanda, & ad eius sacratissimum iudicium referenda adnotavimus, quatenus eius prudenti examine ea, quæ rationabilitèr decrevimus, confirmentur: sic vbi minus egimus, eius sapientia *suppleatur*. * In præfatione autem Moguntiaca hæc leguntur: *Mogunt.* * *Carolo* Augusto religionis authori, ac defensori Sanctæ Dei Ecclesiæ gratias agimus Deo omnipotēti, quòd sanctæ Ecclesiæ suæ pium, ac devotum servitio suo concessit habere rectorem; qui suis temporibus sacræ sapientiæ fontem aperiens, oves Christi sacris alimentis reficit, ac divinis instruit disciplinis. De his tamen omnibus valdè indigemus vestro adiutorio, atque sanâ doctrinâ, quæ & nos iugitèr admoneat, atque clementer erudiat, vt vestrâ authoritate firmentur: & quidquid in eis emendatione dignum repetitur, vestra magnifica Imperialis dignitas iubeat *emendare*.* Dicant nunc Papistæ, quid ampliùs ipsi faciant cum Papa, quam tota Ecclesia Gallica egit Carolo Magno? Immò tota olim Ecclesia in Concilio secundo generali Constantinopolitano misit ad Imperatorē Theodosium, vt confirmet decreta fidei contra Macedonium: quod patet ex eodem Concilio, & ex Baronio tom. 4. anno 381. versu *initio quidem*.

Papæ quam sunt isti ignorantes! vtinam Rex imitaretur Carolum, nec dubium quin Angli Catholici imitarentur Gallos. Carolus quidem obsequentissimus fuit Romanorum Pontificum filius, vt constabit §. 103. cuius pietatis hæredes instituit filios, non minus quam Regni. Baronius tomo 9. anno 775. versu: *quod autem* docet ex Gallis historicis à Carolo coacta quatuor Concilia vno eodemque anno ad componendum statum civilem Regni, & mores Ecclesiasticorum: hæc Concilia fuerunt Arelatense quartum, Moguntiacum, Cabilonense, & Turonense: neque Imperator pius quid voluit in Regno agendum, nisi ex Ecclesiasticorum consilio. Itaque illa Concilia fuerunt Provincialia, non vt aliquod dogma fidei decernerent; sed vt de moribus agerent: quia verò in illis Concilijs multa fuerunt decreta spectantia ad civilem politiam, quæ nisi ex Principis authoritate rata esse non poterant, meritò ad ipsum Principem referuntur, vt ipse sapientiâ suâ singulari (qua Carolus pollebat) ea confirmaret, aut emendaret, si opus esset. §. 78.

Hæc autem luce clariora sunt ex Concilijs ipsis. Moguntiacum enim coactum esse ad politiam civilem, & mores Ecclesiasticos constat ex eius præfatione, his verbis: *Incipientes igitur in nomine Domini, communi sensu, & voluntate tractare paritèr de statu veræ religionis, ac de vtilitate & profectu Christianæ plebis*, vt autem constet, quàm hæc sint viscera Concilij, protinus describitur conventus tripartitus: primùm enim consedere Episcopi: deinde Abbates, & monachi: postremo *Comites, & Iudices, in mundanis legibus decertantes,* *valgi* §. 7[illegible] *Mogunt. Concil.*

S.Tho.q. 1.Art.10. *vulgi iustitias perquirentes, omniumque advenientium caussas diligentèr examinantes, modis quibus poterant, iustitias terminantes.* Capite autem quinto agitur de pace totius populi: cap. 6. ad conservationem eius pacis cōponūtur quæstiones de pauperibus, & orphanis exhæredatis, quia vero hoc spectat ad civiles leges ait Concilium: * *Omninò* volumus, atque decrevimus emendari, quantū ad nos, vel ad nostram pertinet potestatem iuxta voluntatem Dei, & vestram Sanctam admonitionem, & considerationem: quod si fortè extrà officium nostrum alicubi inventum fuerit, admonere vestram clementiam audeamus, vt *emendetur.* * Ecce, ò Rex imploratam authoritatem Caroli ad confirmationem solius legis civilis: cap. autem 7. interdicitur tàm Ecclesiasticis, quàm laicis emptio bonorum pauperum, nisi in publico: immò vero cap. 17. agitur de dimittendis armis: relege totum Concilium.

Concili o.

§. 80. Quam autem maliciosè author Apologiæ Regiæ vellicet testimonia eius Cōcilij! Vide in præfactione Petrum vocatum primum Pastorem Ecclesiæ, *secundum* (inquit) *dictum Beati Petri primi Pastoris Ecclesiæ.* Cap. autem 4. ait pascha observandum ex præscripto Romani Pontificis his verbis. * *Sacramenta* ita que Baptismatis volumus, vt sicut Sancta vestra fuit admonitio, ita concorditèr, atque vniformitèr secundùm Romanum ordinem inter nos celebrentur, sicut in decretis Leonis Papæ sub duobus continetur capitulis: hæc duo tempora, id est, Paschæ & Pentecostes ad baptizandum à Romano Pontifice legitima præfixa sūt, & S. Syritius: si in quâlibet necessitate opus fuerit sacri vnda baptismatis, omni volumus celeritate *succurri.* * Vides ò ignare, à Cōcilio allegari Romanorū Pontificum leges ad observandos sacros ritus; Imperatorem autem ad solam legem civilem. Accipe igitur in proemio implorationem Imperatoris per accomodam distributionem, quia sanctis legibus politicis pascebat commissum gregem, non vero quod leges ferret Ecclesiasticas: immò cap. 8. præcipitur omnibus laicis, vt obedientes sint Episcopis, atque is quidē germanus est sensus triū Conciliorum, quæ explicanda supersunt.

81. *[Con]cilium [Cabilo]nen.* Concilium enim Cabilonense agit apertè de cibili politiâ: cap. enim 18. prohibetur Episcopis, & Comitibus vades accipere: cap. 20. agitur de pace inter Episcopos, & Comites: cap. 21 interdicuntur munera Comitibus, & Iudicibus, & de testium qualitate, & alia, quæ sine Imperatoris authoritate nulla sunt: cap. autem 67. vt ostenderet Concilium ad Imperatorem pertinere solùm politicum statum suæ Reipublicæ, cū illa privata decreta ipsi Imperatori subiecisset, ait: *Cæterum, quid generalitèr in omnibus, & ab omnibus sequendum sit, quidve vitandum, qualitèr vè contra Sanctam Ecclesiam sit vivendum, qui pleniùs noscere desiderat, sanctarum Scripturarum prata percurrere non desistat.* Quasi dicat politia Galliæ administretur ex Imperio Regis: Religio autē Catholica ex Scripturis: quarū Iudicem nō fecerunt Imperatorem.

§. 82. *Concilium Remens.* Concilium Remense tetendit in scopum eumdem cap. enim 4. & 5. præcipitur laicis, ne se interserant in Episcoporum acta: cap. 12. agitur de pace inter clerum, & laicos totius regni: cap. 13. præcipitur Comitibus, vt Episcopis obediant, & ratio examinandi testes: assignatur c. 14. de providentia singulorū in suos tēpore famis: c. 15. de pōderibus & mensuris: c. 23. ne laici emāt bona pauperum, nisi in publico: hæc quid mirū si Imperatoris arbitrio subijciantur: nec Imperator dicitur in præfactione id præcepisse sacerdotibus; sed obsecrare, & obtestari.

§. 83. *Concilium Turonens.* In Cōcilio Turonensi res est tàm apertè à nobis vt nisi ab ignorante & pravo non potuerit ignorari: cap. enim 1. agitur de clero componendo: cap. 2. de monachismo cap. 3. de tota plebe: cap. 22. Comites dicuntur regere populum Dei, quos tamen vult obedire Episcopis: ergo cum regimine temporali Imperatoris poterit, & componi eius obedientia in Pontificem: eamdem obedientiam præcepit comitibus cap. 33. cap. autem 34. est de examine testium à comitibus: cap. 35. de integritate iudicum: cōpluraque alia capita civilia sunt, ac proptereà emendāda à Principe: cap. autem 51. agitur de exhæreditatis: quæ inquisitio facta est imperio Principis. Accipe autem huius Concilij præfactionem. *His igitur intentus pios, ac religiosos Dei sacerdotes Ecclesiæ gubernacula in regno sibi divinâ largitate collato tenentes, saluberrimis exhortationibus admonuit.* Cōsidera in regno collato Imperatori sacerdotes tenere Ecclesiæ gubernacula: recognosce Patrem Suarez lib. 3. cap. 27. & Baronium tom. 9. anno 806. vbi docet aliud Concilium coactum à Carolo ad testamentum efficiendum in villā Theodonis. Quæ afferuntur ex alijs Concilijs commodius differentur disp. 36. sect. 2.

Concilium Turonens.

SECTIO. IX.

Quintum Regis argumentum ex Imperatorum, & Regū exemplis.

NVL-

§. 84. 3. Arg. NVLLO argumento efficaciori probari potest Ecclesiasticum imperium non esse penes Reges, quã ipsorum Regum authoritate, & exẽplo, qui in propria caussâ, & in non vsurpanda excellentissima potestate sunt testes minimè suspecti. Primum probandum est authorem Apologiæ Regiæ, aut per ignorantiam, aut per calliditatem persuasisse Regi inveteratã esse Ecclesiæ consuetudinem, vt Reges ipso iure Regio dominentur in Ecclesiam spirituali Imperio. Secundò probandũ est ante Henricum Octavum, Isabellam, & Iacobũ, nullum Regem etiam hæreticum tàm stolidè desipuisse, vt sibi arrogaret ius in decernendis caussis fidei: quod iam probo.

§. 85. Baron. Primi Imperatores Christiani fuere duo Philippi: quamvis enim Baronius, tomo 2. anno 246. à numero secũdo probet, Philippum non fuisse Christianum anno 246. in quem annum refertur ab Eusebio Philippi cõversio, probat tamẽ eũ fuisse Christianũ anno 249. cùm autem Philippus iã Christianus, vitijs esset infamis, interdictus fuit ab Episcopo Romano aditu in templũ, iussusque est stare inter pœnitentes: vt constat ex Eusebio, lib. 6. cap. 27. cap. autem 25. Euseb. hæc refert: *ferunt igitur, libenter eum, quòd à Sacerdote imperatum fuerat, suscepisse; divinum sibi inesse metum, & fidem religionis plenissimã, rebus atque operibus comprobando.*

§. 86. De Constantino Magno tàm clarè constat, vt, nisi cœcus, id non videat: plura refert Pater Suarez lib. 3. à cap. 21. Donatistæ à Concilio Episcoporum, habito Romæ, appellaverunt Constantinum: qui, teste Augustino, non mutavit Episcoporum sententiã; sed ita in eos exclamavit: *ò rabida furoris audacia! quid hi detractores legis, qui renuentes cœleste iudicium meũ putaverunt postulandum? sic sensere de Christo Salvatore?* quæ verba refert Baronius ex Optato, & epistola Cõstãtini tom. 3. ann. 313. nu. 30. & 33. Conatus igitur Regis Angliæ damnatus est audaciæ rabidæ à Maximo & ferè primo Christianorum Imperatore: vt ipse consideret, quàm inauspicatò argumentum petat ab Imperatorum exemplis; & vt nostri aiunt, *la primera en tierra.* Ruffinus lib. 10. historiæ Ecclesiasticæ, cap. 2. ad annum 327. hæc refert Constantini verba ad Episcopos.* *Deus vos constituit Sacerdotes, & potestatem vobis dedit de nobis quoq; iudicandi, & ideò nos à vobis rectè iudicamur: vos autem non potestis ab hominibus iudicari. Propter quod Dei solius inter vos expectate iudiciũ, vt vestra iurgia, quæcumq; illa sunt, ad illud divinũ reserventur examen: vos enim nobis à Deo dati estis Dij, & conveniens non est, vt homo iudicet Deos.** Quæ autẽ verbis adstruxit, confirmavit exemplo; nec enim in Concilio suffragium tulit, neque Episcoporum questus audivit.

P. Suarez. August. Ruffin.

Constantius Constantini filius, quamvis hæreticus; non fuit ausus damnare Athanasium: quem anno 341. in Concilio damnandum curavit: cui Concilio præfuit Archelaus, non vt Iudex caussarum fidei; sed ne tumultuarent Conciliarij: è quorum manibus Athanasium eripuit, teste Ruffino lib. 10. cap. 16. & 17. Anno autem 346. Ecclesiam petijt Constantius ab Athanasio ad Arianos Conventus; quam tamen non accepit: cùm autem Athanasius eum appellasset Dominum omnium, noluit ei Ecclesiam dare, nisi Constantius eidem Athanasio aliam redderet ad Catholicos ritus; mansitque res infecta: Constans autem Imperator Occidẽtis exhortatus est Cõstantiũ ad imitationem pietatis paternæ in observandis Sacerdotibus: quod refert Baronius tom. 3. anno 346. num. 6. §. 87.

Apostata Iulianus neque per somnum sibi arrogavit Pontificatum, quamvis Christi desertor ad idololatras fugit, Imperium capescens anno 346. Quo tempore caussæ fidei in Concilijs agebantur, teste Ruffino lib. 10. cap. 28. & 29. vbi hæc ait: *Cùm igitur huiuscemodi sententiam ex Evangelica authoritate prolatam Ordo Sacerdotalis, & Apostolicus approbasset*: è quibus liquet in Ecclesia primitiva omnia gesta Pontificum arbitratu, non solum ante Imperatores conversos; sed etiam illis Catholicis, hæreticis, & paganis. Nec enim idololatra Iulianus, nec hæreticus Constantius, neque Catholici Constans & Constantinus, neque vitiosus Philippus, per somnum ausi sunt, cũ toti dominarentur orbi, quod tres Angliæ Reges, primus adulter, secunda lasciva tertius autem discipulus Bucanani. §. 88. Ruffin.

Anno 260. Iovianus sive Iovinianus, qui deposita militiâ propter religionem Christianam, imperio Iuliani exulabat ab exercitu, Iuliano vltione numinis perempto, creatus est Imperator: requisivit Athanasium, à quo suscepit & formam fidei, & rationem Ecclesiarum disponendarum, teste Ruffino lib. 2. cap. 1. Anno autem 367. Valentinianus primus, Catholicus quidem fuit, qui tamen teste Sancto Ambrosio adducto §. 73. dixit non esse suum inter Episcopos iudicare: cùm ipso regnavit Valens hæreticus, qui nihil sibi de iurisdictione Ecclesiastica arrogavit, quorum tempore Mauvia Sarracenorum Regina Christiana sacra suscepit, accersito ad Episcopatum Mose monacho, vt ait Ruffinus, lib. 2. cap. 6. Ecclesia enim genita fuit, & aucta Episcoporum doctrinâ, non Imperatorum. §. 90.

S. Tho. q. 1. Art. 10. §. 90. Gratianus, & Valentinianus Secundus, filij Valentiniani Primi exemplo sunt Catholici Principis: Gratianus quidem toto vitæ cursu, cuius argumentum est illi amicissimum fuisse Sanctum Ambrosium, à cuius arbitrio pendebat. Baronius tomo 4. anno 376. versu *quod ad rerum*, refert ex Theodoreto epistolam Gratiani, qua ostendit Synodorum, & Episcoporũ esse audire communia crimina Ecclesiarum: si autem rei fuissent capitis, pertinere ad sublimiores potestates. Nunc viget idem mos, qui enim capite plectendi sunt, iudici laico traduntur ab Ecclesiastico, nolente Sacerdotales manus humano sanguine tingere: Valentinianus, cùm esset puer, agebatur ignarus Iustinæ Imperatricis matris artibus hæreticis: quæ tamen non potuit Sirmio dare Episcopum hereticũ, resistente Sancto Ambrosio, & præficiente tandem, quem voluit, vt ex Paulino in vita Sancti Ambrosij Baronius confirmat tom. 4. anno 380. ante finem. Immò nec Valentinianus ipse stimulis maternis percitus, potuit armato exercitu vnam Ecclesiam extorquere ab Ambrosio donandam Arianis, cui Ambrosius obiecit vetustam Imperatorum consuetudinem, non se ingerendi in Ecclesiastica negotia, vt ostendi §. 53. Cũ autẽ Valentinianus ætate, & cõsilio Theodosij maioris, oculos aperuisset, totum se addixit voluntati Sancti Ambrosij, eum tenerrimè diligentis; vt constat in oratione de obitu Valentiniani. Paulinus refert in vita Sancti Ambrosij ab eo excommunicatum Maximum, qui Gratianum interfecit, eius Imperium vsurpans: Eugenius verò cum anno 394. electus esset Imperator, quia suspectus fuit de nece Valentiniani, excommunicatus fuit ab Ambrosio. Qui id fieri potuisset, si hi tyranni arbitrarentur cum Imperio esse Summum Sacerdotium? (Baron.)

§. 91. Theodosius maior, cùm armis totum subiugasset Orbem, se subiecit pauperrimis Episcopis. Ruffinus enim lib. 2. cap. 18. refert, eum audisse Sacerdotes Italiæ, à quibus accusabatur, & pœnitentiam egisse. Hoc autem crimen fuit crudelissima cædes Thessalonicensium: ob quã ab Ambrosio per litteras, & coràm reprehensus, non est permissus intrare in Ecclesiam, vt refert Theodoretus lib. 5. cap. 17. & Baronius, tomo 4. anno 390. versu *hac miscenda*: cùm autem rogaretur ab Ambrosio, quam pœnitentiam esset acturus? respondit Imperator: *tuum est medicamenta ostendere, eaque temperare, & vulnera quæ ægrè curantur, obligare: meum autem quæ sunt adhibita, accipere.* Cùm autem Ruffinus ageret cum Ambrosio pro Theodosio in Ecclesiam admittendo, respõdit Ambrosius: *ego, Ruffine, prædico me illum ab ingressu sacri vestibuli prohibiturum. Quòd si Imperium mutaverit in tyrannidem, cædem quidem lubens excipiam.* Item cùm Theodosius Orientali more considere vellet inter Sacerdotes, cùm præcepit Ambrosius exire, & inter cæteros laicos consistere; quod ex Ruffino & Sozomeno ostendit Baronius eo anno 390. *nam purpura* (inquit) *Imperatores, non Sacerdotes efficit*: cui respondit Imperator; *habeo pro hâc medicinâ gratiã.* Tandem Theodosius doctus ab Ambrosio dixit, *ægrè tandẽ didici, quid inter Imperatorem intersit, & Episcopum.* Vtinam Iacobus post exercitam carnificinam in Dei Sacerdotes, discere vellet, quid intersit inter Episcopum Episcoporũ, & Regem: at nõ audit legitimos Episcopos, qui animã ponunt pro suis ovibus; sed mercenarios, atque latrones, qui vt se pascant voluptuose, gregem deglubunt, & mactant: cui illi impudenter mẽtiuntur, nuperũ esse, atque novitium, Regiã maiestatem parere Pontificiæ dignitati; cum videat à privato Episcopo aditum in Ecclesiam interclusum non solum Maximo, & Eugenio tyrannis; sed etiam Christianissimo, & verè maximo Theodosio. (Baronius. Ambros. apud Ruffin. Baron.)

§. 92. Videamus quid ab anno 404. contigerit duobus Theodosij filijs Archadio, & Honorio. S. Chrysostomus aulicorum, & Eudoxiæ Augustæ, vxoris Archadij mores perstringens, animos quoque in se commovit, & coacto Cõcilio eum bis relegaverunt: Sanctus Chrysostomus appellavit Innocentiũ Primũ, vt constat ex tom. 5. Sancti Chrysostomi epistol. 1. & 2. ad Innocentium ipsum, & ex epistola vigesima nona eiusdem Innocentij ad Chrysostomum: Theophilus Patriarcha Alexandrinus, totius Orientis Primas facti rationẽ reddidit: eius autẽ iudiciũ irritavit Innocentiũ, & Innocentius iudicium Theophili: cuius rei extat historia Palladij; ex quã, & alijs id fuse narrat Baronius tom. 5. anno 404. Vniversũ Clerum, & populũ Constantinopolitanũ appellasse ad Innocentiũ per litteras, & legatos; cõstat ex epistola trigesima Innocentij ad eumdẽ populũ tom. 1. Cõciliorum inter decreta Innocentij; quã etiã refert Niceph. lib. 13. cap. 32. Honorius reprehẽdit Arcadiũ fratrem, vt referunt authores adducti, Glica & alij: *si quid* (inquit Honorius) *de caussâ religionis inter Antistites ageretur, Episcopale oportuit esse iudicium: ad illos enim divinarum rerum interpretatio; ad nos religionis spectat obsequiũ.* Tãdẽ Innocentius Romæ degens sacra interdixit Archadio Oriẽtis Imperatori, & Cõstãtinopoli degenti: epistola enim 31. hæc ait. *Itaque ego minimus & peccator, cui thronus magni Apostoli Petri creditus est, segrego, & reijcio te, & il-* (Chrysost. Honorius apud Baroni. Innocent.)

& illam à perceptione immaculatorum mysteriorum Christi. Ne autem Archadius Imperatoria potentiâ fretus speraret se ab Episcopis Orientis ad sacra admittendum, illos omnes excommunicat, & deponendos comminatur Innocentius, si id fuerint ausi: exauthorat autem ex Episcoporum nomêclatura successorem Chrysostomi; quòd eo vivente fuerit intrusus. Huius epistolæ exemplar est in tom. 1. Conciliorum, & Nicephoro lib. 13. cap. 34. cuius meminit Baronius tom. 5. anno 407. versu *tametsi*: additque ex Glica, & alijs hæc respondisse Archadium: *Igitur quod superest, cuixè te obsecro, vt nos à segregatione liberes, nec multipliciter panias.* Quæ si Henricus octavus respondisset summo Pontifici Iulio, se & regnum tàm infandis calamitatibus solvisset.

§. 93. Theodosius Iunior anno 425. adeò timuit Ecclesiasticam potestatem, vt indebitè excômunicatus à quodam ignorante monacho, accersiverit Episcopum, vt eius authoritate præsente monacho, anathomate solveretur. Docuit exemplo pius Imperator excommunicationem iure esse timendam, sive iusta sit, sive iniusta. Hæc narrât Theodoretus lib. 5. cap. 36. Nicephorus lib. 14. cap. 4. Baronius tom. 5. anno 425. versu *vir quidam.* Theodosio Iuniore imperante coactum est Concilium Ephesinû; quod gestum fuisse, & confirmatum authoritate Celestini Papæ; nec Orientales aliquid ausos ante decretum Papæ; Sanctumque Cyrillum fuisse Cælestini legatum abundè ostendi disp. 21. à §. 213. & quamvis Theodosius malis artibus hæreticorum subindignatus fuit Cyrillo, nihil tamen eum egisse contra libertatem Ecclesiasticam constat ex anno 431. Item in Concilio secundo Ephesino, quod vocatum est *Synodus prædatoria*, occisus fuit Sanctus Flavianus Theodosio non invitò, vt constat ex eius epistola ad Valentinianum, quæ est ante Concilium Chalcedonense: considerans autem Theodosius, quantum fuisset deceptus pravis eunuchi sui consilijs, in eû animadvertit: & pœnitentiam egit de nece Sancti Flaviani, teste Nicephoro lib. 14. cap. 49. Theodosius quàm fuerit alienus ab hac Anglorum insania, ostendit in lege de intrando templum sine armis: *ad extimû* (inquit) *communeque atrium mox nos recipimus, nec quidquam ex propinqua divinitate nobis arrogamus.* Quæ verba referuntur in actis Concilij Ephesini, & Baronio tomo 5. anno 431. versu *inter acta* §. 94. Valentinianus tertius anno 433. se à communione Sixti Papæ segregavit propter crimen Pôtifici falsò impositum à Basso: voluit autem Valentinianus, vt Sixtus sui ipsius esset iudex: eique locum cessit Imperator donec lis terminaretur; vt constat ex Concilio Romano, & Baronio eo tomo 5. anno 433. versu *ad finem*: dixit verò Sixtus *quis filium separavit à matre?* quod dixit propter abiunctionem Imperatoris ab ipso. Quàm fuerit Valentinianus filius Romanorum Pontificum constat ex epistola ipsius, item Placidiæ, & Eudoxiæ ad Theodosium iuniorem quæ circumfertur in præambulatibus ante Côcilium Chalcedonêse his verbis: **Quam* (fidem) nos à nostris maioribus traditam debemus cum omni competenti devotione defendere, & dignitatem propriæ venerationis Beato Apostolo Petro intemeratam & in nostris temporibus conservare: quatenus Beatissimus Romæ civitatis Episcopus, cui Principatum Sacerdotij super omnes antiquitas contulit, locum habeat, ac facultatem de fide, & Sacerdotibus iudicare, Domine Sanctissime Pater, & venerabilis Imperator: hac enim gratia secundùm solemnitatem Conciliorum, & Constantinopolitanus Episcopus eum per libellos appellavit, propter contentionem, quæ orta est de *fide* * Hæc Valentinianus: è quibus velim recognoscat Rex Angliæ, vtrùm sit magis nupera hæc sententia de potestate Pontificis Romani iudicandi caussas fidei, quàm sua, & suorum ministrorum ignorantia, quæ tanta est, quanta neque in novitijs capitur: cùm totius Occidentis Imperator Valentinianus id confirmatum ab omni antiquitate confirmet: item appellationem Sancti Flaviani Archiepiscopi Constâtinopolitani in caussâ fidei, iustam esse, & ex antiqua solemnitate Conciliorum.

Theodos. Nicepho. baronius.

Theodos.

Concilium Valentin.

§. 94. Fortè subsidium erit Regi in Martiano, atque Pulcheria imperantibus anno 450. qui tamen Concilium Chalcedonense coegerunt, non nisi ex præscripto Leonis Magni: in quo Imperatores noluerunt considere inter Episcopos; sed extrà assistere ad exequenda decreta Concilij: in quo damnatus est Dioscorus, & Alexandrinâ sede deiectus sententiâ legatorum Leonis: item & Euthiches: totumque negotium gestum fuit ex epistola celeberrima Sancti Leonis, cui paruit totus Orbis: qua de re egi satis abundè disp. 21. à §. 219. ad 224. legat qui voluerit epistolas Sancti Leonis, item & præambulares Concilij Chalcedonensis vbi ait Martianus ad Leonem magnum: *tuã sanctitatem Principatum in Episcopatu divinæ fidei possidentem.* Et infrâ: *per celebrandam synodum te authore, maxima parte circa omnes Episcopos fidei catholicæ fiat.* Imperator Leo plenius fuit obsequentissimus filius Sancti Leonis in componêdis rebus fidei in Oriête, in quo regnavit ab anno 458. ad 474.

S. Tho. 1. Art. 10. petijt legatos à Sancto Leone, eosque suscepit, & suspexit Magistros suæ fidei: vide Leonis Magni epistolam 78. ad Leonem Imperatorem. Maioranus Imperator Occidentalis multa egit piè quidem, nulla memoria invadendi potestatem Ecclesiasticã: obijt anno 461. Severus autem interijt anno 465. nihil acto hac in parte. Anthemius anno 467. Romam veniens ex Oriente, secum attulit Macedonianos: at Hilarius Papa iure Pontificio eum coegit publicè iurare, se non permissurum hæreticorum conventicula.

§. 96. Veniat nunc Imperator aliquis amicus Regum Angliæ: omnes enim superiores illis fuerunt inimicissimi, non solum Catholici, sed etiam hæretici, adhùc & Iulianus. Quis erit hic Imperator amicus? arbitror Zenonem: Henricus enim vinolentus, mulierosus, & crudelis, à quo potuit discere, nisi à tyranno filicida, ebrio, luxurioso, hæretico, & ignavo? Hic Imperium inijt anno 474. vt autem videant Angli cuius exempla imitentur, advertant eum fuisse hæreticum Theopachistam, id est, opinantem divinitatem in Christo passam fuisse cruciatus; negavit item cum Euthychete duas naturas in Christo: quos duos errores detestantur Angliæ Reges. Perfidus tamen hic hæreticus numquam invasit authoritatem Pontificiam: quem Simplicius Papa in epistola ad ipsum (quæ est tertia Simplicij, tom. 1. epistolarum Romanorum Pontificum) vocat filium, & monet, vt rectam fidem sequatur iuxta epistolam Sancti Leonis, exẽplo Martiani, atque Leonis Imperatorum. Zeno alterna vicissitudine imperio potitus fuit, & privatus tyrannide Basilisci: qui etiam negans in Christo duas naturas, non est ausus propria authoritate damnare Cõcilium Chalcedonense; sed secutus Episcopos hæreticos illud damnavit, prætexens illud esse contra Concilium Nicænum. Itaque neque hi immanissimi tyranni negotia fidei suo arbitratu; sed Episcoporum gerebant. Immò Basiliscus Pontificum authoritate coactus fuit edictum hæreticum revocare: Zeno autem, cùm in calamitate resipuisset, restituto sibi Imperio, scripsit Catholicè ad Simplicium, vt constat ex huius epistola septima, tom. 1. epistolarum decretalium, & Baronio tomo 6. anno 477. Hi duo testes variè confitentes, à nobis etiam sunt: moniti enim è cœlo se subiecêre Pontificibus: elati autem superbè, in stolidissimas hæreses incidere: nõ tamen invaserunt Pontificium: qui suorũ criminũ etiã in hac vita pœnas luerunt: Basiliscus truci nece; Zeno sepultus vivus: cuius voces cũ audirẽtur à satellitibus è sepulchro, contemptæ fuêre iussu vxoris Atiadnæ, quæ appetijt nuptias cum Anastasio, familiari mariti sui: cum quo suspecta fuit concubinatus: Zeno autem iussu Hormisdæ Papæ expunctus fuit à Iustiniano ex Catalogo Imperatorum Catholicorum.

Anastasius anno 491. non potuit impetrare coronam ab Euphemio Episcopo Cõstantinopolitano ante emissam publicè professionem fidei, de qua malè audiebat: fuit quidem latrocinijs, & alijs vitijs obscurus: & quamvis visus falcem mittere in Ecclesiasticam iurisdictionem, non tamen apertè: fuit Euthychianus, & Acephalus: quem Anastasius Papa monuit, vt hæresibus depositis obediret Romano Pontifici: eum Symmachus excommunicavit: volens autem hic hæreticus anno 515. de fide agi in Concilio, ad illud cogendum implorat opem Hormisdæ, cui vt Petri successori defert caussã fidei: constant hæc ex Synodo quinta actione prima, & ex epistola 21. Hormisdæ, & ex Baronio. Cui Anastasio hæc scripsit Hormisdas: *nullus vos incongruentibus præceptis, aut novis moveat institutis. Sic enim qui mundani sunt, Ecclesias tenere non possunt: quia eis magis convenit discere, quàm docere.* Tandem anno 518. fulmine correptus interijt: eadem die obierunt Sanctus Elias Patriarcha, & Sanctus Flavianus Episcopus, ad eum accusandum in tribunali Christi, quia propter Catholicam fidem ab eo exulabant. Quæ Baronius eo anno 518. à versu *hinc magnus ille*, ex Sophronio, Cyrillo, & alijs refert: nomen autem Anastasij abrasum est ex Imperatorum albo iussu Iustiniani ex decreto Hormisdæ Papæ. Videat Iacobus Rex Angliæ, malitne imitari Constantinos, Valentinianos, Theodosios, Martianos, & alios illustrissimos Principes, quã Zenonem, & Anastasium, quos posteriores Imperatores dedignati sunt maiorum suorum nomenclaturâ. §. 97. Hormisd.

§. 98. Iustinus maior anno 518. electus, scribit Hormisdæ, à quo vocatur filius: vt autem constat quàm fuerit constans consuetudo, vt Imperatores Orientales recognoscerent Romanum Põtificem sibi esse superiorem, Hormisdas per litteras Iustino gratias egit pro significatione eius subiectionis: vt constat ex epistola vigesima secunda Hormisdæ tom. 1. epistolarum Romanorum Pontificum, his verbis: *venerabilis regni vestri primitijs, fili gloriosissime loco muneris, gratulationem suam Catholica transmittit Ecclesia.* Cùm autem Constantinopoli nonnulla essent cõmuni Episcoporum consensu decreta in Synodo Constantinopolitanâ: tota Synodus supplex ab Imperatore petijt epistolas ad Hormisdam pro confirmatione decretorũ Hormosd.

eius

eius Synodi: vt constat ex epistola Iustini, tom. 1. epistolarum Romanorum Pōtificū inter epistolas Hormisdæ, cuius initium est *Ioannes vir beatissimus*: totumque Conciliū idem præstitit, non enim ab Imperatore petijt Ecclesiasticorum rituum cōfirmationem; sed à Pontifice Romano longo maris, terræque tractu disito: cùm autem Sanctus Ioannes Papa missus fuisset à Theodorico Ariano legatus ad Iustinum; nihil Iustinus egit nisi ex consilio Ioannis; à quo coronari voluit Constantinopoli, anno 525. totaque civitas lætabunda illi processit gloriata successoris Petri conspectu. Recognosce Baronium tom. 7. anno 518. & anno 525. Hic observa in antiquioribus Concilijs referri inter acta Bonifacij Secundi epistolam Iustini ad ipsum Bonifacium: quæ non potuit esse Iustini, vita functi quatuor annis ante electionem Bonifacij; qui creatus est Pontifex anno 530. obijt verò Iustinus anno 527. Quapropter Pater Suarez, lib. 3. cap. 21. num. 9. eam citat pro epistola Iustiniani: Baronius tamen tom. 7. anno 530. probat eam esse centonem malè consutum ex epistola Ioannis Constantinopolitani; quæ est quadragesima quinta inter epistolas Hormisdæ: quapropter quamvis eius testimonium maximè facit instituto nostro, illud tamen prætereo, quia in tàm aperto sole non egemus luce maligna: estque præter missa à novo collectore. **P. Suarez.**

§. 99. Iustinianus fortè stabit magis ab Anglis; qui nimius fuit in scribendis legibus de rebus Ecclesiæ. Nulla est habenda ratio Iustiniani iam morti vicini: cum enim regnasset ab anno 527. ad 565. vltimis annis lapsus fuit in hæresim Gazanitarum negantium in Christo carnem passibilem: excusatur ab aliquo antiquo historico: quam excusationem ego lubens accipio, quamvis ægre Baronius. Ac primum Iustinianus sæpè misit Romam ad Pontificem suæ fidei professionem: cum vero anno 533. edictum fidei esset promulgaturus adversus hæreticos, se præmunijt confessione fidei missa ad Ioannem, qui Ioannes eidem Iustiniano gratias egit, quòd Romanæ Ecclesiæ omnia subiecisset: vt constat ex Baronio referente caput de summa Trinitate, & fide Catholica: item liberatus Diaconus in Breviario, cap. 20. refert legatos missos à Iustiniano ad Ioannem, vt ipse Ioannes caussas fidei componeret. Constat Antimum Patriarcham Constantinopolitanum damnatum esse à tota Orientali Ecclesia, ex Synodo quinta Constantinopolitana actione prima: quem Antimum Sanctus Agapetus Papa, cùm pene exul esset Constinopoli, deposuit Archiepiscopatu: cum tunc Antimus floreret Theodoræ Augustæ gratiâ, fœminæ quidem hæreticæ, impotentis Antimum in Pontificatu retinere. Mortuo Agapeto Sāctus Silverius anno 538. dolo Theodoræ Augustæ, & potentia Belisarij Italiæ Exarchi missus fuit in Lyciam ad exulandum; quia noluit revocare Antimum. Vigilius homo pravus, favore Theodoræ Pontificatum invasit: factus autem legitimè Pontifex, mutati sunt illi & mores: gravesque persecutiones sustinuit à Theodora, & eius aulicis, quòd noluerit revocare Antimum: adeò vt ipse questus fuerit, se ab illis magis dira sustinuisse, quàm à Diocletiano: hoc ita contigit, quia rectè noverant hæretici, Antimum, nisi iussu Romani Pontificis, non receptum iri etiam iubente Imperatore: alioquin cur vexarent Pontifices Romanos? Cùm autem Iustinianus vellet confirmari edictum de tribus capitulis, id egit per Concilium quintum generale: at nec edictum, neque Concilium vim habuit in Ecclesia ante cōfirmationem Vigilij, & eius successorum. Quibus de rebus egi disputat. 21. à §. 232. ad 241.

Iustinianus ergo non suâ; sed Pontificum authoritate fidem censuit proponendam, atque sequendam. Videamus nunc vtrùm deliquerit in ferendis legibus: est enim valdè diversa quæstio, an fides proponenda sit authoritate Regia? ac an iure Regio possint Ecclesiasticis leges ferri? Baronius anno 528. sub initium eum excusat: tùm quia Ioannes Papa cum subiratus esset Iustiniano, testatur se cognovisse ex Iustiniani legatis, leges illas latas fuisse à Iustiniano ex Orientalium Pontificum consensu: tùm etiam quia ipse Iustinianus in authenticis novella sexta satis apertè dicit se nullas ferre leges, nisi quibus custodiantur sacri Canones, his verbis: *Hoc autem futurum esse credimus, si sacrarum regularum observatio custodiatur: quàm iusti, & laudandi, & adorandi Imperatores, & ministri Dei verbis tradiderunt Apostoli; & Sancti Patres custodierunt, & explanaverunt.* Iustinianum executorem earum legum fuisse, non authorem, item & totum hoc negotium, constat ex quinta Synodo Constantinopolitanâ actione prima; in constitutione Iustiniani contra Antimum tom. 2. Conciliorum, his verbis: *Rē non insolitam imperio & nos facientes, ad præsentem venimus legem. Quoties enim Sacerdotum sententia quosdam indignos Sacerdotio, de sacris sedibus deposuit; quēadmodum Nestorium, & quosdam alios; toties imperium eiusdem sententiæ, & ordinationis cum Sacerdotum authoritate suit; sicque divina pariter, & humana concurrentia vnam consonantiam rectis sententijs fecêre:

§. 100. **Baron.** **Iustin.** **Synod. Cōstantinopolitan. quinta.**

S. Tho. q. 1. Art. 10. fecêre: quemadmodum & nuper factum est circa Antimum, quiquidem deiectus est de sede huius Regiæ vrbis, à Sanctæ & gloriosæ memoriæ Agapeto, sanctissimæ antiquæ Romæ Pontifice, &c.* E quibus recognosces Imperatorem executioni mandasse Agapeti sententiam antiquo more suo, & aliorum Imperatorum: secundo depositionem adscribi soli Agapeto, vt Iudici, cum tamen à toto Oriente fuisset damnatus Antimus: habuit ergo Agapetus iurisdictionē in Patriarchas Orientales: tertio Iustinianū Sacerdotum authoritatem dixisse esse divinam, Imperatoriam autem humanā; hancque esse asseclam illius.

§. 101. Iustinus Iunior, quamvis moribus non fuit laudandus; nihil tamen egit, nec contra fidem, nec ius Romanum ad annū 582. quo interijt. Cui successit Mauritius: qui graves inimicitias exercuit cum Gregorio Magno propter legem, quā interdixit militibus inire vitam monasticam: cui edicto publico restitit Gregorius Magnus, legem Mauritij explicans, & emendans. Item avarus fuit Mauritius, & in Clerum acerbus: tamen nihil eum contra fidem egisse; sed potius ab eo compressos hæreticos testatur Sanctus Gregorius, lib. 7. epistola 47. Nūquam Mauritius affectavit Primatum Ecclesiæ, neque potestatem dirimendi controversias fidei: quod apertè constat ex Ioanne Constantinopolitano, & Cyriaco eius successore: qui ausi sunt arrogare sibi nomen Patriarchæ vniversalis, freti gratia Mauritij, & eiusdem inimicitia cum Gregorio: quos Gregorius graviter reprehendit contendens primatum fuisse semper in Ecclesia Romana. Mauritius autem simulavit odio in Gregorium quæstionem esse levis momenti. Phocas anno 607. caussam adiudicavit Bonifacio Tertio: vt fatentur ipsi hæretici, obijcientes tàm infandum crimē non potuisse committi, nisi à teterrimo tyranno Phoca: ostendi autem disput. 21. §. 248. Phocam authoritate Regia observari voluisse antiquam Ecclesiæ cōsuetudinem, & compressisse Cyriaci licentiam: Romanos vero Pontifices idem accepisse à Constantino Magno executioni mādante, quod cognoverat institutum fuisse à Christo, ostendi contra Molineum eo §. 248. Potestatem Ecclesiasticam censam fuisse à Mauritio esse penes Episcopum Romanum cōstat ex Sancto Gregorio lib. 7. epistolarum, epistola 64. his verbis: *In quodam enim crimine Biazenus primas fuerat accusatus: & pijssimus Imperator* (Mauritius) *eum iuxta statuta Canonica per nos voluit iudicari.* Baronius censet locum esse vitiatum nō enim legendum est *Biazenus*; sed *Byzazenus*, & infrà *nam quod se dicit Sedi Apostolicæ subijci: si qua culpa in Episcopis invenitur, nescio quis ei Episcopus subiectus non sit.*

Gregorius Magnus.

§. 102. Phocas obtruncato Mauritio Imperium *invasit anno 602. qui tyrannus tantum abfuit ab impietate Anglorum, vt coegerit Cyriacum Constantinopolitanum deponere nomen Episcopi OEcumenici, vt illo vteretur Bonifacius Tertius. Deo gratias, quod hoc Anglicum dogma non est auditum in Ecclesia sex primis annorum centurijs, vt constat ex eius historia texta annuo filo; dixit autem Iacobus Angliæ Rex, se non admissurum dogma, quod non fuerit commune primis sexcentis annis Ecclesiæ; sed hoc ipsius dogma non est auditum illis primis sexcentis annis: ergo aut Rex Angliæ violat fidem Regiam, vel sequitur dogma inauditum primis sexcentis annis Ecclesiæ. Quid quod nec sequentia sæcula tantùm insanierunt: nam, vt constat ex historijs Ecclesiasticis, Basilius Imperator laicos voluit Sacerdotibus esse obedientes, inter laicos autem se ipsum recensuit: cuius verba verè Regia descripsi §. 58. Michael Balbus Imperator Orientis anno 821. cùm vellet componere controversias fidei coacto Constantinopolim Concilio doctus fuit ab Episcopis rectam fidem: qui hæc illi coram dixere. * *Quòd* si quid est huiusmodi, de quo ambigat, aut diffidat divina Magnificentia vestra piè à Patriarcha dissolvi posse: iubeat magna ipsius, & à Deo confirmata manus ad communem vtilitatē à vetere Roma suscipi declarationem, prout olim & ab initio paternâ traditione transmissus mos fuit: hæc enim, Christi æmule Imperator, suprema est Ecclesiarum Dei, in qua Petrus sedem primus tenuit, ad quem Dominus dixit, tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam *meam*: * quàm historiam ex Theodoro, lib. 2. epist. 86. refert Baronius tomo 9. anno 821. à versu *post hæc autem*: item refert Gennadium vsum hoc testimonio Orientalium ad confirmandam authoritatem Romani Pontificis. Quin potius Leo ille Isauricus cum in sacras imagines fureret, petijt à Gregorio Secundo Pōtifice Romano, vt haberetur Concilium generale ad definiendum imaginum cultum: vt constat ex dialogo ipsius Gregorij, qui Latinè, & Græcè adducitur à Baronio tom. 9. anno 726. fol. 69. Non eget probatione adventus Michaelis Paleologi Imperatoris Græci, compositurí inter Græcos & Latinos quæstionem de processione Spiritus Sancti à Patre & Filio: hic Imperator non disputavit in Concilio, non adit Imperatorem Germaniæ, non Reges, aut Principes Catholicos; sed totam rem agi voluit inter

Baron.

inter Episcopos Græcos, & Latinos, quibus Ferrariæ & Florentiæ præfuit Eugenius quartus: vnde igitur emersit hæc tàm insana Anglorum sententia?

§. 103. Apud Imperatores Germanos quantùm valuerit Romani Pontificis authoritas cõstat, tùm quia Gregorius tertius fuit institutor Imperij Germanici, & Occidentẽ aversum à Leone Isaurico persecutore imaginum, subiecit legibus Occidentalis Imperij. Carolus Magnus in villa Theodonis testamento legavit tribus filijs propugnationem authoritatis Põtificum Romanorũ his verbis: *Super omnia autem iubemus vt ipsi tres fratres, curam, & defensionem Sancti Papæ simul suscipiant, sicut quondam ab avo nostro Carolo, & beatæ memoriæ genitore Pipino Rege, & à nobis posteà suscepta est.* Quod testamentum est in annalibus Francorum anno 806. & refertur à Baronio tom. 9. anno eodem à versu *quod igitur*: considera quàm fuerint diversi magni illi Imperatores primitivi ab his tribus Regibus Angliæ: illi enim cùm maximi essent, se libenter subiecere Pontifici: hi verò non arbitrantur se esse Reges, si non Pontificem eumdem, quem magni Imperatores suspexere, ita carpant iniurijs, vt eum impudentissimè Antichristum compellent: equidem non potest esse magnus, qui se non arbitratur magnum, nisi deprimat alios. Idem Carolus in capitularibus Caroli lib. 1. cap. 34. hæc ait in quadam causa clericorum: *Sed qualiter consultu Domini, & Petri nostri Leonis Apostolici.*

Concilium Magunt.

§. 104. Claudat agmẽ Carolus Quintus, qui bellum inferens Lutheranis, moliri conantibus ruinam Pontificiæ authoritatis, hæc dixit in edicto Vvormaciensi, quod refert Ioannes Cochlæus in actis Martini Lutheri ad annum 1521. & alij historici: de quo edicto non potest magis dubitari, quàm de rebellione Lutheranorum, quos tribus mensibus solis debellavit Carolus, non sine miraculo, priusq; damnaverat Vvormaciæ edicto publico his verbis: **Constat* genus me ducere à Christianissimis Imperatoribus, à nobilibus è natione Germanica, à Catholicis Hispaniæ Regibus, ab Archiducibus Austriæ, à Burgundiæ Ducibus, qui omnes Ecclesiæ Romanæ filij ad mortem vsque fideles perstitere; qui quidem fato functi nobis ex instituto naturæ, iureque ipso hæreditario, Sanctas, quas diximus, Catholicas observationes, quasi per manus traditas reliquere, vt eorum secuti exempla viveremus, & ijs etiam moreremur. Quoniã verò cõstat fratrem vnum, tantùm suâ quâdam opinione deceptum hallucinari, quæ contra totius Christianismi sententiam est, tàm eorum qui anteacto tempore nos supra mille annos præcessere, quàm eorum, qui nunc vivunt: ex cuius quidem opinionis ostentatione vniversum Christianum nomen in errore semper versatum esse videretur. Eapropter deliberavi omninò regna omnia mea, Imperium, potentatus, amicos meos, corpus, & sanguinem, vitãque, animam meam exponere, ne pravum hoc inceptum serpat vlterius; propterea quòd magno mihi dedecori *cederet.** Imitati sunt eum duo Philiphi, qui prius patiũtur aliquam provinciam à suis Regnis abiungi, quàm in eam dominari, quæ Papæ esse rebellis: estque mirandum à Sancto Hermenegildo ad Philippum Quartũ Dominum nostrum Hispaniã nullum habuisse Regem hæreticum; sed omnes Ecclesiæ Romanæ obedientissimos: idque statuerũt in legibus sui regni, vt constabit disputatione 35. §. 5.

Carolus Quint.

§. 105. Superest Damascenus oratione prima de imaginibus contra Leonem Isauricum: *postremò*, inquit, *quod à paucis, raròque fit, non est in Ecclesia tamquam lex observandum: nam vna hirundo non facit ver, nec vnius oratio tanti ponderis est, vt totius Ecclesiæ ab ortu ad occasum Solis.* Ipsum autem Iacobum ipsius Damasceni verbis oratione prima alloquamur: *his*, inquit, *de rebus statuere, atque decernere, non ad Reges pertinet, sed ad Concilia*: quòd si ipse arbitratur eius sententiam parum honestè à nobis tractari, ipse consideret qualis ea sit: etenim advertat hæc Damasceni verba oratione secũda ante finem: ** Manichæi*, inquit, Evangelium secundum Thomam conscripserunt; & vos secundum Leonem Evangelium scribite, non suscipio Regem sibi per tyrannidem sacerdotium vendicantem: novi Valentem Regem, qui cùm Christianus nominaretur, Orthodoxã fidem persequebatur: Zenonem item, & Anastasium: non regijs regulis, sed patrijs institutis tàm scriptis, quàm non scriptis Ecclesiam censeo constitui, & regulari *oportet.**

Damasc.

§. 106. Obijciunt hæretici primò: Pontificem accepisse primatum à Phoca, teterrimo tyranno: secundò, primatum delatum Pontificibus à Constantino quarto: tertio possunt obijcere electionem Pontificum confirmari solitam ab Imperatoribus. Respondeo, Phocam non detulisse Pontifici primatum, de quo fuisset contentio cum Imperatore Mauritio, aut alio antecessore: sed Ioannes Constantinopolitanus cùm contendisset cum Gregorio Magno de primatu; item Cyriacus etiam Constantinopolitanus cum Bonifacio; Phocas Imperatoriâ potentiâ coegit Cyriacum cedere Bonifacio. Ius enim Romanorum erat tàm apertum

Obiectio.

Solutio.

S. Tho. q. 1. Art. 10. tum, vt nec teterrimus tyrannus illud potuerit negare, imitatus hâc in parte Constantinum Magnum: vt boni, & mali Principis sententiâ essent Angli ab omni ævo damnati. Ad secundū: mirabilis est inscitia Anglorum: Constantinus enim sacrilegos censuit esse Donatistas, quòd à iudicio Episcoporū appellassent ad Imperiale Tribunal, vt costat ex §. 86. Voluit autem Cōstatinus edicto publico ostendere primatum spectare iure Christi ad Romanum Pontificem: ad quod nolo Patrum, aut Theologorum consensum; sed iuris Hispani testimonium, vt Regis sapientis authoritate obstruatur os Regis insipientis. Alphonsus enim Castellæ Rex, cognomento sapiens, partita prima, tit. 5. leg. 3. cùm statuisset Petrum prælatum à Christo cæteris Apostolis, constitutumque illorum caput, ait de Petri successore: *E por ende el Apostolico tiene el logar de San Pedro, è es cabeça de todos los Obispos, assi como San Pedro lo fue de todos los Apostoles*: latinè valent hæc verba: *Ac proinde Apostolicus tenet locum Sancti Petri, & est caput omnium Episcoporum, sicut Sanctus Petrus fuit omnium Apostolorum*: glossa legis secundæ hæc ait: *Non intelligas, quòd in hac necessitate provisum fuit in Concilijs, sive ab Ecclesia vniversali; sed à Christo in Petro fuit data potestas eius successoribus.*

Ad 2.

Alfons. Rex Cast.

§. 107. Cùm autem ante Constantinum Magnum Victor, Stephanus, Zepherinus, & alij exercuerint primatum Ecclesiasticum, vt constat disput. 21. à §. 187. liquidò constat, independenter à Constantino Magno Romanum Pontificem vniversæ Ecclesiæ præfuisse. Addo Constantinum fuisse Britanniæ Regem: cùm ergo à Constantino donata sit potestas Ecclesiastica Romano Pontifici, ab eoque sit acceptata, & numquam repudiata: ergo Rex Angliæ non potest illam vsurpare: probo consequentiam, quia sicut Regnum Angliæ non potest legitimos suos Reges privare iure Regio, quo illos semel donavit: ita nec Rex potest privare legitimum Pontificem iure Ecclesiastico, quo non semel à Constantino; sed millies à privatis Angliæ Regibus donati sunt Pontifices. Ad tertium ex §. 106. eâdem ratione respondetur: illæ enim non sunt novæ donationes; sed consensiones novæ, atque declarationes iuris Pontificij. Ad quartum respondeo, confirmationem illam iniuste invectam in Ecclesiam à Iustiniano: Imperatores enim ratione status id voluerunt: quæ consuetudo abolita fuit à Gregorio in Mauritio. Item non repugnat electionem fieri à subditis, ita vt non censeatur legitimus Pontifex ante consensum eligentium; at verò postquam omnes consen-

Ad 3.

Ad 4.

sere, iam electus manet Pontifex, & caput eligentium: vt patet in electione Imperatorum. Do igitur disputandi gratiâ consensum Imperatoris esse pro suffragio omninò necessario ad canonicam electionem Pontificis: hinc non potest probari Imperatorem esse superiorem Pontifice, magis quàm olim fuit Clerus, & nunc Cardinales.

DISPVT. XXXV.

Vtrùm Sanctus Petrus fuerit caput totius Ecclesiæ?

VISVS est Apostolo Ioanni Lucifer cecidisse de cœlo ad inferendum bellum hominibus: præliabantur autem cum eo dracone Angeli eius. Quibus descripsisse videtur Lutherum è cœlo religionis in chaos obscœnissimarum hæresum lapsum, moturum arma in Deum, manus conserturum cum Michaele, & Angelis eius, id est, cum Romano Pontifice, Ecclesiæ Principe, & eius ministris. Antiquis Ecclesiæ propugnatoribus novā cohortem accensuit Deus Societatem Iesu: quæ calamos proprio sanguine cruentatos, effuso Lutheranorum, & aliorum hæreticorum gladio, ita in eos stringit, vt ipsos coegerit affirmare in Iesuitis esse ipsam medullam Papismi, meliùs quàm in Papa ipso. Nostri Doctores omnia antiqua monumenta sic novâ luce donarunt, vt nobis nihil superfit agendum, nisi illorum labore cum voluptate frui. Quapropter breviter perstringam hanc, & sequentem difficultatem, lectorem reijciens ad Bellarminum, Valentiam, Gretserum, Gualterium, Suarium, & alios huius militiæ antesignanos: quorum imagines nulla obliviscetur antiquitas. §. 1.

SECTIO I.

Pars affirmans ex Scriptura.

SANCTVM Petrum fuisse Apostolorum Principem, & caput vniversæ Ecclesiæ Catholicæ ante Novatores hæreticos, dubitavit nullus etiam hæreticus. Quæ sententia ortum traxit ex verbis Christi apud Matthæum 16. 18. *Tu es* §. 2.

Matth. 16. 18.

Petrus

Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam: ostendem his verbis constitutum Petrum caput totius Ecclesiæ: etenim ex eo testimonio certa fuit omnis antiquitas in Petro, vt in fundamento constructam Ecclesiam. Pater Maldonatus interpretans eum locum probat supra Petrum ædificatam Ecclesiam ex Clemente Romano in epistola ad Iacobum, Hippolito lib. de consummatione mundi, Dionysio in epistola ad Timotheum, Tertulliano in lib. de præscriptionibus, & in lib. de pudicitia, Cypriano in epistola ad Iubaijanum, & in epistola ad Cornelium: Origine homilia quinta in Exodum, Epiphanio in Anchorato, Gregorio Nazianzeno in oratione de moderatione in disputationibus servanda: Basilio homilia de pœnitentia, & lib. 2. adversus Eunomium: Ambrosio serm. 47. de fide Petri, & serm. 68. de Natali Petri & Paulli, & in Hymno, qui in Ecclesia cantatur: *Hoc ipsa Petra Ecclesiæ canente culpam diluit*: quem Hymnum ab Ambrosio compositum testatur Augustinus, tomo 1. lib. 1. retractationum, cap. 21. Item eamdem interpretationem probat ex Hieronymo in epistola ad Marcellam adversus Montanum, & lib 1. contra Iovinianum, & ex alijs infinitis. Quorum & aliorum verba refert Bellarminus tomo primo, lib. primo de Romano Pontifice cap. 10. — *Maldon.*

§. 3. Vbi miratur iure optimo ignorantiam Erasmi salientis vltra crepidas, & censentis Ecclesiam non esse fundatam supra Petrum, nec hæc verba posse deflecti ad Ecclesiam Romanam: nititur autem excusare Cyprianum, atque Hieronymum nobis faventes, arbitratus hunc sensum esse paradoxum. Magis ego miror impudentiam ministri authoris Apologiæ Regis Angli; qui cum viderit in Bellarmino exercitum antiquorum Patrum Latinorum, atque Græcorum, ausus fuit dicere interpretationem hanc nuperam esse, atque novitiam. Hic hæreticus ne impudentiæ ab omnibus argueretur, si contra omnes fere antiquos Patres pugnaret, eos reticuit, vt olim Calvinus: maluit autem simulare, quàm vinci. Tertullianus præterquam in loco citato à Bellarmino, hæc ait libro de monogamia, cap. 8. *Petrum solum invenio maritum, per socrum; monogamum præsumo, per Ecclesiam, quæ super illum ædificata, &c.* Revoca in memoriam, quæ retulerim verba Episcoporum Orientalium disputat. 34. §. 102. vbi monent Michaelem Balbum, vt consulat in quæstionibus fidei Romanum Pontificem: qui succedit Petro, super quem Dominus fundavit Ecclesiam. Cyprianus item in epistola 74. ad Iubaijanum: *nam Petro, inquit, primum Dominus, super quem ædificavit Ecclesiam, & vndè eius vnitatem instituit, & ostendit, potestatem istam dedit.* Item epistola 27. non solum id repetit de Petro; sed etiam ostendit Episcoporum successionem: & epistola 55. ad Cornelium ait: *Petrus tamen, super quem ædificata fuerat à Domino Deo Ecclesia.* Accedat authoritas Regis Alphonsi partita prima, titulo quinto, lege tertia: vbi ex hoc testimonio Matthæi colligit Principatum Petri inter cæteros Apostolos, & Romani Pontificis inter Episcopos: neque hac in parte expedit longior mora: nihil enim potest occurrere, quod mirè non explanent Maldonatus, & Bellarminus locis adductis, & Suarez lib. 3. cap. 10. & disput. 10. de fide sect. 1. — *Tertull.* — *Cyprian.* — *Idem.*

§. 4. *Obiectio.* Obijciunt hæretici authoritatem Augustini tomo decimo serm. 13. de verbis Domini, & tomo nono tractatu 124. in Ioannem: & tomo primo lib. primo retractationum retractantis oppositam, quã docuerat cõtra epistolam Donati. Censet ergo Augustinus non ædificatam Ecclesiam supra Petrum; sed supra Petram Christum: vndè intulit Calvinus blasphemum esse censere Ecclesiam fundatam supra Petrum. Benè quidem Sanctus Augustinus eo capite 21. libri primi retractationum, censet nostram expositionem esse probabilem, his verbis: *Harum autem duarum sententiarum, quæ sit probabilior eligat lector*: ergo blasphemum est opinari eam expositionem esse blasphemam, quia illius probabilitati tantùm favet Augustinus, quantum oppositæ; cùm autem Augustinus censuerit Petrum fuisse caput totius Ecclesiæ: cur id non sequitur Calvinus, vt sequitur expositionem illam, &, vt nos cẽset blasphemos, quòd sequamur expositionem oppositam Augustinianæ, cur ipse de se id non censet adversante Augustino ipsi? Respondet Bellarminus Augustinum ignorasse linguam Syriacam, in qua Petrus, & Petra idem sunt: quia vero censuit diversum esse Petrum, & Petram, non intellexit Petrum esse illum, super quem dicit Christus Ecclesiam fundandam. Quòd si Petrus esset idem cum Petra, non sequeretur Augustinus oppositam expositionem: vt clarè colligitur ex Augustino eodem cap. 21. his verbis, *non enim dictum est illi tu es Petra, sed tu es Petrus*: quibus verbis indicat Augustinus intelligendum fore per *hanc Petram*, ipsum Petrum, si quando dixit Christus *tu es Petrus*, dixisset *tu es Petra*: tunc enim esset planissimus sensus *tu es Petra, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam*, id est, supra te, qui es hæc Petra. Maldonatus rectè docuit hunc sensum tàm esse germanum horum verborum, vt, nisi ab insano, negari non possit: quod cum Bellarmino collegisse videtur ex — *Aug.* — *Idem.*

S. Tho.q. 1.Art.10. ex his Augustini verbis: vndè in hac expositione sequimur Augustinum ipsum, quia eius argumenti robur vestigandum est potiùs, quàm verbum: argumenta enim robusta nascebantur in Augustini mente, linguā autem alienam, quàm non didicerat, non poterat callere: ex ignoratione ergo alienæ linguæ, cui numquam studuerat, coactus est argutari ad singularem sensum: studiosis autem linguæ Syriacæ iter ostendit, quo sint ituri, illis verbis, ***non enim dixit: tu es Petra; sed, tu es Petrus***: Petra igitur apud Syriacos masculini generis est, sicut *lapillus* apud Latinos: quia igitur Petrus mas erat, & Petra apud Syriacos masculina sit, rectè dictū est esse Petrum, quod idem est, quod Petra: sicut si Latinè diceretur lapis, aut lapillus, Hispanè diceretur *piedra*. Illa igitur expositio Augustini, quam probat Calvinus, nullo modo est probanda, quia non est absoluto; sed conditionata ex hypothesi, quòd Petrus non sit idem, quod Petra: ex hypothesi autem quòd sint idem Petrus & Petra, voluit Augustinus Petrum esse illum, supra quem ædificatur Ecclesia: at illa hypothesis primæ expositionis non datur; sed potiùs datur hypothesis nostræ: ergo nostra sententia potius est ex mente Augustini, quàm opposita.

§. 5. 2.Obiectio Obijcies secundò cum Luthero, & Lutheranis omnibus, Petram illam, super quā ædificatur Ecclesia, esse fidem, seu fidei confessionem, non verò Petrum ipsum: quæ expositio ab illis confirmari posse videtur ex Sanctis Hilario, Ambrosio, Chrysostomo, & Cyrillo: quos refert Bellarminus libro primo, cap. 10. versu *quarta restat*. Cui obiectio ni faciūt satis ipse Bellarminus ibidem, & Pater Suarez libro tertio, cap. 2. num. 10. quia fides non sumitur absolutè secundùm se, vt est in quocumque fideli; sed vt est in Petro speciali ratione confitente Christum: itaque Petrus est fundamentum *quod*; fides autem eius est ratio fundandi, qua Petrus meruit esse fundamentum Ecclesiæ, estque fundamentum *quo*, quemadmodum bona opera sunt meritū *quo* benemerentes accipiunt vitam æternam. In quo sensu loquuntur Patres adducti, vt cōstat ex illorum verbis adductis à Bellarmino. Quam doctrinam rectè tradidit Alphōsus Sapiens partita prima, titulo quinto, lege tertia, his verbis loquens de Petro: ***Con todo esso à San Pedro mandò señaladamente, que los guiasse à lo alto; en que se muestra, que le dio adelantamiento sobre los otros. E fue gran derecho en adelantarlo: ca el mismo se adelantò en la lealtad, quando dixo à Iesu Christo: tu eres Christo fixo de Dios vivo. E por esso respondio: tu eres Pedro, que quier tanto dezir como firme en creencia; porque creyò sin ninguna du[illegible] [illegible]gò, que era fixo de Dios***: quæ verba [illegible] valent: ***Tamen Sancto Petro nominatim præcepit, vt eos duceret in altum: in quo patet, quòd Petrum [illegible]s prætulit, & fuit iuri consonum eum præferre, quia ipse se prætulit in fide, quando dixit Iesu Christo, tu es Christus Filius Dei vivi, ac propterea respondit: tu es Petrus, quod perinde significat, ac firmus in credendo: quia credidit absque vllo dubio, & consensit quòd erat Filius Dei.*** Hæc Alphonsi doctrina explicat apprimè primatum delatum Petro propter fidei confessionem, qua ipse Petrus cæteris condiscipulis præcelluit.

Bellar.

Resp.

Alfons. Sapiens.

Obijcient tertiò cum Erasmo, omnem hominem fidelem esse hanc Petram. Certè §. 3. 3.Obiectio
iste Grammaticus nescio quibus præceptis didicerit Petrum esse omnē fidelem: Christus enim singulariter loquebatur cum Petro, qui singulari revelatione Patris æterni fuerat confessus dignitatem Christi: quę revelatio non fit omni fideli: quæ verò posteà dicunur, non conveniunt singulis fidelibus: nec enim singuli habent claves Regni cœlorum, neque omnes sunt invincibiles à diabolo: neque omnes sunt fundamentum Ecclesiæ: oblitus est autem Erasmus sui ipsius, non tamen impudentis suæ maledicentiæ: tractans enim hunc locum Matthæi, dixit de Christo, & Petro: *mutuò se scabunt*. At Petrus loquebatur de sola persona Christi: ergo & Christus de sola persona Petri, alioquin ipsum non scaberet. Iste tamen hæreticorum parens, neque pepercit convitijs in Christum, & supposuit ovum excutiendum Luthero. Quod affert ex Origene nullius est momenti: quia tractatu primo in Matthæum eum locum exponit allegoricè: homilia autem quinta in Exodum locum hūc Origen.
explanat litteraliter, his verbis: ***Vide magno illi Ecclesiæ fundamento, & Petræ solidissimæ, super quam Christus fundavit Ecclesiam quid dicatur à Domino? modicæ fidei, quare dubitasti?*** Reliqua legantur in authoribus adductis.

SECTIO II.

Patrum authoritate probatur Petri primatus.

EX Patribus exponentibus locum Matthæi de Petro primo Ecclesiæ §. 5.
fundamento, nullus potest dubitare illum fuisse primatem inter Apostolos. Bellarminus eo libro primo, c. 25. refert à Calvino, & Magdeburgensibus censeri in Ecclesia

Ecclesia dùm duravit pura, & vera facie, non fuisse audita superba nomina, quibus postea insolescere cœpit Romana Sedes: essèque manifestam notam Antichristi illorum vsurpationes: asserunt etiam tempore Hieronymi durasse adhùc veram, & puram faciem Ecclesiæ. Quam autem isti sint mendaces, & impudentes, probat apertè Bellarminus eo cap. 25. verbis viginti quatuor Patrum antiquorum ex Græcis, atque Latinis. Origenes enim in capite sexto ad Romanos ait, summam rerum de pascendis ovibus traditam Petro, & super ipsum, velut super petram, fundatam Ecclesiam. Eusebius in Chronico anno 64. ait, *Petrus Apostolus natione Galilæus, & Christianorum Pontifex primus*: non dixit Pontifex alicuius Ecclesiæ, sicut dixerat de Iacobo, & Evodio; sed absolutè dixit, *Pontifex Christianorum*. Sanctus Basilius serm. de iudicio Dei, dicit Petrum prælatum cæteris discipulis, cui claves Regni cœlestis commissæ, &c. Sanctus Gregorius Nazianzenus ait, reliquos discipulos tranquillo animo tulisse se posthabitos Petro. Sanctus Epiphanius Petrum electum, vt esset dux discipulorum. Cyrillus Alexandrinus eum vocat Principem, & caput cæterorum. Sanctus Chrysostomus eum item caput vocat. Euthymius Petrum constitutum Magistrum toti Orbi: Theophilactus eum fatetur primatem. Œcumenius Petro commissam præsidentiam discipulorum. Ex Latinis Cyprianus eum vocat Ecclesiæ caput, & radicem: relege cæteros Patres. Non omittam Hieronymum lib. 1. in Iovinianum, his verbis: * *Inter duodecim vnus eligitur, vt capite constituto schismatis tolleretur occasio. Sed cur non Ioannes electus est virgo? ætati delatū est, quia Petrus senior erat, ne adhùc adolescens ac penè puer progressæ ætatis hominibus præferretur*. * Item in psalmum decimum tertium in ea verba *non est qui faciat bonum*, ait, *quia nullus è discipulis, neque Petrus, qui caput Ecclesiæ est*. Et in Mathæum cap. 18. initio, *ex æqualitate pretij arbitrati sunt Petrum omnibus Apostolis esse prælatum*. Et in Amos cap. 4. in verba, *percussi vos, & princeps Apostolorum: Charissimi nolite, &c*. Allegans igitur Petrum, eum vocat Apostolorū principem, idque sexcenties repetit: vt cognoscat Calvinus an hæc superba nomina sibi arrogaverint recentes Pontifices, an verò quo tempore ipsi fatentur durasse veram Ecclesiæ faciem ea detulerunt Sancti Patres Romanis?

P. Bellar. Euseb. Hieron.

§. 2. S. Aug. Sanctus Augustinus tomo nono, tractatu 56. in Ioannem, *quis*, inquit, *non sciat primum Apostolorum esse Beatissimum Petrum?* tomo decimo, serm. 23. de verbis Domini, *ipse enim Petrus in Apostolorum ordine primus*: & infrà, *Apostolatus Principatum tenens*, tomo nono, tractatu 124. in Ioannem *Petrus* (inquit) *Apostolus propter Apostolatus sui primatū*, In Concilijs id passim repetitur: vt enim ostendant Romanum Pontificem esse Ecclesiæ primatem, rationem reddunt, quia est successor Petri, qui fuit caput Ecclesiæ, vt ostendam disputatione sequenti. In Concilio autem Moguntino in præfatione hæc dicuntur, *secundum dictum Beati Petri primi Pastoris Ecclesiæ*. In re tàm necessaria ad salutem providit etiam Deus authoritatem Regum Hispaniæ, qui suis legibus sanctum esse voluerunt hoc fidei dogma partita prima, titulo quinto, lege 3. his verbis: *Ca ansi como la cabeça es sobre todos los otros miembros, ansi S. Pedro fue sobre todos los Apostoles, è por esso es llamado cabdillo dellos*, ac si dicat, *& sicut caput est super omnia membra, ita Sanctus Petrus fuit supra omnes Apostolos, & propterea vocatus est illorum caput*.

§. 3. His testimonijs, & totius Ecclesiæ consensui respondebit Lutherus, omnes Patres fuisse deceptos, immò & Angelos ipsos deceptum iri potiùs, quàm ipse fallatur: quia Spiritus Sanctus illi hoc tàm apertè dictat, vt possit ipsis etiam Angelis contradicere: Calvinus autem non habet quid respōdeat, nisi fortè omnes libros esse falsatos. At verò author Apologiæ Regiæ, apud Patrem Suarez libro tertio, cap. vndecimo, num. primo, dicit sententiam hanc esse superam, & novitiam, vt ipse ostendat inveteratam suorum ignorantiam, qui vel libros non legerunt, vel tàm gravatis oculis, vt videntes non videant, neque audientes intelligant. Ait tamen Rex, Petrum ratione ætatis fuisse vnum ex primarijs Apostolis, & Principem ordine illorum duodecim, quos primos Christus elegit, & è tribus illis vnum, quos ordinis servandi gratiâ cæteris præposuit: verùm hæc est responsio Delphica, quam æquè ignorat, qui eam reddit, ac qui audit. Primùm enim Patres adducti illum ordinem dicunt esse præsidentiæ, præfecturæ, prælationis, capitis, & ducis. Secundò: quid est Princeps ordine? in quo enim est Princeps? An qui fortè sine vllâ prælatione, aut præfecturâ recensetur primus inter alios, solùm vt ab illo incipiatur numerus, dici poterit aliorum Princeps? Aut Andreas poterit dici Princeps respectu Ioannis, atque Iacobi, quod priùs quàm illi recenseatur? Sinamus ergo hos ignorantes, nulla enim efficaciori ratione convinci poterunt, quàm si ab illis petatur suorum verborum sensus.

S.Tho. q. 1. Art. 10.

DISPVT. XXXVI.

Vtrùm Episcopus Romanus sit caput totius Ecclesiæ?

§. 1. RIMO ponendum est Sanctum Petrum fuisse Episcopum Romanum, ibique suffixum cruci: quod vniversæ Ecclesiæ traditione confirmatum, & veterum historicorum consensu accepimus; idque ex epistola ipsius Petri, ex Tertulliano, Ireneo, Hieronymo, & alijs probat Bellarminus contra Velenum, atque Illyricum lib. 2. de Summo Pontifice à capite primo: Calvinus autem non fuit ausus negare Petrum fuisse Romæ propter consensum Scriptorum: tamen persuaderi nequit, eum ibidem longo tempore Episcopum fuisse: consentiuntq; illi Magdeburgenses. Miror sanè ab his nõ fuisse negatũ Adamum aliquando vixisse, aut Petrũ fuisse vnquam: nobis tamen sufficiat authoritas Eusebij libro tertio, cap. 2. vbi refert Petrũ Romæ crucifixum: capite autem decimo quarto, & decimoquinto refert duos successores Petri: capite autem 24. recenset Evaristum; libro autem quinto, cap. sexto recenset Episcopos Romanos; finit autem, his verbis: *huic successit Soter, qui nunc duodecimo loco ab Apostolis Episcopatus obtinet sortem*, cùm autem dicit duodecimo loco, supponit Petrum fuisse primum Episcopum: quia præter Petrum vndecim tantùm fuerant Episcopi cum Sotere; nempè Linus, Anacletus, Clemens, Evaristus, Alexander, Xistus, Thelesphorus, Hyginus, Pius, Anicetus & Soter, cùm autem hic in serie Episcoporũ sit duodecimo loco, Petrus fuit in primo, alioquin Soter non duodecimo; sed vndecimo loco esset. Sanctus Irenæus lib. 3. cap. 3. recenset successores Petri & Paulli in Episcopatu Romano esse, per quos iudicandi sunt hæretici, vbi hæc ait de Petro & Paullo: *Fundantes igitur, & instruentes beati Apostoli Ecclesiam, Lino Episcopatum administrandæ Ecclesiæ tradiderunt.* Sanctus Augustinus recenset Episcopos Romanos à Sancto Petro ad Anastasium, tomo 2. epistola 164. his verbis: *Quantò certiùs, & verè salubriter ab ipso Petro numeramus, cui totius Ecclesiæ figuram gerenti Dominus ait, super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam. Petro enim successit Linus, Lino Clement, &c.* vnde dubitari non potest Beatum Petrum fuisse Episcopum Romanum, nisi dubitetur ab hominibus tàm impudentibus, vt de illis dubitari possit, an sint homines.

Bellarm. — Eusebius. — Irenæus.

SECTIO I.

Petro successit aliquis in Episcopatu & primatu.

§. 2. SVCCESSISSE Petro aliquem in Episcopatu, & primatu clarè probant & incredibili eruditione Cardinalis Bellarminus lib. 2. de Romano Pontifice à capite duodecimo, & Pater Suarez libro tertio à capite etiam duodecimo, & disputat. 10. de fide sect. 2. Ac primùm de successione in Episcopatu negotium est absque negotio: tùm ex Psalmo 44. 17. *pro Patribus tuis nati sunt tibi filij*: quod testimoniũ explicat Sanctus Augustinus de Episcopis, qui successerũt Apostolis, cuius verba descripsi disput. 34. §. 55. & autem 56. descripsi verba Sancti Hieronymi id expressè testantis: in quem sensum consentiunt interpretes omnes: tùm etiam ex cap. 20. Actorum 28. *Attendite vobis, & vniverso gregi, in quo Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*: igitur præter Apostolos alij fuerunt Episcopi constituti à Spiritu Sancto: item Paullus ad Titum prim. quint. *huius rei gratiâ reliqui te Cretæ, vt ea, quæ desunt, corrigas, & constituas Presbyteros per civitates, sicut & ego disposui tibi*: ergo ab Apostolis perennat successio Presbyterorum, & Episcoporum: idque testatur Ecclesiæ consuetudo: etenim Irenæus libro tertio, capite tertio, hæc ait; *sed quoniam valdè longum est in hoc tali volumine omnium Ecclesiarum enumerare successiones.* Eusebius non semel adductus §. 1. eas passim enumerat; præsertim autem Romanorum Pontificum: quod præstitit Augustinus, qui tomo sexto, libro contra Manicheos de vtilitate credẽdi, cap. 17. hæc ait: * *Dubitabimus* nos eius Ecclesiæ condere gremio, quæ vsque ad confessionem generis humani ab Apostolica Sede per successiones Episcoporum, frustra hæreticis circumlatrantibus culmen authoritatis *obtinuit*? * Ratio autem est manifesta, quia, nisi Sacerdotes successissent Apostolis, non essent, qui sacramenta efficerent, quorum, præter Baptismum & Matrimonium, ministri sunt Sacerdotes, & Episcopi: quis igitur conficeret Eucharistiam? quis absolveret à peccatis? Item si non essent Episcopi, non possent consecrari Sacerdotes, & deficeret Ecclesiastica hierarchia: successerunt ergo Episcopi Apostolis in Episcopatu, & dignitate: videamus vtrùm Petro successerint in primatu?

P. Bellar. — P. Suarez. — Ps. 44. 17 — Actor. 20. 28. — Ad Titum 1. 5. — Irenæus. — Aug.

Negant omnes recentes hæretici Lutherus, Calvinus, & alij secuti Nilum Thessalonicen-

lonicensem Episcopum: certa tamen sententia est ab omni ævo recepta, Petro aliquem in primatu successisse. Quæ probatur primò: quia in Episcopatu, & Sacerdotio, & in aliorum munere exercendo habuit Petrus successorem, vt probatum est §. 2. ergò etiam in primatu. Probo consequentiã, quia non aliâ ratione probatur Apostolos successores habuisse in Episcopatu, quàm in primatu. Ideò enim Apostoli alios Episcopos creaverunt, quia dignitas Pōtificia illis fuit collata ad communẽ salutem, & vtilitatem Ecclesiæ; sed etiam primatus est necessarius ad communem salutem, & vtilitatem Ecclesiæ: ergo etiam succeditur Petro in primatu. Minor probatur ratione Hieronymi adducti disput. 35. §. 7. quia primatus Petri fuit necessarius, vt capite constituto, schismatis tolleretur occasio; sed in Ecclesiæ decursu maior esset occasio schismatis, quã in exordio: ergo nūc primatus Ecclesię est etiã necessarius ad cōmunẽ salutem, & vtilitatẽ: probo minorem: tùm quia maior fuit multitudo fidelium, inter quos facilior est dissẽsio, quàm inter paucos: tùm etiam; quia temporis decursu refrigescente charitate multorum, exortæ sunt variæ hæreses, suntque hæretici emendatu difficiliores: fideles autem, per quos corrigendi essent hæretici, nõ erant adeò illustrati à Spiritu Sancto; quàm Apostoli: ergo tàm ex parte errantium, quàm ex parte docentium erat futura maior occasio schismatis: & concluditur apertè magis necessarium fuisse primatum posterioribus Ecclesiæ sæculis, quã primis. Quam doctrinam graviter docuit Alphonsus Sapiens partita prima; tit. 5. lege 2. *Alphon. Sapiens.*

§. 4. Secundò probatur, quia Ecclesia perennat post Apostolos eâdem hierarchia, qua in Apostolis fuit constituta à Christo; sed à Christo constituta fuit cum vno supremo omnium capite, & Principe Petro: ergò nunc perennat cum eodem capite successore Petri. Minor probata est disputatione superiori: maior constat tùm exemplo Presbyterorum, quos constituerunt Apostoli eodem ordine, quo Christus ipsos: tùm etiam, quia hæretici negantes hanc consonantiam, debent ostendere, quo fundamento Scripturæ, Patrum consuetudinis; aut alius rationis moveantur; sed nec ex Scriptura, nec ex Patribus, nec ex Concilijs possunt, nisi oppositum probare: ergo: etenim cùm hæc tempestas fuerit in septemtrione inter omnes hæresum feracissima, propter homines apostatas excucullatos, & Sacerdotes vxoratos, qui non potuerunt voluptatibus laxare fræna, nisi contrà suprema capita rebellantes, ideò hæc tartarea monstra à sæculo confregêre iugum, rupêre vincula, & dixerunt: *non serviemus*: Catholica autem veritas liquidius ex dicendis constabit.

SECTIO II.

Episcopum Romanum Petro in primatu successisse monstratur ab antiqua consuetudine dirimendi caussas fidei.

NVLLA est magis compendiaria via ad ostendendum Episcopum Romanum dominari in totum Orbem Christianum; quàm eiusdem Episcopi Imperium exercitum in ipso Orbe à primo successore Petri ad Gregorium Decimum quintum. Non est controversia, vtrùm separari possit ab Episcopo Romano Principatus in totũ Orbem Christianum: est autem quæstio, vtrùm materialiter Episcopus Romanus, nō quia Episcopus Romanus est; sed quia cum Episcopatu Romano successit Petro, non in aliquo Episcopatu privato; sed in vniversali præfectura Ecclesiæ, vtrùm, inquam, hic Episcopus Romanus sit caput totius Ecclesiæ? §. 5.

Linus, & Cletus exercuerunt hanc præfecturam; Linus quidem nonnullis præceptis Ecclesiasticis; Cletus autẽ ordinatione Episcoporum. Clemens maximè claruit exercitio authoritatis Pontificiæ, vt constat ex libro Pontificali Damasi, his verbis: *Hic ex præcepto beati Petri suscepit Ecclesiæ Pontificatum gubernandum, sicut ei fuerat à Domino Iesu Christo Cathedra tradita, vel commissa: tamen in epistola, quæ ad Iacobum scripta est, qualiter ei commissa est à Beato Petro Ecclesia, reperies.* Ipse autem in epistola non longè ab initio, hæc ait de Sancto Petro: * *Clementem* hunc Episcopum vobis ordino, cui soli meæ prædicationis, & doctrinæ Cathedram trado. Propter quod ipsi trado à Domino mihi traditam potestatem ligandi, & solvendi, vt de omnibus quibuscũque decreverit in terris, hoc decretum sit & in cœlis, *&c.** ipse vero Clemens eâ epistola instruit Ecclesiã. Video Magdeburgenses, & alios hæreticos releciisse hanc epistolã, vt supposititiã: quia scripta fertur ad Iacobum fratrem Domini post obitum Sancti Petri: Iacobusque vitam finierat Hierosolymis multò antequàm Petrus Romæ: ergo non potuit ad Iacobum scribi post obitum Sancti Petri. Pater Turrianus libro secũdo pro epistolis §. 6. *Damas.* *P. Turr.*

S.Tho. q. 1. Art. 10. Pontificijs cap. decimo tertio respondet, Clementem vsum fuisse transfiguratione personarum, scribentem ad Ecclesiam Iacobi nomine ipsius Iacobi, & quidem Sanctus Petrus Chrysologus scribēs ad Euthychetem ait, Sanctum Petrum tunc Romæ dogmata fidei tradidisse: non quidē, quòd tunc Petrus propria personâ ea traderet; sed quòd eius successor Sanctus Leo; qui tunc sedebat in Cathedrâ Petri; quia tamen Bellarminus libro secundo de Romano Pontifice capite decimo quarto eam epistolam non habet pro omninò indubitata, & Baronius tomo secundo anno 102. à numero sexto ab eis abstinendum docet, non quòd authoritate careant; sed quòd firmioris authoritatis supersunt alia argumenta, ideò & ego abstineo ab epistola Anacleti, & ab hac Clementis: vide apud Turrianum ea epistola vsos Alexandrum atque Marcellum, & alios Pontifices.

§. 7. Producamus alia testimonia vel hæreticis minimè suspecta. *Eusebius.* Eusebius libro quinto capite sexto hæc ait de Clemente: * *Clemente* Pontificatum gerente, seditio non exigua, illa quidem inter fratres Corinthi, excitata fuit: vnde Ecclesia Romana epistolam scriptam accuratissimè eò misit: qua illos cùm ad pacem cohortata est, tùm pristinæ eorum fidei memoriam renovavit, tùm denique traditionem nuper ab Apostolis acceptam ante oculos *proposuit.* * Hæc Eusebius inteprete Ioanne Christophorsono; interprete autem Ruffino aliquod est discrimen, non quidem in substantia; sed in verbis. Priusquam Eusebius, id dixerat Irenæus lib. 3. cap. 3. asserens à Clemente missas Corinthum potentissimas litteras ad pacem, & fidem reparandam: ne autem hæretici dicant, id factum fuisse à Clemēte, non iure Pontificio in Corinthios; sed studio pacis; audiant id dictum ab Irenæo in confirmationem sententiæ; qua dixerat sedem Romanam per successionem Episcoporum esse magistram veritatis, cuius authoritate omnes hæretici fuerant compressi: hæc autem sunt verba Irenæi: *Irenæus.* * *Sed* quoniam valde longum est in hoc tali volumine omnium Ecclesiarum enumerare successiones, maximæ, & antiquissimæ, & omnibus cognitæ, à gloriosissimis duobus Apostolis Petro, & Paullo Romæ fundatæ, & constitutæ Ecclesiæ, eam, quā habet ab Apostolis traditionem, & annuntiatam hominibus fidem, per successiones Episcoporum pervenientem vsque ad nos, indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquomodo, vel per sui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem, & malam sententiam, præter quàm oportet, colligunt. Ad hanc enim Ecclesiam, propter potentiorem principalitatem, necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos, qui sunt vndique fideles, in quâ semper ab his, qui sunt vndique, conservata est ea, quæ est ab Apostolis traditio: fundantes *igitur, &c.* * Vides ab Irenæo adductū exemplum Clementis, vt probaret, quod priùs dixerat, omnes hæreses comprimi debere Episcopi Romani authoritate. Dixerat Calvinus, sedem Romanam recentioribus sæculis insolescere cœpisse superbis nominibus, à quibus abstinuit, cùm Ecclesia erat verâ & syncerâ facie: vt ostendat se vbique impudentem, & mendacem: Sanctus enim Irenæus viguit primis Eccclesiæ temporibus; quibus Calvinus fatetur floruisse Ecclesiam verâ suâ facie, fuitque laudatissimus etiam ab hæreticis, Tertulliano, & alijs; qui tamen testis est oculatus huius consuetudinis, authoritatis, & successionis Apostolorum in extinguendis hæresibus.

Quoniam verò longum est integram historiam texere, vnum aut aliud exemplum proponam. §. 8. Ac primùm Sanctus Victor *S. Victor.* Romanus Pontifex propè annum centesimum nonagesimum sextum præcepit omnibus Asiæ Episcopis, ne Pascha celebrarent decima quarta die Lunæ Martiæ, ne cum Iudæis in tempore conveniremus: Asiatici autē Romam miserunt Policarpum tempore Aniceti, & Irenæum tempore Victoris, ad componendā eam controversiam; rationē reddentes pro Asiaticis, quia ita acceperant à Sancto Ioanne, multique Sanctissimi Episcopi erant ab Asiaticis: Victor autem, quia res vergebat in hæresim, & illa celebratio quartodecimana favebat ieiunijs Montanistarum, anno centesimo nonagesimo octavo excommunicavit omnes Episcopos quartodecimanos, celebrantes deinceps eo tempore Pascha. Baronius anno centesimo nonagesimo octavo à numero *Baron.* quarto satis abūdè refert aliquorū etiā Sāctorum Patrū testimonia, quibus furere visus est Victor, cæterique Doctores dissuadebant Victori excommunicationem: Polycrates autē Episcopus Ephesinus fuit largè conquestus de sævitia Victoris: cui tamen paruit cuncta Ecclesia, quia, tametsi initio rigida videbatur sententia, nullus tamen de potestate dubitavit. Quòd si non constaret Asiaticis Episcopis de potestate Eiscopi Romani ad eos excommunicandos, eum planè deriderent: vt Hispani deriderent Episcopum Moguntinum volentem per excommunicationem eos

eos cogere ad celebrandum hoc, aut illud festum, historia hæc est, vel ipsis pueris familiaris; quam refert abunde Baronius tomo secundo, anno 198. qui si suspectus est hæreticis, recognoscant Eusebium libro quinto, cap. 24. vbi refert epistolam Polycratis primatis Asiæ ad Victorem: eaque relata, hæc ait: * *Sed* ad hæc Victor, Romanæ Ecclesiæ Episcopus, pertinaciùs agens, passim totius Asiæ, ac vicinarū Provinciarum Ecclesias à communionis societate abscindere nititur, tamquā in hæresim declinantes; & litteras mittit, quibus omnes simul absque discretione ab Ecclesiastico fœdere segregaret; sed hoc nō omnibus placebat Episcopis: quin potiùs è cōtrario scribentes ei, iubebant, vt magis, quæ pacis sunt, ageret, *&c.* * quibus satis apertè constat à totius Ecclesiæ Episcopis recognitam Episcopi Romani in eos summam authoritatem: maximè autem ex verbis Irenæi ab Eusebio adductis, quibus exemplo præcedentiū Romanorū Pontificū ei suadere conatur, ne excōmunicet quartodecimanos. Baron. Euseb.

§. 9. Idem Victor Summum Pontificatum ostendit in damnando errore Montani: cùm enim per falsos rumores accepisset Victor Montani spiritum admitti absq; incōmodo posse, scripserat epistolas ad Ecclesias Asiæ, & Phrygię, ne vitarent Montanū; sed illum ad sacra admitterent: cùm autem Praxeas discipulus Montani aperuisset Victori absurda hæresis Montanicæ, revocavit Victor epistolas priores, misitq; alias, vt vitaretur Montanus: Praxeas spopondit Victori emendationem erroris, cuius retractationem tradidit Pontifici cum propria syngrapha, eaque propter securus mansit Praxeas, & eius caussæ fuit silentium indictum: è quibus constant duo: primum, Victorem existentem Romæ iudicem fuisse hæresis Montani degentis in Phrygia, & Asia; eiusque litteras (quas Tertullianus vocat litteras pacis) suffecisse ad admittendum, aut dimittendum Montanum à sacris; idque non in Europa solùm, in qua Roma; sed in Phrygia, & in Asia: secundò constat, hæreticos consuevisse dare Romano Pontifici suorum errorum retractationem: quo vno facto silentium indicebatur illorū caussis tamquam absolutorum ab hæresi: cuius consuetudinis meminit Baronius tomo secundo, anno 207. numero tertio: ne autem Catholicorum authoritate agamus cū hæreticis in probanda illorū subiectione Romano Pontifici, probemus vtramq; historiam ex Tertulliano, hæretico damnato cū Mōtano; libro contra Praxeam, capite primo: cuius hæc sunt verba de Praxea: * *Nam* idē tunc Episcopum Romanum agnoscentem iam prophetias Montani, Priscę, Maximillæ, & ex ea agnitione pacē Ecclesijs Asiæ, & Phrygiæ inferentem, falsâ de ipsis Prophetis, & Ecclesijs eorum adseverando, & præcessorum eius authoritates defendendo, coegit & litteras pacis revocare iam emissas, & à proposito recipiendorum charismatum *concessare.* * Baron. Tertull.

§. 10. Quibus verbis clarè probatur historiæ prima pars de potestate Papæ in Asiam, & Phrygiam: Tertullianus enim inimicus Romani Pontificis, quamvis hæreticè secutus est Montanum, nō potuit negare, quæ tunc gerebantur in toto Orbe Christiano. Iacobus Pamellius, explicans cū Rhenano hunc locum Tertulliani, confirmat summā authoritatem Romani Pontificis priscis illis Ecclesiæ sæculis. Secundam autem partem historiæ nostræ docet Tertullianus ibidem eo capite primo contra Paxeā: *denique* (inquit) *ea veras pristinum Doctor de emendatione sua & monet chyrographum apud Psychicos, apud quos tunc gesta res est; exinde silentium.* Recognosce Pamellium in eum locum, probantē hanc consuetudinem antiquorum: Psychicos autem vocat Romanos, quos animales, sive carnales censebat, quòd asseruerant licitas esse secundas nuptias: ex Tertulliano historicè accipio veterem Ecclesiæ consuetudinem; quod autem Tertullianus desciverit à Romanis, nihil refert, quia dum Catholicè sensit, semper fuit cum Romanis: à quibus se disiunxit (vt ipse testatur capite primo de pudicitia) propter spiritum Montani; quem blasphemum esse censuerat libro de præscriptionibus, cap. 36. damnatque Tertullianus libro de pudicitia secundas nuptias: quas non damnant novi hæretici: quia si prima moriatur vxor, ipsis (vt ipsi dicunt) impossibilis est continentia: ergo vel ducenda est secunda vxor, vel aliena quærenda: vt ergo ipsis non nocet sententia Tertulliani contra secundas nuptias; ita neque nobis eiusdem sententia contra Romanos. Pamell. Tertull.

§. 11. Neque minùs illuxit Romana potestas in Zepherino damnante Montanum edicto, quo se vocat Pontificem Maximum, & Episcopum Episcoporum: quod edictum refert Tertullianus capite primo de pudicitia, his verbis: * *Audio* etiam edictum esse propositum, & quidē peremptoriū: Pōtifex scilicet maximus Episcopus Episcoporū dicit: ego & mœchiæ, & fornicationis delicta pęnitētiâ functis dimitto. O edictū, cui adscribi nō poterit bonū factū! ait autē Pamellius: benè habet, & adnotatu dignū, quòd etiam iam in hæresi constitutus, & adversus Ecclesiā scribens Pontificē Romanum Episcopū Episcoporū nuncupet: & infrà cap. decimo tertio Tertull. Pamellius

S.Tho.q. 1.Art.10. tertio bonum Pastorem, & benedictum Papam, & capite 21. *Apostolicum.* * Constat item Stephani Primatus, qui in Concilio Romano ex sola traditione Romana damnavit errorem Donatistarum: qui robur acceperat à Donato, Agrippino, & Sancto Cypriano Archiepiscopis Carthaginensibus, cum ingenti multitudine Episcoporum Africanorum: tandem vicit Stephanus totam Africam, & Ecclesiam vniversam armavit adversus eum errorem. Constat hæc ex Eusebio libro septimo cap. secundo, vbi refert Cornelium Papam contradixisse Cypriano: cap. autem tertio refert eum errorem damnatum à Sancto Stephano, item verba Dionysij martyris Alexandrini nunciantis Stephano ab omnibus Ecclesijs acceptam damnationem erroris: cap. autem 4. refert à Xysto iterum damnatũ eũdẽ errorẽ: de quibus egi disp. 21. §. 203. & 204.

§. 12. Hic primatus fuit clarissimus temporibus Constantini: qui edicto publico declaravit Episcopum Romanum, esse caput omnium Episcoporum: quod edictum est in tom. 1. Cõciliorum ante decreta Silvestri Papę, quæ sunt ante Concilium Nicænũ primũ,

Constant. cuius hæc sunt verba: *Sanctissimo & beatissimo Patri Patrum Silvestro Vrbis Romæ Episcopo, & Papæ, atque omnibus eius successoribus, qui in sede Beati Petri vsque in finem sæculi sessuri sunt, Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ per hanc nostram Imperialem constitutionem subiectis in vniverso orbe terrarum nũc, & in posterũ, cunctis retrò temporibus constitutis:* & infrà *interveniẽte Patre nostro Silvestro, sũmo Pontifice, & vniversali Papa:* & infrà *Beatissimo Patre, & Oratore nostro Silvestro vniversali Pontifice.*

§. 13. *Solutio.* Dicunt hæretici, delatum primatum non iure Christi; sed Imperatorio: quod proba-

Impugn. re possunt illis verbis: *Per hanc nostram imperialem constitutionem subiectis.* Insaniunt quidem isti, tùm quia Constantinus semper censuit, se nullum habere ius Ecclesiasticum, neque in Episcopos, neque in caussas Ecclesiasticas, vt constat ex disputatione 34. §. 86. item quia iam ostendi Clementem, Victorem, Zepherinum, & Stephanum iura dixisse toti Ecclesiæ multò ante Constantinum natum: tùm etiam quia Constantinus eodem modo loquitur de Episcopis, qui anteà fuerant omni retro tempore ac de futuris; sed Epicopi temporibus retroactis non potuerunt esse subiecti Romano Pontifici per constitutionem Cõstantinianam: ergo Constantinus non egit de donatione Primatus; sed de declaratione: exponit enim Constantinus per Imperialem suam constitutionem, omnes Episcopos præteritos, præsentes, & futuros subiectos esse Romano Pontifici: longeque abest, vt Silvestro, & omnibus Episcopis superiorem se censeat, qui ipsius Silvestri se filium profitetur.

In Concilio Niceno præfuerunt Legati Pontificis ad damnandum Arium: vt §. 14. ostendi disputatione vigesima prima §. 206. §. autem 207. ostendi ab Athanasio, & Episcopis Ægyptijs vocatos esse Papas vniversalis Ecclesiæ; item & vt confirmarent decreta Nicæna. Lutherus, & alij hæretici objiciunt ex Concilio Nicæno apertè probari, Romanum Pontificem non præesse toti Ecclesiæ; sed tantùm sedibus suffraganeis: dicuntur enim hæc canone sexto: * *Antiqua* consuetudo servetur *Concil. Nicæn.* per Ægyptum, Lybiam, & Pentapolim, ita vt Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem, quia & Vrbis Romæ Episcopo parilis mos *est.* * Vnde concludunt æqualem esse potestatem Alexandrini, & Romani Episcopi. Cardinalis Bellarminus libro secundo de Romano Pontifice capite decimo tertio, *Respond. Bellarm.* varias adducit huius Canonis interpretationes: ac primùm clarè constat Ecclesiæ Romanæ nullos præfixos in Concilio Nicæno; sed præceptum, vt Patriarcha Alexandrinus suffraganeos habeat Episcopos, quemadmodum eos habet Roma: hoc autem quid derogat vniversali præfecturæ? Nunc enim habet Roma immediatos suffraganeos nonnullos, & vniversalem præfecturam: vt si Concilium diceret, habeat Alexandria suum Episcopum, sicut Roma habet suum. Hæc expositio elumbat omninò argumentum hæreticorum: qui cæteras voluerit adeat Bellarminum exponentẽ morem illum antiquum de consuetudine Romanorum Pontificum, qua donaverunt Episcopo Alexandrino administrationẽ Ægipti, Lybiæ, & Pentapolis: ac si dicat Concilium: *Volumus, vt Alexãdrinus præsit Ægipto: quia huic voluntati nostræ parilis consuetudo respondet, qua Romani Põtifices eas Provincias attribuerunt Alexandrino.* Itaque parilitas moris nõ est inter suffraganeos Romæ, & Alexandriæ; sed inter privilegia donata à Romanis, & à Concilio: ille autem canon sextus quantùm sit à nobis, ostendã §. 19. dum illud allegabo ex Concilio Chalcedonensi.

Temporibus Sancti Augustini res est luce clarior: duo enim Concilia miserunt de- §. 15. creta sua contra Cælestium, & Pelagium, vt confirmarentur ab Innocentio primo: quæ ipse laudavit, quòd recurrissent ad doctrinæ fontes Romanam Ecclesiam, vt ex antiquo more fecerãt vniversæ Provinciæ: Sanctus autẽ Augustinus dixit respõsionẽ *S. Aug.* hãc dignã esse Apostolicæ sedis Antistite. Vi-

Videant ergo Novatores an se arbitrarentur Augustino pares, & ab ipso discant, se subijcere Petro. De toto hoc argumento egi disp. 21. §. 209. 210. 211. 212.

§. 16. Sanctus Damasus ostendit apertè principatum Ecclesiæ suæ. Primùm enim in epistola quinta, quæ habetur tomo primo Conciliorum inter decreta Damasi, & refertur à Theodoreto libro secundo, cap. 22. docet expressè nullum Concilium congregari posse absque decreto Romani Pontificis, his verbis: *Non enim præiudicium aliquod fieri potuit per numerum Arimino congregatum, quando constat, neque Romanum Episcopum: cuius ante omnia decebat eos expectare decretum, &c.* Epistola autem sexta ait Episcopos Italiæ de quadam consuetudine, *quod deinceps in omni Orbe terrarum fieri Apostolicâ authoritate prohibemus*: & quod caput est Concilium secundum generale, quod fuit Constantinopolitanum primum, scripsit ad Damasum rationes, ob quas non potuerunt Italiam petere, cùm convocati essent per epistolas Sancti Damasi, his verbis: * *Quia* tamen fraternam circa nos charitatem ministrantes, Synodum in Romana vrbe Dei voluntate fecistis, & nos illuc tamquam membra, litteris Deo admirabilis Principis *evocastis*: * infrà verò ostendunt, se Constantinopolim coactos ab Imperatore Theodosio maiore propter litteras ipsius Damasi, his verbis: *Quia concurreramus in vrbem Constantinopolitanam, caussâ litterarum, ad nos directarum à vestra charitate, post Aquileiense Concilium ad Deo amabilem Imperatorem Theodosium: propter hanc solummodò caussam, &c.* In fine autem epistolæ hæc dicunt: * *Porrò* Damasus omni laude dignissimus hanc agnoscẽs hæresim exortam fuisse, non solùm Apollinarem; sed etiam Timotheum discipulum illius abdicavit: & hoc Orientem gubernantibus Episcopis, litteris proprijs indicavit, quas curavimus *annectere*. * Huius epistolæ meminit Bellarminus lib. 2. de Roman. Pontifi. cap. 13. quam refert Theodoretus lib. 5. cap. 9. estque descripta in Concilio primo Constantinopolitano tomo primo Cõciliorum: in cuius exordio, sive præambulis ostenditur ex tripartita, & Theodoreto Sanctum Damasum existentem Romæ, esse in Oriente regulam fidei. Concilium autem ipsum generale primatum defert Romano Pontifici capite quinto, his verbis: *Constantinopolitanæ Civitatis Episcopum habere oportet primatus honorem post Romanum Episcopum.*

Damas.

Concil. Cõstantinop. 1

§. 17. In Concilio Ephesino primo, quod est tertium generale, Nestorius Primas Constantinopolitanus non solum fuit damnatus; sed etiam motus Episcopatu, cui Concilio præfuerunt legati Romani, inter quos legatos primus fuit Cyrillus Alexandrinus: qui cũ Patriarcha esset totiùs Orientis, nihil est ausus in Nestoriũ, nisi ex imperio Cœlestini: de quibus egi disput. 21. §. 213. 214. 215. quæ omnia cõstant ex Cõcilio Ephesino, & eius præambulis, & ex authoribus, qui ibi allegantur. Deinde S. Leo Magnus cogendum voluit secũdum Concilium Ephesinũ, quod, quia depravatum fuit à Dioscoro, vocatur Synodus prædatoria: in quo Concilio occisus fuit Sanctus Flavianus Archiepiscopus Constantinopolitanus, appellãs Romanum Pontificem de iniusta vi illata sibi à Dioscoro hæretico. Posteà verò in Cõcilio Chalcedonensi damnatus est Dioscorus, & à dignitate depositus authoritate Summi Pontificis: Euthiches heresiarcha fuit damnatus ibidem eâdem authoritate, totumque Concilium gestum fuit ex voluntate, & epistola Sancti Leonis, qui se tunc nun[illegible] nuncupavit Episcopum vniversalem: de quibus egi disput. 21. à §. 219. ad 223.

§. 18. In hoc autem Concilio ita subscribunt, & loquuntur actione prima: * *Paschasinus* verò Reverendissimus Episcopus, & Vicarius Sedis Apostolicæ, cùm in medio vnà cum his viris Reverendissimis collegis suis, dixit, Beatissimi atque Apostolici viri Papæ vrbis Romæ, quæ est caput omnium Ecclesiarum, præcepta habemus præ manibus, quibus præcipere dignatus est eius Apostolatus, vt Dioscorus Alexandrinorum Archiepiscopus non sedeat in Concilio, sed audiendus intromittatur. Hoc nobis observare necesse est: si ergo præcipit vestra magnificentia, aut ille egrediatur, aut nos *exibimus*. * Quibus liquidò constat Episcopum Romanum potestatem iudicialem exercuisse in Oriente, in Orientis Primatem: gestaque fuerunt omnia ex sententia legatorum. De his rebus præter Concilium, & Baronium, agit Evagrius lib. 2. historiæ Ecclesiasticæ. Actione verò tertia hæc dicuntur: *Paschasinus Episcopus, vice Domini mei Beatissimi, atque Apostolici vniversalis Ecclesiæ Papæ vrbis Romæ, Leonis Synodo præsident statui.*

Concil. Ephes.

§. 19. Obijcis: in eodem Concilio Chalcedonensi actione decima sexta asseri primatum Ecclesiæ delatum Romanis propter Imperium Civitatis illius à Patribus Nicænis: quapropter voluerunt Patres Chalcedonenses Archiepiscopum Constantinopolitanũ esse secundam sedem post Romanã, propter maiestatem eius vrbis. Contrà primò: ergo recentes Romani non cœperunt insolescere post mutatam synceram, & veram faciem Ecclesiæ: cùm vniversi Patres Conci-

Obiectio.

Refell. 1.

S.Tho. q. 1. Art. 10. Concilij Nicæni, pulchrescente adhùc Ecclesiæ facie, Romanos prætulerint vniversis Episcopis. Contrà secundò: Lucentius Apostolicæ Sedis Vicarius reclamavit huic Græcorum propositioni, quia adversabatur Concilio ipsi Nicæno: protulitque apertè Sanctum Leonem sibi præcepisse, vt obsisteret cuivis Archiepiscopo conanti ob splendorem suæ civitatis obnubilare Romanorum claritatem. Tùm autem Concilium audita reclamatione Lucentij, præcepit publicè recitari decretum Nicænum, cui obsistere dicebatur conatus Constantinopolitanorum: quod decretum recitatum est à Paschasino, his verbis: ***Trecentorum decem & octo Sanctorum Patrum Canon sextus: quòd Ecclesia Romana semper habuit primatum, &c.***

§. 20. E quibus verbis constat primùm curtum circumferri illum sextum Canonem Concilij Nicæni, cui deest exordium hoc de primatu Romano in totam Ecclesiam: quo efficaciùs respondetur ad argumentum hæreticorum propositum §. 14 Secundò constat, falsam omninò esse calumniam tùm hæreticorum recentium, tùm aliquorum Græcorum, qui intererant Concilio Chalcedonensi, adstruentium primatum delatū fuisse primùm Romanis iam à Constantino, iam à Concilio Nicæno: omissâ verò probatione proposita §. 13. id sic probo ex his verbis: Lucentius enim contradixit assertioni Græcorū: non quòd vellet negari Constantinopolitano secundum locum post Romanum: datus enim est Constantinopolitano locus ille in eodem Concilio Chalcedonēsi eâdem actione 16. consentientibus legatis Leonis, & eodem Leone cōfirmante postea, quando totum Concilium confirmavit: neque verò ad hoc faciebat Canon sextus Nicænus: quæ enim eodem Canone adscribuntur Episcopo Alexandrino, & Antiocheno de suffraganeis illis attributis, integra manserunt in hoc Concilio Chalcedonensi: nullus enim suffraganeus illis fuit ademptus, neque aliquid gestum est in Concilio Chalcedonensi contra Nicęnum: ergo Lucentius non contradixit huic petitioni Constantinopolitanorum: neque item contradixit eidem asserto, qua parte vult, vt Episcopus Romanus præcedat honore Constantinopolitanum: ei enim parti non poterat contradicere legatus Romani: contradixit ergo Lucentius illis verbis, quibus Græci per communes sibi cavillos conati sunt, apud Romanos non fuisse primatum Ecclesiæ ante Concilium Nicænum; sed ab illo Concilio prima vice delatum esse primatum, vt adularentur Constantino tunc Romæ regnanti: huic autem falsæ propositioni prudenter contradixit Lucentius eam refutans, his verbis Nicænis: ***quòd Ecclesia Romana semper habuit primatum***: quæ, quàm vera sint, constat ex his, quæ dixi de Clemente, Victore, Cornelio, Zepherino, & alijs.

In sexto Concilio generali Constantinopolitano præfuerunt legati Agathonis Papæ: quos illuc misit rogante, & honorificè excipiente Constantino Imperatore Orientis: totumq; Concilium gestū fuit ex epistola ipsius Agathonis: quod Conciliū habetur secundo tomo Conciliorū: quod cū in Gręcia gereretur, primum locum obtinuerunt Theodorus, & Georgius Presbyteri, & Ioānes Diaconus: priùs, inquā, consedere, quàm Georgius Archiepiscopus eiusdē Constantinopolis, vt constat ex actione prima, secūda, quarta, &c. subscriptio autē actionis quartæ in Concilio Romano Episcoporū Occidentaliū, ac primùm Agathonis, his verbis habetur: ***Agatho Episcopus sanctæ Dei Catholicæ, atq; Apostolicæ Ecclesiæ vrbis Romæ.*** Observa vocē illam ***Catholicæ.*** ipsa enim est Ecclesia Catholica tamquā caput; cætera verò vt membra: de quo Concilio egi disput. 21. §. 267. 268. 269. missis autem alijs Concilijs, constat Adrianum authoritate sua peregisse Conciliū Nicænū contra Iconoclastas de vtroq; Adriano egi disp. 21. à §. 288. ad 308. ibi recognosces multa, ac præclara exempla vniversalis huius præfecturæ. In quibus sisto gradum; quia ex tàm multis annorum centurijs, quibus cōtinenti filo Ecclesia Dei in toto Orbe terrarum administrata fuit, in controversijs de fide, nutu, & arbitratu Pontificis Romani, manifestè constat simul cum ipsa Ecclesia satam fuisse hanc persuasionem à Christo, & Apostolis, & cum illa adolevisse, circumclamantibus semper hæreticis: qui nobis sunt argumento gravi huius veritatis: quia quemadmodum proprius hæreticorum character est Ecclesiæ Catholicæ esse rebelles; ita propria est ipsorum nota, & contra Romanam tumultuari: quia hæc Catholica est. Quapropter noster Alphonsus Sapiens sapienter dixit apertè hæreticum esse, qui huic doctrinæ refragatur partita prima, titulo quinto, lege quarta, his verbis: ***Onde qualquier, que digesse, affirmando como quien lo cree, que el Papa non ha estos poderes, que havemos dicho aqui: ò que non es cabeça de Santa Eglesia, sin que es descomulgado, deve aver tal pena por ella, como herege conocido***, id est, ***quicumque diceret, affirmans tamquam qui credit, quòd Papa non habeat istas potestates, quas hic diximus: aut quòd non est caput Sanctæ Ecclesiæ, præterquam quòd est excommunicatus, debet pro eo tali pœna***

Margin (§. 21.): In sexto Concilio generali — §. 21.

Concil. sextum Constantinop.

nâ puniri, quasi hæreticus notorius. Et quidem vt dixit sapienter Alphonsus, ita Catholicè eius posteri exequuntur: quod experti fuissent hi hæretici, si se Hispano solo ostentassent: quod singulari Dei beneficio, & gratiâ per Christum non fert ea olera, quia contrà illa & ignescit, solumque respergit.

SECTIO III.

Nonnulla alia argumenta pro Catholica veritate.

§. 22. *Bellarm.* SVPPETVNT argumenta complura, quæ latè prosequitur Cardinalis Bellarminus: proponit complurima efficacissima, à quibus abstineo, quia illis nihil addendum occurrit; item quia disp. 21. ostendens perseverantiam Ecclesiæ Romanæ in Catholica fide, multa ex illis argumentis attigi; nempè consuetudinem totius Ecclesiæ, vt tàm Episcopi, quàm Imperatores mitterent ad Romanũ Episcopum litteras synodicas professionis suæ fidei: quam consuetudinem eruditè probat *P. Turr.* Pater Franciscus Turrianus lib. 2. pro epistolis Pontific. cap. 4. præsertim exemplo Sancti Sophronij Episcopi Hierosolymitani: item egregia nonnulla Sanctorũ Patrum testimonia protuli ea disp. 21. à §. 334. *Anselmus.* Quibus adde Anselmi verba in libro de Incarnatione Verbi, cap. primo, **ad* nullum (inquit) alium rectiùs refertur siquid cõtra Catholicam fidẽ oritur in Ecclesia, vt eius authoritate corrigatur: neque vlli alij tutiùs, siquid contra errorem respondetur, ostenditur, vt eius prudentiâ *examinetur.** Exordium autem capitis hoc est: *Domino, & Patri vniversæ Ecclesiæ in terrâ peregrinantis, Summo Pontifici Vrbano.*

§. 23. *S. Bernar.* Quibus adde Sanctum Bernardum Epistola 175. ad Innocentium Papam: * *Porrò* (inquit) nostram citramontanam Ecclesiam tàm in nostro, quàm in Francorum Regno, noveritis fortem in fide, pacificam in vnitate, devotam in vestra obedientia, promptam ad *servitium*:* vt intelligant novatores hæretici Sanctos Patres recentiores antiquioribus non absonare; sed Ecclesiam eâdem semper florescere verâ facie. Tandem successionem Petri argumentum esse ad persuadendam hominibus veram fi- *August.* dem, ex se ipso probat Sanctus Augustinus tomo sexto contra epistolam fundamenti, cap. 4. *Tenet me*, inquit, *ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas post resurrectionẽ Dominus commendavit, vsque ad præsentem Episcopum successio Sacerdotum.*

Ex communi Episcoporum consuetudine appellãdi ad Romanum Pontificem, capitur argumentum tàm efficax, vt negari non possit ab hæreticis, negantibus proptereà eam Ecclesiæ consuetudinem, idque non per ignorantiam; sed per improbitatẽ insignem: etenim Magdeburgenses describunt Synodum Sardicensem generalem, & legitimam cẽsent centuria quarta c. nono, cuius canon 4. & septimus apertè declarant omnibus Episcopis licere appellare à Metropolitanis ad Romanum Pontificem. Idque effecerunt Sanctus Athanasius, vt ostendi disp. 21. §. 207. & Sanctus Flavianus Archiepiscopus Constantinopolitanus, vt ostendi eâdem disp. 21. §. 223. ex Liberato diacono in Breviario, cap. 12. idem fecit Euthiches hæresiarcha provocans à cõventu Constantinopolitano, vt constat ex epistola 8. S. Leonis: immò & Marcion etiam hæreticus ab Episcopo Ponti excommunicatus Romam venit, vt absolveretur ab eius Episcopo, vt constat ex Epiphanio hæresi 42. Sanctus Ioannes Chrysostomus, & totus Clerus Constantinopolitanus appellaverunt ad Innocentium Papam de iniusta depositione Chrysostomi per Theophilum Patriarcham Alexandrinum: vt constat ex epistolis eorumdem, quarum memini disp. 34. §. 92. item Theodoretus ad Leonem appellavit, vt patet ex epistola Theodoreti ad Leonem: tandem S. Thom. Cantuariensis confugit ad Alexandrũ Romanum Pontificem. Quæ hæretici obijciunt, mirè diluit Bellarminus lib. 2. de Romano Pontifice à cap. 22. §. 24.

§. 25. Pater Turrianus lib. 3. pro epistolis Põtificijs cap. 1. refert epistolam secundam *S. Pius.* S. Pij, cuius hæc sunt verba: * *Siquis* vestrũ pulsatus fuerit aliquâ adversitate, licenter hanc Sanctam, & Apostolicam appellet Sedem, vt ad illam, quasi ad caput, suffugium habeat, ne innocens damnetur, aut Ecclesia sua detrimentum patiatur. Si autem ei necesse fuerit, eamque appellare minimè ausus fuerit, & vocatus tamen à Sancta Sede fuerit, non renuat venire: sed confestim vt ei nũtiatũ fuerit venire, festinet; & caussas, pro quib' vocatus est, prudẽter disponat, atque, si necesse aliquid corrigere fuerit, cum iis, quos hic primos invenerit, *corrigat.** Magdeburgenses impugnãt hanc epistolam Pij, quia ea tempestate tantum iactabatur Ecclesia propter sævitiã tyrannorum, vt non esset locus illis quæstionibus, & strepitui iudiciali: ostendunt autem illi, quàm sint audaces: quis dubitat

S. Tho. q. 1. Art. 10. Sanctum Policarpum ex Asia Romam venisse ad persuadendum Aniceto, ne cogeret Asiaticos discedere à decima quarta die Lunæ: Irenæus Romam venit idem acturus cum Victore. Episcopi Galliarum frequenter scripserunt ad eumdem Victorem: Praxeas coegit eumdem ad retinendas litteras pacis: Tertullianus libro de ieiunijs, cap. 13. refert Concilia peragi in Græcia, & alijs Provincijs; numerosa quidem Concilia celebrata fuerunt Romæ, & in Africa, quo tẽpore Pontifices, & Episcopi obtruncabantur: Sanctus Marcellinus in Concilio Suessano caussam dixit apud complurimos Episcopos ingravescente persecutione Diocletiani; quidni tunc locus esset eiusmodi appellationibus, quæ non fiebant tanto strepitu iudiciali, quanto nunc?vt autem scrupulus evellatur, recognoscant hæretici epistolam quinquagesimam quintam Sãcti Cypriani Episcopi, & martyris ad Sanctũ Cornelium martyrem etiam, & Papam: quâ conqueritur Sanctus Episcopus Fortunatum, & Fœlicissimum condemnatos Episcoporum sententiâ, confugisse ex Africa Romam ad Cornelium.

§. 26. Cyprian. Hæc autem sunt verba Cypriani:* *Significasti* Fœlicissimum hostem Christi, non novum; sed iampridem ob crimina sua plurima, & gravissima abstentum, & non tantùm meâ; sed plurimorum Coepiscoporum sententiâ condemnatum, reiectum à te illic esse, & cùm venisset stipatus catervâ, & factione desperatorum, *&c.* En quo tempore Ecclesia Christi vndis, & ventis iactabatur, Episcopi damnati in Africa confugerunt Romam stipati flagitiosorum catervâ: recenset autem idem Sanctus Cyprianus eos hæreticos Romam, cum suorum mendaciorum merce navigasse, vt deciperent Sanctũ Cornelium, & ab eo absolverentur. Quantum autem tunc furerent Ethnici contra ipsum Cyprianum, & cæteros Catholicos docet his verbis: * *Toties* ad leonem petitus (ipse Cyprian9) in circo in amphitheatro Dominicæ dignationis testimonio honoratus: his ipsis etiam diebus; quibus has ad te litteras feci, ob sacrificia, quę edicto proposito celebrare populus iubebatur, clamore popularium ad leonem denuò postulatus in *circo*.*

§. 27. Dicunt hæretici: hinc probari non licuisse à primate Carthaginensi provocationem ad Romanum, quia Sanctus Cyprianus Cornelium obiurgat, quod eos audiant. Contrà primò, saltant isti more picarum ex vno arbusto in aliud: impugnant enim epistolam Sancti Pij, quia æstuante persecutione non erat provocandi locus: ostendo autem hoc argumentum esse levissimum, quia quãdo Episcopi quotidie petebantur ad leonem, rei vtebantur appellationis iure: ergo ex hoc capite ineptè impugnant Magdeburgenses epistolam Pij: ne verò authoritatem Pij authoritate Cypriani rependant, libet ostendere non reprehensum Cornelium à Cypriano, nisi quia videbatur ob metũ eos audisse, indignos, vt audirẽtur, propter suorum criminum notissimam infamiam: sæpè enim Prætores Vrbani contendunt non esse acceptandam reorum appellationem à Conuentu, aut Senatu Regio, non quòd careant iurisdictione in Prætores; sed quia rei interdum indigni sunt, qui audiantur: verba autem Cypriani sunt hæc, *quòd si ita res est, frater charissime, vt nequissimorum timeatur audacia, & quod mali iure atque æquitate non possunt temeritate, ac desperatione perficiant: actum est de Episcopatus vigore*: crimina autem Fœlicissimi refert Cyprianus: immò verò tacitè reprehendit Cornelium, quia audivit Fortunatum, quẽ verè noverat & iam damnaverat, vt constat ex eâdem epistola, in qua cum hæc commemorasset, ait: *qui non tantùm ab his istic abstentus, sed abs te illic nuper Ecclesiâ pulsus est.* Cyprian.

Sententiam autem nostram non indicat Cyprianus ibi, sed confirmat,* *cum* hæc (inquit) in notitia tua esse considerem, & pro certo hærere memoriæ, & disciplinæ tuæ scirem: necessarium non putavi, celeriter, & vrgenter hęreticorum tibi ineptias nunciandas: nec enim ad Catholicæ Ecclesiæ maiestatem pariter, ac dignitatem pertinere debet, quid apud se hæreticorum, & schismaticorum moliatur *audacia*.* Quæ est autem illa Ecclesia Catholica, cuius maiestatem non deceat illa vrgens criminum delatio nisi Ecclesia Romana, cuius Episcopus erat Cornelius? & infrà: * *Post* ista adhuc insuper PseudoEpiscopo sibi ab hæreticis constituto navigare audent, & ad Petri Cathedram, atque ad Ecclesiam principalem, vndè vnitas sacerdotalis exorta est, à schismaticis, & prophanis litteras ferre, nec cogitare eos esse Romanos (quorum fides Apostolo prædicante laudata est) ad quos perfidia non posit habere *accessum*.* §. 28. Idem.

Aliud argumentum sumitur ex nominibus Patriarchę vniuersalis, Episcopi OEcumenici, & alijs, quibus Episcopus Romanus vocatur: omisis autem multis, quæ adducit Bellarminus libro secundo de Romano Pontifice cap. 14. Ecclesia Romana dicitur caput omnium Ecclesiarum: vide etiã multa eodem libro cap. 31. ego attigi nõnulla disp. 21. ostendens tàm à Græcis, quàm à latinis EpiscopumRomanum OEcumenicũ vocari, idque probavi ex Tertulliano §. 198 edictum enim Zepherini erat, *Pontifex Ma-* §. 29.

Obiectio. R. sol. *ximus Episcopus Episcoporum.* Dices id à Tertulliano dici per contemptum. Contrà: contempsit quidem tūc Tertullianus, & edictū, & Pontificē: edictum autem reddit, vt erat: dicit enim se illud audisse: illudque impugnat: quòd si illud fingeret, ipse sibi authoritatem adimeret. Item §. 207. ostendi ex sancto Athanasio, & cunctis Ægypti Episcopis Romanum vocari vniversalem Papam Ecclesiæ: §. 210. ostendi ex Sancto Augustino Romæ viguisse semper Principatum Apostolicæ Sedis: §. 213. ostendi ex Sancto Prospero Romam factam esse caput mundi: §. 223. ostendi ex epistola Leonis quinquagesima quarta hunc titulum, *Leo Episcopus Romanæ, & vniversalis Ecclesiæ, Martiano Augusto:* §. 226. Simplicius dictus est ab Acacio solicitudinem gerere omnium Ecclesiarum, quod ipse Simplicius confirmat: idem fecit Fœlix cum Zenone §. 227. §. 229. idē ostendi ex S. Eugenio: §. 231. idē ostendi ex Possessore Africano, & ex Synodo Constantinopolitana: idem ex Patribus Oriētalibus, §. 235. & alijs in locis: disputatio item trigesima quarta contra Regem Angliæ plena est eiusmodi testimonijs præsertim sectione octava, & nona.

§. 30. P. Suarez. Pater Suarez libro tertio, à capite 16. quæ diximus probat eruditè: cap. autem decimo nono refert nonnulla testimonia Sancti Gregorij, quibus docere videtur, nullum Romanum Pontificem ita vocatū, nam libro quarto epistolarum epist. 36. ait: Gregor. *Sicut enim veneranda vestra Sanctitas novit, mihi per sanctam Chalcedonensem Synodum Pōtifici Sedis Apostolicæ, cui, Deo disponente, deservio, hoc vniversitatis nomen oblatum est; sed nullus vmquam prædecessorum meorum hoc tàm profano vocabulo vti consensit:* * his similia tradit ad Mauritium epist. 32. & ad Constantiū epist. 33. & 34. & ad Ioannem epistola 38. item ad Anianum: & libro septimo, epistola 69. ad Eusebium: libro autem sexto epistola 30. ad Mauritium, *ego,* inquit, *fidenter dico, quia quisquis se vniversalem Sacerdotem vocat, vel vocari desiderat, in elatione sua Antichristū præcurrit, quia superbiendo se cæteris præponit.* Item reddit Gregorius hanc rationem: *Quia si vnus Patriarcha vniversalis dicitur, Patriarcharum nomen cæteris derogatur, & ideò nullus Romanorum Pontificum hoc singularitatis vocabulum assumpsit, neque vti consensit, ne dum privatim aliquid daretur vni, honore debito Sacerdotes privarentur vniversi.*

§. 31. Quapropter libro septimo epistol. 30. ad Eulogium, à quo vocabatur Papa vniversalis, hæc ait: * *Quod* peto dulcissima mihi Sanctitas vestra non faciat, quia vobis subtrahitur, quod alteri, plus quàm ratio exigit, præbetur: si enim vniversalem me Papam vestra Sanctitas dicit, negat se hoc esse, quod me fatetur, *vniversum.* * Libro autem quarto epistola 36. ad Episcopos Alexandrinū & Antiochenum, hæc ait, *propterea Sanctitas vestra in suis epistolis neminem vmquam vniversalem nominet, ne sibi debitum detrahat, cùm alteri honorem offert indebitum.*

Vt calleamus Gregorianam mentem, oportet eam ad certa capita revocare brevitatis, & claritatis ergò. Primùm: quid sentiat Gregorius de potestate Romani Pontificis, & vniversali eius in cæteros iurisdictione? Secundò: cur nomen Episcopi vniversalis censeat prophanum, & signum superbiæ illius vsum? Tertiò: cur dixerit nullum Romanum Pontificem eo vsum? Ac primùm dubitari non potest quin Sanctus Gregorius censuerit se iurisdictionem habere in cæteros Episcopos. Libro enim primo, epist. 75. præcipit Episcopis Africanis, ne patiantur hæreticos honoribus augeri: & alia plurima ostendi disput. 21. §. 247. item disput. 34. §. 101. ostendi ex libro septimo epistola 63. omnes Episcopos subiectos esse Romano. Immò libro vndecimo epistola 42. Ioannem Panormitanum Episcopum donat pallio, aitque: * *illud* autem admonemus, vt Apostolicæ Sedis reverentia nullius præsumptione turbetur: tunc enim status membrorum integer manet, si caput fidei nulla pulset iniuria, & canonum manet incolumis, atque intemerata semper *authoritas.* * Quibus verbis satis clarè Gregorius ostendit Romanam Ecclesiam esse caput Ecclesiarum fidelium, easque esse illius mēbra. Rex Angliæ nescivit, quid responderet, nisi excessisse Gregorium: excessit quidem ipse Rex clarissima verba calumnians; & vafrè detorquens obscura. Idem Gregorius libro vndecimo, epistola 44. ad Leontiam Augustā, ex testimonio Christi Matthæi 16. 18. vbi Petro committitur totius Ecclesiæ Principatus, concludit authoritate Ecclesiæ Romanæ Imperatores solvendos esse à peccatis, vnam, eamdemque personā constituens Petri, & eius successorum: concludit autem de amore Leontiæ in Ecclesiā Romanam: *Vndè nobis dubium non est, quàm forti amore ad eum vos stringitis, per quem solvi ab omnibus peccatorū nexibus desideratis.* Quin potiùs in ipsis epistolis à Rege allegatis id efficit, & dicit expressè, nam epistola 38. ad Ioannem libro quarto, ait, *certè Petrus Apostolus primum membrum Sanctæ, & vniversalis Ecclesiæ est:* ipsumq; Ioannem minis terret; epistola autem 39. præcipit Aniano Diacono suo, vt iure agat cum Ioanne Constantinopolitano, quamvis eā ob caussam occumbat, & epist. 36. dicit à prædecessore suo cassa-

Marginalia (right column): §. 32. S. Gregor. Gregor. Idem.

S. Tho. q. 1. Art. 10. cassatam Synodum à Ioanne coactam Cōstantinopolim, in qua Synodo se vocavit Episcopum vniversalem. Stet ergo Sanctum Gregorium semper se censuisse supremum Iudicem Ecclesiæ Catholicæ.

§. 33. P. Bellar. P. Suarez. Cur autem nomen illud censuerit prophanum, non est difficile: nam Cardinalis Bellarminus, & Pater Suarez rectè docent Episcopum vniversalem bifariam dici posse: primùm: si intelligatur Episcopus ille, ita toti Orbi præesse, vt totus Orbis sit illius privata Diœcesis: in quo sensu vox illa prophana est, & hæretica: quia solus Episcopatus Romanus est privata Diœcesis Summi Pontificis, qui illi præest, vt Episcopus Toletanus Toleto. In qua significatione rectè dicit Sanctus Gregorius nullum alium esse Patriarcham, nec Episcopum, si vnus vniversalis est. Et quia illud nomen poterat superbè arrogari à Ioanne, illum reprehendit exemplo Sancti Petri, quem cùm vocasset primum Pastorem, & primum membrum Ecclesiæ, dixit numquam vocari consuevisse Episcopum vniversalem, ne cæteris derogaretur: quia sic nullus alius esset neque Patriarcha, neque Episcopus; in quo sensu indebitus est hic honor Episcopo Romano, ac propterea nomen hoc fugiendum voluit.

§. 34. Aliam habet significationem *Episcopus vniversalis*: nempe Episcopum superiorem cunctis privatis Episcopis, qui neque est Episcopus privatus singularum Diœcesium, & potestatem habet in omnes Episcopos illarum. In hac significatione hoc nomen non est prophanum, nec tale iudicatur à Gregorio; quin illius significatum Gregorius admittit, cū Romam vocat caput fidei, quod turbari nullius præsumptione debet, & Petrum vocat Apostolorum Principem: quin potiùs epistola 38. libri quarti dicit Ioanni, *vestra fraternitas sibi etiam arrogat aliena*: censet ergo hoc nomen alienum esse, nempè Episcopi Romani. Quod quidem hâc ratione evidens fit, quia epistola 32. 36. & 38. eius libri quarti Gregorius dicit Mauritio, Eulochio, & Anastasio, & Ioanni, à Chalcedonensi Concilio oblatum hoc nomen Episcopo Romano; sed si Gregorius censeret Romanum non posse eo nomine vti, censeret Concilium Chalcedonense in fide errasse: ergo non censuit Gregorius Romanos non posse eo nomine vti. Probo cōsequentiam, quia Gregorius non potuit censere Concilium Chalcedonense in fide errasse: quia fuit Concilium generale, & legitimum, & in causis fidei integrum fuit approbatum à Leone: estque vnum ex quatuor, quæ Gregorius veneratur, vt Evangelia quatuor, & in his epistolis illud vocat venerandum. Probo autem à Gregorio censeri errasse Concilium Chalcedonense in fide, si censuit Romanos non posse eo nomine vti: nam eo libro quarto, epist. 39. ad Anianum, ait, *nimis ignominiosum est, vt per eos etiā fidem perdamus: in isto enim scelesto vocabulo consentire, nihil est aliud, quàm fidem perdere*: Idem. non ergo censuit Gregorius Romanos non posse vti eo vocabulo, neque censuit Concilium Chalcedonense erravisse in fide.

Ex his concludes, cur Petrum aliquibus in locis non voluerit vocare caput Ecclesiæ; §. 35. sed tantùm primum membrum sub vno capite Christo; Paullum autem, & Andræam aliquarum singularium plebiū capita: quia si Petrum vocavisset caput Romæ, fortè præberet ansam in vsurpatione illius vocis ad errorem significatum §. 33. vt autem ille error vitaretur, fugit illud nomen: non tamen significationem explicatam §. 34.

Cur verò ipse Gregorius dixerit Romanos Pontifices numquam vsos eo vocabulo? §. 36. Respondeo primùm, Gregorium ea in parte vt hominem oblitum fuisse Leonis, qui in epistola ad Martianum Augustum vsus est compellatione Episcopi vniversalis Ecclesiæ: nec enim mirus est in homine etiam Sanctissimo, & doctissimo memoriæ defectus. Secundò respondeo, Pontifices Romanos rarissimè eo vocabulo vsos humilitatis ergò, & ne ipsi suâ voce cum suspicione iactantiæ se cæteris præponerent, quorum se servos appellant: si quando verò vsi sunt, est cum vrgenti necessitate, cùm oporteret verbis, & factis, rebelles in officio continere, admonereque cæteros, vt fecit Leo, quādo in Oriente hæretici tumultuabant, quibus firmum erat frenum, videre Episcopum Romanum vti cum ipso Orientis Imperatore nomine Episcopi vniversalis. Quo exēplo non tollitur quin Gregorius potuerit dicere prædecessores suos non vsos eo vocabulo, quia sicut parū pro nihilo reputatur, ita rara vsurpatio, & cum necessitate, non potest dici vsus. In præsenti autem res est clarior: Ioannes enim sine necessitate, scribens ad Episcopum Romanum, cui in Chalcedonensi Concilio postpositus fuit Constantinopolitanus, hic, inquam, Ioannes tertio quoque verbo se compellat Patriarcham vniversalem: quod patet ex Gregorio ea episto 39. his verbis: *Ad hoc enim vsque pervenit, vt sub occasione Ioannis Presbyteri gesta hùc transmitteret, in quibus se penè per omnem versum O Ecumenicum Patriarcham nominaret.* Quo satis ostendit Ioannes, se per arrogātiā vsum hâc voce: comparatione cuius tā imprudentis, & impudētis abusus, rarissimus, & cum ingenti necessitate Romanorum vsus, rectè dici potuit non vsus.

DIS-

DISPVT. XXXVII.

Vtrùm sit de fide hunc numero hominem, qui est Episcopus Romanus, esse Papam?

§. 1. ETRO succedunt, qui legitimè creantur Episcopi Romani, quæro nunc, vtrùm, qui nunc existit Episcopus Romanus, tàm certò sit Episcopus Romanus, & legitimus Petri successor in vniversali præfectura, vt nullo modo liceat dubitare, eum esse Papam, magis quā non possumus dubitare de aliquo mysterio fidei? quæ quæstio locum habet in singulis Romanis Pontificibus à Lino ad Vrbanum VIII. vtrùm fide sit sanctum, Vrbanum VIII. esse Papam, sicut fuit Petrus?

SECTIO I.

Duæ monitiones.

§. 2. PRIMO monēdum est, legitimum Petri successorem non posse errare in quæstionibus fidei, quando eas dirimit non authoritate privata, sed Pontificiā. Quæ doctrina est secundum fidem tenenda, quam probat apprimè Pater Valentia tomo 3. disput. 1. quæst. 1, punct. septimo, quæst. 6. à §. 4. & Cardinalis Bellarminus libro 2. de Roman. Pontifi. à cap. 12. præcipuè autem libro 4. cap. 2. & 3. & quidem hæc doctrina facilè deducitur ex superiori, quia Petro collata fuit à Christo potestas definiendi quæstiones fidei, confirmandi fratres in doctrinā sanā, & pascendi oves; sed Pontifex Romanus successit Petro in hāc potestate: ergo. Quòd si hæretici admitterent minorem propositionem huius syllogismi, non esset cum illis novum certamen de consequentia, aut consequenti eiusdem syllogismi: ipsi enim admittunt Catholicam Ecclesiā non posse in his quæstionibus errare: recurrunt autem Novatores ad spiritum proprium, quo singuli illustrantur; Catholici confugiunt ad successores Petri: quapropter cùm de potestate Petri, & eius successoribus satis disputatum sit, abstineo à longa probatione conclusionis, quia inde petenda est. *P. Valent.* *Bellarm.*

§. 3. Pono secundò, Summum Pontificem posse considerari, quando eligitur, & adoratur illegitimè, vel cum suspicione illegitimitatis: in hoc sensu non est quæstio, quia dùm est probabile fundamentum de illegitimitate Pontificis, non potest Fide divina credi eum esse successorem Petri: quia fides divina non potest exerceri, quando est locus hæsitationi prudenti, vt sæpiùs ostendi: probabile autem fundamentum occasionē præbet hæsitationi prudenti. Quapropter non quiescit Ecclesia antequam, eruto omni dubitandi fundamēto, tollantur schismatum occasiones.

Alio modo consideratur Pontifex quando tàm legitimè eligitur, & adoratur, vt tota Ecclesia illum suscipiat: vt nunc Dominus noster Vrbanus VIII. sine vllo controversiæ vestigio tenet Christianæ Reipublicæ clavum, clavesque Petri: est igitur quæstio, vtrùm credendum sit fide divina, Vrbanum Octavum, Clementem Octavum, & alios Pontifices pacificè susceptos esse legitimos successores Petri? §. 4.

SECTIO II.

Pars affirmans.

DICO, credendum esse fide divina omnes & singulos eiusmodi Pontifices, de quibus egi §. 4. esse legitimi mus successores Petri. Hæc conclusio non invenietur expressa in authoribus antiquis, quia fortè de illa numquam dubitaverunt, eam supponentes: à multis autem è nostræ Societatis Doctoribus acriter propugnatur, præsertim à Patre Suarez disputat. 5. sect. 8. num. 12. vbi nostros refert & sequitur: & disput. 10. sect. 5. Cui sententiæ multum roboris dedit Clemens Octavus carcerans nonnullos Doctores, quòd oppositum censuerint, eosque iubens Romam adire rationem reddituros illius sententiæ, quæ illi Sedi fuit digna visa supplicio. §. 5. *Conclus.* *P. Suarez.*

SVBSECTIO I.

Primum argumentum.

PROBATVR primò, quia nisi fide divina credamus, eiusmodi Pontifices esse legitimos successores Petri, nihil est, quod possimus fide divina credere, ruitque tota Christiana religio; consequentis autem absurditas ex se patet: ergo. Probatur maior: quia non possumus fide divina credere revelationem aliquam factā esse Pontifici formaliter, vt Pontifex est, quin §. 6. *1. Prob.*

S. Tho. q. 1. Art. 10. quin eodem assensu credamus illum esse Pontificem; sed nisi fide divina Catholicâ credamus revelationes factas Pontificibus, quia formaliter Pontifices sunt, non possumus fide Catholica credere mysteria fidei: ergò nisi eâdem fide credamus eiusmodi Pontifices esse legitimos successores Petri, non possumus fide divinâ credere mysteria fidei. Maior patet, quia revelatio est locutio Dei ad aliquem: non possumus autem concipere locutionem esse inter duos, quin duos illos concipiamus: vndè fit non posse concipi revelationem fieri à Deo Pontifici, quin eodem actu concipiamus Deum, & Pontificem. Minor probatur primò, quia omnia mysteria credimus, vel ex Scriptura, vel traditione, vel definitione Ecclesiæ; sed omnes hi modi pendent ab assensu Catholico, quo credimus revelationem Dei factam Pontifici: ergo nisi Catholica fide credamus revelationem Pontificis, nō possumus credere fide Catholica mysteria fidei. Minor probatur, quia omnis Scriptura divina, quæ confirmata est authoritate Pōtificum admittitur in Ecclesia, vt Canonica; quæ autem adhùc à Summis Pontificibus non est proposita, vt Canonica, non habetur in Ecclesia pro tali, vt Esdræ libri tertius, & quartus: omnis verò traditio derivata est ab Apostolis, admissaque à tota Ecclesia cum Summo Pontifice: definitionesque Ecclesiæ indigent confirmatione Summi Pontificis: ergo non possumus credere aliquod mysterium fidei fide Catholicâ, quin eâdem credamus revelationem factam Pontifici. Non est animus probare, non esse alia motiva præter authoritatem Ecclesiæ ad credendum fide divina: nunc enim non disputo de conditionibus ad credendum; sed de obiecto ipso formali fidei: immò vero de facto, &, vt nunc res sunt dispositæ per providentiam Dei, sacræ Scripturæ non admittuntur, neque possunt, nisi propter authoritatem Ecclesiæ, vt dixit Sanctus Augustinus se Evangelium non crediturum, nisi ad id moveretur authoritate Ecclesiæ Catholicæ.

§. 7. Confir. 1. Confirmatur hoc argumentum, quia, verbi gratiâ, in Eucharistia sola accidentia remanere; & iustitiam esse inhærentem cognoscimus fide divina propter definitionem Concilij Tridentini confirmati à Pio Quarto: item absolutionem in absentia esse invalidam credimus ob definitionem Clementis Octavi: sacras item imagines esse adorandas credimus propter definitionem Cōcilij Nicæni Secundi confirmati ab Adriano; sed nisi credamus fide divina Piū Quartum, Clementem Octavum, & Adrianum fuisse legitimos Pontifices, non possumus credere hæc mysteria fidei: ergo. Probatur minor, quia credimus ea esse proposita per authoritatem infallibilem Summi Pontificis, cui Deus ea revelavit, propter promissionem infallibilem illi assistendi, ne erret: ergo nobis persuademus, eam infallibilem propositionem Pontificis ortam esse à Spiritu Sancto assistente Pontifici, quia Pontifex est.

§. 8. Confirm. 2. Quod confirmatur secundò, quia tamdiù possumus dubitare de infallibili veritate propositionis Pontificiæ, quamdiù possumus dubitare de legitimitate Pontificis: ergò si absque peccato contra fidem Catholicam possum ego dubitare de legitimitate Summi Pontificis, possum absque tali peccato dubitare etiam de infallibilitate eiusdem propositionis, & consequenter possum dubitare de veritate mysterij revelati, quia careo sufficienti principio ad credendum indubitanter: consequentia patet, quia eodem fundamento nituntur firmitas, aut dubitatio personæ, & iuris ipsius personæ: si enim ego dubito hunc hominem esse Regem, dubito etiam de obligatione legis ab ipso latæ: antecedens probo, quia infallibitas propositionis Pontificiæ cognoscitur oriri ex eius dignitate, & legitima successione Petri: hæc est enim conditio antecedenter necessaria, non secùs quàm dominium alicuius rei est principium necessarium ad valorem alienationis: & quemadmodum Regia dignitas est necessaria ad valorem legum: &, vt dubitamus de omnibus effectibus, dùm dubitamus de illorum caussis adæquatis, ita dubitare possumus de infallibilitate propositionis, dùm possumus dubitare de authoritate Pontificis, sine qua non potest dari caussa adæquata eius infallibilitatis.

§. 9. Confirm. 3. Observa eamdem esse difficultatem de hoc numero Pontifice, ac de Concilijs, & de tota Ecclesia: quia Concilia in probabiliori sententia non habent vim definiendi absq; instructione, aut consensu Romani Pontificis: ergo, vt decreta Cōciliaria vim habeant, vt credantur fide Catholicâ, opus est, vt credamus ea confirmari à vero Pontifice: ergò nisi credamus hunc esse verum Pontificem, non credimus hoc Concilium habere authoritatem infallibilem: consequentiam probo ex proximè dictis. Et quamvis demus Concilia errare non posse, nisi faciant aliquid contra consensum, aut instructionem Pontificis, adhuc opus est credere fide divina, hoc Concilium esse legitimum; alioqui, qua ratione dubitatur de eius legitimitate, possumus etiam dubitare de eius infallibilitate: estque ferè eadem difficultas credendi fide Catholicâ, hoc Concilium esse legi-

legitimum, quæ de hoc Pontifice. Item est eadē difficultas de tota Ecclesia: quæ quāvis independenter à Romani Pontificis infallibilitate errare non possit, adhuc possumus dubitare, in quibus hominibus sit hæc Ecclesia Catholica? ponamus enim illam esse in Episcopatu Romano, adhuc ignoramus, ex quibus fidelibus in particulari cōponatur: nescimus enim, an sint baptizati; an hæretici animo? vt ergò in Ecclesia, & in Concilijs oportet credere fide Catholica illorum legitimitatem, animumque Catholicum, sic in Romano Pontifice, ne vacillemus in fide, credenda est fide Catholica eius legitima successio Petri. Immò credimus fide Catholica eumdem Petrum, qui fuit Episcopus Romæ, fuisse illum, cui Christus dedit claves Ecclesiæ: alioquin nihil erit certum: ergo non alia ratione credendū est Paullum Quintum, Clementem Octauum, Pium Quartum, Adrianum Secundum, Vrbanum octavum, & alios esse legitime successores Petri. Non considerarūt oppositæ sētētiæ authores ab illis in dubiū revocari authoritatē singulorum Conciliorum, & totius Ecclesiæ: de quorum fide interna, & baptismo est eadem obscuritas, quę de Vrbano Octavo. Mihi autem satis est esse meæ sententiæ eamdem rationem, quę est cæteris fidei mysterijs pendentibus ab obiectis, & conditionibus obscuris.

SVBSECTIO II.

Prima responsio impugnatur.

§. 10. Bañez. 1. Solutio impugnat.

DOMINICVS Bañez quæst. 1. art. 10. dubitatione secunda principali, versu *ad secundum argumentū*, refert à nonnullis cēseri credendum esse fide Catholica, tunc esse legitimum successorem Petri, si definiat aliquam propositionem credendam fide divinâ: probat, quia conclusio fidei nō potest sequi, nisi ex duobus præmissis fidei, vel altera fidei, & altera cognita lumine naturæ; sed conclusio, quam definit Pontifex est certa secundùm fidem: quæ tamen pendet ex his præmissis: *Summus Pontifex errare non potest: hic est summus Pontifex: ergo hic non potest errare*: cuius syllogismi minor propositio non cognoscitur lumine naturæ: ergo cognoscitur fide. Secundò probat à posteriori, quia qui habet potestatem confirmandi fratres in fide, est summus Pontifex: quod credimus fide Catholica: sed Paullus Quintus confirmat Ecclesiam in fide, vt patet ad sēsum; quia fideles, qui ante de aliqua propositione dubitabant, iam non dubitabant post definitionē: ergo Paullus Quintus est summus Pontifex. Tertiò quia quandò sūmus Pōtifex, aut Conciliū definiunt aliquid, definiūt simul implicitè se habere potestatē definiendi: ergo tunc iam id est fide credendum: antecedens probat, quia alioquin vltima resolutio fidei esset in propriū cuiusque spiritum, & testimonium. Tandem quia non solùm est de fide esse Ecclesiam Catholicam; sed etiam eam esse sub vno capite.

Hæc doctrina à me est impugnata disp. 2. §. 32. primùm quia aliqua Concilia, & Papæ multa definiunt, quin aliquid dicant de sua legitimitate. Secundò impugnatur, quia vel mihi constat legitimè de pontificatu, aut legitimitate Concilij; ita vt ante ipsam definitionem sim certus illum esse legitimum Pontificem, aut Concilium: sic autem non est opus novâ definitione, vt ego id credam fide Catholica: si autem antecedenter ad actualem definitionem non sum omnino certus de legitimitate definientis, nihil omninò interest definitio: quia eius vim ego mihi persuadeo, quia intelligo eam esse factam legitimo Pontifici; sed per illam mihi nō cōstat hūc esse legitimū Pōtificē; ergo mihi nō cōstat de eius vi. Cōfirmatur, demus mihi esse controversiam cum aliquo Pontifice de eius legitimitate: & ille antequam mihi attulerit novam aliquam rationem, definiat se esse legitimum Pontificem; eius definitio à me irridebitur, quia cùm novam rationem mihi non attulerit, nec eius definitio eā indicaverit: maneo æquè dubius, ac antè tàm de legitimitate, quàm de vi definitionis. Vide eam disputationē vndecimam §. 33. & 34. hanc autem doctrinam tradit Cardinalis Bellarminus, & insinuat Magister Bañez: è quibus concludo, certum esse secundùm fidem hūc hominē antequā definiat, esse legitimū Pōtificē; alioquin eius definitio nō habebit vim. §. 11. P. Bell.

Quia verò Dominicus Bañez vult non esse fide certum ante, aut post definitionē, hunc hominem esse Papam: respondet cæteris obiectionibus: ad primam propositā §. 10. respondet ipse, propositionem esse certam secundum fidem, si à tota Ecclesia acceptetur, quæ errare non potest: non vero quod sit certum secundùm fidem hunc hominem esse Papam: in fine autem eius versus ita concludit: **Vnde* non est opus, quòd, vt aliqua propositio habeatur certa secundum fidem, colligatur per consequentiā ex illo antecedenti: iste est summus Pontifex, & iste definit, & proponit hanc propositionem: ergo est de fide: sufficiet enim nobis, quòd à tota Ecclesia acceptetur

S. Tho. q. 1. Art. 10. tetur tamquam certa secundùm fidem, vt inde possimus colligere, & tenere, illam esse certam secundùm fidem.*

§. 13. Hæc doctrina nequaquam mihi placet; sed est mihi suspecta: quia enervat Romani Pontificis authoritatem in quæstionibus fidei, quam authoritatatem negatam capiti defert membris: Romanumque Pontificem non facit infallibilem regulam cæterorum membrorum Ecclesiæ; sed potiùs cætera membra facit regulam capitis. Probo evidenter, quia hic author distinguit totum corpus Ecclesiæ à capite: sic autem dicit rationem, ob quam ego mihi persuadeo aliquam propositionem esse de fide, sumi ex omnium consensione membrorum, & non ex definitione capitis: ergo membra facit regulam fidei, & non caput: probo consequentiam, quia illa est mihi regula fidei, per quam dirigor infallibiliter ad credendum fide divinâ; sed in hac sententia non dirigor definitione capitis; sed consensione membrorum: ergo hæc sententia membra, & non caput constituit regulam fidei: hoc autem, quàm sit absurdum, indè constat, quia Petrum, & eius successores constituit Christus ad pascendum totum gregem, & omnes fratres confirmandos: membra verò non constituit, vt pascerent caput, nec confirmarent: manifesteque tollitur ex hac sententia authoritas infallibilis Summi Pontificis.

§. 14. Secundò impugnatur: quia, quando Pontifex definit iure Pontificio, adhibita diligentiâ consulendi viros doctos, & alia præstandi: cùm primùm mihi ita constat de hac definitione, vt non possim de ea licitè dubitare, teneor legibus fidei Catholicæ illi absque formidine, & Catholicè assentiri, antequam videam cæteros assentiri, aut dissentiri: ergo in sola legitima definitione Pontificis est vis me obligans ad assensum Catholicum: ex quo consequenti impugnatur tota hæc responsio: quia non ex consensu fidelium; sed ex definitione Pontificis sumitur fundamentum ad credendum Catholicè: quod esse non potest, nisi certum sit secundùm fidem, hunc, qui definit, esse legitimè Pontificem, sicut Bañez vult credendum esse fide Catholicâ, quia eâdem credo hanc Ecclesiam, quæ probat definitionem, esse Catholicam: antecedens probo primò, quia in solo Pontifice antecedenter ad consensum totius Ecclesiæ, vel est potestas ad definiendum infallibiliter, vel non est? non esse non affirmat Bañez, neque Catholicus vllus: si autem est: ergò cùm primùm mihi legitimè constat de exercitio illius potestatis, tenor intellectum captivare in obsequium fidei.

Secundò probatur idem antecedens: quia postquam mihi sufficienter constat de legitima definitione Pontificis, aut debeo expectare consensum omnium fidelium, vel Concilium generale; aut non debeo ea expectare? si non debeo: ergo antecedenter ad consensum Ecclesiæ credo Fide Catholicâ aliquam propositionem definitam ab hoc Pontifice, quod negare videtur Bañez. Si autem debeo expectare: ergo nullus erit hæreticus, quamvis non credat antequam videat consensum omnium fidelium, vel Concilij generalis. Itaque, qui Romæ degens, vidit definitionem Clementis Octavi de invalida absolutione in absentia, potuit absque peccato non credere, donec videret totam Ecclesiam consentientem: sic autem & singuli fideles possent non credere, quia singuli posent suspendere consensum, donec illis constaret de cæterorum consensione. Quæ omnia per se sunt absurda.

Tertiò à priori: quia singuli, & omnes fideles ideò credunt, quia sibi persuadent id definitum legitimè à legitimo Pontifice: ergo quamvis consensus totius Ecclesiæ posit esse proxima regula fidei; tamen prima regula est definitio Pontificis: consequentia patet, quia consensus Ecclesiæ resolvitur in definitionem Pontificis, vt in obiectum priùs cognitum: antecedens probo primò ab exemplis, quia antequàm Clemens Octavus definiret nullitatem absolutionis in absentia, non consentiebat Ecclesia tota in eam sententiam: multi enim Catholici sentiebant eam absolutionem esse validam: qui verò censebant eam esse nullam, aduersarios non perstringebant hæresis notâ: at post definitionem Clementis omnes Catholici consensere in eius absolutionis nullitatem, & censent hæreticos esse, qui refragentur: quod autem fuit principium in Ecclesia ad hunc consensum præter definitionem Clementis? Idem dixerim de Sixto Quinto definiente nullum esse eunuchorum matrimonium: censet igitur Ecclesia Catholica se teneri legibus orthodoxę fidei, ad assentiendum Fide Catholica Summo Pontifici legitimè definienti: quia sibi Catholicè persuadet: illum sic definientem non moveri authoritate sua; sed Dei: Dei verò authoritatem, & revelationem sufficienter applicatam nullus potest Catholicè respuere: ergo prima regula credendi in his, quæ Pontifex definit, non est consensus fidelium; sed definitio Papæ. Consensus igitur fidelium est argumentum à posteriori infallibilis veritatis propositio- §. 15.

positionis definitæ: quia cùm tota Ecclesia errare non possit, assensus vniversalis est signum veritatis rei creditæ: definitioque Pontificis est argumentum à priori nostri assensus Catholici, qui eàm definitionem suquitur, vt obiectum formale..

Probantur hæc secundò, quia diversimodè contingit infallibilitas Pōtifici & Ecclesię: neuter enim errare potest, Pōtifex nō potest errare in definiendo; Ecclesia verò in credendo. Pontifex quidem, quia Christus rogavit ne deficiat eius fides in confirmandis fratribus; cui ad id tradidit claves: Ecclesia verò est infallibilis in credendo; quia adversus eam portæ inferi non prævalebunt: manet igitur vsque in finem sæculi Ecclesia Catholica: quæ cùm constet membris, & capite, debet integra perseverare capite, & membris: capite quidem influente alimenta doctrinæ, membris autem recipientibus: vt ergò Deus infallibiliter assistit Pontifici, vt definiat verè: ita assistit Ecclesiæ, vt eam definitionem credat: consentientibusque capite & membris tota viget Ecclesia. Adde quæ dixi §. nono, eamdem fere esse difficultatem in credendo fide Catholica, in quibus individuis existat Ecclesia, ac quòd sit eius caput: cùmque fides singulorum sit occulta, est nova difficultas in credendo fide Catholicâ, à cæteris eâdem fide credi definitionē Pontificis: quia singulorū baptismus æquè est mihi obscurus, ac est baptismus Papæ.

§. 17. Ad id quod §. 10. obijcitur de resolutione fide in proprium cuiusque spiritum: respondet Bañez veracitatem Ecclesiæ tandem resolvi in lumen internum fidei, quo singuli fideles inclinantur ad credendum. Quæ doctrina à me est impugnata disput. 5. §. 37. & disputat. 13. §. 116. quia ex parte credentis, lumen, & habitus, & actus fidei sunt idem: habitus autem inclinatur ad credendum in genere caussæ efficientis; quia est principium activum assensuum: præter hæc dantur congrua auxilia gratiæ ad credendum: at verò ex parte obiecti proponitur aliquid credendum, circa quod versantur assensus fidei: hoc obiectum includit etiam definitionem Pontificis, aut Ecclesiæ: ergo præter internum lumen, fit fidei resolutio obiectiva in authoritatem Ecclesiæ, & Pontificis: hoc verò fieri non potest, nisi fide divina credatur hunc esse Pontificem: ergo. Concludo ergò contra hanc primam responsionem æque esse certum hunc esse legitimum Pontificem ante, ac post definitionem: at verò contra Dominicum Bañez concludo: nihil posse fide Catholicâ credi, nisi hoc ita credatur.

SVBSECTIO III.

Secunda responsio.

SECVNDO responderi potest argumento facto: Pontificis definitionem non pertinere ad rationem formalem fidei; sed tantùm esse conditionem, sine qua non, sive applicationem: applicatio verò non est credenda fide divinâ, vt latè ostendi disputat. 7. sufficit autem ad applicationem necessariam fidei, si tàm prudenter proponatur, vt nullus ei prudenter possit dissentiri: vt sæpius ostendi. Quam doctrinam indicat Bañez versu, *quapropter:* quamvis non videatur eam omninò probare, aut improbare. Potestque confirmari, quia multi censent Pontifici definienti nullam fieri novam revelationem. §. 18. 2. *Resp.*

Nec hæc doctrina potest admitti: est enim in Pontifice & Ecclesia duplex authoritas; altera purè humana; altera divina: humana nihil habet divinum; sed est doctrina, & authoritas morum: quibus persuadetur homo prudens illos nec fallere velle, & difficilè posse falli: hæc autem persuasio est moraliter certa, non physicè; sed physicè exposita falsitati: nec enim illorum hominum voluntas est physicè impos mendacij: nec illorum intellectus est incapax erroris: quapropter hæc authoritas non pertinet ad obiectum formale fidei; sed ad prudentem eius applicationem. Alia authoritas est divina: quia Spiritus Sanctus movet Pontificem in definitionibus tàm certò, & infallibiliter, quàm Isaiam, & cæteros Prophetas. §. 19. *Impugn.*

Vnde argumentor: propositio Pontificis orta ab hâc secūdâ authoritate est principium obiectivum fidei: non vt applicatio, ergo vt obiectum formale: probo consequentiam, quia omne obiectum cognitum, aut cognoscitur vt obiectum formale, aut materiale; aut vt applicatio: hæc definitio non cognoscitur, vt obiectum materiale: quia ipsa non cognoscitur ex alio obiecto formali prius cognito: neque item est applicatio: quia omnis applicatio ad fidem est purè humana, & quantum ex se est, & physicè, est fallibilis, & exposita falsitati, vt abundè dixi ab initio disputationis septimæ: eaquepropter applicatio non est obiectum formale fidei; sed conditio sine qua non, quia fides nititur obiecto adæquato formali physicè infallibili: super est ergò, vt illa definitio Pontificis sit obiectum formale fidei. §. 20.

Quod verò dicitur, Pontifici nō fieri novam revelationē, si generatim accipiatur, est

Aa omnino

S.Tho. q. 1. Art. 10. omninò falsum: distinguere enim possumus duas revelationes: altera est directa de obiecto revelato: quam aliqui dicunt non fieri de novo, quia saltem implicitè est facta in Scriptura. Quæ sententia mihi non placet; licet enim Deus de novo non revelet aliquod mysterium, cuius cognitio sit necessaria ad salutem necessitate medij; multa tamen revelat, quæ expediant ad communem vtilitatem, nam aliqui libri canonici non fuerunt admissi in ipsis Ecclesiæ natalitijs pro canonicis: posteà vero Pontifices definierunt illos esse canonicos: hæc tamen revelatio non erat facta priùs: sicut nec quod matrimonia Eunuchorum erant invalida, & alia huiusmodi. Saltem negari non potest aliqua non fuisse olim tàm expressè revelata, vt non potuerint absque infidelitate negari: posteà vero tàm expressè revelantur, vt iam licitè negari non possint: illa ergò revelatio expressior est, quæ fit Pontifici. Quando autem definit, cum fundamento definit; non tamen est necesse; vt id fiat ex Scriptura: epistolam enim Iacobi esse canonicam, ex qua Scriptura colligitur. Quod si Pontifex nunc definiat vltimos Esdræ libros esse, aut non esse canonicos, ex nulla Scriptura id definiet: quid autem prohibet Deum, quæ velit revelare de novo.

§. 22. Secunda revelatio est quasi reflexa, quæ habet pro obiecto revelationes alias: verbi gratia. Prophetia Isaiæ est revelatio Dei de omnibus rebus, quæ sunt in libro Isaiæ: at vero, quandò Pontifex declaravit libros illos esse canonicos, habuit revelationem Dei de authoritate illorum librorum: hæc revelatio de novo fit quotidiè: nunc enim circa libros Isaiæ duo credimus fide Catholica: alterum omne quod est in illo libro: quod immediatè creditur propter revelationem Isaiæ: alterum est revelatum esse Ecclesiæ illum librum esse canonicum, quia, qui id negaret, esset hæreticus: ageret enim contra fidem: hæc autem revelatio fuit facta Pontifici. Itaque revelatio Isaiæ cognoscitur à nobis fide Catholicâ tamquam obiectum materiale, per definitionem Pontificis, tamquam per obiectum formale: non nego posse etiam cognosci hanc revelationem Isaiæ per species immediatas relictas ex primo syllogismo, de quo genere cognitionis egi disp. 7. & 8. de circulo autem vitando egi disp. 15.

§. 23. Confirm. Tota hæc doctrina confirmatur: quia quando Pontifex definit authoritate Pontificiâ, oritur definitio à Spiritu Sancto, vt authore speciali tàm infallibilitèr, vt Spiritus Sanctus sit specialis author illius, non minus quàm cum aliquid revelat, aut miraculo confirmat; alioquin non esset infallibilis definito, nisi Deum haberet authorem specialem: sed hæc specialis assistentia consistit in revelatione facta Pontifici: ergo. Probo minorem, quia iudicium illud Pontificis definientis nō potuit infallibilitèr oriri ex motivis, & coniecturis purè humanis: quia Pontifex non potuit illis magis infallibilitèr moveri, quā cæteri Catholici: qui non ita movebantur, quin possent absque infedilitate non moveri. Ponamus enim controversiam esse inter Catholicos de valore absolutionis in absentia: qui asserebant eum valorem, movebantur quidem coniecturis prudentibus, quarum efficaciam absque infidelitatis peccato negabant adversarij: Pontifex ergo illis omnibus consideratis, poterat assentiri absque peccato, cui parti vellet: qui assensus nullo modo esset fidei Catholicæ magis, quàm in alijs fidelibus, quia quando absque peccato dubitari potest de aliquo obiecto, non creditur fide divina, vt ostendi disputatione vndecima sectione quarta. Ergo Pontifex iudicans assensu supernaturali partem, quā definit, movetur alio principio supernaturali obiectivo, quod nihil videtur esse præter loquutionē instrumentalem Dei, de qua fusè disputavi disp. 13. ab initio.

Dices: assensum Pontificium non esse revelationem Dei; sed esse actum fidei ortum à Deo speciali ratione: queādmodum, quòd Ecclesia non deficiat in credendo, est assensus fidei ortus à Deo specialiori ratione, quàm in aliquibus fidelibus. Contra: cæteri fideles in his, quæ credunt fide divina moventur coniecturis tàm prudentibus, vt fidem amitterent, si dissentirentur, aut dubitarent: at vero Pontifex, quandò dirimit controversiam, cuius neutra pars credebatur fide divinâ, non habet coniecturas tàm efficaces, vt peccaret non credendo, sicut non peccabant Catholici, qui non credebant: ergò quando assensu supernaturali definivit, habuit à solo Deo diversa principia, quæ nō potuit habere ex ijs, quæ in tota Ecclesia gerebātur. Item nulli fideli in singulari infundit Deus actum fidei, nisi per gratiam congruam, cui physicè poterat resistere, & per actum falsum dissentire obiecto revelato: quia quamvis circa totam Ecclesiam Deus decreverit, ne fidem amittant, tamen singuli fideles eam possunt amittere. Pontifex autem quando definit, est in singulari determinatus antecedenter per Spiritum Sanctum ad veritatem assensus: vtrùm verò ad legitimam definitionem sit necessaria ista consultatio, nihil

§. 24. Solutio.

Impugn.

nihil interest: quamvis enim humanæ coniecturæ sint necessariæ; tamen non vt infallibiliter connexæ cum definitione Pontificis; sed quia Deus decreverit tunc loqui cum Pontifice, quando ipse prudenter fuerit dispositus, & cognita rerum ambiguitate, à Deo petit illustrari: idque spectat ad prudentem administrationem Ecclesiæ, vt singuli sibi persuadeant, à Deo implorandam, & obtinendam esse opem, quando adhibitâ diligenti prudentiâ, non est spes in humanis.

§. 25. *Confir.* Præterea confirmo definitionem legitimam Pontificis esse revelationem Dei: quia illa habet aliquid supernaturale, vt constat ex Catholicis omnibus, (cum quibus disputo): ergo creditur per habitum supernaturalem: quia omne obiectum supernaturale petit ad proportionatam cognitionem sui, vt cognoscatur per habitum supernaturalem; sed ille habitus, quo creditur, est fides Catholica: ergo illa definitio petit credi fide Catholica: ergo est revelatio Dei: probo consequentiam, quia omne obiectum fidei Catholicæ, vel est mysterium revelatũ, vel est authoritas Dei, vel est revelatio Dei: hęc antem definitio non est obiectum revelatum, quia non cognoscitur ex aliâ, nec est authoritas Dei: ergò est revelatio Dei: & quidem cùm Caiphas prophetaverit, quia erat Pontifex anni illius, mirum esset nostris Pontificibus negare prophetiam, quæ formaliter est revelatio.

§. 26. *Obiectio.* Obijcies; assensus supernaturalis cuiusque fidelis petit ex se cognosci habitu supernaturali fidei: cùm tamen non sit revelatio omnis actus fidei. *Resp.* Respondeo, actus fidelium in singulari non posse cognosci fide Catholicâ, neque in via habitu infuso lege communi: quia cum singuli fideles possint errare, non habemus coniecturas moraliter infallibiles, quibus manuducamur ad assensum supernaturalem de illorum fide: esse autem fidem Catholicam in tota Ecclesia, cognoscitur per fidem, vt obiectum materiale cognitum per aliquam revelationem factam in singulari alicui Pontifici. At verò quando relinquuntur species fidei in Ecclesia existentis, non exercetur per illas fides Catholica: quia omnis fides in Deum est de obiecto formali, quod includat revelationem instrumentalem, aut formalem Dei; sed multi sunt actus fidei infusæ, qui non sunt revelatio formalis, aut instrumentalis Dei: ergo fides illlos non considerat, vt obiectum formale. At verò cùm in singulari definitio supernaturalis Pontificis petat, & debeat credi à fidelibus, non relinquitur alius habitus supernaturalis, per quem id fiat, præter fidem: vndè redit argumentum capitis: *Fide Catholicâ credimus illam esse revelationem Dei ad Pontificem: ergo fide Catholicâ credimus hunc esse Pontificem*: è quibus respondeo ad §. decimũ octavũ, applicationem revelationis non esse credendam fide divina: est tamen eâ credendum, Deum revelare huic homini hoc mysterium, quia Pontifex est: vt credo Incarnationem revelatam Isaiæ, vel saltem, Deum specialiter, & infallibiliter assistere huic homini Pontifici; eius autem Pontificatum certò non scio, nisi ex Scriptura: vt dicam §. 41.

SVBSECTIO IIII.

Responsio tertia.

TERTIO responderi potest, posse aliquem dubitare de veritate propositionis definitæ à Pontifice; §. 27. non quod dubitet de veritate omnis propositionis definitæ à legitimo Pontifice; sed quia dubitat de legitimitate huius Pontificis. Quemadmodum qui credit fide Catholica, omnem hominem esse conceptum in peccato originali, dubitat vtrum hoc individuum sit in peccato conceptum, quia dubitat an sit homo, & hic non est hæreticus: ergo eâdem ratione non erit hæreticus, qui dubitans de legitimitate huius Pontificis, dubitat de eius definitione.

Contrà: quando non est fundamentum probabile ad dubitandum de legitimitate Pontificis, tenemur legibus fidei credere absque formidine, illum esse Pontificem: ergo tenemur etiam credere absq; formidine eius definitioni. §. 28. *Impugn.* Probo antecedens, quia tunc tenemur legibus fidei credere absque formidine, quando ex non credendo destruitur totum obiectum fidei; sed totum obiectum fidei destruitur, quando sine fundamento dubitamus de legitimitate Pontificis: ergo tenemur credere absque formidine illum esse Pontificem, quando non est probabile fundamentum oppositi: maior non indiget probatione, quia cũ fides sit fundamẽtũ virtutũ, quibus adipiscimur regnum cœlorum, nõ possumus licitè occasionem dare fidem eradicandi: minor probatur, quia si dubitamus de legitimitate Ponti-

S.Tho. q. 1.Art.10. Pontificis, nihil possumus credere fide divina, neque in speciali, neque in communi: quia omnia, quæ Catholicè credimus, dependent ab aliqua definitione Pôtificis Romani, qui vel sacros libros probavit, vel traditionem admisit, vel Concilia confirmavit, vel aliquid definivit. Itaque, qui dubitaret de legitimitate Pij Quarti, qui confirmavit Concilium Tridentinum, dubitare etiã poterit de veritate huius propositionis: *In Eucharistia, solũ remanent accidentia panis, & vini*: quia hæc veritas confirmata fuit à Pio Quarto.

§. 29. *Confirm.* Confirmatur, quia eâdem ratione, qua aliquis dubitat sine fundamento probabili de legitimitate Pauli Quinti, poterit etiam dubitare de legitimitate Pij Quarti; immò & singulorum omnium Pontificum: vndè nihil credet fide divina. Quapropter non solùm tenetur exercere hunc actum fidei: *hac definitio est vera, si hic est verus Pontifex*; sed etiam hunc, *hic est verus Pontifex, & eius definitio vera*: quia tenemur ad actus absolutos fidei, & ad omnia per se ad illos necessaria.

§. 30. *Ad arg.* Ad argumentum ex §. 27. respondetur, ad dubitandum absque peccato infidelitatis requiri, vt sit aliquod fundamentum probabile oppositi: verbi gratia, vt aliquis non credat absque peccato infidelitatis, hoc individuum esse conceptum in peccato originali, opus est, vt habeat aliquod fundamentum, quo sibi probabiliter persuadeat, hoc individuum non esse hominem: quod fundamentum non reperiatur in cæteris individuis, qui homines videntur. Quòd si absque fundamento id sibi persuadeat, peccat contra fidem (si intellectu polleat) quia eodem modo poterit negare conceptum esse in peccato originali quodcumque individuum, quod appareat homo; vel saltem cùm vrget præceptum affirmativum credendi, *omnem hominem esse in peccato conceptum*, tenetur credere de Petro, quem evidenter videt contineri in eo subiecto, *omnis homo*. Et quamvis posset de vno individuo id absque infidelitate dubitari, non potest de aliquo Romano Pontifice: discrimen est, quia quamvis negetur de vno individuo, non tollitur fundamẽtum fidei: quia integra manet definitio vniversalis Pontificis; at verò quando absque fundamento dubitatur de legitimitate Pontificis, destruitur fundamentum credendi propositionem definitam.

***

SVBSECTIO V.

Secundum argumentum.

§. 31. *2. Argum.* ARGVMENTVM secundum est confirmatio primi: aut ego mihi possum licitè persuadere hunc hominem in hac definitione errare potuisse; aut non possum id mihi persuadere? si possum absque peccato id mihi persuadere: ergo etiam mihi persuadere possum licitè definitionem huius Pontificis esse contingentem ad veritatem, & falsitatem; ac propterea illam non possum credere fide divinâ Catholicâ, vt sæpè dixi; si verò non possum licitè id mihi persuadere: ergo fide divinâ credo hunc hominem esse Pontificem: probo consequentiam, quia ideò credo hunc hominem falli non posse, quia credo illi assistere Spiritum Sanctum, vt Pontifici. Hoc argumentum est commune contra opinantes §. 18. non posse fieri Pontifici revelationem novam: habet enim Pontifex infallibilem assistentiam Dei, ita vt ratione illius non posit errare, idq; credimus fide divinâ, vt articulum revelatum: itaq; non possumus dubitare de infallibili assistentia Dei.

§. 32. *1. Obiectio* Dices primò, nos non posse dubitare de veritate huius definitionis, quia licèt non sit verus Pontifex; tamen, quia verus apparet, illi assistit Spiritus Sanctus. Quæ doctrina similis est alij, quam ex Bellarmino retuli disputatione vndecima, §. 30. nempè ad legitimitatem Concilij sufficere Conciliarios externè esse Catholicos, quamvis internè non sit. Eam tamen ibi reieci, quia nullum est fundamentum in Scriptura, quo colligamus Spiritum Sanctum infallibiliter assistere PseudoPontifici: Petro enim & eius successoribus promisit Christus eam assistentiam; non verò non successoribus. Deinde: ergo iam de fide est hunc esse legitimum successorem Petri in potestate definiendi. Tandem sicut consecratio facta à Sacerdote apparente tantùm, & absolutio, & alia id genus nullam habent vim; ita nec definitio à PseudoPontifice vim habet. Quapropter Pater Suarez disputat. 10. sect. 5. num. 4. rectè ait, qui hoc dicunt, & terminos ignorare, (quia infallibilis assistentia Dei promissa est vero Pontifici successori Petri, & non diabolo, aut non baptizato si eligatur) & eos eâdem difficultate implicari. Non enim sciunt hunc esse ritè electum: quia voluntas illegitima electorum tàm est occulta, ac huius homi- *P. Suarez*

hominis baptismus: vt ergo de illa sumus certi; ita & de baptismo, & alijs conditionibus occultis, & sic credimus Ecclesiam Regi à vero Pontifice.

Dices secundò: nos non posse dubitare de veritate propositionis definitæ, quamvis possimus dubitare de legitimitate Pontificis: quia quamvis credamus illum errare posse ob illegitimitatē, tamen numquam eius error in definiendo redundabit in Ecclesiam, quia vel non definiet, vel definiet verum, vel si falsum definiat, non recipietur ab Ecclesia; sed revelabitur error definitionis, vel definientis, & hoc citra miraculum; sed ex promissione Christi, *& portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Sic respondet Dominicus Bañez ex propriâ sententiâ art. 10. dubio 2. versu: *ad secundùm.*

Matt. 16. 18.

§. 34. Quem tamen inconsequentiæ arguo; quia ipse censet post definitionem Pontificis adhuc non esse de fide eum esse Pontificem; sed oppositum colligitur ex hâc doctrinâ: ergo. Probo minorem, quia dum post definitionem Deus non revelat definitionis falsitatem, neque definientis illegitimitatem, signum est & definitionem esse veram, & Pontificem legitimum; sed hoc fundamentum non erat ante definitionem: ergo non est tàm certum hunc esse Pontificem ante definitionem, quam post: quia ante definitionem non est necesse, vt Deus revelet, vel falsitatem definitionis, vel definientis: at verò post definitionem est ea necessitas: ergo.

§. 35. Item est alia inconsequentia: quia ipse fatetur falsitatem definitionis revelatum iri Ecclesiæ, ne portæ inferi adversus eam prævaleant; sed eadem ratio est de revelanda falsitate Pontificis: ergo. Probo minorem, quia promissio Ecclesiæ de portis inferi non prævalituris adversus eam, facta est ipsi Ecclesiæ, vt est administrata per successorem Petri: *Tu es enim Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam: & portæ inferi non prævalebunt* caussa igitur, ob quam semper vincet Ecclesia est, quia illi præest Petrus: ne igitur per PseudoPontificem careat præsidio Petri, revelabit illi Deus illegitimitatem Pontificis: nullum quidem discrimen reddet hic author: cuius cæteram doctrinam percurramus.

Matt. 16. 18.

§. 36. Dicit falsum Pontificem nihil definiturum. Benè: ergò si definiat iam ipsa definitione efficitur, vt fide credamus eum esse Pontificem legitimum: probo consequentiam, quia per te definitio est proprius character Pontificis veri; qui character nullo modo est in PseudoPontifice: ergo post definitionem maius fundamentum est ad credendum hunc esse Pontificem, quàm ante. Deinde cur non definiet? an quia non habet ius ad definiendum? at non habet ius ad definiendum cum assistentia Spiritus Sancti: sine illa verò cur non definiet. Quod si dicas providentiâ Dei impediendam definitionem, cur non dices eâdem providentia efficiendum, ne à totâ Ecclesiâ acceptetur PseudoPontifex pro legitimo: hanc enim promissionem sonant verba Christi de promissione ædificij Ecclesiæ suprà Petram. Idem dico ad aliam partē doctrinæ, quam impugno: si enim est Pontifex illegitimus, cur necessario definiet verum? si est ex providentiâ Dei, multò meliùs intelligitur illa providentia in prohibenda acceptatione Pontificis illegitimi.

Peius est, quod postea dicit, ab Ecclesia non accipiendam definitionem Pontificis; sed illi à Deo oppositum revelandum: etenim deducit authoritatem controversiarum fidei non ad caput; sed ad membra, vt ostendi §. 13. ibiq; impugnavi. Deinde nō tolleretur schismatum occasio, vt voluit S. Hieronymus: quia eiusmodi Pontifex arbitraretur se definivisse iure Pontificio: cuius definitionem inculpatè sequerentur infiniti Catholici: adversarij autem iure pro hæreticis punirentur ab eodem Pontifice, & eius sectatoribus: arbitrantibus nullam adversarios posse habere revelationem oppositam: quia meritò arbitrantur Pontificem legitimè definivisse: meliùs ergo Dominicus Bañez constituisset specialem providentiam Dei, in non acceptando PseudoPontifice, quàm in eius definitionibus reijciendis, postquam est acceptatus. Mitto multa alia, quæ miscet, quæ ex dictis facilia sunt impugnatu. Argumentum à priori proponam, à §. 41. illum consule. §. 37.

SECTIO. III.

Opposita sententia.

Non esse fide Catholica credendum hunc Pontificem esse legitimum perspicuè docuit Caietanus 2.2. quæst. 1. art. 3. versu: *in responsione ad quartum*, vbi de Romano Pontifice, hæc ait: *Quis scit, si iste fuit baptizatus? & si ille, qui baptizavit eum, habuit intentionem conferendi Sacramentum Baptismi?* Caietanum secutus est Dominicus Bañez art. 10. dubit. 2. versu *ad secundum argumētum*: & alij apud P. Suarez disput. 10. sect. 5. num. 2. §. 38.

Primum argumentum huius sententiæ est, §. 39.

S. Tho. q. Art. 1. 10. est, quia neque ex scriptura, neque ex traditione, neque ex definitione constare potest hunc esse legitimum Pontificem: ergo non est de fide eum esse talem. Confirmatur, quia non est de fide hunc hominem esse baptizatum: non enim constat de voluntate baptizantis: neque est de fide eum esse legitime Sacerdotem, quia non constat ex fide de voluntate conferentis, aut recipientis ordines: ergo non potest constare ex fide eum esse Pontificem.

§. 40. Primùm ex hoc argumento ostendam huius sententiæ absurditatem: demus enim oriri in Ecclesia controversiam aliquam fidei de aliquo articulo; & simul dicat altera pars contendentium non esse in Ecclesia legitimum Pontificem, qui componere possit eam controversiam, quia Paullus Quintus non est legitimus Pōtifex. Spectat quidem ad Paullum Quintum definire, & articulum illum, & se esse legitimum Pontificem: vtrumque enim definiri posse quis dubitat, cum id sit apprimè necessarium ad tranquilitatem Ecclesiæ: hæc definitio contemnetur quidem in vtraque parte, nisi aliundè constet de Pontificis legitimitate: quâ enim ratione illam æstimabit, qui censet eum non esse Pontificem: ergo ante definitionem opus est, vt sit obligatio indubitantèr credendi eum esse Ponficem, & habere potestatem definiendi.

§. 41. Præmitto doctrinam, quam latè tradidi disp. 12. ab initio: nempè in propositione vniversali immediatè contineri omnes singulares: nempè hac propositione *omnis homo est conceptus in peccato*, continetur hæc: *Petrus est conceptus in peccato, Ioannes est conceptus in peccato, &c.* ratio à priori: *quia omnis homo* est idem ac Petrus, & Paullus & cæteri: itaque Petrus, & Paullus sunt partes essentiales huius exempli *omnis homo*. Item quandò Deus loquitur cum Propheta supponit à Propheta cognosci terminos quidditativos rerum: vt ostendi ea disp. 11. §. 17. nam supponit cognitionem quidditativam huius vocis *omnis homo*: quæ cognitio quidditativa potest esse aut adæquata, aut inadæquata: adæquata terminatur ad omnes homines singulares, quia debet terminari ad omnes partes quidditativas: inadæquata verò debet terminari ad aliquem hominem in singulari: vnde ad cognoscendum Petrum esse conceptum in peccato originali, non est opus hoc syllogismo: *omnis homo est conceptus in peccato: Petrus est homo: ergo Petrus est conceptus in peccato.* Ratio est, quia Petrus potest cognosci contineri in illa propositione vniversali ex solis apprehensionibus *Petri, & omnis hominis.* Positis enim illis apprehensionibus, & audita hac voce, *omnis homo est conceptus in peccato*, statim concipio de Petro dici conceptionem in peccato: & efformo hunc syllogismum: *omne quod Deus dicit, est: sed dicit Petrum esse conceptum in peccato, ergo Petrus est conceptus in peccato*: si autem aliquis interroget, vbi Deus id dicat de Petro? respondebo in illa propositione vniversali, *omnis homo est conceptus*: quæ omnia latè prosecutus sum ea disp. 2. sect. 2. vbi etiam ostendi propositionem hanc obiectivam, *Petrus est conceptus in peccato*, esse secundum se de fide, quia à Deo est immediatè revelata: hæc autem propositio formalis: *Petrus est conceptus in peccato*: potest esse vel ab habitu fidei immediatè, vel à Theologico: ab habitu fidei, quando deducitur per syllogismum, quem vltimò formavi in hoc §. ab habitu autem Theologico elicitur, quando in propositione vniversali, *omnis homo*, non cognoscitur explicitè Petrus; sed indigeo nova illius cognitione per hanc novam minorem propositionem, *Petrus est homo*: de quo egi ea disputatione duodecima §. secundo.

Premitto secundò, quādo Christus Matthęi 16. dixit Petro *tibi dabo claves regni Cælorum*: & quando Ioannis 21. dixit: *pasce oves meas*, illam promissionem non fuisse factam soli personæ Petri; sed illi & omnibus eius successoribus: quemadmodùm potestas consecrandi & absolvendi non fuit data solis Apostolis; sed eorum etiam successoribus. Ponamus igitur Paullum Quintum esse legitimum successorem Petri, de illo dixit Christus: *pasce oves meas, tibi dabo claves Cælorum*: quemadmodum si ego sum legitimus Sacerdos, mihi dixit Christus, *fac hoc in meam commemorationem*. Itaque hæ promissiones sunt privilegia vniversalia, quibus Deus donavit Petrum, & Apostolos, & eorum successores: & tam proximè, & immediatè successores, quàm Apostolos ipsos. Alloquens enim Apostolos, efformavit propositionem vniversalem immmediatè significantem successores: vt Rex alloquens militem, eum & eius successores nobilitate, & pecunijs annuis donat, quæ donatio fit immediatè successoribus; licèt sermo dirigatur ad solum militem præsentem. §. 42. Matt. 16. Ioan. 21.

§. 43. Pono tertiò, pertinere ad specialē providentiam Dei cū sua Ecclesia, non permittere, vt tota illa conspiret in aliquem errorem, ex quo contra illam possint prævalere portæ inferi: quia, qui promisit eas portas non prævalituras adversus Ecclesiam, promisit etiā avertere, quidquid posset esse occasio, vt tartareæ portæ prævaleant: vna autē ex præcipuis occasionibus

harum

harum portarum, de Ecclesiâ victoriæ esset carere vero, & legitimo Pontifice, & pro illo pacificè subrogari PseudoPontificem: quia pascendas Christus voluit oves per Petrum, & eius successores: quemadmodum membra gubernat per caput: vndè si tota Ecclesia pacificè admitteret aliquem PseudoPontificem, exponeretur gravissimis incommodis in fide, & moribus, quia exponeretur periculo accipiendi pro oraculis doctrinam falsam, & turpem administrationem, quia ille Pontifex ageretur proprio Marte, & non Dei. Vt ergò authoritas humana totius Ecclesiæ nō potuit falli moraliter in acceptanda obscura revelatione Dei: ita nec in acceptando Pontifice: ex qua acceptatione cognoscimus & illum esse Pontificem, & habere omnes intrinsecas conditiones ad id munus, vt colligimus esse revelationem, & omnes eius conditiones, quando à tota Ecclesia proponitur.

§. 44. *Obiectio.* Dices, Ecclesiam non posse errare in credendo: fateor, quia non potest errare in admittendo pacificè vniversali Pastore illegitimo: habens enim legitimum, accipit pastum salutarem, & influxum Spiritus Sancti per Petrum, super quem fundatur: at verò si posset errare in pacificâ recognitione Pastoris, posset etiam errare in credendo: quare ex vno impossibili sequitur aliud: & è contrario, ex infallibilitate Pastoris sequitur infallibilitas doctrinæ, & fidei: est igitur certum signum legitimi Pastoris, eius legitima electio, & pacificus in eam Ecclesiæ consensus: ita vt, vel nulla sit inter Catholicos dissensio; quæ si est, sit in contradicentibus absque vllo probabili fundamento; vel si est, meritò possint pro schismaticis lege puniri: quando verò est probabile fundamentum dubitandi de legitimitate Pontificis, quamvis re ipsa legitimus sit; tamen non creditur fide Catholicâ, nec eius legitimitas, & consequenter, nec eius definitio: quia quoties est probabile fundamentum, possumus prudenter dubitare; quamdiu autem ita possumus dubitare, non possumus credere fide Catholica. Quapropter tunc pertinet ad Ecclesiam non quiescere, donec apertè constet de legitima electione, & acceptatione Pontificis. Quòd si aliter id obtineri non potest, nisi Pontificem, aut Pontifices deponendo, id potest efficere: vt contigit in Concilio Constantiensi inchoato, anno millesimo quadringentesimo decimoquarto: vbi Ioannes vigesimus tertius, & Benedictus decimus tertius, & Gregorius duodecimus fuerunt depositi à Summo Pontificatu, & creatus fuit Martinus

Resp.

V. dùm enim non constat sine probabili controversia de legitimitate Pontificis, potest Ecclesia eum deponere, vt docet Pater Suarez libro tertio, cap. 18. numero octavo: quamvis eo iure careat in Pontifices legitimos, & sine probabili controversia acceptos.

Hinc respondetur ad argumentum propositum §. 39. negato antecedenti: constat enim hunc esse legitimum Pontificem ex illis Scripturæ testimonijs, quibus solet Petri confirmari primatus: quia illa est promissio vniversalis, qua immediatè continentur omnes legitimi successores Petri: quos Deus singillatim vidit, & de illis locutus est; & qui nobis noscendi erant per evidentiam moralem ex legitima illorum electione, & acceptatione pacifica. Quemadmodum, quando Deus revelavit omnem hominem conceptum iri in peccato originali, locutus est Deus immediatè de Petro & Paullo, quos Deus clarè cognovit, & à nobis erant cognoscendi per evidentiā physicam ortam ex sensibus: & quemadmodum cognito Petro, & cognita vniversali revelatione de conceptione omnis hominis in peccato, video ex sola apprehensione terminorum Deum loqui de Petro, & Paullo: ita visa promissione vniversali Dei de omnibus successoribus Petri, & visa evidenter legitima electione, & approbatione Pōtificis: video hunc esse legitimum successorem Petri, & de ipso locutum esse Christum. Recognosce §. 41. & 42. §. 45.

Dices, à nobis videri & evidenter cognosci evidentiâ physica, & ad sensum, legitimam electionem, & acceptationem pacificam quoad hæc externa; non tamen quoad interna. Nescimus enim an sit baptizatus, & an Sacerdos? ergo non constat certò de tota electione legitima. Confirmatur exemplo Sacerdotis consecrantis hostiam: quia omnia, quæ externè requiruntur ad legitimam consecrationem, videmus: nempè eum ordines suscepisse, & consecrationis verba proferre; tamen non sumus certi fide Catholica de consecratione huius hostiæ; quia non sumus certi de eius Sacerdotio, & intentione consecrandi. Respondeo ex §. quadragesimo tertio, spectare ad specialem providentiam Dei in Ecclesiam non permittere eligi, & admitti pacificè eum, qui non possit esse legitimè Pontifex. Quare ex evidenti cognitione legitimæ electionis & acceptationis pacificæ colligimus certò eum hominem nullo carere ex requisitis ad Pontificatum; atque Deum contulisse Pontificium Sancti Petri. Atque ex applicatione per se nota, deducimus

§. 46. *Obiectio.*

Respond.

S.Tho. q. Art. 1. 10. actum fidei, quo credimus illi successori Petri collatam ipsius Petri potestatem: quemadmodum ex evidenti cognitione Petri colligimus eius conceptionem in peccato. Quæ afferuntur de privato Sacerdote non vrgent: quia non promisit Deus eam specialem providentiam in hos casus privatos: quia res est levioris momenti, & quæ absque præiudicio fidei potest contingere; secus autem electio Pseudi Pontificis.

§. 47. Obiectio. Dices: ergo Vrbanum VIII. esse Pontificem colligitur ex duabus propositionibus fidei, ex hac: *Omnis ritè electus est Pontifex*, & ex hac. *Hic est ritè electus*: quia huius Canonicam electionem cognoscimus ex consensu totius Ecclesiæ. Contra me quid inde? Resp. cognoscamus id fide divina, ad quod pone, quas libuerit propositiones. Tamen Ecclesiæ consensus non est revelatio; sed applicatio, vt per illam cognoscamus Dominum nostrum Vrbanum cõtineri in eo subiecto, *omnis ritè electus*: & de illo loquutum Christum Dominum, cùm loquutus fuit S. Petro. Nam Ecclesia authoritate humana moraliter infallibili applicat nobis revelationes Dei: quibus sic applicatis non possumus absque peccato dissentiri, (vt abundè ostendi:) vt ergo hæc applicatio revelationis, nec est revelatio, nec creditur divina fide; sed est conditio sine qua non: & creditur fide humana moraliter certa; & nos manuducit ad assentiendum fide divinâ revelationi; quam applicat: ita eadem authoritas humana applicat nobis Canonicam electionem Vrbani: qua applicatione credimus fide humana moraliter certa, Vrbanum esse ritè electum, & esse partem huius subiecti: *Omnis ritè electus*, vt scientia naturali credimus Petrum esse hominem & partem huius subiecti, *omnis homo*. Qua cognitione existente in intellectu. si audimus, *omnis ritè electus est Pontifex*: credimus Pontificaturæ immediatè & formaliter dici de Vrbano: quia sumus moraliter certi, eum esse partem eius subiecti, *omnis ritè electus*, vt existente cognitione evidenti de Petro homine, accepta ex physicis principijs: si audimus, *omnis homo est conceptus in peccato*: videmus clarè peccatum immediatè, & formaliter dici de Petro, quem videmus clarè esse partem eius subiecti, *omnis homo*.

§. 48. Ecclesiæ authoritatem humanam satis esse, vt simus certi moraliter Vrbanum esse ritè electum & esse partem huius subiecti, *omnis ritè electus*, constat: quia ea authoritas nos reddit moraliter certos de existentia revelationis obscuræ (vt sæpè probavi); sed eadem est ratio in proponenda Canonica electione, de qua agimus, & omnibus eius conditionibus obscuris: ergo, vt est satis ad evidentiam moralem circa revelationem; est satis circa electionem. Probo minorem: quia infallibilitas circa revelationes pendet ab infallibilitate circa electionem: ergo est eadem ratio. Probo minorẽ: quia revelationes, aut proponuntur, aut confirmantur authoritate veri Pontificis, & quas ipse proponit iure Pontificio, tenetur credere reliquum Ecclesiæ corpus. Itaque perinde est Ecclesiam esse moraliter infallibilem circa revelationes; ac circa Pontificem, qui est illarum iudex.

Vndè evidenter infertur, non esse specialem difficultatem in hâc meâ sententia de legitimitate huius Papæ: quæ non sit cõmunis Concilijs generalibus, toti Ecclesiæ, & singulis revelationibus Catholicè creditis. Quod vtinam animadvertissent oppositæ sententiæ assertores. Igitur, partim ex electione visibili, partim ex pacifica Ecclesiæ acceptatione habemus assensum moraliter evidentem, quem sine peccato negare non possumus, Vrbanum esse ritè electum, esse Sacerdotem, & esse partem huius subiecti, *omnis ritè electus*: vt ex Physica scimus Petrum esse hominem, & partem huius subiecti. *Omnis homo*, & vt sine alia propositione de fide distincta ab hac, *omnis homo est conceptus in peccato*, credimus fide Catholica Petrum ita esse conceptum: ita credimus eâdem fide Catholica, Vrbanum esse Pontificem. §. 49.

Dices, nos cognoscere evidenter & Petrum esse hominem, & partem eius subiecti, *omnis homo*. At nõ cognoscimus evidenter Vrbanum esse electum, nec partem huius subiecti, *omnis ritè electus*: ergo non spectat ad fidem Catholicam, quia possumus in eo iudicio falli. Nego consequentiam: ad probationem respondeo, nos etiam posse falli in iudicio, quòd hoc individuum sit homo: sufficit tamen evidentia physica; licèt sit exposita errori: vt ostendi disputat. 11. ita ergo evidentia morali scio Vrbanum esse ritè electum, & partem huius subiecti, *omnis ritè electus*: ergo sufficit evidentia moralis, vt sufficit ad credendum Concilium Tridentinum coactum legitimè; & hos homines, qui fuerunt Ecclesiam, esse Catholicos: & ad credendum Cæsares fuisse, & fuisse in peccato conceptos: &, quod caput est, sufficit eadem Ecclesiæ humana authoritas ad faciendas revelationes credibiles evidenter: eâdem omninò ratione sufficit ad faciendam evidenter credibilem legitimam electionem Vrbani. §. 50. Obiectio. Respond.

Ergò, vno verbo, Vrbanum esse Papam, credo fide divinâ non hoc syllogismo: *Omnis ritè electus est Papa: Vrbanus est ritè electus: ergò Vrbanus est Papa*, vt non credo, Petrum esse §. 51.

esse conceptum in peccato, hoc syllogismo. *Omnis homo est conceptus in peccato, Petrus est homo: ergo Petrus est conceptus in peccato*; sed credo hoc syllogismo: *Omne quod Deus dicit est; sed dicit Vrbanũ esse Papã; & Petrũ in peccato conceptũ: ergo & Vrbanum est Papa, & Petrus in peccato conceptus.* Si autem quæras; vbi Deus dixerit Petrũ ita conceptũ, & Vrbanũ Papã esse? respondeo, in illa propositione, *omnis homo est conceptus in peccato, omnis ritè electus est Papa*: quia ex terminis per se notis physicè, aut moraliter cognosco, Petrum esse hominem, & de illo dici quidquid de omni homine; & Vrbanum esse ritè electum, & de illo dici quidquid de omni ritè electo. Hæc fusiùs disserui, vt metũ abigam ex aliquorum animis, dubitãtibus qua ratione hæc doctrina possit defendi, cùm non sit de fide Vrbanum esse ritè electum? dico, nec est de fide Petrum esse hominem; aut hominem animal rationale; aut hac voce *homo* significari verum hominem. Illi enim termini aliunde noti ponuntur à fide: & de illis sic præcognitis loquitur Deus, vt nos loquimur: non enim dico tibi: *hic est tuus frater*; sed pono id à te cognitum, & dico: *tuus frater fecit* hoc. Vide disp. 11. sect. 1. 2. & 3. quæ enim ibi dixi de propositione vniversali per se nota physicè, aut moralitèr, hùc applicantur iisdem terminis.

§. 52. 2. Arg. Secundum argumentum: quia contigit aliquandò legitima electio Põtificis, & acceptatio pacifica in persona incapaci Pontificatus: ergo hæc non sunt certus character electionis internæ: probo antecedens ex Martino Polono, & Mariano Scoto asserentibus anno 853. electam fœminam in Pontificem Romanũ, quæ vocata est Ioannes Octavus, quæ successit Leoni Quarto ante Benedictum Tertium. Nego antecedens: ad probationem respondeo illam esse fabulam plus quàm anilem: quod, qua solet eruditione, comprobat Cardinalis Bellarminus libro tertio de Romano Pontifice capite 24. ostendens authores eius temporis nec meminisse huius historiæ; quod est argumentum plusquàm evidens de eius falsitate. Platina, Sigebertus, & Marianus Scotus id acceperunt ex Martino Polono; scriptore quidem nonnullis annorum centuriis posteriore; deinde homine simplici, & penè stulto, qui nonnullas alias fabulas leviter creditas venditavit: quem errorem ex Chronologia, ex antiquis Doctoribus, & aliis argumentis evidentibus confutat Bellarminus, fabulam istam referens in Constantinopolitanam Ecclesiam: in qua electi fuerant eunuchi nonnulli, & fama percrebruit etiam fuisse fœminam electam: quod constat ex Leone Nono reprehẽdẽte proptereà illam consuetudinem eligendi eunuchos. Baronius tomo decimo anno 853. probare conatur, neque Constantinopoli fœminam electam: qui etiam rem hanc tractat eruditè; nescio autem cur censeat primum huius fabulæ authorem Marianum Scotum, cùm fuerit Martinus Polonus.

Respond.

§. 53. 3. Arg. Tertium argumentum est; quia de legitima electione Formosi varij fuere summi Pontifices: etenim Stephanus Sextus censuit Formosum nõ fuisse legitimè electum: Ioannes autem Nonus, eumdem Formosum dixit fuisse legitimè electum. Posteà Sergius Tertius, consensit cum Stephano Sexto. Deinceps cæteri Pontifices consenserunt cum Ioanne Nono. Respondeo hinc nihil contra nos. Primùm, quia dum fuit illa probabilis controversia, non fuit de fide Formosum fuisse Papam: quia cùm ipse iurasset se non rediturum ad Pontificalem dignitatem, & de eius absolutione dubij essent Stephanus & Sergius: habuerunt probabilem occasionem dubitandi. Secundò, quia Stephanus & Sergius non erraverunt intellectu; sed irâ perciti ob inimicitias cum Formoso omnia eius acta irritaverunt, declarantes ordines sacros invalidè susceptos, quos ipse contulerat. Non quòd existimarent eos esse nullos; sed quòd eum voluerunt infamare: &, vt in hoc peccaverunt, peccare potuerunt in primo.

Resp.

§. 54. Obiectio. Obijcis, asseri à Cardinali Bellarmino eos errare potuisse in quæstionibus facti tom. 1. lib. 4. de Romano Pontifice c. 12. §. *succesit* Cẽset ergo Bellarminus eã quæstionem non spectare ad fidem. Primùm transeat consequens. Secundò distinguo consequens: non pertinet ad fidem ante pacificam ab Ecclesia acceptationem, transeat consequens: post eam, nego consequẽtiam: & sic intellige nostrum Cardinalem.

DISPVT. XXXVIII.

Tria dubiola.

§. 55. XPEDIENDA tria dubia levioris armaturæ, de quibus agit S. Thomas quæst. 2. art. 1. & 2. Primum est; vtrùm credere sit cum assensione cogitare? Quæstioni occasionẽ dedit Sanctus Augustinus tomo 7. lib. de prædestinatione Sanctorum cap. 2. vbi hæc ait: *ipsũ credere nihil aliud est, quã cũ assensione cogitare: non enim omnis, qui cogitat, credit, cùm adeò cogitent plerique, ne credant; sed cogitat omnis, qui credit, & credendo cogitat,*

S. Thom. Aug.

S. Tho. q. 2. Art. 1. & 2. *& cogitando credit*. S. Thomas eo art. 1. acutè probat ex eodem Sancto Augustino tres esse cogitationis species: quas ibi recognoscere poterit, qui voluerit. Augustinus enim in eo cap. cogitationem sumit pro inspiratione Dei consistente in actu intellectus repræsentante honestatem in credendo; distinguit ergò cogitationem, & fidem

Idem. his verbis: *quis enim non videat prius esse cogitare, quàm credere? nullus quippè credit aliquid; nisi priùs cogitaverit esse credendum*. Assensio autem apud Augustinum ibidem idem est, ac assensus intellectus præstitus mysterijs fidei propter authoritatem Dei, ortus ex illa cogitatione congrua. Probat enim ibi Sanctus Augustinus contra Pelagium initium fidei non esse ex nobis; sed ex Christo: quia illa fides oritur ex cogitatione; sed non possumus aliquid cogitare in nobis, quasi ex nobis, quia sufficientia nostra ex Deo est: ergo non possumus habere fidem in nobis, quasi ex nobis: quæ clarè ponuntur à Sancto Augustino in eo capite: cui non fuit animus explicare totã essentiã actus fidei; sed tantùm ostendere illum esse assensum intellectus, datum nobis à Deo ex gratia per Christum: hoc enim præcisè exigebat illa disputatio cum Pelagio, asserente fidem esse absque gratia per Christum. *Fidei actus est assensus supernaturalis obscurus in aliquod obiectum propter authoritatem, & testimonium Dei*. Quæ definitio quadrat in actum fidei, vt terminatur ad obiectum materiale; ad obiectum autem formale non quadrat: est enim actus fidei circa obiectum formale actus supernaturalis de authoritate Dei, & obscurus de existentia revelationis.

§. 2. Secundum dubium est: quid sit credere Deo, credere Deum, & credere in Deum? Ad quam etiam quæstionem pulsat Sanctus Augustinus tomo nono, tractatu 29. in Ioannem, & tom. decimo, serm. 181. de tem-

S.Thom. pore. Sanctus Thomas dicit in obiecto fidei posse considerari duo: alterum est materiale obiectum fidei, & sic ponitur actus credere Deo; alterum est formalis ratio obiecti, & sic ponitur credere Deum: quæ arbitror irrepsisse per mendum codicis, quod fuit hac in parte facillimum: est enim & cõtra doctrinam Augustini, & veritatem: etenim credere Deo non est credere ipsum esse, neque illum attingere, vt obiectum materiale; sed vt formale: dixit enim Augustinus, *credimus Paullo*, ac si dicat, credimus vera esse, quia Paullus dicit: alicui enim credere est persuaderi testimonium illius esse verum; credere autem aliquem, est credere, aliquem esse: vt ego credo infernum, id est, infernum esse.

Credere in aliquem aliquando etiam sumitur pro fide præstita alicui: vt Hieronymus in epistola ad Philemonem: *vna*, inquit, *atque eadem credulitas in Deum fertur, & in hominem: vt populus, qui credebat in Deum, æquè crederet in servum eius*. Sanctus autem Augustinus voluit credere in aliquem, esse credere alicuius testimonio, & simul se referre ad illius obsequium. Quæ significatio iam apud Scholasticos obtinuit: voluit etiã à nullo credi in Deum, nisi existente in charitate. Itaque peccatores non credunt in Deum. Alij id arbitrãtur rigidum, quia teste Scripturâ multi Pharisæorum crediderũt in Christum; non tamen habuerunt charitatem, quia propter timorem occultaverunt fidem. Componi potest controversia, à peccatoribus non credi in Deum perfectè; credi autem imperfectè. Hieron.

Tertium dubium est ex eodem Sancto Thoma art. 2. ad secundum: vbi dicit non credi Deum ab infidelibus, qui, quamvis admittant infinitatem Dei, negant providentiam, aut aliud attributum: rationem reddit ex Aristotele asserente in simplicibus, aut totum attingi, aut totum ignorari. Et quidem Sanctus Thomas inclinari videtur in partem negantem: quæ sic probatur, quia Deus à parte rei nõ est cũ carẽtia providentiæ, quia Deus providens est: ergo, qui negat providentiam Dei, non fatetur Deum. Incredibilis tamen videtur hæc opinio: primùm, quia non solùm infideles, verum nec infiniti Catholici eximij Deũ crederent: quod nullus dicet. Probatur, quia etiam Catholici salvâ fide negare possunt aliquod attributum Dei, verbi gratia, disputatur vtrùm in Deo sit attributum iustitiæ propriæ? vtraque pars est probabilis; & vtraque defenditur ab optimis Theologis, alterâ impugnata. Ponamus in Deo esse attributum iustitiæ (idem dici potest, si ponatur contraria sententia): ex hac positione non est à parte rei Deus non iustus; sed Deus iustus: ergo, qui negat Deum esse iustum, neque credit, neque cognoscit esse Deum: probo consequentiam ex te, quia Deus non iustus est chymera. §. 3. S. Thom.

Secundò probatur ex Paullo ad Romanos primo, asserente invisibilia Dei per creaturas esse cognita à Philosophis, qui Deum non glorificaverunt sicut cognoverunt; sed Philosophi multa prædicata Dei negaverunt: ergo à negante vnum prædicatum Dei, potest Deus ita cognosci, vt debeat adorari. Ponamus Platoni, aut Aristoteli proponi ab aliquo Trinitatem Dei; sed tàm imbecillè, vt illi non teneantur illam credere: his tàm nota sunt invisibilia Dei per creaturas, Trinitatem negantibus, ac si §. 5. ad. Rom. 1

de

de Trinitate non cogitarent: & tenerentur adorare Deum sicut cognoverant.

§. 6. Tandem à priori: quia, quando ego dico, *Deus est; sed non est iustus propriè*: verè iste actus terminatur ad prædicatum, & obiectus existens à parte rei: ergo repræsentat Deum. Probo antecedens, quia verè à parte rei Deus est: quia ego concipio esse aliquod ens, à quo omnia trahunt originē, & ipsum à nullo: quamvis enim illud ens à me negetur esse iustum; tamen verè affirmatur de illo esse ens à se: Aliud enim est non cognosci Deum; aliud autem non cognosci sicuti est: cognoscitur quidem Deus, quia habet prædicatum illud, quod illi tribuo: non cognoscitur autem sicuti est, quia illi nego aliquid, quod habet. Et quamvis Deus non iustus est chymęra; tamen Deum esse non est chymęra: sicut est chymæra Iovem esse Deum. Quapropter adæquatum obiectum huius actus non est chymæra; sed præcisè, qua parte asseritur aliquid, quod non est: cum autem id tantùm asseratur præcisè, quia negatur Deo iustitia; non verò quia affirmatur existentia; ita Deus existens nō est chymæra; neque ille actus hac ex parte est chymæra; sed præcisè ex hac, *Deus non iustus*: itaque ex parte obiecti non respondet Deus non iustus, quia à parte rei non est talis: respondet tamen Deus, quia à parte rei Deus est. Ex quibus patet ad argumentum à ratione petitum.

§. 7. Testimonium Aristotelis non me vrget: non enim dixit obiectum non attingi, ex eo quod aliquid negetur; sed defectum cognitionis esse solū in non attingendo totaliter: sunt enim valdè diversa, & alterum verum, & alterum falsum, quia qui per aliquē actum non attingit totaliter obiectum simplex, verè habet carentiam attingendi totum obiectum: nam cùm obiectum in se simplex sit, non habet vnam partem secundum quam attingatur, & aliam secundum quam non atingatur. Vndè qui Deum attingit, attingit quidem omnia prædicata quæ in ipso sunt: at verò quia illa attingit ex parte subiecti confusè ea non discernens inter se, potest quidē aliquid negare in prædicato; vt qui dicit *Deus non est iustus*: ex parte subiecti cognoscit immediatè iustitiam Dei in ordine ad existendum à se, non tamen in ordine ad effectus iustitiæ propriè: & quia iustitia sub conceptu claro iustitiæ præter existentiam à se debet explicari per effectus iustitiæ; ideò negatur formaliter iustitia quamvis materialiter attingitur ex parte subiecti: in quo sensu loquitur Aristoteles: valetque eius testimonium contra asserentes præcisiones obiectivas.

§. 8. Hæc explicatio confirmatur, quia quamvis non cognoscatur homo totaliter secundum vtrāque partem; potest tamen attingi secundum alteram: qui enim hominis vivi videt solum corpus, hominem quidem videt: qui autem non videt totum punctum, non videt punctum. Hic est ergo sensus Aristotelis, & non alter. Sanctum Thomam aliqui interpretantur, non quòd censuerit non attingi Deum totaliter à negante vnum attributum; sed non attingi verè veritate adæquata. Doctrinam quidem probo: dubito tamen an quadret in Sanctum, negantem infidelibus absolutè fidem, quia non cognoscunt Deum cum his conditionibus, cùm quibus à Deo determinatur. Dicamus pro Sancto Thoma, non credi ab infidelibus, non quidem absolutè: absolutè enim sibi persuadent Deum esse; sed non credi, vt credibile sumitur connotando assensum respondentem assensui fidei: quia non creditur, vt est credibilis per fidem.

DISPVT. XXXIX.

Vtrùm fides vtatur discursu?

§. 1. SANCTVS Thomas art. 2. ad primum insinuat occasionem huius disputationis, asserens credere Deo, & Deum, nō esse duos actus; sed vnum: est autem contra rationem discursus hæc vnitas actuum.

SECTIO I.

Discursus quid, & quotuplex?

§. 2. DISCVRSVS est quidam cursus ab vno obiecto in aliud; & ab aliquibus actibus ad alium, est autē discursus idem quod syllogismus: *In quo quibusdam positis, aliud sequi necesse est, ex eo quòd hæc ponantur*. Debent ergo aliqua poni, quæ præmissæ vocantur, & ex his necesse est, vt sequatur aliud, quod est conclusio: quæ habet dependentiam à præmissis, quia sine illis esse non potest; positis verò illis non potest conclusio non sequi: id est, non potest negari conclusio; sed necessariò concedi, necessitate quoad speciem, vel quoad exercitium: de quo egi disput. 7. de Anima, à sectione tertia, & disput. 10. Logicæ à sect. 10.

Discur-

§. 3. S. Tho. q. 2. Art. 2. Discursus, & syllogismus dividitur in obiectivum & formalem: obiectivus sunt tres propositiones obiectivæ, sive tria obiecta, quæ ita disponuntur, vt ex affirmatione, aut negatione duorum, sit necessariò affirmanda, aut neganda tertia. Præmissæ autem sunt inter se disparatæ: id est, non habent connexionem mutuam: vnâ enim admissa, potest alia vel admitti, vel negari: exẽpli gratia, *omnis homo currit, Petrus est homo*, non habent necessariam connexionem: qui enim admittit Petrum esse hominem, non propterea cogitur admittere omnem hominem currere; admissa autem vtrâque propositione, non potest negari hæc conclusio: *ergo Petrus currit.* Vnde, qui ex sola cognitione caussæ cognoscit effectum, aut caussam ex effectu (quemadmodum Beati cognito Deo feruntur ad creaturas) non movetur syllogismo obiectivo, quia non eget aliâ propositione vniversali, aut singulari; sed ex sola caussæ connexione cum effectu effectum cognoscit.

§. 4. Discursus formalis est triplex actus intellectus, quo repræsentatur syllogismus obiectivus: isti tres actus sunt realiter distincti, & præmissæ sunt disparatæ, & mutuò independentes, non secùs ac præmissæ obiectivæ: tertia verò cognitio est conclusio necessariò illata ex præmisis, tamquam effectus ex caussa: estque hoc discrimen, quòd conclusio formalis habet realem dependentiam à præmisis, propter realem ab illis distinctionem: conclusio autem obiectiva non dependet realiter à præmisis, propter eius cum illis realem idemtitatem: iam enim ostendi non distingui realiter cõclusionem obiectivam ab obiectivis præmisis: quæ præmissæ sunt ratio obiectivè movens ad conclusionem: ad quod non requiritur vera caussalitas. Præmissæ, non est opus, vt tempore præeant conclusioni; sed sufficit, vt præire posint: quia cùm illæ præmissæ sint disparatæ: non est necesse, vt simul sint; sunt tamẽ cũ cõclusione: quia cõclusio nõ potest esse absq; vtraq; præmissa; sed vtraque præmissa, non est necesse, vt componatur ergo. In quo sensu loquuntur Pater Suarez primo tomo, in tertiam partem, disput. 28. sect. 2. versu, *sed obiici*, & alij: quos immeritò mordet Pater Luisius disp. 6. dub. 1. Cũ enim ait P. Suarez actus scientiæ Christi non esse discursum, quia sunt simul, intelligitur, quia sunt necessariò simul: idque patet ex ipso asserente vnum resultare ex alio tamquam effectum ex caussâ simplici, id est, per necessariam connexionem, & inseparabilitatem naturalem: hæc autem inseparabilitas, non est inter præmissam & conclusionem in sensu explicato. Ratio (P. Suarez / P. Luis.) hæc Patris Suarez evidens est, si rectè calleatur: quia cùm quælibet præmissa sit separabilis à conclusione non potest esse discursus inter duos actus inseparabiles.

§. 5. Discursus formalis est etiam bipartitus: alter enim est formalis, alter virtualis. Formalis sunt tres illi actus realiter distincti: itaque formaliter, & absolutè non est discursus, nisi in his tribus actibus: virtualis est duo, aut vnus actus, repræsentantes totum syllogismum obiectivũ: vocatur autem discursus, quia repræsentat syllogismum obiectivum: neque potest attingere conclusionem, nisi dependenter ab vtraque præmissa obiectiva: itaque ille vnus actus, aut duo nitũtur formæ syllogisticæ obiectivæ, non secùs ac syllogismus formalis: vocatur autem virtualis discursus, quia cùm sit vnus actus, aut duo, faciunt quod tres. Quapropter actus, quo cognoscitur effectus ex sola caussa absque dependentia ab aliâ præmissâ, non est syllogismus virtualis, quia ex parte obiecti nulla est forma syllogistica: qui enim ignem comprehendit, cognoscit calorem, quin formet hunc syllogismum, *omnis ignis est calidus: hic est ignis: ergo est calidus*, ex sola enim penetratione huius ignis cognoscitur calor: immò ex eâdem sola cognitione potest cognosci omnem ignem esse calidum: quapropter Deus non habet syllogismum virtualẽ in intellectu, ad cognoscẽdam propositionem singularem; quam non colligit ex vniversali; quia omnia cognoscit in singulari, vel in se ipso, vel in ipsis; in Omnipotentia autem habet syllogismum virtualem, quia illa est virtus ad nostros syllogismos efficiendos, sicut eamdem ob caussam est in ea calor virtualiter: quia habet virtutem faciendi calorem.

§. 6. Quæri potest, vtrùm eodem actu cognoscenda sit caussa, & eius connexio cum effectu? an verò exigat ratio discursus, vt caussa cognoscatur actu distincto ab eo, quo cognoscitur effectus? & vtrùm sit necessarius tertius actus repræsentans cognitionẽ caussæ & effectus? Pater Suarez ea disput. 28. sect. 2. insinuare videtur requiri diversum actum repræsentantem eam connexionem. P. Suar. Pater Luisius ea disput. 6. dub. 1. hoc impugnat: si enim demus effectum cognosci per caussã, & distinctis actibus, nihil deesse videtur ad rationem discursus. P. Luis. Respondeo quæstioni in cognitione caussæ, & effectus, non dari tertium actum, quo repræsentetur illorum connexio; sed præcisè cognoscitur ordo caussæ ad effectum iisdem actibus, quibus per caussam cognoscitur effectus: quia connexio nihil est præter entitates caussæ, & effectus: quæ entitates interdum vocantur connexio, maximè in syllogismo obiectivo

ctivo propter dispositionem syllogisticam. Nec enim aliud voluit Pater Suarez; quod autem ait Pater Luisius illum actum esse discursum, admitto, si caussa syllogisticè disponatur ex parte obiecti; secus verò si ex vna propositione obiectiva cognoscatur effectus.

SECTIO II.

Fides vtitur discursu.

§. 7. *Durand. Gabriel. Almain. Ocam. Marsil. P. Vazq.* OPINOR, fidem vti discursu formali: opinio Durandi in 3. dist. 24. quæst. 1. num. 16. Gabrielis dist. 23. quæst. 2. Almaini quæst. 3. & in Moralibus cap. 2. Ocami in 3. quæst. 8. art. 3. Marsilij quæst. 14. art. 1. Patris Vazquez prima parte disp. 5. num. 5. Sanctum Thomam pro neutra parte adducam; neutri enim apertè favet, & vtrique obscurè.

§. 8. Probatur primo, quia in habitibus per se infusis voluntatis reperitur aliquid simile discursui: ergo & discursus reperitur in habitu fidei. Consequentia patet, quia habitus fidei est obscurè cognoscitivus per species alienas, & obscuras; cùm autem non sit contra rationem habitus per se infusi versari circa sua obiecta per actus distinctos, quorum alij sint aliorum caussa, cur id erit contrà habitum fidei? Antecedens probo in habitu charitatis, in quo intentio finis est caussa electionis mediorum, eamque infert non aliter, quàm præmissæ conclusionem: quamvis enim non sequatur necessariò hæc electio medij, quandò per media multa cōparari potest finis; tamē aliqua electio necessariò est secutura intentionē efficacem; & ea electio, quæ sequitur, sequitur per influxum intentionis, non secus ac conclusio sequitur ex influxu præmissarum: ergo in habitibus per se infusis voluntatis reperitur aliquid simile discursui. Antecedens negari non potest: quia ex complacentia, & amore Dei, potest derivari amor in eius gloriam; ex hac autem intentione infertur electio aliqua medij, quo adipiscamur gloriam illam Dei. Omnes hi actus fiunt immediatè per habitum charitatis: quia omnes actus pendentes ab vno obiecto formali spectant ad eamdem virtutem, vnumque habitum per se infusum. Quod explicari potest in spe, cuius obiectum formale partiale, nempè, beatitudo formalis nos movet efficaciter ad diversa exercitia virtutum, per quas itur ad astra. Quamvis enim, quando amatur medium, eodem actu ametur finis; tamen negari non potest electionem medij oriri à prima aliqua voluntate versante in particulari circa solum finem. Nam amari potest solus Deus, quin ametur creatura: quia Deus est independens ab illa. Vnde in amore Dei non est propriè intentio finis, & electio medij: quia creatura non est medium ad adispiscendam existentiā Dei; in obiectis autem, quæ possunt fieri, intentio finis est etiam electio medij: vt dixi sæpè, præsertim disp. 4. de Prædestinatione. Illa autem intentio finis, est desiderium ipsius finis, & medij: quæ intentio, & desiderium derivatur ab amore stricto in solum finem. Hæcque esse similia discursui patet: quia intentio finis est circa obiectum formale, sicut præmissæ syllogisticæ: item electio medij est circa obiectum materiale, sicut conclusio formalis: item electio medij est verus effectus intentionis finis, sicut cōclusio formalis est effectus præmissarum: solumque differunt in ratione actus voluntatis, & intellectus; conveniunt autem in distinctione actuum, & attingendo obiectum materiale per formale. Quapropter ille volūtatis progressus in suis actibus potuisset nuncupari *discursus*; hæc tamen vox à discursu externo, sive huc, & illuc cursu, translata est ad actus solius intellectus.

Secundò probatur à priori; quia hunc syllogismum obiectivum fidei: *omne, quod Deus dicit, est; dicit Incarnationem: ergo Incarnatio est*, possumus cognoscere tribus distinctis actibus, ita vt ex primis duobus inferatur necessariò tertius: ergo per fidem possumus vti discursu. Probo antecedens: quia maior propositio obiectiva eius syllogismi potest perfectè cognosci, quin cognoscatur actualis revelatio de Incarnatione: quia infallibilis authoritas Dei in suo conceptu est independens ab existente revelatione de Incarnatione: quamvis enim Deus eam revelationem numquam fecisset, adhuc polleret authoritate infinita; eiusque cognitio est independens ab eo quod aliqua revelatio existat, solumque requiritur, vt authoritas divina connotet infallibilitatem revelationum possibilium. Quis enim dubitat, mihi posse proponi, vtrum Deus posit aliquando mentiri, quin mihi proponatur eum revelasse Incarnationem? cui obiecto proposito per apprehensionem simplicem; possum ergo assentiri per compositionē: & iudicare Deum esse incapacem mēdacij: vnde concludo hanc propositionē, *omne, quod Deus dicit, est necessariò verum*, esse tam independentem ab hac, *dicit Incarnationem*; quàm hæc, *omnis homo currit*, est independens ab hac, *Petrus currit*. §. 9.

§. 10. Minor autem propositio, *dicit Incarnationem*, potest perfectè cognosci independenter

S. Tho. q. 2. Art. 2. denter à maiori propositione, *omne, quod Deus dicit, est*, non minus, quàm hæc, *Petrus currit*, cognosci potest independenter ab hac, *omnis homo currit*: ergo ea minor propositio potest terminare actum distinctum ab eo, quem terminat maior: consequentia est probatu facillima ex terminis ipsis: antedens autem probo primùm ab exemplo huius syllogismi naturalis: *omnis homo currit; Petrus est homo*: in quo præmissæ sunt disparatæ: ergo tàm disparatæ sunt hæ, *omnis propositio Dei est necessariò vera: hæc est propositio Dei*: arbitror nullum esse discrimen. Secundò probatur à priori: quia illa duo obiecta sunt realiter distincta, & disparata: testimonium enim alicuius personæ possumus hic & nunc cognoscere existere, quin concipiamus veritatem necessariam, aut contingentem illius, & cæterorum testimoniorum eiusdem personæ: possumus enim vno actu cognoscere existentiam alicuius testimonij, abstrahendo à veritate, aut falsitate ipsius: ostendi enim disput. 4. in syllogismo obiectivo fidei in minori propositione cognosci veritatem testimonij Dei, non verò existentiam: in maiori autem cognosci existentiam revelationis cum præcisione à veritate. Immò potest aliquis sibi persuadere existere revelationem Dei, & negare maiorem propositionem, *omnis revelatio Dei est necessariò vera*: ergo minor propositio est cognoscibilis independenter à prima. Antecedens probo, quia Holkotus, & alij censuerunt à Deo revelatam esse Incarnationem, & potuisse aliquid falsò ab ipso affirmari. Constat ergo præmissas illas obiectivas syllogismi fidei esse reciprocè tàm independentes in cognitione, quàm præmissas naturales.

Holkot.

§. 11. 1. Obiectio. Dices primò, authoritatem Dei, quę explicatur hac maiori propositione, *omne quod Deus dicit, est necessariò verum*, si sola cognoscatur, terminare actum evidẽtem: qui actus non potest spectare ad fidem, quæ nullum habet actum evidentem simpliciter: quare, vt actus, quo cognoscitur, sit obscurus, opus est, vt terminetur ad existentiam alicuius revelationis, quæ posita in minori propositione cognoscitur obscurè: quapropter quamvis illa obiecta secundum se sint disparatè cognoscibilia, non tamen per fidem: quia hæc numquam terminatur ad obiectum, nisi vt obscurè cognoscibile: quare donec cum authoritate Dei obijciatur simul existentia alicuius revelationis, non potest actum exercere fides.

§. 12. Refell. 1. Contra primò, quia à multis cognoscitur authoritas Dei obscurè: quamvis enim evidens sit Deum non posse peccare mendacio; tamen non est tàm evidens eum nõ posse falsum testari absque vitio mẽdacij: multi autem non assecuti rationem evidentem huius repugnantiæ, eam credunt obscurè: ergo ex hoc capite non repugnat fidei discursus. Consequentia patet, quia impedimentum erat evidentia, hæc autem non est necessaria in omnibus actibus, quibus persuadetur authoritas Dei: ergo.

§. 13. Refell. 2. Contra secundò: obscuritas fidei non est necessaria circa totum eius obiectum; sed tantùm circa revelationem, & mysterium revelatum; sed hæc obscuritas non tollitur, quamvis vno actu sola cognoscatur clarè authoritas Dei: ergo non est necesse, vt illo actu cognoscatur etiam revelatio. Minor patet, quia existentia revelationis semper cognoscitur obscurè, sive simul cum toto syllogismo, sive sola cognoscatur: quia illius non datur species propria intuitiva, & immediata; neque item cognoscitur à priori, aut à posteriori per aliquod principium, quo determinetur intellectus ad assensum: quapropter semper est liber assensus, vt terminatur ad revelationem: eâdemque ratione mysterium revelatum cognoscitur obscurè, quia dependet à præmissa obscura, nempè revelatione; conclusio autem sequitur debiliorem partem: maior probatur, quia quando totum obiectum fidei, non est cognoscibile obscurè, non est cur terminet actum obscurum circa illud obiectum: quia obiectum alicuius habitus non petit circa se actum obscurum, si ipsum est cognoscibile evidenter.

§. 14. Confir. Rem explico: res dicuntur clarè, aut obscurè cognoscibiles, quando vel emittunt per se speciem intuitivam sui; vel quando cognoscuntur per alia obiecta per species perfectas determinantia intellectum ad assensum. Hæc obiecta cognoscuntur evidenter, quamvis simul cum illis cognoscatur aliud obiectum obscurè: verbi gratia, authoritas Dei cognoscitur per species demonstrativas; cum quibus speciebus concurrunt species obscuræ de existentia alicuius revelationis; & ab vtrisque speciebus efficitur vnus numero actus repræsentans & authoritatem, & existentiam revelationis divinę: iste actus respectu authoritatis est tàm evidens, quàm si non repræsentaret existentiam revelationis: ergo iam fides habet aliquem actum absolutè evidentem circa aliquod obiectum. Probo antecedens, quia species illæ determinant intellectum ad assensum de authoritate divina tàm perfectè, quàm si ille actus non terminaretur ad revelationem: in hoc autem consistit ratio evidentiæ: obscuritas verò illius actus non est circa authoritatem Dei; sed circa aliud disparatum obiectum: & quamvis ille actus numero,

numero, & specie potuerit non esse, quia potuimus dissentiri revelationi, & tunc nõ esset hic actus in specie: at verò esset alius distinctæ speciei, ad quem determinaretur intellectus per has species impressas repræsentantes authoritatem Dei: in quo constitui rationem evidentiæ simpliciter disput. 15. §. 4. & 7.

§. 15. Vndè argumentor: fides habet actum simpliciter evidentem circa aliquod obiectum: ergo non repugnat aliqua evidentia simpliciter actibus fidei: quid ergo refert esse in vno actu solo, vel in duobus. Ratio à priori, quia evidentiam actibus repugnare, aut cõvenire, oritur ex natura ipsius obiecti: cùm autem obiectum fidei petat cognosci evidentor simpliciter, quid interest fieri vno, aut duobus actibus, cum obiectum ipsum vno possit cognosci. Adde non esse contra rationem fidei, vt sic alteram præmissarum esse evidentem: fide enim humana videmus intuitivè testimonium humanum; ex quo circa obiectum dictum deducitur assensus obscurus, quia veritas eius testimonij obscurè cognoscitur: è contra verò fide Catholicâ creditur obscurè existentia testimonij Dei, eius autem veritas cognoscitur clarè.

§. 16. *Solutio.* *Impugn.* Dices secundò: fide non attingi authoritatem Dei, sed solam revelationem, & obiectum revelatum. Contrà: iam ostendi disp. 4. obiectum partiale formale fidei esse authoritatem Dei: quia vt credamus absque hæsitatione mysteria revelata opus est, vt credamus existentiam revelationis divinæ, & veritatem: quid enim prodest ad firmum assensum credere existentiam revelationis, nisi mihi persuadeam eam esse veram: eius autem veritas persuadetur fideli ex infallibili authoritate Dei? Quid itẽ prodest persuasio veracitatis divinæ, nisi simul credamus, Deum aliquid revelasse? Constat verò inter Theologos eodem habitu infuso attingi obiectum formale, & materiale. Præterea habitus conclusionum naturalium est discursivus, sive eodem habitu indivisibili attingantur præmissæ, & conclusio, sive diversis. Cumque authoritas divina sit principium necessariò cognitum ante mysterium revelatum: ex qua & ex revelatione divina sequitur necessariò mysterium revelatum: conclusio, quam fides infert ex illis præmissis, erit discursus, quia per verum syllogismum illam deducit; esto non attingat totum obiectum formale: vt enim aliquis actus sit discursus, non est opus, vt eodem habitu efficiantur præmissæ, & conclusio; sed sufficit eum actum esse distinctum à præmissis, & ab illis necessariò pendentem, illatumque necessariò.

§. 17. 3. *Solutio.* Dices tertiò: mysterium revelatum cognosci eodem actu, quo ipsa revelatio: quia repræsentata vtrâque præmissa, non est opus in conclusionem tertio actu realiter distincto. *Impugn.* Contra primò: ergo si propterà fides non discurrit, neque scientiæ naturales discurrent: repræsentatis enim evidenter præmissis, non egetur tertio actu distincto circa conclusionem: est que iam difficultas communis vtrùm sit possibilis aliquis discursus. Contra secundò, quia actus circa revelationem potest esse realiter, quin realiter per illum credatur mysterium: ergo indigemus novo actu: probo antecedens, quia possumus credere à Deo aliquid revelari, quin tunc meminerimus infallibilis authoritatis Dei; sed in eo casu non assentimur per fidem mysterio revelato: ergo. Maior patet ex §. 10. minor liquet, quia fides non credit mysterium revelatum, nisi ex revelatione, & authoritate simul cognitis.

§. 18. 4. *Solutio.* Dices quartò: nos fide naturali credere & authoritatem Dei, & revelationem; ex quibus deducitur tertius actus naturalis circa mysterium revelatum: in quo syllogismo reperitur verè discursus: tunc autem non exercetur fides supernaturalis: cùm actus præstitus sit assensus naturalis toti syllogismo obiectivo, fides infusa vno actu indivisibili amplectitur totum syllogismũ: qui actus non est discursus formalis; sed virtualis. *Impugn.* Contrà: hæc dicuntur sine fundamento, quia authoritas, & revelatio Dei sunt obiectum supernaturale: ergo, quando primò cognoscuntur, terminant actum supernaturalem. Probo consequentiam, quia quandò potentia est sufficienter applicata, & constituta in actu primo, exercet actum proportionatum circa suum obiectum; sed tunc intellectus est sufficienter applicatus & in actu primo constitutus ad cognoscendam authoritatem, & revelationem Dei: ergo eliciet actum proportionatum; sed obiecto supernaturali solus supernaturalis actus est proportionatus: ergo tunc elicietur actus supernaturalis.

§. 19. *Confirma.* Confirmatur: revelatio divina creditur primâ illâ vice liberè sine hæsitatione, & ex gratia per Christum: ergo creditur fide divina. Consequentia nescio quâ ratione negari possit: antecedens probo, quia gratia per Christum numquam deest ad operandum honestè, quando actu cogitatur de Deo ipso, eiusque mysterijs, & ex tali cogitatione rectè operamur. Quod in præsenti ex Augustino liquet adducto disp. 38. §. 5. asserente, credere nihil esse nisi cum assensione cogitare: illam autem cogitationem, cum qua cogitando credimus adscribit gratiæ

S. Tho. q. 2. Art. 2. gratiæ Christi. Denique sæpiùs ostendi ad exercendam fidem supernaturalem duo tantummodo requiri ex parte obiecti, & vt revelatio existat realiter, & vt ita proponatur, vt nō possit prudenter negari: quæ reperiuntur in casu quæstionis. Ratio à priori est, quia obiectum formale est in sui cognitione independens à materiali per habitus abstractivos, & obscuros: cùm ergo authoritas & revelatio Dei sint obiectum formale fidei, habitus abstractivi, & obscuri, vt hic circa illa exerceatur, non est opus expectare assensum de obiecto materiali: quod liquet in sententia adversariorum, opinantium nō posse componi fidem, & scientiam circa mysterium revelatum: at verò omnes fatentur nos debere credere existentiam revelationis: Catholicus enim Philosophus, quamvis non teneatur credere fide Catholica existentiam Dei, quam scit; tenetur tamen credere Fide Catholica à Deo revelatam suam existentiam: ergo fides Catholica potest attingere authoritatem, & revelationem Dei, etiam in eo statu, in quo in sententia adversariorum nō potest attingere mysteriū revelatum. Quibus argumentis arbitror hanc sententiam satis esse confirmatam.

SECTIO. III.

Opposita sententia refellitur.

Impugn. §. 20. COMMVNIVS tamen cēsent authores nos per fidem infusam nullo vti discursu: sic dixit Capreolus in tertium distin. 24. quæst. 1. art. 3. ad tertium: Caietanus hic quæst. 1. art. 1. quem secuti Magister Bañez, & pleriq; eiusdem generis authores: Canus duodecimo de locis, cap. 3. Patres Valentia disput. & quæst. 1. puncto 2. Suarez in manuscriptis negans assensum Theologicum esse fidei, quia deducitur per discursum, & in libro de fide disp. 6. sect. 4. nu. 4. & 5. Luisius disputat. 6. dubio 2. & Arrubal prima parte, disputat. 5. num. 25. & 26.

Capreol. Caiet. Bañez. Can. P. Valent. P. Suarez. P. Luis. P. Arrub.

§. 21. 1. Arg. Probāt primò, quia eodē actu cognoscitur revelatio Dei, & mysteriū revelatum: ergo per fidē nō discurrimus: antecedens probatur à P. Arrubale ea disput. 5. num. 25. quia eodem actu credimus rem dictā esse à Deo, & quia sic est dicta à Deo, esse verè: secundò probatur, quia lux & color eodem actu videntur: ergo & revelatio & obiectum.

Resp. Nego antecedens, vt ostendi §. 17. Ad primā probationem respondeo, tribus actibus cognosci rem esse verè, quia dicta est à Deo: in maiori enim propositione, qua disponitur authoritas divina, credimus verū esse quidquid à Deo dicitur: in minori autem credimus hoc dici, in conclusione credimus hoc esse dictum verè: non quòd conclusio formalis dicat, *Incarnatio est verè, quia à Deo dicitur*; sed quia dicit, Incarnationem esse cū dependētia physica ipsius conclusionis formalis à præmissis formalibus. Secundam probationem non capio: an ne intellectus non discurret, quia oculi non discurrunt? oritur id in oculis, quia color se solo non potest facere speciem sui; potest autem revelatio, & mysterium.

§. 22. 2. Argum. Argumentātur secundò: quia si fides vteretur discursu, ille generaret habitum per se acquisitum, hoc autem est falsum: ergo.

Resp. 1. Respondeo primò: non satis probari ab his authoribus absurditatem illorum habituū. Secundò respōdeo negata maiori: ipsi enim authores dicunt ex actibus supernaturalibus intellectus, aut voluntatis nullum generari habitum per se acquisitum: cùm autem assensus ille discursivus sit supernaturalis, convenit cum cæteris in impotentia ad illos habitus. Eum verò esse discursum, nihil refert: primū quia voluntatis actus nō sunt minùs efficaces, quā discursus, ad eos habitus gignendos: vt constat in naturalibus; & quia facilitas, & delectatio ad operandum clariùs conspicitur in voluntate, quàm in intellectu; sed ex te actus supernaturales voluntatis non generant habitus supernaturales: ergo nec eos generat discursus supernaturalis. Secundò, quia actus præmissarum tàm efficaces sunt ad generandos habitus, quàm actus conclusionum: quia minùs certum est conclusionibus generari habitum, quàm præmissis: nam maior difficultas est in assensu præmissarum, quàm in conclusionibus: supposito enim assensu præmissarum est intellectus determinatus ad conclusionem: hoc autem non contingit in præmissis syllogismi obscuri, qualis est fidei: ergo circa præmissas est maior occasio habitum gignendi, quàm circa conclusionem, vt circa illas difficultas tollatur: sive ergo totus syllogismus obiectivus fidei vno actu, sive pluribus cognoscatur, eadem ratio est vtrobique, vt habitus gignatur, vel non gignatur.

§. 23. 3. Arg. Arguunt tertiò: quia discursus non potest inniti solis authoritati & revelationi Dei: ergo non potest esse actus fidei: probant antecedens, quia discursus innititur principio naturali, *quæ sunt eadem in vno tertio, sunt idem inter se*.

Confir. Confirmatur, quia discursus sequitur naturaliter ex connexione extremorum: connexio autem extremorum distinguitur ab authoritate, & revelatione Dei: ergo. Hoc argumentum proposui disp. 10. à §. 29.

Nunc

§. 24. Resp. 1. Nunc autem respondeo primò, eamdem esse difficultatem, etiam in sententia adversariorum ponente vnum, aut duos actus fidei, qui non sint discursus formalis; sed virtualis: etenim ille actus innititur communi principio: *quæ sunt eadem in vno tertio, sunt eadem inter se*: ideò enim assentimur obiecto revelato, quia assentimur huic syllogismo: *omne, quod Deus dicit, est; sed dicit Incarnationem: ergo Incarnatio est*: nec enim conclusioni præbemus assensum, nisi quia assensus illarum præmissarum nos cogit, non secùs ac in quolibet legitimo syllogismo: videant igitur adversarij vtrum in hoc syllogismo includatur aliquid distinctum ab authoritate, & revelatione Dei: & quidem non includitur: quia non est opus reflexè cognoscere principium illud Metaphysicum, aut aliud Logicum, actu reflexo; sed actu directo ipsa connexio extremorum nos movet: quia quælibet idemtitas creata duorum extremorum cùm vno tertio est ratio evidenter ducens in assensum idemtitatis extremorum inter se: hæc idemtitas non distinguitur à tribus terminis dispositis in præmissis: quia sæpiùs ostendi conclusionem obiectivam non distingui realiter à præmissis: item cum illa idemtitas extremorum cum medio nihil sit præter præmissas ipsas; & præmissæ ipsæ nihil sint præter authoritatem, & revelationem Dei, apertè concluditur obiectum formale nihil esse præter authoritatem, & revelationem Dei.

§. 25. Ad confi. Ad confirmationem respondetur, discursum semper sequi necessariò ex connexione extremorum cum medio: naturaliter autem potest intelligi dupliciter: primùm, vt sit idem, quod necessariò: sicque naturaliter sequitur: secundò, vt sit idem, quod & necessariò, & ex solis naturæ viribus: sic autem non sequitur naturaliter; sed supernaturaliter: quia ille actus non sequitur ex connexione extremorum naturalium cum aliquo tertio naturali; sed ex connexione rerum supernaturalium, cognitarum proportionatè: proportionata autem cognitio est supernaturalis: cùm ergo nihil sit in obiecto non supernaturale, totus syllogismus formalis est supernaturalis.

§. 26. Considera hic posse esse sermonem de cognitione reflexa de bonitate illationis; quam cognitionem aliqui volunt esse necessariam ad assentiendum conclusioni obiectivæ, vt conclusio est: sic verò nihil affertur contra me: quoties enim assentimur syllogismo obiectivo pluribus, aut vno actu, requiritur ea reflexa cognitio, quæ quidem spectat formaliter ad Logicam, & non ad scientias reales: Logica enim sibi vendicat reflexam cognitionem de bonitate consequentiæ; scientiæ reales prestant assensus ipsos. Si autem non requiritur hæc reflexa cognitio, minùs affertur contra nos: etenim ex parte obiecti illatio consequentiæ nihil est: est namque ipse actus conclusionis significatus hac voce *ergo*, qua ostendimus actum illum necessariò deduci ex præmissis. Quòd si aliquid est illatio ex parte obiecti, nihil est distinctum à syllogismo obiectivo fidei: qui nihil includit præter authoritatem Dei, revelationem, & mysterium revelatum: sequiturque naturaliter præmissas conclusio, sicut amor supernaturalis Dei sequitur naturaliter visionem: absolutè autem conclusio est libera, non quidem in se; sed in præmissis: sicut si vno actu cognosceretur totus syllogismus, ille actus esset quidem immediatè liber, non quidem ratione conclusionis obiectivæ; sed præmissarum: recognosce eam disputationem decimam à §. vigesimonono, ad trigesimum quintum.

Quartum argumentum: quia sequeretur actus fidei esse inæqualiter certos; hoc autem est absurdum: ergò. Maior probatur, quia præmissæ sunt certiores conclusione; sed essent aliqui actus fidei circa præmissas, & alij circa conclusionem: ergo essent actus fidei inæqualiter certi. Absurditas probatur, quia nihil est certius actu fidei. Respondeo primò, idem esse incommodum in oppositâ sententia constituente duos actus fidei: alterum terminatum ad vtramque præmissam simul; alterum verò ad conclusionem: hic vltimus erit necessariò minùs certus priore, quia *propter quod vnumquodque tale, & illud magis*: idem absurdum est in sententiâ constituente vnũ actum terminatum ad totum syllogismum obiectivum: qui vt terminatur ad præmissas certior est, quàm vt terminatur ad conclusionem: quia ad hanc propter illas terminatur: *& propter quod vnumquodque tale, & illud magis*. Quod confirmatur primò à priori, quia licèt sit vnus actus, semper terminatur ad præmissas propter ipsas; ad conclusionem verò propter easdem: ergo semper manet eadem ratio, *propter quod vnumquodque tale, & illud magis*. Si igitur fides habet duo obiecta: vnum dependens ab alio, & propter eam dependentiam petunt cognosci inæqualiter certò, quid refert id fieri vno, aut pluribus actibus §. 27. 4. Arg. Confir. 1.

S.Tho. q. 2. Art. 2. actibus: vide quæ de evidentia dixi §. secundo. Secundò explicatur exemplo actuū voluntatis: qui in omnium sententia inæqualiter terminantur ad finem, & ad media; in quibus valet hoc adagium commune: in multorum autem sententia vno solo actu amantur finis & medium: ergò in vno solo actu valet illud adagium: explicarique potest adorationis exemplo: eodem enim actu adorantur imago & exemplar; exemplar verò cum maiori æstimatione, quàm imago: nihil ergò nos vrget hoc argumentum; quin æquè premit suos authores.

§. 28. 2. Resp. Secundò respondeo, negando maiorem: ad probationem nego etiam maiorem: ostendi enim disput. 2. Logicæ sectione tertia, ibidemque explicui hoc adagium: *propter quod vnumquodque tale, & illud magis:* in solis actibus voluntatis valere, quia voluntas magis afficitur in finem, & maiori æstimatione, quàm in medium: eaque propter desinente complacentiâ, & amore in finem, desinit amor in medium: intellectus autem non fertur in obiectum propter æstimationem, sed rapitur ab illius evidentia, aut à principijs influentibus. Principia influentia in conclusionem fidei sunt tàm determinata ad veritatem actus, quàm principia circa actum de revelatione, quia ad revelationem concurrunt species supernaturales ipsius revelationis, & habitus supernaturalis fidei; ad conclusionem verò concurrunt ipse supernaturalis habitus fidei, & præmissæ formales supernaturales: in his tanta est determinatio ad verum, quanta in principijs actus circa revelationem. Quapropter cognitio mediata tàm certa est, quàm immediata, quando oritur à principijs tàm determinatis, quàm immediata: amor autem mediatus non est tantæ æstimationis, quàm immediatus ob rationem redditam.

§. 29. 3. Resp. Respondetur tertiò ad argumentum ex §. 27. negando minorem, nempè absurdum esse actus fidei esse inæqualiter certos: licèt enim sint duo tantum aut vnus actus in syllogismo fidei, tamen vel actus antecedens est certior consequente, vel vnus actus est inæqualiter certus comparatione præmissarum, & conclusionis obiectivæ, vt ostendi eo §. 27. Ad probationem minoris respondeo, quemlibet actum fidei esse certiorem, quovis actu naturali, vt quilibet actus charitatis est melior quolibet actu aliarum virtutum: at verò actus fidei sunt inter se inæqualiter certi; sicut actus charitatis sunt inæqualiter boni.

§. 30. 5. Ratio. Solutio. Quintum argumentum: quia fides in Angelo & homine sunt eiusdem speciei: sed fides Angelica non valet discurrere: ergò nec humana. Huic argumento do maiorem: in minori autem continetur falsitas: Angelus enim, quando cognoscit per species alienas, & obscuras, discurrit vt nos, quamvis cum maiori perfectione: vt ostendi disp. 12. Metaphysicæ sect. 4. Prætereà permitto huic argumento fidem in Angelo non posse vti discursu: nego tamen inde sequi nos non posse per illam discurrere: quia fides secundùm se est indifferens ad intellectum humanum, & Angelicum: in quovis autem exercet actus, ad quos ipse intellectus elevari potest: ratio ergò, ob quam homo per fidem discurrit, est imperfectio intellectus humani. Quemadmodum charitas viæ & patriæ est eadem, quamvis in patria necessariò feratur in Deum, liberè autem in via: illud enim discrimen non oritur ex charitate secundùm se, sed ex imperfectione aut perfectione cognitionis: vt quantitas est indivisibilis in cælo, divisibilis autem in ligno ob accidentium vtriusque substantiæ diversitatem.

§. 31. Obiectio. Obijcis: hinc sequi actus supernaturales fidei esse inæqualiter substantiales pro sola diversitate potentiæ naturalis: hoc autem à me non admittitur: ergò. Probatur maior: quia discursus in nobis oritur ex sola ratione nostri intellectus: quæ ratio in Angelis non reperitur. Respondeo. Responderi potest negata maiori, quia anima separata potest vti fide absque discursu, non aliter ac Angelus: ac propterea fides est eiusdem speciei. Hoc responsum verum quidem est de ipso habitu fidei vt est principium actuum absque discursu: quia ille actus esset vtrobique eiusdem speciei: at verò non probat non distingui specie discursum à non discursu: in Angelo enim nō potest esse discursus: in homine autem potest esse: sed discursus, & non discursus differunt specie: ergò ex sola diversitate intellectuum oritur diversitas actuum supernaturalium.

§. 32. Alia solu. Respondetur igitur ad argumentum: negando maiorem: illa enim diversitas oritur ab habitu fidei secundùm se: ad quod adverte, habitum fidei, quo nunc fungimur, esse virtualiter duos habitus: sunt enim possibiles duo, quorum alter per vnum, aut solos duos actus attingat totum syllogismum obiectivum fidei: alius autem habitus attingat totum illum syllogismum tribus actibus: hi duo habitus specie differunt: quia, qui posset vti discursu, non posset sine illo cognoscere inys-

mysterium revelatum; qui autem sine discursu id posset, non posset per discursum: hæc enim ita ponuntur ad explicationem doctrinæ: hæc diversitas non sumitur ex obiecto formali; sed ex modo illud attingendi. Quo posito, si eiusmodi duo habitus nobis simul infunderentur, non possemus dicere ex sola diversitate intellectus oriri in nobis diversitatem specificam discursus, & non discursus: oriretur enim ex ipso conceptu habituum: quorum vterque elevaret intellectum ad actus, quorum ipse intellectus esset capax per obedientialem potentiam.

§. 33. Idem contingit in fide, qua nunc vtimur: quæ cùm eminenter contineat illos duos habitus, ita illi soli debet tribui diversitas illorum actuum, non secus ac si orirentur à duobus habitibus; quando autem dicimus soli habitui tribui hanc diversitatem actuum, non excludimus intellectus immediatum influxum: neque item dico intellectum in genere potentiæ obedientialis non esse remotam caussam eius diversitatis: quamvis enim intellectus secundùm se nullum dicat ordinem ad habitus supernaturales: ipsi tamen habitus dicunt essentialem ordinem ad potentias naturales, quæ illis respondent, vt elevabiles: quòd si potentia non sit elevabilis, non est habitus, qui eam elevet. Quemadmodum nullum principium supernaturale potest elevare visum, vt audiat: ita, suppositâ repugnantiâ Angelici discursus, nulla fides potest elevare Angelum ad discurrendum: potest autem elevare hominem capacem discurrendi. Quando verò negatur inæqualitas actuum supernaturalium ex inæqualitate intellectuum, tantùm significamus eumdem habitum indivisibilem non posse elicere intensiorem cognitionem in vna potentia, quàm in alia: verbi gratia, Angelus & homo beati, perfusi æquali lumine, æqualiter vident Deum: ita anima separata, & Angelus æqualiter cognoscent per fidem: quia elevantur ad actus, quorum potentiæ sunt capaces: carentia verò discursus in Angelo, & discursus in homine non oriuntur ex isto modo influendi in actus, sed ex Angeli incapacitate ad discurrendum: quòd si per possibile, aut impossibile posset Angelus discurrere, elevaretur per hunc habitum ad discursum non perfectiorem eo, ad quem elevatur homo: quæ non contingunt in sententia constituente inæqualem visionem ex intellectu inæquali cum æquali lumine.

Sextum argumentum: quia sequeretur actum conclusionis esse immediatè necessarium: hoc autem est falsum: ergo. Probant minorem, quia nova gratia exigitur ad credenda mysteria fidei. Hoc argumentum attigi §. vigesimo secundo, & explicui §. vigesimo sexto. Respondeo, nunc primò eamdem esse rationem in sententiâ oppositâ constituente duos actus, alterum terminatum ad præmissas, alterum ad conclusionem: hic enim tàm necessariò sequitur ex vno illo actu, quàm in mea sententia ex duobus. Item eadem est difficultas in sententia constituente vnum actum ad totum syllogismum fidei: ille enim actus exigit gratiam, qua ratione liber est: est autem liber non proximè, & formaliter propter mysterium creditum; sed propter revelationem: quia hæc est, quæ liberè creditur, & propter eam liberè creditur mysterium: quod in se non habet novam rationem, vt indifferenter credatur; sed ex suppositione, quòd assentiamur revelationi, non possumus dissentiri mysterio. §. 34. 6. Arg. Resp.

Ad argumentum ergo respondeo ex duplici sententia in Logica: altera asserit conclusionem esse necessariam quoad speciem, & exercitium ex supposito assensu præmissarum: in qua sententia respondeo, non esse necessariam novam gratiam moralem, per quam de novo fit meritum in exercendo assensu conclusionis: quia gratia moralis præcisè requiritur ad opus liberum: hæc autem præcisè requiritur ad actus fidei, vt terminantur ad præmissas obscuras: ratione quarum conclusio est libera, bona, & gratuita: non verò immediatè in se: requiritur verò nova gratia physica, id est, novus influxus supernaturalis, ortus ab habitu per se infuso. Secunda sententia Logica est: conclusionē non esse liberam quoad speciem; esse tamen quoad exercitium. In qua sententia respondeo, non requiri novam gratiam moralem ad speciem actus; requiri tamen ad exercitium, ad quod est nova libertas. §. 35.

Septimò argumentatur: quia idem habitus non tendit in conclusionem & præmissas. Octavò quia Sanctus Damascenus, & alij Patres dicunt fidem non esse inquisitivam. Ad septimum respondeo primùm, maiorem esse difficultatem in sententia opposita: difficilius enim est vno actu totum syllogismum obiectiuum attingi, quàm vno habitu: quia habitus vniversaliores sunt actibus. Secundo respondeo, illud admitti posse in habitibus acquisitis; non tamen in per se infusis, §. 36. 7. Arg. Resp.

S.Tho. q. 2. Art. 3. qui more potentiarum porriguntur ad omnes actus circa suum obiectum formale, & materiale. Ad octavum eodem modo respondetur: inquisitionem obiectivam excludi à fide, id est, rationes demonstrativas solis naturæ viribus petitas à lumine rationis: at verò non excludunt Patres ex parte obiecti authoritatem, & revelationem Dei: hæcque vno aut pluribus actibus fieri, quid ad ipsos. Neque item excludunt authoritatem Ecclesiæ, miracula & alia; quæ communia sunt fidei discurrenti, & non discurrenti.

§. 37. *P. Suarez. Obiectio.* Pater Suarez disputat. 6. sect. 4. num. 4. argumentatur nono: authoritas Dei creditur propter revelationem: ideò enim ego eam credo: quia Deus eam dicit; hoc autem fit vno actu: ergo testimonium, & res testata cognoscuntur absque discursu: idemque erit in cæteris obiectis. Item ait, testimonium credi propter Dei authoritatem; cum enim aliquid loquitur, dicit in actu exercito se loqui. *Resp.* Respondeo hic circulum committi: credo enim, Deum esse veracem, quia id ipse dicit: credo autem ab eo id dici, quia credo eum esse veracem: ac si dicam, credo te esse bonum, quia es pius: & credo te esse pium, quia es bonus. Oportet ergò ad hæc vitanda statuere principia per se nota: vt ego non credo te esse veracem, quia loqueris; nec credo te loqui quia es verax; sed veracitatem tuam cognosco ex tuo intellectu, & frugalitate: loquutionem autem video.

§. 38. *Ad arg.* Ad argumentum respondeo: veritatem Dei in primo actu fidei esse per se notam, & non per revelationem: vt enim revelatio me moveat, opus est, vt ego existimem illam esse veram, quia est testimonium Dei. Item existentiam primæ revelationis non cognosco ex authoritate Dei: quæ tota potuit consistere sine vlla revelatione: veritas enim Dei est attributum necessarium, quòd non potest esse ratio cognoscendi contingentem revelationis existentiam: authoritas ergo Dei, & existentia revelationis sunt duo obiecta disparata cognoscibilia distinctis actibus Fidei. At revelationem iam existentem potest Deus per aliam reflexam revelare: tunc hæc reflexa est obiectum formale: directa vero materiale: item veritas Dei disposita in præmissis cum distinctione rationis potest ostendi in conclusione, vt definitum ex definitone verbi gratia *Deus, nec falli potest, nec fallere, sed dicit se esse primam veritatem: ergo est prima veritas.* Recognosco quæ dixi disputat. 16. de obiecto materiali Fidei: cùm verò Deus revelat Trinitatem, non revelat se esse veracem, nec in actu exercito, in quo tantùm revelat se revelare Trinitatem; id est, exercet, revelationem Trinitatis: & ita eam credimus, vt revelationem sui in actu exercito: id est, vt revelationem de Trinitate? id autem vno actu distincto ab eo, quo credimus authoritatem.

Infert Pater Suarez, si habitu credimus revelationem, & authoritatem vno actu: ergo semper id præstatur: quia credere sine discursu, fundat distinctum habitum à discurrente. Respondeo, non esse rationem eamdem: quia revelatio & authoritas mutuò pendent in cognitione fidei terminanda ex eius opinione: at non pendent à mysterio; sed creatio mundi, v. g. pendet ab authoritate, & revelatione: ergo credentur actibus distinctis. Probo cōsequentiam: quia quod est independens à cognitione, fundat prioritatem cognitionis comparatione pendentis: vt præmissæ prius cognoscuntur, quàm conclusio. Fundatur diversus habitus, si idem omninò obiectum cognoscitur, iam cum discursu, iam sine illo: non tamen si è duobus obiectis vnum cum discursu propter dependentiam, & aliud sine illo. Immò idem habitus per se infusus potest omnes eos modos; licèt non idem acquisitus. §. 39. *Obiectio.* *Resp.*

DISPVT. XXXX.

Utrùm & quæ fides fuerit omni tempore necessaria ad salutem.



NECESSITATEM fidei ad salutem explicat Sanctus Thomas quæst. 2. art. 3. ad 8. quam nos cum eo percurremus. Præsenti autem disputatione præcisè disputo de fide, quæ fuit necessaria omni individuo, & omni tempore. Possumus enim considerare diversos hominum gradus: rudes & ignaros: ingeniosos & doctos, & medios inter vtrosque. Rogo nunc, quæ fides ita fuerit necessaria doctis, & indoctis, vt absque illa nulli vmquam, nec contigerit, nec potuerit contingere salus? Quâ de re doctè, & eruditè agit Pater Valentia tomo tertio, disputatione prima, quæst. secunda, puncto 2, quem descripserunt Lorca & alij recen- §. 1. *Valent.*

recentes. Ea item de re differit Pater Suarez tota disp. 12. de Fide.

SECTIO I.

Nonnulla præmoneo.

§. 2. PRIMVM: necessitatem esse duplicem, alteram præcepti, alteram medij. Necessitas præcepti oritur ex aliqua lege, quam Deus tulit, vt faciamus aliquid; alioquin graviter contra eam legem peccantes, amittemus gratiam iustificantem, & amicitiam supernaturalem cum Deo: quam non recuperamus, nisi actâ pœnitentiâ. Necessitas autem medij oritur, vel quia ex natura rei non possumus assequi salutem absque ipso, vel quia ex institutione, & voluntate Dei non possumus illam assequi. Exempli gratia, non possumus habere dolorem de peccatis absque illorum cognitione: vndè cognitio est ex natura rei medium necessarium ad dolorem: item non possumus ab originali lavari, nisi per Baptismum: idque non ex natura rei; sed quia Deus ita decrevit: id non exigente peccato remittendo, nec gratiâ conferenda: Missis autem difficultatibus, quibus Doctores implicantur in distinguendis his necessitatibus; quæque propriè spectant ad disputationes de Baptismo, rem sic breviter explico. Necessitas præcepti oritur ex peccato, in quod labemur, nisi rem illam faciamus, quando possumus, & tenemur: illam enim tunc omittentes, amittimus gratiam per peccatum mortale: quòd si aut non possumus, aut non tenemur, non amittimus gratiam. Immò si rectè consideretur, præcepta res non dat positivè gratiam; sed tantùm removet prohibens, quia observatio præcepti removet peccatum transgressionis, quo amiteretur gratia. Quod patet, quia possunt iusti per actum indifferentem, immò & cum peccato veniali servare leges particulares, vt audire sacrum, & restituere aliena. Res autem necessaria necessitate medij positivè conducit ad gratiam, vel tamquam caussa instrumentalis, vt baptismus, vel tamquam principium & conditio; vt intellectus & cognitio respectu dispositionum voluntatis ad gratiam: suntque eiusmodi res tales, vt absque illis gratia non possit obtineri: esto non sit peccatum illorum omissio; quia fuit involuntaria.

Quæ habent necessitatem medij, nonnulla sunt necessaria in re ipsa, ita vt absque reali illorum existentia non possit obtineri salus: verbi gratia, parvuli absque fide habituali non possunt intrare in Regnum cœlorum: neque adulti absque actu intellectus possunt è peccato emergere. Aliæ vero res sunt necessariæ in re, vel in voto: id est, vel in re ipsæ suscipiendæ sunt, vel habendum est illarum votum: id est, actus charitatis, vel contritionis perfectæ: qui dicitur votum rerum omnium, quæ Deus constituit pro medio ad salutem. Et quamvis idem actus est etiam votum servandi omnia præcepta: differt tamen à voto rerum habentium necessitatem medij: quòd præcepta respicit contritio, non vt re ipsa servanda quovis tempore, etiamsi possimus; sed ea servanda cùm possumus, & tenemur: licèt enim rusticus possit hodie ieiunare, non tamen tenetur: tenetur autem baptizari, si potest: item contritio non respicit præcepta, nisi vt removentia prohibens: nec est contra contritionem aliqua præcepta servare per actum indifferentem: media autem respicit contritio, vt per se aliquo modo requisita in aliquo genere caussæ. Ratio à priori; quia contritio respicit obiecta necessaria, vt à Deo instituta sunt: sunt autem sic instituta, vt ostendi §. 2. ergo.

Salus etiã accipitur dupliciter: primùm pro prima salute: id est, pro iustificatione, quæ vel primò infunditur animæ absque expulsione peccati: vt Beata Virgo fuit sanctificata in ipso primo conceptionis instanti, vel cùm infunditur gratia expellens peccatum mortale: vt parvuli in Baptismo mundantur ab originali; & adulti in pœnitentia ab actualibus mortalibus. Vltima salus dicitur gratia finalis, & gloria: de his omnibus est quæstio, vtrùm fides sit necessaria ad illas? §. 3.

Tertiò præmoneo fidem in præsenti accipi pro habitu, & actu tendente in authoritatem & revelationem Dei, & propter hæc in mysterium revelatum: nec est quæstio de cognitione de Deo, habitâ per solã cognitionem creaturarum. Fides autem hæc potest esse supernaturalis, idq; duplici ratione. Primùm ex ipso habitu, qui absque dubio est infusus per se à Deo, & supernaturalis saltem quoad modum infusionis. Secùdò actus: fides verò sicut & spes, & amor possunt adeò esse imperfectæ, vt sint insufficientes ad iustificationem: hæc sunt, quæ nos possumus habere absque gratia per Christum: per quam gratiam possumus §. 4.

S.Tho. q. 2. Art. 3. habere alium modum perfectiorem credendi, sperandi, & diligendi, vt oportet ad salutē: virtutes igitur sic datæ ex gratia per Christum, sunt supernaturales: quia si dantur ex gratia: ergo non ex debito naturæ. Hæc supernaturalitas constituitur à nonnullis non in actuum substantiâ; sed in modo: quia dantur nobis præter debitum, & ex gratia per Christum, & ad finem vltimum. Alij verò aiunt supernaturalem esse earum rerum substantiam & modum. Quærimus igitur in hac secunda sententia, an omni tempore fuerit necessaria fides supernaturalis, quoad substantiam? in prima verò sentētia an fuerit necessaria fides supernaturalis quoad modum?

SECTIO II.

Fides explicita & implicita.

§. 6. FIDES est ab authoribus bipartita in explicitam, & implicitam: explicita vocatur à nonnullis ipse actus credendi: implicita verò ipse habitus. Quia igitur habitus vt caussa principalis continet eminenter actus credendi, dicitur fides implicita: explicita verò sunt ipsi actus: & quidem quandò caussa exercet suos effectus, dicitur virtutem suam explicare: quia caussa ante operationem, effectus suos habuit implicitos, & occultos; quos explicat, & explanat cùm operatur. Hæc divisio ita traditur à Durando in tertium distinct. 25. quæst. 1. num. 5. quem verbum pro verbo descripsit Paludanus eâdem distinct. vigesima quinta quæst. 1. initio: consentit Gabriel eâdem disputatione vigesima quinta quæstione vnica articulo primo notab. secundo. Ex qua divisione quicumque credit aliquem articulum fidei, habet fidem implicitam omnium credibilium: quia hic habet habitum fidei, qui vt est caussa principalis omnium assensuum, sic est fides implicita omnium credibilium. Quæ significatio satis est philosophica, non tamen satis communis: quam tamen §. nono, ostendam non multum differe à communiori significatione.

Durand. *Paludan.* *Gabriel.*

§. 7. *Almain.* Almainus in tertium distinct. 25. quæst. prima, & alij censent fidem implicitam esse, quæ terminatur in generali ad aliquid, ex quo valet consequentia ad particularia. Lorca hanc diffinitionem fidei implicitæ impugnat: quia ex vno mysterio ad aliud non valet consequentia; nam ex Trinitate ad Incarnationem non valet consequentia: verùm non attigit mentem huius definitionis: nec enim voluit Almainus ab vno mysterio ad aliud secundum se esse consequentiam; sed voluit fidem implicitā esse explicitam alicuius principij generalis, ex quo & alio principio particulari vero sequatur fides explicita alicuius mysterij: exempli gratia, quando credimus vera esse omnia, quæ continentur in scripturis, vel Ecclesiam verum affirmare in omni definitione legitima: ex his duabus propositionibus: *Scriptura dicit Christum esse mortuum*, &, *Ecclesia definivit gratiam esse inhærentem*, rectè sequitur: *ergo Christus est mortuus*, &, *gratia est inhærens*: quam definitionem sic explicuit Gabriel adductus §. sexto: quam corollario quarto confirmat ex Ocamo, addente eum habere fidem implicitam, qui ita credit omnia, quæ sunt in scriptura, & Ecclesia, vt nulli opposito pertinaciter adhæreat. Qua ratione constat hanc definitionem implicitæ fidei similem esse definitioni Sancti Thomæ subijciendæ §. nono.

Lorca.

Bañez quæstione secunda articulo octavo dubio secundo initio, ait fidem implicitam esse, quæ terminatur ad aliquem effectum non in se; sed in sua caussa: non placet hæc definitio: quia non credimus fide Catholicâ implicite Christū esse risibilem, quia hęc cōclusio est Theologica, & nō fidei: cū tamen risibilitas Christi contineatur vt in caussa adæquata in eius humanitate, quam fide explicita credimus. §. 8. *Bañez.*

Existimo fidem explicitam esse, qua per aliquem actum fidei assentimur alicui obiecto, proprijs terminis apprehenso: sive obiectum illud sit singulare, vel vniversale. Exempli gratia, cùm credo omnem hominem esse conceptum in peccato originali, & Christum esse mortuum: in qua conclusione nulla est controversia: fides autem implicita est habitus ipse credendi exercens aliquem actum explicitum de aliquo mysterio, cum animi præparatione ad credendum omnia, quæ tàm prudenter fuerint proposita, ac mysterium illud, cui assentitur. Hæc definitio colligitur clarè ex Sancto Thoma quęstione secunda articulo quinto: explicans enim quid sit credere implicitè, ait: *Quantum autem ad alia credibilia, non tenetur homo explicitè credere; sed solùm implicitè, vel in præparatione animi, inquantùm paratus est credere, quidquid divina Scriptura continet.* Cui consentit Pater Valentia disp. prima quæst. 2. puncto 2. versu *nam primo*: *implicita verò fides Christi* (inquit) *à Patribus semper* §. 9. *S.Thom.* *P. Valent.*

semper intellecta est contineri in aliquo alio actu supernaturali fidei, ratione cuius censetur quis paratus ad credendum explicitè mysteriũ Christi, cum fuerit propositum.

§. 10. Hanc fidem consistere in habitu, & actu probo, quia hæc fides est in ordine ad aliquem actum fidei, quem exerceremus circa aliud mysterium, si nobis proponeretur; sed ordo ad alium actum exercendum includit habitum, qui est connaturalis principium actuum: ergo. Præter habitum includi etiam actum probo, tùm ex communi consensu, quo censetur omnem fidem implicitam fundari in aliquâ explicitâ: tùm etiam, quia hæc fides implicita est aliquis actus explicitus fidei, qui non est in nobis propter insufficientem applicationem obiecti; interpretativè tamen est in nobis, quia taliter sumus affecti per fidem explicitam, vt actum illum exerceremus, si sufficienter nobis proponeretur obiectum. Ratio est manifesta, quia, qui fide Catholicâ credit aliquod mysteriũ fidei, habet actum piæ affectionis, quo illa explicita fides imperatur propter sufficientem applicationem revelationis: ergo si alia revelatio sufficienter proponeretur, prudenter censemus illam creditum iri: quia cum eadem sit ratio in vna revelatione sufficienter applicata, quæ in alia, rectè colligimus illum esse paratum ad aliam credendam: vt si quis vult non occidere Petrum, ne committat homicidium, iste interpretativè censetur nolle occidere Paullum, & si posiit. Vnde colliges actum illum, in quo continetur fides implicita, esse piam affectionem, qua imperatur fides explicita: quia animi præparatio in voluntate est.

§. 11. E quibus colligo omnem hominem semel exercentem vnum actum fidei Catholicæ circa quodlibet mysterium, habere fidem implicitam omnium, quæ à Deo revelata sunt, si rectè proponantur. Probatur, quia iste habet habitum fidei, item & actum imperatum à pia affectione imperante actum illum propter honestatem assentiendi absque formidine iis, quæ sufficienter proponuntur; sed eadem est ratio in cæteris omnibus, quæ rectè possunt applicari: ergo intelligitur habere animum paratum ad cætera credibilia sufficienter proposita. Hæc applicatio non fuit in omni tempore eadem: quia post promulgatum Evangelium applicatio est authoritas humana Ecclesiæ: quapropter communiter dicitur à Doctoribus illum habere fidem implicitam, qui paratus est credere omnia, quæ proposita fuerint ab Ecclesia: quia cum ipse fidem explicitam, quam habet, exerceat propter authoritatem Ecclesiæ, dùm perseverat in ista voluntate, paratus est credere, quidquid Ecclesia proposuerit: cùm autem omnis applicatio sufficiens conveniat cum authoritate humana Ecclesiæ in ratione applicationis sufficientis, qui semel movetur vnâ applicatione, paratus est ad credendum per alias, quas viderit sufficientes? Hoc accipe quando movetur ob rationem communem applicationis sufficientis. Hic agimus præcipuè de fide exercita ob authoritatem Ecclesiæ: existente autem hoc actu est animus præparatus ad credenda omnia, quæ proposuerit Ecclesia. At non disputo, si posiit quis credere per miracula, & non per Ecclesiæ authoritatem.

§. 12. Deduces item, per calumniam & mendacium Calvinum obiecisse Catholicis, eos censere fide implicita nihil credi, quia tantùm creditur, quod credit Ecclesia, ipse autem per se nihil credit: est, inquam, hæc calumnia mendax: quia qui fidem habet implicitam, habet explicitam fidem circa aliquam revelationem singularem existentem, quàm credit existere propter applicationem humanam authoritatis Ecclesiæ: vt autem Calvinus propter suam libidinem naufragium fecit explicitæ fidei, sic cum illa perdidit implicitam.

SECTIO III.

Nullus in vllo casu iustificari potest absque fide supernaturali.

§. 13. DICO primò, nullus post Adæ peccatum potest iustificationem consequi absque fide supernaturali data ex meritis, & gratia per Christum. Quam conclusionem esse de fide rectè probat. Pater Valentia disputatione prima, quæstione secunda: quàm satis eruditè probat ex Sanctis Leone, Augustino, Ambrosio, Chrysostomo, Basilio, & aliis: item ex Concilio Milevitano Canone quarto, & Arausicano Canone quinto, & Tridentino sess. 6. cap. 7. & Canone 8. lege S. Augustinum tomo 7. de natura & gratia, cap. 1. & 2. vbi probat, si nõ egemus fide accepta ex gratia per Christum, Christum pro nobis gratis mortuum esse, quia natura sibi sufficit; concludit autem: *Si autem non gratis* P.Valent.

S.Tho. q. 2. Art. 3. Aug. *gratis Christus mortuus est: ergo omnis humana natura iustificari, & redimi ab ira Dei iustissima, hoc est, vindictâ, nullo modo potest, nisi per fidem & sacramentum sanguinis Christi: natura quippè hominis primitùs inculpata, & sine vllo vitio creata est: natura verò ista hominis, qua vnusquisque ex Adam nascitur, iam medico indiget, quia sana non est.* E quibus patet S. Augustinum apertè statuisse contra Pelagianos, nullum hominem post peccatum salvum potuisse fieri, nisi per fidem datam ex meritis Christi, & non debitam naturæ. Item eodem tomo 7. libro 1. de prædestinatione Sanctorum cap. 2. docet credere esse donum Dei, quia nobis datur per cogitationem congruam, quæ non datur nisi ex meritis Christi: quod testimonium explicui disp. 38. §. 1.

§. 14. Ad Hebr. 11. 5. Hæc veritas apertè constat ex Paullo ad Hebræos 11. 5. *Fide Enoch translatus est: ante translationem enim testimonium habuit, placuisse Deo: sine fide autem impossibile est placere Deo.* Si probemus Paullum locutum de fide supernaturali ex gratia per Christum, actum est de opposita sententia: eum verò de ea fide locutum constat ex initio capitis, & ex fine capitis decimi: vbi dixerat, *iustus autem meus ex fide vivit*: item Ad Hebr. 10. definiens fidem, de qua & egerat, & erat Ad Hebr. 11. 1. acturus, eam sic definit, *est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium*: vbi non definit Apostolus scientiam aliquam naturalem, quæ propter evidentiam non est rerum non apparentium; sed ita conspicuarum, vt negari non possint. Hanc igitur fidem ait Paullus tàm esse necessariam, vt absque illa impossibile sit placere Deo. Quæ expositio est omnium Catholicorum.

§. 15. In quo sensu accipitur in Concilio Tridentino sessione sexta, capite quinto: vbi exordium iustificationis sumendum esse definit in adultis à præveniente gratiâ per Christum, hæcque præveniens gratia datur ad credendum: quia capite octavo, definitur ex communi Ecclesiæ consensu, & traditione, iustificationem oriri à fide, vt ab initio, fundamento, & radice omnis iustificationis: de qua fide ait, sine ipsa impossibile esse placere Deo, & ad filiorum eius consortium pervenire; quia verò illa fides nobis donatur omninò gratis absque vllis nostris operibus, docet Concilium hominem gratis iustificari. Capite autem septimo dicitur iustificatio fieri per sacramentum Baptismi, quod est sacramentum Fidei, sine qua nulli vmquam contigit iustificatio: Baptismus verò non est sacramentum Fidei naturalis; sed Christianæ. Denique capite 6. definitur modum præparationis esse, credendo divinâ gratiâ vera esse, quæ divinitùs revelata, & promissa sunt. Recensaque tota dispositione, cuius initium est fides ex gratia Christi, ait Concilium. *De hac dispositione scriptum est: accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & quòd inquirentibus se remunerator sit.* Trident. Tandem Canone tertio: *si quis dixerit* (inquit) *sine praevenientis Spiritus Sancti inspiratione, atque eius adiutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse à sicut oportet, vt ei iustificationis gratia conferatur, anathema sit.* E quibus patet, &, conclusionem hanc definitam esse Tridenti, & testimonium Paulli accipiendum esse ita, vt sine fide Christi nullus vmquam placuerit Deo, nec potuerit.

§. 16. Obiectio. Dices, hoc testimonio Paulli nihil probari: quia Paullus non loquitur de prima iustificatione; sed de perseverantia in semel accepta iustitia: ergo Concilium abs re Paullum explicuit. Probo antecedens, quia Henoch iustificatus fuit absque propria dispositione per sacramentum legis naturæ: consequentiam probo, quia plura requiruntur ad perseverantiam in gratia, quàm ad primam eius infusionem. Dices ea voce, *accedentem ad Deum*, significari omnem hominem, qui per iustificationem Deo placet, sive illam iustificationem de novo accipiat, sive perseveret in accepta. Contrà: quia Paullus tantùm explicat Henoch fide translatum, quia placuit Deo: at placuit illi perseverantiâ in lege observanda: quamvis enim illi placuit prima iustificatione; translatio autem fuit propter diuturnitatem eximiæ Sanctitatis: sicque impossibile est sine fide placere Deo.

§. 17. Resp. Respondeo, Paullum locutum fuisse de fide necessariâ ad primam iustificationem, item & ad perseverantiam in observanda lege Dei cum merito vitæ æternæ. Ad probationem, Procopius Gazæus censet Henoch fuisse peccatorem: cum autem tàm dignam pœnitentiam egisse, vt fuerit exemplo sanctitatis. Huius sententiæ nullum video fundamentum: sicut neque gravè video pro opposita: quæ enim sacri Doctores dicunt de singulari Sanctitate Henoch, possunt intelligi ante peccatum, & post pœnitentiam: videmusque in sanctissimis viris novi, & veteris testamenti multa flagitia, quæ per pœnitentiam eluerunt: David enim factus est secundùm cor Dei, fuit tamen adulter & homicida, illique fuit promissus Crhistus: neque mirum est peccatum aliquod

quod grave in homine non confirmato in gratia, quantumvis iusto.

§. 18. Censet Erasmus, Henoch fuisse filiũ hominum infidelium: qui, si ita fuerunt, non contulerunt filio Sacramentum legis naturæ: neque mirum hominem sanctissimum ab his esse natalibus: etenim Abraham credentium Pater filius fuit Thare idololatræ. Mihi probabilissimum est Henoch propriâ dispositione fuisse iustificatum, vel propter infidelitatem suorum Parentum, vel propter iniuriam in conferendo Sacramento. Tandem respondeo Paullum locutum de fide, quæ per se est necessaria ad primam iustificationem: quia quantum est ex parte fidei, eadem est omninò necessaria ad primam iustificationem & ad totam observationem legis: quia hæc lex includit necessariò actus sperandi, & fortè est etiam præceptum de Deo diligendo: diligere autem & sperare non possumus, prout oportet ad salutem, nisi credamus etiam, vt oportet ad salutem: hoc verò non fit absque gratia per Christum: quia igitur fides est immediatè necessaria, vt principium actuum diligendi & sperandi: & cùm hi actus reperiantur tã in prima iustificatione adulti, quàm in diuturna eius conservatione, ideò rectè dixit Paullus sine fide impossibile esse placere Deo: quòd si actus meritorios non potest exercere iustus absque fide, multò minus poterit exercere vltimam dispositionem ad gratiam.

§. 19. Ratione probatur eadem conclusio: quia actus voluntatis, quibus disponimur ad iustificationem, sunt supernaturales: ergo actus fidei est etiam supernaturalis. Probo consequentiam, quia actus voluntatis semper sequitur gradum cognitionis: vt enim singuli sensus sunt principium distinctorũ appetituum, & singulæ sensiones inferunt appetitiones diversas; ita diversæ potentiæ intellectivæ naturales, & supernaturales inferunt diversos affectus naturales, & supernaturales: & quidem Catholicis sufficit definitio Tridentina, constituẽs in aliquibus actibus intellectus insufficientiam ad credendum, vt oportet: hæc autem insufficientia est, quia illæ cognitiones non possunt excitare in nobis affectus supernaturales, quibus disponamur. Qui dicunt posse voluntatem supernaturalem oriri à cognitione naturali, dicent consequenter indigere quidem hominem ex parte voluntatis, gratia per Chistum: quia ad iustificationem non disponimur vltimò affectibus naturalibus: at verò ex parte intellectus nõ indigebimus fide per Christum; quia ex cognitione naturali potest oriri dispositio supernaturalis in voluntate adiuta gratiâ per Christum, de quo agendum contra Almainum §. 26. & sequentibus.

SECTIO. IIII.

Opinio Andreæ Vegæ.

ANDREAS Vega lib. 6. in Concilium Tridentinũ cap. 16. & 20. censuit duo: primùm frequenter & communiter nullum posse salutem consequi absque fide & gratia per Christum: secundò: in aliquo raro casu posse aliquem solis naturæ viribus disponi ad salutẽ, verbi gratia, siquis inculpatè ignorans mysteria fidei, observat legem naturalem: hic salutem consequetur. Quam doctinam tradiderat Sotus, eamque prudenter retractavit: est enim expressè contra Concilium Tridentinum & testimonium Sancti Paulli: damnaturque ab omnibus Theologis: vnde miror homines tàm doctos & pios, quales fuerunt Sotus & Vega, sententiam eam sibi persuasisse, quam damnat erroris Pater Suarez disputatione 12. sect. 2, num. 5. §. 20. *Opinio. Andreæ Vegæ.*

Ac primùm nulli vmquam hominum post Adæ peccatum iustificationem contigisse sine fide, testatur Trident. sessi. 6. cap. 7. his verbis: *Sacramentum baptismi, quod est Sacramentum fidei, sine qua nulli vmquam cõtigit iustificatio.* Baptismus autem est Sacramentũ fidei Christianæ, non verò demonstrationis naturalis. Item impossibile esse aliquem iustificari absque fide, testis est Paullus, asserens absque fide impossibile esse aliquem placere Deo: ostendens enim Henoch fide translatum, sic argumentatur: *Henoch trãslatus est. quia placuit Deo; sed fide placuit: ergo fide trãslatus est.* Minorem probat, *quia sine fide impossibile est placere Deo.* Itaque ex hoc principio vniversali probat singularem fidem Henochi: quæ argumentatio esset mutila, si aliquando potest esse salus absque fide: quia cum Henoch fuerit vnus è raris illis hominibus, quos possumus excogitare, certè posset aliquis dicere eum fuisse exceptũ ab hac lege communi. §. 21. *Impugn. ex Tridẽt.*

§. 22. Præterea; Concilium Tridentinum sessione 6. cap. 1. apertè definit omnes homines adeò servos fuisse peccati, & sub potestate Diaboli ac mortis, vt neque Gentiles, neque Iudæi solo suo libero arbitrio inde potuerint liberari, aut surgere. Titulus antẽ capitis est: *De natura, & legis ad iustificandos homines imbecillitate*: & cap. quinto describitur iustificationis exordium ex gratia per Christum: capite octavo ait humanæ

S. Tho. q. 2. Art. 3. salutis initium esse fidem: *sine qua impossibile est placere Deo, & ad filiorum eius consortium pervenire.* Tandem quæ Concilia, Augustinus, & alij Patres constanter asserunt gratiam nunquam dari pro operibus naturalibus; neque gratiam pedissequam esse naturæ, item gratiam iam non esse gratiam, si datur ex operibus solius naturæ: & Christum gratis mortuum esse, omnia, inquam, hęc nullius sunt momenti, si vnus homo solus possit salvus esse absque gratia per Christum ex solis naturæ viribus: quia simpliciter iam manent vires in natura humana ad assequendam beatitudinem absque gratia Christi: ille enim homo non habet maiores vires, quàm nos; sed fortè minores ob doctrinæ defectum: & quidquid ille potest facere, & nos possumus. Quapropter arbitror sententiam horum Doctorum esse hæreticam, ipsos autem fuisse admodum Catholicos & pios: quàm ita præstringunt P. Valentia disputat. 1. quæst. 2. punct. 2. versu *revincitur*, & P. Luisius disput. 25. dub. 1. versu *secundo dicendum*, & alij. *Valent. Torres.*

§. 23. *Obiectio.* Sed argumentatur Vega: quia potest cõtingere, vt aliquis cum ignorantia inculpatâ mysteriorum fidei, & cum cognitione evidenti existentiæ, & perfectionum Dei amet ipsum Deum, & propter ipsum servet legem naturalem pro brevi aliquo tempore illi occurrentem, non quidem cum tàm gravi difficultate, vt secum afferat impotentiam moralem; sed in præceptis levioribus & pro aliquo brevi tempore, in quo sit moriturus. Hæc non sunt impossibilia ex natura rei: hic homo adipisceretur gratiam iustificantem: quia *facienti quod est in se viribus naturæ, Deus non denegat gratiam.* Huic argumento respondent P. Valentia suprà

Resp. §. *respondeo ad hos*, & alij tunc hominem illũ instructum iri vel à solo Deo, vel per Angelum, ita vt sit capax fidei supernaturalis: neque hoc esse novum miraculum; sed connaturaliter esse ad providentiam Dei de nõ deneganda gratia propter merita Christi, facienti quod est in se: non ob meritum etiam congruum, nullum enim est in sola natura ad gratiam meritum; sed si Deus non denegat gratiam facienti, quod est in se viribus naturæ, est quia illa ratione homo non objicit impedimentum gratiæ Dei.

§. 24. *Ad Rom. 2.21.* Secũdò argumẽtatur ex nonnullis Apostoli testimonijs ad Rom. 1. 21. quia *cũ cognovissent Deũ, non sicut Deũ glorificaverunt, aut gratias egerunt*, vndè argumentor: ergo illi Philosophi manuducti solo lumine rationis potuerunt Deum glorificare. Quid indè? an nè propterea solis actibus naturalibus, (etiãsi elicerentur ex gratia per Christum) erant vltimo disponendi ad iustificationem? Nequaquam; sed opus erat novâ gratiâ per Christum ad illustrationẽ intellectus prout oportet ad salutem, ad quam non est potentia in sola natura: nec item ad contritionem.

Tertiò argumentatur ex cap. 2. ad Romanos 14. *Cùm enim gentes, quæ legem non habent naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt.* Respondeo primo Apostolum non loqui dẽ gentibus, nisi vt ex gratia per Christum illuminatæ supernaturaliter, servant legem Dei naturaliter, idest, sine scripto legis: qualis Iob, Abraham & alij: quæ expositio est Sancti Augustini lib. 1. de spiritu & littera cap. 27. & Sancti Thomæ prima secundæ, quæst. 109. art. 4. ad primum: monet enim rectè P. Valentia, vt peccatum est contra naturam, ita virtutem esse consentaneam ipsi naturæ, & recto eius dictamini, maximè vt dictamen oritur à natura elevata: quę expositio maximè est cõsentanea contextui: subijcit enim Paullus, *eiusmodi legem non habentes, ipsi sunt sibi lex: qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis.* Qua ratione gentiles iustos præponit Apostolus Iudæis iniustis: Iudæi enim habentes paratam gratiam per Christum, sicut & gentiles iusti, non servant præcepta scripta, magis quàm si scripta non essent: gentiles autem illo scripto carentes, exercendo bona opera ostendunt ea esse scripta in cordibus suis: idest, dictamen illud tàm altè insidere illorum cordi, vt ipsi sibi sint lex: id est, illo suo dictamine se censent obligatos, non secus ac Iudæi lege scripta: vndè ex hoc dictamine oriuntur cogitationes accusantes & defendentes, non secus ac Iudæis oriebantur ex lege scripta. Prætereà à multis intelligitur Paullus de gentibus observantibus levia aliqua legis præcepta ex solo dictamine rationis: quorum exemplo Apostolus arguit Iudæos. Hanc expositionem magis probat P. Valentia. §. 25. *Ad Rom. 2.14.*

SECTIO V.

Opinio Almaini.

QVI in tertium dist. 25. quæst. 1. versu *vtrùm autem*, docet potuisse aliquẽ exercere charitatem, quin exercuerit actum fidei: quia potuit mori post vsum rationis, quin potuerit cogitare de mysterijs fidei. Hæc sententia non est magis secura, quàm præcedens, quia Concilium constituit fidem per Christum esse initium, fundamentum, & radicem nostræ iustificationis, & sine ea fide nulli vnquam conti- §. 26.

contigisse salutem, & impossibile esse, vt aliquis absque illa possit pervenire ad consortium Filiorum Dei: item sine Spiritus Sancti inspiratione neminem posse credere, vt oportet ad salutem: ergo sine fide per Christum nullus potest iustificari.

§. 27. 1. Obiectio Dices primò: fidem esse necessariam necessitate medij in re, vel in voto: eiusmodi autem homo sic diligẽs Deum habet fidem in voto, quamvis non in re: sicut perfectè contritus assequitur gratiam, & beatitudinem, quamvis non suscipiat Baptismum in

Refell. re, quia illum habet in voto. Contrà: aut actus ille voluntatis est supernaturalis: aut naturalis: si naturalis, non potest esse votum fidei supernaturalis: quia votum medij necessarij ad salutem cõtinetur in aliquo actu supernaturali, qui est eiusdem ordinis cum gratia, cuius est votum: si autem votum illud est supernaturale, ergo oritur à fide actuali supernaturali eodem modo: patet consequentia ex §. 15. Concilium enim cõstituit ex parte intellectus aliquos actus possibiles viribus naturæ, qui propter suam imperfectionem nos non reddunt credentes prout oportet: ergò prius natura, quàm voluntas intelligatur sperans, aut amans prout oportet ad salutem, intelligitur intellectus dispositus ex gratia per Christum prout oportet ad salutem.

§. 28. Ad Hebr. 11. 6. Rem explico ex eodem Concilio, cap. 6. constituente primum omnium motuum fidem conceptam ex auditu, quam exercemus excitati gratiâ Dei: de quo primo motu adducitur testimonium Paulli, *oportet accedentem ad Deum credere quia est.* Credere autem per fidem conceptam ex auditu significat actum intellectus, ad quem nos physicè movit auditus: ipsis verò assensibus cõvenit per auditum intrare cum gratia Dei: hocque non convenit fidei in voto: quid enim est præter votum fidei, quod per te non intrat per auditum cum gratia Christi; sed per scientiam naturalem? capite item octavo illa fides dicitur esse fundamentum omnis iustificationis: votum autem fidei non est radix omnis iustificationis: quia multæ iustificationes incipiunt ab ipsa fide in re, & non in voto. Tandem Canone 3. ponuntur tres actus, aut quatuor ex gratia Christi, vt sint quales oportet ad salutem: primus omnium est fides: quæ ponitur ex parte intellectus: hæc sententia ex parte intellectus omnia ponit prout oportet ad salutem absque meritis Christi: quod quidem est contra Concilium ipsum: quia initium iustificationis sumitur ex intellectione, cũ qua connectuntur cæteræ dispositiones: at verò tale initium voluit Concilium esse ex fide per Christum.

Ratio à priori cur fides requiratur in re, & non in voto est: quia requiritur fides vt principium immediatum supernaturalium dispositionum voluntatis: quæ dispositiones nõ possunt oriri ab aliquo actu omninò naturali; quapropter necesse fuit, vt ex gratia per Christum daretur nobis cognitio supernaturalis, consentanea affectui supernaturali: & quemadmodum non potest esse appetitio sine cognitione, ita nec appetitio supernaturalis sine cognitione supernaturali: vndè fides ad hos actus non est medium necessarium ex institutione divina; sed ex natura rei: Baptismus autem non est necessarius ad gratiam ex natura rei; sed ex sola institutione divina: quæ loco baptismi acceptavit contritionem; quia congruè est sufficiens dispositio ad gratiam habitualem. Quare potuit cõtritio esse votum baptismi, non tamen eius assensus fidei, à quo dependet. Recognosce quæ ex Sancto Augustino dixi §. 13. ostendente credere esse cum assensione cogitare: illam autem cogitationem docet non esse ex natura; sed ex gratia. Adi Patrem Suarez disputat. 12. sect. 2. §. 29.

SECTIO. VI.

Alia difficultas.

ARGVMENTVM propositũ §. 19. probat quidem necessariam esse cognitionem supernaturalem ad dispositiones voluntatis congruas iustificationi; item probatur ex Concilio assensum illum debere esse ex meritis Christi: at non probat assensum illum esse necessariò futurũ fidei, id est, huius habitus fidei, quo communiter fideles credunt, aut loco illius ab auxilio extrinseco: fateor qui constituat assensum supernaturalem datum ex meritis Christi, nihil dicere contra fidem Catholicam. Apostolus enim & Concilium tantùm voluerunt probare imbecillitatem naturæ ad iustificationem, & remissionem peccati; item voluerunt ostendere quantùm egeamus gratia Christi: omnes enim peccavimus, & egemus gratiâ Dei: voluerunt item ostendere efficaciam meritorum & gratiæ Christi: quæ non solum potuit sanare naturam humanam; sed etiam elevare ad opera tàm admiranda: Assensum autem necessarium ad eiusmodi salutem, non esse alium nisi actum fidei strictè sumptæ, non voluerunt Paullus & Concilium tàm apertè, vt negari non possit citra errandi periculum: fidem enim accipiunt pro quocumq; assen- §. 30.

su

S. Tho. q. 2. Art. 3. §. 31. su supernaturali ex meritis Christi.

Quæ probo, quia ad placendum Deo per opera supernaturalia non requiritur fides determinatè: ergo sine fide strictè sumpta possumus iustificari & salvari. Probo consequentiam, quia per amorem supernaturalem Dei disponimur vltimò ad salutē. Antecedens probo primùm exemplo ipsius Christi, in quo non fuit fides propriè; sed scientia infusa, per quam ita Deo placuit, vt nos ipsi reconciliaverit. Secundò probatur in Beata Virgine, quam aliqui ostendunt non habuisse fidem strictè, sed scientiam infusam, per quam tàm mirè placuit Deo. Ratio à priori, quia fides præcisè requiritur ex parte intellectus, vt sit principium consentaneum supernaturalium affectuum, quibus & disponamur ad gratiam, & vitam mereamur æternam; sed illi affectus supernaturales possunt etiam oriri ab actibus supernaturalibus intellectus, qui non sint fidei, ergo. Minor probatur, quia omnis cognitio supernaturalis est principium affectuū supernaturalium circa suum obiectum. Quapropter P. Molina censuit ab habitu fidei & scientia naturali oriri posse vnum actum supernaturalem, & evidentem, quo possimus ad iustificationem disponi.

P. Molina

§. 32. Obiectio. Dices: definitur in Concilio Tridentino sess. & cap. 6. necesse esse ad iustificationem credere omnia, quæ divinitùs revelata & promissa sunt: ergo necessaria est hæc stricta fides. Resp. Nego consequentiam, quia per fidem infusam credimus omnia, quæ divinitùs revelata sunt: id est, ea nobis persuademus quàm certissimè assensu supernaturali, dato nobis ex gratia per Christum: ea, inquam, nobis persuademus propter revelationem ipsius Dei cognitam intuitivè, non tamen abstractivè, & obscurè. His constitutis oportet disquirere vtrùm fideles communiter vtantur aliâ cognitione à fide distinctâ?

§. 33. Obiectio. Dicet aliquis non esse necessariam fidem hanc: quia hæc fides exercetur per actus supernaturales piæ affectionis; hi autem actus piæ affectionis non oriuntur ab actibus ipsius fidei: ergò oriuntur ab alijs actibus supernaturalibus. Maior ponitur ex disputat. 45. & 46. minor probatur, quia actus fidei est posterior natura piâ affectione: ergò non oritur affectio pia ab illo actu fidei, quem pono esse primum quo liberè credimus.

§. 34. Evasio. Refell. Obijcies, esse mutuam caussalitatem inter actus fidei, & piæ affectionis. Contrà: hanc mutuam caussalitatem millies impugnavi, eam latiùs impugnaturus disput. 45. In præsenti autem clarissimè impugnatur: primùm, quia pia affectio habet pro obiecto actū ipsum credendi, quem imperat; sed non potest illū habere pro obiecto, nisi per alium actum distinctum ab ipso actu fidei: ergo pendet ab alio actu supernaturali distincto à fide. Probo minorem, quia actus fidei non repræsentat se ipsum, vt aliundè pono; sed precisè repræsentat authoritatem, & revelationem Dei, & mysterium revelatum. Secundò probatur, quia pia affectio in nullo priori naturæ potest considerari, quin tunc intelligatur in illo ipso priori existens cognitio, à qua ipsa oritur: ergo non potest oriri pia affectio ab illo actu fidei, quem ipsa imperat. Probo consequentiam, quia in illo priori, in quo intelligitur existens affectio pia, non potest intelligi actus fidei, vt existens: quia, vt sæpius ostēdi, inter ea, quæ sunt mutuò caussę, servatur hic ordo, vt in vno genere caussæ non includatur aliud: verbi gratia, si materia & forma sibi sunt mutuò caussæ, quando concipimus materiam vt existentem in suo genere, non concipimus in illo genere existentem formam. Antecedens autem probo: quia in quovis primo signo naturæ concipimus piā affectionem, vt voluntariam: ergo in illo priori concipimus cognitionem, à qua oritur: quia omne voluntarium est à principio intrinseco cognoscente. Prius igitur quàm intelligatur existens actus fidei, concipitur existens pia affectio, orta ab alia cognitione iam existente, à qua dicitur voluntaria: hæc autem cognitio est supernaturalis: ergo iam per actus supernaturales distinctos à fide exercemus supernaturales voluntatis affectus.

§. 35. Resp. Respondeo, amorem Dei, spem, pœnitentiam, & alios exerceri per fidem: hæc autem exercetur per prudētiam supernaturalem; ex qua oritur supernaturalis affectio imperans fidem. Quod patet, quia actus amoris Dei non exercentur, nisi per cognitionem repræsentantem Deum ipsum: hic verò repræsentatur per fidem, & non per prudentiam: ergo eiusmodi actus exercentur per fidem. Affectio autem pia oritur à prudentia, quia oritur ab illa cognitione, quæ supernaturaliter repræsentat actum fidei; sed actus fidei repræsentatur supernaturaliter per prudentiam: ergo. Maior patet, quia nō potest esse affectus circa aliquod obiectum, nisi præcognitum; affectus autem supernaturalis est à supernaturali præcognitione: minor patet, quia ad prudentiam spectat repræsentare actus virtutum, quarum exercitium hic & nunc expedire præscribit. Quòd si aliquando exerceatur fides absque expresso dictamine prudentiæ, quia voluntas, cognita obligatione credendi, liberè movetur, quin quasi reflexè aliquid prudentia

dentia dictet, tunc repræsentabitur actus fidei aliqua supernaturali cognitione repręsentante actum fidei. Quo pacto hæc contingant in hæretico se revocante ad fidem dicam disp. 60.

§. 36. *Quæst.* 1. *solvitur.* Rogas: cur ipso actu prudentiæ non moveatur immediatè voluntas ad amandum Deum, quem quidem repręsentat? Respōdeo obiectum prudentiæ esse convenientiam exercendi cæteras virtutes, quarum actus represensentat: obiecta autem illarum virtutum repręsentat valdè imperfectè, nihil de illis affirmando, aut negando. Amor Dei oritur à iudicio de existentia ipsius Dei: de qua existentia nihil iudicat prudētia, quia tantùm illam concipit vt terminum amoris, quem imperat: tantumque præcipit prudentia, vt ametur Deus, qui iam ponitur cognitus per alios actus. Ita prudentia nihil iudicat de revelatione divina; sed tantùm iudicat expedire hic & nunc exercere assensum absque formidine circa revelationem tàm prudentèr propositam: ex isto assensu oritur alius assensus circa existentiam Dei; & ex hoc assensu secundò oritur amor in ipsum Deum: nec enim prudentia habet pro obiecto obiecta aliorum habituum intellectus.

§. 37. 2. *Solvit.* Rogas: cur igitur initium iustificationis sumitur à fide, & non à prudentia? Respōdeo: sicut à fide nō excluditur affectio pia, quia ex vtroque actu conflatur moraliter actus fidei, ita nec excludi cognitionē illā, quæ necessaria est ad illum actum: adscribitur autem fidei, tùm quia in ipsā completur totus ille actus; tùm etiam quia actus fidei est, qui primò representat Deum, vt possit amari: ad quod est immediatè & proximè necessaria fides: cæteri actus sunt necessarij remotè ad amorem Dei.

§. 38. 3. *Solvit.* Restat disquisitio, vtrùm sine fide placere possimus Deo in aliquo bono opere? Respondeo: revocandas esse in memoriā duas sententias: alteram quâ asseritur hominem iustum mereri augmentum gratiæ, & gloriæ per actus moraliter bonos ordinis purè naturalis: in qua sententia impossibile est placere Deo sine fide habituali; possibile autem est sine actuali: secunda sententia meliùs docet, nos nihil supernaturale mereri nisi per actus in substātia supernaturales: eius authores censebunt sine fide actuali esse absolutè impossibile placere Deo: quia hoc sumitur pro illo genere operum, quæ in ratione dispositionis congruæ sufficiunt, vt accedamus ad Deum. Primam sententiam ego impugnavi in disp. de merito: vndè nisi opere supernaturali nihil augmenti gratiæ aut gloriæ meremur. Hęc autem opera oriuntur à fide tamquā à prima radice, quā per revelationem Dei cognoscimus omnium virtutum bonitatem. Posteà verò relinquuntur species supernaturales de honestate ipsorum operum, quæ ex gratia per Christū excitantur, & excitant affectus illarum virtutum, quin tunc cogitetur de actuali revelatione Dei: de quibus speciebus egi disp. 8. Quod si aliquis velit non esse opus revelatione Dei ad cognoscendam eam honestatem: respondeo eam requiri, vt cognoscatur aptè ad affectum supernaturalem: vel saltem aliquo actu supernaturali cognoscetur ea honestas, quoties exercetur actus supernaturalis.

DISPVT. XXXXI.

Vtrùm necessitate medij credendum sit explicitè Deum esse, & remuneratorem esse.

DICO primò: ad exercendos actus supernaturales, quibus augeatur gratia & gloria non esse necessarium semper cognoscere Deū esse remuneratorem. Hæc conclusio probatur, quia Deus cognitus secundum se per actum supernaturalem fidei habet sufficientem bonitatem ad terminādum amorem supernaturalem; & ex parte principij est sufficiens virtus ad illum efficiendum: ergo absque cognitione remunerationis potest Deus amari supernaturaliter. Concilium Tridentinum fidem exigit de remuneratione ad primam iustificationem adultorū: vt patet ex tota sess. 6. qua agitur de liberis dispositionibus gratiam præeuntibus: cùm autem cap. 10. ageret de incremento acceptæ iustificationis, non exigit eam fidē actualem ad exercendas virtutes: quorum exercitio definitur cap. 16. augeri gratiā & gloriam. Quod autem Paullus dixit, *iustus autem ex fide vivit*, intelligitur de fide in ipsum Deum, quando post acceptam iustificationem eum diligit: tunc enim eum cognoscit fide supernaturali: item vivit ex fide obiectorum, quæ amat: at nō est opus ad singulos actus cuiusque virtutis meminisse remunerationis. In quam sententiam omnes Theologos convenisse video. §. 1. 1. *Conc.* *Concilio. Trident.* *Ad Rom.* 1, 17.

§. 2. 1. *Obiectio* Dices: hæc non cohærere cum ijs, quæ dixi disp. 40. §. 18. vbi dixi, *accedere ad Deum*: esse operari per charitatem vltimo disponentem, quantum est ex se ad iustifica-

S. Tho. q. 2. Art. 3. *Resp.* ficationem. Quid ni? ibi enim actum est de fide supernaturali requisita in intellectu: quam ostendi esse supernaturalem, quia nullus actus charitatis supernaturalis potest oriri à cognitione naturali: nec enim ibi actum est de necessitate obiectorum credendorum: habitus autem fidei & charitatis non differunt in se, prout sunt in prima iustificatione, & in eius incremento: at cur requiratur fides remunerationis ad primam iustificationem, ostendam §. 5.

§. 3. 2. *Conclu.* Dico secundò: ad perseverantiam diuturnam in bonis operibus, & vitam æternam sic obtinendam necessaria est fides remunerationis æternæ. Hæc conclusio satis insinuatur à Paullo ad Hebræ. 11. 6. *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & quòd inquirentibus se remunerator fit:* vbi accedere non solùm significat primam iustificationem; sed etiam longam perseverantiam. *Ad Heb. 11. 6.* Rationem reddunt S. Chrysostomus tomo 4. homilia 22. ad Hebræos & alij: *vt autem placeret Deo* (inquit Chrysostomus) *caussa erat fides: nisi enim agnovisset, quia recepturus esset retributionem quomodo placuisset Deo?* Spe igitur redditur iustus animi æquior ad tolerandas ærumnas, ne vitam amittat æternam. *Chrysost.* Recognosce Patres Riberam, Iustinianum, atque Cornelium, eum locum exponentes: & quidem Paullus expectationi futuræ civitatis, & spei remunerationis æternæ sæpius adscribit egregia facinora Mosis, Abrahæ, & aliorum. Concilium item Tridentinum sess. 6. cap. 16. vt probet fructum bonorum operum, præcipit proponendam esse vitam æternam benè operantibus vsque in finem, & in Deo sperantibus: quasi censeat impossibilem esse eam perseverantiam oblitis retributionis. *Trident.*

§. 4. *Obiectio.* *Resp.* Dices, charitatem sufficere ad perseverandum in lege, ipsa enim omnia sperat. Adverte non dici à Paullo, aut Concilio necessarium esse actum spei propriè dictæ, vt distinguitur à charitate, & alijs virtutibus; sed necessariam esse cognitionem retributionis, quam per charitatem amare possumus ex formali charitatis obiecto: est enim ferventior actus charitatis, qui oritur ex cognitione bonitatis divinæ, vt clarè concipitur, vt fons & scaturigo retributionis æternæ: tunc enim & Deus amatur propter eam bonitatem, & propter hanc amatur eius retributio: propter quam, vt propter proximum obiectum formale, possumus ferre patienter ærumnas.

§. 5. 3. *Conclu.* Dico tertiò: ad primam iustificationem adultorum requiritur explicita fides de existentia, & remuneratione Dei. Probatur apertè ex testimonio Paulli ad Hebræ. 11. 6. *Credere enim oportet accedentē ad Deū, quia est, & quòd inquirentibus se remunerator sit.* *Ad Hebr. 11. 6.* Quod testimonium de primâ iustificatione interpretatur Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 6. describens enim modum præparationis ad iustificationem impij, docet necessariam esse fidem, de qua hæc ait, *de hac dispositione scriptum est: accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & quòd inquirentibus se remunerator sit.* *Trident.* Cùm autem hæc pendeât plurimùm ex voluntate Dei, nullo efficaciori argumento probantur, quàm authoritate ipsius Dei proposita ab Apostolo: propter cuius testimonium ita sentit Ecclesia vniversa: rationem reddam respondens ad argumenta.

§. 6. *Obiectio.* Contra quam conclusionem sic argumētor: fide divina potest cognosci Deus secundum alia attributa distincta à remuneratione: ergo poterit tunc amari propter illa attributa. Antecedens patet, quia retributio divina non est magis intrinseca naturę Dei, quàm alia attributa; sed sine quovis attributo in singulari potest Deus cognosci: ergo poterit etiam cognosci absque retributione in singulari. Primam consequentiam probo, tùm ex §. 1. tùm etiam quia omnis cognitio supernaturalis de bono maximè tàm excellenti, & vndique infinito potest excitare illius amorem.

§. 7. Dices ad hoc argumentum, necessariam esse fidem implicitam attributi remunerationis; non verò explicitam. Contrà: iam est dare manus: fides enim implicita non est simpliciter, & formaliter fides eius, cuius est implicita; sed fides secundum quid & interpretativè: neque per fidem implicitam credimus; sed parati sumus credere: neque verò hoc attributum creditur magis, quàm cætera: immò omnia mysteria fidei credit implicitè, qui credit vnum: vt ostendi disp. 40. §. 2. cùm igitur Apostolus, Concilium, & Doctores exigant fidem huius attributi magis, quàm aliorum mysteriorum, non exigunt fidem implicitam, cæteris communem; sed explicitam eius mysterij, sicut & existentiæ Dei.

§. 8. *Respond.* Respondeo argumento proposito §. 6. ex S. Chrysostomo tomo 4. homilia 23. ad Hebræos, Deum in prima iustificatione non revelari, quin etiam reveletur eius æterna retributio, his verbis: *Sine fide impossibile est placere Deo: quomodò hoc? credebat enim quia si quis crediderit esse Deum, etiam retributionem habebit.* *Chrysost.* Inferiùs autem id probat, quia, qui negant providentiam Dei, censent omnia evenisse casu: concludit autem, *vides, quia nisi crederemus de omnibus, non tantùm de retributione; sed etiam de eo ipso quòd sit Deus, labuntur nobis omnia, & non stant.* Hæc necessitas cognoscendi hoc attributum oritur præ-

præcipuè ex voluntate ipsius Dei: qui quãdo voluit se in ea occasione alicui revelare, voluit revelare vtrumque: quæ ex scriptura & Cõcilijs colligimus. Ad quod suppetunt duæ rationes, altera physica; altera moralis: physica est, quia Deum non cognoscimus immediatè; sed per creaturas, quæ illius potentiâ conditæ sunt, & sapientiâ gubernantur: cùm autem omnipotentia cognoscatur mediatè per creaturas, item & providentia, commodè Deus vtramque revelat, nempè existentiam & providentiam ad quam spectat remuneratio. Estque hoc discrimen inter hæc attributa, & alia, quod hæc ex creaturis priùs nobis fiunt obvia; cætera verò per longiores discursuũ anfractus: si autem Deus revelaretur absque providentia, videretur revelari Deus aliquis improvidus; qualis ab Aristotele censebatur: dicendum ergo providum revelari.

§. 8. Ratio moralis est, quia homines ægrè movemur ad amorem Dei super omnia: quia ille amor nos avocat à voluptatibus, quæ nos trahunt: quibus difficile valedicimus, nisi allecti meliorum voluptatum expectatione: vt igitur homines per virtutis difficultates rectâ irent in cœlum, noluit Deus ad amorem suum ita nudè vocare, vt eisdem non proponeret æternum vitę pondus: quæ clarè constant ex cap. 11. ad Hebræos 16. *Ideò non confunditur Deus vocari Deus eorum, paravit enim illis civitatem*: cõsidera rationem, ob quam Deus revelata facie gloriatur se esse Deum Sanctorum Patrum, quia paraverat illis multò illustriorem civitatem, quàm ipsi pro eo reliquerãt, ne ipse in conferendo præmio videretur esse deparcior, quàm ipsi in spernendis caducis his rebus: neque frustrà id Deus effecit: ea enim spe armati Patriarchæ cum mundo pro Deo aperto Marte pugnarunt, vt constat ex versu 24. eiusdem cap. 11. *Fide Moyses grandis factus negavit se esse filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quã temporalis peccati habere iucunditatem, maiores divitias æstimans thesauro Ægyptiorum improperium Christi: aspiciebat enim in remunerationem.* Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 6. describit communem ordinem iustificationis primùm esse à fide, secundò à timore, tertiò à spe, quartò à charitate: ijs enim gradibus frequenter homines accedunt ad Deum.

Ad Hebr. 11.16. — Ad Hebr. 11.24. — Trident.

§. 9. Ad arg. Ad argumentum è §. 5. in forma nego maiorem de prima cognitione per fidem: quia tunc Deus non revelat vnum sine altero propter rationes adductas §. 6. & 7. ac propterea fide divina aut vtrumque creditur, aut neutrum. Immò non solum in prima iustificatione; sed etiam cùm primùm puer baptizatus in lege gratiæ, aut in scripta circumcisus, conservata iustificatione sacramentali, exercuit charitatem in Deum, id facit per fidem de existentia, & remuneratione; quia cùm Deus velit se illis ostendere præponendum rebus omnibus, non confunditur vocari illorum Deus, illis simul etiam ostendens, quam illis civitatem paraverit: exercitis autem primis charitatis actibus in Deum, non est necesse semper cum existentia Dei repetere remunerationem: iam enim Deus cognitus est qualis sit, & per auxilia gratiæ vberioris eos excitat ad simplicem, & nudum amorem sui, quo nullum commodum proprium amant, neque per charitatem.

DISPVT. XLII.

Vtrùm existentia Dei cognoscatur vt naturalis, an vt supernaturalis?

NCIPIMVS disquirere qualitatem obiectorum, quæ fide divina sunt necessariò credenda: nunc de existentia Dei est cõtroversia, vtrùm sit credenda vt ens spectans ad ordinem naturæ; an verò vt ad ordinem supernaturalem? Censeo non esse necesse cognoscere existentiam Dei, nisi vt est ens naturale. Quæ sententia communis est omnibus ferè Theologis, & interpretibus, exigentibus in obiecto fidei supernaturalitatem, non ex parte existentiæ Dei; sed ex parte solius remunerationis. P. Suarez disp. 12. sect. 3. num. 4. vbi reprehendit Canum, & eius expositionem. Probatur primò, ex disputat. 30. §. 20. vbi ostendi ad veritatem testimonij Apostoli non requiri, nisi vt cognoscatur existentia Dei secundum se: ille enim, qui ita credit, absolutè credit Deum esse. §. 1. — Conclus. — P. Suarez. — 1. Probat.

§. 2. Secundò probatur, quia existentia Dei non est formaliter supernaturalis, secũdùm quod est existentia; sed secundùm quod est omnipotentia, & providentia: ergò qui concipit existentiam secundùm se præcisam à providentia, & omnipotentia, non cõcipit formaliter supernaturalitatem Dei. Probo antecedens: quia Deus dicitur ens supernaturale, vt est principium & author creaturarum supernaturalium; sed hanc rationem principij non habet per existentiam conceptam in ordine ad existendum præcisè; sed per omnipotentiam, & providentiam:

S. Tho. q. 2. Art. 3. dentiam: ergò qui concipit existentiam Dei, vt præcisam ab omnipotentia, & prouidentia, non concipit formaliter supernaturalitatem Dei.

§. 3. 1. Obiectio Refell. Dices, existentiam Dei esse in se supernaturalem. Contrà: etiam est immensa, & æterna, & ornata infinitis attributis; quæ tamen non cōcipiuntur formaliter ex præciso existentiæ conceptu: ergo eâdem ratione non concipietur formaliter supernaturalitas; Dei existentia autem vt concipitur ex naturalibus creaturis dicitur existentia naturalis: quia concipitur vt existens necessariò cognitione necessaria & naturali, concipitur verò in ratione existendi cum negatione omnis caussæ, à qua dependeat, tàm perfectè, ac si conciperetur per creaturas supernaturales: quia Dei independentia à rebus omnibus, & eius necessitas, & infinitudo in ratione essendi tàm perfectè cognoscitur ex his creaturis, quàm ex alijs: supernaturalia enim non ostendunt magis, quàm naturalia repugnantiam processus infiniti in caussis per se.

§. 4. 2. Obiectio Refell. Obijcies, cognosci esse in Deo virtutem quasi perfectiorem, quando cognoscitur vt ens supernaturale. Contrà: non reperitur id in existentia secundum se; sed in omnipotentia & prouidentia: ergo quantum est ex parte existentiæ eodem modo respondet Deus cognitus per creaturas naturales, & supernaturales: quia per vtrasque respondet vt independens ab alio, & infinitus in ratione entis, siue existētis: quia cognoscitur nullam habere caussam, à qua finē accipiat in essendo. Sunt igitur credenda hæc duo, *Deus est, & remunerator est*: prima propositio est de obiecto ratione distincto ab obiecto secundæ: cùm autem hoc obiectum, vt sic distinctum, tantùm dicat fundamentum negationis caussæ, & limitis in essendo, per quemcumque cognoscatur effectum, cognoscitur æquè independens & absque limite.

§. 5. Confir. Confirmatur: cum cognitione existentiæ Dei præcisæ à supernaturalitate, & cum cognitione prouidentiæ supernaturalis, possumus exercere actum supernaturalē amoris Dei, spei, & aliarum virtutum: ergo non requiritur ad iustificationem cognitio existentiæ supernaturalis Dei. Consequentia patet, quia actus charitatis supernaturalis in Deum est vltima dispositio congrua ad iustificationem: Deus enim diligentes se, diligit: & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in illo. Antecedens probo: quia fide supernaturali possumus credere existentiam Dei præcisam à supernaturalitate; ergo & amare. Consequentia liquet, quia cognitio supernaturalis vim habet excitandi supernaturalem affectum circa suum obiectum. Antecedens probo primùm, quia indoctus carens demonstratione de existentia Dei, tenetur fide Catholica credere existentiam Dei, etiamsi non proponatur vt supernaturalis: potest enim illi credenda proponi hæc existentia, vt est naturalis, quam tunc tenetur credere fide Catholica.

§. 6. 1. Obiectio Respond. Dices primò, non posse Deum, vt est ens naturale, terminare supernaturalem amorem. Contrà primò: ostendam disputat. 43. §. 32. posse ens naturale esse obiectum actus supernaturalis. Contrà secundò: quamuis obiectio vim habeat in entibus creatis; eam tamen non habet in Deo: quia eius existentia est intrinsece & in se supernaturalis; id est, supra omnes naturas: item ipsa est principium, aut ratio se ipsam immediatè videndi: ergo potest terminare supernaturalem affectum. Probo consequentiam: quia vt aliquod obiectum terminet aliquem actum supernaturalem, non est opus vt cognoscatur clarè, & distinctè, vt est supernaturale. Rustici enim & infinit Catholici exercent fidem Catholicam circa reuelationem supernaturalem, ignari vel obliti conceptus supernaturalis reduplicatiuè: item obiectum illud supernaturale est: cur ergo non poterit cognosci, & amari actu supernaturali? Deinde existētia Dei, vt naturalis est, perfectior omni creatura supernaturali, sed ratione perfectionis possūt hæc obiecta terminare actus supernaturales: ergo ex parte existentiæ Dei, vt est naturalis, est fundamentū ad terminandum actum supernaturalem, Quod confirmo: quia non potest intuitiuè videri vt est naturalis, nisi visione supernaturali. Confirm.

§. 7. 2. Obiectio Dices secundò, Deum ita posse cognosci & amari quantum est ex se, & sæpè ita contingit; at verò prout oportet ad primam iustificationem obtinendam, & perseuerandum in gratia, numquam reuelabitur Deus, nisi cum existentia, & remuneratione supernaturali, vt in simili dixi disp. 41. §. 9. Contrà: testimonium Paulli, definitio Tridentina, & consensus Ecclesiæ nos cogunt, vt credamus id esse, & vestigare rationes, ob quas id expediuerit; at verò nihil horum vrget, vt id asseramus de existentia supernaturali: ergo. Probo minorem, quia si semel ponamus reuelatam existentiam naturalem Dei, & supernaturalem remunerationem, rectè potest Deus non confundi, vocari Deus iustorum, quia illis parat ciuitatem meliorem: iusti item rectè possunt dici respicere remunerationem magnam: & pluris æstimare futuram gloriam, quàm præsentis peccati iucunditatē: ergo cessant omnes Resp.

omnes rationes ad quærendam hanc supernaturalem existentiam Dei, quæ supersunt ad quærendam absolutè existentiam Dei, & remunerationem æternam.

§. 8. *Caiet.* Caietanus explanans testimonium Paulli ad Hebræos 6. ait testimonium Paulli intelligi de existentia supernaturali Dei: quem secutus est Melchior Canus duodecimo de locis cap. 4. Quorum præcipua argumenta sunt: primum, quia Philosophus Christianus non posset habere fidem de existentia Dei: quia per demonstrationem eam cognoscit evidenter: cum quâ demonstratione componi non potest fides de eodem obiecto; verùm iam ostendi disp. 30. rectè posse componi fidem & scientiam. Quod inde probatur, quia necesse est credere fide Catholicâ existentiam Dei: hæc autem est demonstrabilis: ergò rectè possunt componi demonstratio & scientia. Quòd si dicas teneri Philosophum distrahi; iam respondi eâ disp. 30. §. 23. Cætera argumenta Melchioris Cani non probant supernaturalitatem existentiæ Dei; sed remunerationis. De quo longum iam certamen ineo.

§. 9. *Confirm.* Confirmatur: difficultas Cani & Caietani, eosdem vrget. Qui enim cognoscit existētiam supernaturalem Dei cum remuneratione supernaturali, cognoscit aliquod prædicatum demonstrabile: de quo Philosophus habet scientiam, & fidem. Quia cognoscit hoc prædicatum *Deus est*: imbibitur enim in prędicato entis supernaturalis: cùm enim existit ens supernaturale, verè ens existit: hoc ergo prædicatum, vt abstrahitur à naturali & supernaturali, est demonstrabile.

§. 10. *P. Suarez.* Pater Suarez disp. 12. de fide sect. 1. nu. 6. asserit fidem supernaturalem ex obiecto formali esse necessariam: numero autem 8. id explicat de authoritate infallibili Dei: quam censet esse supernaturalem. Iam dixi §. 6. existentiam Dei esse supernaturalem intrinsecè: quia si comparetur omnibus existentijs, est supra omnes: item potest secundùm se terminare actus supernaturales: si enim immediatè videtur Deus sine vllo respectu ad creaturas, comparatione quarum est supernaturalis; quis dubitet eum actum fore supernaturalem. Nullum enim prædicatum intrinsecum Dei potest videri solis naturæ viribus.

§. 11. *Confirm.* Quod ita confirmo: gratia non potest proportionatè cognosci, nisi actu supernaturali: quia eius perfectio est in excellentiori gradu; sed existentia Dei vt naturalis est in excellētiori gradu, quā gratia: vt nemo negavit: ergo nō potest cognosci proportionatè nisi actu supernaturali. Quod argumentum est evidens: & facilè confutantur omnia, quæ possunt responderi.

Ne tamen deseramus asserentes, Deum cognosci actu naturali, vt est ens naturale: distinguo eam voces *naturale* & *supernaturale*. Potest enim accipi vel ex parte obiecti purè terminantis, vel ex parte obiecti etiam efficientis: Deus vt purè terminans, potest cognosci actu naturali, vt est obiectivè supernaturalis: & vt est naturalis, potest terminare actum supernaturalem. Quia ego possum de supernaturalitate Dei formare conceptum improportinatum: vt cùm hæreticus dissentitur revelationi supernaturali; immò & cùm assentitur, dùm est hæreticus circa alia obiecta: item eius naturalitas obiectiva potest cognosci intuitivè; & cum simili proportione, qua cognoscitur gratia. §. 12.

At verò, Deus vt obiectum concurrens activè, vt naturale, non potest cognosci actu supernaturali. Quia hæc reduplicatio afficit actionem, & concursum in actu secundo: id est, præbet eum præcisè concursum, qui debetur naturæ, qui est naturalis, ex quo oriri non potest actus supernaturalis: item concurrens vt obiectum efficiens supernaturale, non cognoscitur actu naturali. Quia reduplicatio afficit actionem supra naturam: quæ non efficit actum, nisi supra naturam. Dico ergo, Deum posse concurrere vt obiectum terminativum naturale, & simul vt efficiens supernaturale. Nec opus esse vt ex parte obiecti expresè concipiamus supernaturalitatem: pauci enim id sciunt; sed cognoscuntur prædicata demonstrabilia, concurrente ipso Deo per efficientiam supernaturalem. §. 13.

DISPVT. XLIII.

Vtrùm per fidem sit necessariò credenda supernaturalitas remunerationis?

DIFFICVLTAS hæc gravissima est: Scholastici enim Doctores conantur ostendere, credendam esse remunerationem supernaturalem Dei: idque tàm constanter, vt existiment id esse fide sanctum: quod favente Deo examinandum suscipio, expensurus momenta rationum, quibus trutinant sententiam suam. §. 14

S.Tho.q. 2.Art.3.

SECTIO I.

Prima sententia affirmans.

§. 2. *S.Thom.* SANCTVS Thomas quæst. 2. art. 3. docet expressè necessariam esse cognitionem alicuius obiecti supernaturalis: verùm toto illo articulo nihil agit de necessitate medij cognoscendi supernaturalitatē remunerationis æternæ: quāvis enim dicit debere cognosci terminum, ad quem movemur, qui est visio beata, quę in vera sententia S. Thomæ est supernaturalis quoad substantiam; tamen non dicit necessariò cognoscendam esse eam expresso conceptu supernaturalitatis: nec item voluit eam esse cognoscendam necessitate medij: loquitur enim abstractè de necessitate medij, aut præcepti: præcepto autem nos teneri ad cognoscendum aliquod obiectum supernaturale ostendam disputatione quadragesima quarta. Explanans verò S. Thom. testimonium Paulli ad Hebræos 11. non meminit de necessitate cognoscendi supernaturalem remunerationē expresso conceptu supernaturalitatis.

§. 3. *Caiet.* Caietanus in eum articulum versu *patet secundò*, docet necesse esse cognoscere retributionem æternam, vt supernaturalem expresiè; non tamen docuit id esse necessarium necessitate medij: quamvis explicans Paullum ad Hebræos 11. satis indicat hanc esse necessitatem medij, cùm & existentiam ipsam Dei voluerit concipi expressè, vt supernaturalem: vnde non dubito, quin Caietanus fuerit ab hac sētētia, quā nō solū

Bañez. tuetur Dominicus Bañez articulo 8. dub. 1. versu *sit prima conclusio*, sed etiam ait

Aragon. eam esse proximam fidei Catholicæ. Aragon art. 3. conclusione 2. dicit oppositam sententiam esse gravissimum errorem: censet enim eā non esse minùs periculosā, quā sententiam Vegæ damnatam ab eodem Aragone conclusione prima.

§. 4. *Valent.* Pater Valētia disp. 1. q. 2. punct. 2. initio, eam sententiam statuit certam ex communi consensu Theologorum: versu autem *revincitur etiam*: docet errorem esse opinari non esse lege communi necessariam cognitionem de obiecto supernaturali, necessitatem, inquam, medij. Petrus Lorca disp. 19.

Lorca. num. 3. mitior fuit in oppositā sententiam, quam tantùm censuit non esse probabilem.

P.Luis. Pater Luisius secutus communem sententiam, abstinuit à censura disp. 25. dub. 1. P. Suar. disp. 12. sect. 3. num. 8. communem sequutus opinionem, censuit eam minùs esse certam sua conclusione 2. & oppositā adscribit aliquibus.

SECTIO II.

Præmonitio.

PRÆMONEO magnum esse discrimen inter has duas propositiones: *necessaria est fides supernaturalis, & ex gratia per Christum: necessaria est fides supernaturalis habens explicitè pro obiecto materiali obiectum aliquod supernaturale expressè cognitum vt tale.* Prima propositio præcisè significat esse necessariū, actum & habitū fidei esse in se supernaturales, & conferri ex gratia per Christū: sivè intellectum ex gratia per Christū esse elevatū principio supernaturali, quo ex parte potētiæ & modi tēdendi attingat obiectū supernaturaliter: sivè obiectū illud sit naturale, vel supernaturale: quemadmodū, cū propter revelationē Dei credit mundū esse factum: obiectū materiale est naturale; modus autē tendēdi est supernaturalis: quia habitus & actus sūt supernaturales quoad substātiā: & hic oriūtur ex habitu proportionato attingente authoritatē, & revelationem supernaturalem Dei. Ecce circa obiectum naturale modum supernaturalem tendendi! §. 5. *Animad.*

At verò secunda propositio præter hunc modum tendendi constituit aliam supernaturalitatem ex parte obiecti credendā necessitate medij. Nonnulli authores confundunt has duas propositiones, ijsdēque argumentis probant vtramque: vnde concludunt secundā non esse minùs certā primâ. Quo graviter falluntur, & notā inurūt sentētiæ hæreticæ ei, quæ nequaquā est hæretica. Primam enim propositionem de fide esse ostendi disp. 4. à §. 13. ex manifestis testimonijs Apostoli, & Cōcilij: secunda autē nec videtur insinuata vt iam probo. §. 6.

SECTIO. III.

Expenduntur aliqua testimonia Patrum.

PATER Valentia argumentatur primò ex Sancto Irenæo lib. 5. cap. 20. asserente Ecclesiæ Catholicæ traditum esse lumen Dei: quod explicat P. Valētia de lumine supernaturali. Verū S. Irenæus non agit de fide, vt est necessaria ad primam salutem; sed de fide Catholica existente in Ecclesia: per quam fidem salvat Deus omnes homines: per quā Ecclesia prędicat veritatē in portis civitatis: quā fidem qui abijciūt, hæretici sunt: fine qua fide nullus potest salutē consequi: etenim sine fide obie- §. 7. *Explicat. Irenæus.*

obiectiva nullus regnum adipiſcetur: nempè, ſi negetomnia, quæ fides docet: ſine fide autem ſupernaturali ſe tenente ex parte intellectus nullus poteſt Deo placere: hæc traduntur ab Irenæo: at de propoſita quæſtione nec meminit ibi. Probat ergo Irenæus primã immò propoſitionem propoſitam §. 5. non verò ſecundam. Pater Suarez ea diſput. 12. ſect. 3. num. 8. adducit Irenæum pro oppoſita.

§. 8. *Baſil. Obiectio.*

Sanctum Baſilium adducit homilia in Pſalmnm 115. cuius hæc ſunt verba: *Sacrorum, quæ de Deo ſunt, eloquiorum prædux eſt fides planè, non item demonſtratio: fides, inquam, animam invitans, immò & perſuadens ad conſenſionem præ cunctis rationalibus methodis.*

Reſp. Reſpondeo, Baſilium ibi nec de hac ſententia cogitaſſe, neque meminiſſe de obiecto neceſsitate medij credendo ad ſalutem: eius animus eſt confutare ſciolos aliquos Philoſophos, per argutias ſcrutantes potiùs myſteria fidei, quàm credentes: *Credere enim* (inquit) *oportet, quia Deus eſt; non item in quæſtionem vocare, aut controverſim opponere illud: quid eſt Deus?* Conaturque oſtendere Baſilius fidem niti argumentis multo efficacioribus, quàm Philoſophiam: recenſo enim miraculo ſanitatis claudo reſtitutæ per Petrũ, ait: *dic tu, quæſo, vtra res ad aſſentiendum fidei efficacior, & quæ magis vrgeat? propoſitionumne implexi nexus ordine conſequentiæ ſecum attrahentes concluſionem; an veriùs tantum illud miraculum omnium oculis conſpicuum?* Ob hanc cauſſam dixit fidem habere vim animo perſuadendi præ cunctis rationalibus methodis: non comparavit ibi obiecta naturalia, & ſupernaturalia; ſed vim motivorum fidei, quæ ſunt miracula, quæ *exuperant quantivis hominis virtutem*. Præterea fides ſuperat rationales methodos ob authoritatem, & revelationem Dei, à quibus certior eſt omni ſcientia naturali. Quod autem dixit fidem eſſe præducem eloquiorum Dei, non verò demonſtrationem; rectiſsimè dixit: quia obiectum formale fidei eſt eloquium Dei, quod non attingit demonſtratio: loquitur item Baſilius generatim de fide, cuius infinita obiecta non poſſunt ratione veſtigari; eſto nonnulla demonſtrentur, verbi gratiã, exiſtentia Dei, & mundi creatio in tempore.

§. 9. *Chryſoſt. Obiectio.*

Sanctus Chryſoſtomus non magis favet adductus tomo quarto, homilia 32. in Ioannem: *vbique* (inquit) *fide nobis opus eſt, dilectiſsimi: fide, inquam, bonorum matre, ſalutis medicinâ, ſine qua nullam magnarum rerum doctrinam percipere quiſpiam poteſt:* paulo autem inferiùs comparat navi abſque anchoris fluctuanti eum, qui ſuis nititur rationibus ante cognitam veritatem. Quamobrem cenſet P. Valentia hic agi de fidei obiecto ſupernaturali; *P. Valent.* nequaquam tamen: agit enim de naufragis fidei propter repulſam conſcientiæ bonæ: *Reſp.* vult autem Chryſoſtomus ne moveamur rationibus noſtris, quando nobis perſuadent oppoſitum fidei Catholicæ: at verò non negat Chryſoſtomus poſſe cognoſci remunerationem lumine naturæ, quemadmodum neque id negat de exiſtentia Dei: ad credendum autem plurimùm iuvamur conſonantiâ aliquorum myſteriorum fidei cum lumine rationis: non ergo egit ibi Chryſoſtomus de obiectis neceſsitate medij credendis ad iuſtificationem; ſed de rationibus, quibus manuducimur ad credendum omni tempore. Pater Suarez eo nu. 8. arbitratur, S. Chryſoſtomum ſtare ab oppoſita ſententia. *P. Suarez.*

§. 10. *Ambroſ. Obiectio. Reſpond.*

Sanctus Ambroſius lib. 2. de Cain & Abel cap. 2. *ante omnia* (inquit) *fides nos commendare Deo debet.* Reſpondeo à S. Ambroſio nihil ibi dici de re huius quæſtionis; ſed præciſè aſſerit à nobis quærendam in primis fidem, vt *cùm eam habuerimus, elaboremus, vt opera noſtra perfecta ſint.* Quæ quidem veriſsima ſunt, quamvis iuſtificari poſsimus abſque expreſſa cognitione remunerationis ſupernaturalis. In Pſalmum autem 37. commendat quidem fidem, quia eſt noſtræ ſalutis hoſtia, aut pretium: non tamen propterea neceſſariò credenda eſt ſupernaturalitas remunerationis ad primam ſalutem. Ex Sancto Ambroſio infinitis in locis apertè docetur, fidem eſſe Dei donum lib. 1. de vocatione gentium cap. 8. lib. autem 2. cap. 9. hæc ait: *Vt illam fidem, ſine qua nemo ad Chriſtum venit, ex Patris haberi munere noverimus.* Quibus apertè probatur, habitum, & actus fidei ſupernaturales, conferri nobis ex gratia Dei, & non ex debito naturæ: at neceſſariò eſſe credendam ſupernaturalem remunerationem non inſinuat Ambroſius.

§. 11. *Aug.*

Affertur Sanctus Auguſtinus tomo tertio, libro 13. de Trinitate cap. 20. *neceſſaria* (inquit) *eſt ergo fides, vt beatitudinem conſequamur, omnibus humanæ naturæ bonis, id eſt, animi & corporis:* ait autem Pater Valentia diſtingui ibi à S. Auguſtino fidem à naturæ bonis, tamquam aliquid vndequaque ſupernaturale. *P. Valent.* Reſpondeo Auguſtinum locutum de actibus ſupernaturalis fidei: *Reſp.* & quamvis hæc ex Sancto Auguſtino eſt diſtincta ab omnibus naturæ bonis, tamẽ ibi eã non diſtinguit; ſed ait beatitudinem eſſe omnibus humanæ na-

sed probabile tantùm: cùm ergo vtraque opinio de obiecto naturali diligendo per actum supernaturalem sit probabilis: quod certum est ex hoc testimonio Paulli, est, non posse esse accessum ad Deum, nisi per fidem supernatutalem: hunc autem accessum esse cognoscendo obiecta naturalia aut supernaturalia, probabile relinquitur vtriusque opinionis authoribus.

§. 16. Canus. Ad Hebr. 11.6. Obiectio. Persistit Canus locutum Paullum de remuneratione supernaturali: quia cap. 11. ad Hebræos 6. dixit: *sine fide impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit.* Cùm autem ostendisset Abraham ea fide Patriam reliquisse, subijcit versu 10. *expectabat enim fundamenta habentem civitatem, cuius artifex & conditor Deus.* Versu autem 14. inquit, *qui enim hæc dicunt, significant se Patriam inquirere*: & versu 16. *nunc autem meliorem appetunt*, id est, *cælestem.*

§. 17. Resp. Respondeo, sine actibus supernaturalibus fidei, impossibile esse placere Deo: qui actus in primâ iustificatione necessariò terminandi sunt ad existentiam, & remunerationem æternam Dei: at verò hæc esse concipienda, vt naturalia determinatè, vel vt supernaturalia determinatè, non dixit Apostolus. Quod affertur Abrahamum expectasse meliorem Civitatem non est è re, ad probandam supernaturalitatem obiecti fidei in prima iustificatione, quia, quæ credidit Abrahamus, non adducuntur vt necessaria ad iustificationem omnium; sed præcisè adducuntur, vt ostendatur Abrahamum expectatione melioris civitatis patriam reliquisse: quod quidem non est argumentum necessitatis obiecti supernaturalis necessariò credendi in prima iustificatione: quamvis enim Henoch iustificatus fuisset absque cognitione obiecti supernaturalis, potuisset Abrahamus expectatione civitatis supernaturalis relinquere naturalem.

§. 18. Confir. Quæ apertè confirmo exemplo Mosis, qui versu vigesimo quarto, dicitur ab Apostolo prætulisse improperium Christi Regno Ægyptiorum: ergo Moses per fidem explicitam Christi, & eius passionis, & improperiorum reliquit Ægyptum; sed hæc fides expressa passionis Christi non est exacta omni tempore necessitate medij ad singulorum primam iustificationem: ergo, quæ Paullus recenset de fide singulorum Patriarcharum, non fuerunt singulis fidelibus necessaria omni tempore. Paullus nullum indicavit peculiarem actum, quo claruerit Henoch, sicut refert de singulis Patriarchis: tantùmque dixerat translatum Henoch, quia Deo placuerat: vndè intulit illum fide esse translatum: quia cùm nullus possit placere Deo sine fide de existentia & remuneratione Dei; ex eo quòd Henoch placuerit Deo, intulit obiecta, quæ necessariò credenda sunt singulis, qui accedunt ad Deum: cùm autem de cæteris Patriarchis multa dixisset præclara facinora, explicuit eorumdem fidem.

§. 19. Ad Hebr. 11.35. Clarius id constat ex versu 35. *non suscipientes redemptionem, vt meliorem invenirent resurrectionem*; sed non omnes indigent cognitione resurrectionis, nec omnes antiqui Patriarchæ eam habuerunt ex sententia Sancti Chrysostomi tomo quarto, homilia 32. ad Hebræos, his verbis: *Nihil tale apud se ipsum dixit, neque cogitavit; sed hæc & huiusmodi cuncta pertransiens intellexit; quoniam si est Deus, omnibus modis etiam retributio erit, cùm nihil adhuc de resurrectione scirent: si autem illi, qui de resurrectione nihil sciebant, & in hac vita contraria videbant, sic placuerunt Deo: quanto magis nos? illi enim neque de resurrectione aliquid sciebant, nec exempla, quæ intenderent, habebant.* Vt ergo acceperunt mulieres de resurrectione mortuos suos, per fidem eiusdem resurrectionis, quin eâ fide expressa eguerint singuli fideles ad iustificationem; ita multa crediderunt Abrahamus, & Moses, quibus non egemus simpliciter necessitate medij ad iustificationem omni tempore. Chrysost.

§. 20. 3. Obiectio Bañez. Dominicus Bañez quæstione secunda, articulo octavo, dubio primo, §. *sit prima conclusio*, hac coniectura probat locutum Paullum de remuneratione supernaturali: quia Paullus eo capite 11. ad Hebræos, definijt fidem substantiam sperandarum rerum: id est, fundamentum rerum, quas speramus: argumentum non apparentium, id est, convincens intellectum sine apparentia obiecti, & certificans eum de obiecto non viso: ergo loquitur Paullus de necessitate fidei de obiecto non viso; sed retributio naturalis est obiectum visum: ergò loquitur de alia retributione supernaturali; sed hanc fidem dicit Paullus esse necessariam ad salutem: cui argumento vires addit P. Suarez disp. 12. tota sect. 3. num. 8. nec oculis vidit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ Deus præparavit. Respondeo, fidem illam, quæ singulis iustis necessaria est ad salutem, esse substantiam sperandarum rerum: quia est primus actus ad iustificationem necessarius, voluntatē movens ad amandum Deū cum gratia P. Suar. Resp.

S.Tho. q. 2. Art. 3. per Christum; quia verò homini sic diligenti, & iusto debetur vita æterna supernaturalis speranda, ideò fides est fundamentum illius: item est fundamentum illius remunerationis, quæ necessariò est cognoscenda in omni iustificatione adultorum: item eadem fides est argumentum nō apparentium etiam in omnibus actibus, quibus cognoscimus aliquid demonstrabile: etenim fides est argumentum revelationis divinæ, quæ non apparet credenti, etiam si obiectum revelatum sit existentia Dei, aut mundi temporaria creatio: est igitur fides in omni suo syllogismo argumentum non apparentium.

§. 21. Hinc patet eamdem fidem circa omnes cōclusiones obiectivas, etiā aliundè demōstrabiles esse argumentum non apparentium: quia credenti non apparēt per fidem neque per eius obiectum formale: actus enim, qui à sola fide eliciuntur, tàm obscuri sunt, quàm si obiecta essent indemonstrabilia. Quòd si vnus numero actus oriatur à fide, & scientia, respondetur illum esse evidentem; non tamen ex concursu fidei, nec ex eius obiecto formali, quòd sēper est obscurum; sed ex accedente scientia naturali; quæ per accidens coniungitur fidei: Paullus autem definijt fidem secundum se, & quæ ex suo conceptu habet non verò, quæ ab extrinseco & per accidens. Hinc nego loqui Apostolum de retributione supernaturali, cognita expresè vt tali: sed tātùm de retributione æterna vt sic: quæ, quamvis sit visa per naturalem demonstrationē iustæ providentiæ Dei, est tamen nō visa per fidem: cuius obiectū formale semper est obscurum. Ea bona oculus non vidit; quia re ipsa sunt supernaturalia; at non dixit Apostolus ea expresse esse cognoscenda ad salutem primam.

§. 22. *Ad Rom. 4. 4.* Idem Bañez argumentatur ex cap. quarto ad Romanos quarto: *ei autem, qui operatur, merces non imputatur secundùm gratiam, sed secundùm debitū, ei verò, qui non operatur, credenti autem in eum, qui iustificat impium, reputatur fides eius ad iustitiam secundum propositum gratiæ Dei.* Respondeo primùm:

4. *Obiectio Respond.* non dici ab Apostolo esse necessariam fidem expressam de iustificatione impij: sed tantùm dici: *credenti in eum, qui iustificat impium*: id est, credenti in Deum clarè & expressè, eum autem esse iustificatorem creditur materialiter; non verò formaliter & expressè. Secundò respondeo omni credenti in eum, qui iustificat impium, clarè & expresse cognitum in ratione iustificatoris, imputari fidem ad iustitiam; quemadmodum omni credenti cætera mysteria fidei, quorum expressa cognitione non egetur omni tempore ad iustitiam: at verò non propterea omnis imputatio ad iustitiam, debet esse per fidem iustificationis: neque item illa iustificatio, necesse est, vt cognoscatur vt supernaturalis in substantia; sed sufficit si cognoscatur hominem acceptum fore Deo, nihil cogitando de modo, quo id fit. Nonnulli enim scholastici dicunt hominem iustificari, non quidem ex natura alicuius qualitatis inhærentis; sed ex voluntate Dei illâ vtentis ad iustificandum.

SECTIO V.

Explicata testimonia Cōciliorū.

EX Concilijs argumentantur primò hi Doctores, ex canone 4. Conc. Milevitani: cæterùm totus ille canon est contra Pelagianos: quo statuitur non solùm necessariam esse gratiam per Christum ad cognitionem, vt oportet ad salutem; sed etiam in voluntate nos egere eâdem gratia. Pelagius enim admisit gratiam Dei ex parte intellectus: loquutus quidem subdolè; per gratiam intelligens extrinsecam prædicationem doctrinæ; negavit autem necessitatem gratiæ per Christum interiùs moventis. Item eam negavit in voluntate: hunc errorem damnat ille canon his verbis: *cùm enim dicat Apostolus, scientia inflat; charitas verò ædificat: valdè impium est, vt credamus, ad eam, quæ inflat, nos habere gratiam Christi; ad eam, quæ ædificat, non habere: cùm sit vtrumque donum Dei, & scire quid facere debeamus, & diligere vt faciamus: vt ædificante charitate, scientia non possit inflare.* Quibus cùm exigatur necessitas gratiæ ad credendum, vt oportet ad salutem, nulla fit mentio obiecti supernaturalis: quo ergò fundamento potuerunt authores deducere hic definitam necessitatem obiecti supernaturalis, cùm de obiecto nulla sit ibi memoria. §. 23. *Explicat. Concilia.* *Error Pelagij.*

§. 24. *Obiectio. Arauf. 2.* Adducunt præterea Concilium Arausicanum secundum can. 5. cuius hæc sunt verba: *si quis sicut augmentū, ita etiam initium fidei ipsum credulitatis affectum, quo in eum credimus, qui iustificat impium, & ad regenerationem baptismatis pervenimus, non per gratiæ donum, id est, per inspirationē Spiritus Sancti corrigentem voluntatem nostram ab infidelitate ad finem, &c.* Respondeo nullum ibi fieri verbum de obiecto fidei; sed tantùm de ipsis actibus credendi, ad quos egetur inspi- *Resp.*

inspiratione Dei: neque item ibi agitur determinatè de actu fidei ad salutem necessario necessitate medij singulis hominibus omni tempore; sed agitur de omni actu fidei Christianæ, cuius initium & augmentum semper est donum Dei: & quemadmodum Concilium Milevitanum fuit contra Pelagium excludentem gratiæ necessitatem ad omne opus bonum: ita Arausicanum fuit contra Semipelagianos, admittentes necessitatem gratiæ ad augmentum fidei Christianæ, non verò ad initium fidei eiusdem: cùm autem hæc sententia asserat ad fidem Christianam provt oportet ad salutem esse simpliciter necessariam gratiam Christi, non solùm ad prosequendum; sed etiam ad incipiendum credere, quid obiectant horum Canones Conciliorum.

§. 25. *Trident.* Tandem obijciunt Concilium Tridentinum sessione sexta. Quòd tamen nec leviter præstringit oppositam sententiam. Capite enim primo, secundo, tertio, quarto, quinto, sexto, septimo & octavo; item Canone primo, secundo & tertio definitur necessitas gratiæ per Christum ad credendum prout oportet ad salutem, & imbecillitas naturæ ad iustificationem. Quamvis enim cap. sexto, dicat Concilium eum, qui iustificatur, credere ea, quæ *divinitùs revelata & promissa sunt: atque illud in primis, à Deo iustificari impium per gratiam eius & per redemptionem, quæ est in Christo Iesu*: tamen non agitur ibi de necessarijs ad iustificationem singulis hominibus & omni tempore; sed de necessarijs ad iustificationem per Baptismum: ad primam enim iustificationem non requiruntur hæc omnia omni tempore, & necessitate medij; sed illa præcisè requiruntur, vt credamus Deum, & eius remunerationem: quæ constant ex eo cap. 6. & sic creduntur explicitè ea duo, quæ revelata & promissa sunt, in omni iustificatione: præter quæ alia creduntur in Baptismo.

SECTIO VI.

Expenduntur argumenta.

§. 26. *1. Arg.* ADVERSARIORVM argumenta non probant plus quam necessitatem actuũ supernaturaliũ, & gratiæ per Christũ: credere autem obiectũ aliquod supernaturale necessitate medij, omni tempore fuisse necessarium singulis personis, non probant. Ac primùm mitto longam propositionem argumenti S. Thomæ, quam longè tuetur Caietanus, eamq; longè improbant alij: vt enim, ait Lorca, quamvis non est aperta demonstratio, est quidem elegãs, & bella similitudo: cuius vis hæc est, finis vltimus hominis est visio supernaturalis Dei: ergo debet hæc cognosci ab eo, qui iustificatur: probatur consequentia, quia oportet cognoscere terminum motus intenti à creatura rationali. Item non potest homo subitò pervenire ad illam visionem, nisi sit discipulus Dei, quod est per fidem. Concesso antecedenti nego consequentiam intellectam de fide explicita. Ad probationẽ respondeo: terminum principalem creaturæ rationalis esse Deum ipsum, eius autem visionem esse minùs principalem: Deus ipse cognoscitur clarè, & expressè; eius visio non est opus, vt cognoscatur clarè, & expressè sub conceptu visionis, & entis supernaturalis; sed sufficit si cognoscatur expressè sub ratione perfectè cognitionis de Deo, & remunerationis æternæ, ad quam pervenitur per modum doctrinæ, & discipuli: nempè per necessitatem credendi ea, quæ præcisè sunt necessariò revelata: inter hæc autem non est remuneratio supernaturalis sub conceptu expresso supernaturalitatis. *Resp.*

§. 27. *2. Arg.* Secundò argumentatur Bañez, quia si non esset credendum necessariò aliquod obiectum supernaturale, non esset necessaria gratia per Christum ex parte intellectus, & voluntatis: ergo requiritur obiectum supernaturale. Probat antecedens, quia ad credenda obiecta naturalia potest intellectus aliunde moveri. Hæc tamen ratio est mihi valdè suspecta: non enim potest tutò affirmari posse aliquem credere obiectum naturale prout oportet ad salutem, nisi ex gratia per Christum. Constat enim ex Concilio Tridentino nullum posse credere, vt oportet, sine gratia per Christum; sed necessariò sunt credenda multa obiecta naturalia: ergo ad hæc credenda est necessaria gratia per Christum. Probo minorem, quia necessariò est credenda existentia naturalis Dei: item necessitate præcepti est credendum peccatum originale, & nos esse filios Adami: hæc, inquam, fide Catholicâ sunt credenda: & omnia hæc sunt naturalia: ergo naturalia possunt credi fide Catholicâ; sed ad Catholicos assensus indigemus gratia per Christum: ergo ex parte intellectûs, & voluntatis indigemus gratiâ per Christum ad credenda obiecta naturalia: ergo si hæc obiecta sunt necessariò credenda, indigemus ad id gratia Christi. *Resp.*

§. 28. Dices, non posse esse in homine Philoso-

S. Tho. q. 2. Art. 3. pho fidem & scientiam de eodem obiecto: vnde non est necessaria gratia. Respondeo
Resp. 1. primò, hæc esse falsa constare ex disputat.
2. 30. Secundò: ponamus hominem illiteratum carentem, aut oblitum demonstrationis de existentia Dei: hic tenetur credere hæc obiecta naturalia; ad quem assensum Catholicum indiget gratia Christi: ergo naturalitas obiecti credendi non tollit necessitatem gratiæ ex parte intellectus, & voluntatis. Quod clarè patet in peccato originali, & hominum origine ab Adamo: quæ cùm naturalia sint, non possunt demonstrari: ergo sunt necessariò credenda fide Catholicâ: ergo rectè componuntur naturalitas obiecti, & necessitas gratiæ ex parte intellectus, & voluntatis, ad illius assensum, vt oportet. Tandem quamvis obiecta sint naturalia, & simul habeamus de illis demonstrationem, adhùc est necessaria gratia per Christum ad credendum, vt oportet.

§. 29. Considera enim Philosopho demonstranti Deum, proponi authoritatem, & revelationem Dei de ipsius existentia: hic tenetur assentiri huic propositioni, *prima veritas revelat existentiam primæ causæ*: cùm enim hæc propositio non sit de existentia Dei; sed de ipsius revelatione, rectè potest componi eius assensus cum assensu de existentia Dei: quemadmodum possum ego videre solem, & simul videre testimonium hominis de ipso sole: cùm igitur revelatio illa debeat à Philosopho credi absque formidine, debet etiam credi fide Catholicâ: quæ non potest contingere absque gratia per Christum. Concludo igitur naturalitate obiecti non impediri necessitatem gratiæ ex parte intellectus, & voluntatis.

§. 30. Tertiò argumentatur Lorca disputatio-
3. *Argum.* ne 19. numero quinto, & sexto: quia fides est necessaria in iustificatione extra Sacramentum, vt excitet amorem Dei super omnia; sed hic amor per charitatem respicit Deum, vt authorem supernaturalem: ergo. Probat minorem, quia Deus vt est author naturalis non potest diligi sufficienter ad iustificationem. Non est melior hæc doctrina: ostendam enim disputans de charitate Deum secundùm quodcumque attributum, aut perfectionem suam esse obiectum formale charitatis. Qui enim diligit Deum, quia est ens à se, immensus, & omnipotens, verè diligit ipsum propter ipsum: ergo est amor amicitiæ in Deum: ergo est amor charitatis: ergo per eum poterit homo vltimò disponi ad iustificationem: quia Deus diligentes se diligit. Præterea pœna sensus naturalis est, id est, non est in genere entium supernaturalium, sicut est gratia: item fœditas peccati naturalis est; & tamen hæc obiecta terminant odium supernaturale: ergo ens naturale potest esse obiectum actuum supernaturalium. Quæ autem hâc in parte dixerim de Deo, recognosce disput. 42. §. 6. & 9. & sequentibus.

Obiicies, odium cruciatuum oriri ex amore beatitudinis supernaturalis: item detestationem peccati propter eius turpitudinem oriri ex amore rectitudinis supernaturalis, cui opponitur peccatum. Contrà: Concilium Tridentinum sessione sexta, cap. sexto, constituit duos actus distinctos, vnumque priorem alio: alter est timoris cruciatuum, quos peccatori infligere potest iustitia Dei: secundus est spei actus conceptus ex consideratione misericordiæ divinæ: ergo non est opus odisse cruciatus ex amore beatitudinis supernaturalis: probo consequentiam, quia semper odium mali, vt opponitur alicui bono, oritur ex amore in bonum ipsum: timor verò ille conceptus ex consideratione gehennæ non oritur ab obiecto formali spei; sed oritur ex amore, quo vnusquisque diligit bonum suum, cui opponitur malum illud. Hunc autem metum gehennæ, & pœnarum, donum Dei esse, & sufficere ad iustificationem cum Sacramento, definit Concilium sessione 14. capite quarto. Immò ait motum illum oriri communiter ex metu pœnarum, aut turpitudine peccati: & non est opus ad odium alicuius mali, amor in aliud bonum positivum: quia carentia illius mali se ipsâ est bona, ad modum quo malum ipsum se ipso est malum: quemadmodum etiamsi ego non amem actum delectationis in voluntate, possum odisse tristitiam in eâdem voluntate existentem: & orare Deum, vt me propter aliquem finem honestum privet delectatione, & vt simul me liberet illa mœstitiâ, solùm ne crucier. Idem dixerim de turpitudine peccati: quãvis enim ego non considerem iustitiam supernaturalem; possum considerare naturalem, & ex illius amore concipere odium turpitudinis iniustitiæ. Item quamvis ego non velim exercuisse actum positivum iustitiæ, possum dolere de turpitudine admissæ iniustitiæ.

§. 31. *Obiectio.* — *Refell. Trident.*

Quia verò satis probavi obiectum naturale posse terminare supernaturales actus, libet id in præsenti ostendere, ex proprio conceptu fidei: cuius obiectum formale est authoritas, & revelatio Dei: ponamus hanc revelationẽm esse supernaturalẽ, & vt talem apprehendi; totum hoc obiectũ formale §. 32.

formale creditur actu supernaturali: ergo quodvis obiectum materiale revelatū creditur actu etiam supernaturali. Antecedens à nullo Catholico negatur, nec Catholicè potest. Habitus enim per se infusus non potest versari circa suum obiectum formale, nisi per actus ex gratia per Christum: quos in præsenti suppono esse supernaturales quoad substantiam: item quia præcipuè habitus versantur circa obiecta formalia, circa quæ exercent nobiliores suos actus: obiectum item supernaturale non potest proportionatè cognosci, nisi per actū supernaturalē. Consequentiā autem probo; quia fides attingit obiectum materiale, & formale per eumdem actum, vel per distinctos? si per vnum, ergo omne obiectum materiale fidei, quando per illam cognoscitur, terminat actum supernaturalem: quia omne obiectum formale cognoscitur actu supernaturali: sed omne obiectum materiale terminat eumdem numero actum, quem obiectum formale: ergo omne obiectum materiale fidei terminat actum supernaturalem: si autem fides per distinctos actus cognoscit obiectum formale, & materiale, ergo fides actu supernaturali cognoscit omne suum obiectum materiale: probo consequentiam: quia omnis actus elicitus à fide est supernaturalis: sed omnis actus circa obiectum materiale fidei elicitur à fide: ergo omnis eiusmodi actus est supernaturalis. Minor patet, quia per actus eiusdem habitus infusi cognoscitur obiectum materiale, & formale: ex quibus actibus deduci posse supernaturalem amorē Dei sæpius ostendi.

SECTIO. VII.

Quid de quæstione?

§. 33. 1. Conclus. DICO primò: valdè probabile est fidem illam supernaturalem datā ex gratia Christi, qua secundum fidem negare non possumus, non esse necessariò de obiecto supernaturali revelato; sed sufficere quantū est ex necessitate medij, vt esset de existentia & remuneratione Dei, præscindendo à supernaturalitate. Pro qua sententia facit authoritas Andreæ Vegæ: cuius sententia, qua parte negat necessitatem fidei supernaturalis, est à me improbata, tamen quâ parte excludit necessitatem obiecti supernaturalis, non satis improbatur. Eamdem sententiam tuetur P. Molina 1. par. quæst. 1. art. 1. disp. 1. respondet enim Caietano, & Cano, non esse necessarium intelligi Paullum de obiecto supernaturali, quia quamvis obiecta credenda sint naturalia, & demōstrabilia; cum habitu tamen demonstrativo potest concurrere fides ad efficiendum vnum numero actum supernaturalem, & evidentem. Eadem sententia tradita fertur à Francisco Victoria: quam traditam esse à quodam Doctore Complutēsi refert Lorca disp. 19. num. 1. quam probabilem iudicatam ab aliquibus doctissimis viris huius ætatis refert P. Luisius disp. 26. dub. 4. Lorca eam adscribit P. Salmerini tom. 12. in acta, tract. 31. Coniungit Lorca P. Salmeronē cum Andrea Vega: à quo tamen latè dissidet: quia expresse ait, sine fide gratuita, & supernaturali nullum posse iustificari: obiectum autem huius fidei esse debere naturale, aut supernaturale non tractat P. Salmeron: nisi colligas eum esse ab hac sententia per aliquas coniecturas non multū graves: quæ enim ibi tractat de necessitate fidei explicitæ, non sunt de remuneratione; sed de ipso Christo. Lorca verò, quia hanc sententiam voluit improbabilitate præstringere, quàm solet immeritò, quæsivit aliquē ex Societate, quem præstringeret.

Vega. Molina. Francisc. Victoria. P. Luis. Lorca. P. Salm.

§. 34. Probatio. Probatur hæc conclusio: primum, quia & ab aliquibus viris doctis tradita est: & ab alijs censa probabilis, & ostensum est, eam neque repugnare Patribus, neque Concilijs, neque Scripturis: item omnia incommoda, quæ ab adversarijs obijciuntur, diluuntur facilè: præsertim autem ostēditur, eam toto cœlo distare à Pelagio, & ab eius reliquijs: ergo est probabilis.

§. 35. 2. Probat. Secundò probatur: quia quæstio hæc de actuū supernaturalitate propria est scholasticorum: extra quorum scholas, quod frequenter auditur, est, nos redemptos esse ex gratia per Christum, & sperare remunerationem æternam, hæc autem, quæ nobis dantur per Christum, esse intrinsecè supernaturalia, rarissimi audiunt, nisi cùm scholasticos audiunt: & quidem multi adhuc ex scholasticis negāt actū vllū esse in substātia supernaturalē. Quapropter P. Valētia disp. 1. quæst. 2. pūct. 2. versu *secundò possumus*, ait: *fides verò, quam nos nunc quidem asserimus necessariam esse ad salutem, universalior quadā fides est, per quam saltem cognoscatur Deus, vt author supernaturalium & remunerator supernaturaliter, etiam si hæc notitia non sit admodū distincta, qualem habent peritiores, sed vt cumque confusam.* Cuius autem est hæc cognitio vt cumque confusa; nisi remunerationis æternæ: quæ quia supernaturalis est à parte rei, cognoscitur materialiter, & confusè? P. Valenti.

§. 36. 2. Concl. Bañez. Dico secundò: necessaria est fides explicita confusa de remuneratione supernaturali. Præmitto doctrinam Magistri Bañez

S. Tho. q. 2. Art. 3. eo dubio 2. duplicem esse fidem explicitam: alteram expressam, & claram; alteram involutam, & magis obscuram: clara est, quando proprijs terminis aliquid cognoscitur, verbi gratia, *Christus est mortuus*: minus clara est, quando attingitur obiectū aliquod specificum terminis non specificis; sed vniversalioribus: verbi gratia, conceptu de animali concipitur species humana, quæ verè & propriè est animal: conceptus tamen ille non est per terminos specificos: quia non est per attributa hominis propria; sed communia; conceptus tamen vterque est explicitus, alius quidem confusus; alius expressus: sic remuneratio naturalis, & supernaturalis conveniunt in conceptu remunerationis æternæ: vndè fides de remuneratione æterna immediatè, & explicitè terminatur ad vtramque speciem remunerationis: quia verò illa remuneratio non concipitur in singulari, ideò non est fides expressa de illa. Sic dicit Bañez concipi fide explicita Christum à concipiente redemptorem in communi. In hoc sensu locutus est expresse P. Valentia adductus §. 35. In alio vero de fide explicita, & expressa de remuneratione supernaturali, vt supernaturalis est, locutos fuisse Scholasticos incredibile mihi videtur, sicque componitur illorum controversia. Nec multum ab hac sententia discedit P. Suar. disputat. 12. sect. 3 num. 10. & 11. Valent. P. Suarez.

§. 37. Si autem aliquis non cognosceret remunerationem supernaturalem præcisivè, eam neque negans, neque affirmans, sed cognosceret remunerationem naturalem, & negaret supernaturalem, rogo vtrum hic posset iustificari. Non est quæstio de eo, qui negaret supernaturalitatem remunerationis culpatè; sed inculpatè, quia non proponitur sufficienter. Respondeo: hunc casum esse impossibilem: quia, qui præcisè cognoscit existētiam Dei, & remunerationem æternam, esset manuductus solo rationis lumine sine Doctore proponentè mysteria gratiæ: tunc autem nullum haberet principium ad affirmandum, aut negandum obiectum supernaturale. Si verò ei proponerentur mysteria gratiæ, quamvis non teneretur illis assentiri antequam sufficienter proponerentur; teneretur tamen illis non dissentiri: quia peccatum satis illi esset cognitum: convenientiaque reparationis ab eo peccato esset satis per se notā: vndè ea mysteria teneretur disquirere; quærens autem invenit.

§. 38. Secundò respondeo: in sententia quam §. 33. probabilem esse dixi illum hominem crediturum fide sufficienti ad salutem: quia implicitè crederet remunerationem supernaturalem. Dicunt Magister Bañez, & P. Valentia non posse contineri implicitam fidem rerum supernaturalium in fide explicita naturalium: quia nihil potest contineri implicitè in rebus ordinis inferioris. Respōdeo: fidem implicitam remunerationis supernaturalis non contineri in aliquo actu naturali; sed in supernaturali: quia continetur in habitu infuso fidei, & in actu supernaturali piæ affectionis, quo imperatur actus fidei circa obiectum sufficienter propositum: in quo disput. 40. §. 9. constitui fidem implicitam: obiecta autem contineri in ordinibus inæqualibus nihil refert: tunc enim obiectum formale est eiusdem ordinis; tùm etiam quia vnum obiectum non continetur in alio; sed actus vnius obiecti continetur in actu circa aliud; ac propterea non requiritur, nisi vt actus vnius ordinis non contineatur in actu ordinis inferioris. Bañez. P. Valent.

§. 39. Absolutè autem in sententia, quam sequor §. 36. respondeo, non posse fide divina credi remunerationem æternam, si negetur eam esse supernaturalem: quia non fiet revelatio, aut non proponetur sufficenter de remuneratione æterna ei, qui inculpatè negare posit supernaturalitatem; sed spectabit ad providentiam Dei, aut illi negare cōcursum ad dissentiendum illi propositioni, aut illi provideri Doctorem, quo doceatur veritas supernaturalis. Ratio à priori est, quia ex communiori sententia Doctorum est necessaria aliqua fides explicita de remuneratione supernaturali, quæ cum illius negatione componi non potest.

DISPVT. XLIV.

De obiectis necessariò credendis.

SECTIO I.

De necessitate credendi mysterium Incarnationis.



§. 1. 1. Conclus. DICO primò: mysterium Incarnationis non fuit necessariò credendum explicitè singulis fidelibus, ad salutem ante adventum Christi, neque necessitate medij, neque præcepti. Hæc conclusio est S. Thomæ quæst. 2. art. 7. constituentis in simplicioribus legis veteris fidem velatam huius mysterij, in lege autem S. Thom.

autem nova constituit necessitatem fidei explicitæ in singulis fidelibus Consentiunt *Bañez.* Magister Bañez art. 8. dub. 2. *&vnde sit quinta conclusio*, *Aragon.* Aragon art. 5. conclus. 4. agens de lege naturæ: conclusione autem quinta dicit in lege scripta fuisse necessariam cognitionem explicitam mediatoris: eamdem *Valent.* conclusionem docet P. Valentia disputat. 1. quæst. 2. punct. 4. quam ait esse extra *Lorca.* controversiam apud Theologos: Lorca disputat. 21. num. 1. quamvis num. 4. probat necessariam fuisse fidem explicitam mediatoris in communi: eadem conclusio est P. *P. Luis.* Luisij disput. 27. dub. 3. P. Thomæ Sanchez *Thom. Sanchez.* in præcepta decalogi lib. 2. cap. 2. num. 7. *P. Suar.* & P. Suarez cum multis, præsertim Hugone, & S. Bernardo, disput. 12. sect. 3. nu. 14. *Probatio 1. & 2.* Probatur primò: quia non constat ex Scriptura necessitas huius medij: nec ex Concilijs, nec ex Patribus: quæ enim Lorca ex S. Augustino adducit, recte diluit P. Luisius disputat. 27. dub. 6. Secundò probatur, quia Paulus ad Hebræos 11. 6. recensens, quæ necessariò erant credenda, constituit tantùm existentiam Dei, & remunerationem æternam: & quamvis ea constituit vt necessaria, videtur etiam & vt sufficientia: voluit enim probare Henoch habuisse fidē, per quā Deo placuit, & quæ fuit sufficiens argumentum illius, vt necessaria erat ad placendum Deo: illa vero fides debebat esse perfecta. Tertiò quia Cornelius Centurio erat fidelis, & iustus: post quam iustitiam vocatus est ad explicitam fidem Christi.

§. 2. Obiectio. Obijcies primò, ex Augustino & Eusebio, antiquos fideles fuisse etiam re ipsa Christianos. Secundò obijcies, S. Nazianzenum oratione 20. quæ est de Machabæis initio, vbi asserit, ipsi & omnibus Dei amatoribus valdè probabile esse, neminem eorum, qui ante adventum Christi martyrio coronati sunt, id consequi potuisse sine fide in Christum: item S. Augustinum multis in locis. Ad primum respondeo: omnes re ipsa *Resp.* fuisse Christianos, id est, populum Christi, quia nisi per eius sanguinem non fuissent fideles, vt oportet ad salutem: item fuerunt Christiani per fidem implicitam. Ad secundum, Nazianzenus loquitur de martyribus, non verò de singulis hominibus: & quamvis de his loquatur, de singulis hominibus intelligitur de fide implicitā. Ad tertium ex S. Augustino respondetur, eum partim locutum de necessitate præcepti: partim de fide implicita: partim de fide Christi iam prædicati. Quæ omnia, quia gravi difficultate carent, à me præstringuntur, recognoscique possunt in P. Valentia disp. 1. quæst. 2. puncto 4. à versu *secunda verò*, & P. Luisio disp. 27. dub. 6.

Dico secundò: post promulgatum Evangelium vix potest de lege communi aliquis salutem adipisci sine fide explicitā in Christum. Conclusionem hanc docent quotquot aiunt hanc fidem esse necessariam necessitate medij post Evangelij promulgationē. Probatur communi experimento: vix enim vnquam audimus aliquem ita iustum, quin in multis peccet. *2. Conclus.*

§. 3. 3. Concl. Dico tertiò: hæc tamen fides explicita non est necessaria necessitate medij singulis fidelibus ad iustificationem: hæc sententia docetur à pluribus ex antiquis: quos sequitur Magister Bañez quæst. 2. art. 8. versu *quæritur deinde*, conclusione 1. quam prius docuerant Magister Soto in 4. dist. 5. quæst. vnica, art. 2. & lib. 2. cap. 12. & Vega lib. 6. cap. 20. Aragon quæst. 2. art. 5. versu *secunda conclusio: ad consequendam*, & P. Luisius disput. 27. dub. 4. versu *In hac controversia*, & P. Suarez disp. 12. sect. 4. num. 11. Probatur, quia nullibi constat hæc necessitas. Vndè si aliquis per actus supernaturales crederet existentiam Dei, & remunerationem æternam, iustitiam posset adipisci: vt autem hæc lex admittatur, probanda est ex scripturis aut definitionibus. *Bañez. Soto. Vega. Aragon. Luis. Suar. Probatio.*

§. 4. 4. Conclus. Dico quartò: valdè probabilis est sententia affirmans necessariam esse necessitate medij fidem explicitam Christi. Quam sententiam docuerunt complures ex antiquis, quos refert & sequitur P. Valentia eo puncto quarto à versu *tertia verò*: quamque eruditè probat ex Patribus, & scripturis: quem sequitur Magister Lorca disput. 22. à num. 4. numero tamen 11. relabitur in nostram sententiam, contentus necessitate fidei explicitæ in re, vel in voto; quemadmodum Baptismus est etiam necessarius. Quis negavit extra Sacramentum necessarium esse votum fidei in Christum ad iustificationē? votum enim illud nihil aliud est, quàm contritio charitate perfecta, quæ est præparatio voluntatis faciendi omnia ad salutem necessaria, si adsit facultas: at verò non explicat Lorca vtrùm hoc votum respiciat fidem explicitam, vt medium vel vt præceptum. Item communi sensu, quo Scholastici tractant quæstionem hanc, quærunt, vtrùm ex parte intellectus post promulgationem Evangelij, possit esse sufficiens cognitio sine fide explicita in Christum, ad dispositiones voluntatis supernaturales, & vltimas ad iustitiam? Partem affirmantem nobiscum sequitur Lorca, de cæteris non disputamus: Patrē Valentiam sequitur P. Thomas Sanchez in præcepta Decalogi lib. 2. cap. 2. numero octavo. In qua sententia dicendum est, observanti legem naturalem, providendum fore à Deo Angelum, aut Doctorem alium, *P. Valent. Lorca. P. Thom. Sanchez.*

S. Tho. q. 2. ab Art. 4. ad 8. alium, à quo instruatur de Incarnatione Christi.

§. 6. 5. Concl. Dico quintò: idem dicendum est de necessitate fidei explicitæ in Christum ad beatitudinem, ac ad primam iustificationẽ. Canus. Bañez. Aragon. Lorca. Valent. Luis. Hæc conclusio est contra Canum, Bañez, & Aragonem, constituentes discrimen inter primam, & vltimam salutem: quos impugnant P. Valentia, Magister Lorca num. 9. & P. Luisius dub. 7. Ratio est, quia non repugnat aliquem post adeptam iustificationem subitò interire, aut in amentiam incidere; tunc autem salutem consequetur: ergo quod non est necessarium ad primam iustificationem, non est necessarium ad beatitudinem.

SECTIO II.

Quæ sint credenda ex præcepto?

§. 7. 1. Conclus. DICO primò: mysterium Trinitatis est cognoscendum necessitate præcepti eo modo quo Incarnatio. Sic cõmuniter authores, quia mysteriũ Incarnationis est in secunda persona, quæ est filius: filius autem à Patre est: item peractum est mysterium illud virtute Spiritus Sancti.

§. 8. Dico secundò, Doctores Ecclesiæ, Prælatos, & Confessarios teneri ex præcepto diuino scire non solùm quatuordecim articulos fidei; sed etiam complura alia mysteria tàm speculativa, quàm practica, vt ea possint docere imperitos & rudes. S. Aug. S. Thom. Quæ conclusio certissima est ex Sanctis Augustino & Thoma, alijsque Doctoribus. Ratio à priori, quia illorum munus est instruere plebem, quæ debet credere, amare, & odisse; sed vnusquisque tenetur præcepto diuino nosse officij sui partes principes: ergo: minor patet tùm quia medicus publico stipendio, aut privatâ pecuniâ conductus, tenetur morborum, & medicinarum esse peritus: advocatus item non potest caussas suscipere ignarus legum: tùm etiam quia nisi exercentes ea munera sint eorum periti, tota Respublica brevi peribit: cuius salus pendet ex recta administratione munerum singulorum: cùm verò hoc munus prædicatoris Evangelici sit inter cætera momenti maximi, eius lex graviùs obligat illud exercentes.

§. 9. Neque vero omnibus est obligatio par: nam Parochus vnius pagi, in quo pauci & rudes sunt subditi, non est opus vt sit tàm peritus, quàm Parochus opulentæ alicuius, & magnæ vrbis. Præsto est ratio: quia ad instruendos paucos rusticos minori eruditione indigetur, quàm ad instruendos homines vrbanos, & aulicos; inter quos, vt frequenter est ingenium acre, sic & vitia communia: ad quos instruendos indiget Doctor ingenio, & doctrina. Quidquod & mercaturæ, & iudicia sunt in vrbe frequentia: quę, vt ex lege Dei exerceantur, postulant doctrinam non vulgarem.

§. 10. 3. Conclus. Dico tertiò: singuli fideles tenentur credere explicitè præcipua mysteria fidei cõtenta in symbolo Apostolorũ, & quatuordecim articulis fidei, qui communiter circumferuntur in cathechesi puerorum. Hæc est communis sententia Doctorum, quos videre potes apud P. Valentiam puncto 3. & 4. Luisium disp. 28. dub. 1. & Tho. Sanch. lib. 2. in Decalogum cap. 3. num. 6. P. Valent. Luis. Thom. Sanchez. Probatio Probatur, quia omnes tenentur credere præcipua mysteria, quorum cognitio plurimùm spectat ad Christianæ vitæ institutionem, cognitionemque Dei; hæc autem continentur in symbolo: ergo: minor patet, quia quæ spectant ad Dei vnitatem & Trinitatem, explicantur quatuor primis articulis. Nec tamen propterea necesse est credere explicitè Spiritum Sanctum à Patre Filioque procedere, neque Spiritum Sanctum locutum esse per Prophetas. Item nec totum vulgus tenetur explicitè credere vnitatem naturæ communis cum Trinitate personarum; sed sufficit cognoscere Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum esse tres personas & vnum Deum: cognoscere autem id contingere propter communitatem naturæ, & oppositionem personarum, acuti hominis est, non rudis. Quæ spectant ad creationem mundi, & providentiam, continentur similiter articulo quinto. Quæ verò pertinent ad remittenda peccata, continentur articulo sexto: vbi discenda etiam sunt, quæ pertinent ad Sacramentum Baptismi & Pœnitentiæ, per quæ peccata remittuntur. Quæ autem spectant ad vitam æternam, cõtinentur articulo septimo: vbi discenda etiam est resurrectio mortuorum: quæ & ad glorificationem spectat, & est apprimè vtilis ad instruendos mores.

§. 11. Quæ spectant ad Christum, continentur septem articulis de eius humanitate. De quo sufficit credere eum esse verum Deum, & hominem; non tamen est necesse cognoscere exactè naturarum distinctionem, & vnitatẽ personæ; sed sufficit credere eũdẽ, qui est homo, esse Deum, & non esse vnum Deum, & alium hominem. Item non est necesse cognoscere eum fuisse circũcisum, nec præsentatum in templo, nec transfiguratum

guratum in monte: sed sufficit eum pro salute nostra mortuum fuisse, & à mortuis surrexisse: vt cognoscamus nostram per eius sanguinem redemptionem; item vt per eius resurrectionem concipiamus spem resurgendi: ascensus etiam eiusdem in cœlos est credendus, vt cognoscamus tùm eius gloriam, tùm & interpellationem pro nobis: descensus ad inferos credendus est necessitate præcepti, crasso modo, nō verò singulis exactè: vt docet P. Thomas Sanchez, cap. 3. num. 22. Recognosce cap. illud & secundum.

P. Thom. Sanchez.

§. 12. Præter hæc cognoscenda sint singulis sex sacramenta, tùm quia per illa, & peccata remittuntur, & perseveratur in gratia: & quamvis ordo non est omnibus communis quoad receptionem, est tamen communis omnibus quoad vsum passivum: debent enim credere peccata à Sacerdotibus remitti, & non ab alijs per Sacramentū pœnitentiæ. Septimum autem Sacramentum matrimonij tenentur credere, qui illud ineūt.

§. 13. Præter hæc tenentur credere pœnam æternam, quæ infligitur impœnitentibus. Itē discrimen peccati mortalis, & venialis, non quidem per Metaphysicas argutias, sed vt cognoscant alterum esse leve: alterum grave. Item credere tenentur, quæ necessaria sunt ad Sacramentorum receptionem dignam: & quamvis non recipiant Sacramentum Eucharistiæ, quia illius susceptio differtur propter honestam aliquam rationē; tenentur tamen illud cognoscere, vt à prima luce rationis Christum adorent. Item credere tenentur vnitatem Ecclesiæ Catholicæ, eiusque caput esse Romanum Pontificem: quod Catholicus quisque credit, quia eius authoritate movetur ad credēda mysteria. Præter hæc & orationem Dominicā, tenentur singuli credere decem præcepta Decalogi, & quinque Ecclesiæ: item & legem misericordiæ subveniendi egentibus. Tenetur etiam vnusquisque scire leges officij sui, ne in illo exercendo Deum offendat. Præter hæc nihil mihi nunc aliud occurrit. Videantur Doctores adducti. Posse autem esse ignorantiam invincibilem probat P. Thomas eo cap. 3. num. 20.

DISPVT. XXXXV.

Vtrùm assensus fidei sit liber?

SECTIO I.

Sensus quæstionis.

ACTVS fidei versantur circa authoritatem, & revelationem Dei, & circa mysterium revelatum: libertas & necessitas possunt etiam considerari circa obiectum formale, & materiale. v.g. vtrùm revelationem Dei credamus liberè; an verò propositis argumentis credibilitatis, ita assentiamur existere revelationem Dei, vt non possimus dissentiri? Qui sensus est huius quæstionis germanus: in obiectum materiale possumus etiam quærere, vtrùm actus fidei sit absolutè necessarius? id est, vtrùm obiectum illud tàm efficaciter proponatur, vt necesse sit assentiri præmissis, & conclusioni: vt contigit in syllogismo demonstrativo? qui sensus parùm differt à primo. Item potest disputari libertas assensus in obiectum materiale ex suppositione, quòd iam assenserimus existere revelationem Dei: in hoc sensu non disputo difficultatem hanc: constat enim ex logica assensum conclusionis esse necessarium quoad speciem ex suppositione assensus præmissarum: immò & quoad exercitium est necessarius assensus conclusionis. §. 1.

Fides item potest esse libera aut necessaria, proximè aut remotè: proximè quidem, quando rectè consideratis applicationibus ad fidē, possumus assētiri & dissētiri revelationi: vel determinamur ad assēsū: v.g. nō vult aliquis applicare intellectum ad studium Mathematicarum: hic liberè habet carentiam assensus demonstrativi; item quando vult se ad illud studium comparare, liberè habet demonstrationes Mathematicas, dùm liberè voluit illarū caussam: at verò ex suppositione studij diligentis, iā nō est in eius potestate assētiri, aut dissētiri: quia attigit rationes demōstrativas, quę nō patiuntur neque dissensū, neque carentiam assensus. In hoc sensu quæri etiam potest, an fides sit libera, ita vt nullam aliam proximam habeat libertatem? §. 2.

SECTIO. II.

Fides est proximè libera.

ARBITROR assensum fidei esse proximè liberum quoad speciem, ita vt positis omnibus conditionibus, proximè necessarijs ad assensum, sit in nostra potestate assentiri & dissentiri: non quòd §. 3.

S. Tho. q. 2. Art. 9. quòd possimus componere assensum, & dissensum; sed quia alterutrum ex his possumus componere cum applicationum cognitione.

§. 4. S. Thom. Conclusio hæc est S. Thomæ quæst. 2. art. 9. maximè verò ad secundum: vbi dicit applicationem ad studium rerum demonstrabilium posse esse meritoriam, quia est libera: assensum autem ipsum demonstrativum non posse esse meritorium, quia non est à libero arbitrio: in fide verò vtrumque subiacere libero arbitrio, ac propterea vtrumque posse esse meritorium. S. Thomam comitantur Scholastici omnes, vix vno aut altero excepto. Est apertè sententia S. Augustini adducti disput. 38. s. 1. ait enim credere nihil esse, nisi assentire cogitando, & cogitare assentiendo: cogitationem autem vult esse ex gratia per Christum, quæ cogitatio immediatè ponitur ab Augustino ad assentiendum: ait enim multos cogitare, ne assentiant; id est, postquàm consideraverunt rationes, quibus probatur existentia revelationis, noluerunt credere: qui autem credunt, ideò credunt, quia consideratis motivis ad credendum, immittit illis Deus cogitationem cōgruam, vt credant.

S. Aug.

§. 5. 1. Probat. 1. Ioan. 2. 22. Probatur primò ex prima Ioannis 2. à versu 22. *quis est mendax, nisi is, qui negat, quoniam Iesus non est Christus?* mendacium autem vitium est. Vndè argumentor, qui negat veritatem revelationis Dei de divinitate Christi, est mendax: ergo potuit illam non negare, & affirmare: consequentia patet, quia alioquin non esset mendax; antecedens autem constat ex testimonio adducto: neque sufficit id esse verum, quia fuit in nostra potestate inquisitio rationū; his autem inventis non est in nostra potestate dissensus: etenim ex hoc testimonio Ioannis ostenditur apertè, consideratis etiā motivis posse esse dissensum: *Vos* (inquit) *quod audistis ab initio, in vobis permaneat: si in vobis permanserit quod audistis ab initio, & vos in Filio, & Patre manebitis: & sicut docui vos, manete in eo.* Loquitur igitur Apostolus cum fidelibus, qui iam consideraverant motiva ad credendum: quos hortatur, ne deficiant à fide iam suscepta: ergo auditis iam omnibus necessarijs ad credendum, erat in potestate fidelium permanere in assensu fidei. Nec enim per oblivionem erant illi deserturi fidem: non enim est in nostra potestate oblivisci ea, quæ alto insident cordi. Quæ maximè confirmantur ex epistola secunda eiusdem Ioannis à versu septimo: vbi Apostolus suis consulit, ne perdant susceptam fidem apostatarum prædicatione. Quis autem dubitet illos id facturos postpositâ Apostolica doctrinâ? idemque patet ex epistola prima 5. 10. & primo ad Timotheum 19.

1. Ioan. 2. 24.

§. 6. 1. Obiectio Refell. Dices primo cū Holcotho, fidē vt est in intellectu, amitti non posse; sed posse amitti fidem, vt includit observationem legis. Cōtra hanc opinionem latiùs disseram sectione 3. Deinde Ioannes dicit epistola prima cap. 5. versu 10 *Qui non credit filio, mendacem facit eū: quia non credit in testimoniū, quod testificatus est Deus de filio suo*: vbi constituitur speciale peccatum infidelitatis in intellectu: quod peccatum consistit in eorum dissensu, quæ dicuntur à Filio Dei. 1. Ioan. 5. 10.

§. 7. 2. Obiectio Refell. Dices secundò cum alijs, posse esse peccatum infidelitatis in intellectu, quia possumus nolle cogitare rationes, quibus manuducimur ad credendum. Contra hos disseram eâdem sectione tertia. Deinde facere mendacem filium Dei, non est non cogitare rationes, quibus possemus ad fidem duci; sed est dissentiri eius testimonio sufficienter proposito. Quod patet, quia Ioannes non agit cum hominibus non credentibus ob defectum applicationis; sed cum fidelibus, quos monet, ne PseudoProphetarum prædicatione moveantur ad non credendum: quibus non erant credituri absque aliqua ratione, & fundamento: illi enim cùm prædicaturi essent contra Apostolicam doctrinam, quam fideles profitebantur, erant collaturi fundamenta doctrinæ suæ cum fundamentis doctrinæ fidelium. Alioquin nō peccarent amittēdo fidē: quia essent obliti fundamenta nostræ credibilitatis, nullo modo peccarent: peccarent igitur, quia posthabita evidenti credibilitate fidei, aliorum fundamentis fascinarentur.

§. 8. Secundò probatur doctrina eadem ex Concilijs. Ac primum sit Arausicanū secundum, adductum disput. 43. Canone 5. vbi definitur initium fidei esse ipsum credulitatis affectum: ergo fides immediatè pendet ab affectu credulitatis. Probo consequentiam, tū quia initiū fidei non sumitur à voluntate disquirendi rationes credibilitatis; tùm quia inquisita iam ratione manuducente, possumus non assentiri: ponamus esse dissensum, tunc nullus fuisset actus fidei, qui posset esse nostræ salutis initium: at initium iustificationis sumitur ab ipsâ fide, quod patet ex Tridentino sess. 6. cap. 6. his verbis: *disponūtur autem ad ipsam iustitiam, dùm excitati divina gratiâ, & adducti, fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum, credentes vera esse, quæ divinitùs revelata, & promissa sunt: atque illud in primis, à Deo iustificari impium.* Trident.

§. 9. Ex quibus deduces gratiam per Christū donari,

donari, vt credamus ea, quæ iam audivimus: præcipuè vero credere debemus iustificari impium per gratiam Christi: hæc autem immediatè versantur circa assensus ipsos. Deinde cap. 8. fides dicitur initium & fundamentum nostræ salutis: ergo hæc salus debet esse ab aliquo primo actu, qui & sit fidei, & non possit componi cum peccato infidelitatis; sed illa voluntas investigandi argumenta credibilitatis, non est actus credendi, ergo ab illa non incipit iustificatio: item cum illa potest componi infidelitas: teste enim Augustino multi cogitant, ne credant: item ad illam inquisitionem non indigemus gratiâ Christi, *audiemus* enim *te de hoc iterum*, Paullo dixerunt Athenienses, non quidem ex gratiâ per Christum; sed ex familiari sibi curiositate. At verò credulitatis affectus, quem ait Cōcilium Arausicanum, esse per inspirationem Dei, censetur moraliter esse fides: quia ex cōsensu & assensu fit moraliter vnus actus, sicut ex quovis actu imperante, & imperato, dixitque Tridentinum fidem concipi ex gratia per Christum: vnde conficio hoc catholicum argumentum: initium iustificationis sumitur ab actu credendi, & fidei: hoc autem initium est ex gratia Dei inspirante affectum credendi: ergo actus credendi, & fidei est à gratiâ Dei inspirante affectum credendi; sed iste affectus & assensus est liber motus credendo vera esse, quæ Deus loquitur: ergo actus ipse credendi est liber.

Actor. 17. 32.

§. 10. Supervacaneum esset doctrinam hanc confirmare ex Tridentino, cùm iam id sit præstitum abundè. Adijce tamen ex cap. 8. vbi duo definiuntur: alterum fidem esse initium nostræ iustificationis; alterum iustificationem esse gratis, quia fides gratis nobis datur, nihilque præcedens promeruit iustificationem ipsam. Video hæc non multùm vrgere: vrget tamen Canon tertius statuens neminem posse credere, vt oportet ad salutem, absque adiutorio Spiritus Sancti: posset autē, si fides esset necessaria post motiva: quia ex affectu naturali curiositatis possemus inquirere fundamenta nostræ fidei: quibus benè consideratis non possemus dissentiri: ergo sine nova gratiâ per Christū possemus credere fide supernaturali. Probo consequentiam: quia credibilitatem nostræ fidei assequimur evidenter: ideò enim contra fidem peccatur, quia non creditur, quando cernitur obligatio credendi. Hæc credibilitas non pendet ab aliquo actu honesto ipsius audientis: potest enim vel inuitus, vel ex pravo fine audire miracula, & authoritatem Ecclesiæ: hisque auditis, ex tua sententia sequitur necessariò fides supernaturalis: ergo possumus credere, vt oportet ad salutem, absque gratia inspirata per Christum. Ideò autem indigemus eâ gratiâ, quia positâ totâ applicatione fidei, liberè præstamus assensum: ad quem actum liberum pulsamur gratiâ Christi. Recognosce Concilium Toletanum quartum, Can. 55.

§. 11. 3. Probat. Tertiò ratione probatur, quia evidētia est necessitas intellectus, vt assētiatur, vt cōstat ex disp. 25. à §. 2. sed ex his, quib⁹ movemur in via, nihil nos cogit ad credendū: ergo nō credimus evidenter, eâdemque ratione nec necessariò. Probo minorem: quia movemur authoritate Dei, eius revelatione, & conditionibus miraculorum, Ecclesiæ authoritatis humanæ, & similium: authoritas divina sola, nisi existat revelatio, non potest nos determinare: neque item potest revelatio nos determinare ad assensum suæ existentiæ: quia revelationem illam neque cognoscimus immediatè, neque ex aliquo effectu aut caussâ, quæ cognoscenda sint necessariò, vt ex eorum cognitione determinemur ad assensum de existentia revelationis. Cōditiones autem & motiva, partim sunt purè humana, vt authoritas humana Ecclesiæ, quæ verò divina sunt, habentia aliquid supernaturalē, vel non cognoscimus evidenter fieri à Deo ex animo confirmandi existentiam revelationis, vt de miraculis dixi disputat. 26. §. 5. vel non cognoscuntur immediatè, vt prophetiæ: nec item cognoscimus evidenter, quo animo fiant à Deo: omnes igitur conditiones ad credendum necessariæ, vt à nobis cognoscuntur, non prætergrediuntur vires creatas, neque generant evidentiam physicam; sed tantum moralem de obligatione credendi.

§. 12. Tandem fides distinguitur à scientijs naturalibus per obscuritatem, qua illæ carent; sed non distingueretur: ergo. Maior patet ex cap. 11. ad Hebræos, fidem esse argumentum non apparentium: nullusque Theologus ausus est negare obscuritatem fidei: minor patet ex his authoribus. Holcothus enim constituit in assensu intellectus necessitatem omnimodam; solumque constituit indifferentiam in observatione legis. In alia verò sententia sola constituitur indifferentia in applicatione intellectus ad inquisitionem motivorum ad fidem; non verò in ipso immediato assensu; sed mathematicæ, & quævis alia disciplina naturalis, est etiam libera in applicatione intellectus ad studium: ergo non differunt in obscuritate fides & mathematicæ. Deinde adhibita diligenti applicatione determinatur intellectus ad credendam existentiam revelationis, & ex hac determinatur ad assensum mysterij revelati, non minus quàm studio

studio mathematicarum determinamur ad præmissarum, & conclusionum assensus: ergo fides est tàm evidens, quàm mathematicæ: patet consequentia: quia ex disput. 45. constat omnem determinationem intellectus ad assensum, esse evidentiam.

SECTIO III.

Duæ sententiæ.

§. 13. NONNULLI censent Holcothum censuisse assensum fidei non esse immediatè liberum. P. Luisius disput. 29. dubio primo, versu *in hac controversia*, vindicat Holcothum ab hac calumnia. Certè peiora dixit Holcothus: quæstionem autem hanc in primum, quæstione 1. fusè tractat atque confuse: ex quo colligi videtur credere strictè, & propriè esse assentiri rebus revelatis cum voluntate faciendi, quæ fides præcipit: hoc dicit esse liberum, solum autem assensum articulorum non facit liberum: quia antè miraculorum cognitionem non possumus assentiri fide divina; post cognitionẽ verò miraculorũ nõ possumus non assentiri: ergo: hæc ex Holcotho collegi, quæ si non sunt ex eius mente, nolo ea esse.

P. Luis.

Holcoth.

§. 14. Impugnatur autem primò ex disp. 14. à §. 17. quia vel miracula cognoscuntur evidenter, vel non cognoscuntur? si cognoscuntur, iam assentiemur necessariò ex sententia Holcothi; si autem non cognoscuntur, iam non possumus assentiri fide Catholica: ergò nullus potest esse hæreticus.

§. 15. Secundò impugnatur: quia est peccatum particulare hæresis, quo solo amittitur fides, non verò quovis alio peccato mortali: vt constat ex Tridentino sess. 6. cap. 15. sed ex hac sententia nullum esset speciale peccatum infidelitatis, quo amitteretur virtus fidei: ergo. Probo minorem, quia ex sententia proposita non est in nostra potestate dissentiri obiecto fidei sufficienter proposito: quod quidem est peccatum contra fidem. Etenim si memoriâ retinemus miracula, & alia motiva, tàm determinati sumus ad assensum, quàm ad conclusionem mathematicam per evidentia principia: si autem illa motiva exciderunt è memoria, non est in nostra potestate assentiri: ergo. Tandem fides amitteretur quovis peccato mortali: quia per te credere strictè, & propriè est assentiri cum voluntate observandi totam legem; sed hæc voluntas aboletur quovis peccato mortali: ergo quovis peccato mortali aboletur & fides. Quid autem officit aliquem peccare contra fidem cum proposito naturali (quamvis inefficaci) servandi totam legem?

Trident.

§. 16. Censuerunt alij posse aliquem negare mysteria fidei, quia potest per negligẽtiam non satis inquirere rationes, quibus movemur ad credendum: si autem eas diligenter perpendat, non potest dissentiri, quia tàm clarè movent intellectum, vt illum determinent ad assensum. Authores huius sententiæ refert P. Luisius disp. 29. dub. 1. Quæ tamen est improbabilis; & quia nullo nititur fundamento, & quia est contra cõmunẽ sensum Doctorum. Præter adductos à P. Valentia recognosce S. Bernardum quinto de consideratione capite sexto: *Fides*, inquit, *est voluntaria quædam, & certa prælibatio nondum propalatæ veritatis*: S. Augustinum tomo 9. tract. 26. in Ioannem: *multa potest homo facere non volens; credere autem non potest, nisi volens*, & tomo septimo, lib. de prædestinatione Sanctorum, cap. 5 post mediũ, *quisquis* (inquit) *audet dicere: ex me ipso habeo fidem, non ergo accepi; profectò contradicit huic apertissimæ veritati: non quia credere, aut non credere non est in arbitrio humanæ voluntatis; sed in electis præparatur voluntas à Domino: ideò ad ipsam quoque fidem, quæ in voluntate est, pertinet: quis enim te discernit? quid habes quod non accepisti?* Irenæum lib. 4. cap. 62. *non tantùm* (inquit) *in operibus, sed etiam in fide etiam suæ potestatis arbitrium homini servavit Dominus, dicens: secundum fidem tuam fiat tibi*: Origenem homilia 2. in diversa loca Scripturæ: *à nullo aufertur*, inquit, *possibilitas credendi: hoc enim in arbitrio hominis, & cooperatione gratiæ constitutum est*: Ambrosium in cap. 4. ad Romanos in ea verba, *ei autem qui operatur: aut credere, aut non credere voluntatis est: nec enim cogi potest ad id, quod manifestum non est.*

S. Bernard.

Aug.

Irenæ.

Origen.

Ambros.

Quæ testimonia non possunt intelligi de illa voluntate inquirendi argumenta fidei: illa enim non facit fidem magis voluntariam, quàm mathematicas: & quemadmodùm hæ sunt assensus non voluntarius propalatæ veritatis, ita esset fides, si tantum esset libera in prima voluntate inquirendi: quod est contra testimonium S. Bernardi. Item qui se mathematicis liberè addixit, iam post studium non assentitur volens; sed independenter à voluntate: ita post applicationem ad argumenta fidei, iam non assentiretur quis volens: quod est contra testimonium S. Augustini. Item fides non esset magis in voluntate, quàm mathematicæ: quæ nullo modo sunt facultates voluntatis; fides autem dicitur ab Augustino esse in voluntate, nempè, quoad affectum credulita-

dulitatis, qui necessariò præparatur à Deo: at verò voluntas inquirendi argumenta fidei, non est necesse, vt sit à Deo, vt constat ex §. 9. Similiter in immediato assensu mathematicarum non servatur potestas arbitrij; ita nec servaretur in immediato assensu fidei, quod est contra Sanctum Irenæum & Origenem. Tandem in sententia, quam impugno, potestas credendi & non credendi non referretur in obscuritatem fidei; sed in negligentiam ei studendi, vt patet in ignavo mathematicarum studioso; qui si non assentitur, non est propter obscuritatem mathematicarum, sed propter incuriam: quæ sunt contra adductum testimonium Ambrosij.

§. 18. *Concil. Tolet. 4.* Deinde Concilium Toletanum quartum est expressè contra hanc sententiam: canone enim 55. probat, infideles non esse cogendos ad fidem: *Quia* (inquit) *sicut homo propria arbitrij voluntate serpenti obediens periyt, sic, vocante se gratià Dei, propria mentis conversione quisque credendo salvatur: ergo non vi; sed liberi arbitrij voluntate, vt convertantur, suadendi sunt; non potiùs impellendi.* Quibus verbis obtruncatur hæc sententia: quia assensus credendi permittitur libero arbitrio Iudæorum cum gratia Dei: ad quem assensum non sunt impellendi; hoc autem non tollit eos fuisse impellendos ad audiendam Christianam cathechesim: qua audita, suadendus erat assensus fidei; non ad ipsum cogendi infideles. At verò non poterat suaderi assensus, nisi propositæ fuissent rationes, quibus Iudæi converti possent ad fidem: his igitur auditis erant Iudæi suadendi ad fidem, non impellendi: videtur Concilium ex instituto damnasse hanc sententiam.

§. 19. Tertiò, existimo, eam sententiam esse contra testimonium Ioannis 12. 37. expendens enim S. Ioannes obstinatissimam duritiem Pharisæorũ, qui noluerunt Christo credere trahenti ad se vniversum Orbem *Ioann. 12. 37.* miraculis, atque portentis; ait: *cùm autem tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum*; hoc verò non erat ex applicationis defectu; ipsi enim testes fuerant Lazari ab inferis revocati: ait autem Evangelista versu 10: *Cogitaverunt autem Principes Sa-* *Ioann. 12. 10.* *cerdotum, vt & Lazarum interficerent: quia multi propter illum abibant ex Iudæis, & credebant in Iesum.* Constat autem ex capite *Ioann. 11. 47.* 11. 47. eos non peccasse ex ignorantia signorum; *collegerunt ergo Pontifices & Pharisæi Concilium, & dicebant: quid facimus, quia hic homo multa signa facit? si dimittimus eum sic, omnes credent in eum.* Cognoverunt ergo Pharisæi multitudinem signorum, eorumque magnitudine omnes credituros in Christum: nonne poterant ipsi credere cognoscentes cæteros credituros? eadem miracula viderant turbæ, quæ & Pharisæi: his visis turbæ crediderunt, Pharisæi non crediderunt: ergo illa infidelitas non fuit ex negligenti applicatione; sed ex prava Iudæorum voluntate: ad quam obcæcatam à Deo, & non ad negligentem applicationem ad signa recurrit Ioannes 12. 39. *Proptereà non poterant credere, quia* *Ioann. 12. 39.* *iterùm dixit Isaias: excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum, vt non videant oculis, & non intelligant corde, & convertantur, & sanem eos.*

Ipsi autem pro sua sententia obijciunt §. 56. primo Aristotelem 3. de anima, capite 3. *1. Obiectio* asserentem non esse situm in nobis opinari. Respondeo, ab Aristotele ibi non vsur- *Respond.* pari opinionem pro assensu probabili, aut fidei; sed pro quocumque assensu aut dissensu: distinguit enim ibi imaginationem ab existimatione: imaginationem quidem in nostra constituit voluntate, quia possumus fingere, quæ volumus: existimationem autem non constituit in nostra voluntate, quia pro libito, & absque fundamento non possumus assentiri, aut dissentiri alicui obiecto: proposita autem ratione probabili, possumus illi assentiri aut dissentiri pro libito: verba Aristotelis, hæc sunt: *non* *Aristot.* *idem autem esse imaginationem, existimationemve patet: hic enim affectus in potestate nostra sine controversiæ collocatur: licet namque, cùm libet, fingere quidquid volumus, atque ante oculos ponere: perinde atque ij faciunt, qui in artificiosæ memoriæ comparatis, atque dispositis locis, imagines fingunt, atque simulachra collocant: at opinari in nobis non est situm, necesse est enim opinantem, veram, aut falsam existimationem habere.* Quod si hoc argumentum aliquid efficeret, concluderet quidem nullam esse opinionem probabilem; sed omnes actus intellectus esse evidentes.

Argumentantur secundò: quia assensus §. 21. de authoritate divina est nobis omninò ne- *2. Obiectio* cessarius, quia est evidens: ex hoc autem assẽsu sequitur necessario assensus de rebus à Deo dictis. Respondent aliqui, assentiri authoritati divinæ vt sic, esse independens à nostra voluntate; assentiri autem illi super omnia alneâ dependere: Contrà: assensus ipse super omnia nihil addit ex parte intellectus; at ex parte volũtatis addit affectũ discedẽdi à quovis alio obiecto potiùs, quàm à fide. Hic affectus versatur circa actus intellectus sitos in nostra libertate, at non versatur circa actus necessarios, quia ab illis discedere nequaquã possumus: ille igitur affect⁹ credẽdi Deo super omnia credibilia versatur immediatè circa revelationẽ: quia

S.Tho. q. 2. Art. 9. quia cùm illi possimus assentiri, & dissentiri, eum assensum per affectum credulitatis præferimus cæteris omnibus assensibus, qui in nostra sunt potestate: comparatione autem eorum, qui in nostra potestate non sunt, non possumus ita versari per actus efficaces: amore tamen (vt aiunt) appretiativo possumus obiectum, quod non est in nostra potestate, cæteris anteponere: quia, quamvis non possimus obiectum illud facere, possumus tamen illud pluris, aut minoris æstimare: sic æstimamus assensum de authoritate Dei pluris, quàm alios. Ad argumentum ergo respondetur, ad assensum mysterij revelati requiri assensum de existentia revelationis, qui nobis est liber.

§. 22. 3. Obiectio Tertium argumentum: quia Dœmones credunt absque affectu pio: ergo & nos possumus credere. Respondent aliqui, Dœmones habere evidentiam moralem mysteriorum fidei, qua evidentiâ determinantur ad assensum necessariò propter vivacitatem intellectus. Contrà: evidentia moralis solùm, quia non est evidentia simpliciter, non determinat intellectum ad assensum. Quapropter aut dœmones habent naturalem evidentiam in attestante, aut determinantur per liberum affectum naturalem ad assensum naturalem fidei.

Respond.

SECTIO. IIII.

Quoties, & ad quos actus exigatur affectus liber ad credendum?

§. 23. 1. Conclus. DICO primò: quoties homo iustificatur de novo, exigitur affectus ex gratia per Christum ad credendum. Hęc conclusio satis constat ex disput. 40. à. §. 13. quia in Concilio Tridentino Sess. 6. cap. 8. fides constituitur initium omnis iustificationis: *sine qua impossibile est placere Deo, & ad filiorum eius consortium pervenire.* Hoc autem initium ex eodem Concilio, & Arausicano 2. sumitur à gratiâ excitante per Christum: quæ datur ad credulitatis affectum; non verò datur ad affectus habituales immediatè.

Concil. Arauf. 2.

§. 24. 2. Conclus. Dico secundò: ad quemlibet assensum obscurum fidei exigitur actualis affectus, neque sufficit habitualis. Hæc conclusio ex communi consensu Theologorum, traditur à P. Luisio disputat. 29. dub. 2. versu *nihilominus*. Probatur primùm: quia, ad credendū per fidē existentiā Dei, & remunerationē æternā in prima iustificatione, exigitur actualis gratia per Christum: ergo & ad eadem credenda post primā iustificationem. Probo consequentiam: quia ex parte actus fidei eadem est necessitas vtrobique. Secundò probatur à priori, quia necessitas voluntatis oritur ex obscuritate obiecti. 2. Probat. Intellectus non habet immediatam libertatem in suos actus; sed illos efficit necessariò, determinatus, aut à voluntate, aut ab obiecto: in nullo casu determinatur ab obiecto adæquato fidei: quia ex parte obiecti non determinatur intellectus, nisi per evidentiam, quæ in obiecto adæquato fidei nulla est, neque apparens: cui enim apparet, vix est sui compos: debet ergo determinari à voluntate: quamvis enim voluntas ijs in casibus non se teneat ex parte obiecti; tamen repræsentatâ semel probabiliter, & prudenter veritate obiecti, potest voluntas præcipere intellectui, vt ei veritati assentiatur.

P. Luis. Probat. 1.

§. 25. Dices, sufficere voluntatem habitualem. Adverte hanc voluntatem habitualem nihil esse præter habitum voluntatis acquisitum, aut infusum: ab hoc nihil potest oriri nisi medijs suis actibus: nam habitus de voluntate credendi non tendit in actum fidei, qui est eius obiectum, nisi per actus volendi credere: etenim tendentiæ habituum sunt ipsi illorum actus: quemadmodum visus non tendit in colorem, nisi per visionem: cùm igitur habitus piæ affectionis non habeat influxum immediatum, nisi in ipsos credulitatis affectus, non potest nisi per illos movere intellectum ad credendum: cùm ergo assueti huic opinioni, aut fidei, difficilè admittimus assensus oppositos, id non fit præcisè per solos habitus; sed quia habituum facilitate exercentur actus frequenter, quorum frequentiâ impediuntur actus oppositi.

§. 26. Hinc etiam deduces, non sufficere ad assensum fidei, vt voluntas se gerat permisivè, actum neque imperans, neque cohibens: nam in prima iustificatione necessarius fuit positivus voluntatis influxus. Item intellectus exercet omnem actum fidei determinatus ab aliquo principio: liberè enim non operatur; sed non determinatur à voluntate, quia hæc nullum actum exercet, per te; ergo determinatur ab obiecto: hoc autem est impossibile, quia ex parte obiecti nihil determinat intellectū, nisi evidentia: quòd si intellectus naturâ suâ raperetur circa obiectum obscurum, numquā illi posset dissētiri: quemadmodū nō potest dissentiri obiecto evidēti. Posset quidē volūtas suspēdere exercitiū assen-

assensus in aliquorũ opinione: at verò oppositum imperare non posset. Denique credere esset absque merito: vt ergo nullus potest esse motus progressivus absque actuali appetitus imperio: ita intellectus non potest exercere aliquem actum, nisi positivè determinatus, aut à voluntate, aut ab obiecto.

§. 27. 2. Solut. Dices secundò: primum argumentum propositum §. 24. esse inefficax: quia ad primam iustificationem exigitur affectus credulitatis plenè liber, neque sufficit affectus indeliberatus: ad cæteros autem actus non exigitur deliberatio plena: ergo ex eo quod ad primam iustificationem exigatur actualis voluntas ad credendum, non sequitur eamdem exigi ad credendum alijs vicibus. De antecedenti agendum disput. 46. §. [illegible] nunc autem nego consequentiam: quia voluntas actualis ad credendum in primâ iustificatione exigitur, vt intellectus habeat, vndè determinetur: at non potest determinari ab obiecto: ergo à voluntate: necessitas autem plenæ deliberationis oritur ex reconciliatione cum Deo, quæ necessariò est vndique libera, non solùm ex parte voluntatis; sed etiam intellectus, cuius actus liberè imperentur.

Impug.

§. 28. 3. Conclus. Dico tertiò, non solùm exigitur affectus liber ad credendum humanâ fide; sed alius distinctus exigitur ad credendum fide Catholica. Hæc sententia est contra Scotum in 3. dist. 25. quæst. 2. ideò dico: quem sequuntur discipuli: cuius sententiam probabilem censent non pauci viri docti: opinantes sufficere ad credendum fide Catholicâ, intellectum esse determinatum à voluntate: hanc autem determinationem habet à voluntate datâ ad fidem humanam: ergo non exigitur alia: minor patet, quia præstito assensu fidei humanæ, non est in nostra potestate cohibere assensum Catholicum.

§. 29. Animad. Probationi præmitto: fidem humanam exerceri posse, primùm cum aliquo periculo formidandi prudenter, vt cum quis sibi persuadet hanc hostiam esse consecratam: quamvis enim id prudenter credit, tamen prudenter etiam potest formidare. Quando sic credimus fide humana, non est paratus concursus ad credendum fide divina obiectum illud: quia deest sufficiens applicatio ad assensum Catholicum: vndè præter hanc voluntatem exigitur alia nova per Christum, quâ credamus super omnia revelationem Dei existere: hic autem modus credendi præfert assensum illum, & obiectum cæteris obiectis credibilibus, & assensibus in illa. Secũdò, fide humana credimus absque vlla formidine, & hæsitatione, ita vt nullus sit locus dubitationi prudenti: tunc dico exigi duos affectus credulitatis, alterum naturalem quoad substantiam, quo imperetur fides naturalis quoad substãtiã: alter vero affectus est supernaturalis, quo imperetur Catholicus assensus: sæpiùs enim dixi exerceri actum naturalem circa supernaturale obiectum, quoties exercetur actus supernaturalis. Neque illi duo assensus fidei habent interse prioritatem aliquam; sed sunt simul tempore, & natura.

Vndè per affectum circa assensum naturalem non est determinatus intellectus ad Catholicum assensum. Ad argumentum ergo ex §. 28. distinguo maiorem sufficit intellectum esse determinatum ad credendum, vt cumque; nego maiorem: sufficit esse determinatum convenienter, concedo maiorem: distinguo item minorem: per affectum ad fidem naturalem est intellectus determinatus ad credendum, vt cumque, concedo minorem: ad credendum, vt expedit ad salutem, nego minorem, & consequentiam: hac de re vide P. Vazquez 1.2. disput. 186. & P. Suarez tom. 1. de gratia, lib. 2. cap. 1. 2. & 3. §. 30. Ad arg.

Quia verò aliqui censent, posse actum supernaturalem imperari actu naturali; nec esse necessarios duos actus exerceri circa obiectum supernaturale, est consequenter dicendum in sententia Scoti, sufficere vnũ affectum ad illos duos assensus fidei humanæ, & divinæ: addendum tamen est affectum illum credendi esse supernaturalem quoad modum: quia numquam est admittendus fidei Catholicę assensus, quin sit ex inspiratione, & excitãte gratia per Christũ vt ostendi ex Concilio 2. Arausicano canone 5. & ex Tridentino sess. 6. c. 6. & can. 3. §. 31.

DISPVT. XLVI.

De qualitate affectus credulitatis.


OSTENSA necessitate actus voluntatis ad exercendam fidem, oportet disquirere qualis sit affectus ille. Vbi quatuor difficultates expediam, primam, vtrùm affectus ille sit supernaturalis? secundam, vtrùm possit esse intrinsecè malus? tertiam, vtrùm possit libertate carere? quartam, vtrùm possit esse absque perfectâ deliberatione? §. 1.

S.Tho. q. 2. Art. 9.

SECTIO I.

Affectus ille est supernaturalis.

§. 2. 1. Conclus. DICO primò: affectus credulitatis, quo volumus fide Catholicâ credere, est supernaturalis quoad substantiam, vel modum. Ens supernaturale quoad substantiam est, quod nullo modo continetur in virtute activa, aut passiva caussarum, vt agentium iure naturæ, in quocumque statu naturali considerentur, vt est creatio accidentis: sive est quod spectat ad gradum videndi Deum formaliter, aut caussaliter: huius generis sunt vnio hypostatica, & beata visio, & fides. Ens supernaturale quoad modum est, quod in substantia continetur in sola virtute activa, aut passiva alicuius caussæ naturalis, considerata secundum se; tamen hîc & nunc conceditur ipsi naturæ ad finem aliquem supernaturalem; & propter supernaturalia merita Christi. Hæc assertio docetur à P. Suar. disp. 6. sect. 7. num. 5. P.Suar.

§. 3. Probatio. Probatur conclusio: quia omnis actus donatus ex gratia per Christum ad iustificationem, vel finem aliquem supernaturalem, est aliquo modo supernaturalis; sed omnis actus voluntatis ad credendum fide Catholicâ datur ex gratia per Christum: vt ostendi disputatione 40. à §. 13. ergo omnis eiusmodi actus est supernaturalis. Confirmatur; quia disputatione 47. §. secundo ostendam ex S. Augustino omnem actum fidei esse congruè meritorium iustificationis: fides autem exercita in gratia est meritum condignum augmenti gratiæ, & gloriæ. Omne eiusmodi meritum esse ex meritis Christi, & aliquo modo supernaturale, ostendi disputans de merito. Confirm.

§. 4. 2. Conclus. Dico secundò: hic affectus credulitatis est supernaturalis quoad substantiam. Hæc conclusio supponit actum fidei, & alios eiusmodi esse supernaturales quoad substantiam: quod probandum inferiùs: vbi ostendam eiusmodi actus esse, qui positivè conferunt ad iustificationem, & gloriam, vt media per se ad illas conducentia; sed hic affectus credulitatis per se confert ad iustificationem, vt medium: ergo est supernaturalis quoad substantiam. Minor patet ex Tridentino sessione 6. can. 3. vbi constituitur fides, vt oportet ad salutem; cap. autem octavo fides constituitur radix iustificationis; capite sexto definitur fides esse dispositio ad iustificationem impij: & capite septimo dicitur iustificatio sequi dispositionem illam. Dispositio autem positivè confert ad formam, ad quam disponit; & fundamētum ad ædificium, quod sustinet. Quàm verò sit vtilis fides, ex Paullo cognosces ad Hebræos 11. Trident.

Ratione probatur, quia omne obiectum supernaturale quoad substantiam, petit cognosci, & amari actu supernaturali quoad substantiam, vt ostendi, ostensurus iterum; sed actus fidei est supernaturalis quoad substantiam: ergo petit cognosci & amari actu supernaturali quoad substantiam; sed amatur affectu credulitatis: ergo actus credulitatis petit esse supernaturalis quoad substantiam. §. 5. Ratio.

Rogas primò: ad quem habitum spectet hic affectus? Respondeo primùm, posse assensum Catholicæ fidei imperari à charitate, alijsque virtutibus infusis ex proprio illarum obiecto: exēpli gratiâ: considerat iustus placere Deo, quod ipse credat revelationem de Incarnatione: potest ex affectu placendi Deo imperare actum credendi: quod non leviter insinuat S. Paullus 1. ad Cor. 13. 7. *charitas omnia credit*. Dices, id intelligi, quia charitas imperat immediatè affectum credulitatis. Contrà, vt per te potest imperare affectum credulitatis, cur non poterit immediatè imperare ipsum assensum fidei? Ratio à priori, quia assensus fidei potest esse vtilis ad obiectum aliarum virtutū, vt ex se constat; sed medium vtile fini potest eligi à virtute amante finem illum: item intellectus obedit imperio voluntatis in actibus obscuris: ergo cæteræ virtutes infusæ possunt imperare assensum fidei. §. 6. 1. Ad Corint. 13. 7. Obiectio. Refell.

Item est specialis virtus per se infusa, quæ ex ipsa honestate credendi imperet assensum fidei. Probatur, quia omne bonum supernaturale potest amari propter ipsum: habet enim bonitatem alicuius pulchritudinis se ipsâ allicientis voluntatem: vt patet in bonis naturalibus: quod quidem maximè cernitur in perfectione intellectus: supernaturalis enim cognitio Dei est ratione sui appetibilis; sed assensus Catholicus est bonum supernaturale, & cognitio Dei perfectior omni cognitione naturali: ergo est propter se ipsam amabilis. Confirmatur, quia circa obiecta naturalia constituuntur ferè ab omnibus habitus per se infusi, qui vocantur virtutes morales infusæ: ergo multo meliùs constituentur circa obiecta supernaturalia: hæc autem virtus vocatur à Theologis *pia affectio*; in Concilio Arausicano secundo vocatur *affectus credulitatis*. §. 7. Confirm.

Dices, hinc sequi esse infinitos habitus per se infusos: quia actus singularum virtu- §. 8. Obiectio.

tum,

tum, cùm sint supernaturales, sunt per se amabiles actu supernaturali; hi autem actus supernaturales sunt amabiles per alios absque fine: ergo. Respondeo, non repugnare de potentiâ absoluta hunc processum infinitum habituum; sicut neque actuum: etenim in intellectu, & voluntate non est finis actuum reflexorum. Potest item esse vnus actus, qui habeat pro obiecto adæquato omnes virtutes infusas voluntati. Quando igitur amamus eas virtutes, non possumus certò scire, an hoc vel alio habitu; an verò per auxilium extrinsecū? quia hic amor neque necessarius est, & rarus: oportuit autem constituere habitum piæ affectionis, vt connaturaliùs amemus fidem, quæ exerceri non potest absque actu libero supernaturali, eiusque actus sunt non modo frequentes; sed etiam omnino necessarij ad salutem.

Resp.

§. 9. Obijcis secundò actuum supernaturalium progressionem infinitā: quia affectus ille supernaturalis oritur à cognitione supernaturali; & hæc ab alio affectu: ergo. Hæc nego, sunt enim hi actus. Primus est auditio mysteriorum, & revelationis: estq; apprehensio simplex, nihil de revelatione affirmans, aut negans. Secundus est cognitio evidens naturalis de obligatione credēdi. Tertius, actus prudentiæ supernaturalis: de quibus agetur disp. 57. §. 4. & 5. P. Suar. disputat. 6. sect. 8. fusè agit hac de re, & admittere videtur aliud iudicium supernaturale distinctum à prudentia: quod nō videtur necessarium.

§. 10. Adverte, huncaffectum supernaturalem immediatè versari circa assensum de existentia revelationis, quæ libertate immediata creditur: quia ex humana propositione Ecclesiæ non efficitur syllogismus, cuius conclusioni assentiamur necessariò ex suppositione assensus præmissarum: non enim dicimus: *omne, quod Ecclesia authoritate humana dicit, est necessariò; dicit revelationem: ergo est revelatio.* Si enim ita ratiocinaremur, assensus de revelatione non esset immediatè liber; sed vtimur hoc discursu: *Quoties Ecclesia authoritate humana dicit, tenemur credere, dùm non opponitur manifestè veritati; sed dicit revelationem: ergo tenemur eam credere*: hæc conclusio est evidens de obligatione credendi: qua posita, adhuc est in nostra potestate non credere: ad credendum ergo, egemus pio affectu. Et quia moraliter non potest Ecclesia authoritate humana dicere aliquid apertè contra rationem: ideò semper tenemur illi credere. Recognosce disput. 4. §. 12.

SECTIO II.

Affectus credulitatis non potest esse naturalis quoad substantiam.

ROGAS secundò, vtrùm hic credulitatis affectus sit necessariò supernaturalis quoad substātiam? Videtur enim satis probatum sectione prima, posse actum supernaturalem quoad substantiam, immediatè versari circa Catholicum assensum: at verò id esse necessarium, nondum est probatum: etenim circa naturale obiectum potest esse supernaturalis actus, potest item & naturalis: sic in obiectum supernaturale possumus tēdere actu iam naturali, iam supernaturali. §. 11.

Dico tertiò: assensus Catholicus non potest imperari credulitatis affectu naturali quoad substantiam. Probatur primò: quia nullus actus naturalis quoad substantiam positivè conducit ad iustificationem, vt medium per se; sed tantùm removendo prohibens: ergo ille affectus non potest esse naturalis quoad substantiam: probo consequentiam, quia affectus ille positivè conducit ad iustificationem: est enim principium per se assensus Catholici; hic verò est etiam principium per se supernaturalium affectuū charitatis, quæ est vltima dispositio ad iustificationem. §. 12. 3. Concl. 1. Prob.

Confirmatur, quia inter dispositiones ad iustificationem fides tenet locum, si non primum, quem cedit charitati; tenet tamen dignitate secundum, ordine autem primum: est enim substantia sperandarum rerum, id est, ossa & nervi corporis Christiani: vndè, cùm iustificatio sit supernaturalis in substantia, non potest inniti fundamento naturali. Quia igitur fides in ratione dispositionis ad iustificationem non præscinditur ab affectu credulitatis, ideò, vt ipsum assensum credendi constituimus supernaturalem in substantia, ita & affectum illum. §. 13. Confirm.

Secundò probatur: quia Concilium Arausicanum secundùm Canone quinto exigit ad credendum fide Catholica talem affectum credulitatis, qualis exigitur ad corrigendum hominem ab infidelitate; sed solus affectus naturalis in substantia non sufficit ad corrigendum hominem ab infidelitate: ergo: minor probatur, quia solus assensus Catholicus, & habitus infusus fidei cōstituunt hominē Catholicū; cæteri autem assensus, aut habitus naturales id non præstant; sed ad alios actus, & habi- §. 14. 2. Probat. Concil. Arausic. 2.

S.Tho. q. 2. Art. 9. habitus naturalis; potest dari etiam in hæretico affectus credulitatis ex gratia per Christum, & supernaturalis in modo; in hæretico verò non reperitur eiusmodi affectus supernaturalis corrigens eũ ab infidelitate: ergo solus affectus supernaturalis quoad substantiam sufficit ad assensum Catholicũ.

§. 15. Rẽ explico: considera hæreticũ, à quo negatur aliquis articulus fidei: huic proponitur alius articulus, quem si negat, committit peccatum mortale, idque ipse videt: non vult illi dissentiri; sed potius illum firmiter credit propter miracula, & alia testimonia, quæ ipse iudicat habere vim obligandi ad credendum: hic potest excitari ex gratia per Christum ad affectum credulitatis naturalem in substantia: sitque hic articulus, quem credit, de existentia Dei, & remuneratione æterna: hic affectus est supernaturalis in modo: & tamen non est sufficiens ad corrigendum hominem ab infidelitate: homo enim ille manet hæreticus: ergo alius affectus nobilior requiritur ad corrigendum hominem ab infidelitate. Itẽ constituta semel hâc credulitate supernaturali, homo corrigitur ab infidelitate, quia ex illa sequitur necessariò assensus Catholicus: ergo ista credulitas supernaturalis in substantia est, quæ sola corrigit hominem ab infidelitate, estque necessaria ad credendum, vt oportet ad salutem. Et quidẽ quod Paullus adscribit fidei, & Cõcilium Tridẽtinum, malè quadrat in fidem imperatam actu naturali.

§. 16. Pone enim actu naturali ab aliquo credi existentiam Dei, & remuneratione̜ æternam: ille poterit vltimò disponi ad salutem sine actu supernaturali credulitatis: quia illa fides est per te supernaturalis, ex qua immediatè potest sequi supernaturalis amor in Deum: quem amorem sequitur infallibiliter iustificatio: hic non indiguit gratia Christi ad credendum, vt oportet ad salutem; hoc autem est contra Concilium: ergo maior patet, quia sine gratia per Christum possumus sine hæsitatione credere aliquod mysterium credulitatis affectu naturali: ex hoc autem affectu potest per te sequi assensus supernaturalis: ex hoc amor, & iustificatio: ergo gratia per Christum non est absolutè necessaria ad credendum, vt oportet ad salutem.

§. 17. Obiectio. Refell. Dices, necessariũ esse affectũ credulitatis ex gratia per Christũ. Contrà primò: quàvis possit hæreticus ex gratia per Christũ vitare aliquod peccatũ infidelitatis, vt ostendã in disputationibus de gratia: tamẽ nõ est necessaria ea gratia per Christũ ad credendas omnes revelationes: quia difficultas credẽdi absque formidine, nõ est tanta, quæ vinci nõ possit absque gratia per Christũ. Quod patet; quia hæretici sine vlla formidine adhærẽt suo errori, vincentes difficultatẽ credẽdi absq; gratia per Christũ: ergo absq; ea gratia poterit etiã vinci difficultas credẽdi existentiã Dei, & remunerationẽ æternã: maximè cũ interdũ possit cessari ab assẽsu absque peccato. Ponamus enim hominẽ semel assensisse illi mysterio, & per occupationẽ brevem intermisisse assẽsum, mox autem proponatur eadem revelatio, non tenetur tũc protinùs exercere assensũ: demus ergo tunc assensũ illũ exerceri per credulitatẽ naturalẽ absq; gratia per Christũ, hinc nullũ sequitur absurdũ. Dicunt aliqui non posse vinci tentationem aliquam absque gratia per Christũ. Benè: hic nõ vincitur, quia quamvis nõ exerceretur assensus, non committeretur peccatum.

Contra secundò: si assensus Catholicus potest imperari affectu naturali, poterit etiam imperari per affectum indifferentem: nullum enim est in vtroque discrimen: quia considerari poterit fides, vt cæteri actus intellectus, non satis penetratâ honestate credendi; vel si penetratur, potest referri ad finẽ indifferentẽ, vel etiã pravũ, vt opinãtur aliqui; sed ad actũ indifferentem non exigitur gratia Christi: ergo credi poterit fide Catholicâ absque gratia per Christum. Quàvis enim assensus ipse eliciatur per cõcursum supernaturalem; id tamen non cõtingit ex gratia excitante, quia hæc non datur immediatè nisi ad consensus liberos: fides verò iustificans non potest Catholicè admitti sine gratia excitãte, vt constat ex Tridentino sess. 6. cap. 6. & ex Arausicano 2. can. 5. ergò. Exigunt ergo Concilia in intellectu fidem, vt oportet: non ob meritũ congruum; sed vt intellectus sit physicè aptus ad actus spei infusæ, & charitatis: ergo si solis naturæ viribus quoad substãtiã, possumus hanc fidẽ habere, iam intellectus credit vt oportet: à quacũque enim voluntate ponatur, est sufficiens principium ad actus spei, & charitatis infusæ. §. 18. Refell. 2. Trident. Arausic.

Ratione probatur eadem cõclusio: quia actus supernaturalis voluntatis non potest oriri immediatè à cognitione naturali: vt pono ex disputationibus de gratia: ergo neque actus intellectus supernaturalis potest oriri à voluntate naturali. Dices, longũ esse discrimen: quia actus intellectus est essentiale, & immediatum principium amoris; inter amorem autem & cognitionem tenetur proportio generis eiusdẽ: non enim potest sẽsio esse principiũ volitionis: at verò inter actus imperãtẽ, & imperatũ nõ exigitur ea cõveniẽtia: potest enim act⁹ supernaturalis imperare actionẽ externã materialẽ, & §. 19. Ratio. Evasio.

& naturalem: cognitio autem supernaturalis non potest esse principium amoris naturalis. Respondeo: affectum credendi tàm immediatè concurrere, & ex natura rei tàm necessariò, ad assensum fidei, quàm cognitio ad amorem: quia fides tàm dependet à voluntate ex natura rei, quàm amor à cognitione: exemplum actus imperati est abs re: tùm quia sumitur ab imperio nobiliore actibus imperantis: voluntas enim supernaturalis perfectior est motibus externis: effectum verò minùs nobilem oriri à caussa nobiliori, quid miraculi? Assensus autem Catholicus est ordinis nobilioris imperio naturali; quid mirum si ei non pareat? actus externi obediunt non solùm rationi; sed etiam appetitui: quia per intellectum & sensum providetur bono totius animalis: & quamvis ex intellectione non sequitur immediatè appetitio, tamen ex voluntate sequitur immediatè motus: ergo quàvis ex cognitione supernaturali non inferatur amor naturalis; tamen ex amore supernaturali poterit inferri motus externus. Discrimen est, quia amor fertur in bonum, vt repræsentatur, sicque exigit congruam repræsentationem: motus autem externi sunt, quasi efficienter ab imperio; efficiens verò potest esse in superiori ordine effectu.

Resp.

§. 20. A priori probatur conclusio: quia imperium est in genere superiori, quàm actus imperatus; sed actus naturalis non est in genere superiori, quàm Catholicus assensus; ergo actus naturalis non potest imperare assensum Catholicum. Minor non eget probatione; quia genus naturale est longe inferius supernaturali: maior patet tum quia imperare pertinet ad superiorem; obedire autem ad inferiorem: tùm etiam quia imperium est aliquod genus caussæ, & imperatum pertinet ad effectum. Item fides dirigit nos in finem supernaturalem, in ordine ad quem obedit voluntati; sed actus naturalis non est directio ad finem supernaturalem: ergo. Iam ostendi disput. 18. fidem non posse esse falsam: quia sic non dirigit in Deum: ita nec imperata actu naturali.

§. 21. 1. Obiectio. Obijcies primò: voluntas imperat intellectui actus obscuros: cùm tamen imperfectior sit voluntas intellectu: ergo ad imperandum non exigitur ordo superior in imperante. Respondeo, voluntatem & intellectum se habere vt excedens & excessum; præstat enim intellectus voluntati absolutè: voluntas autem in multis etiam præstat intellectui, suntque generis eiusdem: vndè in vna specie reperitur sufficiens perfectio ad supplendum defectum alterius speciei: sicque providetur bono totius viventis. At verò genus naturale quàm longissimè distat à supernaturali: quapropter naturale non est institutum ad supplendum defectum supernaturalis. Quemadmodùm appetitus non imperat intellectui: intellectus autem imperat appetitui, propter maiorem perfectionem intellectus: ita actus naturales non sunt supernaturalium directio: quia naturales propter ignobilitatem sunt expositi defectibus non paucis, ob quos eos dedecet imperium in supernaturales: hos autem id decet in illos ob nobilitatem.

Respond.

§. 22. 2. Obiectio. Obijcis secundò, actum voluntatis non esse caussam assensus Catholici per efficientiam; sed tantùm per extrinsecam applicationem: & quamvis imperium efficeret actus imperatos, adhùc eos non efficeret solum; sed simul cum habitu per se infuso, aut extrinseco auxilio: quemadmodum intellectus elevatur ad agendum. Respondeo: quamvis in appetitu poneretur imperium in actus rationales, non tamen esset efficienter, vel esset cum concursu potentiæ superioris: ergo ex alio capite repugnat. Dico igitur imperium voluntatis concurrere ad intellectionem imperatam in eo genere, in quo cognitio ad amorem: & quemadmodum naturalis cognitio non deducit supernaturalem amorem; ita neque voluntas naturalis supernaturalem assensum. Ad secundam rationem respondeo, ex habitu, & potentia constari principium adæquatum actuum supernaturalium in genere caussæ efficientis: voluntas autem respectu intellectionis imperatæ constituitur in alio genere caussæ perfectio; habet enim ius tàm in intellectum, quàm in habitum infusum, vt eos moveat ad operandum: ad quod indiget elevatione per actum supernaturalem, non minùs quàm intellectus in suo genere. Ad recipiendum formaliter non exigitur elevatio, quæ simul recipiat: quia hæc caussalitas est valde imperfecta; nec tàm spectat ad perfectionem dandam, quàm ad recipiendam, quæ aliunde datur: eaque propter receptio Deo repugnat; secus efficientia, & imperium.

Resp.

S.Tho. q. 2. Art. 9.

SECTIO III.

Utrùm affectus supernaturalis possit vitiari?

§. 23. AFFECTVS vitiari potest triplici ex capite. Primùm intrinsecè, amando obiectum pravum, aut circumstantiam malam; vt furtum, aut ciborum cōditionē in templo. Secundò ex aliqua circumstantia indirectè amata; vt vsus cibi horâ prohibita. Tertiò ex actu aliquo reflexo vitioso imperante directum honestum: vt si ego crediturus sum affectu supernaturali: volo item captare auram ex fidei credulitate supernaturali, eam reflexè volo affectu inani, qui in se malus est: credulitas tunc est intrinsecè bona; mala autem per extrinsecam denominationem ab actu reflexo imperante.

SVBSECTIO I.

Actus supernaturalis non potest directè, & intrinsecè esse malus.

§. 24. Vazq. Suar. Luis. Bañez. CONCLVSIONEM hanc docent omnes ferè Theologi. Ac primùm qui censent non posse ab extrinseco vitiari actum fidei, meliùs dicent nec ab intrinseco posse vitiari actum supernaturalem. Ij sunt Pater Vazquez tomo primo, in 1. 2. disputat. 55. cap. quarto, num. 26. & dist. 186. cap. 3. Pater Suarez dist. sexta de fide sect. septima, num. 12. Pater Luis disputat. 33. dub. 1. versu *alia opinio*. Pater Ægidius dist. 14. à num. 23. ad 31. Magister Bañez quæst. quarta, articulo quinto: item ex ijs, qui admittunt posse ab extrinseco vitiari actum supernaturalem, vix vnus affirmat eum posse esse ab intrinseco malum.

§. 25. 1. Probat. Probatur primùm argumento Patris Vazquez: quia Christus non fuit mortuus, vt nobis impetraret actum, quo damnaremur, aut quo disponeremur ad damnationem: non enim fuit mortuus, nisi vt nos liberaret à peccato; sed si actus supernaturalis posset esse malus, mortuus fuisset Christus, vt nobis impetraret aliquod peccatum: ergo. Probo minorem: quia Christus mortuus est, vt nobis impetraret omnes actus supernaturales; nullusque nobis datur, qui non sit ex gratia per Christum; sed ex illis potest aliquis esse peccatum, & de facto est aliquando: ergo Christus mortuus esset, vt nobis impetraret peccatum.

§. 26. Obiectio. Refell. Dices, Christum mortuum fuisse, vt nobis impetraret actum supernaturalem formaliter, non verò qua ratione peccatum est. Contrà: Deus concursu generali est absolutè caussa physica actus, qui est peccatum: quia totus ille actus peccatum est, quamvis non est caussa peccati absolutè: quia hoc significat caussalitatem moralem: ergo multò melius Christus fuit nobis causa meritoria moralis actus, quo damnemur. Probo consequentiam: quia sicut Deus concurrit physicè ad entitatem actus mali; ita Christus nobis petijt supernaturalitatem actus peccati: ergo Christus oravit, vt nobis daretur ille actus, quo vidit Deum offendi; sicut Deus producit concursu generali entitatem illam, qua vidit se offendi: & quod in Deo agente vniversali non est absurdum propter vniversalitatem, & indifferentiam actionis, est in Christo absurdum: quia vt caussa privata, voluntate directa, & efficaci nobis postulasset actum, quo damnaremur. Egregius quidem fuisset Redemptor, qui sanguinem suum obtulisset pro peccato supernaturali, non quia peccatum est; sed quia supernaturale, videns illâ numero supernaturalitate Deum offensum iri, quem more Redemptoris erat placaturus.

§. 27. 2. Probat. Secundò probatur: quia Deus esset specialis author peccati, non quidem reduplicativè, vt peccatum est; sed specificativè: hoc autem esse absurdum patet: quia Deus ad actum peccati etiam materialiter non concurrit, vt author specialis; sed vt caussa communis, & generalis. Immò physicè prædeterminantes, dicunt prædeterminationem esse causalitatem caussæ primæ, vt prima est; quia est complementum caussarum secundarum: at verò non dicunt Deum esse specialem authorem; sed communem entitatis, quæ est peccatum. Neque dicunt Deum posse nobis consulere peccatum etiam materialiter, & sub ratione entis: quia hoc consilium non spectat formaliter ad caussam vniversalem, & physicam; sed ad privatam, & moralem. Maior patet: quia Deus est author specialis omnis actus supernaturalis; sed ille actus est peccatum: ergo Deus esset specialis author actus, qui est peccatum.

Confir-

§. 28. *Confirm.* Confirmatur: Deus non solùm est caussa physica, sed etiam moralis actuum supernaturalium; ad quos nos invitat per gratiam suam, & cogitationem congruam: ergo Deus esset caussa moralis, & consulens eum actum, quo possemus damnari, aut disponi ad damnationem. Nescio sanè qua ratione hæc sententia posit inter Catholicos tolerari. Si enim hæc actio absolutè est peccatum, quod beneficium est illa, vt mihi detur ex gratiâ per Christum, & vt mihi Deus illam consulat? nonne omnis permissio peccati est beneficij subtractio? Quod potest esse supplicium grauius permissione peccati? aut quod est apertius signum irati numinis? At Deus, quando peccatum permittit, non influit in illud, qua ratione peccatum est; sed qua ens. Neque illud suadet sub ratione peccati, aut sub ratione entis, sed potius, quod in ipso est, dissuadet ne fiat etiā sub ratione entis, ne sit author peccati, si illud suaderet. Quod igitur est acerbissimũ suppliciũ, quod est apertissimũ iræ signũ, vis mihi persuadere, id mihi à Deo pro beneficio donari pro gratia Christi; pro eius meritis mihi repēdi, & mihi à Deo efficiēter suaderi, & persuaderi? & quod Patres Sācti cōclamāt de singulari beneficio Dei in donandis hominibus gratia congrua, vis quadrare in excitationem ad actum, quo intereamus? idque sine authoritate, sine ratione.

SVBSECTIO II.

Alia probatio.

§. 29. 3. *Prob.* NEC levius est hoc argumentum: actus directè malus siue ex obiecto, siue ex circumstantia est immediatè, & in se, & directè prohibitus à Deo; actus autem supernaturalis est speciatim amatus à Deo, cuius auxilio congruo, & efficaci existit: sed hæc duo terminos implicant: ergo actus supernaturalis malus directè, in se, & immediatè, terminos implicat. Maior probatur: quia omne peccatum est à Deo prohibitum non solùm lege naturali, sed etiam expressâ, & liberâ. De actu supernaturali res est clara: quia Deus in genere plus allicitur in actus supernaturales, quàm in naturales: item omnis actus supernaturalis oritur ex auxilio gratiæ nō communi, quale est sufficiens; sed speciali, quale est efficax: quod tantopere commēdatur ab Augustino, & alijs Patribus: hæc autem arguunt specialem Dei beneficentiā, & cōplacentiā: ergo actus supernaturalis oritur ex Dei speciali auxilio gratiæ.

Probo autem minorem, nempè, hæc duo terminos implicare; quia speciale odium Dei, & speciale desiderium de existentia eiusdem obiecti opponuntur, quia odium adhibet media ne res existat: desiderium adhibet etiam media vt res existat; at non possunt ea media simul adhiberi: ergo. Minor probatur: quia media vt existat, opponuntur medijs, ne existat: etenim dissuasio est vnum medium, ne existat: persuasio est item medium, vt existat: sed non possumus simul suaderi & persuaderi: ergo: & quidem tanto odio Deus prosequitur peccatũ, vt ex illo id interdicat; & faciat tam multa, ne illud operemur: actũ aut supernaturalem tanti facit, vt mortuus fuerit pro impetranda ad illum gratia. §. 30.

§. 31. *Obiectio.* Obijcies, actum supernaturalem posse oriri vel ex speciali Dei complacētia, vel ex communi cum voluntate de gratia sufficiēti: exempli gratia: videns Deus per scientiam mediam hunc actum futurum per hoc auxilium, si detur, potuit habere simplicē affectum ortum ex ea scientiâ, ex quo affectu datum est absolutè auxilium efficax. Hoc axilium est speciale donũ Dei, ortũ ex complacentia speciali. Hic actus nō potest esse malus: quia Deus cum illa complacentia non potest componere displicentiā in peccatum, nec speciale desiderium, ne existat: itaque in hoc euentu non potest haberi actus ille, nec reddi malus. Potest item Deus visa existentiā actus in statu cōditionato, non habere affectum voluntatis circa illam ortum à scientiā mediā: tunc datur auxilium efficax absque speciali beneuolentia, & desiderio; sed tantùm ex communi gratia: non repugnat hunc actum prohiberi: quia non oritur ex speciali gratia, sed ex communi.

§. 32. *Solutio.* Contra primum: actus præfinitus potest etiam prohiberi à Deo ex sententia opposita: ergo speciale desiderium, vt existat componi potest cum speciali odio, ne existat. Antecedens ipsi dant, & probatur: quia Deus post quam voluntatem instruxit ad benè operandum, potuit illi imponere præceptum, ne operetur: ergo potuit etiam instructa volūtate præfinitionibus, idē præceptum imponere. Probo consequentiam: quia ex parte nostri in vtroque euentu est eadem potentia abutendi gratiâ Dei: item ex parte Dei est eadem potentia ad volendum obiecta, vt à nobis possibilia.

§. 33. Secundò, licet Deus non habeat affectum illum ortum ex speciali amore orto ex scientia media: at negari nō potest auxiliũ efficax, vt efficax, esse maiorem gratiam, quàm sufficiens: item auxilium efficax includere excitationes, & illustrationes, qui-

 bus

S.Tho. q. 2. Art. 9. Aug.

bus allicimur, & trahimur à Deo ad amorem suum. Huc spectant aurea Augustini verba tomo 9. tract. 26. in Ioann. *ramum viridem ostendis ovi; & trahis illam: nuces puero demonstrantur, & trahitur: & quod currit, trahitur, amando trahitur. si ergo trahit sua quemque voluptas; non trahet revelatus Christus à Patre?* Trahimur ergo à Deo persuasi, quoties amamus Deum charitate: at Deus nos retrahit à peccato, illudque dissuadete illustrat mentem, ne peccet; illustrat, vt amet; an simul potest velle, & ad id media adhibet, vt idem actus simul sit amor, & directè peccatum? Hoc oritur à sola permissione dissuadente; ille à gratia illustrante, & persuadente: an vtrumque est factibile?

§. 34. *Obiectio.*

Obiices item: amor, si prohiberetur, esset malus extrinsecè; partim quidem per suam entitatem, partim ab extrinseca denominatione præcepti: entitas actus esset à Deo illustratione trahente: circumstantia autem esset dissuadente Deo.

Refell. Contrà: in eorum sententia omne peccatum est malum ab extrinsecâ denominatione in parte, in parte etiam propria entitate: & tamen Deus dissuadet peccatum, & eam entitatem in eo eventu: ergo idem erit in actu supernaturali. Deinde: iste actus vt hic & nunc exercitus, est peccatum mortale dignum æterno supplicio: ergo istum actum dissuadet Deus: ergo non trahit ad illum. Probo consequentiam: quia Deus non trahit ad eum actum, quando illum ita odit, vt pro illo decernat æterna supplicia. Quia non puniretur homo, nisi pro hoc actu in recto considerato; vestito etiam circumstantiâ extrinseca, in obliquo connotata: ergo cum illa circumstantia non potuit trahi homo à Deo ad illum actum. Certè non video quî posit sic cōponi doctrina de permissione peccati, & auxilio efficaci gratiæ.

SVBSECTIO III.

Ad argumenta.

§. 35. *Sot.*

DOMINICVS Sotus primo de natura, & gratia cap. 22. in secundo corollario, & pauci aliqui apud P. Vazquez ea disput. 53. num. 24. docent vitiari posse etiam actum charitatis: quod facilius dicent de hoc credulitatis affectu: de actu autem spei & fidei id censuit

Caiet. Caietanus 2. 2. quæst. 5. art. 2. versic. *ad primum dubium.* Cui consentiunt aliqui recentes, opinantes non posse vitiari actum fidei, credulitatis autem posse: quarum inconsequentiam notabo.

1. Arg. Argumentatur autem Sotus: potest aliquis interdum occupari affectu charitatis, & omittere opus aliquod præceptum: tunc autem ille peccaret: ergo.

Resp. Respondeo cum P. Vazquez data hypothesi, quòd charitate diverteretur ab observatione legis, tunc cessaturum eum hominem à dilectione supernaturali: quia charitas non agit perperam: & quidem ille actus non esset vitiosus ex imperio reflexo; sed in se immediatè.

§. 36. *2. Arg.*

Arguunt secundò: Deus præparato iam concursu ad actum supernaturalem futurum sub conditione, potest illum prohibere; sed tunc est in potestate voluntatis illum efficere, & omittere: ergo potest charitas exerceri, quando cognoscitur præceptum de illa non exercenda.

Resp. Nego maiorem: quia ille concursus paratus est etiam ad illustrandum hominem, & trahendum: præceptum autem esset ad retrahendum. Non disputo nunc, vtrùm Deus posit prohibere actum charitatis; dico tamen eo prohibito, negari à Deo concursum ad illum actum supernaturalem, propter argumenta proposita à §. 29. Quemadmodum Christo, & beatis negatur concursus ad actum, quem illis interdicit Deus; ita & concursus gratiæ negaretur, si Deus prohiberet charitatem: tunc autem posset exerceri actus naturalis amoris imperfecti, & mali, per solum concursum generalem; & præceptum potest servari liberè per alios actus bonos naturales, & supernaturales, vel per indifferentes, quibus diceret nolo amare Deum actu supernaturali.

§. 37. *3. Argum.*

Tertium argumentum: Deus potest parare concursum ad misericordiam: quo parato potest præcipere, vt ea referatur in Deum amore charitatis: in hoc eventu potest misericordia exerceri, quin referatur in Deum: ergo potest misericordia esse mala. Probo consequentiam: quia actus carens fine debito est malus; sed misericordia careret fine debito: ergo misericordia esset mala. Maior est certa; minor non minus: quia tunc misericordiæ debetur Deus vt finis.

Confirm. Confirmatur: actio externa mala est, quando non refertur in finem debitum: ergo & interna.

Resp. Respondeo, in eo eventu misericordiam non fore malam, nec oriri ab actu malo; sed tunc miserentem fore malum non ab actu miserendi; sed à carentia relationis misericordiæ in Deum, essetque peccatum omissionis. Ad formam argumenti concedo antecedens, & nego consequentiam. Ad probationem distinguo maiorem: actus carens fine debito intrinseco, & quem ille attingit, est malus, prætereo; actus etenim carens fine debito extrinseco attingendo in

alio

alio actu, est malus, nego maiorem. Distinguo item minorem: misericordia careret fine debito intrinseco, nego minorem; extrinseco, concedo minorem, & nego consequentiam.

§. 38. *Ad confir.* Ad confirmationem: actio externa non attingit finem, nisi per actum internum, à quo est bona, aut mala: est autem mala defectu finis, quando imperatur actu interno non attingente bonum finem. At misericordia habet proprium finem intrinsecum, quem attingit; Deum non potest attingere: si imperaretur charitate, referretur extrinsecè in Deum, carentia autem relationis eam non vitiat, quia ab illa minimè oritur: omnis ergo actus internus vitiatur, vel quia non attingit bonum finem intrinsecum; vel quia imperatur in finem extrinsecum malum. At misericordia non attingit malum finem, nec oritur ab actu reflexo in finem malum: ergo ex nullo capite est mala.

§. 39. *Obiectio.* Obijcies: electio medij est vitiosa, quando oritur ab intentione mali finis: ergo & misericordia, quando caret bono fine extrinseco. *Resp. 1.* Respondeo primùm, intentionẽ, & electionem versari immediatè circa finem: secundò, electio nascitur ab intentione, vndè vitiatur: quia refertur in finem malum: at misericordia non oritur à carentia relationis, nec est effectus imperatus actu reflexo. Qui omittit, potest se habere tripliciter, primum purè omisiuè: tunc autem non imperatur misericordia; sed efficitur concursu gratiæ, & eius virtutis, vt contingit, quando sine præcepto eam relationem omittimus. Secundò se habet omittendo positiuè, *nolo referre misericordiam in Deum.* Nec tunc vitiatur misericordia: quia hic actus in eam non influit, nec mouet voluntatem ad miserendum. Hi duo euentus sunt, de quibus agitur in argumẽto. Tertiò se habet referendo misericordiam in alium finem distinctum à Deo: si hic finis est malus, & hæc relatio est principium misericordiæ, illa vitiatur, non per omisionem boni finis; sed per directionem reflexam in alium malum.

§. 40. *4. Arg.* Quartum argumentum: actus intellectus potest esse principium desperationis, aut alius peccati: ergo & actus supernaturalis potest esse malus. *Confirm.* Confirmatur, demus à Deo præcipi, ne exerceatur charitas: hæc indirectè potest influere in liberam omissionem amoris: ergo. *Resp. 1.* Respondeo primùm ad hominem, ipsi examinant has duas caussalitates esse ex natura rei; negant tamen posse actum supernaturalem ex natura rei esse posse directè vitiosum: ergo non est eadem ratio: discrimen est clarum; quia desperatio orta ex fide non arguit in Deo voluntatem specialem, vt fiat; sed ne fiat: circa fidem fuit specialis voluntas Dei, non verò circa desperationem; si autem illa omisio charitatis est bona, non mirum, esse à charitate. Secundò respondeo, nec ex fide sequi desperationem, nec ex charitate omisionem amoris prohibiti: primum quidem, quia nullus actus naturalis oritur à cognitione supernaturali: & quia fides eleuat animam ad vitam æternam: cui repugnat esse principium amoris retrahentis ab eâdem vita æterna: simul cum fide exercentur cognitiones naturales, à quibus potest oriri desperatio. Quòd si sola fides exercetur, implicat desperatio: secundum verò, quia nec omisio indifferens logicè oritur, nisi à sola voluntate; & in eo euentu non potest prohiberi actus charitatis, & manere in nobis libertas ad eum exercendum, vt dixi à §. 29. *Resp. 2.*

§. 41. *5. Arg. Resp.* Quintum argumentum: actus bonus naturalis potest vitiari: ergo & supernaturalis. Nego antecedens: si enim actus est vndique bonus: ergo non potest esse directè malus: si autem est directè malus: ergo non est vndique bonus: est ergo implicatio terminorum. Non disputo nunc, vtrùm actus naturalis posit de bono reddi malus? quãuis enim posit, adhùc quando redditur malus, non est bonus; nec tunc amatur à Deo speciali ratione. At actus supernaturalis retinet supernaturalitatem in hac hypothesi *actus supernaturalis malus.* At in hac destruuntur logicè termini, *actus bonus malus:* quia malitiâ destruitur bonitas. Quòd si adhuc perstes actum bonum posse vitiari directè, ità vt absolutè sit bonus, & directè malus, dico non posse eum vitiari: quia si est bonus, Deus ad eum allicit speciali ratione: si verò est malus, retrahit ab eo nostrum animum speciali etiam ratione.

§. 42. Vltimum argumentum est ex confesione, quæ potest fieri actu venialiter malo. Respondeo, cum actum supernaturalem nõ posse esse directè malum: vtrùm autem posit reflexe vitiari imperio malo? dicam §. 60.

§. 43. *6. Arg. Respond.* E quibus omnibus concludo, credulitatis affectum non posse esse directè malum, nec ab obiecto, nec à circumstantijs, nec ex coniunctione habitus infusi cum alio vitioso concurrente ad vnum actum numero supernaturalẽ, & malum. Quia credulitas illa oritur Spiritu Sancto tangente cor nostrum, & illuminante: quod repugnat cum peccato directè in eo actu consistente.

***

SVB-

S.Tho. q. 2. Art. 9.

SVBSECTIO IV.

Actus credulitatis supernaturalis non potest ab extrinseco vitiari, nec actus fidei infusa.

§. 44. POTEST vitiari actus honestus ab extrinseco, verbi gratia: ego considero actum misericordiæ esse in se bonum; & Deus habet paratum concursum, vt eum ego eliciam: volo eum exercere ob suam honestatem; item alio actu reflexo volo eum actum exercere ad captādam auram gloriæ. Tunc ex fine gloriæ impero misericordiam. Hic actus imperatus habet intrinsecam suam honestatem, quin turpitudinem habeat intrinsecam, aut directè: at extrinsecè est malus: quia est effectus intentionis malæ, vt actio exterior est eâ ratione mala.

§. 45. Vt autem actus supernaturalis vitietur, non est satis eum extrinsecè amari actu malo: Deus enim amatur à flagitiosis actu malo, quando gaudent de eius existentia, vt ipsi posint voluptuari: item terminat malum odium sui; multa etiam obiecta amantur malè, quin ipsa denominentur mala. Ratio est: quia illorum amor non est caussa, vt sint: ita si quis amet reflexè actus suos bonos, iam existentes, vt per illos comparet gloriam apud homines; hic actus malus est: actus autem boni non vitiantur extrinsecè. Quia, vt vitientur, exigunt duo: alterum, vt amentur malè; alterum, vt existant dependenter ab actu malo, vt à principio in aliquo genere.

§. 46. *Conclusio.* Dico igitur, parato concursu supernaturali ad actū credulitatis, nō posse quē exercere actū reflexū malū, quo talis credulitas ametur, & existat, vt à principio in aliquo genere, & consequenter non potest vitiari. Quæ doctrina est minùs cōmunis & minùs certa, quàm proposita §. 24. eā docent Doctores ibidem adducti. Præmitto, eam non esse probandam argumento proposito à §. 29. Adversæ enim opinionis authores aiūt, actum imperatum manere liberum, & cum honestate directa, quasi non imperaretur; malitiam autem illi esse omninò per accidens ab extrinseco; nec imperium esse necessarium, vt actus existat: posset enim existere absque imperio; & fortè videtur existere, etiam si imperium non esset.

§. 47. Vndè Deus habet specialem voluntatem, vt fit, & ad illum illustrat, & trahit animum; nec illum dissuadet, nec odio habet, nec prohibet. Prohibet quidem ne fiat eo actu reflexo; id est, solum prohibet reflexum. Sunt enim separabiles, & dissuadet Deus reflexum, suadens directum supernaturalem, qui non fit permittente Deo; sed specialiter providente per gratiam congruam: Christus autem mortuus est, vt nobis donetur ille actus; non tamen, vt ea reflexione donetur: est item singulare Dei beneficium: estque multò melius, vt fit, quā vt non fit: nec pro illo meremur pœnam essentialem; sed accidentariam, vt est obiectum actus mali, de quo agendum §. 50.

Quod autem obijcitur, melius fore, nē actus ille supernaturalis existeret, quàm vt existeret per imperium, non est accipiendum de illo actu secundum se; sed vt subest illi circumstantiæ, nec enim efficienda sunt mala, vt eveniant bona: at absolutè comparando actum suæ carentiæ; melior est actus, quàm carentia: quod non cernitur in actu directè malo. Hæc consequenter dicenda sunt in ea sententia: alijs ergo rationibus probanda conclusio. §. 48.

SVBSECTIO V.

Examinantur aliorum argumenta.

AGENDVM hîc non solùm de ipso credulitatis affectu; sed etiam de ipso assensu fidei, vtrùm ab extrinseco vitiari posit actu malo assensum imperante simul cum credulitate? Nonnulli enim censent, posse vitiari credulitatem, & alios affectus supernaturales; fidem autem non posse. Qui deserunt consequentiam, cùm nullum sit discrimen: ob quod ne argumenta repetantur de vtroque actu disputandum. Vide §. 52. eamdem esse rationem in fide, & credulitate. §. 49.

Pater Luisius disputat. 33. dub. 1. versu *alia opinio*, refert aliorum quatuor argumenta, aut quinque; quæ poterit apud ipsum videre, cui libuerit: nec enim sunt difficilia; ipse autem arguit: non possumus fide divina credere ex affectu inanis gloriæ: ergo non potest vitiari fides; nec credulitas supernaturalis. Probat antecedens: quia internus assensus non potest esse vtilis ad eum finem. Contrà: assensus internus potest esse vtilis ad gloriam inanem apud homines: ergo ex illo capite poterit vitiari. Probo antecedens: quia assensus ille potest esse vtilis ad captandam gloriam. Probo consequentiam: quia iuramentum potest esse vtile §. 50. *P. Luis.* *Argum.* *Refell.*

vtile ad gloriam inanem. Respondet P. Luisius versu *dices posse* assensum illum non ferri tunc ad inanem gloriam; sed ad veracitatem, ex cuius affectu oritur. Evasio. Refel. Contrà: quãvis ille actus referatur immediatè ad vitandum periurium, tamen iuramentum ipsum & eius veritas referuntur ad inanem gloriã: ergo & ipse assensus credendi refertur ad eamdem. Antecedens probo, quia potest aliquis velle iurare verè, vt comparet gloriam, & opinionem veram de sua fide: quæ vera opinio supponit necessariò existentiam ipsius fidei. Vnde hæc fides vtilis est ad veritatem iuramenti; iuramentumque ipsum ad gloriam, & propter hanc vtilitatem possunt amari: quia vtile, qua ratione vtile est, amari potest. Probo autem primã consequentiam: quia quando aliquod medium immediatum amatur propter aliquẽ finẽ mediũ remotũ amatur prodter eumdẽ finem: quemadmodum qui propter sanitatem amat Phlebotomiam, & propter hanc amat compressionem brachij; & propter hanc ligulas quærit: hic non solùm amat sanguinis emissionem propter sanitatem; sed alia quoque media necessaria ad emittendum sanguinem. Ratio à priori: quia prima ratio formalis amandi ea media est sanitas; siue finis primus, qui nos primò movet. Immò censent aliqui nullum esse finem intermedium; sed vnicum tantùm esse finem, propter quem cætera amantur media. Qui autem hominem vult occidere, non solùm peccat homicidio, quando traijcit ensẽ; sed etiã quãdo ensẽ acuit, & arripit.

§. 51. 2. Arg. Secundò argumentatur P. Luisius: quia actus credendi est ex gratia per Christum, estque supernaturalis: ergo non potest esse vitiosus. Probat cõsequentiam: quia Christus nõ est mortuus, vt nobis donaretur act[9], qui futurus erat malus. Solutio. Quod argumentum mutuatus est ex P. Vazq. eo num. 26. Respondeo tamen illud habere vim in eodem actu voluntatis supernaturali: qui cùm malus sit formaliter; id est, malitia in ipso immediatè existente, non potest esse supernaturalis: at verò non probat repugnare alium actum naturalem, & malum, qui simul cum supernaturali imperet supernaturalitatem assensus; fides autem tunc esset denominativè bona, & mala, vt eamdem actionem externam posse simul esse bonã, & malam, ostendi disputans de actibus humanis: Christus autem mortuus est, vt nobis daretur actus bonus internus, item & externus, vt ab interno est denominativè bonus: at non est mortuus, vt nobis daretur actus internus malus, neque externus, vt ab interno dicitur malus: ad exteroum autem potest concurrere speciali ratione; quia ille in se non est malus; sed potiùs ordinis superioris: quemadmodum speciali ratione concurrit ad transubstantiandum panem in corpus: quamvis illa actio, vt oritur à sacerdote, sit mala moraliter. Ratio à priori: quia malitia est formaliter in sola volitione, cuius Deus non est specialis author, sed eam attingit præcisè concursu generali: in actione autem imperata, malitia non est; ac propterea eam Deus attingit speciali ratione; estque absolutè à Deo authore, quia est supernaturalis, & ab actu etiam supernaturali: vt autem esset ab actu malo, non esset simpliciter ex Deo; quia vt sic reduplicat actum malum. Mitto alia argumenta Patrum Vazquez, & Luisij: probant enim actum supernaturalem voluntatis non posse esse in se malum, atque directò: recognosce §. 47

§. 52. Aliud argument. Alij Theologi recentes, ingenio quidem clari, probant sententiam eamdem hoc argumento: actus fidei est quidam cultus in Deum, in cuius obsequium captivatur intellectus: sed cultus Dei non potest amari actu pravo: ergo. Minorem probant; quia cùm cultus ille sit in obsequium Dei; actus autem pravus sit contra eiusdem Dei maiestatem, non potest ad illum cultum terminari. Refell. 1. Contrà primùm ad hominem: ipsi aiunt supernaturalem affectum credulitatis posse vitiari per imperium reflexum vitiosum: ergo & actus fidei. Probo consequentiam: quia affectus pius est formaliter honor Dei; quia est voluntas illum colendi per actum fidei: & in eius obsequium captivandi intellectum: equidem cultus internus, siue voluntas colendi Deum, magis est in obsequium ipsius Dei, quàm cultus in se non liber, quem habet pro obiecto: voluntas enim flectendi genua in obsequiũ Dei, magis placet ipsi Deo, quàm ipsa genuflexio; sed hæc maior honestas nõ officit ipsius relationi in pravum finem: ergo neque honestas assensus fidei officiet simili pravæ relationi.

§. 53. Refel. Evasio. Contrà secundò: actiones externæ sunt obsequium Dei, & possunt imperari affectu pravo: ergo cultus Dei vitiari potest: ergo & fides. Negant ij secundam consequentiã: quia duplex est cultus: alter, qui ex natura sua est cultus Dei: alter, qui non nisi ex institutione humana: hic secundus potest terminare affectum pravum: quia genuflexio indifferens est; vt significet cultum, aut aliud obiectum: cultus autem, qui ex natura sua est talis, non potest referri in finem pravum: quia non habet eam indifferentiam. Refel. 2. Contrà primò: quia actiones aliquæ externæ sunt ex natura sua signa subiectionis: cui argumento est insita etiam barbaris con-

S.Tho. q. 2. Art. 9. consuetudo se in terram deijciendi, vt recognoscant superiorem: hæc enim signa nō docemur; sed hausimus cum lacte: esto signis illis posit aliquis abvti. Contra, secundò, possumus actu pravo imperare actiones illas, etiam vt sunt cultus Dei: ergò & fidem. Probo antecedens: quia colere ipsum Deum potest considerari, vt vtilē ad inanē gloriam, quam vult aliquis captare iuramento vero, quo apud alios sibi comparet veram opinionem cultoris Dei: vt in simile dixi §. 50. Primam autem consequentiam probo: quia considerata semel ratione formali cultus, si hæc potest amari in hac actione illam significante ex hominum libito, eadem poterit amari in actione eam significante ex natura sua: quia tota ratio repugnantiæ oritur ex ipsa honestate cultus. Adde actum credendi non esse formaliter cultum Dei.]

SVBSECTIO VI.

Probata conclusio.

§. 54. 1. Arg. PRIMVM probo conclusionem ex §. 46. quia omne imperium adimit immediatam libertatem, & bonitatem actui imperato: ergo si actu reflexo imperetur affectio pia, non erit in homine credente, nisi moralitas malitiæ: hoc autem est absurdissimum: ergo. Probo minorem ex tota sectione secunda, maximè §. 17. & 18. quia possemus iustificari sine fide, orta ex speciali gratia per Christum: eo autē imperio existēte sequitur necessariò fides immediatè in sententia horū authorū, quæ non habet novam moralitatem: ergò non esset tunc gratia auxilians congruè ad credendum. Secundò idem probo in affectu credulitatis, qui necessariò sequeretur imperium malum, & produceretur sine gratia auxiliante. Quamvis enim tunc produceretur concursu supernaturali, non tamen per gratiam efficacem: hæc enim est ad actum immediatè liberum. Illustrationes, & excitationes non liberę non dicuntur fieri ex auxilio efficaci; sicut nec visio Dei, nec amor beatus; sed potiùs pertinent ad gratiam efficacem, aut sufficientem comparatione actuum supernaturalium, & liberorum: ergo sine vlla bona moralitate homo crederet, vt oportet ad iustificationem.

§. 55. 2. Arg. Secundò, probatur conclusio admissa immediata moralitate actus imperati ex §. 19. & 20. quia in actus supernaturales non potest esse naturale imperium; multo autem minùs vitiosum. A priori etiam confirmari potest: quia supernaturalis actus est ex conceptu suo elevatio naturæ, eam perficiens ad finem naturalem, & attollens ad supernaturalem: quæ directio oritur à Deo specialissimo authore: relatio autem prava & omnis actus, qui oritur ab illa, est deflexio à perfectione, & fine, non solùm supernaturali; sed etiam naturali. Recognosce disputat. 19. vbi ostendi fidei repugnare falsitatem: maximè autem recognosce §. 69. Hincque deduces nullo actu vitioso posse imperari fidem infusam, neque vt à fine impulsivo, neque terminativo. Quæ sententia tàm certa mihi est, vt oppositam damnarem, nisi me cohiberet aliquorum authoritas. Quapropter Pater Vazquez ea disputat. 86. num. 20. merito ait dicendum pleno ore cum Patribus affectum credulitatis semper esse bonum. Recognosce Pater Suarez tomo 1. de gratia lib. 2. cap. 3. num. 13. Confirm. Vazq. P. Suarez.

SVBSECTIO VII.

De opposita sententia.

POSSE vitiari actum supernaturalem dixit Sotus lib. 1. de natura, & gratia, cap. 22. corollario 2. Quia verò Sotus non egit de hac reflexâ malitiâ; sed de directa, deseritur ab alijs, qui meritò inficiantur posse actum supernaturalem directè vitiari. Quòd de potentia communi censent ferè omnes: licet aliqui fateantur oppositum de potentia absoluta. Caietanus 2. 2. quæst. 5. art. 2. vers. *ad primum dubium*: asserit, fidem posse esse ab extrinseco malam: si enim aliquis fidem suscipiat, vt sit tyrannus, ait vitiari fidem. Tamen Caietanus ibidem asserit cum eo actu vitioso componi actum bonum credendi: actum igitur intellectus, ait, ab extrinseco vitiari; non verò actum voluntatis. Nec Caietanus fuit ibi clarus omninò: poterit enim exponi de fide naturali, quam cum supernaturali exercemus: hanc dixit posse vitiari in via: ad quod constituit duos actus: alterum bonum ad credendum fide infusa: alterum malum ad fidem naturalem: quam etiam in Dœmonibus admittit. Alij etiam afferuntur, qui non asserunt posse vitiari actum supernaturalem; sed disputandi gratia illud admittentes, pergunt ad alias consequentias, de quibus disputant. Præsertim S. Thomas quæst. 2. de malo art. 4. ad 2. vbi ait, voluntatem dandi eleemosynam, aut dilectionem §. 56. Caiet.

nem Dei posse esse malam. Non egit de actu supernaturali; sed naturali: ait enim actum esse absolute malum, & non bonum, quod negant huius sententiæ assertores.

§. 57. 1. Arg. Primùm argumentum horum authorum contra conclusionem, & rationem, est. Potest aliquis affectu in gloriam inanem velle credere; sed ex illo affectu potest oriri actus credendi: ergo. P. Vazq. P. Vazquez negat maiorem: quia non posset dignosci, nos ex gratia per Christum amare fidem, & incredulitatem odisse. Resp. Respondetur, nos non posse evidenter cognoscere fidem; aut verò nos moveri ab obiecto honesto, aut turpi, possumus dignoscere prudenter. Quando autem volumus credere ob solum finem honestū, tunc prudenter persuademur, nos moveri ex gratia per Christum: maiorem ergo nescio cur negemus: obiectum enim quantumvis supernaturale potest humana malitia velle actu malo: vt enim possumus illud odisse; sic & possumus malè amare. Concessa igitur maiori, nego minorē: pravus enim affectus nō magis conferret ad existentiam assensus Catholici, quàm si non existeret: inferret quidem actus ille assensum aliquē naturalem: quo autem pacto imperium malum sit per accidens ad existentiam naturalem, dicam §. 61.

§. 58. 2. Arg. Secundò potest argui contra eamdem conclusionem: Sacerdos potest actu vitioso velle transubstantiare panem in corpus Christi: item conferre gratiam pœnitenti; eę autē sūt supernaturales actiones: ergo supernaturalis actio potest imperari actu vitioso. Resp. 1. Respondeo primò, in his casibus nullam actionem supernaturalem oriri physicè à Sacerdotibus. Quamvis enim demus, illos posse esse instrumēta physica illarū actionum; id tamen non est necesse: Baptismus enim receptus cum fictione non confert physicè gratiam, neque moraliter: fictione autem amota, Baptismus confert gratiam, non quidem physicè: tunc enim non existit; sed moraliter: esto alijs in casibus conferat physicè. Sic expectat Deus voluntatem liberam Sacerdotis, vt ipse conferat gratiā influxu physico, orto physicè à solo ipso Deo; à Sacerdote autem solùm vt instrumento morali. Hoc responso tollitur omnis Resp. 2. difficultas. Secundò respondeo: admissa actione physica instrumentaria Sacerdotis, dico illam non oriri ab ipso Sacerdote ex vi voluntatis bonæ, aut malæ; sed expectat Deus voluntatem liberam Sacerdotis, vt conditionem moraliter requisitam ad illam actionem, ex sola institutione libera Dei; non verò ex natura, aut ipsius actionis, aut voluntatis. Itaque physicè loquendo per accidens se habent actio supernaturalis, & voluntas: moraliter autem ex sola extrinseca ordinatione Dei, se habent per se: at verò imperium voluntatis est caussa per se physicè, & ex natura sua actus imperati.

§. 59. 3. Arg. Tertium argumentum: potest aliquis ex fine inanis gloriæ eligere hunc Sacerdotē, cui exponat peccata sua: tūc cōfessionis volūtas est supernaturalis; quia est ex supernaturali detestatione peccati: item est vitiosa propter humanam auram, quam captat. Resp. Respondeo, in pœnitente legitimo reperiri actus supernaturales detestandi, & exponendi peccata: qui actus nullo ex capite vitiantur. His iungi potest vitiosus affectus exponendi peccata huic Sacerdoti; quæ confessio est naturalis quoad substantiam: quia tantùm est vocalis expressio peccatorum: hæc expressio simul imperatur actu bono, & malo: quod contingere posse ostendi disputationibus de actibus humanis: nullus ergo supernaturalis effectus oritur ab illa voluntate prava. Quòd si quis non posset confiteri, nisi per actum pravum: ita vt prohibita fuisset cōfessio huic homini sub peccato veniali hic & nunc: vel quia iustas ob caussas Prelatus præciperet alicui, ne tertio quoque quadrante molestus esset Sacerdoti crebris confessionibus non necessarijs: vel quia aliquo ex capite cogitare possemus confessionem illam externam esse peccatum veniale, vel à circumstantia temporis, loci, aut aliorum. Hic actus confessionis externæ cùm malus tunc sit, non potest amari, nisi actu malo à cognoscente eam malitiā: propter quod, qui tunc confiteretur, non reciperet Sacramentum Pœnitentiæ: quia non habet actus supernaturales, qui necessarij sunt ad sacramentum recipiendum: tunc enim peccatur contra leges sacramenti, & nō recipitur gratia. Vide P. Vazquez 1. 2. disput. 53. num. 27. vbi negat similes actus esse supernaturales. P. Vazq. Excusari autem posset aliquis à culpa propter ignorantiam invincibilem. Si ad actum fidei concurrat affectus supernaturalis, & alius naturalis pravus: tunc actus fidei infusæ non est effectus actus mali; alioquin posset à solo illo imperari, esset tamen obiectum, & materia actus mali, vt rectè docet P. Suarez disp. 6. sect. 7. P. Suar. num. 13. vel efficeretur alius assensus naturalis, qui denominaretur malus. Posse eādem actionem extra voluntatem esse simul bonam, & malam, à duobus actibus voluntatis, ostendi in disputationibus de actibus humanis. Hæc autem actio non est effectus affectus mali. Qua de re vide disputat. 19. §. 11. & quæ dixi hac disp. §. 45. necesse esse ad vitiandam actionem, vt oriatur ab actu vitioso; fides autem numquam potest oriri,

S.Tho. q. 2. Art. 9. oriri, & propterea nec vitiati.

§. 60. 4. Arg. Arguunt quartò: omnis actus indifferens potest referri ab extrinseco in finem malum; sed possunt aliqui actus supernaturales esse indifferentes: ergo possunt referri in malum finem. Minor probatur: quia non est contra conceptum entis supernaturalis esse de obiecto, & circumstantijs indifferentibus. Resp. Nego minorem. Ad probationem respondeo, de conceptu actus supernaturalis esse tendere in obiectum, & circumstãtias, sub ratione boni: quia omnes habitus gratiæ sunt virtutes. Ratio à priori est: quia sunt elevatio naturæ intellectualis ad finem suum infallibiliter consequendum. Ad indifferentiam verò non egemus elevatione.

§. 61. Vlt. argu. Tandem arguunt: parato concursu Dei ad piam affectionem supernaturalem; potest homo velle eius vsum ex affectu reflexo inanis gloriæ; sed tunc oritur affectio pia ab inanis gloriæ fine: ergò potest homo credere ex inani fine: ergò vitiare fidem. Maior propositio videtur certa: quia vtile amari potest ad finem. Minor probatur, quia non est, cur affectio illa non oriatur ab imperio reflexo. Respond. Distinguo maiorẽ: potest velle illum vsum actu reflexo efficaci in actum supernaturalem, nego maiorem; efficaci in naturalem, inefficaci autem in supernaturalem, concedo maiorem; & nego minorem. Ad probationem iam dixi, imperium non posse esse in ordine inferiori actu imperato.

§. 62. Considera à Deo prævideri scientiâ media, Petrum pulsatum hac vocatione supernaturali, esse crediturum provt oportet ad salutem; tametsi nullo actu reflexo moveatur ad imperandam credulitatem. Deinde Deus absolutè vocat Petrum ea vocatione, quæ erat conditio in statu conditionato: Petrus credit infallibiliter. Hæc credulitas adæquatè oritur à principijs supernaturalibus. Pone tunc Petrum exercere actum reflexum malum, quo vult credere ob gloriam inanem. Hic actus per accidens est credulitati supernaturali: quia & sine illo visa est credulitas sub conditione extitura; nec ille eam inferret, nisi independenter ab illo esset exercenda. Pone item à Deo videri Petrum non crediturum, vt oportet ad salutem, ob auxilia directa. Si Deus huic statui conditionato adijciat reflexum, & vitiosum imperium; non propterea videbit Petri fidem, vt oportet: itaque quando independenter ab imperio vitioso non est credendum, vt oportet, nec cum illo creditur: & quando sine illo est credendũ, nihil iuvat imperium. Quod explicandum est per scientiam mediam; quia nos non possumus scire, quando credetur, vt oportet, & quando non. Ex eo imperio sequuntur alij actus naturales mali, aut indifferentes tàm credulitatis in voluntate, quàm assensus in intellectu: supernaturales autem, nec erunt, nec non erunt ob imperium; sed erunt cum illo, aut non erunt, non secùs ac si non esset.

SECTIO IIII.

Affectus credulitatis est necessariò plenè liber.

DICO tamdem hunc credulitatis affectum esse necessariò plenè liberum. In hanc conclusionem necessariò convenient omnes Theologi, qui censent affectum hunc oriri ex gratia per Christum, cui consentimus: quod dixit expressè Conciliũ Tridentinũ sess. 6. c. 6. statuens initium iustificationis necessariò sumendum esse à fide, in quam liberè movemur ex gratia per Christum, idque expressè docebunt, qui in omnibus actibus fidei meritum congruum ad iustificationem admittunt. §. 63. Vlt. concl. Trident.

Probatur, quia fides dependet ab applicatione repræsentãte evidẽter obligationẽ credẽdi adeò, vt omnes iudicent sibi non licere dubitare: vt ostendi disput. 11. sect. 4. & disput. 14. sect. 7. vt enim dixit S. Thom. nemo crederet, nisi videret credibilitatem obiecti; sed cognitio evidens de obligatione non dubitandi, & de evidenti credibilitate obiecti, est tàm perfecta, vt non relinquat locum ad adimendam libertatem, neque plenam deliberationem: ergo affectus supernaturalis credendi est necessariò plenè liber: minor patet, quia necessitas oritur ex bonitate obiecti infiniti clarè visi, qualis non est actus fidei, vel oritur ex imperfectione cognitionis; sed cognitio repræsentans actum fidei est tàm perfecta, vt evidenter repræsentet honestatem obiecti. Qua enim perfectiori cognitione moveri possumus? aut quam cognitionem non dicemus esse indeliberatam, si hæc talis est? §. 64. Probatio S.Thom.

Dices, non repugnare actus supernaturales esse indeliberatos. Respondeo, simplices complacentias, quas Deus in nobis sine nobis operatur, & quibus nos excitat ad operandum benè, esse quidem omninò necessarias, quia oriũtur ab apprehẽsione simplici imperfecta, quamvis supernaturali. Affectus autẽ efficaces ortos ex iudicio supernaturali non facilè probabis esse necessarios, §. 65. Obiectio. Resp.

sarios, aut semiplenè liberos, maximè qui immediatè oriuntur ab actu fidei Catholicæ: qualis est amor Dei: alioquin posset peccator reconciliari Deo per actum semiliberum. Quidquid autem sit de ceteris actibus, actus fidei non potest esse, nisi ex cognitione perfectè perpendente momenta rationum: nam qui citò credit, levis est animo: idque oritur ex peculiari conceptu fidei.

DISPVT. XLVII.

De merito fidei.

§. 1. 1. Conclus. Probatio

DICO primò: actus fidei exercitus ab homine iusto meretur cōdignè augmentum gratiæ & gloriæ. Probatur: quia est actus supernaturalis liberè exercitus voluntate supernaturali ex gratia per Christū, & in gratia, vt cōstat ex dictis: ergo meretur condignè augmentū gratiæ, & gloriæ. Consequentia probatur infrà.

§. 2. 2. Conclus.

Dico secundò: actus fidei est in peccatore meritum congruum ad iustificationē. Hæc conclusio est plurimorū Theologorū, quos refert, & sequitur P. Luis disp. 30. quā probo ex August. tom. 2. epist. 105. *remissio peccatorū* (inquit) *non est sine aliquo merito: nā fides illā impetrat*. Nescio sanè cur Sotus nodum quærat in scirpo, explicans S. Augustinum de fide hominis iā iusti: hic enim iā nō impetrat remisionē peccati; sed fruitur impetratā: fides ergo, quæ necessariò præcedit iustificationē, illā impetrat, & tom. 7. lib. de prædestinatione Sanctorum cap. 2. *quis* (inquit) *dicat eū, qui incepit credere, nihil mereri ab eo, in quem cæpit credere?* agit ergo Augustinus de omni incipiente credere; sed multi incipiunt credere in peccato mortali: ergo in peccatoribus est meritorius actus fidei: estque ratio manifesta, quia est actus liber & supernaturalis. Concilīū Tridentinum sess. 6. cap. 8. cùm negat fidei meritum ad iustificationem, intelligitur de merito condigno, excludente gratiam in retributione, & præmium petente ex iustitia: hoc enim solū meritum est absolutè meritum: congruum autem non est, nisi meritū secundum quid.

(Margin: Luis. Aug. Sotus. Trident.)

§. 3. S.Thom.

S. Thomas articulo decimo secūdæ quæstionis, quærit an rationes humanæ, quibus movemur ad fidem, minuant eiusdem fidei meritū? De qua difficultate recognoscantur interpretes, & Patres Valentia disp. 1. q. 2. punct. 7. & Luisius disp. 32. doctrina S. Thomæ est: ratio antecedens assensum, minuit eius meritum: quia passio antecedens actum honestum, eius meritū minuit; rationes verò consequentes fidē, illam augent. Quæ doctrina primâ fronte est manifestè falsa: omnis enim assensus fidei pendet ab evidentiâ credibilitate: quæ evidentia rationibus cōparatur humanis, ostendentibus evidenter obligationem credendi: at hæ rationes non minuunt meritū fidei; sed sunt ad illud simpliciter necessariæ: ergo. S. Tho. expono 3. 6. Multa hic à Doctoribus dicuntur momenti quidem non magni. Quibus prætermissis.

(Margin: P. Valent. P. Luis.)

§. 4. 3. Conclus. Probatio.

Dico tertiò: nulla ratio humana antecedens assensum fidei, minuit meritū credulitatis. Probatur, quia meritum credendi versatur formaliter, & immediatè in voluntate credendi existentiam revelationis; sed hæc voluntas non amittit meritū ob quascumque rationes humanas antecedentes: ergo. Probo minorem, quia positis quibuscumque argumentis evidentibus de veritate mysterij revelati, illa non demonstrant existentiā revelationis: quamvis enim mihi evidens est existentia Dei, non est tamen evidens existere revelationem de existentia Dei: ergo assensus circa revelationem manet liber, & quoad exercitium, & quoad speciē. Quæ doctrina circa ea, quæ non demonstrantur, est Durandi in 3. dist. 25. quæst. 3. num. 9. quia manet actus liber, & cum tota sua difficultate; revelatio autem non potest monstrari humana ratione: ergo humana ratio non minuit meritum fidei. Miror Doctores nonnullos opinatos ratione evidenti, & antecedent minui meritum fidei, quia, inquiunt, determinat intellectum ad assensum quoad speciem: etenim ad assensum meritorium, nō determinamur immediatè, nisi à voluntate: quia assensus immediatè liber est, qui versatur circa revelationem; posita autem revelationis assensione per ipsam determinatur intellectus ad assensum supernaturalem mysterij: vndè immediatè ad hanc determinationem ad assensum Catholicum de mysterio revelato, per accidens est demonstratio eiusdem mysterij: quia ea demonstratio non determinat ad assensum circa revelationem, à quo per se pendet assensus Catholicus: positoque assensu circa revelationem, iam est determinatus intellectus ad assensum circa mysterium: quid ergo interest demonstratio eiusdem mysterij?

§. 5. Obiectio.

Dices, proposito argumento probari non tolli meritum, nec quoad speciem, nec quoad exercitium; minui tamen evidentiā circa mysteriū, quia hæc minuit difficultatē credēdi existentiā revelationis: facilius nā nobis illā persuademus, quādo mysterium revelatū est evidens: operari autem vincēdo difficultatem magis meritorium est, quàm cùm nulla vincitur. Contrà: neque hac ex parte minuitur meritum: quia non minuitur meritū alicuius virtutis per operationē ipsi virtuti magis consentaneā; sed credere

Refell.

S.Tho. q. 3. Art. 1. cum illa minori difficultate ex parte obiecti, est magis consentaneum ipsi naturæ fidei: ergo operari cum illa facilitate non minuit meritũ fidei. Probatur minor: quia fides petit oriri à credibilitate evidenti, ostendente nullum posse dissentiri prudenter: ergo quo plures fuerint rationes & evidentia maior, & assensus prudentior, erit magis consentaneus fidei: operari ergo vincendo difficultatem est maius meritum, quando ea difficultas non minuit prudentiam, aut aliquam conditionem necessariam ad ipsam virtutem: quando verò difficultatis amotio exigitur ab ipsâ virtute, vt prudentius exerceatur, nõ minuit meritum, sed auget: quia cùm operamur magis consentaneè ad virtutem, oritur actus magis voluntarius, & perfectus. Pone duos Philosophos cum evidentia æquali de existentia Dei; & cum æquali cognitione de motivis ad credendum: si alter ex parte sui sit difficilior ad credendum, hic cæteris paribus magis merebitur: quia illa difficultas non oritur ex defectu perfectæ applicationis; sed alio ex capite: vt cùm quis castitate superat maiores difficultates ortas ex naturali temperatura. Si verò non sit maior difficultas ex parte credentis, & ex parte obiecti alter habeat rationes evidentiores de credibilitate; hic cæteris paribus magis merebitur, quia magis componitur cum lege credendi: quia ex cognitione perfectiori oritur perfectius voluntarium. Quam doctrinam tradit P. Valentia eo puncto 7. versu *posteriori autem*, & in parte sequitur P. Lusius disput. 32. dub. 2. versu *hæc verò*. P. Valent. P. Luis.

§. 6. Sanctum Thomam sic intelligo: qui, vt credat, expectat evidentiam rei revelatæ, vt principium sine quo non crederet, huius meritum minuitur: quia cũ suppetant multæ aliæ rationes, non est cur expectetur hæc: sic Thomas Ioannis 20. reprehenditur à Christo, quia non credidit donec tetigit, sufficiebat enim discipulorum contestatio: beati autem qui crediderant non videntes, quia noluerunt se adstringi illi applicationi: qui autem parati sunt ad credendum sine applicatione hac, magis merentur, quia moventur prudẽtius. Quod verò aiunt alij à S. Thoma sumi rationes antecedentes pro ratione formali assentiendi, non verò pro cõditione sine qua non, non quadrat in authorẽ: qui nõ agit de ratione formali credendi; sed de ratione inductiva ad credẽdum: mea verò expositio est ex ipsius verbis, *cùm aliquis* (inquit) *aut non haberet voluntatẽ, aut non haberet promptam voluntatem ad credendum, nisi ratione humana induceretur: & sic ratio humana inducta diminuit meritum fidei*: itaque diminutio consistit, quia in particulari exigitur demonstratio de obiecto materiali ad credendum obiectum formale. S. Gregorius excludens meritum à fide habente experimentum, loquitur non de fide Catholica; sed de assensu philosophico, & evidenti, non verò de fide terminata ad revelationem: vt exponit P. Valent. eo punct. 7. In quo sensu alij Patres adimunt meritum fidei innixæ demonstrationi: agunt enim de scientia, & non propriè de fide. P. Valent.

DISPVT. XLVIII.

De externa professione fidei.



POST disputationem de actibus internis fidei, quã S. Thomas expedivit tota quæstione secunda, merito agendum de fide, externa professione, quę actus est eiusdem fidei, quã disputationẽ S. Thomas instituit quæst. 3. §. 1.

SECTIO I.

Utrùm externa fidei professio sit actus fidei?

§. 2. PROFESSIONEM externam fidei appello, voces aut signa, quibus fidelis alijs ostendit, se credere omnia, quæ divinitus revelata sunt, & sufficienter proposita. Quã professionem S. Thomas art. 1. nuncupat confessionem, vocem mutuatus ex Apostolo ad Rom. 10. 9. *Quod si confitearis in ore tuo Dominũ Iesum: & versu 10. ore autẽ confessio fit ad salutẽ*: sunt autem hæc verba, aut signa ea, quibus significamus res divinas, vt à nobis concipiuntur per assensum illis præstitũ propter authoritatẽ & revelationem Dei: non aliter, ac verbis & signis pandimus animi sensa: v.g. cùm dicit quis: *ego credo Deũ esse Trinum propter revelationem ipsius Dei*: vel cum aliquis interrogatur de hoc articulo, & ipse nutibus annuit. Ad Rom. 10.9.

§. 3. Est ergo difficultas: vtrùm hæc externa professio sit actus fidei? non quidem fidei propriè: quæ cùm sit assensus in obiectum propter authoritatem loquentis, non habet actũ externum: nullus enim actus externus est assensus; sed index assensus; est autem quæstio: vtrùm hæc externa cõfessio pertineat ad fidẽ? Adverte ex actu interno & externo virtutum conflari moraliter vnum; v. g. vult aliquis efficaciter erogare stipem propter levamen inopiæ, erogatque sti-

pem:

pem: quæ erogatio est actus externus, quo porrigo pecuniam pauperi. Hic reperiuntur duæ actiones physicè distinctæ; altera vitalis,& libera per se;altera non vitalis,nec libera per se; sed per extrinsecam denominationem ab actu vitali:in genere autẽ moris non est præter vnam actionem: quia in actione externa nulla reperitur propria moralitas; sed tantùm per extrinsecam denominationem à moralitate volitionis.

§. 4. Itẽ sunt nonnullæ actiones externæ,quæ per se sunt determinatæ in aliqua specie virtutis, aut vitij, ita vt si fiant propter ipsas, sint in hac specie, & non in alia: v.g. cultus externus in Deũ est per se in specie religionis:item abstinentia à cibo,& tactu illicito, sunt per se in specie temperantiæ; redditio autem rei alienæ est per se in specie iustitiæ. Ratio à priori,quia illę actiones habent per se honestatem aliquam & convenientiam cum natura rationali: quæ convenientia amata propter ipsam facit hominẽ iustum, religiosum, aut se temperantem. Honestas enim cultus amata propter ipsam est obiectum formale religionis. Atque hoc genus actuum à S. Thoma, & alijs Theologis vocatur elicitum ab illis virtutibus: non quòd habitus latriæ per immediatam efficientiam attingat cultum externum; sed quia hic est proprium obiectum per se amabile à latria; quin ad illud amandum sit necessarius actus alius virtutis. Alij autem Theologi actum elicitum vocant actum internum effectum ab habitu:actum verò externum vocant imperatum, quia voluntas imperat potentiæ exequenti,vt illum efficiat.

§. 5. Præterea actus externi possunt pertinere ad alias virtutes, ad quas non pertinent ex solo suo conceptu: verbi gratia, temperantia & cultus externus eliguntur ad satisfaciendum pro peccato: tunc spectant ad virtutem pœnitentiæ, à qua eliguntur: id autem est per accidens: quia nimirùm honestas illarum actionum non amatur propter ipsam; sed propter aliam, sine qua actiones illæ amari potuerunt. Hæc honestas est compensatio iniuriæ illatæ Deo, & iuris divini sartio. Potuisse eiusmodi actiones amari,quin propter hanc compensationem iniuriæ Dei,patet in Christo,& B. Virgine,qui cultum & abstinentiam externam exercuerunt absque honestate pœnitentiæ. Amaverunt enim honestatẽ cultus propter ipsam. Itaque eiusmodi actiones transferũtur ad virtutes alias,quia illis appingitur aliud obiectũ formale distinctum ab ipsarũ hone[illegible] [illegible]od genus actionũ S. Thomas vocat imper[illegible]um: quia per actus aliarum virtutum eliguntur ex obiecto formali distincto. Ex hac & ex doctrina §. præcedentis facilè intelliges S. Thomam hac quæstione 3. art. 1. ad 3. nempè cur fides imperet actiones alias per actus aliarum virtutum? quia nimirùm illas exercet ex alio motivo distincto: at verò externam professionem articulorum fidei attingit propter honestatem ipsius confessionis: quod in sententia Sancti Thomæ est elicere actũ externum.

Dico igitur, externam confessionem articulorum fidei per se pertinere ad virtutem fidei, vt fides includit affectionem piam, qua amatur honestas credendi propter ipsam. Quam sententiam Theologi amplectuntur cum S. Thoma q. 3. art. 1. quam egregiè disputant Pater Valentia disp. 1. q. 3. pun. 1. P. Luisius disp. 35. dub. 1. quãq; tuetur P. Becanus, c. 9. de fide q. 1. num. 4. Probatur,quia confessio articuli crediti habet honestatem propter se ipsam amabilẽ: ergo amabilis est per piam affectionẽ. Probo consequentiam: quia hæc virtus habet pro obiecto formali honestatẽ habendi fidẽ internè,& externè:neq; alia virtus necessaria est,quæ externè fidẽ imperet. Quamvis enim externa propositio nõ sit propriè assẽsus,nec affirmatio,aut negatio; tamẽ est secundum quid propositio, & assensus secundum quid; & moraliter censetur eadem actio, hominem esse fidelem corde & ore: sicut censetur eadem propositio mathematica, quæ mente & ore profertur. §. 6. *Conclus.* *S.Thom.* *Valent.* *Torres.* *Becan.* *Probatio*

Dices,obiectũ piæ affectionis esse vnum, & non duo:at verò assensus internus est distinctũ obiectum ab externo: ergo vtrumq; non est obiectũ formale piæ affectionis. Distinguo maiorẽ: affectio pia non habet duo obiecta formalia physicè, & moraliter distincta adæquatè,concedo maiorẽ: nõ habet duo obiecta distincta physicè, & moraliter idẽ;nego maiorẽ: tales autem sunt actus internus & externus fidei. Ratio est,quia externa cõfessio semper amatur vt signũ crediti: itaq; ratio amãdi actionẽ externã nõ est sola convenientia ipsius; sed etiam amatur, quia creditus est articulus. Fidelis igitur amando actionẽ externam,simul amat actũ internũ credendi:vt visus potest cognoscere solã lucem,colorẽ autem non nisi cum luce: ita pia affectio captivat linguã in obsequiũ fidei, quia simul captivat intellectũ. Articulũ autem esse creditum non est sola conditio sine qua non amaretur externa cõfessio per affectionẽ piã; sed est ratio formalis amandi:pertinet enim ad illũ habitũ omnis honestas manifestãdi fidẽ, quã per se amat. §. 7. *Obiectio.* *Resp.*

Dico præterea, confessionem externam fidei non pertinere moraliter ad fidem, vt includit actum intellectus. Hæc conclusio colligitur ex S. Thoma ad 3. vbi docet dirigi à fide actus aliarũ virtutum imperando, suos §. 8. *Conclusio.*

S. Tho. q. 3. Art. 2. suos autem eliciendo: id est, amando propter ipsam, vel propter alium finem. Probatur, quia actus internus & externus moraliter faciunt vnum, quādo internus est principium efficiens externi, illique communicat suam moralitatē; sed assensus fidei nullam in se habet moralitatem, neque facit confessionem externam: ergo non pertinet moraliter ad illū. Neq; verò sufficit actum externū esse significationem interni: etenim actus externus, quo ego significo voluntatē meam internā de servando iure alterius, nō propterea est actus iustitiæ, quia significat iustitiam internā: ergo nec erit fidei eo præcisè, quod significet fidē. Dixi in probatione primæ cōclusionis fidē internam & externam moraliter esse vnum, quod intelligo in ratione obiecti: quia vtrumque amatur propter honestatem manifestandi articulum, quia creditus est: hoc autē est comparatione volitionis, quæ vtrūque habet pro obiecto: assēsus namque internus nō habet pro obiecto confessionē externā; sed tātum est idē cū illo in ratione signi & significati.

§. 9. *Obiectio.* Obijcies contra primam conclusionem: confessio fidei per se pertinet ad veracitatē: ergo non ad affectionem piam. Probo antecedens: quia confessio fidei est voluntas conformandi verba cum mente.

Resp. Responderi potest primò negatione consequentiæ: quia eadem actio externa potest per se esse in duplici specie virtutis: quia habet per se honestatem convenientem fini vtriusque virtutis, secundùm diversos conceptus superiores & inferiores: veracitas autem generali quâdam ratione versatur circa verba externa, ne videlicet fallamus: fides verò sub ratione magis contracta. Secundò nego antecedens, quia veracitas habet pro obiecto formali prolationem externā, quia consonat menti: pia autē affectio non quia consonat menti; sed quia honestum est credere, & confiteri. Itaq; non cōparat honestatem conformandi linguam menti, neq; attendit, ne alij decipiantur; sed præcisè vult assentiri internè, & externè ostendere assensum suum, vt cū alijs communicemus in vnitate fidei: & quamvis hoc fieri non potest, quin verba externa adsonent internis, tamen id non facit, propter adsonātiā ipsam; sed propter conservationē vnitatis fidei, & propter extollēdā autoritatē & revelationē divinā. Itaq; veracitas profert verba adsonātia mēti ad vitandā deceptionē audientis circa mētē loquentis: id autem non considerat fides; sed præcisè vult manifestare assēsū internū.

§. 10. Dico tamen confessionē externam fidei non attingi efficienter immediatè ab aliquo habitu intellectus aut volūtatis; sed solùm à potentia externa executrice. Probatur primò, quia nullus habitus producit actū extra potentiā, in qua existit. Secundò, quia sola potentia externa sufficit ad illos motus: nā ab hæretico possunt proferri per mendaciū, pravoq; fine: nec in Catholico habent aliquā supernaturalitatē: possunt enim ab illo proferri absq; vllo actū supernaturali ob finē turpem, nempe, vt fœminam decipiat, vel alliciat. Quando autē fit meritoriè, nihil accipit intrinsecè; sed totum illud est denominatio extrinseca ab actu interno supernaturali, quo benemeremur: vt patet quando gladium movemus in defensionē fidei, tunc gladio nihil appingitur supernaturale: fateor facillimè posse defendi confessionem externā fidei pertinere ad aliam virtutem, cuius obiectum formale sit ipsa externæ professionis honestas: quæ distincta est ab assensu interno.

SECTIO II.

An, & quo tempore sit necessaria fidei confessio?

CONFESSIO fidei potest esse per expressa verba, qualia sunt, quibus symbolum recitamus: potest item esse consuetudine, & vitâ Christiana, quæ satis indicant hominem esse Catholicum: vt cùm adest sacrificio, & orationibus publicis, abstinet à carnibus, frequētat sacramēta, obedit Catholicis Prælatis, & id genus alia præstat, quibus satis ostēdit se esse fidelē. Hoc secundum genus satis est ad præceptum fidei exteriùs profitendæ, quia externa professio fidei præcipuè exigitur & propter gloriam Dei, quæ illi comparatur manifestatione assensus interni, & propter vnitatem Ecclesiæ, quæ maximè continetur fidei Catholicæ confessione: hæc assequimur operibus ipsis, quibus ostendimus nos esse in Ecclesia Catholica, cuius præcepta, & leges servamus; & ostendimus fidem nostram, quæ maximè operibus panditur: vt constat ex capite secundo Iacobi 18. *Ego ostendam tibi ex operibus fidem meam.* Qui autem ita vivit, vt omnibus persuaserit, se esse Catholicum, non indiget expressa confessione fidei verbis expressis: nisi vel publicè interrogetur à iudice, vel ob præceptum particulare teneatur symbolum recitare. §. 11. *Iacob. 18.*

§. 12. *1. Conclus.* Dico primò: tenemur præcepto affirmativo aliquando confiteri fidem exteriùs verbis expressis, vel si homo sit mutus, nutibus & alijs signis. Quam conclusionem docet

S. Thom. Valent. P. Suar. docet S. Thomas quæst. 3. art. 2. & erudite probant P. Valentia disput. 1. quæst. 5. puncto 2. & P. Suarez lib. 6. contra Regem Angliæ, cap. 9. referẽtes apertissima S. Augustini testimonia, aliorumque Patrum, quę in re tàm clara, brevitatis gratia, prætereo, lectoremque reijcio ad eos authores. Quæ conclusio est fide Catholica certa: opposita autem est hæresis Elcesaitarum, Priscillianistarum, Anabaptistarũ, & Libertinorum, teste P. Valentia.

§. 13. 1. Probat. Matt. 10. 32. Probatur primò Matthæi 10. 32. *Omnis ergò, qui confitebitur me coram hominibus, cõfitebor & ego eum coram Patre meo, qui in cælis est: qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo, qui in cælis est*: vbi Christus, eum ore neganti corã hominibus, minatur exilium à cœlo. Constat enim ex toto capite à Christo discipulos armatos ad perpetiendas ærumnas pro Christiani nominis confessione, eosq; docet ne timeant homines in ipsos ea de caussa sævientes: si enim ob eorum timorem Christũ abnegent, & Christus eos negabit. Adsonat Lucas, cap. 9. 24. & 26. vbi docuit eum, qui amore in vitam negaverit Christum & eius verba, ab ipso Christo fore negandum. *Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet illam: nam qui me erubuerit, & meos sermones: hunc filius hominis erubescet, cum venerit in maiestate sua, & Patris, & Sanctorum Angelorum*: erubescentia autem illa est externa negatio Christi: tenemur ergò tunc ita nos gerere, vt omnes intelligant nos esse discipulos Christi: quod quidem fit externa confessione, qua interrogati de fide respondemus nos esse Christianos: nisi enim id prestemus, iam vel ipsa taciturnitate ostendimus nos erubescere Christum.

Luc. 9. 24 & 26.

§. 14. Ad Rom. 10. 9. Idem constat ex Paullo ad Rom. 10. 9. *quia si confitearis in ore tuo Dominum Iesum, & in corde tuo credideris, salvus eris: corde enim creditur ad iustitiam; ore autem confessio fit ad salutem.* Contextus est satis apertus: petit enim Paullus duos actus realiter distinctos: alterum, quo internè assentiamur corde, id est, voluntate, & non fictè: alterum, quo confessionem cordis ore volvamus. Primum actum dicit necessarium esse ad iustitiã, id est, ad iustificationẽ, quia sine fide impossibile est placere Deo: confessionem autem externam, ait, esse necessariam ad salutem, id est, ad vitam æternam: quia cùm nullus possit in vitam ingredi, nisi mandata servet, nullus poterit nec retinere iustitiam acceptam, quæ est prima salus; neque adipisci vitam æternam, quæ est absolutè salus, nisi servet hoc præceptum ore confitendi Christum. Qui sensus consuetudine Ecclesiæ satis est firmus: quæ graviter animadvertit in eos, qui fidem negant exterius, qualibet ex caussa id effecerint.

§. 15. Ratio. Ratione probatur, quia omittere confessionem fidei certis in caussis & circumstantijs; perinde est ac negare fidem: qui enim tacet, consentire videtur; sed negare fidem est contra leges ipsius fidei, & contra eiusdẽ fidem, honoremque Dei: ergo in his casibus tacere, est peccatum contra legem fidei, & honorem Dei. Probatur minor: quia negare fidem est, vel negare eius veritatem, vel erubescere in discipulatu Christi, vt ipse Christus dixit; vel est negare gloriam, quæ in articulis fidei prædicatur de Deo: hæc autem omnia manifesta sunt peccata: ergo: minor patet, quia negare veritatem fidei est contra authoritatem, & testimonium ipsius Dei: *quia, qui non credit, mendacem facit eum*: & facit contra dictamen prudentiæ dictantis hic & nunc esse credendum: ergo, qui negat fidem exterius, negando eiusdem veritatem, etiam exterius, iniuriã irrogat Deo: qui autem erubescit se profiteri discipulum Christi, ostendit, quod est in se, Christum esse indignum, quem sequamur Magistrũ. Qui negat articulos divinitatis, eiꝰ vnitatis, & similes, detrahit Deo gloriam, quam habet: ergo quâcumque ratione negetur fides, est iniuria in Deum. Maior patet: quia qui negat fidem, indicat aliquod ex his capitibus: præcipuè autem negat Christum esse dignũ, cui credamus: propterea ipse dixit: qui autem me negaverit, item; qui erubuerit. Mitto aliorum argumenta, quæ non vrgent. Animadverte fidem esse confitendam, non solùm propter vnitatem Ecclesiæ cum alijs fidelibus servandam, quæ confessio immediatè refertur ad homines; sed etiam propter Deum, ad quem immediatè refertur ista confessio: cedit enim immediatè in eius honorem, non secus ac religio, & obedientia: quia sicut Deo præstamus obedientiam & cultum; ita Deum confitemur externa fide, Christumq; dignamur. Hæc observo propter P. Suarez oppositum indicantem lib. 6. contra Regem Angliæ, cap. 9. num. 6. Qui tamen rectè probat, numquã licere negare fidem disp. 14. sect. 1.

1. Ioann. 5. 10.

§. 16. Bañez. Tempus, quo necesse sit hanc confessionem exercere, non constat apud omnes. Magister Bañez in hunc articulũ secundũ dubitatione prima, docet hoc tẽpus esse, quando aliquis publica authoritate interrogatur de fide: id est, quãdo interrogatur à Principe, vel aliquo eius ministro fungẽte authoritate publica: sive interrogatio fiat in publico, sive secreto. Si aliquis interogetur ab aliquo homine privato, carẽte publica authoritate, non tenetur fidelis directè respõdere; sed per tergiversationem poterit celare fidem, vt

S.Tho. q. 3. Art. 1. Tho. Sãch. P.Becan. vt si dicat, quid ad te pertinet hæc interrogatio? Hæc ait, cit Bañez, versu *tertia conclusio*: quem sequitur P. Thomas in Decalogũ lib. 2. cap. 4. num. 6. cum alijs ab eodem adductis, & P. Becanus, cap. 9. de fide, quæst. 4. num. 2. & 3. Probant, quia respondere coram publicâ authoritate, est magna gloria Dei, & vtilitas proximorum: quæ non est, si quis caussam agat apud privatã personam.

§. 17. Hoc discrimen mihi non placet: censeo enim eamdem esse rationem in homine privato, & publico: iisdemque in casibus, in quibus tenemur profiteri fidem coram iudice, tenemur & coram privato: & quoties coram privato possumus eam occultare, possumus & coram iudice. Discrimẽ hoc privatæ, & publicæ personæ refellit apertè P. Lusius disp. 35. dub. 2. versu *sciẽdum verò est*. Lorca disp. 24. nu. 21. & P. Suar. disp. 14. sect. 3. nu. 6. Colligiturq; ex glossa interlinearia in cap. 10. ad Rom. in ea verba, *quia si confitearis*; addit autem glossa, *cùm aliquis impugnat*: idemq; insinuat Caietanus, & alij Doctores, dum aiunt, respondendum esse manifestatione fidei cuicumq; tyranno interroganti, non distinguentes an publica, an privata authoritate fungatur: quod expressè dixit S. Thom. art. 2. his verbis, *si aliquis interrogatus de fide taceret, & ex hoc crederetur vel quòd non haberet fidẽ, vel quòd fides non esset vera, vel alij per eius taciturnitatem averterentur à fide: huiusmodi enim casibus confessio fidei est de necessitate salutis.* (Torres. Lorca. Suar. Caiet. S.Thom.)

§. 18. Probatio. Ratione probatur primò: quia iudex ad interrogãdum de fide in eiusdẽ fidei odiũ, nullum habet ius magis, quàm privatus homo; sed coram homine privato possumus tacere propter defectum iuris huius: ergo & coram iudice, vel neutrobiq; possumus. Maior patet, quia ad agendum aliquid contra rectam rationẽ, non potest dari publica authoritas. Minor probatur, quia tergiversatione vti possumus cum privatis hominibus, quia non habent ius ad nos interrogandum: vndè privatis possumus dicere, *nolo respondere, quid ad te hæc caussa?* quod non possumus respondere legitimo iudici, quia ius habet ad nos interrogandum: vnde concludo solum ius ad interrogandũ esse apud hos authores discrimen inter publicam, privatamque personam: hoc autem ius in præsenti caussa æquè deest vtrique: ergo nullũ est discrimen.

Confirm. Confirmatur, quia possumus tergiversari corã iudice illegitimè interrogante: quia nõ vtitur authoritate publica ex ipsius authoritatis iure; sed potius contra illud; sed etiã in præsenti casu abutitur iudex authoritate publica contra ipsius authoritatis ius: ergo possumus corã illo tergiversari.

P. Becan. Asserit P. Becanus nu. 6. iudicem apud suos subditos censeri habere ius. Cõtrà, apud Ecclesiam non censetur illud habere hac in parte; nec apud bene sentientes; nec potest dici possessor bonæ fidei; quia mala fide & peccaminosa possidet: non aliter, ac si hæretici sentiant, singulos homines esse fidei legitimos iudices: hæc persuasio non facit bonæ fidei possessorem. Evasio. Refell.

§. 19. 2. Probat. Secundò probatur, quia si in aliquo casu tergiversatio corã privato est licita, est quia non tã ostenditur interna fidei abnegatio, quã contemptus personæ interrogantis; ita possum⁹ corã iudice tergiversari, quia possumus ostẽdere parvi à nobis fieri ei⁹ interrogationẽ; & ostendimus illũ adhuc in ratione iudicis infidelis imprudenter agere: v. g. si quis in vrbe hæreticorũ nullum dederit signum exterius suæ fidei magis, quã cæteri, & interrogetur à iudice sine alio indicio; poterit fidelis respondere se inconsultò, & imprudenter interrogari: quia cũ religio Christiana sit crimen in illa vrbe, nullus potest de illa absq; indicio interrogari magis, quã de furto aut homicidio: & quemadmodum potest tergiversari de latrocinio, quod non commisit, vt ostendat iudicem agere contra ius, sic poterit tergiversari de fide: quia tunc fidem non negat, neque id censeri potest prudenter; sed præcisè ostendit iudicem in ea quæ[illegible]one agere contra ius debitũ, quæstionibus etiam criminum. Vndè tunc fidelis non erubescit Christum; sed potius iudicem accusat iniustæ formæ iudicij, etiam in criminibus quærendis: nec tunc subtrahitur honor Deo, aut vtilitas proximo.

§. 20. S.Thom. Sanctus Thomas eo art. 2. rectè docet pro quo tempore vrgeat huius cõfessionis præceptum: nempe, quando Deo subtrahitur honor debitus, & vtilitas proximo: id est, quando Deo irrogatur iniuria, aut proximo paratur scandalum. Iniuria autem irrogatur Deo, quando homo dat signa, ex quibus prudenter iudicatur illum non habere fidem. Si enim hæc signa dat, peccat contra legem fidei; idque fit taciturnitate, quando agitur per se & directè de caussa fidei ab homine prudenter suspicante reum fidei esse fidelem: sive qui interrogat iudex sit, vel privatus: quando enim de aliquo crimine posset prudenter aliquis interrogari, & non esset bene locus tergiversationi, tunc teneretur reus fateri crimẽ: sic tenemur fateri fidem: quia cũ non suppetat prudens ratio ad cõtemnendã authoritatẽ personæ interrogantis, sive publica sit, sive privata, tũc taciturnitas non posset referri prudenter, nisi in solam carentiam internæ fidei: in his enim casibus, *qui tacet, consentire videtur*. Quod Pater Suarez adductus §. 17. prudenter observat; itaque quando ratio inter- P. Suarez.

terrogandi est similis, ac in alijs criminibus, est locus huic doctrinæ: & cùm reus apud iudicem posset licitè tergiversari de furto, accusans iudicem malæ formæ iudicij; potest & de fide: quia vt non posset ab aliquo prudenter censeri latro propter tergiversationem, ita nec infidelis; sed potiùs iudex habetur malus iudex in crimine quærendo. Quia verò iudices frequentiùs vtuntur legibus in quærendo crimine; & censentur à suis eas non violare, privati autem faciunt contra ius in crimine quærendo; ideò doctrina Dominici Bañez, & nostrorũ est frequenter vera: dùm constet non semper licere coram privato tergiversari: quia sæpè tergiversatio erit argumentum negatæ fidei. Atque hoc peccatum est directè contra legem fidei, tum quia est contra Deum, eius authoritatem, & revelationem: tum quia est contra vnitatem, quam exigit fides per se. Quando autem alij avertuntur à fide, est quidem peccatum scandali contra charitatem proximi; non tamen contra fidem: quia hæc tantùm obligat ad assensum internum, & externum; non tamen ad propagationem sui: vt iustitiæ lex obligat ad actus internos & externos vnicuique ius suum servantes; non tamen obligat ad faciendos alios iustos: illis autem dare occasionem ad iniustitiam pertinet ad vitium *scandalum*. Recognosce Patrē Suarez disputat. 14. sect. 2. Hæc dixi de confessione fidei secundum se; de illa verò, vt præcipitur à Concilio, agam disput. 94.

P. Suar.

SECTIO III.

Vtrùm liceat vti habitu infidelium?

§. 21. INFIDELES possunt vti habitu distincto à fidelium vestibus duplici ex caussa: primùm, quia vtuntur vestibus communibus illi Provinciæ independenter etiam ab infidelitate: verbi gratia, Turcæ vtuntur turbante, non quidem quòd Mahometani sint; sed quòd Arabes, aut Thraces, aut Lybij: quo genere galeri vtebantur illi Provinciales, antequam Mahometi legem admitterent: & quo vterentur etiam ad fidem Christi conversi. Itaque si Mahometani amplecterentur legem Christi, non propterea deponerent turbantem. Quod aperto est argumento, vestem illam non esse signum religionis; sed patriæ, aut nationis. Quo genere vestium posse fideles licitè vti, concors est Theologorum omnium sententia apud PP. Valentiam disputatione prima, quæstione tertia, puncto secundo, versu *qui ad posteriorem*. Thomam Sanchium libro secundo, cap. quarto, numero 16. P. Luisium disput. 35. dub. 4. Suarez disput. 14. sect. 5. num. 1. & Bañez dubitatione secunda. Ratio à priori, quia tunc nullum datur signum infidelitatis: alioquin, qui inter illos ad fidem convertitur, teneretur totum habitum mutare. Quòd si aliqui censeant illum esse de numero infidelium, id est absque culpa ipsius, propter imprudentiam iudicantis. Nam cùm habitus ille non sit religionis; sed patriæ, ex solo habitu indicatur imprudenter illum esse Mahometanum: vndè qui illi habitui assuetus in Hispania baptizaretur, posset eum ibi retinere, nisi aliundè adesset scandalum, & illi suppeteret honesta ratio, aut valetudinis, aut quia rediturus in patriam non posset sine gravi incommodo habitum mutare. Et quidē equites Hispaniæ acceperunt à Mauris stapedes curtos, ludum arundineum, & alia, quæ non spectant ad religionem; sed ad vitam civilem; cavenda tamen est occasio scandali, & oportet esse caussam iustam, vt monet Pater Suarez.

P. Valent. *P. Thom. Sanchez.* *P. Luis.* *P. Suarez.* *Bañez.*

Secundum genus vestium est, quo infideles vtuntur, non quia sunt Arabes, Thraces, Germani, aut Angli; sed quia sunt Iudæi, Mahometani, aut hæretici. Quem habitum gestant ob solum religionis insigne, quod deponerent, si ad Catholicam fidem converterentur: verbi gratia, Romæ Iudæi vtuntur pileo pallido, vt discriminentur à Catholicis; Mahometani autem Persæ vtuntur velo albo, vt discriminentur ab alijs Mahometanis: iste habitus potest esse institutus directè ad cultum falsæ religionis, vt vestes sacrificulorum; vel potest esse non institutus in cultum, sed in signum, quo dignoscatur hunc hominem esse Iudæum: Huc revoco habitum, qui ex consuetudine est argumentum religionis, quamvis non ex instituto. §. 22.

Prima sententia potest esse, non licere vti hoc vltimo genere vestium: verbi gratia, nulli Catholico licere vti pileo pallido in ea vrbe, in qua eo vtuntur soli Iudæi. Probatur, quia vestis illa indicat eum vtentem esse Iudæum; sed nullus potest licitè dare infidelitatis indicium: ergo neque eo habitu vti: minor probatur primò; quia nullus potest verbis dicere se esse Iudæum: ergo neque gestare pileum: probo consequentiam, quia ex eius verbis institutione pileus tàm est signum Iudaismi; quā verba ex institutione communi: secundò, quia vnul- §. 23. *1. Sentent.* *Probatio.*

S.Tho. q. 3, Art. 1. vnusquisque prudenter censet, hominem illum esse Iudæum, quo & dissuitur vnitas Ecclesiæ, & iniuria irrogatur Deo. Quæ sententia communis est Theologis, distinguentibus vestes pertinentes ad religionem à pertinentibus ad solam politiam: hos authores refert P. Thomas eo cap. 4. num. 18.

Tho. Sãch. §. 24. Ipse tamen num. 19. oppositam sententiam tuetur cum multis alijs ab eodem adductis: inter quos refert Magistrum Bañez *Bañez.* art. 2. dubitatione secunda, concl. 3. Ipse tamen ea de re non agit; sed de alia valdè diversa: nempè an liceat Christiano inter infideles deponere signum Christianitatis? si, verbi gratia, apud Mahometanos cogerentur Christiani vti pileo pallido, & Mahometani pro pileo vterentur turbante rubro in signum suæ sectæ, docet Bañez posse Christianum interdum deponere signum suum: an autem possit vsurpare Mahometicum, non docet in partem vllam. Fateor ex eius conclusione & ratione colligi sententiam P. Thomæ: quam etiam perspicuè docet *Aragon.* Aragon art. 2. dub. 1. concl. 2. P. Azor, tom. *Azor.* 1. lib. 8. cap. 27. versu *mihi hoc*, & P. Suarez *Suar.* disput. 14. sect. 5. num. 8. cum P. Valentia, & *Valent.* alijs, P. Becanus de fide, cap. 9. quæs. 5. num. *Becan.* 28. & 29. hanc opinionem censet probabilem. Ratione probant, quia vsus illius pilei etiam cum circumstantijs, quò Romæ eo vtuntur Iudæi, non est intrinsecè malus, sicut est intrinsecè mala vocalis professio Iudaismi: ergo possunt fideles aliquando gravem ob caussam eo vti: consequentia neque ab adversarijs negatur, quia actio indifferens mihi licita est gravem ob caussam. Antecedens probant, quia si ille vsus esset intrinsecè malus, peccarent Iudæi quoties illum exercent, vt constat ex terminis; sed non peccant: ergo non est intrinsecè malus: probant minorem, quia si peccarent, quoties vtuntur pileo, non posset Pontifex licitè cogere ad eum vsum: quia ad peccatum nullus potest licitè cogere alios. Fateor eos non peccare ex solo vsu pilei, vt constabit §. 25.

§. 25. *Obiectio.* Dices, Iudæos peccare eo signo; Pontificem autem non peccare illud præcipiendo: quia cùm illi sint determinati ad aliquod signum suæ sectæ, parum refert eis præscribere hoc, aut illud. *Resp.* Respondeo, Iudæos esse quidem obstinatos in Iudaismo profitendo in synagogis, & alijs locis; non verò in vestibus: quin potiùs ipsi vellent eis non vti, ne probro afficerentur à pueris: immò verò peccarent Iudæi contra obedientiam debitam Principi, si pileum deponerent. Ratio à priori: quia signum illud non pertinet ad cultum religionis, nec ad eam profitendam ex complacentia in illam; sed præcisè, vt ab alijs cognoscantur, & ab illis caveatur, immò & ad multos vsus vtiles religioni Catholicæ. Quòd si Iudæi eo pileo vtantur ob suæ religionis gloriam; vsus ob illum finem non præcipitur à Pontifice; sed ob alium, ob quem potest vsus ille servari à Iudæis absque peccato; nempè vt obediant.

§. 26. Hæc cùm ita sint, adhùc non probant cõclusionem P. Thomæ: quia Iudæi non peccant; sed potius operantur secundum dictamen rectæ rationis vsu illius pilei, quia obediunt Principi iustè præcipienti; sed fideles peccarent illius pilei vsu frequenti, ergo à licito vsu Iudæorum, non benè arguitur ad nostrum. Ratio à priori, quia nos significaremus nos esse Iudæos professione: quod in Catholico crimen est contra fidem, quæ prohibet signis externis negari internam fidem: at verò infidelis, quamvis interna infidelitate peccat, at non facit distinctum peccatum infidelitatis ostensione suæ internæ religionis: quando nihil vult, nisi ostendere se illam habere. Quod apertè declaro: si ego prudenter credo hunc hominem esse Iudæum, possum licitè eum interrogare vtrùm sit Iudæus? & quid recentes Iudæi sentiant de Christo, & Trinitate? nec enim aliquis dicet me in hac interrogatione peccare: quia illi non suadeo dissensum de Incarnatione, aut Trinitate; sed volo, vt mihi indicet illos dissensus ex suppositione, quòd eos habeat: at si ipse respondeat ex solo fine dicendi verum, & conformandi verba cum mente, exercebit veracitatem naturalem: nec enim lex fidei eum obligat ad mentiendum, aut tacendum: sicut nec lex charitatis me obligat ad non interrogandum: quia illa actione ille non dissentit veritati revelatæ; sed tantùm indicat dissensum suum: fidelis autem nullam ob caussam potest seriò dicere se esse professione Iudæum: ergò à licita professione Iudæi malè arguitur ad Catholicum. Confirmatur: quia qui hæreticus est, aut paganus, *Confirm.* pungitur autem stimulis cõscientię, potest adire Catholicum doctum, & illi exponere, in quo versetur errore, & simul se velle instrui, qua ratione illum possit abijcere: hic in hac confessione externa, non peccat; sed potiùs agit honestè pandens animi vulnera, vt curentur. Similiter Iudæus potest gestare pileum eo animo; non vt honoret sectam Mosaicam; sed potiùs, vt obediat, & velit, vt Princeps Catholicus assequatur, quod contendit: nempè; vt cæteri sibi caveant à Iudæis. Si verò ipse eo vtatur pileo, non vt obediat; sed honoris ergò in Iudaismum, tunc peccat; facit tamen contra Principis institutum. At non licet Catho-

lico

lico his signis vti: ergo non est argumentum ab vsu licito Iudæorum ad vsum Catholicorum.

§. 27. Censeo tamen probabilem sententiam horum authorum: nempè interdum licitam esse vsurpationem signi, quo soli infideles vtuntur pro signo suæ sectæ. Quam doctrinam apertè tradunt Adrianus, Caietanus, Medina, Lorca & alij imitati S. Hieronymum, & alios antiquos Patres admittentes licitam esse aliquando simulationem falsæ religionis; hæc autem vsurpatio minùs est in cultum falsæ religionis, quàm simulatio cultus religionis eiusdem. P. Valentia disp. 1. quæst. 3. par. 2. versu *hac sententia*, cùm Adriani censeat non improbabilem, hanc censebit meliori iure probabilem: quam probabilem dicit P. Becanus adductus §. 24. Probatur primò ab exemplo: quia deponere signum Christianitatis inter infideles neque est dare signum religionis Catholicæ desertæ, neque semper est illicitum: ergo neque vsurpare signum Iudaismi est signum Iudaismi suscepti, neque semper est illicitum. Antecedens admittitur à pluribus Theologis, quos sequitur Bañez art. 2. dubio 2. conclus. 3. Ratio est, quia illa depositio signi Christianitatis non est per se ita instituta ad profitendum discessum à fide, quin etiam habeat alios vsus naturales, ob quos potest interdum intelligi depositum signum illud: neque est moraliter evidens argumentum hoc: *hic deponit signum Christianitatis: ergo non est Christianus*: quia ob alios fines potuit illud deponere, nempè ad vitandam mortem, vel aliud gravissimũ damnum: consequentiam probo: quia sicut vsurpatio signi est instituta ad professionis Iudaicæ significationem, ita depositio crucis ex veste, verbi gratia, significat desertionem Christianitatis: quia illa crux in veste distinguit ex lege, aut consuetudine, Christianos à non Christianis.

Adrian. *Caiet.* *Medina.* *Lorca.* *P. Valent.* *P. Becan.* *1. Probat.* *Bañez.*

§. 28. *2. Prob.* Secundò probatur, quia vsus pilei potest esse ex aliqua caussa distincta à religionis caussis: ergo possumus eam ob caussam illo vti ob aliquam necessitatem vitandæ mortis. Antecedens patet, quia pileus habet effectus naturales independentes à significatione Iudaica, non secùs ac aliæ vestes: quo distinguitur à verbis, quibus cùm loquimur, non vtimur, nisi ad significandum obiectum, vt à nobis concipitur. Consequentiam probo, quia quando vsus est indifferens ad significanda plura, non est cur ex gravi necessitate vitandæ mortis, non possem ego vti ad finem distinctum à professione religionis. Quod explico, quia commune est hostes indui suorum hostium vestibus, vel vt eos capiant, vel fugiant: vndè Turca videns in mari navim cum gentilitio Lunæ, imprudenter censet navim illam esse Turcarum; sed si prudens sit, debet timere, ne sit Christianorum se alieno signo dissimulantium: ergo eâdem ratione si Iudæus gladio, & ferro minitans Christiano, videat hominem Iudaico ritu pileatum, imprudenter censebit talem hominem esse Iudæum: debet enim suspicari illum esse fortè Christianum. Ratio à priori, quia in his eventibus hæc stratagemata sunt familiaria hostibus ipsis sic suos fugientibus.

Considera longum esse discrimen inter duos homines vsurpantes pileum Iudaicũ: alter enim potest cognosci esse de numero Christianorum, & sic cognitus mutare vestem Christianam pro Iudaica: verbi gratia, obsideatur vrbs à Iudæis, qui apertè sciunt omnes obsessos esse Christianos: illisque proponunt veniam, si Christo renuncient cuius signum erit vsurpatio pilei Iudaici: in eo casu peccat contra fidem, qui pileum vsurpat, quia tunc ea vsurpatio est prudentissimum argumentum mutatæ fidei: quia signum illud est hic & nunc institutum ad solam fidei abrenunciationem: & qui illum vsurparet, perinde est ac si diceret, *iam è Christiano sum Iudeus*. Sic peccaret contra fidem, qui vsurparet signum in circumstantijs, in quibus cognosceretur esse è populo Christiano, & vsurpasse signum à sua gente alienum. Ratio à priori, quia sic signũ vsurpans vteretur formaliter signo renunciatæ fidei. Nam nullo alio titulo mortem fugeret, nisi significando se esse Iudæum. In quo detraheretur honor Deo, & scandalum proximis obtenderetur. §. 29.

Alius posset vsurpare pileum hostibus inscijs eum esse è populo Christiano; sed potiùs sibi persuaderent hominem illum esse è populo Iudaico. In quo casu potest licita esse vsurpatio pilei Iudaici: quia non esset scandalum, aliquem Iudæum esse in hoc loco, & inter alios Iudæos. Tunc enim non censetur aliquis homo à Christianismo defecisse ad Iudaismum: neque tunc religio Christiana plus detrimenti pateretur, quàm si tunc occurrat Iudæus alius, neque Iudaismus cresceret in opinione id videntium: quia omnes illi homines censentur esse Iudæi, qui heri & nudiustertius Iudaismum profitebantur. Cessat igitur scandalum, & detrimentum fidelium: neque item Deo aliqua tunc irrogatur iniuria: quãvis enim Deo tunc non offertur positivè laus, & honor professionis suæ legis; tamen non tenemur singulis instantibus deferre positivè honorem Deo, nisi ex omissione sequatur positivè iniuria: omissio item illa honoris Dei potest multis titulis honestari, nempè §. 30.

1. Arg. vt à belligerante cum Moyse. Quod probat primū exēplo ipsius Petri, qui vtebatur cæræmonijs Mosaycis iā prohibitis, & mortiferis: idq; absque vllo peccato: quòd si reprehensus fuit à Paullo, non ideò fuit, quod Petrus verè esset reprehensibilis; sed quia erat reprehensibilis in existimatione Gentilium iam conversorum ad fidem; vt igitur Petrus lucraretur Iudæos, illis se accomodabat in Mosaycis cerǣmonijs; vt autem Paullus demulceret Gentiles, finxit se arguere Petrum. Hic est germanus sensus Hieronymi, ab ipso expressus expressis verbis.

§. 35. 2. Arg. Hieron. Secundò argumentatur Hieronymus exemplo Hieu Regis Israel, his verbis: *Vtilem verò simulationem, & assumendam in tempore, Hieu Regis Israel nos doceat exemplum: qui, cùm nō potuisset interficere Sacerdotes Baal, nisi se finxisset velle idolum colere, dicens: congregate mihi omnes Sacerdotes Baal: si enim Achab servivit Baal in paucis, ego serviam multis.* Quibus verbis Hieronymus probat apertè, sibi sermonem esse de simulatione non indifferenti ex se ad plures vsus & significationes; sed determinata ad significandum cultum Idolorum: dicere enim: ego plusquam Achab volo servire Baal, & offerre maius sacrificium; directè significat servitutem, & cultum in Idolum. Petrus Lorca tomo 2. in 1. 2. disput. 35. de legibus, versu *vt autem Hieronymi*, prope finem dicit, sententiam Hieronymi esse accipiendam non de vsurpatione signi significantis determinatè observationem legis alienæ: hanc enim ipse Lorca dicit iniquam esse; sed de vsurpatione signi materialiter, non tamquā legis: doctrinam eamdem repetit in præsenti disp. 24. num. 7. in primā autem secundæ dixerat à P. Vazquez S. Chrysostomum oscitanter legi consuetum: nescio sanè an ipse legerit testimonium Hieronymi, quem defendit: quid enim magis est vsurpare signum legis tamquam legis, quàm verbis dicere, *volo sacrificium offerre Marti, volo servare legem Mosaycam, nolo esse Christianus*: hæc autem verba Hieronymus adducit in exemplum simulationis vtilis & debitæ, vt constat ex verbis adductis: simulationemque Hieu affert in medium, ad confirmandam sententiam suam: quod argumentum esset ineptissimum, si à simulatione, quam censet iniquam, probaret æquam.

§. 36. 3. Arg. Tertiò argumentatur Hieronymus exēplo S. Paulli in multis observantis legem Mosaycā; nam & Timotheum circumcidit, ne Iudæos offenderet; & alias similes actiones exercuit, quæ manifestè erant Iudaicæ.

Lorca. Lorca ea disp. 35. de legibus, vult ab hac sententia Hieronymi esse Chrysostomum, Eusebium & Theodoretum Heracleotam: tum quia S. Hieronymus epistola 89. ad Augustinum asserit, eos authores esse ab eādē sententia: tùm etiam quia S. Chrysostomus tomo 4. explanans caput secundum ad Galatas id dicit expressè, insimulans ignorantiæ opinantes Petrum re ipsa fuisse reprehensum, & non per dissimulationem: vt tomo 3. homilia 46. in acta Apostolorum laudat consilium Paulli exercentis in templo Mosaycos nonnullos actus. Censet item Lorca à sententia Hieronymi esse Adrianum in 4. quæst. 1. de Baptismo ad argumenta, & Caietanum 3. par. quæst. 37. art. 1. & Medinam 1. 2. quæst. 103. art. 4. S. Chrysos.

§. 37. Animad. Adverte sententiam Hieronymi esse bipartitam: altera parte docet, licitam esse vsurpationem cerǣmoniæ falsæ religionis acceptam formaliter, quando omnibus cōsideratis censetur prudenter fieri ex animo non ficto; sed vero: altera parte docet Petrum & Paullum fecisse per simulationem, quæ Paullus facta refert Antiochiæ, cap. 2. ad Galatas. In prima parte sententiæ neque Adrianus, neque Caietanus, neque Medina, neque Lorca ipse assentiuntur sententiæ Hieronymi: hi enim Scholastici authores loquuntur de cerǣmonia materialiter, non formaliter sumpta: Hieronymus autē agit de illa etiam formaliter; Chrysostomus neque per somnum cogitavit de ea parte sententiæ, neque ad id adducitur à S. Hieronymo: sentit autem Chrysostomus contentionem illam Petri & Paulli seriam non fuisse; sed simulatam atq; compositam: nam ex sententia Chrysostomi voluit Petrus à Paullo reprehendi externè, vt ipse tacens compesceret Iudæos contendentes cū Gentilibus de observatione legis Mosaycæ: itaque non quòd Petrus vsurpasset cæræmonias iam desēlllicitas, reprehensus fuit; sed quia, quamvis illæ tunc licitè cognoscerentur ab vtroque Apostolo pro eo tempore, adhuc illa reprehensione voluit vterque ostendere Iudæis adventantibus ad Petrum, non esse iam necessariam observationem legis Mosaycæ: cerǣmoniasque illas esse tunc secūdū se illicitas, ex vrgēti verò necessitate eas ab Apostolis vsurpari: neq; aliud insinuat Chrysostomus in illis duobus locis adductis à Lorca; *meminerit* (inquit Chrysostomus in caput secundum ad Galatas) *si factum hoc appellat hypocrisim, hoc est, simulationem: non enim vult, vt priùs dixi, patefacere consilium, vt illi corrigerentur. Quoniam enim vehementer hærebant legi, ideò Petri factum appellat simulationem: & severiùs increpat, vt persuasionem illis radicitus infixam evelleret: & hæc audiens Petrus fungit, cum Paullo simulationem, quasi deliquisset, vt per ipsius obiurgationem* Chrysost.

S.Tho. q. 3. Art. 2. *gationem corrigerentur: nunc autem cùm conspiciunt Doctorem suum obiurgatum obtinere, neque cōtemnere, neque contradicere verbis Paulli poterant.* Itaque Petrus bene fecerat ex sententia Chrysostomi in observatione ceræmoniarum; voluit tamen videri male fecisse. Chrysostomus ergo in hac parte de simulatione docuit sententiam Hieronymi: ex qua colligi potest non esse licitam simulationem ceræmoniarum: quia Petrus cùm licitè tunc ceræmoniam illam exerceret ex Chrysostomo, voluit tamen reprehendi, quasi tunc ceræmonia illa esset prohibita vel in substantia, vel in modo, quo fiebat. Quòd si licita esset vsurpatio ceræmoniæ alienæ à fide Christiana, non haberet Paullus quid in Petro reprehenderet, nec seriò, nec simulatè. Etenim si ceræmonia erat secundum se licita, non erat reprehendendus illius vsus: quamvis autem illa esset illicita, si tamen eius vsus erat licitus ex aliqua caussa, neque poterat reprehendi: reprehensus ergo fuit Petrus, quia iā instabat tēpus, quo illæ ceræmoniæ futuræ erāt illicitę, & quia illicitum est illicitas vsurpare ceræmonias, etiam ob caussas graves, ideò voluit Petrus à Paullo reprehendi, vt in illo discerent Iudæi extinctam esse obligationem legis Mosaycæ, eiusque vsum de cætero esse vitiosum. Recognosce §.45.

SVBSECTIO II.

Impugnatur sententia adscripta Sancto Hieronymo.

§. 28. NON posse fidelem vti ceræmonia formali alicuius legis à Christiana alienæ, & in eo casu, in quo omnibus circumstantijs prudenter consideratis, existimari posset ab eo ceræmoniam vsurpari ex affectu in legem alienam, tàm certum mihi est, vt oppositam sententiam existimem alienā omninò à fide, neque ab Hieronymo aut alio Doctore Catholico fuisse vnquam traditam. Cùm autem Lorca (Lorca.) disp. 35. de legibus iactitet se caussā observantiæ in Hieronymum velle eius sententiæ probabilitatem ostendere, dicit illum intelligendum de simulatione indeterminatè, & æquivocè aliquid significante: non verò de ceræmonia & simulatione legis tamquam legis, quia id esset iniquum: laudo quidem studium Lorcæ in vindicando S. Hieronymo, & in sensu probabili exponendo; at non laudo eum non assecutum mentem Hieronymi: qui non egit de sola ceræmonia materialiter; sed etiam formaliter vt constat ex §.35. P. Valentia (P. Valent.) disp. 1. quæst. 3. punct. 2. versu *hæc sententia*, dicit eā non videri improbabilem: quē interpretor de ceræmonia materialiter, non verò formaliter: sic expono P. Becanum (P. Becan.), idem, quod nos, sentientem, cap. 9. quæst. 5. num. 8. vt constat ex num. 11.

§. 29. Dico autem, Hieronymum ab eâ non fuisse sententia: cùm enim S. Augustinus de tota illa tàm malè sensisset, vt eam ex instituto momorderit epistola 19. ad Hieronymum, & illi persuaserit palinodiam, illum graviter hortans, vt gravitate & pietate Christiana sententiam corrigeret; Hieronymus respondens ad priores epistolas Augustini dixerat epistola 89. se sententiam eam non definivisse de suo; sed proposuisse lectori, vt videret quæ esset magis è ratione: *præsertim* (inquit Hieronymus (Hieron.)) *cùm liberè in præfatione confessus sim, Origenis Commentarios me esse secutum, & vel mea, vel aliena dictasse, & in fine eiusdem capituli, quod reprehendis, scripserim: si cui iste non placet sensus, quòd nec Petrus peccasset, nec Paullus procaciter ostenditur arguisse maiorem: debet exponere, quâ consequentiâ Paullus in altero reprehēdat, quod ipse commisit. Ex quo ostendi, me non ex definito id defendere, quod in Græcis legeram; sed ea expressisse, quæ legeram: vt lectoris arbitrio derelinquerem, vtrùm probanda essent; an improbanda?* Quæ autem in ea epistola pro ea sententiâ congerit, non sunt accipienda, vt ab ipso dicta ex definito; sed vt ostendat, quę possint esse fundamenta authoribus sententiæ: ait enim Augustino: *Tu, vt Episcopus in toto orbe notissimus, debes hanc promulgare sententiam; & in assensum tuum omnes Coepiscopos trahere. Ego in parvo tuguriolo cum monachis, id est, cùm compeccatoribus meis, de magnis statuere non audeo, nisi hoc ingenuè confiteri, me maiorum scripta legere, & in commentarijs, secundum omnium consuetudinem, varias ponere explanationes, vt è multis sequatur vnusquisque, quod velit.*

§. 30. Obiectio. Obijcies hæc verba Hieronymi: *si igitur me reprehendis errantem, patere me, quæso, errare cum talibus, & cùm me erroris mei multos socios habere perspexeris, tu veritatis tuæ saltem vnum ad stipulatorem proferre debebis.* Sanctus autem Augustinus ea epistola 19. respondet id ab Hieronymo dictum, nō quòd ipse velit errare; sed quòd censuit eorum sententiam fuisse veram; *cum his ergo* (inquit) *errare, puto, quia nec te ipse putieris: quāvis hoc perinde dicatur, ac si in hac sententia non erraverint: nam quis est, qui se velit cum quolibet errare?* ergò Hieronymus assensit authoribus Græcis in ea sententia. Nego consequentiam (Resp.); Hieronymus enim id non dixit Augustino

gustino, quasi consentiens Græcis; sed vt Augustinum compesceret, qui ipsi Hieronymo visus est iuveniliter florescere, & exultare: qui Augustinus, si sibi persuadebat sententiam Hieronymi esse falsam, debebat suam contra ipsum probare veterum authoritate; vt ipse Hieronymus probaverat sententiam, quam Augustinus censuerat esse Hieronymi. Non nego ab Augustino censam hanc sententiam Hieronymianam, cui occasionem aliquam dederat Hieronymus ipse: assero tamen Hieronymum questum de Augustino, quòd ita censuerit; cùm ex præfatione Commentariorum, & capitis ab Augustino reprehensi satis indicasset, se non ex definito; sed ex aliorum sententia locutum, vt constat ex verbis adductis §. 39.

§. 41. Eam sententiam dixi esse alienam à fide: quod priùs censuit Augustinus ea epistola decima nona, obsecrans Hieronymum, vt eam per palinodiam corrigeret; & obtestans se doluisse eã ab Hieronymo traditam: item ostendens eam peiorem esse errore Ebionis & Nazaræorum: ait autem: *quicumque eas observaverit, sive ex Iudæis, sive ex gentibus, non solùm veraciter, verùm etiã simulate, eũ in barathrum diaboli devolutum. Quid quæris amplius?* Respondens autem Hieronymo poscenti ab Augustino aliquem authorem interpretationis Augustinianæ, constanter ait, sibi satis esse S. Paullum, id expressè testantem: significans illis verbis sententiam oppositam apertè cum Scripturis pugnare: asserens autem, eam sententiam esse peiorẽ errore Ebionis, & Nazaræorum, docet illâ excitari Iudaismum, vt illum suscitavere Ebion & Nazaræi; item propter speciem boni, quam præ se fert, esse deteriorem illorum errore, Hieronymumque ipsum excusat à cœcitate & errore.

§. 42. Ratione impugnatur ea sentẽtia; quia parũ aut nihil differt ab errore Elcesaitarũ negantiũ necessariã esse in tormentis confessionem fidei: dùm enim quis fidem servet in corde, licèt eam exteriùs detestetur, non peccat iuxta hanc hæresim; sed in sententia, quam impugno, possumus exteriùs negare fidem ob metum tormentorum, aliavè de caussa honesta: ergo relabitur hæc sententia in errorem Elcesaitarum relatum §. 12. & damnatum à Sancto Fabiano. Minor probatur: tùm quia in hac sententia, Iehu Rex licitè dixit: *ego serviam, & sacrificabo Baal imitans, & superans Achab*: ergo potuit etiam licitè dicere: *ego servio, & sacrifico alicui Deo distincto à Deo Israel.* Patet consequẽtia, quia Baal erat distinctus Deus ab Israëlis; sed Iehu licitè dixit se servire Baal: ergo & martyres id potuerunt dicere

Quòd si hæc dixissent in quæstionibus, ea solum confessione actum, esset de suppliciis. Tùm etiam quia non est magis illicita protestatio idololatriæ per signum exteriùs reale, quàm per vocem: immò apertior est mala confessio vocalis, quàm signum reale; sed Regi Iehu licita fuit simulata illa confessio vocalis: ergo eamdem ob caussam licitum illi fuisset sacrificium oblatum idolo. Quòd si internecio Sacerdotum Baalicorũ potuit actionem illam honestare, quidni eam honestabit apertum cruciatuum discrimen? & servare integram multitudinem fidelium, ne cogerentur diris interire suppliciis? quorum vita pluris est æstimanda, quam nex paucorum Sacerdotum Baal.

Secundò probatur: quia nunc non licet ipso iure religionis Catholicis Anglis simulatè interesse sacris hæreticorum, quàmvis ipsa simulatione tantùm proficerent Ecclesiæ, quantùm Apostolus Petrus potuit proficere simulata illa Mosayca ceræmoniã: ergò non potuit Petrus simulare se esse Iudæum, si id illi illicitum erat: consequentia negari non potest, quia si ille finis honestus adhuc relinquit vitiatam hanc Anglorum actionem, eam eadem ratione relinquent vitiatam vbique. Antecedens probo authoritate Paulli Quinti Domini nostri in Brevi ea de re ad Anglos, quod refert P. Suarez lib. 6. contra Regem Angliæ, cap. 9. num. 16. in cuius fine ita concludit: *non enim licet vobis hæc facere sine detrimento divini cultus, ac vestræ salutis*: vtilitatem autẽm hanc æqualem esse ei, quam Petrus quæsivit, inde patet: quòd Petrus id effecit, ne pauci Iudæi ad ipsum à S. Iacobo missi scandalum paterentur; sed plùres illud patiuntur in Anglia: ergo. §. 43. 2. Prob. Paullus Quintus. P. Suarez.

Tertiò probatur à priori, quia confessio religionis perniciosæ est intrinsecè mala, vt constat ex sect. 2. tunc enim irrogatur iniuria Deo, & proximo datur scandalum; sed vsus ceræmoniæ & signi formaliter Iudaismi, aut hæresis, aut paganismi, est confessio religionis perniciosæ: ergo ille vsus est intrinsecè malus. Maior rectè probatur ex 2. Machab. 6. qui enim suadebant Eleazaro, vt vescens carnibus licitis, simularet se illicitis vesci, reprehenduntur in Scriptura tamquã iniquã miseratione commoti, & Eleazarus ipse respondit, *præmitti se velle in infernum: non enim ætati nostræ dignum est fingere, vt multi adolescentes arbitrantes Eleazarum nonaginta annorum transisse ad vitam alienigenarum, & ipsi propter meam simulationem, & propter modicum corruptibilis vitæ tempus decipiantur, & per hoc, maculam atque execrationem meæ senectuti conquiram: nam etsi in præsenti tempore suppliciis hominum eripiar; sed manum Omnipotentis* §. 44. 3. Prob. 2. Macha. 6.

Aug.

S.Tho. q. 3. Art. 2. *potentis, nec vivus, nec defunctus effugiam*: tùm etiam quia virtus credulitatis habet præceptum affirmativum confitendi aliquando fidem, simul & negativum eam numquam negandi exteriùs.

§. 45. *Confirm.* Confirmatur exemplo Paulli ad Galatas 2. vbi asserit à se Petrum reprehēsum, quòd ageret Iudaicè: argumentumque sumo in sententia Hieronymi & Augustini. In Augustini: quia re ipsa Petrus peccavit, ingrediens in Evangelium pede non recto, observans ceræmonias legis Mosaycæ, & cogens Gentiles Iudaizare: quod, quia intrinsecè malum erat, fuit reprehensione dignum: quamvis enim honesto fine moveretur Petrus, tamen non potuit honestari actio, cùm esset de obiecto intrinsecè malo: ergò non licet alienam religionem colere, quamvis sit ob finem honestum. In sententia autem Hieronymi sic argumentor: quamvis Petrus & Paullus simulatè se gesserint, tamen doctrina Paulli data in reprehensione vera fuit: reprehendit ergo Petrum quòd coleret legem Mosaicam, non quidem verè: Petrus enim in hac sententia non ex animo; sed simulatè eam colebat. Quid ergò reprehendit? non enim potuit reprehendere simulatum cultum: quia hic per te non erat reprehensione dignus: neque reprehendit verum cultum, quia hunc per te non habuit Petrus. Reprehendit ergo cultum illum secundum se, sive verum, sive simulatum: quia vtrâque ratione erat illicitus, adeò vt adstantes non possent Paullum coarguere argumentationis ineptę. Etenim si cultus ille verus & absque simulatione erat tūc licitus; Iudæi, qui (teste Chrysostomo) abiectè sentiebant de Paullo, &(teste Luca Actorum 21.) illi erāt infensi, quia opinabantur eum defectionem docere à Moyse, Iudæi, inquam, obijcerent Paullo illum esse idiotam, atque superbum, quòd Principem suum rectè operantem reprehenderet tamquam malè facientem. Si autem ille simulatus vsus esset ex fine honesto licitus, possent etiam obijcere Iudæi Paullo, illum petulanter garrire: quia ille vsus per simulationem honestus erat suppetente honesta caussa: tunc autem hæc suppetebat: ergo tunc erat honestus. Neque poterat Apostolus ex sola ipsa actione externa colligere cultum illum tunc esse verum, aut simulatum: quia actio illa externa indifferens erat vt animo fieret vtroque. Propter eà igitur Paullus reprehendit Petrum, quia eius actio erat mala, vt tunc videbatur exerceri: ergo tunc qualicumque animo fieret, erat vitiosa & reprehensione digna tàm clarè & apertè, vt à Paullo posset tā securè reprehēdi, vt nō posset timere ipse sciolam responsionem; immò veram & acutam à nasuto aliquo & malevolo Iudæo.

Quartò argumentor, quia non licet vti aliqua ceræmonia significante idololatriā, neque nunc significante Iudaismum: ergo nunquam licet simulare religionem falsam. Antecedens admittitur ab omnibus Catholicis, rationibus factis sect. 2. quia quasi veniunt in iudicium religio vera & cultus falsæ; in quo iudicio damnatur ea religio, cui contrarium cultum præstamus: consequentiam probo, quia omnes religiones falsæ conveniunt in defectione à verò cultu Dei. §. 46. 4. Arg.

Dicit Lorca disput. illa 35. de legibus, posse reddi discrimen inter paganismum omni tempore, & Iudaismum nunc, à Iudaismo tempore Apostolorum: Iudaismus enim non fuit illicitus ante prohibitionem Dei: quæ prohibitio non erat satis nota tempore Apostolorum; nunc autem tàm est nota, vt per ignorantiam peccari non possit. Quo excusat S.Petrum iudaizantem Antiochię. Contrà: aut illa ignorantia sive non manifestatio de prohibita lege reddebat veram iudaizationem immunem à peccato, vel non? si reddebat: ergo Petrus non indigebat simulatione; sed verè poterat iudaizare: si autem illa conditio & status legis in eo tempore non honestabat veram iudaizationem: ergo illam simulare non erat magis honestum, quàm nunc esset: quia nunc ideò est illicita simulata iudaizatio, quia verè est illicita: quòd si discrimen ignorantiæ, aut scientiæ non constituit discrimen in honestate, aut turpitudine veræ iudaizationis, nec illud constituet in simulatę turpitudine, aut honestate. Neque Petrus ignorabat prohibitionem legis Mosaycæ, neque Iudæi, coram quibus iudaizavit: quia hi erant discipuli Iacobi, & interfuerant Concilio Hierosolymitano, vbi Apostoli ostenderant legis inanitatem: ergo ignorantia aliorum non excusat horum factum. Lorca.

Pone item à Catholico doceri Iudæos inculpatè ignorantes vacuitatem legis: annè Catholicus iste poterit cum illis iudaizare? tenetur igitur abstinere ab illorum ceræmonijs, & illos instruere lege Christi: alioquin possemus etiam simulare idololatriā. Quo argumento vsus est S. Augustinus, cōtra sententiam, quam arbitrabatur esse Hieronymi: cui numquam est satisfactum, nec potest. Quo evidenter constat, nullum Apostolum potuisse iudaizare simulatè, nec verè, si Iudæorum ceræmoniæ erant iam tunc non solùm mortuæ; sed etiam mortiferæ. Quapropter miror Lorcā eâ disp. 35. de legibus versu *præter probabilitatem*, & sequenti, ausum dicere: *videtur sententia Augustini omni fundamento destituta.* Nescio sanè §. 47. Lorca.

cur

cur paulò superiùs momorderit ipse P. Vazquez discedentem à S. Chrysostomo: cum multi sententiam illam de honestate mendacij iusta ex caussa, Chrysostomo adscribant: inter quos solus P. Vazquez morsus est à Lorca: de Augustino autem sententiam suam evidenter probante nullus tàm abiectè sensit, quàm Lorca; sed eum agmine denso secuti sunt Scholastici Doctores. An sine vllo omninò fundamento? An sine vllo testimonio Patrum? An sine vllo Scripturæ testimonio; & Ecclesiæ authoritate, sed tantùm levi quadam coniectura de honore sepulturæ legis, quam ipse Augustinus sine cōgruentia magni momenti post quadringentos annos invenit? Recognosce P. Suarez disputat. 14. sect. 4. num. 4. & Patrē Becanum, cap. 9. de fide, quæst. 5. num. 11. & 12.

SVBSECTIO III.

Respondetur argumentis primæ sententiæ.

§. 48. *Ad 1. arg.* ARGVMENTA proposita à §. 34. sic diluo. Ad primum ab exēplo Petri respōdeo, illū in actione externa fuisse reprehensione dignum: cum enim Paullus 2. ad Galat. dicat Petrum esse reprehensum, quia erat reprehensione dignus, non possumus dubitare, id ita contigisse: ne authorem Scripturæ Sacræ in ea scribenda mentitum esse dicamus: quo argumento acutè vtitur S. Augustinus adversus sententiam, quam censuit esse Hieronymi. Paullus autem versu 14. loquens de Petro & Barnaba, ait: *sed cùm vidissem, quòd non rectè ambularent ad veritatē Evangelij, dixi, &c.* *Ad Galat. 2. 14.* vidit ergo Paullus actiones non rectas ad Evangelium: easque propterea reprehendit, quia viderat eas admissas à cæteris Iudæis, & Barnaba. Peccatum autem Petri fuit, quia intempestivè abstinuit coram Iudæis à convivio gentium: quo facto videbatur compellere gētes ad cæremonias Iudaicas: & curans vitare scandalum Iudæorum, illud parabat gentibus, quæ poterant suspicari opera legis necessaria esse ad salutem. Petrus vtplurimùm peccavit venialiter, propter inadvertentiam omnium circumstantiarum: arbitror autem cum P. Vazquez *P. Vazq.* 1. 2. disp. 182. cap. 8. Petrum omninò interius excusatum à peccato propter inconsiderationem. Quæ expositio de caussa reprehensionis reddita est ab eodem Paullo, *Ad Galat. 2. 14.* *si tu cùm Iudæus sis, gentiliter vivis, & non Iudaicè, quomodo gentes cogis iudaizare?* id est, exemplo intempestivo.

S. Chrysostomum satis ego vindico ab ea sententia de simulatione: quamvis enim dicat de Petro: *hic duo per dispensationē agens: alterum ne offenderet eos, qui erant ex Iudæis; alterum vt Paullo iustam præberet occasionem increpandi.* Censeo tamen nō censuisse Chrysostomum licitam esse simulationem alienæ sectæ; sed Petrum eam licitè exercuisse, quia vsus cæremoniarum nondum tunc erat mortifer: Petrus autem duo pepigit cum Paullo: alterum vt Petrus verè iudaizaret, non in obsequium legis; sed solùm per consuetudinem: quæ actio tunc erat licita; Paullus autem commoda illa occasione accepta reprehenderet eam actionem: quia quamvis tunc licita esset, poterant Iudæi eius diuturnitate, sibi persuadere, eam esse necessariam, idemque possent gentes arbitrari: quæ fuit iusta occasio reprehensionis, id est, rationalis caussa: qua compositione vtilitas accresceret gentibus, & Iudæis. Itaque noluit Chrysostomus Petrum vsum cæremoniā de se iam prohibita; sed simulavisse cum Paullo contentionem illam, & eius occasionem, vt gentibus & Iudæis prodessent. Moveor primùm: quia nihil aliud colligitur ex Chrysostomo: secundò moveor authoritate eiusdem Chrysostomi homilia 25. in Matthæum in Imperfecto, vbi disertissimis verbis totam hanc doctrinam confirmat, è quibus hæc accipe: *item si dixeris tibi, non manduca carnem dentibus tuis, tantùm finge te de immolato manducare: si simulaveris, sic gustu tuo Christum negasti, &c.* Constat ergo ex doctrina Chrysostomi numquam esse licitam simulationem legis alienæ: solamque esse compositam contentionem inter Petrū & Paullum: Petrumque vsum actione tunc licita ex sententia Chrysostomi; sed quam iustas ob caussas expediebat reprehendere, ne de cætero cresceret eius vsus. S. Hieronymus allegans Chrysostomum, id fecit ad excusandum Petrū à peccato; at non potuit illū adducere ad honestandā posteà simulationem Iudaismi: quia de hoc nihil egit ibi; alibi autem oppositum dixit. Adverte asseri à Lorca factum Petri fuisse reprehensione dignum, eamque à Paullo factam seriò, & non simulatè: vt in nullo conveniat cum S. Hieronymo, quem susceperat defendendū. Nam simulationē accipit in diverso sensu: & eius exēpla confutat: & ab eo discedit in præcipuo fundamento: vt enim explicet Hieronymus cōtra Porphyrium, que Petrum fuisse reprehensione dig[illegible] nec Paullum arrogantem, confugit ad latam reprehensionem, & ad simulationem religionis alienæ.

§. 49. *Chrysost.* *Chrysost.*

§. 50. S.Tho. q. 3. Art. 2. Ad cætera exempla Paulli, & aliorum Apostolorum adducta §. 36. respondeo, cæræmonias illas potuisse eo tempore vsurpari, vel ex interno assensu, illas esse necessarias ad salutem; vel tantum ex consuetudine, & animo non dissidendi à Iudæis in extrinseco corporis habitu, circumcisione, & alijs cerænionijs. Primo modo nullus potuit (nisi fortè ex ignorantia inculpata) illos actus exercere: quia illa esset hæresis manifesta damnata iam ab Apostolis in Concilio Hierosolymitano. Quod do sententiæ Hieronymi. Secundo modo fuerunt illæ cerænoniæ permissæ ante sufficientem Evangelij promulgationem. Quamvis enim illarum necessitas cessavit post mortẽ Christi in ipso Sancti Spiritus adventu, quo lex nova intonuit de cœlo: tamen illarum vsus non subitò fuit prohibitus. *Obiectio.* Dicit Lorca id ab Augustino dictum sine gravi aliquo fundamento. *Resp.* Respondeo: fundamentum esse consuetudinem Ecclesiæ, quæ ante sufficiẽter promulgatum Evangelium vsa fuit illis cerænonijs in Iudæis conversis ad fidem, de cætero autem abstinuit. Cumque Augustinus multa divinitùs docuerit, quibus illustravit Ecclesiam, hoc ex illis fuit vnum, vt clarè & dilucidè de doctrina Catholica constaret. Sumpsitque argumentum evidens, quia numquam est licitum simulare cerænonias prohibitas, ac propterea nunc non sunt licitæ Iudaicæ: Apostoli autem illis vtebantur ante sufficientem promulgationem Evangelij: ergo illis non erant tunc prohibitæ illæ cerænoniæ. An dicet Lorca, nunc esse licitum offerre sacrificiũ vetus, & exercere purificationem in templo, ex animo, ne videatur aliquis discessionem docuisse à Moyse; & circumcidere socium, ne Iudæis videatur inimicus Moysi? hæc verò licuisse Apostolo constat ex cap. 21. Actorum, & 2. ad Galatas. Revelatio igitur Dei evidenter colligitur ex licito tunc Apostolorum facto, quod nunc est illicitum. Paullus autem cerænonias illas servavit cũ Iudæis, cum quibus licebat, non significans eas esse necessarias: Petrus verò intempestivè illis fuit vsus, & facto significavit eas esse necessarias: vndè Paullus non reprehendit in alio, quod ipse fecerat.

Ad secundum argumentum respondeo, Iehu peccasse contra religionem: quia verbis expressis indicavit se esse cultorẽ Baal. Eum peccasse contra virtutem veracitatis expressè docet Abulensis in cap. 10. libri 4. [illegible]um, quæst. 26. & Hugo Cardinalis re[illegible]dit eos, qui Iehu excusant, quia facilè potu[illegible] ea in re peccare, vt & in alijs: S. Augustinus contra mendacium, cap. 2. dicit apertè [illegible] fuisse mentitum. Quam sententiã secuti sunt Scholastici: S.Tho. infrà quæst. 3. art. 1. ad 2. P. Valentia disp. 1. quæst. 3. puncto 2. versu *ad secundum*. Immo & ipse Lorca ea disp. 35. de legibus versu *confirmat Hieronymus*, damnat factum Iehu. De hac quæstione præter P. Valentiam adductum, recognosce etiam P. Suarez lib. 6. adversus Regem Angliæ, cap. 9. qui, qua solent admirabili eruditione, rem hanc dilucidè confirmant. *S.Thom. Valent. Lorca. Suar.*

SVBSECTIO IV.

De habitu & ritu materialiter.

PRÆMISI §. 33. vestem aliquam posse esse institutam ad cultum religionis falsæ: esse item ritus illius religionis, quos possumus materialiter intelligere & non formaliter: de his nunc disputamus. Ac primùm ponendùm est omnẽ simulationem falsæ religionis esse peccatũ, tùm mendacij, tùm irreligionis. Quæ doctrina traditur à S. Thoma infrà, quæst. 3. art. 1. quam docet ex S. Augustino lib. contra mẽdaciũ: sequuntur omnes ferè Scholastici Theologi, quibus consentiunt Patres Valẽtia disp. 1. q. 3. puncto. 2. Vazquez tom. 2. in 1. 2. disp. 82. cap. 4. & Suarez lib. 6. contra Regem Angliæ, cap. 9. Quia simulare religionem signis, est illis determinatè significare se sequi religionem falsam: quod esse irreligionem constat ex tota hac sect. 4. item & contra veritatem inde patet, quod aliud sentit, & aliud per se indicat. Simulatio igitur non potest dividi in simulationem formalem, & materialem: quia ex ipso conceptu simulatonis sumitur in sensu formali pro vsurpatione signi formaliter. Quapropter fugienda est phrasis Adriani constituentis licitam esse simulationem ob vrgentem necessitatem; & Petri Lorcæ disp. 35. de legibus membro 2. versu *vt autem Hieronymi*, vbi factum Petri reprehensum à Paullo vocat simulationem: item non omnem simulationem dicit esse mandacium. Phrasim, inquam, reprehendo: quia & impropria, & contra communem vsum authorum: vt si quis diceret non esse peccatum omne mendacium, amplectens voce *mendacium* amphibologiam ex iusta caussa: sententiam autem Adriani, & Lorcæ hac reprehensione non præstringo. §. 52. *S.Thom. Valent. Vazq. Suar. Lorca. Adrian.*

§. 53. 1. *Conclus.* Dico primò: communior sententia & valdè probabilis est, non esse licitam vsurpationem vestis institutæ ad cultum, & cæræmo-

cerǽmoniam legis abhorrentis à Christiana. Quæ doctrina traditur ab Aragone dub. 1. conclus. 1. P. Valentia eo punct. 2. P. Suarez eo lib. 6. c. 9. n. 30. & 31. & disp. 14. de fide, sect. 5. num. 8. & 12. P. Luisio disput. 35. dub. 4. versu *certum verò*: & alijs, qui negant licere vti signis distinguentibus falsam religionẽ à vera, quos refert P. Tho. lib. 2. c. 4. n. 18. Ratio est, quia vsurpatio illius habitus est simulatio religionis falsæ: ergo est peccatũ irreligionis. Probo antecedens, quia illo determinatè significamus observationem religionis falsæ: etenim vestes illæ nulli alij vsui deserviunt: verbi gratia, si à Mauris dextro brachio gestaretur manipulus ad colendum Mahometum: hic vsus nullam aliã posset habere significationem. *Sanchez. P. Valent. P. Luis.*

§. 54. 2. Conclus. Dico secundò: probabile est licitum esse instante necessitate mortis effugiendæ vti illis signis: hæc doctrina necessariò sequitur ex Adriano, Caietano, Abulensi, Lyra, Medina, & Lorca opinantibus, licitam esse vsurpationem materialem cerǽmoniæ legis alienæ, quam sententiam dicit non esse improbabilem P. Valentia disput. 1. quæst. 3. part. 2. versu *hæc opinio*: de quo constabit §. 59. hæc autem vsurpatio longiùs abest ab obervatione legis alienæ, quàm vsurpatio cerǽmoniæ: ergo si vsurpatio cerǽmoniæ est licita, erit & vsurpatio vestis institutæ ad cerǽmoniam illam, non quidem formaliter vt institutæ; sed materialiter eius vestis, quæ instituta est. Prætereà ea doctrina expressè tradi videtur à P. Azore tomo 1. lib. 8. cap. 27. à versu *mihi hoc probabilius*: loquitur enim vniversim de signo & veste vsurpatis ab infidelibus pro signo suæ religionis & cultus: expressiùs tamen eam docet P. Thomas lib. 2. cap. 4. nu. 20. In quo autem sensu hæc vsurpatio sit illicita, dicam §. 76. *P. Valent.*

§. 55. 1. Probat. Quam probo primò, quia vsurpatio illius vestis habet vsus naturales; & politicos independentes à significatione cultus illiciti: ergo vrgente gravi necessitate, possumus licitè illam vestem vsurpare. Consequentia patet ex §. 28. Antecedens probo tum, quia omnis vestis potest calori & frigori, & elegantiæ corporis servire; nam & manipulus potest esse ad elegantiã vel aliũ finem. Quo differunt signa rerum à signis vocũ: quod voces naturâ sua sunt institutæ ad significandã rẽ, vt concipitur à loquente: vnde dare signũ vocale religionis alienę, esset simulatio & vitiosa: res autem naturâ sua non sunt institutæ ad significandum: vndè possumus illis vti independenter ab ea significatione. Ab infidelibus res vsurpari ad illicitum suum cultum, est rebus omninò per accidens, neq; illis adimit significationẽ naturalem, aut politicam. Nec ego teneor ad illorum consuetudinẽ, vrgente gravi necessitate: neque do signum, quo prudenter in illis circumstantijs censear determinatè esse infidelis. Deniq; vt §. 32. respondi de signo speculativo, nunc respondeo de hoc signo cerǽmoniali: est què eadem ratio eorum, quæ dixi à §. 27. Recognosce item §. 29. doctrina enim ibi tradita est huic instituto necessaria.

Secundò probatur: quia si aliqua ratione vsurpatio huius vestis esset illicita, maximè, quia videtur esse quidam cultus; sed non est omni casu: ergo. Probo minorem, quia vestis Sacerdotalis non est cultus in Deum; sed habitus, quo exerceantur cerǽmoniæ, & cultus in Deum. Sacerdos enim Iudaicus nõ colebat Deum sola impositione mitræ; sed quando sic vestitus mactabat victimas, aut adolebat incensum: si autẽ extra templum extraheret mitram, nullum propterea cultum exerceret; sed posset illam extrahere, vel ne caput infrigidaretur, aut vt elegantior mulierculæ videretur. Tandẽ à priori: quia ex communi gentium consuetudine sunt stratagemata satis familiaria: adeò vt ingruente bello, alteri hostes se dissimulent signis alterorum hostium: tunc enim prudens quisque, qui de facie non novit eum, quem propè se videt amictum habitu simili suo, debet cohibere assensum, neque opinari certò illum esse amicum: debet enim timere an sit explorator, an hostis occultus. Itaque in illo casu vsurpatio vestis iuxta communẽ consuetudinem etiam illius gentis, non significat determinatè professionem falsæ religionis: nã & gens illa eodem stratagemate vtitur in simili periculo: quãdo autẽ desunt huiusmodi circumstantiæ: & prudens quisque omnibus consideratis censeat nullã esse occasionem induendæ vestis, præter internum assensum falsæ religionis; tunc vsurpatio illius vestis est simulatio, & consequenter est contra veracitatem, & religionem: in alijs casibus non est: quia de se non est significativa, vt est loquutio. Quid autem sit agendum imminente scandali occasione, & ruina alienæ, dicam disp. 173 sect. 23. §. 56. 2. Probat.

Rogas, an possit Catholicus vestibus vti, in quibus depictæ sunt imagines hominum sceleratorum, aut idolorum? Patet Azor tomo 1. lib. 8. cap. 27. versu *sexto quæritur*; docet non licere Christianis affigere suis vexillis effigiem Mahometis, aut Martis: quam doctrinam sequuntur P. Thomas lib. 2. cap. 4. num. 23. & P. Luisius disp. 35. dub. 7. Quia gestare imagines sic depictas est cultus expressus illarum, at est cõtra religionem earum imaginum cultus: ergo. Probatur maior; quia actio illa nullam §. 57. *Azor.* *Sanchez. Torres.*

S.Tho. q. 3. Art. 1. aliam significationem potest habere. Nescio sane cur D. Thomas distinguat inter vestes, & signa instituta ad protestationem religionis, & inter has vexillorum imagines: illa enim signa non concernunt minus, religionem quàm imagines.

§. 58. *Solvitur.* Oppositam sententiam consequenter docent, qui censet licere vti ceræmonijs materialibus, quando non significant determinatè observationem legis alienæ; sed possunt habere multas significationes, & accipi ab vtente in vna, quamvis à vidente possit in aliam detorqueri. & hos authores adducam §. 59. Pro quorum sententia est hoc argumentum non leve: vsus imaginum in vexillis non significat determinatè illarum cultum; sed omnium gentium consuetudine habent significationes alias: ergo possumus illis vti ex honesta caussa vrgenti. Antecedens probo, quia multæ familiæ gestant in gentilitio Solem, Lunam, Stellas, Vrsos, Leones, & alias imagines: quæ apud gentiles erant imagines suorum Deorum: nec tamen quis damnabit irreligionis eas omnes familias: quia illis signis non vtuntur in honorem Solis, & Lunæ, & animalium: sed vt significent nobilitatem suã per allegoriam ad res, quarum imagines gestãt. Item multæ familiæ ornant sua stemmata imagine alicuius Regis Maurici, non vt illum colant; sed vt ostendant se de illo triũphasse. Est enim commune nobilibus ex ipsis hostibus accipere signa suæ fortitudinis, vt Mendocæ & Stunicæ acceperunt catenas Regis Giennensis: an catenas illas habent in honorem? an potiùs in memoriam Maurorum devictorum, quorum Rex muniebatur Camelis vinctis illa catenâ? vnde concludo gestare in parma imaginem aliquam, non esse necessarium cultum ipsius imaginis, nec prototypi, quem significat: vt ergò catenas, Regesque Mauros gestant nobilissimæ Hispaniarum familiæ, quid ni poterunt gestare effigiem Mahometis ad ad significandos reportatos triumphos de vniverso Mahometismo? Quod autem Mauri eo vtantur signo in Mahometis honorem, nihil refert: nam antiqui Solem, Lunamque gestabant in ipsorum honorem: vsus enim vnius gentis, non tolit, quo minùs aliæ possint illis signis aliter vti. Si Galli nunc ad Regem suum adorandum vterentur eius imagine; an propterea Vrbiætarum nobilis in Cantabria familia, cogeretur abradere è gentilitio imaginem Regis Galliæ, quem bello cepere? evidens ergò est vsum imaginum in vexillis non esse determinatè signum eas colendi. Si autem imagini Mahometi affingantur compedes, aut collo catenula, qua significaretur triumphus de Mahometanis, non dubito quin nostris liceat vti eis vexillis, quamvis eminus visa imagine Mahometis, non dispiciantur hæc signa victoriæ. Cur item Magallanes non potuisset gestare Neptunum, ad ostendendum se mare circuisse? Authores autem oppositos intelligo, quandò vsus signorum est determinatus ad falsam fidem. Hæc autem sunt etiam stratagemata communia. Recognosce §. 56.

De ritibus & ceræmonijs materialiter acceptis, communiter dicunt Doctores, eas esse illicitas per se. At verò oppositum censent Adrianus in 4. quæst. 1. de baptismo §. ad argumenta: Caietanus 3. part. q. 37. art. 1. Medina 1. 2. q. 103. art. 4. versu *sed dubitabit*, respondens ad quartum argumẽtum, & Lorca 1. 2. disp. 35. de legibus, mẽbro 2. & in præsenti disp. 24. nu. 7. quibus expresse favet S. Hieronymus explicans illa verba cap. 2. ad Galatas, *cùm autẽ venisset Petrus Antiochiam*, & epis. 83. ad Augustinum: quod enim dicit de simulatione Iehu, est apertè pro hac sentẽtia: sivè enim agat de ceræmonia formaliter, sivè materialiter, sivè approbans quæ dicit, sivè referens ex alijs; quæ ibi ab ipso dicuntur, faciunt pro hac sententia: consentiunt Nicolaus de Lyra in 4. Regum cap. 5. explanans enim, qua ratione Elysæus permisetit Naaman, vt simul cum Rege adoraret in templo idolorum, dicit ab Elysæo declaratum, licitum illi esse genuflectere coram idolo, Rege genuflectente: quia id faciebat, vt regi suo civiliter famularetur, non verò vt Remnon adoraret; quamvis id aliqui suspicarentur. Consentit Abulensis in illud cap. quintũ, quæstione 25. neque dissentire videtur Hugo Cardinalis, asserens Elysæum dispensasse cum Naaman in illa adoratione externa: quod fieri non potuisset, si esset intrinsecè mala. P. Azor tom. 1. lib. 8. c. 27. versu *septimò quæritur*, consentit apertè. Item hanc sententiam censet nõ esse improbabilem, P. Valentia d. 1. q. 3. p. 2 versu *hac sententia*, dum sententiã adscriptã S. Hieronymo de simulatione religionis dicit nõ esse improbabilẽ: quid dicet hanc, quæ longe est illa priori moderatior? §. 59. *Adrian. Caiet. Medina. Lorca. Lyra. Abulens. Hugo. Azor. Valent.*

1. Arg. Primum argumentum: quia vesci carnibus oblatis idolo erat tacita quædã idololatria: ostendit autẽ S. Paullus 1. ad Corin. 8. 7. & cap. 10. à versu 14. licitum esse illis carnibus vesci, quando non fiebat in tẽplo, sivè in idolio, cum talibus circumstantijs, quibus prudenter cẽseretur id fieri nullo modo in honorem idoli. Recognosce P. Iust. id probãtẽ ex S. Chrys. & alijs. Pater autem Cornelius in cap. 10. nu. 64. asserit

etiam

etiam ob libidinem vescendi, non peccari contra religionem in comedendo idolothyto. S. Augustinus epist. 154. & libro de bono coniugali, cap. 16. & lib. 32. contra Faustum cap. 13. dicit melius esse mori, quàm idolothyto vesci: quod explicat Cornelius de consilio, non de necessitate: vel intelligitur S. Augustinus nō de idolothyto vtcumque; sed de cibo, quod invenitur in idolio: tunc enim est illicitus illius esus, quia est ceræmonia formalis, & expressa idololatriæ: quod genus reprehenditur à Paullo iam adducto & à S. Ioanne, cap. 2. Apocalypsis, num. 20. Secundo confirmant exemplo Naaman: qui absque peccato genu flectebat coram idolo: quia illa genuflexio non spectabat ad idolū; sed ad Regis civilē famulatum. Quod intellige, quando Naamā non ferebat opem Regi, vt ipse adoraret idolū: si enim Rex egeret ministerio Naaman ad genuflectendum, non posset Naaman absque crimine illud ferre: quia nullus potest ferre opem alicui ad actionem intrinsecè malam. Abulensis, quæst. 25. in illud cap. 5. dicit Reges Syriæ vsos illo Principū ministerio, non quod illo egerent; sed ad ostentandam delicatam maiestatem.

Aug.

2. Arg.

§. 61. 3. Arg. Tertiò probari potest ea sententia: quia actiones illæ possunt ita exerceri, vt consideratis omnibus circumstantijs possimus illas interpretari in alios fines, quos habent: ergo possumus illis vrgente occasione vti. Antecedens patet: quia carnes sacrificatæ idolo, sunt adhuc aptæ, & ad alimentum, & ad voluptatem: genuflexio autem Naaman non erat determinata ad idolū: obsequium enim idē præstabat suo Principi sive in templo, sive extra illud, cùm nihil de religione cogitaretur: cur ergo necesse esset interpretari actionē illā in cultum idoli? Quis autem dicat eū, qui singulis diebus munditiæ caussa mutat indusiū, peccare cōtra religionem singulis Sabbathis, quibus sine vlla cogitatione legis Mosaycæ indusium mutat? Aut siquis immemor aut memor Moysis, abstinet à carne porcina, nulla alia de caussa, nisi quia stomachus illā non capit præ nausea.

§. 62. P. Valent. Quæ autē P. Valent. disp. 1. q. 3. punct. 2. & alij afferunt, concludunt aperte nō esse licitā simulationē religionis, neq; vsum earum actionū, quandò ita exercētur, vt omnibus circumstantijs prudenter cōsideratis, censeamur eas exercere in cultū & observationē legis alienæ. Itē hæc intelliguntur per se ratione legis fidei: nā de scādalo est diversa ratio: si enim scandalū imminet, non possumus illius occasionē præbere pluribus. Existimo autē controversiam hanc inter Adrianum & alios, non esse tā de re, quàm de voce: nā vsurpatio materialis harum ceræmoniarum non est vocanda *simulatio religionis*: hæc enim semper est intrinsecè mala: quia verò Adrianus eam vsurpationē vocat *simulationem*, impugnatur à Scholasticorum frequentia, non negantiū licitū esse vsum harū rerum, in his circumstantijs, quibus potest à simulatione præscindi: posse autem ita præscindi probatum est non leviter: quarè videtur inter Scholasticos non esse dissidium rerum; sed vocum.

SECTIO V.

Vtrùm liceat adire infidelium templa?

MVLTAS ob caussas licitus est Catholicis aditus in hæreticorū, aut paganorū tēpla: nempè quoties ingressus non est argumentum professionis falsæ sectæ. Quæ doctrina nulli Catholico est dubia, vt cōstabit decurrente sectione. Si enim hostes vrbem invadunt, in qua sit infidelium templum fortissimum, licet cuilibet Catholico illud adire, ad propugnandā vitam, & vrbem: licet item militi debellanti Turcas Mahometis tēplum petere ad spoliandum. Licet itē Episcopo Catholico intrare in tēplum hæreticorum ad illud purificandū. Iter autem facienti, licet ad ea tēpla divertere: vt fecit S. Gregorius Taumaturgus, qui dœmoni silentiū indixit nocte in eius templo diversans. Ratio à priori, quia eiusmodi actio nō est intrinsece mala; sed indifferens, neque prohibita Catholicis cum illis circumstantijs: quia illæ adimunt rationem professionis externæ religionis falsæ: ob quam solā prohibitæ sunt actiones illę, quæ cū illis circumstantijs, nec formaliter, nec materialiter sunt professio, aut simulatio religionis alienæ. §. 62. 1. Conclus.

Dico secundò, licere Catholicis promiscuè degentibus cū hæreticis, intrare in illorum templa, quando cōmuni vsu est receptū, vt Catholici in ea templa ingrediantur, vel ad cōfutandos errores, quos ministri docēt, vel ad eos notandos, vel alia ex caussa civili nō tangente religionem. Quæ conclusio est P. Valentiæ disp. 1. q. 3. punct. 2. versu *& per hoc videtur*: vbi rectè etiā cōstituit posse eiusmodi Catholicos concionibus hæreticorum adesse. Cōsentiūt P. Azor tom. 1. lib. 8. c. 27. versu *quintò quæritur*: & P. Thomas Sanchez lib. 2. in decalogū, cap. 4. num. 26. Probatur apertè, quia tunc nullum est scandalum, neque externa professio sectæ falsæ; neque simulatio vlla religionis: ergo ingressus ille nō est Catholicis illicitus. Cōsequētia patet, quia ob solas hasce caussas vetatur ingressus in tēpla. Antecedens patet: quia scandalum vitatur §. 63. 2. Conclus. P. Valent. Azor. Sanchez.

S.Tho. q. 3. Art. 1. vitatur consuetudine communi: ingressus enim ille, cùm sit communis Catholicis, & hæreticis, non arguit ingredientem esse magis hæreticum, quàm Catholicum: quo vitatur scandalum. Ingressus autem ipse & concionum auditio ex se non sunt cæremoniæ, aut cultus: nec in ea vrbe sunt actiones illæ institutæ in cultum: eaque propter etiam vitatur simulatio, quæ semper vsurpat materiam institutam in cultum, aut signum religionis.

§. 64. Difficultas est an tyranno vrgente Catholicos, vt in templum ingrediantur, proposita mortis pœnâ: an illis liceat intrare? Ac primùm non est difficultas, quando id Rex aut tyrannus præcipit independenter à religione; sed alias ob caussas: nempè quia ipse vult aut populum censeri, aut defendi templum ab hoste, ne vrbs periclitetur. Tunc enim quamvis rex sit infidelis, & communiter fideles illuc non intrēt, tamen ingressus ille cum illis circumstantijs non pertinet ad religionem. Ita Pater Thomas *Sanchez. Azor.* Sanchez eo cap. 4. num. 27. & P. Azor adductus §. 63. Si tamen Princeps velit ab omnibus ingredientibus in templum cæræmonias sacras exerceri, quamvis sit ob finem civilem, illarum exercitium est contra fidem, etiam imminente vitæ discrimine vt rectè hi duo authores observant, constabitque ex dicendis.

§. 65. Neque item est difficultas quando cum Principe infideli intrant in templum eius domestici. Finge (quod contingit in Anglia) à Rege infideli præcipi, vt omnes intersint sacris cæræmonijs in hæreticorum templis: qui autem secùs fecerit, plectatur capite, aut fortunas amittat. Adhuc in eo casu possunt Regij satellites cum illo intrare: quia perspicuum est cuncto populo eos non adesse Regi, religionis; sed custodiæ gratia: item possunt Regem comitari omnes eius domestici. Neque id solùm; sed etiam possunt nonnullas actiones exercere, quæ ab hæreticis vsurpantur in cultum: nempè quando actiones præstantur ab aulicis non solùm in templo; sed extra illud, neque religionis gratia; sed regalis honoris: vt esse detecto capite, quia ille honor regi debetur: genua flectere, rege ea flectente, & stare stante rege. Ita PP. Sāchez *Sanchez. Azor. Becanus.* eo num. 27. Azor cap. 27. versu *septimò quæritur*: rectèque ait id licere famulis privatorum: consentit P. Becanus, cap. 9. quæst. 5. num. 13. & 14. Quod constat ex §. 59. & 60. ab exemplo Naaman. Præsto est ratio, quia nullum est scandalum: cùm enim actiones illæ exerceantur frequenter à domesticis regum independenter à religione, non sunt argumentum eas tunc fieri religionis caussa. Quapropter ait P. Thomas, eas actiones semper in Anglia licitas fuisse censas. Non tamen licet alias actiones præstare, quibus determinatè indicetur cultus religionis. Quòd si Iovinianus Imperator recusavit ingressum in templum cum Iuliano, id rectè fecit, quia sacrificium ipsum volebat Iulianus honorari Ioviniani authoritate.

Est ergo difficultas; an sit licitus aditus §. 66. in templum, eum præcipiente Rege solius religionis gratia: quia vult eo signo tesserari falsæ suæ religionis professores? Qua in re gravis fuit annis superioribus inter Catholicos Anglos controversia. Cùm enim Rex illis minitaretur carcerem perpetuum, bonorum subhastationem, & infamiam, ni adirent templa; visum est multis id esse licitum, si publicè contestarentur se non religionis ergò, quia publicè se profitebantur Pontificios; sed solùm ob vitandas tàm ingentes ærumnas, obedire præcepto Regis. Quibus favere videtur P. Azor lib. 8. cap. 27. pro ea sententiâ tacitè referens nonnullos, quorum sententia *Azor.* videtur illi probabilis: fundamentum sit, quia actio illa de se est indifferens, & non intrinsecè mala: neque habet circumstantiam scandali, quia scandalum oritur, quòd alij existiment ingredientem in templum à fide defecisse: hoc autem apertè tollitur contestatione publica suæ fidei, & affirmatione se ob vitandam necem, & non ob cultum religionis alienæ in templum ingredi. Quam ob caussam actio illa vindicatur à malitia externæ professionis alicuius hæresis: ergo nullo ex capite est illicitus ille ingressus. Tota hæc doctrina huic nititur fundamento: rationes enim, quas latiùs proponit P. Suarez lib. 6. contra Regem Angliæ, cap. 9. à num. 13. ad hunc syllogismum revocantur; potestque hæc confirmari doctrina authoritate Adriani & aliorum, quos adduxi à §. 34. admittentium simulationem legis alienæ.

Dico, eam sententiam non esse proba- §. 67. *Conclus.* bilem. Primùm, quia nulli nititur authoritati, neque rationi: estque contra communem Catholicorum consensum, quos referunt, & sequuntur PP. Thomas Sanchez *Sanchez. Suar. Valent.* lib. 2. decalogi, cap. 1. num. 28. Suarez eo lib. 6. cap. 9. & Valentia disput. 1. quæst. 3. punct. 2. Ac primùm P. Azor illi nō favet: ait enim esse peccatum similem ingressum, quoties timetur scādalum: quod necessariò timendum esse in publica obedientia legis vniversalis latæ cōtra fidem nullus prudens dubitat: quia multi exanimantur, omnesque advenæ vident, desertis Catholicorum tēplis, synagogas hæreticorū hominū esse

esse plenissimas, ac magnis itineribus extinguitur vera religio: non ergò locutus est P. Azor in hoc Anglorum casu; sed accipiendus est in aliquo eventu singulari, quo vnus, aut alter homo cogeretur coram paucis nonnullis, quorum scandalum facile vitari posset. Quòd si definitio Paulli Quinti tunc prodijsset, non dubium, quin hic author tam doctus, atque Catholicus abstinuisset à censura de probabilitate eius sententiæ: Adrianus autē, & eius sectatores nequaquam loquuntur in hoc casu; sed in alijs, in quibus simulatio non est de se sufficiens argumentum, vt homines censeant à simulante coli religionem alienam. In præsenti verò præcipitur actio in signum hic & nunc falsæ religionis, quod tunc authoritate publica institutum est in honorem religionis alienæ: & cui tunc non subest alius vsus in opinione prudentum.

§. 68. 2. Arg. 1. Probat. Secundò argumentor, quia rationes adductæ pro ea sententia etiam probant, licitam esse oblationem thuris idolis: consequens autem esse hæreticum non dubitabit nisi hæreticus: ergo. Probo maiorem: quia conijcere thus in prunas est actio indifferens, quæ potest odoris aut medicinæ gratia præstari: scandalum autem vitatur publicâ contestatione, id non fieri ob cultum idoli; sed ad effugiendam necem: quo etiam adimitur illi actioni circumstantia malitiæ externæ professionis idololatriæ. Quæ omnia possunt comparari cum argumento sententiæ, quam impugno. Vndè deduces, potuisse Martyres incensum offerre Marti, aut Iovi, non ex animo illos colendi; sed contestatione publicâ devitando periculo mortis: & quidem hæc damnantur ipso martyrum exemplo: quorum plurimi manuum incendium sustinuere, ne illis versis thus caderet in subiectum ignem: alij autem passi sunt se vivos comburi, cùm possent periculo solvi iactato in ignem thure. Immò deduco contra eos authores licitam esse vocalem abnegationem fidei: quia actio illa materialiter accepta est indifferens: potuit enim oppositum illis vocibus significari: imposita etiam significatione, habēt vsus indifferentes: potest enim Comœdus suscepta personâ infidelis ea verba proferre: aliasque ob caussas alienas à religione fieri possunt: ergo præmissa contestatione fidei, & metus mortis iniecti, possunt hæc verba præsente tyranno proferri.

§. 69. Obiectio. Dices, verba esse iam instituta ad significandum determinatè discessum à fide, neque habere alium vsum: ingressus autem in templum non est ita institutus, potestque esse multos ob fines.

Refell. Contrà: significatio verborum non tollit, quominus illis possimus vti, non ad significandas res, vt à nobis conceptas; sed alias ob caussas; vt constat exemplo Comœdi, vtentis verbis significātibus propositionem infidelem: item & musicus potest eadem verba ad lyram canere; item balbus, qui in illarum pronunciatione difficultatem sentit, potest eas repetere, & ingeminare ad acuendam linguam: ergò non est discrimen inter ingressum in templa à tyranno præceptum, & prolationem verborum significantium discessum à fide. Rationem autem à priori reddam §. 74.

§. 70. 2. Probat. Paullus Quintus. Secundò probatur authoritate Paulli Quinti, dirimentis quæstionem illam Anglorum, ac definientis sentētiam hanc: (quā definitionem adducit P. Suarez in defensione fidei, lib. 6. c. 9 nu. 16.) cuius hæc sunt verba. *Profectò credimus procul dubio, eos, qui tanta constantiâ, atque fortitudine acerbissimas persecutiones, infinitas propemodùm miserias hactenus perpessi sunt, vt immaculati ambularent in lege Domini, numquam commissuros esse, vt coinquinentur communione desertorum divinæ legis. Nihilominus zelo pastoralis officij nostri impulsi, & pro paterna sollicitudine, quā pro salute animarum vestrarum assiduè laboramus; cogimur monere vos, atque obtestari, vt nullo pacto ad hæreticorum templa accedatis, aut eorum conciones audiatis, vel cum ipsis in ritibus communicetis, ne Dei iram incurratis. Non enim licet vobis hæc facere sine detrimento divini cultus, ac vestra salutis.* His nihil dici potuit apertius. P. Suarez eo cap. à num. 17. rectè ostendit ex Scriptura, & Patribus, quo fundamento Summus Pontifex moveri potuerit ad definiendum actiones illas esse contra divinam legem, & cultum: à quibus supersedeo, ne illas describam.

§. 71. Ratio. Ratione probatur: primùm à scandalo: Regij enim ministri, vt totum regnum pervertant, publicè gloriantur esse multos desertores legis Pontificiæ: quo facto verâ religio per momenta decrescit, crescitq; in dies hostium numerus: contestatio autē publica quòd metu, & non ex animo in tēplū ingrediantur, nihil interest: quia ea non admittitur à Regis ministris, vel si eam audiunt, derident contestatorem, quasi voti compotes: quia illum non solùm cogunt ad ingressum in templum; sed etiam ad cæremonias, & externos cultus: vt intersint cōcionibus, accipiant illorum synaxim, & cætera: quæ in illis circumstantijs tàm sunt illicita, quàm cremare thus coram idolo. Quid si intersint Cōvētibus, in quibus sacræ illuduntur imagines, blasphemijs deblateratur in Sanctos? Præterea in toto regno præconio publico effertur, hæreticis Regū legibus obediri; cōtestatio verò est nimis

 occulta

S.Tho. q. 3. Art. 1. occulta, nec tàm citò volat, nec tantum, neq tantam sibi fidem facit, quantam publica fama desertionis.

§. 72. Quam rationem scandali mirè perpendit constantissimus Eleazarus secūdo Machabęorum 6. 24. *Non enim ætate nostra dignum est fingere: vt multi adolescentes arbitrantes Eleazarum nonaginta annorum transisse ad vitam alienigenarū: & ipsi propter meam simulationem, & propter modicum corruptibilis vitæ tempus decipiantur, & per hoc maculam, atque execrationem meæ senectuti conquirā, &c.* Itaque veritus martyr simulationem suam futuram occasioni iuvenibus, vt arbitrarentur se Dei legem deseruisse; & exemplo ad id quoque faciendum maluit mortem oppetere, quàm illud scandalum tendere. Neque verò rogabatur ab amicis, vt actionem aliquam exerceret contra legem; sed vt licitis carnibus vesceretur. Quod quidem recusávit, ne rumor spargeretur se comedisse carnes illicitas. In præsenti autem non agitur de actione licita, sed de illicita per se.

2. Mach. 6. 23.

§. 73. Nec verò scandalum præbetur solùm alijs; sed ipsis etiam desertoribus. Quia in magno ipsi discrimine versantur exercendi actiones non indifferentes; sed etiam per se malas, immò & abnegandi fidem: quia, quemadmodum timore correpti ingressi sunt in templum, ita eodem timore, maledicente ministro sacris imaginibus, & reliquijs Sanctorum, cogentur respōdere, *amē*: item cogentur colere idola, si ponantur in templo: audientes autem hæreticorum conciones, & argumenta, neque habentes magistros, à quibus instrui possint, non erit difficile deserere internam fidem partim hæreticorum dolis & astutiâ, partim amore fortunarum & desiderio pacatè vivendi. E quibus constat falsum esse quod §. 66. asseritur in argumento contrariæ sententiæ.

§. 74. *Alia prob. S. Paul. 5.* Secundò probatur, peccatum illud non solùm habere malitiam scandali; sed etiam irreligionis, quod clarissimè dixit Paullus Quintus his verbis. *Non enim licet vobis hæc facere sine detrimento divini cultus*: detrimentum autem divini cultus est peccatū irreligionis. Etenim ingressus in templum, quādò sumitur determinatè pro signo sectę falsæ est actio externa contra veram religionē; sed tunc sumitur à Rege, & tota republica pro sectę falsæ professione: ergò est contra veram religionem. Minor liquet, quia Rex id conatur tàm acerbis legibus, vt omnes contestentur se habere Regem pro Ecclesiæ capite, & deficere à religione Pontificia. Maior patet: quia religio cōsiderat duo: alterum est actus internus exercendi cultum propter ipsum: qui rarò aut numquam est in præcepto, alterum est cultus externus electus liberè à voluntate: simulque prohibet omnem actum externum oppositum actui externo, quem præcipit: sed ingressus in templum cum his circūstantijs est actio externa prohibita præcepto negativo religionis, prohibentis omne signum oppositum cultui divino: ad quem spectant & cultus Catholicè institutus, & carentia cultus in iniuriam Dei instituti: ergò.

Explico argumentum: lex affirmativa de colēdo Deo est etiā negativa de nō colēda religione falsa. Hæc secūda lex obligat quotiescūque actio aliqua est cultus falsæ religionis: tūc tenemur ab illis actionib' abstinere lege ipsius religionis. Et quāvis exerceamus actiones eiusmodi non ex animo profitēdi sectā alienā; sed alios ob fines, nō excusamur à trāsgresione religionis: quia (vt ostēdi in disputationibus de actibus humanis) peccatur cōtra virtutē aliquā nō solū, quādò operamur ex motivo formali opposito rationi formali virtutis; sed etiā quādò ex alio obiecto formali movemur cōtra obiectū materiale virtutis: vt qui iustè carceratus occidit custodē, vt patibulū fugiat; hic obstringitur iniustitia: ergo eādē ratione peccat cōtra religionē, qui ob solū metū à tyranno incussum exerceret actiones cōtra verā religionē, quia aliquid exerceret cōtra obiectū materiale religionis: quandò autem irreligio est actus contra fidei professionem, est etiam peccatum contra fidem: quia externa professio fidei est actus pertinens ad fidem in sensu proposito à §. sexto ad 10. §. 75.

Dices, esse peccatum contra aliquam virtutem, quando agitur in materia prohibita, aut præcepta lege ipsius virtutis. Quod non contingit in hoc casu: nam cum his circūstantijs & publica contestatione, non præcipit lex religionis, aut fidei abstinere ab externa actione de se indifferenti: vt constat ex nostra sententia proposita à §. 54. vbi ostendi, licitum esse instante necessitate vsurpare vestes & signa infidelium; sed hic est eadem ratio: ergo ingressus in templum non est magis prohibitus, quàm vsurpatio aliorum signorum. §. 76. *Obiectio. Solutio*

Animo adverte, bifariam posse vsurpari signum & intrari in templum: primùm quando Rex, aut eius ministri præsentes conātur extorquere à Catholicis signum aliquod ab ipsis institutum ad colendam religionem falsam, tunc autem illis præsentibus tenetur quis resistere etiam cū vitæ discrimine: quia tūc impia lex Regū pug- §. 77.

pugnat cum pia religionis, & fidei lege: in quo singulari certamine piæ legis & impiæ necessariò debet pia vincere, vt ostendatur pluris fieri authoritatem Dei, quàm hominis; alioquin iam contemnitur lex Dei: vt verè cõtemnitur fides ab hæretico. Quæ ratio est per se efficax ad conclusionem comprobandam. Quod si §. 13. 14. & 15. probatum est silentium coram iudice interrogante esse contra religionem, & fidem, quia est virtualis quædam Christi negatio, quãto potiori iure actiones ipsæ contrariæ religioni, erunt vitiosæ? Ratio à priori est, quia dubitari non potest tyrannum evadere compotem voti, & minuto Catholico ritu, indies infideles augeri: quod est gravissimum religionis damnum: atque contemptus, quæ non vitantur publica cõtestatione, quia non satis creditur, vtrum contestatio sit ficta propter erubescentiam ex infamia apud præsentes: item quamvis sit ex animo, negari non potest, quin ea nihil impediente verè augeatur externus cultus falsæ religionis ipso liberè cooperante. Quod siquis vteretur veste, aut signo infidelium id exigente tyranno in signum religionis falsæ, idem esset peccatum illorum vsurpatio signorum, ac ingressus in templum.

§. 78. Secundò potest ex consuetudine, aut lege ingressus in templum, aut vsurpatio signi esse tessera professionis sectæ falsæ; sed tamen potest contingere, vt actu nullus exigat tale signũ, neque cogat ad illius vsurpationem: tunc non est actuale certamen inter legem humanam & divinam: potestque disponi negotium, vt vsurpatio talis signi prudenter posiit adscribi alijs caussis alienis à religione: quæ quidẽ caussæ cõmunes sunt omnibus gentibus in simili circumstantiarum occursu, quia stratagemata, & incautorũ delusio per signa, frequentissima est omnibus gentibus, vt constat ex § 54 & sequẽtibus. Equidẽ hæc fieri præsente, & cogente tyranno, vel nullo cogente, multum interest religionis & fidei. Discrimen est clarum, quia cogente & præsente tyranno determinatur ingressus in tẽplum ad cultum in particulari alienæ religionis, neq; moraliter cẽsetur tunc, qui ita ingreditur, id facere, nisi vt obediat tyranno, qui ea obedientiâ de religione triumphat: eo autẽ absente possunt suppetere multæ caussæ; quibus moraliter censeatur aliquis aliquid facere independẽter à religione. Exempli gratiâ: expugnetur Londinum ab hæreticis: quos omnes scient ignoscituros adeuntibus templa, non quod petant illud signum pro hæresis professione; sed ob illorũ cultũ in ea templa, vt Catholici ignoscerent Mahometanis repr

tis in tẽplo: quia nollent illud sanguine polluere, & in honorem Christi corporis, nulli homini coram altari necẽ inferre: tunc etiã Catholici illuc possent adire: quia illorum aditus potest censeri prudenter indepẽdens à religione: si autẽ hæretici mortem minarentur Catholicis, nisi in tẽplum cõfluerent Calvinismi profitendi gratiâ, tenerentur illam oppetere, priùs quam pedem in templum inferre. Quia in primo casu nullus est fidei contemptus: secus in secundo.

SECTIO VI.

De prohibitorum vsu ciborum.

INTER actus externos ad cultum religionis & fidei est perpetua abstinentia aliquorum ciborum, vt Iudæi abstinebant perpetuò ex lege à porco: vel abstinentia aliquorum ciborum certis diebus, vt Christiani sexta quaque feria abstinent à carnibus ex lege Pontificia. Quæritur, quandò sit licitus aut illicitus illorum ciborum vsus? Præmitto posse aliquem instanti vitæ discrimine compelli ad cibos aliundè prohibitos, naturali necessitate famis, quæ vitari nequaquam potest, nisi prohibito cibo. §. 79.

SVBSECTIO I.

Quid faciundum cum cætera desunt alimenta?

DICO primò: in huiusmodi casu nullum esse peccatum vesci carnibus etiã in eorũ Provincia, apud quos esus carnium est signum hæresis. Exẽpli gratia, apud Anglos signum est Calvinismi vesci carnibus sexta feria; Catholici autem ab illis abstinent non solum obediẽtiæ, sed etiam religionis gratia. Siquis iter faciat confectus inedia, neque adsint alij cibi, potest sine vllo peccato carnibus vesci. Hæc conclusio est authorum, quos referam §. 98. qui loquuntur de vescentibus carne inter hæreticos. Est etiam P. Vazquez tomo 2. in 1. 2. disput. 162. cap. 5. & Patris Salas tract. 14. de legibus disput. [illegible] num. 26. estque P. Suarez lib. [illegible] legibus, cap. 30. numero 9. Prob[illegible] exemplo David accipientis [illegible] dedos à lai-

§. 80. 1. Conclus.

Vazq.

Salas.

Suar.

S.Tho. q. 3 Art. 1. à laicis: quibus eiusmodi cibi erant vetiti, vt constat ex 1. Regum. cap. 21. Item ex libro 1. Machabæorum, cap. 2. 41. cùm ergò lege divina prohibitum esset bellum Sabbatho, & laicis sacer panis; nec tamen illæ leges violabantur in vitæ discrimine, non est cur cum eodem obliget lex Ecclesiastica. Et quemadmodum nullum fuit scandalum activum in Davide, & Machabæis, nec potest esse in nostro casu: quod si pasiivum est scandalum aliquod, non tenemur illud vitare cum tanto discrimine, quia oritur ex malitia, aut imprudentia adstantium. Quapropter Christus Matth. 12. confirmavit discipulos suos rectè egisse in spicis vellendis, & comedendis Sabbatho ab exemplo Davidis, cui licuit extremè indigenti comedere panes, quorum vsus erat lege solis Sacerdotibus licitus: Christus autem Marci 2.27. id probavit ratione, quia Sabbathũ factum est propter hominem: non homo propter Sabbathum, id est, lex instituta est propter bonum hominis, & non in eius necem: quapropter imminente hoc genere mortis solvendum potius erat Sabbathum, quam homini pereundum.

§. 81. 2. *Probat.* Secundò probatur: quia in hoc casu vsus carnium secundum se consideratus non est intrinsecè malus; lex autem Ecclesiastica secundum se non obligat in tanto discrimine: cum minori enim non obligat ægros nec valetudinarios, quibus graviter nocent pisces, & ova: neque tunc est circumstantia scãdali: tùm quia adstantibus est perspicuum, nullam esse alius cibi copiam: vndè prudenter debent coniicere cum hominem facturum tunc, quod etiam fieret inter Catholicos, quin factum illud adscribi posit religioni: nisi autem id existiment, cœci sunt, cœcorumque duces, vt de Pharisæis Christus dixit Matth. 15. 14. quia absque vllo prudenti fundamento ex verbis Christi aucupabantur scandalum. Neque item externa illa actio erat cultus religionis: quia suppetente tàm aperta caussâ, & à religione tàm aliena, non est cur factum illud religioni adscribatur: cum vniversi mortales immemores religionis, & quantumvis Pontificij, & Romanæ religionis observantissimi efficerent, nisi vellent barbari haberi, atq; ferini. Quæ doctrina apertè docetur à
Nicol. 3. Nicolao III. cap. *exiyt* de verbor. signific. in 6. ijs verbis: *Si hac cuncta deficerent, sicut nec cateris, sic nec ipsis fratribus iure poli in extreme necessitatis articulo ad providendum sustentationi natura, via omnibus extrema necessitate decentis praccluditur: cum ab omni lege extrema neces itas [illegible].*

§. 82. 1. *Obiectio* O[illegible] S. Augustinũ epist. 154. ad P[illegible] [illegible] idolothytum etiã in extremo vitæ filo esse respuendum, & moriendum virtute Christiana. P. Vazquez ea disp. 162. num. 32. censet, tunc non licere ab idolothyto abstinere: quia nulla suppetit honesta caussa se tàm immaniter interimendi: in quo à S. Augustino discedit apertè: quod etiam effecisse S. Thomam ostendam disp. 178. §. 283. Augustini doctrinam probo: etenim non dixit illicitum esse vesci tunc idolothyto; sed meliùs esse ab illo abstinere: non ergò damnavit esum; sed illi prætulit abstinentiam. Neque arbitror locutum S. Augustinum in sensu à P. Vazquez accepto; sed de esu in idolio cum formali cæremonia idololatrica, vt dixi §. 60. *P. Vazq.* *Resp.*

§. 83. 2. *Obiectio* *Leo Prim.* Secunda difficultas est, quia S. Leo Primus in epist. 77. quæ est ad Nicetam, cap. 5. rogatus de captivis, qui apud gentiles ederant carnes immolatitias, respondet, his verbis: *vt pænitẽtia satisfactione purgẽtur.* Redditque rationem nos in hoc casu vrgentem: *& sive hoc terror* (inquit) *extorserit, sive fames suaserit, non dubitet abolendum, id est, remittendum per cordis pænitentiam: cùm huiusmodi cibus pro metu, aut indigentia, non pro religionis veneratione sit sumptus.* Rectè respondet P. Vazquez num. 33. non egisse S. Leonem de hac extrema necessitate; sed de communi fame, & indigentia, qua solent laborare mẽdici: item loquitur de communi quodam metu: quam expositionem probat P. Salas num. 26. *Resp.* *P. Vazq.*

SVBSECTIO II.

Argumentum ex lege Patrum Carthusianorum.

§. 84. 3. *Obiectio* TERTIA difficultas est, quia lex Carthusianorum præcipit eos monachos abstinere à carnibus, etiam constitutos in mortis periculo. Respondeo, multis iniustam visam eam legem, vt constat ex PP. Vazquez, & Salas ibidem. Hos tamen authores non laudo: sanctissimum enim Ordinem nullus potest prudenter iniustarum insimulare legum: hæc etiam laudanda est, & admiranda: quæ intelligitur de ægris communiter periclitantibus: quibus carnes non sunt necessariæ simpliciter ad vitam: quod autem mors per abstinentiam carnis tantisper maturetur, parum refert: eam enim Christianæ vitæ exercitationibus non rarò maturamus cum laude. At verò in casu, quo disputamus, non agunt leges illæ: est enim prærarus, & qui in monasterijs fit numquam auditus. Eiusmodi autẽ [illegible] casus *Resp.*

casus non est opus, vt excipiatur à lege: quemadmodum casus Davidicus, & Machabæorum non fuit exceptus lege divina: quia ius naturale illos excipit prudenter, dùm non constat voluisse Deum (vt potuit) etiam tunc obligare. Recognosce Nicolaum 3. §. 81.

§. 85. *Vazquez. Salas.* Igitur P. Vazquez ea disp. 162. num. 14. & P. Salas eo tract. 14. de legibus disput. 11. num. 23. docent tunc non solum licere Carthusianis vesci carnibus; sed etiam id esse præceptum, quod sine peccato violari non potest. Quæ sententia mihi valdè probatur. Quam P. Vazquez num. 27. sic probat: quia tunc nulla videretur caussa iusta, & honesta talis abstinentiæ, neque ex ea vllum iustum bonum oriretur, quod cogeret ad talem abstinentiam, illamque honestaret: ergo tenentur tunc vitam carnibus tueri. Antecedens probat primò, quia statutum in eo eventu non intelligitur; sed cum alij suppetunt cibi ad alendam vitam: secundò, quia fame perire abhorret à natura, & lege humana.

§. 86. Cæterum hæc ratio, nec simpliciter probat, & vrget ad hominem. Etenim finis suppetit abundè bonus: exemplum enim Sanctissimi instituti observandi etiam cum aperto vitæ discrimine efficax est ad persuadendum cæteris, quanti momenti sit severarum legum observatio: vt enim ipse Pater Vazquez n. 25. adducit exemplum S. Martini, num. autem 22. asserit esse laudabile in Carthusiano velle mortem obire potius quã effugere carnium vsu cõtra laudabile suum institutum: idque esse cæteris religiosis gravi exemplo ad cultum suæ disciplinæ: ita dico, hunc eumdem finem posse intendi à religioso pereunte fame, nè contra statutum vescatur carnibus: finis ergo præstantissimus est: considerandum nunc an medium sit per se vitiosum. Ad hominem autem contorquetur argumentum, quia ipse, num. 14. ait teneri Carthusianos ad abstinendum (etiam secretò cum non timetur scandalum) à carnibus, tametsi ea ratione sperent se evasuros è mortis periculo; sed tàm crudele est perire cibo interimente, quam fame: immò multò gravius est vesci cibis positivè adimentibus vitam, quam abstinere ab omni cibo: quia abstinentia non est positiva occisio, sicut est esus cibi directè perimentis: vel si non perimat positivè, perinde est illo vesci, qui cognoscitur non aliturus hominem, quam abstinere ab omni cibo: ergo eadem est vtrobique ratio.

§. 87. Dicet P. Vazquez disparem esse rationem, quia omnis cibus alit, & dùm illo vtitur religiosus, iam præbet alimenta corpori; ab illis autem abstinere esse ferinum. Côtrà demus (quod ipse dicit) à religioso cognosci se moriturum, nisi vescatur carnibus: ergo cæteri cibi perinde sunt, ac si non essent ad vitam absolutè conservandam in illo casu: hoc quid habet feritatis minus, quam ab omni cibo abstinere? finge item professum ita languescere abominatione cibi, vt nullũ alium gustare possit præter carnes: hic est in angustijs ijsdem, ac si valens nullum alium cibum haberet: nam tàm impossibile est cum eo horrore ciborum illis vti, quam si non adessent: tàm ferinum esset in hoc casu à carnibus abstinere, quàm in casu, de quo disputamus. Immò siquis exempli gratia laborans anginâ, nihil haberet, quo vesceretur, nisi pisces & carnes: peius esset piscibus vesci, quibus certus esset interitus, quã abstinere ab omni cibo. Quia pisces occiderent positivè religiosum anginâ pressum: at verò positivè nullus potest operam dare suo interitui: ergo eadem est ratio in his casibus ac in primo.

Ratio igitur, ob quam Carthusianus tenetur advescendum tunc carnibus, est quia medium illud secundum se cõsideratum, est ita vitiosum, vt non possit honestari ex quocumque fine honesto; sed, si honestandum est, est ex fine gravissimo; quem alia ratione vix possimus obtinere; sed finis Carthusianorum non est ita excellens, quia est observantia consuetudinis humanæ, non obligantis ex se: & quæ, licet secundum se obligaret, cessaret tamen obligatio in extrema necessitate, quæ hac in parte exempta est ab omni lege: vt dixi ex Nicolao III. §. 81. item finis ille obtineri potest diligentiâ Prælatorum. Nec enim bona est consequentia ab extrema necessitate ad alias cõmunes. Esset enim tyrannicum & barbarum hominem permittere neci subtractis carnibus, quando non suppetit alius cibus, propter timorem, nè alij carnibus vescantur, cũ affluunt alijs cibis. Quamvis enim demus Principibus potestatem ad legem obligantem homines ad apertum vitæ discrimen: est tamen in circumstantijs, in quibus aut Respublica non potest defendi, aut vitari calamitas publica, nisi aliqui cives se periculis offerant. Denique opus est, vt publica vtilitas comparetur illo medio, vt simpliciter necessario: quod si finis ille potest obtineri per alia media sine alio gravissimo incommodo, nulla lex humana ad id potest obligare.

§. 88. *Nicolaus 3.*

§. 89. Cum vero ex hac lege in his circumstantijs nulla sequatur vtilitas publica, quam Carthusianus ordo non possit facilè assequi sine illo vitæ discrimine suorum religiosorum, si illa ferretur lex, esset iniusta. Porro observantia religiosa abstinendi à carnibus

S.Tho. q. 3. Art. 2. In alijs casibus ab hoc distinctis, facilè potest teneri: quia hic casus est dissimillimus. Severis autem legibus negari potest consequentia ex hoc eventu ad alios. *Confirm.* Confirmatur hoc argumentum: quia esset immane spectaculum perire integrum monasteriũ, ne carnes comederet, quæ præsto essent, quia ex aliquo accidenti defuere cætera cibaria. Quod si lex divina cibos interdicens, non obligat cum vitæ discrimine, cur obliget humana? non enim homo factus est propter Sabbathum; sed Sabbathum propter hominem: neque religiosus ordo est hominũ carnificina; sed illorum in cœlum directio. Tãdem extrema necessitas immunis est lege: vt dixi §. 81.

§. 90. Ex quibus concludo, non licere Carthusianis abstinere à carnibus, quoties sibi persuadent, eas esse medium simpliciter necessariũ ad vitam. *Martin. de Magist. Ioann. de Medina. Almain. Salas.* Quæ doctrina docetur à Martino de Magistris, quæst. 3. de abstinentia, Ioanne de Medina, C. de ieiunio, quæst. vltima ad 4. argum. Almayno in 4. dist. 15. quæst. 2. & P. Salas tract. 14. de legibus, disput. 11. num. 24. Ratio est eadem: quia abstinere tunc à carnibus de se est illicitum; neque honestatur à fine, neque à lege: nullo enim casu evidentis mortis homo factus est propter Sabbathum; sed Sabbathum propter hominem. Neque lex Carthusiana agit de his casibus. *Vazq.* P. Vazquez ea disp. 162. cap. 4. docet rectè contra Gersonem obligationem Carthusianorum non esse considerandam ex alieno scandalo: esset enim purè passivum, & sine vllo fundamento ex parte ægroti.

§. 91. *Obiectio.* Obijcit P. Vazquez num. 21. posse nos vitam exponere manifesto periculo iustas ob caussas, quæ possunt esse sufficientes; sed hæc est sufficiens caussa, nempè ostendere observantiam, & reverentiam observandi legem sanctissimam etiam cum vitæ periculo: ergo est licita ea abstinentia. *Resp.* Distinguo maiorem: est licitum periculum vitæ, quando honestus finis non potest obtineri, aut non nisi cum gravissimo incommodo per media minùs aspera: secùs autem si posit, vt dixi §. 88. vndè nego minorem, tùm quia est de subiecto (vt aiunt) non supponente: nulla enim est; nec potest esse talis lex, aut constitutio: tùm etiam, quia non sufficit illa caussa ad honestandam abstinẽtiam à carnibus, quando nulli adsunt cibi: ergo nec quando adsunt: quia ratio primi casus non sumitur ex carentia ciborum; sed ex immanitate & feritate actionis, vt homo se perire permittat præcisè propter legem humanam: eadem autem crudelitas est permittere se perire cum alijs cibis, qui evidenter sciuntur non a[...]ri vitam. Quod si timetur, ne subrepat facilitas ægris permittendi carnium vsus, vigilandum est: quemadmodum non est neganda extrema vnctio morti vicino, ob timorem, ne irrepat facilitas vngendi non periclitantes. Consideretur quid vniuscuiusque status postulet, & illi ex prudẽtia provideatur: immanitas enim est egenti non ministrare necessaria, ne nõ egentes eadem petant: sunt enim præstanda egeno, non autem egeno neganda. Timere enim eiusmodi consequentias sæpè oritur non ex Prælati in religionem studio; sed timiditate: qui vult aliorum certamina fugere, non suo, sed egentis labore.

§. 92. Si verò periculum non sit evidens, dubitari potest an liceat Carthusianis à carnibus abstinentia? *Gerson. Adrian. Maior. Azor.* Gerson, Adrianus, Maior, & P. Azor, quos refert & sequitur P. Salas, cẽsent, teneri tũc Carthusianum propter scãdalum à carnibus abstinere. Verùm isti authores præcisè loquuntur propter scandalum: non autem disputant de obligatione secundum se, an etiam in occulto liceat, quando nullum timetur scandalum? tunc enim non videntur sentire fore peccatum, quia tunc non est possibile scandalum: neque item explicant, an si evidenter de periculo constaret ægroto, adstantibus autem non evidenter, an illi esset licitus carnium vsus? Pars affirmativa docetur à P. Salas, num. 23. quia non tenetur cum tanto periculo aliorum scandalum vitare: quod mihi probatur: quia vt rectè dixit P. Vazquez contra Gersonem, hic non potest esse, nisi scandalum passivum. Cùm enim ipsi constaret evidenter de sua cæterorum abominatione ciborum, & illam à se non posse superari, tenetur vesci carnibus, licet adstantes non cognoscant evidenter eam abominationem: nam ægro eam iuranti tenentur credere: si autem non crediderint, est in caussa illorum malitia: tenentur enim illi præstare fidem.

§. 93. *Salas.* Quando verò periculum non est evidens ipsi ægroto, sed tantùm probabile, censet P. Salas num. 25. teneri Carthusianum à carnibus abstinere: quia iam ibi est scandalum activum, quia vsus ille carnium habet speciem mali: quia possunt alij existimare nullum esse periculum in tali eventu; sed fingi, vel esse minùs, quam asseratur; vel etiam si sit probabile, non excusat ægrotum. Quod si hoc scandalum sit paucorum, censet esse licitum vsum carnium. *1. Conclus.* Hac in re censeo primùm non posse ægrum vesci aliquo cibo, quo probabiliter opinaretur vitam directè extinguendam. Quia non potest esse dictamen probabile practicè, posse nos aliquid efficere, quod sit probabiliter in specie homicidij; vt ostendi latè in disput. de actibus huma-

humanis. Secundò censeo, non teneri eiusmodi ægrum ad abstinentiam carnium cum probabili periculo mortis: quia si carnes sunt simpliciter necessariæ, ideò est, quia cæteri cibi adimunt directè vitam: in quo casu nec licet, nec potest abstinere: si autem cæteri cibi non interimant directè vitam; sed negativè, nō quòd qualitatibus noceant positivè; sed quia non habent vim reparandi vires, tunc licitè potest abstinere in publico, non tamen tenetur; neque secretò potest. Prima pars traditur à Gersone, P. Vazquez, P. Salas, & alijs. Probatur, quia tūc nō dat caussam positivam morti; neque constat certò de periculo: vndè potest omittere actionem illam in observantiam sanctissimi instituti: maximè cùm id non sit, nisi maturare mortem. Eum verò non teneri, probatur: quia ipse potest cæteros facere moraliter certiores de periculo: cui ipsi tenentur credere, itē & medico docto & Christiano: si autē nō credunt, illorū incredulitas est: cui ipse non tenetur providere cū tanto discrimine. Paullus Rom. 14. egit de scandalo activo habente speciem mali, & sine vllo discrimine vitæ, & quando alij non possunt veritatem discere, & tolli species mali. In secreto deest ratio honestandi abstinentiam à carnibus: quia non est alijs exemplo ad persuadendam regulæ observantiam: de Paulli testimonio, & de scandalo hoc agendum est disp. 173. §. 283.

Gerson. Vazquez. Salas.

§. 94. Obiectio. P. Vazq. P. Vazquez ea disp. 162. num. 15. censet Carthusianum teneri ad abstinentiam carnium, quando licitè potest; sed per me potest in casu de probabili discrimine: ergo tunc tenetur. Probatur primùm, quia, quādo opus aliquod est honestum, potest aliquis illud vovere; sed Carthusiani generali obedientiæ voto se obstringunt ad ea observanda, quæ proponuntur, vt præcepta: ergo tenentur. Secundò probatur exemplo ipsius religionis, in qua nulli ægro ministrantur vnquam carnes, quantumvis moribundo. P. Suarez lib. 3. de legibus, cap. 30. num. 10. docet multa esse alicui licita, quæ non possunt illi præcipi: vt naufragus pietatis ergò potest Sacerdoti dare tabulam, & se vndis committere cū manifesto discrimine.

P. Suarez.

§. 95. Resp. Respondeo, posse aliquem voto obligari terminato ad abstinentiam ipsam: quia, cùm obiectum sit honestum, est materia legitimi voti, ad quod tenetur, quia illud voluntariè nuncupavit: lege autem nequaquam tenetur ad actionem obeundam, cum discrimine vitæ, nisi in circumstantijs explicatis §. 88. Immò P. Suarez tom. 2. de relig. cap. 20. num. 4. ait, nullum esse votum, neque legem, neque statutum Carthusianis de abstinendo à carnibus in extrema necessitate; sed solam consuetudinem interpretantem statutum. Cùm igitur Carthusiani non voveāt directè abstinentiam à carnibus; sed tantū, dùm vovent observantiam legum legitimè obligantium, non tenentur, nisi ad earum observantiam cùm legitimè obligant: cùm autem in his circumstantijs nullus posset obligari lege humana, nulla est ad eam observandam obligatio voti. Nam si voto obligatur Carthusianus ad observationem legis, obiectum illius voti est lex, & non abstinentia secundum se; sed præcisè vt præcepta; at tunc non est lex: ergo non est materia voti: vndè constat ad primum argumentum P. Vazquez in §. superiori. Ad secundum respondetur illam consuetudinem esse quidem laudabilem, quia ex Arnaldo à Villanova, & alijs medicis sunt certi, carnes non esse simpliciter necessarias per se; si verò essent, vel propter aliorum ciborum privationem, vel abominationem insuperabilem, vel ex alia caussa constaret non solùm de maturatione mortis; sed etiam de discrimine, quod posset vitari carnium vsu, ille mos non esset laudabilis, nec illo vterentur tàm religiosi viri. Nisi dicas eos vti opinione probabili, etiam cùm evidenter imminet mors, cùm suppetunt alij cibi; nam veteres aliqui Theologi eam probabilem reddidere: P. autem Vazquez, multum ei attulit securitatis: non tamen si cibi non adsint; vt ex ipso constat: nec si abominatio cibi sit insuperabilis. Hi enim duo casus sunt simillimi; existimo autem illos nullo voto obligari, cum P. Suarez, ad abstinentiam à carnibus: nec esse consuetudinem in ijs duobus eventibus.

E quibus omnibus deduco Catholicum debere carnibus vesci, quoties apertè vita periclitatur ob inopiam alimentorum: tunc enim nullum potest esse activum scandalum: quia tunc omnibus hæreticis constat, eum vsum non esse Catholicis interdictum, & hominem, qui illis premitur angustijs, efficere quod solent ipsi Pontificij. Quapropter ille vsus non potest pro signo hæresis vsurpari, cùm tàm apertè constet de caussa omni mortali communi. Hæc autem partitim explano. §. 96.

SVBSECTIO III.

Quid faciendum cùm cibi suppetunt?

DIXI §. 79. hominem ad vescendas carnes posse compelli ab intrinseca famis rabie, cum nulli alij suppe- §. 97.

S.Tho. q. 3. Art. 2.

suppetunt cibi. Potest item ad illas vescendas diebus à Pontifice interdictis compelli sacrilegis infidelium legibus: quibus suos cogunt ad illum vsum in suorum signum, & professionem errorum. Potest casus contingere absente, præsenteque tyranno, & eius ministris, exigentibus tunc aut non exigentibus esum carnium pro infidelitatis tessera. Ac primùm nullo præsente tyranno, aut ministro: si aliquis gravi morbo laboret, ita vt ab adstantibus apertè cernatur illum non posse à carnibus abstinere, potest illis vesci cùm inter infideles vitam agit, neque eget contestatione publica, qua cæteros certos faciat, se nec hæreticum esse, nec obedire tyranni legibus religioni oppositis. Ratio est manifesta, quia confessio fidei est actus positivus, cuius præceptum non obligat pro semper, ac propterea non tenetur eiusmodi æger exteriùs profiteri fidem in singulis circumstantijs: in ijs autem vsus ille carnium secundum se non est externa erroris professio: neque item potest tunc prudenter adscribi legi: quia omnibus est per se nota sufficiens caussa ad vescendas carnes independens à religione: qua de caussa non solùm hæreticis; sed ipsis etiam Catholicis communis est carnium vsus. Et quemadmodùm, si aliquis hæreticus ita laboraret, vt esset illi tunc à carnibus abstinendum, non haberetur Catholicus, aut non obediēs legi tyranni, tametsi à carnibus abstineret sine vlla contestatione: quia caussa abstinentiæ esset omnibus per se nota, adeò vt à tyranno non puniretur: ita ex opposito non eget Catholicus contestatione fidei.

§. 98. 3. Conclus.

Dico tertiò, quando caussa non est omnibus manifesta; sed ipsi soli, potest carnibus vesci, tametsi non profiteatur, se esse Catholicum, imminenti vitæ discrimine si fidem profiteatur. Ita docent P. Azor lib. 8. cap. 27. *§. tertiò quæritur*, & P. Thomas, lib. 2. cap. 4. num. 25. cùm enim admittant licitum esse carnium vsum etiam homini benè valenti, id potiori iure dicent de valetudinario. Probatur, quia ille veram habet caussam, ob quam movetur ad faciendum id, quod ei inter Catholicos liceret: nec exercet actionē aliquam de se malam; sed potiùs ægro bonam physicè, & moraliter: ostendere autem suam fidem tunc non tenetur: adstantesque non possunt prudenter, & cum fundamento factum illud adscribere religioni: tùm quia commune est etiam Catholicis vesci carnibus interdictis absque suspicione desertæ fidei, quia ob ægram valetudinem excusantur à lege; quamvis facies non præ se ferat ægritudinem: ipsi tamen tunc nesciunt, vtrùm ille sit valetudinarius. Immò & inter ipsos hæreticos multi abstinent à carnibus sine suspicione violatæ legis tyrannicæ, quia ob invaletudinem non audent tunc cęnare carnes, etiam ipsis diebus, quibus illarum esus accipitur pro tessera Calvinismi: ergo commune est omnibus mortalibus carnibus vesci, aut abstinere ob invaletudinem, quæ non se ostendit in vultus pallore, aut macie: at verò si ipsi iudicant ita vescentem esse Calvinianū, est iudicium temerarium, ex ignorantia ipsorum & imprudentia potiùs, quàm ex facto, quod deberent censere sæpè contingere, quin religionem attingat.

Azor. *Sanchez.*

§. 99. 4. Conclus.

Dico quartò: quando nulla fit interrogatio actualis, & aliquis adducitur in extremū vitæ periculum nisi carnibus vescatur, potest illis vesci absque peccato. Hæc conclusio docetur à P. Azore, & P. Thoma adductis §. 98. quam doceri arbitrari debemus ab Adriano, Lyra, Abulensi, Lorca & alijs adductis §. 59. item à Medina & alijs adductis §. 54. quia eadem est ratio de signo proprio infidelium, de quo illi loquuntur, ac de carnium vsu, quia tantùm est quoddam signum infidelitatis ex sola lege communi; idē docet P. Becanus, cap. 9. quæst. 5. num. 23. Ac propterea probatur conclusio ijsdem argumentis, quibus à §. 54. probavi, licitam esse interdum eorum signorum vsurpationem: item à §. 59. ostendi materialem cerimoniarum vsurpationem non esse illicitam: & quemadmodum possumus vti vestibus, & alijs signis non ad simulandam; sed dissimulandam religionem; ita possumus & carnibus vesci: quia lex Pontificia non obligat cum tanto discrimine, nisi quando est in eius, aut religionis cōtemptum; tunc autem id non contingit: quia non datur fundamētum, vt quis prudenter arguat sic vescentem carnibus non esse Pontificium. Denique consideranda sunt, quæ dixi §. 61. & alibi, deberi eiusmodi actiones exerceri ita, vt omnibus circumstantijs prudenter expensis, nullus possit iudicare has externas actiones oriri ex animo vero, aut falso colendi falsam religionem: quod hic contingit: quia adstantes sibi possunt persuadere eum hominem ob occultam invaletudinem, vt frequenter accidit, vesci carnibus: vel illum esse exterum, illoque cibo vti se occultandi gratia, ne pereat: quod licet (quia lex humana ad oppositum non obligat), illumque vti isto genere stratagematis. Quòd si abstineat à carnibus poterit dicere se esse avidiorem piscium, aut aliam caussam reddere à religione alienam: dùm tamen non mentiatur, ne peccet contra veracitatem.

Azor. *Sanchez.* *Adrian.* *Lyra.* *Abulens.* *Lorca.* *Becan.*

§. 100. 5. Conclus.

Dico quintò: vrgente tyranno, aut eius ministro, & extorquentibus carnium vsum interdictis diebus, in contemptum legis Ponti-

Pontificiæ, aut in signum Calvinismi, non potest Catholicus illis vesci, tametsi publicè contestetur id à se fieri ob servandam vitam, nō verò in cultum, aut signū Calvinismi. Hæc conclusio est certissima, & probanda iisdem argumentis, quibus à §. 64. ostendi non licere in eiusmodi circumstantijs templum adire: quia contemnitur lex Pontificia: in cuius odium extorquetur carnium vsus. Sivè enim lex humana obliget ad sui observationem cum vitæ discrimine, quando imminet eius contemptus; sivè ea obligatio non oriatur ex ea lege, sed ex alia naturali, & divina, prohibentibus contemptum iustarum legum, moriendum est potius, quàm illæ contemnendæ. Item crescit externus cultus hæreticus; decrescit autem Catholicus, quod est lugendum religionis detrimentum. Denique factum illud prudenter adscribitur irreligioni, & infidelitati, quantumcumque ipse contestetur se esse Catholicum. Recognosce quæ ab illo §. 64. dixi contra ingressum in templa. In hoc sensu P. Valentiam accipio tom. 2. disp. 7. quæst. 5. punct. 6. §. 4. versu *quartus casus est*: vbi censet extra casum necessitatis non licere carnibus vesci: loquitur enim expressè quando illa actio videri potest professio externa infidelitatis: at non semper id censetur prudenter: censetur tamen in hoc casu.

§. 101. *Difficult.* Difficultas autem occurrit, si tyrannus dicat ægroto morti vicino, aut gravi ægritudine presso, vt carnibus vescatur in signum infidelitatis, an æger ille contra religionem peccet, si cum publica contestatione vescatur carnibus? Quæ difficultas vt est de obiecto rarò aut numquam contingenti, prætermissa est ab authorib'. In qua primum censeo eiusmodi ægrum egregiè facturum, si etiam cum vitæ discrimine evidenti abstineat à carnibus. Quia vitam exponit periculo ob Catholicæ religionis cultum, & obedientiam legū Ecclesiasticarū: de quo nullus dubitare posse videtur: maximè cum S. Augustinus adductus §. 82. asserat melius esse Christiana fortitudine perire, quàm vesci idolothyto. Secundò censeo eiusmodi ægrum non teneri ad eam abstinentiam, sed præmissa contestatione se id facere ob solam ægritudinem, & non ob imperium tyranni, posset æger carnibus vti. Ita colligo ex P. Valentia adducto §. superiori, qui in casu necessitatis non censet hanc actionem esse professionem infidelitatis. Ratio à priori est: quia per contestationem declaratur apertè tyranni, & eius legis contemptus: & actio illa externa habet aliam evidentissimam caussam, cui adscribatur. Tyrannus autem derideretur ab

Solutio.

omnibus, quia in signum infidelitatis peteret actionem ægro necessariam omninò, & mortalibus vniversis communem: signumque religionis non commune, sed proprium debet esse. Item si tyrannus adimeret homini omnes cibos præter carnes, non videtur dubium illas tunc esse licitas, contestatione præmissa, non verò aliter. Nec posset quis tunc prudenter scandalum pati.

Obijcis primò, cum hominem teneri ad vsū carniū, quia opposita actio est intrinsecè mala; neque habet vnde honestetur. Respondeo, esse eā de se turpem, vt nex hominis: at potest ab excellēti fine honestari, vt nex: quia non est essentialiter mala, & inhonestabilis; vt est odium Dei: dico ergò eam honestari ab excellentissimo fine, qui vix tunc, aut ne vix quidem potest obtineri sine illa actione. Mors enim oppetita pro defensione fidei, & Ecclesiæ est multis argumento veritatis, quam profitemur. Hæc autem gloria Dei tàm excellēs est, vt præceptū naturale tuendi vitā nō obliget cum eius circunstantia. §. 102. *Obiectio. Soluta.*

Obiectio. Obijcis secundò, Carthusianum non posse morte evidenter instanti à carnibus abstinere: ergò neque æger, de quo agimus. *Solutio.* Nego consequentiam, quia nec finis Carthusianorum est tàm excellens: & potest illius religionis observantia multis rationibus obtineri, vt dixi §. 91.

DISPVT. XLIX.

De fidei definitione.

SECTIO I.

Definitio fidei divinæ.



NON est difficilis Catholicæ fidei definitio: est enim *habitus per se infusus, quo assētimur ijs, quæ dicuntur à Deo propter eius authoritatē, & testimoniū, certò, & absque formidine.* Eam esse habitum per se infusum constabit infrà, vbi ex instituto disseretur de habitibus per se infusis: hunc autem habitū esse principium actuum credendi divina dicta propter authoritatē, & revelationem Dei, constat à disp. 3. ad 13. quibus ostendi authoritatem, & locutionem Dei esse obiectum formale fidei: ex disp. autem 16. constat obiectum fidei materiale esse omnia, quæ à Deo revelantur. Assēsum verò esse certū, constat ex disp. 18. §. 1.

vbi

S.Tho. q. 3. Art. 2. vbi probavi authoritatem, & testimonium Dei esse omninò infallibile, neque illis posse subesse falsum: disputationeque 19. ostēdi fusè actibus fidei ex nullo alio capite posse accidere falsitatem. Eum actum à nobis fieri absque formidine, per voluntatem determinatam argumentis facientibus evidentiam credibilitatis, abundè constat ex disp. 14. de conditionibus ad credendum: ex disputat. 20. de credibilitate mysteriorum fidei: ex disput. 21. de argumentis Christianæ fidei, & ex disput. 22. de illorum evidenti credibilitate.

§. 2. Obiectio. Resp. Dices, hac definitione non explicari obscuritatem fidei. Id nego: credere enim propter testimonium, & authoritatem alicuius, est credere obscurè: vt enim cōstat ex disp. 4. qui evidenter cognosceret testimonium Dei, cognosceret evidenter rem testatam: saltem non posset illi dissentiri: quia evidenter cognosceret testimonium illud esse verum independenter ab authoritate Dei: qui assensus esset evidens in attestante, vt dixi disp. 25. authoritas verò divina est necessaria obscurè cognoscenti revelationem, quia generalis propositio de infallibili authoritate Dei, nos determinat ad assensum de veritate huius, & illius revelationis: at si veritas revelationis cognosceretur evidenter in revelatione ipsa, non esset ille actus fidei. Non est ergo necesse explicare clariùs obscuritatem fidei: potest tamen etiam cū illa definiri: nempè esse habitum per se infusum, quo certò, sine formidine, & obscurè assentimur divinis dictis, quia dicuntur à Deo. Hac definitione quibuscum conveniat fides & differat, facilè potest ostendi.

§. 3. Dixi, hanc esse definitionem fidei Catholicæ: quia disput. 9. probavi eodem habitu fidei Catholicæ credi revelationem publicam, & privatam: quia verò Catholica fides addit pro conditione vniversalem propositionem Ecclesiæ, debet sic definiri: fides Catholica est, *qua certò & obscurè assentimur revelationibus Dei, vt ab vniversali Ecclesia proponuntur.* Hæc definitio nihil differt à priori, nisi quòd hæc est contractior ad publicas revelationes; illa verò amplectitur & privatas. Assensus autem fidei potest etiam facilè definiri: *assensus supernaturalis certus & obscurus dictorum Dei, quia ab ipso dicuntur.* Hæc de definitione fidei infusæ, quam disquirimus. Ratione habitus infusi differt à fide humana, quæ est acquisita; item & certitudine ab ea disparatur. Est ergo fides vt sic habitus ad assentiendum dictis alicuius propter ipsius testimonium & authoritatem.

***

SECTIO II.

Apostolica definitio fidei.

§. 4. Ad Hebr. 11. SANCTVS Paullus ad Hebræos 11. definit fidem, *est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium*: hoc testimonium negotium facescit multis: in quo explicando mirè laboraverunt sex interpretes ex tribus Ordinibus: ex Dominicano S.Thom. lect. 1. in illud caput, & 2.2. quæst. 4. art. 1. ex Franciscano Nicolaus de Lyra ibidē: ex Societate Iesu P. Alphonsus Salmerō tom. 3. in Paullum disp. 20. P. Franciscus Ribera in epistolā ad Hebræos: P. Iustinianus & P. Cornelius, quos poterit adire lector non solùm eruditionis; sed etiam voluptatis ergò. E quibus decerpam nostro instituto necessaria, item & ex Bellarmino Cardinali, tomo 3. lib. 1. de iustific. cap. 5. & P. Suarez disp. 6. sect. 2. (S.Thom. Lyra. Salmeron. Riber. Iustinian. Cornel. Bellarm. Suar.)

§. 5. Aragon. Magister Aragon in art. 1. quæst. 4. refert Erasmum in annotationibus in epistolā ad Hebræos sensisse Apostolum non esse locutum de fide, vt pertinet ad intellectū; sed de sola fiducia sive certa expectatione pertinente ad voluntatem. Magister Bañez in eumdem articulum, idem adscribit Erasmo. P. Luisius disp. 36. dub. 2. cum minimè excusat. Non potui nunc recognoscere Erasmum: quia ille locus iussu Illustrissimi Cardinalis Bernardi de Sandoval Quæsitoris generalis est obliteratus. Ac nisi me fallit opinio non negavit Erasmus illa Paulli verba quadrare in fidem intellectualem: tom. enim 7. in Paraphrasi in cap. 11. ad Hebræos ea Apostoli verba aptat intellectuali fidei, versu enim *primum quod*, hæc ait: *primum quod intelligimus, mundum hunc vniversum, cum his, quæ amplectitur, fuisse conditum verbo Dei, soloque iussu conditoris, nonne fidei debemus?* deinceps hæc ait: *nos autem, quod nec videri potuit, nec humana mentis ratiocinatione colligi potest, perinde credimus, ac si videremus: nimirùm freti libris divinis, qui narrant mundum esse iussu Dei conditum, quem scimus nihil non posse, nec posse mentiri.* (Bañez. Torres. Eras.)

§. 6. E quibus dilucidè patet non negatum ab Erasmo Apostolum egisse de fide assentiente: etenim mundum esse factum non est obiectum fiduciæ, neque confidentiæ, quæ est desiderium, vel spes firma de bono futuro: item assentiri mundi creationi propter testimonium Dei contentū in sacris libris, & quia Deus mentiri non potest, est obiectum formale fidei Catholicæ. Quòd autem Erasmus de fiducia loquatur interdum, non excludit intellectus assensum: nam aliqui

Doctores

Doctores Catholici de vtroque actu arbitrantur locutum Apostolum: deinde dicit Erasmus nos certò sentire creationem mundi fretos sacris libris: ista confidentia est certa, fixaque voluntas credendi propter testimonium Dei: est enim actus affectionis piæ: oblitteratus est autem locus Erasmi, quia familiari sibi impudentia debacchatur in Scholasticos Doctores: neque arbitror, quòd opinentur illam esse definitionem fidei, sed quòd censuerint aliqui illã esse Dialecticam definitionem. Hæc dixi propter recentes hæreticos, ne contra communem Ecclesiæ consensum suo armentur Erasmo: qui præcisè censuisse videtur illam non esse Dialecticam definitionem fidei Catholicæ; sed Rethoricam eius commendationem: si autem eius commendatio est, ergo de fide Catholica locutus est Apostolus ex Erasmi sententia.

§. 7. Quod si isti cœci non essent mente; non egerent, nisi oculis: tàm apertè enim loquitur Paullus de intellectus assensu, vt clariùs id non posset præstari. ait enim versu 3. *fide intelligimus aptata esse secula verbo Dei: vt ex invisibilibus visibilia fierent.* Quid est intelligere factum fuisse aliquid, & mundum fuisse productum ex non entibus (quæ invisibilia appellantur ab Apostolo); nisi credere, sive assētiri posse ex nihilo aliquid à Deo fieri, cùm Aristoteles & cæteri Philosophi pro primo principio habuerint *ex nihilo nihil fieri*? quod etiam explicuit Erasmus in Paraphrasi.

Ad Hebr. 11.3.

§. 8. An verò simul cum intellectus assensu definiatur fiducia voluntatis, ita vt mixtim de fide, & fiducia loquatur Apostolus, non est vna omnibus sententia Catholicis: S. enim Damascenus lib. 4. de fide, cap. 11. censet fiduciam quoque ab Apostolo definiri: alij verò censuerunt prima definitionis parte comprehendi fiduciam, cæteris verò fidem: & quidem quamvis hæc definitio in solum quadret assensum, tamen decursu capitis nonnihil Apostolus tangit de fiducia: à versu enim 8. non solùm commendatur fides; sed spes: ait enim versu 10. *expectabat enim fundamenta habentem civitatem:* & versu 14. & 16. Quod autem obijci dicitur ab Erasmo ex versu 19. de Abrahamo, eũ fuisse deceptum arbitratum filium moriturum, & à sepulchro revocandum; ac propterea ibi non actum de fide assentiente; sed de cõfidente, est planè falsum: hæc enim præcisè ait Apostolus, *arbitrans quia & à mortuis suscitare potens est Deus*: quæ propositio vera est: existimavit enim Abrahamus filium revocãdum ab inferis, si moreretur, vt Deus staret promissis: quia arbitratus est Deum esse potentem etiam in mortem: recognosce P. Cornelium in versum 19. & P. Iustinianum, locum illum, qua pollet eruditione, illustrantem.

Damasc.

Ad Hebr. 11.10.

Igitur assensum intellectus definit Apostolus, vt ex ipso patet, & ex communi Patrum Scholasticorumque consensu: cui accessit definitio Tridentina sess. 6. Can. 12. vbi damnat scripturarũ depravatores, quòd illarum testimonia de fide iustificante detorqueant ab intellectrice fide ad confidentem in voluntate: vnum autem è præcipuis testimonijs est hoc: fine enim capitis 10. ait Apostolus iustum ex fide vivere: eamq; fidem, ex qua iustus vivit, definit ineunte cap. 11. Ostendi verò eam fidem esse intellectricem illis verbis: *substantia sperandarum rerum:* nonnulli interpretantur fundamẽtũ & basim, cui imponitur ædificium beatitudinis, quã sperare debemus: quia cùm eam oporteat obtineri actibus supernaturalibus ex gratia per Christum, & nihil sit volitũ, quin præcognitũ, ideò, vt intellectus præit voluntati, sic fides toti iustificationis seriei: quapropter Concilium dixit exordium iustificationis esse à fide. Initium autem cuiusque rei dicitur esse eius fundamentum atque substantia, quia cæteris rebus subest, & ponitur antequam illę. Tullius 1. de legibus rerum cognitionem, ait, esse earumdem inchoationem, his verbis: *intelligentia communis nobis res notas effecit, easque in animis nostris inchoavit, vt honesta in virtute ponantur.* §. 9. Tridenti. Tullius.

§. 10. Sensum eumdem argutiùs explanant alij, opinati substantiam perinde esse ac hypostasim & substantiam, id est, existentiam vel consistentiam: vt sensus sit: fides est, quæ dat existentiam beatitudini, quam speramus, quam existentiam ipsa nondum habet. Præmitto communem Theologorum sententiam distinguentium duplex esse: primùm physicum, sive à parte rei: secundum intentionale, sive in intellectu: dicuntur enim esse res in intellectu: quia quamvis non habeant à parte rei esse physicum, tàm vehementer repræsentantur, vt illud videantur habere: quam doctrinam multis in locis tradit S. Thom. 1. par. quæst. 3. art. 4. ad 1. in 1. dist. 2. quæst. 1. art. 4. Aristoteles propterea dixit 3. de anima, cap. 4. intellectum, antequam intelligat esse quodammodo intelligibilia: actu autem intellectum esse eadem cùm intelligit actu, cap. verò 7. ait scientiam esse idem, quod res scita, & cap. 8. animam esse quodammodo omnia, quia omnia cognoscit. Quod confirmari potest in somniantibus, & alijs acris phantasiæ, qui nõnumquam brachia iactant ad tenendum amicum, quem tàm vivè apprehendunt, vt illum adesse arbitrentur: quoties expergiscimur mœsti, quia visus est nobis lateri-

S. Thomi. Aristot.

S.Tho. q. 3. Art. 2. lateribus culter infixus? Ita fides tam vehementer repræsentat, quam speramus beatitudinem, vt illi vicini esse videamur: quod est illi dare subsistentiam: id est, illam repræsentare vt subsistentem: quod veteres, & novi interpretes mutuati videntur ex interpretatione Syriaca: *est autem* (inquit) *fides certitudo de his rebus, quæ sunt in spe, ac si iam existerent actu.* Hinc fides per charitatem, & spem operatur, quia efficax repræsentatio futurorum movet ad illa comparanda. Ea verò voce *substantia*, significari fidei assensum satis indicat Syriaca interpretatio, quæ pro *substantia* asserit, *certitudo.*

§. 11. Aug. *Sperandarum rerum*: id est, fœlicitatis æternæ, quam speramus: S. Augustinus & alij pro *sperandarum rerum*, legunt *sperantiũ*: sensus quidem est idem: sed prior interpretatio communior atque germanior: actus enim & habitus intellectus melius per obiecta, quam per subiecta definiuntur: diximus *substantiã*, definiri ab Apostolo assẽsum intellectus, explicat autem verbo immediato quid credamus, & cui rei assensu intellectus præstetur intentionalis existentia: ea est futura beatitudo. S.Thom. S. Thom. in explicatione eius loci, & hac quæst. 4. art. 1. ait, definiri fidem cum respectu ad spei obiectum, potius quam ad charitatis: quia charitas est de præsentibus, & absentibus; spes Lyra. verò de solis absentibus: cui consentit Lyra totam ferè interpretationem Thomisticam mutuatus: è quibus videtur concludi fidem definiri per ordinem ad actus spei, à quibus sumitur discrimen illud obiecti præsentis. Arbitror B. Paulum non accepisse spei obiectum reduplicativè, vt per illam amatur; sed specificativè: vt indicare videtur interpretatio Syriaca asserens, *certitudo de his rebus, quæ sunt in spe*: nec S. Thom. oppositum censuit. S. Paulus eleganter constituit obiectum spei potius, quàm charitatis: ipse enim Ad Rom. 8. 24. dixerat ad Rom. 8. 24. *quod videt quis, quid sperat?* id est, quę possidemus, non speramus: igitur actus, qui dicitur spes, sive desideriũ est de re nondum obtenta: cuius possessio desiderium vertit in gaudium: voluit igitur Apostolus fidei assensum esse tàm certam repræsentationem fœlicitatis futuræ, vt iam videatur existere & obtineri: quod eleganter dixit interpretatio Syriaca, *est autem fides certitudo de his rebus, quæ sunt in spe, ac si iam existerent actu*; ac si dicat, æterna beatitas absens quidem est, & in spe; fides autem tàm certò eam subijcit aspectui, ac si adesset. Sæpius ostendi in Philosophia cognitionem obiecti esse eius imaginem: imago verò, præsens facit obiectum etiam absens, propterea *repræsentatio* dicitur: & quemadmodũ amicus imagine movetur amici ad illi officia præstanda, ac si adesset: ita vehemens, & fixa beatitudinis imago per fidem, nos movet ad ipsius beatitatis merita, ac si eam oculis cerneremus.

Argumentum non apparentium. Argumentum, vt constat ex Tullio, vox est æquivoca. §. 12. Cicer. Sumitur interdum pro ratione aliquid probabiliter ostẽdente: sic definitur à Tullio in partitionibus: *argumentum* (inquit) *est probabile inventum ad faciendam fidem*: & in Topicis: *argumentum est ratio, quæ rei dubiæ facit fidem.* Sumitur magis propriè pro ratione certò concludente propositum, vt constat ex eodẽ Tullio in Academicis quæstionibus lib. 2. *argumentum* (inquit) *concludi non potest, nisi his, quæ ad concludendum sumpta erunt, ita probatis, vt falsa eiusmodi nulla possint esse.* Aristoteles in Rethorica ad Alexandrum cap. de argumento, hæc ait: Arist. *argumentum autem est* (*sic enim elenchon interpretamur*) *quod aliter habere non potest, atque ipsi dicimus*: in eodem sensu sumitur hic ab Apostolo, est enim eius scopus persuadere Hebræis perseverantiam in persecutionibus, ærumnisque perferendis, quia fides proponens fœlicitatem æternam est certus illius assensus. Quod ex S. Chrysostomo & alijs ostendunt PP. Salmeron, Iustinianus, atque Cornelius: S. Augustinus & interpres S. Chrysostomi & alij pro *argumẽtum*, dicunt *evictio*: quod clarè constat ex interpretatione Syriaca toties adducta: quæ pro *substantia* legit *certitudo*, & pro *argumẽtum*, dicit *revelatio*, id est, manifestatio: adsonat vox Græca *elenchus*, quam Aristoteles interpretatur ostensionem, sive demonstrationem.

Dubitabis primò, an voce *argumentum*, §. 13. Dub. comprehendat Apostolus fidem obiectivã, vt subest argumentis evidenter ostendentibus eius credibilitatem, an verò fidem formalem? Invitat ad dubium, quòd prima parte definitionis amplectitur Apostolus formalem fidem, quæ dat esse intentionale æternæ fœlicitati, quæ est pars obiectivæ fidei. Secunda autem parte definitionis agitur de eàdem fide, ne sit definitio æquivoca. E contra verò argumentum est ratio obiectiva nos movens ad assensum, vt constat ex Aristotele adducto §. superiori: qui recensitis ijs, vndè argumenta petuntur, cõcludit *argumenta igitur ex his, atque similibus faciemus*; Arist. Solut. respondeo: argumentum vsurpari pro fide formali, non pro obiectiva: obiectiva enim non est argumentum sui; formalis autem est argumentum obiectivæ: sic dicit Apostolus *argumentum non apparentium*, id est, certus assensus in obiecta obscurè proposita. Ad argumentum respondeo: posse argumentum vsurpari, & pro obiectivo, & pro formali, sicut vsurpantur *propositio, conceptus,*

ceptus, & alia: vndè eleganter dixit Apostolus *argumentum*, vt fidei formalis assensuum certitudinem ostendat ex certitudine obiecti, sive argumenti obiectivi.

§. 14. Dubitabis secundò an hæc secunda pars *argumentum non apparentium*, significet aliquid distinctum à prima? an verò *argumentum* sit idem, quod *substantia*: *non apparentia* autem, idem quod *speranda res*? & ita hæc secunda pars non significet aliquid distinctum à prima? vix interpretes hac difficultate tanguntur. P. Iustinianus cùm in eam incidisset, ait ab ea curiositate abstinendum: inclinatur tamen plus significari voce *non apparentium*, quam *sperandarum rerum*. Quæ doctrina mihi probatur, cũ Card. Bellarmino adducto §. 5. *Argumentum* enim non significat omninò idem, ac eodem modo, *ac substantia*: quia potest argumẽtum esse rerum præsentium, habentiũ existentiam extra intellectum: item substantia est initium, & fulcrum iustificationis: oportet enim credere quòd Deus est, quòd inquirentibus se, sit remunerator: at verò assensus Catholicus de productione mundi septem diebus, non est fulcrum ad sustentanda bona opera, neque ad id necessarius. Prima ergo parte definit Apostolus fidem Catholicam vt sustentatricem sperantium, ne deficiant à fide: quapropter eam definijt cum respectu ad fœlicitatem ęternam, cuius infallibili assensu erigitur spes: quia verò hæc sustentatrix fides est idem cum Catholica, quæ vniversalior est, quia eâ credimus non solùm speranda, sed etiam timenda, & cætera, quæ Deus revelavit obscurè, ideò secunda definitionis parte explicat Apostolus totam essentiam fidei, quæ se porrigit ad omnia dicta divina obscurè proposita.

Iustin. Bellarm.

§. 15. Vndè concludes ineptè arbitratos hæreticos fidem historialem diversam esse à iustificante: quia cùm Apostolus de hac fide fuisset locutus, ait fine c. 10. versu 38. *iustus autem meus ex fide vivit*: explicansque hanc fidem iusti, eam definit *substantiam sperandarum rerum, argumentum non apparentium*. Versu autem 2. dicit: *in hac enim testimonium cõsecuti sunt senes*: persequens verò quibus in rebus hoc senum testimoniũ illuxerit, incipit versu 3. à fide historica: *fide intelligimus aptata esse sæcula verbo Dei*. Ostendensque Enoch fuisse iustum concludit versu 6. *sine fide autem impossibile est placere Deo*: ergo apud Apostolum eadem est historica fides, & iustificans.

Ad Hebr. 10.38. Ad Hebr. 11.2.

§. 16. *Non apparentium* ostendit Apostolus evictionem fidei non esse demonstrativam, sed certam: obiectum enim fidei, vt per illam cognoscitur, nõ apparet: quia existentia revelationis divinæ, non apparet; sed cognoscitur obscurè. Nihilominus tamẽ possumus *argumentum* interpretari, de ratione nos movente ad assensum, & non permittente dissensum. Quamvis enim absolutè, & physicè dissentiri possimus, nõ tamen honestè, neque ex dictamine rectæ rationis: quia evidentiâ physica cognoscimus obligationem credendi: quod est habere evidentiam de credibilitate mysteriorum fidei: & quemadmodum evidẽtia physica determinat intellectum ad assentiendum, ita hæc moralis necessitatem affert voluntati, vt credat, nisi velit contra Deum peccare.

§. 17. Hæc Apostoli verba non sunt logica definitio fidei, quia dialecticæ definitiones non sunt metaphoricæ; sed propriæ: continent tamen absolutam definitionem fidei: vtrùm autem ea sit descriptio, vel quidditativa definitio, res est parvi momenti: videtur esse descriptio, quia eam esse initium iustificationis, & sustẽtatricem sperãtium, attributum est fidei potius quàm essentia. Potest verò sic componi definitio ex verbis Apostoli: *fides est certa persuasio bonorum, quæ sperantur, & assensus obscurus eorum, quæ non videntur, ortus ex argumentis concludentibus evidenter obligationem credendi*. Obiectiones ex mala grammatica Melanethonis, atque Kemnitij rectè refellit Cardinalis Bellarminus tomo tertio, libro primo de iustificatione, cap. 11.

DISPVT. L.

De subiecto fidei.

§. 1. ON agimus de personis, in quibus est fides: ea enim de re agetur in quæstione 5. sed agimus in qua parte fidelis insit fides, an in intellectu, aut in voluntate, aut in vtroque? Et quidem, qui distinguunt potentias & animam; opus est, vt fidem in intellectu constituant. Quia cùm anima in eorum sententia, non concurrat immediatè ad actus vitales, non est opus, vt principia operativa illi immediatè insint. Quod prætereà cõfirmatur ex communi consensu Theologorum, qui ex Concilijs collegerunt gratiam immediatè inesse animi substantiæ, fidem intellectui, voluntati autem spem, & charitatem. Complentur enim illæ potentiæ ad simpliciter operandum habitibus per se infusis: accidentia verò hærent illi principio, quod complent immediatè ad agendum.

§. 2. Opinantur alij potentias distingui realiter ab anima, hancque cum illis efficere imme-

S.Tho. q. 4. Art. 3. & q. 23. Art. 8. immediatè actus vitales: qui habent pro principio immediato non solùm accidentarias potentias; sed ipsam etiam animi substantiam. In quorum sententia difficile est subiectum infusorum habituū, an sint solæ potentiæ accidentariæ; an verò sola animi substantia: an autem vtrumque. Et quidem, qui constituunt actus vitales recipi in solā animam, vel in animam simul, & potētiam accidentariam, idem dicent de habitibus. Si verò constituant actus in solam substātiam esse receptos; factos autem à substantia simul & accidenti, cum vtrumque se tenet ex parte potentiæ, quæ elevatur per habitum: videntur consequenter dicturi habitus adæquatum subiectum esse animam & potētiam: quia vtraque elevatur: & quemadmodum habitus est elevatio duarum potentiarum partialium, ita pro subiecto petit vtramque.

§. 3. Quia verò semper abhorrui subiectorum multiplicitatem, dicendum videtur in eâ sententiâ habitum recipi in solam animi substantiam: quæ præcipuè movetur: cuius motum (vt ita dicam) sequitur potentia accidentaria. Item habitus naturalis in animā solùm recipitur, quia in ea sententia illi soli est libertas, & non potentiæ accidentariæ: quia anima recipiens intellectionem percipit rationem boni, ad illudq; movetur, trahitq; secū concursum voluntatis accidentariæ, sicut & habitum. Quod autem affertur ex Theologis, facilè explicatur: gratia enim est in animi substantia non ad operandum immediatè, sed vt constituat hominē amicū Dei: fides in intellectu: id est, in anima ipsa, vt cum illa intellectionem efficiat: anima enim, vt est principium intelligendi, est intellectus: quidquid autem illi datur vt intelligat, illi datur vt est intellectus: eâdem ratione spes & charitas sunt in voluntate, id est, in anima, vt est principium volitionis: sub quo conceptu est anima formaliter voluntas. Accidens autem satis est si insit potentiæ principali, quam complet, non verò accidentibus: nec enim habitus inest speciei impressæ, aut hæc illi.

§. 4. In sententia negante distinctionem realem potentiarum ab anima & inter se, quam defendi disputat. 4. de Anima, dico fidem esse in essentia animi non solùm materialiter; sed etiam formaliter in primo, & quidditativo animi conceptu: nam fides est formaliter in intellectu: quia est habitus assentiendi: sed intellectus est primus animæ conceptus, quia rationalitas, quæ est de eius essentia, est intellectus: est enim rationalitas principium ratiocinandi: hoc autem munus est ipsius intellectus. Differt verò à gratia, quod hæc non datur ad operandū immediatè: ac propterea explicatur subiectum gratiæ nomine substantiæ, quæ in eo conceptu non dicit formaliter principiū operādi: fides autē dicitur esse in intellectu, quia intellectus formaliter est operativus, eaque propter dicitur illi inesse fides, quæ est etiā formaliter principiū intellectionis.

Superest difficultas cum S. Bonaventura in 3. dist. 23. art. 1. quæst. 2. vbi constituit fidem esse in intellectu simul & voluntate: nec videtur locutus de duobus habitibus, quorum alter sit in voluntate, alter in intellectu; sed agit expressè de vno simplici, qui simul sit in intellectu, & voluntate: cùm enim eam sententiam posuisset, obijcit sibi fidem esse vnum simplicem habitum, qui non potest duas potentias afficere, respondet: non esse absurdum ponere eamdem virtutem in ratione, & libero arbitrio: respondetq; ex S. Augustino eas duas potentias in re non esse distinctas; sed esse idem inter se, & cum anima, ac propterea sine incommodo potest vna virtus esse in vtraque potentia. Fateor me libenter amplexurum hanc B. Bonaventuræ sententiam, & admissurum vnum simplicem habitum per se infusum esse principium volitionis & cognitionis, si plurium authoritate, aut efficacia rationum probaretur. Cùm autem charitas, spes, & lumen sint fide multò perfectiores, nec sint principium intelligendi & amandi simul, non est cur id fidei adscribatur. §. 5. S. Bonavē.

Quapropter fidem metaphysicè acceptam pro habitu per se infuso assentiendi constituo in intellectu solo: si autem fidem moraliter accipias, debes illam constituere simul in intellectu & voluntate: quia fides pendet in exercitio à consensu libero supernaturali voluntatis: qui consensus est actus piæ affectionis habentis pro obiecto formali assensus ipsos credendi. Quæ pia affectio constituit fidē in ratione virtutis pertinentis ad mores. Assensus enim intellectus, se solo nec est liber, neq; moralis; sed vt subest libero voluntatis imperio: ex actu autem liberè imperante & imperato cōstituitur moraliter vnus actus bonus, aut malus: vt ex voluntate efficaci erogandi stipem, & ex erogatione externâ conflatur moraliter vnus actus misericordiæ. Hinc patet fidē moraliter acceptam esse simul in intellectu & volūtate: sic enim fides includit habitum assentiendi, qui est in intellectu; & habitum volendi assētiri, qui est in volūtate. Quæ doctrina clarè traditur à S. Thoma q. 4. art. 2. §. 6.

Possunt etiam hinc diversæ sententiæ componi, quas censet S. Bonaventura adductus §. 5. à magnis clericis ortum traxisse: quidā enim constituerunt in fide materiale & formale: materiale posuerunt in intelle- §. 7. S. Thom.

intellectu, nempè assensum ipsum: formale verò in voluntate. Hi acceperunt fidem moraliter: genus autem moris est formaliter in actu imperante, qui est per se liber & moralis: actusque imperatus est materia, circa quam se exercet virtus imperans: ita fidei assensus est materia piæ affectionis. Alij verò constituerunt formale fidei in intellectu; materiale vero in voluntate, qui fidem acceperunt metaphysicè, pro habitu immediatè assentiente: inter hos est S. Thom. art. 1. si enim metaphysicè consideres conceptum formalem fidei, formaliter nihil includit præter assensum: quia verò pia affectio est principium remotum applicans habitum fidei ad credendū, ideò dicitur materiale fidei: id est, principiū remotū fidei: principia autem remota solent vocari materialia: vt obiectum remotum dicitur materiale, quia non ratione sui; sed alterius cognoscitur. Sic calor est principium formale calefaciendi, quia se ipso calefacit: ignis vero est principium materiale, quia non per se; sed per aliud calefacit.

S. Thom.

DISPVT. LI.

Vtrùm charitas sit forma fidei?

§. 1. *Richard.* RICHARDVS in 3. dist. 23. art. 6. quæst. 1. opinatur charitatem esse formam intrinsecam fidei, quemadmodum fides est intrinseca intellectui. In sententiam tàm singularem motus est argumentis parū robustis. Primùm, quia quando coalescit integrū principium ex altero imperfecto & altero perfecto, imperfectum informatur perfectiore. Secundùm, quia duo principia concurrentia ad vnam actionem, se perficiunt. Tertiùm, quia voluntas est in anima medio intellectu. Primùm tamen argumentum vtitur antecedente falsò: quia caussa prima, & secunda constant totalem caussam agentem: nec tamen secunda, quæ est imperfecta, informat primam, neque species impressa informat fidem: neque habitus naturalis speciem impressam. Secundùm argumentum eâdem ratione peccat: nec enim Deus perficitur actione: neque homo perficitur sole ad generandum hominem, quia tantùm requiritur concursus caussarum partialium: quarum intrinsecā vnio non est necessaria. Tertiùm autem non est verius: quia voluntas aut est anima, aut in illa immediatè.

§. 2. *Probatio. Conclus.* Verissima ergo est communis sententia Theologorum, charitatem non esse intrinsecam formam fidei. Probatur primò, quia habitus appetitivi non sunt in habitibus apprehēsivis; nam habitus solum est in eo subiecto, quod per illū operatur: sed habitus apprehensivus non operatur per appetitū verè & propriè: ergo habitus appetitivus non est in apprehensivo. Maior patet tùm quia effectus formalis habituum naturalium est inclinare potentiam vt amet, eamque reddere promptam, vt efficiat amorem: habitus autem supernaturalis complent partialitatem potentiæ vitalis, vt cum ipsis possit efficere: tùm etiam quia sicut amor actualis est perfectio voluntatis, ita promptitudo, aut potentia in actu primo ad amandum est ipsius voluntatis perfectio. Minor probatur: quia, quod propriè amat, non est aliquis habitus, aut species, neque intellectus accidentarius; sed aut voluntas accidentaria, aut anima. Immo habitus intellectus dicerentur potiori iure forma habituū voluntatis, quam è contra: quia id, quod amat, debet percipere obiectum, nam amor à cognitione pendet, & non ab amore cognitio. Dicitur autem fides per dilectionem operari, quia repræsentatione Dei excitat voluntatem ad amorem, vt etiam charitas dicitur omnia credere: quia imperio suo efficit, vt intellectus credat.

§. 3. *Confirm.* Confirmatur: cognitio non est appetitionis subiectum: ergo neque fides erit subiectum charitatis. Antecedens liquet: quia cognitio non amat per appetitionem. Consequentia patet: quia quam proportionem servant actus illarum facultatum, servant & habitus. Et quemadmodum actualis fides operatur per dilectionem actualem, & informatur sine vnione intrinseca: ita fides habitualis operabitur per charitatem habitualem, & informabitur absque vnione intrinseca. Neque ex charitate habituali derivatur aliquis modus intrinsecus habitui fidei; quia ille modus non derivatur ex habitibus vnius potentiæ in habitus aliarum. Etenim supernaturalitatem fides habet ex se: relatio in finem vltimum addit denominationem extrinsecam à charitate, qua totum subiectum est ita relatum: immò fides ipsa se ipsâ respicit finem vltimum supernaturalem, quamvis imperfectè, quia sola non constituit amicum Dei. Tandem non explicabitur necessitas eiusmodi, neque formalis effectus: neque ostendetur in fide aliqua indifferentia, quę modo illo tollatur: quod per se requiri ad cōceptum modi ostendi disp. 2. metaph. sect. 5.

§. 4. Est igitur charitas forma extrinseca fidei: non quod illi tribuat aliquam denomi-

S.Tho. q. 4. Art. 3. & q. 23. Art. 8. nationem extrinsecam, qualem tribuunt subiectis extrinsecis extrinsecæ formæ: sed quia multos effectus charitatis in fide, explicamus metaphoricè per informationem charitatis. Forma enim Græcè *endelechia*, est energia, seu ratio vividè agendi. Quando fides est absque charitate, otiatur: quia non impellit voluntatem ad opera supernaturalia, quibus anima Deo vivit: item sine charitate fides est invtilis ad condignum meritum vitæ æternæ: cum charitate autē fides est vtilis ad vitā æternam. Quos & alios effectus explicant Theologi per metaphorā ad formam, quæ est principium operandi, pulchritudoq; & ornamentum materiæ, quæ sine forma dicitur ab Aristotele fœda, & turpis: fides autem absque charitate *informis* dicitur à Theologis; hæretici verò voces Scripturarum & Sanctorum Patrum non audientes, phrasim hāc scholasticā deridēt.

§. 5. Missis in disputationem sequentē Scripturæ testimonijs, libet hanc dicendi rationem Scholasticorum confirmare Sanctorū *Clem. Alex.* PP. similibus dicendi formis. S. Clemens Alexādrinus lib. 1. Pædagog. cap. 6. *sanguis* (inquit) *fidei est spes, in qua continetur, sicut fides ab anima: cùm autem spes expiraverit, perinde ac si sanguis effluxerit, vitalis fidei facultas dissolvitur.* Quàm pulchra hæc fidei metaphora! fides enim absque spe, quia movere voluntatem non potest, ideo in desperante dicitur à Sancto Clemente ex sanguis, vt corpus absque forma animale. *S. Gregor.* Sanctus Gregorius homilia 27. in Evangelia, *vt enim* (inquit) *multi arboris rami ex vna radice prodeunt: sic multæ virtutes ex vna charitate generantur. Neque habet aliquid viriditatis ramus boni operis, si non manet in radice charitatis*: vt ergo rami à radice virescunt, sic opera bona à charitate.

§. 6. *S. Aug.* Sanctus Augustinus disputatione sequēti referendus, S. Bernardus, S. Hieronymus & alij perspicuè docent vitam fidei esse charitatem, sine qua fides est mortua; vita autem est quædam species formæ: ergo Scholastici meritò vocaverunt fidem informatam, & informem. Sanctus Augustinus tomo 10. ferm. 42. de tempore inquit, *& ideò quantum potest laboret, vt habeat charitatem, vt habeat lucem, vt habeat oleum. Charitas oleo comparatur. Lucerna, vel lampas sine oleo accensa fumare potest de iracundia: sine charitate penitùs non potest lucem habere.* Vide Sanctum Bernardum sermone 24. in Cantica, adducendum disputatione 52. §. 11.

§. 7. *Chrysost.* Sanctus Chrysostomus tomo quarto, homilia 32. in 1. ad Corinthios, *vides* (inquit) *vt charitatis expers, inanimis, sensuque carentibus rebus conferatur?* Et tomo quinto, in Psalmum 132. eam ait à Davide comparari rori, & vnguento: & tomo tertio, homilia 41. in Acta, charitatem comparat cytharæ, in qua omnium virtutum voces conspirant. Sanctus Paschasius lib. 11. in Matthæi caput 25. inquit, *quæ nimirùm charitas meritò per oleum significatur: quia sicut oleum omnibus supereminet liquoribus, ita & charitas vniversis virtutibus, sine qua, sicut Apostolus ait, quidquid habuerit homo, nihil ei prodest.* *S. Pasch.* Hæc ad tuendam phrasim Scholasticorum sufficiant, contra procacem hæreticorum ignorantiam. Expendamus nunc quo iure Patres & Scholastici id de charitate dixerint.

DISPVTAT. LII.

Utrùm sola fides ad iustificationem sufficiat?

SECTIO I.

Sententia negans.



§. 1. LVTHERANI & Calviniani censuerunt solam fidem sufficere ad salutem consequendam, moti nonnullis Scripturæ testimonijs: & imitati antiquos hæreticos, qui abusi testimonijs Sancti Paulli expungentes opera à nostra iustificatione, asseruerunt solam fidem sufficere ad iustitiam. Antiquiores hæretici egerunt de fide Catholica: contra quos scripserunt quatuor Apostoli, Petrus, Ioannes, Iacobus, & Iudas: vt graviter monet S. Augustinus tomo 4. lib. de fide & operibus, cap. 14. & 15. novantes autem hæretici non loquuntur de fide Catholica, quam ipsi vocant historicam; sed de fiducia certa, & expectatione firma, quæ est affectus voluntatis.

§. 2. *Trident.* Errorem præcedentium hæreticorum damnat Concilium Tridentinum sessione 6. caput 8. & Can. 9. errorem autem de fiducia & expectatione damnat, cap. 9. & Can. 12. & 13. & 14. ostendens perpetuum fuisse Ecclesiæ sensum nullum iustificari solâ fide absq; charitate & gratia: Concilium autem non tàm videtur aliquid de novo definivisse, quàm explicasse.

§. 3. *Iacob. 2. 17.* Primum testimonium sit ex epistola Sancti Iacobi Apostoli, cap. 2. cùm enim apertè monstrasset fidem absq; operibus, & charitate, inanem esse ad vitam æternā assequendam, concludit versu 17. *sic & fides, si non*

si non habeat opera, mortua est in semetipsa. Non habuerunt hæretici commodius responsum, quàm negare eam epistolam esse Catholicam. Fateor apud veteres aliquam fuisse dissensionem de authoritate huius epistolæ: vt constat ex Eusebio lib. 3. historiæ, cap. 25. & S. Hieronymo libro de viris illustribus, in Iacobo, Iuda, Petro & Ioanne: Erasmus in annotationibus in eas epistolas mordet hanc epistolam Iacobi: hoc autem ovum Erasmi, sicut & alia multa Lutherus exclusit: item Brentius, Kemnitius, & Centuriatores. Nec omninò excusandus est Caietanus, qui nonnihil addubitavit. Eius authoritatem qua solet admiranda eruditione tuetur Cardinalis Bellarminus tomo 1. lib. 1. de verbo Dei, cap. 18 ex Eusebio, S. Hieronymo, & Concilijs antiquis atque recentibus. Cuius doctrinam P. Gretserus acutè, & eruditè propugnat tomo 1. Apologiæ Bellarminianæ. *Bellarm.*

§. 4. *Aug.* Sufficiat nobis hoc testimonium Augustini tomo 4. libro de fide, & operibus cap. 15 *Quoniam verò* (inquit) *hæc opinio* (de sufficientia fidei sine operibus) *tunc fuerat exorta, aliæ Apostolicæ Petri, Ioannis, Iacobi, Iudæ contra eam maximè diriguntur intentionem, vt vehementer adstruant fidem sine operibus nihil prodesse, sicut etiam ipse Paulus, &c.* Pater Salmeron in eam epistolam idem probat eruditè. In Canonibus Apostolicis Can. 84. accensetur hæc epistola Canonicis libris. Vide Glossam ordinariam rem hanc eruditè probantem ex Cōcilijs Laodicensi & Milevitano: ex Patribus, Dionysio Areopagita, Anastasio martyre, Alexandro, & Vrbano Pontificibus: itē ex Cornelio, Innocentio, Leone & Gregorio Magno: ex Athanasio quoque, Cyrillo Alexandrino, Damaso, Nicephoro, Ambrosio & Augustino: vt pudeat hæreticos perfricata fronte ijs testibus adversari. Vide Concilium Tridentinum sess. 4.

§. 5. Ne autem cum illis pugnemus authoritate ab ipsis negata, adeamus epistolam ad *1. Ad Corint. 13. 2.* Corinthios 1. 13. 2. *Et si habuero prophetiam, & noverim mysteria omnia, & omnem scientiam, & si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam; charitatem autem non habuero, nihil sum.* Vndè constat nullum donum intellectus in via satis esse ad assequendam vitam æternam absque charitate. Considera fidem historicam, & inanem istam fiduciam hæreticorum in tam excellenti gradu, vt vel vtraque, vel alterutrâ montes transferantur: considera denique quodcumque excellens donum charitatē carens, nihil refert ad vitam æternam. Adverte à Theodoro Beza non transcribi omnem fidem; sed per fraudem dicit *totam fidem*: verum omnem fidem vertunt interpretes. S. autem Chrysostomus tomo 4. hom. 32. in eum locum ait, *universam fidem*: vt complectatur omnem credēdi rationem, sive sit assensus, sive affectus. *Chrysost.*

§. 6. Qui autem legerit Apostolicum hoc testimonium, clarè comperiet, mentem Apostoli esse ostendere necessitatem charitatis ad assequendam vitam: nec enim linguarum donum, neque prophetia, neque mysteriorum cognitio, nec scientia vlla, neque fides, neque misericordia, neque ardor ipse in flammis, quidquam prosunt absque charitatē: Sic locum hunc intellexit S. Chrysostomus tom. 5. hom. 1. de incomprehensibili Dei natura: vbi ad hunc locū alludens ait, Apostolum ostendisse charitatem esse summum bonum, caputque bonorum omnium: *sine qua charitate* (inquit) *non fides, non scientia, non sacramenti ratio, non ipsum martyrium, non quidquid dixeris aliud, servare hominem valeat.* Sanctus Hieronymus tomo 4. in cap. 5 8 Isaiæ: *Vndè etiam Apostolus, si etiam corpus suum tradat martyrio, absque Dei charitate, quæ est in cordis conscientia, frustrà se dicit sanguinem fundere.* S. Paschasius lib. 12. in Matthæū, caput 25. ait de charitate *sine qua, sicut Apostolus ait, quidquid habuerit homo, nihil ei prodest.* Estque sententia & expositio Patribus communior, quàm vellent hæretici. *Chrysost.* *Hieron.* *Paschas.*

§. 7. *Ad Galat. 5. 6.* Aliud testimonium Apostoli est ex epistola ad Galatas, capite quinto, numero sexto. *In Christo Iesu neque circumcisio aliquid valet, neq; præputium: sed fides quæ per charitatem operatur.* Ac si dicat neque Gentiles, neque Iudæi habent aliquid dignum vitâ æterna: ad quam sola fides operans per charitatem est vtilis. Itaque vt neque præputium, nec circumcisio sunt vtiles gloriæ, ita nec fides vlla, nisi operans per dilectionem. Alioquin si sola fiducia, aut quævis fides non operans per dilectionem, esset vtilis ad vitam, ineptè Apostolus, expunctis, quæ nihil conferunt, constituisset valere fidem operantem per dilectionem. Præterquam quòd hoc testimonium satis est clarum, constat hæc expositio ex S. Augustino tom. 3. in Enchiridio ad Laurentium, cap. 67. his verbis: *demonstravi eam fidem salvos facere, quam satis evidenter expressit Paulus Apostolus dicens. In Christo Iesu, &c.* Et capite 68. *sed hæc Apostolica manifestissima, & apertissima testimonia esse falsa non possunt.* Retulerat autem testimoniū hoc ad Galatas, & ex secunda epist. ad Corinth. 6. 9. & ex epistola S. Iacobi, cap. 2. Recognosce P. Iustinianum, Cornelium, & Salmeron in explanatione eorūtestimoniorū *Aug.*

S.Thom. q.4.ar.3. & q. 23. art.8. Glossam Ordinariam & alios: ac Cardinalem Bellarminum tomo 3. lib. 1. de iustificatione à cap. 10. cap. autem 13. vbi ex Sãctis Patribus id probat abundè.

§. 8. Matt. 19. 17. Non possum præterire Christi servatoris testimonium ex cap. 19. Matth. 17. *Si vis ad vitam ingredi serva mandata.* Vbi Christus minutatim recenset mandata servanda, nempè, non faciendum homicidium, nõ adulterandũ, nõ dicẽdũ falsum testimoniũ, honorandos Patres, & proximũ diligendũ: at hæc mandata distincta sunt à præcepto credendi, & sperandi firmâ etiam fiducia. P. Maldonatus in eum locum refert celebrem impudentiam Calvini, qui dixit Christum non ostendisse vtilitatem ad vitam æternã esse vllam in observatione mandatorum legalium, quæ potiùs divertunt à vita: verùm interrogatus Christus ab adolescente, quæ essent illa mandata? non respondit Christus esse aliquod legale, sed omnia naturalia: exẽpli gratia, diligendum proximũ, non dicendum testimonium falsum, non furãdũ, nec adulterandum: qua autẽ ratione probaret Calvinus eorum vtilitatem præceptorum, homo prædator eleemosynarũ pauperum, adulter, & crudelis, &, quod caput est, Sodomiticus? vt in eius vita refert Bolsecus: nõnulla eius flagitia indicavi ego disp. 21. à §. 354. Neque verò opus est nisi oculis ad legendum hoc testimonium: adolescẽs enim ille cupidus vitæ æternę, & perfectionis adipiscendæ, discere voluit à Christo, qua ratione assequeretur vtramque? Perfectionẽ docuit Christus obtinendã bonorũ omnium abdicatione; vitam autẽ servatis mandatis: cùmque adolescens discederet tristis audita abdicatione bonorũ; Christus seriò ad discipulos conversus ostendit, quanta difficultate divites cœlum petant: vnde orta est admiratio, & interrogatio discipulorum. Hæc quî cohærent impudentiæ Calvini? Passim reperies in Evangelio necessitatẽ servandę legis ad vitam æternã: vt apud Matth. cap. 25. 34. & 35. *Venite benedicti Patris mei, &c.* Item versu 41. *Discedite à me maledicti in ignem æternum: esurivi enim, & non dedistis mihi manducare, &c.* Quos ibi non damnat, quòd non crediderint; sed quòd omiserint alia præcepta.

P. Maldo.

Matt. 25. 35. & 41.

SECTIO II.

Testimonia Patrum.

§. 9. S. August. TAM constãs est ab Apostolis hæc sententia, vt nisi hæreticis nunquã placuerit opposita. Sanctus Augustinus adductus §. 4. & tom. 4. lib. de fide & operibus hæc ait: *Quousque igitur falluntur, qui fide mortua sibi vitam perpetuam pollicentur? Item excutiendum est à cordibus religiosis, ne mala securitate salutem suam perdant, si ad eam obtinendam sufficere solam fidem putaverint: benè autem vivere, & bonis operibus viam Dei tenere neglexerint.* Tomo 3. de fide, & symbolo cap. 1. *Salvi fieri non possumus, nisi nos etiam ore profiteamur fidem, quam corde gestamus.* Item in Enchiridio ad Laurentium cap. 67. *Si autem malè, & non benè operatur, procul dubiò secundum Apostolum Iacobũ mortua est in semetipsa.*

Sanctus Gregorius adductus disput. 51. §. quinto, idem expressit: item lib. vigesimo secundo in Iob capite decimo: *Omnipotentis Dei nos esse discipulos sola custodia charitatis probat.* & lib. 28. cap. 19. *Perfectionis enim vinculum charitatis dicitur: quia omne bonum, quod agitur, nimirùm per illam, ne pereat, ligatur.* Et Epistola 62. Dominico Episcopo, lib. 6. Epistolarum, hæc ait de charitate: *quam, etsi vtcumque laudamus ore, simul necesse est, vt fateamur manu: ne si laudator eius tantùm est quisquam, & non factor, sententiam sibi magis exacuat: quia in conspectu iudicis hoc favoribus exaggerat, quod omisit.* Homilia 29. in Evangelia: *fortassè vnusquisque apud semetipsum dicat: ego iam credidi, salvus ero: verum dicit, si fidem operibus tenet: vera enim fides est, qua in hoc, quod verbis dicit, moribus non contradicit. Tunc enim veraciter fideles sumus, si quod verbis promittimus, operibus complemus.* §. 10. S.Gregor.

Beatus Cyrillus Alexandrinus lib. 10. in Evãgelium Ioannis cap. 16. *Manifestiùs iam ex hoc loco discimus syncera fide palmites insertos viti fideles fieri: sed non est minoris curæ, iugiter per charitatem, id est, mandati servationem, Christo inhærere. Non igitur sufficit ad perfectionem, id est, sanctificationem, quæ per Christum in spiritu est, in numero palmitum recipi, sed oportet ardenti charitate Christum sequi.* Item in expositione symboli Nycæni initio, explicans locum Ioannis decimoseptimo: *Hæc est vita æterna,* hæc ait. *Recta sanè, & irreprehensibilis fides, quam fulgor ex bonis operibus comitatur, omni bono vos implet, & decoram nactos gloriam ostendit: nam sicut fides sine operibus mortua est, ita si vertas, & dicas, opera absque fide mortua, verum esse fatemur.* Item in Ioannem lib. nono capite nono. *Nã si quis vnum esse Deum natura cognoverit; & tàm corde, quàm lingua id confitetur: quamvis id rectè faciet, morietur tamen, nisi operum fulgor cognitioni adveniat. Quomodò igitur non insani penitus est, si quod bonum sit noverit, & vivere benè contempseris? Hac de caussa fore beatos discipulos dicit: id est, credentes in eum, si non modò intellexerint, quæ docuit,* §. 11. Cyri. Ale.

verum

verum etiam syncerè integrèque peregerint.

§. 12. Bernard. Sanctus Bernardus serm. 2. de Resurrectione: at postquam fides nostra mortua est, quodammodo Christus mortuus est. Porrò fidei vitam opera attestantur. Nec discrepare videtur ab hac sententia; qui fidem sine operibus mortuam asserit in semetipsa. Et inferius: cui igitur Christus in sepulchro; fides mortua est in animo, serm. 24. in Cantica: noli esse rectus oblator, & pravus divisor. Quid dividis actum à fide? iniquè dividis, fidem perimens tuam: nam fides sine operibus mortua est, munus mortuum offers Deo? si enim quadam anima fidei ipsa devotio est, quid fides, quæ non operatur ex dilectione; nisi cadaver exanime? benè honoras Deum munere fœtido? Benè placas tuæ fidei interfector? Quomodo hostia pacifica, vbi tàm sæva discordia est. Et infrà mors fidei est separatio charitatis: credis in Christum? fac Christi opera, ut vivat fides tua: fidem tuam dilectio animet, probet actio, non incurvet terrenum opus, quem fides cœlestium erigit. Et infrà, confiteris te nosse Deum, factis autem negas? non rectè plane; sed impiè linguam Christo, animam dedisti diabolo. Recognosce sermonem primum in die Sancto Paschæ, vbi vividam, & victoriosam fidem nuncupat, quæ per dilectionem operatur.

§. 13. Hieron. Sanctus Hieronymus adductus §. 6. item tomo 8. in epist. 2. ad Timotheum, cap. 2. fine: salvavitur autem si permanserit in fide, & dilectione, & sanctificatione cum sobrietate. Item ibidem: notandum quod sola fides ad salutem ei, qui post Baptismum supervixerit non sufficiet, nisi sanctitatē mētis, & corporis habeat, quæ sine sobrietate difficile custoditur. Quod si objiciant hæretici hæc duo testimonia non esse Hieronymi; sed Pelagij, aut alicuius hæretici, vt cum multis sentit Bellarminus. Respondeo errorem, quem impugno esse tàm putidum, vt eius puduerit antiquos etiam hæreticos. Legant Pelagium eumdem, quem fortè pluris facient Hieronymo, eodem tomo 8. in epist. ad Galatas, cap. 3. in id maledictus omnis, &c. Quæritur sanè hoc loco, si fides sola sufficiat Christiano, & utrùm non sit maledictus, qui Evangelica præcepta contemnit? sine operibus fidei; non legis, mortua est fides. Qui enim non credit mandatis, & eos, qui Evangelij præcepta contemnunt, maledictos esse & salvator docuit. Et in id lex autem non est ex fide, inquit: non iustificat sola fides.

§. 14. Ne autem eis displiceat hæc sententia, præter testimonium Hieronymi adductum §. 6. legant eumdem Hieronymum tomo 6. in epist. ad Galatas in id: qui ergo tribuit, vbi expressè docet non sufficere ad salutē fidē simplicē sine operibus. Et initio eius capitis explicans id iustus ex fide vivit; hæc ait: considerandum itaque, quia non dixerit homo, aut vir ex fide vivet, ne occasionem tribueret ad virtutum opera contemnenda: vt quicumque fidelis esset, & per fidem victurus, &c. & Paullo inferius potest (inquit) præsens testimonium & sic legi, quia iustus ex fide, vt deinceps inferatur vivit, tomo 4. in Isaiam, cap. 26. sub initium: & ponetur in ea murus, & antemurale: murus bonorum operum, & antemurale rectæ fidei, vt duplici septa sit munimento: non enim sufficit murum habere fidei, nisi ipsa fides operibus confirmetur.

Sanctus Chrysostomus adductus, disput. 51. §. 7. & hac disputat. §. 6. item tomo 1. homilia de Anna & Samuelis educatione. Tomo autem 4. homil. 11. ad Romanos in morali: nullum Christiano ei lucrum accedet, qui fidem habuerit, summique ad credendum Deo animum induxerit; tum donum acceperit, quod Baptismum ipsum consequitur, affectibus autem obiectus, obnoxiusque interim fuerit. Sic enim maior illi contumelia, malus deductus inuretur. Item homilia 7. in epist. ad Hebræos: magna quidem res est fides, & salutaris, & sine hac non licet umquam salvari quemquam; opus est & conversatione recta. Et homilia 2. in epistola ad Philemonem: fides efficax est si habeat opera: nam sine operibus fides mortua est. Denique S. Paschasius lib. 11. in Matthæum c. 25. in id, quæ accipientes lampades: ita & charitas (inquit) universis supereminet virtutibus, sine qua sicut Apostolus ait, quidquid habuerit homo; nihil ei proderit. Recognosce Oecumenium, & alios apud P. Iustinianum Galatas 5. 6. S. Ambrosium apud P. Salmeron in epist. S. Iacobi, cap. 2. veteres, novosque interpretes: quibus nihil est communius, quàm necessitas charitatis ad assequendam vitam. Hæretici autem sola fide, quâ etiam carent, contenti, existimant se manibus complicatis beatum iri: nec volunt cum Cyreneo angariari, vt crucem tollant post Iesum: ipso Iesu publicè contestante nullum esse ipso dignum, quin perferat crucem suam, eiusdem vestigia premens.

§. 15. Chrysost.

Paschas.

Iustin. Salmer.

§. 61. Hc animadvertendum adductis Scripturæ testimonijs, & Patrum, non solùm probari inefficacem esse fidem omnem spectantem ad intellectum; sed etiam omnem fiduciam, absque charitate: cum enim dicunt præter fidem necessariam esse charitatem, non recurrunt ad fiduciam; sed sine charitate & operibus cætera compellant inania, inanima, & mortua.

S. Tho. q. 4. Art. 3. & q. 23. Art. 8.

SECTIO III.

Idem ratione probatur.

§. 17. CARDINALIS Bellarminus; tomo 3. libro 1. de iustificatione, c. 14. mirè ratione probat solam fidem non sufficere ad iustitiam: Contra hereticorum errorem huic sic argumentor: sola fides sine charitate per te est ratio formalis sanctificandi, sive tota sanctitas, quæ ex parte nostra requiritur; sed homini habenti totam sanctitatis essentiam, prosunt omnia bona opera ex gratia per Christum ad vitam æternam: ergo homini habenti fidem solam absque charitate omnia eiusmodi opera prosunt ad vitam æternam. Maior propositio datur ab adversarijs. Quod si non datur: ergo sola fides absque charitate non est tota ratio sanctificandi; neque est vtilis ad vitam æternam, quâ non donantur, nisi sancti: hoc autem contendimus cum Concilio Tridentino, & Ecclesia tota. Minor patet: quia opus bonum ex gratia per Christum, & ortum ab homine iusto vtile est ad vitam æternam. Dubitari non potest hominem sic iustum esse aliquid, & non posse dici nihil: & homini iusto rectè operanti ex gratia per Christum aliquid prodesse operationem ipsam: eumq; linguis vtentem non esse æs sonans, aut cymbalum tinniens. Consequentia propositi syllogismi est certissima: nempè fidem sine charitate vtilem esse ad vitam æternam: & hominem habentem fidem sine charitate, esse aliquid: eique distributionem bonorum cœlo prodesse. Hæc autem sunt absurda contra Sanctum Paullum 1. ad Corinth. cap. 13. *si linguis hominum loquar, & Angelorum; charitatem autem non habeam factus: sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens.* Et infrà: *charitatem autem non habuero; nihil sum: & nihil mihi prodest.* 1. ad Corinth. 13.

§. 18. 2. Arg. Similem argumentationem efficiam, qua concludam absurda sexcenta contra totidem Scripturæ testimonia. Etenim ponamus hominem fidelem; adulterum tamen, servientem idolis; masculorum concubitorem, furem, &c. hic rectè credat omnia, quæ spectant ad fidem: item sibi persuadeat remissa sibi esse peccata, in quibus adhuc perseverat: hic totam habet iustitiam sanctificantem; si autem moriatur hic, vitam assequetur æternam. *Iustus* enim, *si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit.* Sapientiæ 4. 7. item negat nullus, homini decedenti in gratia donari vitam æternam. Hoc autem est absurdum contra Apostolum 1. ad Corinthios 6. 9. *Nolite errare: neque fornicarij, neque idolis servientes, &c. Regnum Dei possidebunt.* Quo argumento vtitur Sanctus Augustinus tomo tertio in Enchiridio ad Laurentium, cap. 67. relato enim hoc Apostoli testimonio, concludit: *si enim essent in istis perseverantes criminibus, tamen propter fidem Christi salvi erunt; quomodo in Regno Dei non erunt?* capite verò 68. concludens hoc esse absurdum, ait; *sed hac Apostolica manifestissima, & apertissima testimonia esse falsa non possunt*: ac si dicat, aut Apostolica testimonia falsa sunt; quod impium est cogitare, aut decipiuntur, qui arbitrantur solam fidem ad vitam valere. Idem argumentum conficitur contra formam extremi iudicij descriptam à Christo apud Matthæum 25. 41. *Discedite maledicti in ignem æternum, &c.* vbi immisericordes damnantur: quod falsum esset, si immisericordes sibi persuaderent, & remissa sibi esse peccata, & crederent omnia mysteria. Immò, vt rectè argumentatur Bellarminus, homo habens eam fidem, esset iustus simul, & onustus vitijs omnibus. Sap. 4. 7. 1. Ad Corinth. 6. 9. Aug. Matth. 25. 41.

§. 19. 3. Arg. Tertiò argumentor: non potest esse fides neque fiducia sine assensu de necessitate charitatis & operum ad vitam: ergo neque fides, neque fiducia possunt iustificare hominem dissentientem illi necessitati. Nam vbi non sunt fides neque fiducia, non possunt sanctificare. Probo antecedens: quia fides Catholica assentiens mysterijs, & historijs sacris sufficienter propositis, non potest esse de potentia ordinaria cum dissensu alicuius veritatis à Deo revelatæ, & propositæ sufficienter: quia ei veritati dissentiens, hæreticus est: hereticus verò, dùm hæreticus est, non habet fidem Catholicam. Sed qui dissentitur necessitati charitatis, & servationis legis, dissentitur propositioni revelatæ à Deo, & sufficienter propositæ: ergo non potest habere fidem Catholicam.

§. 20. Probo minorem, quia non solùm in epistola Sancti Iacobi, cui ipsi negant authoritatem; sed etiam in alijs sacris libris, quibus deferunt ipsi authoritatem Canonicam, expressè dicitur, hominem absque charitate nihil esse, esse cymbalum tinniẽs: & nihil ei eleemosynas prodesse, teste Paullo 1. ad Corinth. 13. item ibidem, cap. 6. 9. excludit à Regno criminosos. Christus item Matth. 25. 41. ait in gehennam missum iri immisericordes: ergo necessitas charitatis, & misericordiæ, & cæterarũ observatio legũ, sufficiẽter est proposita, et revelata à Deo: & qui illi dissẽtitur, est hæreticus, caret fide Catholica; qua ita carens

rens iustificari non potest: fiduciã autẽ ibi non esse patet: quia qui catholicè credit omnia mysteria fidei, non potest sibi persuadere se salvatum iri, nec esse iustũ absque charitate, & observatione totius legis. Quòd si hæreticus est, dissentiens charitatis necessitati, non potest habere fiduciam vtilem: quia sine fide impossibile est placere Deo, & supernaturalem fiduciam habere.

§. 21. *4. Arg.* Argumentor quartò: ponamus hominem blasphemum, credentem catholicè omnia mysteria, & sibi ista hæreticorum fiduciã persuadentem, omnia peccata sibi esse dimissa: & se ita blasphemum sine vlla pœnitentia; sed potius perseverantem in sua blasphemia, beandum fore. Hic irrationabiliter, & contra leges, quas Deus tulit, vitam prosequeretur æternã. Quia Deus non potest sibi complacere in eo homine: aut enim circa illum nullum exercebit actũ (quod nunc non disputo), aut exercebit odium: *Deo enim odio sunt impius & impietas eius*, Sapient. 14. 9. *Sap. 14. 9.* At voluntas eum hominem beandi est maxima benevolentia, & non odium: ergo Deus eum impium non beabit. Neque Christus se obtulit, vt illi homini impœnitenti donaretur vita: quis enim poscat à Rege vt summo afficiat honore eum, à quo probris, & cõtumelijs afficitur? Hæc quis nisi insanus cogitare potest?

§. 22. *Apoc. 21. 27.* Contra leges autẽ Dei est manifestè, vt constat ex Apocalypsi 21. 27. *Non intrabit in eam aliquid coinquinatum, aut abominationem faciens*. Item Deus præcipit legem observari, quam peccatores liberè violant; alioquin non essent peccatores: quid igitur interest eam legem à nobis cognosci, nisi observetur? Nonne extremæ dementiæ est legem cognoscere, & eam violare? Vt dixit Cyrillus adductus §. 2. Eiusmodi autem violatori fides in dedecus erit, non in honorem: scienti enim voluntatem Domini, & non facienti peccatum est illi. Quod eleganter dixit Sanctus Chrysostomus tomo 4. in epistolam ad Hebræos homil. 2. in moral. *Chrysost.* *Sic* (inquit) *maior illi contumelia, maius dedecus inuretur.* Et infrà, *ita & infideles corruptè, ac perditè viuens, non solùm non veneratione dignus; sed vel magis ludibrio habendus.*

SECTIO IIII.

Responsa hæreticorum.

§. 23. *Evasio.* HIS argumentis respondebũt hæretici apertè concludi esse eorum sententiam contra rationem, & scripturas absurdam: se tamen illi inhærere, quia legem Dei observare nolunt, neque appetitum illius observatione frænare: ne tamen omninò exibilentur à populo, se errorem suum Scripturæ, & Patrum testimonijs prætexere. Respondebunt igitur primum argumẽto proposito §. 21. peccatum posse considerari, dum existit physicè, item postquam iam physicè præterijt: in hac secundã consideratione potest remitti fide illa privata, qua sibi certissimè persuadet homo remissa sibi esse peccata: in prima autem consideratione non posse esse talem fiduciam, neque fidem certam.

§. 24. *Refell.* Contrà non possunt hæc cum ipsorum principijs componi: quia ipsi fatentur ingenuè peccata non tolli, sed tegi; radi, non eradicari: idque & per non imputationem peccatorum ad pœnam æternam, & per imputationem iustitiæ Christi: hanc enim forensem à peccatis absolutionem exigunt ad iustificationem; non verò renovationem interiorem per gratiam inhærentem. Sed huic non imputationi peccati, & imputationi iustitiæ Christi non est maiori impedimẽto peccatum physicè perseverans, quàm nõ perseverans physicè: est ergo eadem vtriusque ratio. Probo minorem: quia per peccatum physicè non perseverans tàm manet homo verè, & absolutè peccator, & inimicus Dei, quàm si peccatum nõ præterijsset: quia peccatum præteritum physicè, manet moraliter: ergo sicut illa macula moralis adhuc perseverans in anima, potest nõ imputari ad pœnam æternam, & potest homini sic peccatori imputari iustitia Christi: per quam non imputationem macula illa tegitur, & dissimulatur, non tamen abolетur: eadem ratione potest non imputari peccatum perseverans physicè.

§. 25. Nõ esset tàm inane hoc hæreticorũ responsum, si peccatum non maneret in ratione peccati, postquam physicè præterit: si enim iam præteritum physicè, remitteretur, & sic iam præteritum, non haberet vim ad hominem coinquinandum de cætero, neque constituendum peccatorem: iam constituerent discrimen aliquod: tunc autem nec esset necessaria fiducia illa: quia peccatum in sui remissione ab illa non penderet: quia eo ipso, quod cessaret à peccato actuali, est iã remis-

S.Tho. q. 4. Art. 3. & q. 23. Art. 8.

remissum. Neque item esset sola abrasio peccati; sed eradicatio: quia tunc nullus esset verè peccator. Concludendum igitur eamdem esse rationem de peccato physicè perseverante, ac de præterito physicè. Neque gratia Christi inefficacior est ad remittenda peccata præterita, quàm præsentia.

§. 26. Confirm.

Cõfirmãtur hæc explicatione peccati habitualis. Ponamus hominẽ homicidam, qui homicidio peracto somnũ capiat nulla exercita fiduciâ de remissione peccati, neque acta pœnitentiâ. Hic etiam dùm dormit est homicida, neque si, antequam evigilet, moriatur, possidebit Regnum Dei: quod arbitror & ab hæreticis affirmari. De hoc enim homicida loquutus est Paullus adductus §. 21. cùm enim dixit homicidas non esse possessuros Regnum Dei, non egit de homicidis, qui iam vita functi adhùc perseverant in actu homicidij; sed de illis, qui quamvis physicè deponant actum homicidij, neque fiduciam exercuerunt: ergo tàm sunt obnoxij peccatorum supplicio, quàm dùm homicidium perpetrarunt.

§. 27.

Hinc deduco eiusmodi homines non posse solâ fide, aut fiduciâ Regnum Dei possidere: quia illi possunt componere fidem, atque fiduciam cum toto crimine homicidij. Item deduco posse etiam remitti peccatum dum physicè perseverat: tùm quia cum illo potest peccator componere fidem, atque fiduciam non minùs; quàm cum habituali: quia neque assensus fidei, neque fiducia, aut confidentia habent effectum formalem oppositum homicidio actuali: tùm etiam quia tanta omninò malitia est in peccato habituali, quanta fuit in actuali: ergo sicut sine vllo dolore, aut actu alterius virtutis distinctæ à fiducia, & fide, potuit imputari iustitia Christi ad remissionem peccati habitualis, poterit & ad actualem. Si autem aliquis dolor esset necessarius, non posset componi remissio peccati actualis cum physicâ existentiâ eiusdem peccati: at ipsi omnem dolorem excludunt, & pœnitentiam: contritionem enim dicunt esse impossibilem: attritionem verò dicunt esse hyprocrisim, vt constat ex Tridentino sess. 14. cap. 4. In quo adversantur etiam alteri testimonio Christi asserentis omnes perituros, nisi pœnitentiam egerint Lucæ 13. versu 3. & 5. Concludamus ergo ab hæreticis nihil exigi ad remissionem peccati habitualis, quod non quadret in remissionem peccati actualis: & efficietur, vt adulteri & homicidæ Regnum Dei possideant, vt probavi §. 21.

Luc. 13. 3

§. 28.

Secundò respondebunt fidem esse totam rationem formalem iustificandi, requiri verò opera, vt signa certa ipsius fidei: itaque non potest aliquis salvus esse, nisi cum fide componat cæteras virtutes. Cardinalis Bellarminus tom. 3. lib. 1. de iustificatione, cap. 14. refert hanc doctrinam verbis Lutheri, atque Calvini: quam etiam proponit P. Vazquez in 1. 2. disp. 210. cap. 1. Contra quos iam habemus solam fidem, vel non esse totam rationem formalem sanctificandi, vel totam sanctitatem non esse sufficientem ad salutem. Quod iam probo.

Bellarm.

§. 29.

Ponamus aliquem habere integram fidẽ, atque fiduciam, & apprehensionem iustitię Christi, quam sibi applicatam esse sit certus: ponamus hunc carere operibus, & exercitatione aliarum virtutum. Tunc iste aut esset iustus; aut non esset iustus. Si hoc secundum: ergo tota ratio formalis sanctificandi non consistit in sola fide, fiducia, & apprehensione iustitiæ Christi. Probo cõsequentiam, quia impossibile est, vt tota iustitia sit in homine, quin ille sit iustus: quemadmodum non potest albedo esse vnita parieti, quin hic sit albus: ratio à priori, quia effectus formalis nihil est, nisi subiectum forma & vnio. Si autem dicatur primum: ergo opera & virtutes cæteræ non sunt necessariæ ad totam rationem iustitiæ. Probo consequentiam, quia ex hac hypotesi non essent opera, & esset tota ratio iustitiæ.

§. 30. Obiectio.

Obijcient: hanc hypothesim esse impossibilem: quia non potest esse fides sanctificans sine alijs virtutibus. Quemadmodum dicunt Scholastici non posse esse gratiam sanctificantem cum peccato mortali, & sine legis Christi observatione: quia peccatum & gratia sanctificans opponuntur: at verò tota ratio formalis sanctificandi est sola gratia: ergo eâdem ratione fides poterit esse tota ratio formalis sanctificandi, & pendere ab operibus: quia si hæc omittantur, cõmittitur peccatũ, quo destruitur sanctitas, quæ est fides. Contrà: ergo iã servatio legis plurimum iuvat, estque necessaria simpliciter ad iustitiam: quod est contra Calvinum adductum §. 8. & contra sectarios, qui solâ fide & fiduciâ contenti spernantur legis opera cõtemnentes consilia, & præcepta Christi. Videbimus autem sect. 6. quam multis testimonijs suum confirment errorem de inutilitate operum Christianæ legis. Cùm verò premuntur authoritate Scripturarum exigentium opera, non audent illa contemnere: ebriorumque in morem nec capite, nec pedibus consistunt. Deinde ostendam disp. 53. fidem consistere posse de lege ordinaria, cum quovis peccato mortali distinctò ab infidelitate. Interim hac in parte videantur Kemicij blasphemiæ arbitrantis omnia opera Apostoli fuisse stercora, & detrimentum; cumque contentum fuisse solâ fide: apud

apud Cardin. Bellarminum tomo 3. lib. 1. de iustificatione, cap. 19. versu *at contrà obijcit Kemnisius*.

§. 31. Præterea, ad eos vrgendos authoritate Paulli, præmitto, Apostolum primæ ad Corinth. 13. agentem de necessitate charitatis, locutum fuisse de actibus ipsius, qui necessarij sunt ad primam iustificationem extra Sacramentum: vt sic expendat, quantum singulæ virtutes valeant ad salutem. Item voluisse Apostolum, hominem esse in charitate, vt eius opera sint digna augmenti gratiæ & gloriæ: quia dùm ita in charitate est, iustus est. Itaque exigit Apostolus charitatem ad condignitatem vitæ æternæ. Postquā autem aliquis iustificatus est, manet in charitate: quæ est habitus per se infusus, in sētētia iā tā recepta, vt negari nō possit: vel illa charitas habitualis est moralis perseverantia charitatis actualis; vel est aliqua moralitas intrinseca iusto. Quid enim hæc charitas habitualis sit, nō definit Apostolus: definit autem charitatem esse omninò necessariam. Volo nunc ostendere argumento Apostoli eodem, cap. 13. fidem non esse totam rationem formalem iustitiæ; quamvis inseparabilis esset à charitate, & operibus Christianæ legis. Quod argumentum est per locum intrinsecum, ad expendendos proprios effectus cuiusque virtutis: ipse autem Lutherus adductus §. 28. dicit non esse considerandum, cum quibus sit fides; sed quid ipsa præstet: quemadmodum, si multa semina sint in manu, non est considerandum, cum quo sit hoc semen; sed quid ipsum valeat.

§. 32. Sic igitur argumentor: si homo, qui peccavit graviter, habeat omnem fidem, & cæteras virtutes à charitate distinctas, & careat charitate, qua diligitur Deus propter ipsum, eiusmodi homo non efficitur iustus; sed cymbalum tinniens, & est nihil, & opera nihil ei prosunt: ergo fides & cæteræ virtutes, vna exclusa charitate, non sunt tota ratio formalis iustitiæ. Antecedens est ipsius Paulli argumentantis ex ea hypothesi possibili, vel impossibili. Consequentiam probo: quia si fides sola aut cum cæteris virtutibus esset tota ratio formalis iustificandi, impossibile esset, vt data illa hypothesi Apostolica, homo non esset iustus. Ergo per locum intrinsecum, & proprium conceptum fidei, deducitur hanc non esse totam rationem iustificandi. Consequentia patet: quia per locum intrinsecum, vbi retinetur tota iustitia, retinetur etiam per eūdem locum totus conceptus hominis iusti: & homo sic apprehensus cum tota iustitia, apprehenditur per locum intrinsecum iustus; si autem homo vt sic apprehensus poneretur à parte rei; esset quidem iustus à parte rei, vt est in apprehensione: quemadmodum poneretur homo à parte rei sine vllo accidenti reali, posito animali rationali à parte rei sine vllo accidente reali, sicut ponitur in apprehensione præscindente animal rationale ab omni accidente. Antecedens probo: quia ex hypothesi possibili aut impossibili, quòd existat tota essentia alicuius formæ vnita subiecto, implicat, vt talis forma non tribuat subiecto suum effectum formalem, quia effectus formalis, vt se tenet ex parte formæ, vel nihil est, vel nihil requirit præter formam & vnionem; sed tunc poneretur tota essentia, & vnio iustificationis in subiecto ex se apto ad illam: ergo impossibile est, vt non esset iustus.

Iam hic confugere non possunt hæretici ad accusandum inanitatis hanc argumentationem: quia eâdem vtitur Apostolus, vt ostendat, quid se solâ valeat fides, cæteræq; virtutes. Respondeamus autem scholasticè pro illis: si gratia sanctificans esset per impossibile cum peccato mortali, non redderet hominem iustum, & tamen est tota ratio sanctificandi: ergo eâdem ratione fides, quamvis esset tota ratio formalis sanctificandi, non redderet hominem iustum sine charitate. Respondeo, inter Scholasticos esse duas opiniones de incompossibilitate gratiæ & peccati mortalis: ego censui in disputatione de iustificatione non repugnare divinitùs ea duo extrema componi: tunc autem dicendum iustificationem formaliter componi ex qualitate gratiæ, & carentia peccati mortalis; ita vt in conceptu hominis iusti includantur formaliter gratia, & carētia peccati. Sic verò quid mirum hominem non esse gratum; cùm non habeat totam rationem formalem grati? Hinc argumentor: carentia peccati mortalis est pars formalis iustitiæ, & sanctitatis; & ex defectu eius carentiæ non potest sola qualitas gratiæ reddere hominem iustum: ergo eâdem ratione charitas est formalis pars sanctitatis; & quia fides non habet charitatem, ideò non iustificat. §. 33.

Opinio secunda est, non posse divinitùs componi gratiam cum peccato mortali: in qua sententia tota ratio sanctitatis est qualitas gratiæ; carentia verò peccati mortalis est attributum gratiæ, ita nexum ipsi gratiæ, vt non possint divelli. In hac sententia sequitur per locum intrinsecum hominem esse iustum, & peccatorem simul, si ponantur simul peccatum & gratia: quia cùm homo habeat simul totam essentiam iusti, & peccatoris; esset simul peccator, & iustus: quia verò prædicata non possunt eidem homini simul convenire, ideò non possunt §. 34.

S. Tho. q. 4 Art. 3. & q. 23. Art. 8. possint simul componi peccatum & gratia.

§. 35. Hinc argumentor primum: si tota ratio sanctificandi esset fides, fiducia, & apprehensio iustitiæ Christi; sicut in hac secunda sententia sola qualitas gratiæ est tota ratio iustificandi, inepte argumētaretur Apostolus, habentem fidem sine charitate non esse iustum & sanctum: ergo neque fides neque apprehensio iustitiæ Christi sunt tota ratio iustificandi. Probo antecedens: quia ex illa hypothesi possibili, aut impossibili, per locum intrinsecum nihil homini deesset ad rationem iusti: nam ex parte subiecti nihil deest, quia subiectum est substantia animæ rationalis: neque quid deesset ex parte rationis formalis, quia hæc per te est fides, neque deesset aliquid ex parte vnionis. Charitas autem illa, quæ deesset, est per te extra totam rationem formalem iustitiæ: ergo tunc esset adæquatè conceptus iusti: ergo ineptè diceret Apostolus eum hominem nihil fore. Estque hoc manifestum discrimen, quòd carentia charitatis non est formaliter peccatum: possumus enim amorem omittere absque peccato: ergo per locum intrinsecum ex carentia charitatis non haberet homo, per quod esset nihil: nam & totam iustitiam haberet, & carentia charitatis non esset peccatū. Quod non contingeret in casu secundæ sententiæ propositæ §. 34.

§. 36. Secundò probo argumentationem Paulli fuisse stultam, si tota ratio formalis sanctificandi est fides. Quia argumentum ab impossibili, siue ex impossibili hypothesi, non debet includere terminos invicem repugnantes, ex quibus (vt aiunt Dialectici) sequitur quodlibet; sed B. Paullus retinuisset terminos invicem repugnantes, ex quibus sequitur quodlibet: ergo eius argumentatio fuisset stulta. Maior est clara, vel hoc exemplo, si ponatur hominem esse irrationalem: cùm enim homo essentialiter sit rationalis, ponere illum esse irrationalem, est ponere illum esse simul rationalē, & nō rationalē: vndè sequitur quodlibet, nec potest aliquid dignosci. Minor autem patet: quia si fides est tota ratio iustitiæ, poni ab Apostolo aliquem cum omni fide, & illum esse nihil, est illum ponere simul esse iustum & non esse iustum: iustum quidem, quia habet totam rationem iustitiæ: non iustum autem, quia solus ille, qui non est iustus iustitiâ communicata per Christum, est nihil comparatione vitæ æternæ. Dicendum ergo, vel hypothesim illā Apostolicam nō esse impossibilem; sed posse fidem sine iustitia consistere; vel charitatem esse necessariam per se ad iustificationem, ita vt fides sola non sit tota ratio iustitiæ: alioquin inanis est argumentatio Paulli.

Confirmo ab eadem Apostolo fidem nō solùm, non esse totam rationem iustitiæ, verùm neque principem partem: etenim illa virtus est præcipua formalis pars iustificationis, quæ in ratione virtutis est maior; sed charitas in ratione virtutis est maior fide: ergo charitas est præcipua iustificationis pars. Minor est ipsius Paulli 1. ad Corinth. 12. 31. *& adhuc excellentiorem viam vobis demonstro*: agit autem de charitate, & cap. 13. versu 13. *Nunc autem manent fides, spes, charitas: tria hæc; maior autem horum est charitas.* Maior probatur, quia habitus aut actus iustificans perfectior est non iustificante: ideò enim iustificat, quia propter excellentiorem bonitatem movet Deum ad remittendum peccatum. Item perfectissimus effectus formalis est reddere hominem Sanctum: si ergo fides pertinet ad rationem formalem sanctitatis, & non charitas; fides maior est charitate. Eâdem ratione si in ratione formali sanctificandi tenet fides meliorem charitate locum, ergo fides melior est charitate. §. 37. *Confirm.* 1. *Cor.* 13.

Adverte mihi non fuisse animum probare, fide & charitate iustificari hominem formaliter: censeo enim actum fidei esse dispositionem ad iustificationem, & extra eius rationem formalem: abstineo autem à quæstione, vtrùm actus charitatis sit formaliter sanctificatio? sed tantùm volui ostendere sola fide hominem non iustificari formaliter; sed necessariam esse aliam formam, quæ vel sola, vel cum fide iustificet formaliter. Idque contra hæreticos ostendo apertissimo testimonio Paulli 1. ad Corinth. 13. sensus autem Apostoli est, nullum posse primum iustificari operum virtute sine actu charitatis: neque valere aliquid bonum opus ad condignum meritum augmēti gratiæ & gloriæ, nisi exerceatur ab homine existente in charitate. Qua expositione revincuntur hæretici: vtrùm vero charitas se ipsa sit ratio formalis sanctificandi? vel vtrùm charitas sit necessaria ratione gratiæ habitualis, quam perpetuò comitatur? sedē habet apud Scholasticos: Apostolus autem eo testimonio in neutrā se partem inclinat. §. 38. *Animad.*

SECTIO V.

Contra inanem hæreticorum fiduciam.

INSCRIPTIONEM hanc præfigo libenter, vel ob imitationem Concilij Tridentini sess. 6. c. 9. Præmitto tripli- §. 39.

triplicem hæreticorum fidem (si possumus tripartiri fidem, quæ nullibi est, nulla enim vera in hæreticis est.) Primam vocant historicam: quâ fixè assentimur omni propositioni à Deo revelatæ; & propositæ sufficienter. Secundam operatricem miraculorum: quâ sibi aliquis persuadet certò, & infallibiliter à Deo faciendum miraculum. Tertiam, quâ absque formidine, & timore sibi aliquis persuadet remissa sibi esse peccata: quam vocant fiduciam, & fidem iustificantem. Hanc sequitur voluntatis affectus, qui potest etiam fiducia nuncupari, sive cõfidentia: est autem gaudium virtutis spei de bono apprehenso, vt existente: nempè de remissione peccati, & imputatione iustitiæ Christi iam apprehensæ. Probandum superest hanc fiduciam sine charitate inanem esse. Mitto argumẽta communia huic fidei, & catholicæ: quibus ostendi necessariam esse charitatem, vt homo sit aliquid, & ne sit cymbalum tinniens, & nihil: vt enim ea argumenta vim habent ad ostendendam solam fidem catholicam non sufficere sine charitate, sic eam habent contra inanẽ hanc iustificantem fidem. Mitto prætereà argumentum propositum §. 19. & 20. speciatim argumentor contra hanc fiduciam inanem.

§. 40. Quia illa fides est iudicium certum & infallibile, quòd peccata sunt iam remissa, ortum ex apprehensione iustitiæ Christi iam imputatæ: sed non potest esse eiusmodi iudicium certum de peccatis iam dimissis: ergò inanis est hæc fiducia. Maior ponitur ab hæreticis, opinantibus fidem illam non solùm terminari ad possibilem remissionẽ peccatorum: ea enim fides iam esset catholica, qua tenentur omnes credere possibilẽ esse remissionem peccatorum singulorum hominum; sed terminatur ad remissionem iam factam, per quam homo creditur iustificatus, & existens in statu filiorum Dei, quo est dignus vita æterna. Minor probatur primùm: quia non est principium ex parte obiecti cui innitatur assensus ille certus: quia ille actus debet inniti revelationi Dei, qua manifestet ipse se nobis remisisse peccata: hæc autem revelatio nullibi est: quia nulli id Deus revelat de lege ordinaria.

§. 41. Iam video Lutheranos, & Calvinianos, tàm familiares esse Spiritui Sancto, vt ab ipso singuli cognoscant immediatè quid sint credituri: eâdemque ratione ab ipso discent iam sibi esse remissa peccata. Iam impugnavi disp. 14. sect. 1. fidem non pendere à revelatione propria, facta ipsi credenti: nunc autem privatim hanc revelationem impugno: quia singulis hominibus viatoribus est in potestate cum gratia Dei sanctificatio propria: nulli enim impossibilis est salus, dum vivit: sed multis esset salus impossibilis, si consisteret in hac fiducia: ergo. Probo minorem: quia multi non possunt exercere hoc iudicium certum: quia illis non revelat Deus remissionem peccatorum iam factam. Miserum me! qui cùm sæpiùs peccaverim, nunquã adhuc mihi revelavit Deus esse mihi dimissa peccata: neque adhuc sum expertus Spiritus Sancti motum, quo certus sim de remissione peccatorum.

§. 42. Evasio. Refell. Dicent: revelatam esse remissionem peccatorum, si singuli firmiter credant iam esse remissa. Contrà: illa non est remissio absolutè facta; sed factibilis, facienda autem non absolutè, sed ex hypothesi, quòd certò credatur: ergo, vt absolutè fiat, opus est ponere illam hypothesim. Quemadmodum fide sumus certi peccata remissum iri homini exercenti contritionem charitate perfectam: remissio verò non fit absolutè, nisi perfecta pœnitẽtia ponatur: ergo opus est ad remissionem peccatorum, vt exerceatur hoc iudicium absolutum, & certum: *Mihi remissa sunt peccata*; sed hoc iudicium multi exercere non possunt, quia non habent revelationem privatam, nec publicam de peccatis iã absolutè dimissis: ergo multis impossibilis est salus adhuc viventibus.

§. 43. Secundò probatur hoc iudicium esse impossibile: quia remissio peccatorum debet esse prior hoc iudicio; sed non potest esse prior; ergo non potest hoc iudicium esse. Maior probatur: quia remissio peccatorum est obiectum illius iudicij, cognoscendum per revelationem de ipsa remissione peccatorum. Assensus enim ille habet pro obiecto materiali remissionem peccati: pro formali verò authoritatem, & revelationem Dei, quæ cognoscit speculativè; sicut fide catholica cognoscimus creationem mundi; Obiectum autẽ formale, & materiale priora sunt cognitione speculativa de ipsis. Minor probatur: quia remissio peccati in sententia hæreticorum fit propter fidem illã: ideò enim Deus peccatum remittit, quia peccator habet fidem illam atque fiduciã: vt in sententia catholica ideò Deus remittit peccatum, quia sufficienter pœnitet hominem. Ergo remissio peccati non potest esse prior assensu certo de illa.

§. 44. P. Vazq. Hoc argumentum cùm attigisset P. Vazquez in 1. 2. disp. 210. num. 21. indicat etiã solutionem: quia non est opus, vt remissio peccati præeat iudicio: quia eius veritas perficitur iudicio ipso: quemadmodum antequam proferantur verba consecrationis, non adest corpus Christi; verba tamen vera sunt, quia in fine prolationis adest Christi corpus: ita ipso assensu fidei remisso

S. Tho. q. 4 Art. 3. & q. 23. Art. 8. peccati. Contrà: verba consecrationis significant practicè corpus Christi: practicum autem signum veritatem accipit, quando perficitur totum signum, quamvis in aliqua prima parte ipsius non existat effectus: cum enim tunc non sit tota propositio vocalis, non redditur falsa: fides verò illa est cognitio speculativa, supponens priùs natura totum suum obiectum. Quod apertè confirmo: revelatio de remissione peccati est prior naturâ assensu ipso; sed remissio peccati est etiam prior ipsa revelatione: ergo remissio peccati est etiam prior ipso iudicio. Maior est certa: ideò enim exercetur iudicium illud quia est revelatio: quæ est obiectum formale eius iudicij: & quemadmodum color, quem ego video, est prior visione, & per speciem impressam est principium visionis: ita revelatio per speciem sui vt existentis est principium assensus fidei. Estque vera hæc propositio caussalis, *ideò assentimur certò remissioni peccati, & revelationi, quia Deus illud remisit, & revelavit*: hęc autem est falsa: *ideò sunt remissio & revelatio, quia est assensus*. At verò præsentia corporis Christi in Eucharistia non est prior; sed posterior naturâ verbis: verbaque non sunt posteriora naturâ; sed priora. Est ergo latum discrimen. Item actus practicus, vt practicus est posterior suo obiecto. Priùs enim est possibilis domus, quam ab architecto cognoscatur vt possibilis: illa verò cognitio est caussa exercitæ existentiæ domus, quam non repræsentat in eo statu: cognitio autē architecti de domo iam exercita speculativa est, & posterior ipsâ domo vt existente.

Confirm.

§. 45. 2. Obiectio. Secundò potest obijci esse mutuam prioritatem inter assensum & remissionem peccati. Sæpiùs impugnavi eam mutuam prioritatem, maxime autem in caussis moralibus. Quia verò illa prioritas mutua admittitur ab aliquibus Catholicis, libet ostendere in illis nullum esse hæreticis asylum. Admittunt enim Catholici mutuam prioritatem inter gratiam & actum charitatis, tamquam inter principium activum, & passivū propriè, aut reductitiè, non verò in genere caussæ meritoriæ, aut moralis. Hæc enim movet vt existens liberè. Qua de re latè dissero disputat. 127. maxime autem sect. 10. Itaque admittunt Theologi pauci mutuam caussalitatem quasi physicam, non moralem. Hæc autem fiducia movet in genere caussæ moralis, ac propterea iam videtur existens omninò, prius quam effectus, qui est remissio peccati. Nam physicè movere non potest, quia fiducia non est physica dispositio ad iustitiam: quia hæc ex hæreticis est per imputationem iustitiæ Christi, & per non imputationem peccati: quæ duo non pendent physicè à fide; sed moraliter, inter actum verò creatū eiusq; obiectū nullum admittunt, neque possunt: quia obiectum formale semper est priùs, & independens à sui cognitione. Quando autem cognitio est de obiecto existente: ratio formalis, per quam cognoscitur, est principium activum assensus: quia per speciem impressam est ipsius caussa efficiens: at verò assensus non est causa efficiens speciei, neque obiecti à quo fit species. Sed sicut hæc est independens à cognitione, ita & obiectum ipsum. Immò qui dicunt scientiam liberam Dei esse caussam creaturarum (qui sunt paucissimi) non dicunt inter obiectum formale, & scientiam esse eam caussalitatem: decretum enim Dei (quod ex illis est obiectū formale illius scientiæ) est penitus prius ratione, quàm ipsa scientia: sic revelatio est omninò prior quam fiducia, & non potest esse posterior. Denique actus intellectus, quo credo mihi remissa esse peccata eodem modo tendit in suum obiectum, quo assensus de creatione mundi in suum: neque assensus intellectus efficiunt sua obiecta, nisi quando natura sua sunt practici. Pone autem duos eiusmodi assensus: alterum postquam aliquis iustus est; quod iudicium non facit sanctitatem: alterum in eodem primo instanti sanctitatis: hæc duo iudicia differunt in modo attingendi obiecti.

SECTIO VI.

Argumenta hæreticorum ex Scripturis.

HÆRETICI variè conantur ostendere solam fidem sine operibus sufficere ad salutem; neque opera esse necessaria: vbi adverte quod observavi §. 30. quam callidè, & malitiosè se isti tegant: cùm enim agitur in Scripturis de operum necessitate, admittunt opera vt necessaria: quando verò ipsi suum confirmant errorem adducunt scripturas, quibus arbitrantur expungi operum necessitatem. §. 46.

Primum igitur adducunt Paullum ad Roman. 3. 20. *Quia ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram illo. Per legem enim cognitio peccati. Nunc autem sine lege iustitia Dei manifestata est: testificata à lege & prophetis. Iustitia autem Dei per fidem Iesu Christi, in omnes, & super omnes, qui credunt in eum. Non enim est distinctio.* Item versu 27. *vbi est ergo gloriatio tua? exclusa est. Per quam legem? facto-* Paull. Roman. 3. 20

factorum, sed per legem fidei. Arbitramur enim iustificari hominem per fidem sine operibus legis. De quibus liquidò constat censuisse Paullum solâ fide sine alijs factis hominem esse iustum.

§. 47. Certè antiquiores hæretici non tam absre hoc testimonium adducerent: loquitur enim Apostolus non de fide privata de peccatis iam remissis, sed de fide Catholica, per quam credimus in Christum: Paullus autem nullam vult esse distinctionem inter omnes credentes in Christum: ergo non est necessaria ad iustificationem, hæc privata fides novantium hæreticorum. Secundò P. Vazquez 1.2. disput. 216. cap. 8. censet per opera legis non intelligi solam legem Mosaycam; sed etiam naturalem: quidquid enim agimus ex solâ cognitione legis Mosaycæ & naturalis sine gratia per Christum, nihil confert ad iustificationem: immò neque ad augmentum gratiæ. Cardinalis Bellarminus tomo 3. lib. 1. de iustificatione, capit. 19. per legem factorum intelligit non solum naturalem & Mosaycam; sed etiam Christi, quatenus aliquid præcipit: omnem enim legem præcipientem vocat legem factorum: legem autem fidei vocat spiritum, qui vivificat opem ferendo, eam à Deo postulando.

P.Vazq.

Bellarm.

§. 48. Tolet. Cardinalis Toletus annotatione 17. reijcit expositionem Bellarminianam verbis Augustini: arbitrati vterque solam legem Mosaycam esse factorum legem: quia onusta erat præceptis sine vi ad observandum: Evangelium autem quamvis præcepta contineat, continet & vim ad ea observanda: consentit P. Cornelius. Et colligitur expresse ex glossa interlinearia id interpretante contra Iudæos; idque docet expresse Lyra & alij interpretes. Loquitur ergo Apostolus eo testimonio de solâ lege veteri: cuius ceræmoniæ sine fide, & gratia per Christum nihil vnquam contulerunt ad salutem: nunc autem sunt perniciosæ. Quod satis apertè Paullus ostendit versu 28. Arbitramur enim iustificari hominem per fidem sine operibus legis. An Iudæorum Deus tantum, nonne & gentium? Quasi dicat ne glorietur Iudæus, quod per opera suæ legis salvus fiet, nam & gentes sine eâ lege possunt adipisci salutem. Quod si de lege naturali loquitur Apostolus nihil diceret de Iudæis non commune cum gentibus, immò & cum Christianis in expositione Bellarminiana. Eo igitur testimonio non excludit Apostolus nisi ceræmonias veteres: quod si etiam excludat actiones naturales, intelligitur de factis sine gratia per Christum; non verò de factis ex fide: hæc enim fiunt ex gratia per Christum.

Cornel. Glossa. Lyra.

Ad Rom. 3.28.

§. 49. Ad Rom. 4.2. Secundum testimonium est ex eodem Apostolo, cap. 4. ad Roman. 2. si enim Abraham ex operibus iustificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum. Hic arbitror locutum Apostolum de operibus naturalibus: vt præter P. Vazquez explicant Toletus annotatione 3. P. Cornelius, Lyra & alij. Cui adsonat ad Galatas 5. 6. In Christo enim Iesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium: circumcisionem autem intelligit legem Mosaycam: præputium verò naturalem: neutra enim solis suis viribus aliquid valet. Sed fides quæ per dilectionem operatur, id est, fides infusa propter merita Christi, quæ fides ex gratia eorumdem meritorum operatur per dilectionem, valet ad salutem. E quibus constat Paullum, & Iacobum exegisse ad salutem opera, quæ præcipiuntur lege Christiana, exercita tamen ex gratia per Christum: Paullumque hæc non reiecisse; sed legalia & naturalia exercita sine gratia per Christum. Qua distinctione facillimè conciliantur omnia testimonia, quibus opera exiguntur, & quibus excluduntur. Item colligitur fidem, quam desiderant Apostoli esse Catholicam, & non privatam illam fiduciam. Abrahamus enim, qui ipsis exemplo est, non dicitur credidisse remisionem suorum peccatorum; sed promissionem à Deo factam.

AdGalat. 5.6.

§. 50. Luc. 7.50 Maldon. Tertium testimonium est ex cap. 7. Lucæ 50. vbi Christus dixit Magdalenæ fides tua te salvam fecit: vbi P. Maldonatus ait: hunc esse vnum ex his locis, quos semper hæretici nostri temporis in ore habent, vt confirment nos solâ fide iustificari. Qui locus est qui minus abs re citari posse videtur: quia Magdalena cõfisa misericordiæ Christi accessit ad iustificationem accipiendam. Est tamen locus adductus per quam ineptè. Illa enim salus, quam impetraverat Magdalena, fuit remissio peccatorum, & sanctificatio; sed hæc non obtigerunt Magdalenæ ob solam fidem, quod probandum erat hæreticis: ergo ex eo testimonio ineptè colligitur solâ fide impetrari remissionem peccatorum. Probatur minor ex versu 47. propter quod dico tibi: remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Cùm igitur Christus remissionem peccati, & salutem adscribat & fidei & dilectioni, agit de fide operante per dilectionem, quam commendat Apostolus ad Galatas 5. 6. Qua igitur impudentia hoc testimonio probant solâ fide Magdalenam salutem adeptam?

Luc. 7.47.

§. 51. Mat. 9.2. Quartum testimonium est ex cap. 9. Matthæi. Et videns Iesus fidem illorum, dixit paralitico: confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Et versu 22. dixit mulieri patienti fluxum sanguinis confide filia, fides tua te salvam fecit. Respondeo hæc etiam testimonia adduci

S. Tho. q. 4 Art. 3. & q. 23. Art. 8. duci immeritò ? primum hæretici exigunt propriam fidem, non verò alienam: Christus autem motus est fide gestantium paraliticum. Secundò quamvis paraliticus fidem haberet, sola tamen gestantium commendata est à Christo, vt cum communi Patrū consensione P. Maldonatus exponit. Tertiò, quia non colligitur ex eo loco eos accessisse cum hac hæreticorum fide: illi enim accesserant cum fide miraculorum, existimabant enim ægrum solvendum paralisi. Quartò, vbi dixit Christus confidentiam illam esse iudicium certum & infallibile de remissione peccatorum; & non fidei Catholicæ & spei, per quam speramus peccata nobis esse remittenda ex gratia per Christum? Item vbi dixit ipse Christus solam fidem sine dilectione, alijsque Christianæ legis operibus sufficere ad impetrandam remissionem peccatorum? exegit autem Christus fidem operantem per dilectionē, vt constat ex Magdalena, quam salvam fecit fides, quæ operata fuit per dilectionem: eâdem ratione intelligendus est in cæteris locis, quibus fidei adscribit salutem. Nec enim aptiùs exponitur testimonium Christi, quàm alio ipsius. Cùm enim ex cap. 7. Lucæ dilectioni sit adscripta remissio peccati simul & fidei, quoties illi fidei remissio adscribitur, intelligitur simul cum dilectione. Recognosce quàm acutè P. Maldonatus stultitiæ arguat hæreticos, his & alijs testimonijs abusos. Recognosce Card. Bellarminum & P. Vazquez adductos §. 49. & Bellarm. à cap. 19. ad 24.

SECTIO VII.

Respondetur hæreticorum argumento ex Patribus.

§. 52. IDEM Cardinalis cap. 17. optimè diluit argumentum, quod hæretici petunt ab authoritate Patrum: eorumque verbis expendit non sufficere fidem absque charitate & operibus: quia verò ipse, & P. Vazquez ea disp. 210. c. 9. & alij id præstiterunt abundè, estque doctrina Catholica apud ipsos satis trita, ad ipsos lectorem reijcio; nonnulla tamen hic addenda putavi. Originem igitur, Hilarium, Basiliū, Ambrosium, Chrysostomum, Augustinū, Cyrillum Alexandrinum; Leonem Magnum, Theophylactum, atque Bernardum Bellarminus exponit. Adverte S. Leonem non egisse de fide privata, qua quisque censet sibi remissa esse peccata, quam isti vocant sanctificantem; sed de Catholica: epistola enim 70. hæc ait, *sola fides Catholica vivificat, & sanctificat.* Quid ergo repetiunt in Leone, nisi contra ipsos rugitum? Idem efficit S. Bernardus, cæterique Patres, quibus inaudita fuit hæc hæretica fides. S. Leo.

§. 53. S. Aug. Obiectio. Obijci potest S. Augustinus tomo 10. serm. 53. de tempore: vbi ait expressè fide distingui filios Dei à filijs diaboli: quod perindè est ac fide hominem iustificari, & esse filium adoptivum Dei, his verbis: *Primùm ergo fides Catholica Christiano necessaria est: quia in ipsa distinguuntur filij Dei à filijs diaboli: filij lucis à filijs tenebrarū.* Respōdeo: cōstare satis ex S. Augustino adducto §. 4. & 9. cùm libris integris contra hunc errorem dissetuisse: cùm autem docet solam fidem esse sufficientem, intelligit cum Apostolo, quem sæpè citat, fidem quæ per dilectionē operatur: vndè cùm opera excludit, censet, quæ fiunt sine gratia per Christum: & cum dicit solam fidem sufficere, nomine fidei amplectitur gratiam per Christum, nobis præparatam ad operandum: quam fidem opponit operibus: quod est opponere vires gratiæ viribus naturæ: fides sic operans per dilectionem est, quæ distinguit filios Dei à filijs diaboli. Resp.

§. 54. Duas cruces ad excruciandos hæreticos video in hoc Augustiniano testimonio: alteram, quòd Augustinus nullo verbo facto de fide apud hæreticos iustificante, solius meminit fidei Catholicæ, id est, vniversalis: quam ipsi vocant historicam, neque censent sufficere ad sanctitatem: exigūt autem fidem privatam. Quid mirum hæreticos ad privata delicamenta detortos à diabolo, esse Catholicam fidem exosos? Altera crux est in eodem sermone paulò post adducta verba: *verè enim* (inquit) *beatus est, qui rectè credendo benè vivit: & benè vivendo fidem rectam custodit. Igitur sicut otiosa est fides sine operibus bonis; ita nihil proficiunt bona opera sine fide recta. Sicut enim corpus sine spiritu emortuum est; ita & fides sine operibus mortua est.* Quibus concludo opera bona sine fide recta, id est, sine gratia per Christum, & sine fide Catholica esse inania; sicut inanis est fides Catholica sine operibus & gratia per Christum.

§. 55. Obiectio. Chrysost. Sanctus Chrysostomus adducitur ab hæreticis homilia de fide, & lege naturæ, vbi docere videtur fidelem absque operibus & vixisse, & regnum cœlorum assecutum. Respondeo primò Chrysostomum locutum de fide absque opere externo: interdum enim circumstantiæ ab eo opere excusant, at nequaquam negavit interna virtutum opera: qualis fuit religio latronis in Christum, & spes, sive desiderium potiundi paradiso: Resp.

diſo: latronem enim in exemplum adducēs Chryſoſtomus, inquit: *latro autem credidit tantùm, & iuſtificatus eſt*: id eſt, nòn dedit ſtipem, nec viſitavit ægros, nec rapta reſtituit: at verò non potuit negare Chryſoſtomus præter fidem neceſſariam eſſe voluntatem: quam ipſe latro ſatis expreſsit ſperans, & appetens regnum Dei, præter quam habuit perfectum amorem: Chryſoſtomum autem apertiſsimè à Catholica fuiſſe ſententia conſtat ex §. 15. quare cùm homilia 3. in epiſtolam ad Titum ait, à credente non eſſe alia inſerenda, quia ſola fides iuſtificat, non excludit opera facta ex gratia per Chriſtum; ſed potius ea in fide amplectitur; excludit autem cæræmonialia veteris legis, quæ fidei opponit, vt conſtat indidem.

§. 56. Qua verò ratione exigatur fides ad iuſtificationem, & cur dicatur radix & fundamentum iuſtitiæ, commodiùs examinabitur diſputationibus de iuſtificatione, quod ego præſtiti eam quæſtionem explanans. Vtrùm autem eodem habitu fidei credi poſſit revelatio vniverſalis, item privata de miraculo faciendo, item & alia privata de remiſsione peccatorum iam facta alicui? cōtroverſia eſt etiam inter Catholicos. Ego diſput. 9. ſect. 3. admiſi eas omnes revelationes, quando exiſtunt, & ſufficienter applicantur, pertinere ad eumdem habitum.

DISPVT. LIII.

Vtrùm fides poſsit eſſe informis?

§. 1. D eſt, vtrùm fides poſsit eſſe abſque vera ſanctitate, & cum mortali peccato componi? Fides enim formata eſt fides cum charitate & animi ſanctitate coniuncta: informis autem eſt, quæ abiungitur à ſanctitate. Et quamvis Doctores Theologi cum S. Thoma 2. 2. quæſt. 23. art. 8. frequenter admittant charitatem eſſe formam omnium virtutum, & conſequenter admittant virtutes formatas & informes: eſt tamen ſpecialis ratio in fide, quæ à Sanctis & Scripturis præcipuè dicitur viva, & mortua: quia fides per obiecti repræſentationem movet voluntatem ad charitatis exercitationem: eaq; propter dicitur per dilectionem operari. *S. Thom.*

SECTIO I.

Sententia Catholica authoritate probatur.

MIRA eſt hæreticorum ſtultitia, qui cùm argumentis vrgentur, aut etiam ſtimulis ad flagitium, inconſtanter ſua dogmata tradunt, cogente libidine ad ſententiam oppoſitam ei, quam argumentum extorquet: pulvis ſunt ille, quem David Pſalmo 1. 4. conclamat vento eſſe à facie terræ proiectum. Refert Cardinalis Bellarminus tomo tertio, libro primo de iuſtificatione, cap. 14. inconſtantiam Lutheri atque Calvini iam admittentium fidem ſine operibus, iam negantium: Lutherus enim, hæc ait: *fides niſi ſit ſine vllis etiam minimis operibus, non iuſtificat, immò non eſt fides.* Alibi dicit; *fides, ſine & ante charitatem iuſtificat.* In Commentarijs autem capitis 15. Geneſis ait, ſe ſcire fidem non exiſtere ſine cæteris virtutibus, vt conſtat ex eodem Bellarmini teſtimonio: itaque in cap. ſecundum ad Galatas fides ſine & ante charitatem iuſtificat: in Geneſim autem non poteſt fides eſſe ſine charitate. Calvinus in antidoto Concilij ad Canonē 11. ſeſsionis ſextæ, ait fidem non eſſe ſolam: at verò ad Can. 28. docet manere ſemen aliquod, aut particulam veræ fidei inter graviſsimos lapſus. Benè ſit conſtanti Kemnitio, qui conſentiens Calvino in coniunctione neceſſaria fidei, & operum, docet omnia opera exercita à Paullo etiam in Apoſtolatu eſſe ſtercora inutilia ad ſalutem: vt conſtet, quàm vertiginoſis capitibus ducantur hæretici. §. 2.

Concilium Tridentinum ſeſsione ſexta, cap. 15. & Canone 28. definit non amitti fidem quovis peccato mortali; ſed ſolùm peccato infidelitatis. Quam definitionem mirè Cardinalis Bellarminus confirmat eo lib. 3. cap. 15. ex Scripturis & Patribus: P. Valentia diſp. 1. quæſt. 4. puncto 4. & P. Suar. diſp. 7. ſect. 3. Quibus pauca ſunt addenda. S. Ioannes 3. cap. verſu 18. ait, *qui credit in eum non iudicatur: qui autem non credit, iam iudicatus eſt: quia non credit in nomine vnigeniti Filij Dei. Hoc eſt autem iudicium: quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem.* Quod teſtimonium ſubobſcurum videtur: quia omnes homines partiti ſunt in credentes & nō credentes: credentes non iudicātur; nō credentes iā iudicati ſunt: in quos ergò exercetur iudicium illud? Conſtat quidem ex ipſis §. 3. *Bellar.* *Valenti* *Suar.* *Ioā. 3. 18.*

S.Tho. q. 4. Art. 3. & q. 23. Art. 8. verbis, iudicium exercitum iri in eos, qui crediderunt fide mortua, & aliquo modo Deum dilexerunt, magis tamen mundum. Quod eleganter exposuit Sanctus Hilarius in Psalmum 1. in id: *propterea resurgent impij in iudicium*: vedeat lector totum Hilarius. Hilarij testimonium: è quo hæc nobis sufficiunt. *Sunt enim aliqui inter impios piosque, qui medij sint, ex vtroque admixti, neutri tamen propriè, quia in id ipsum constiterint ex vtroque: nec fidei admiscendi, quia sit illis aliquid infidelitatis insertum; neque infidelitati deputandi.* Quibus docet Hilarius peccatores medios inter iustos & infideles.

§. 4. Quod autem dicit eos habere aliquid infidelitatis, non intelligitur eos in intellectu habere aliquem errorem: sic enim nullus est fidelis, nec in Ecclesia Christi; sed intelligitur in moribus eos habere aliquid gentilismi: vt constat ex immediatis, his Idem. verbis: *plures namque Dei metus in Ecclesia continet; sed eosdem tamen ad sæcularia vitia sæculi blandimenta solicitant. Orant, quia timent: peccant, quia volunt: Christianos se nuncupant, quia bona est spes æternitatis: gentilia agunt, quia blanda præsentia sunt: impij non manent, quia his Dei nomen in honore est: pij non sunt, quia, quæ pietati sunt aliena, sectantur.* Et infrà: *impijs* (non credentibus) *iudicium, quia iam iudicati sunt, non relinquit: peccatoribus autem, quos superiori sermone discerni ab impijs docuimus, consilium iustorum, quia iudicandi sint, denegavit.*

§. 5. Hieron. Eâdem distinctione peccatorum & impiorum vtitur Sanctus Hieronymus tomo septimo, in Psalm. 1. in id *non sic impij*, his verbis: *inter impium & peccatorem hoc interest, quòd, qui impius est, negat Deum: qui peccator est, confitetur & peccat.* Et infrà, *sic & impius, qui semel Deum negaverit: quocumque illum aura diaboli traxerit, illic errore producitur.* Hos commentarios esse Sancti Hieronymi rectè docet Bellarminus in observatione 7. tomi. Commentaria verò ad Galatas tomo 6. sunt sine controversia Sancti Hieronymi: qui in cap. 3. sub initium explicans illa verba: *iustus ex fide vivit*, ait: *considerandum est itaque quia non dixit: homo, aut vir ex fide vivit, ne occasionem tribueret ad virtutum opera contemnenda, sed iustus ex fide vivit.*

§. 6. S. Aug. Sanctus Augustinus sæpè ostendit fidem inanem manere absque charitate: tomo 10. serm. 1. in Vigiliam Pentecostes, qui est 181. de tempore (in appendice verò est 59. cap. primo: ibi reijcitur, quia non videtur esse Augustini) hæc ait: *non dicit credo Deum, vel credo Deo: quamvis & hæc saluti necessaria sint: credere vera esse, quæ loquitur, multi & mali possunt: credunt enim esse vera, & nolunt ea facere sua, quia ad bene agendum pigri sunt. Credere autem ipsum esse Deum & Dæmones possunt: credere verò in Deum, soli noverunt, qui diligunt illum, qui non solùm nomine Christiani sunt; sed etiam factis & vita: quia sine dilectione fides inanis est; cum dilectione, fides Christiani: sine dilectione fides dæmonis. Qui ergo non credit Christum, adhuc nec dæmones imitatur. Iam credit Christum; sed odit Christum: habet confessionem fidei in timore pœnæ, non in amore coronæ.* Quod ait, fidem sine operibus, fidem esse dæmonum, eam non comparat in omnibus dœmoniacæ: hæc enim est coacta & sine gratia per Christum: illa autem est spontanea, & vtilis, immò & necessaria ad salutem: vt patet ex illis verbis, *non dicit: credo Deum, vel, credo Deo, quamvis & hæc saluti necessaria sint*. Vndè etiam cognoscent hæretici locutum Augustinum de fide iustificante, qua credimus mysteria; non verò de hæretica illa fiducia.

Idem Sanctus Augustinus tomo quarto, libro quæstionum Evangelicarum in Matthæi cap. 13. hæc ait. *Sed rectè quæritur, vtrùm hæretici sint, an mali viventes Catholici? Possunt enim dici filij mali, etiam hæretici*: & infrà. *At illi, qui in eadem fide mali sunt, palea potiùs, quàm Zizania reputantur*: & infrà, *in illa planè sagena, qua concluduntur & boni & mali pisces, non absurdè mali Catholici intelliguntur*. Distinguit igitur Augustinus hæreticos à peccatoribus Catholicis: hos pleno ore *Catholicos* vocat, eosque dicit esse in eadem fide, qua boni. Neque verò meminit Augustinus alicuius fidei in bonis Catholicis, quæ non sit etiam in Catholicis malis: vtrosque enim dicit esse in eâdem fide: & vtrosque in Ecclesia Catholica, extra quam sunt hæretici. Quo ergo antiquitatis fundamento constituunt Novantes hæretici fidem Christianam in Christianis bonis, quæ non sit & in malis Christianis? §. 7. Idem.

Sanctus Chrysostomus adductus disputatione 52. nobis favet apertè. Et præter verba ibidem adducta & tomo 4. homilia 11. in epistola ad Rom. in morali, hæc ait. *Ita & fidelis corruptè ac perditè vivens, non solùm non veneratione dignus; sed vel magis ludibrio habendus.* Item homilia nona in primam ad Corinthios, cùm egisset de fide Chatholica, quæ par in omnibus Catholicis reperitur, non tamen cum pari vita, hæc ait de omnibus Catholicis. *Videre licet & hos rursus magis, illos minùs proficere: alios graviùs, alios leviùs peccare conspicamur*: & infrà clarissimè opponitur novis hæreticis: *si quis* (in[illegible]) *vivit cum fide* §. 8. Chrysost.

fide recta, auxilium ei fides non præstabit, vt non puniatur opere perdito. Vbi considera illa verba: *fides recta cum opere perdito.* Quid ergò est fides recta, nisi fides Catholica, fides qua sumus in Ecclesia? hæc fides potest esse in homine perdito.

§. 9. Gregor. Magnus Gregorius mille in locis id confirmat. Homilia 22. in Ezechielem, cùm egisset de fidelibus ait: *sunt tamen inter eos plurimi, qui adhuc carnaliter vivunt, qui etsi fortasse literas ignorant, & præcepta Dei legere non valent, certè in multorum fidelium conversatione, bona, quæ imitentur, vident: nec in excusatione dicere poterunt &c.* Libro 25. in Iob capite 14. cùm dixisset locum videntium esse Ecclesiam, in qua multos invenit vltio Dei, concludit: *quasi impios percussit eos in loco videntium. Ibi quippè stabant, vbi Deum videre videbantur. Ibi tenebras dilexerunt, vbi lumen veritatis aspicitur. Et quamvis apertos habuerunt oculos in fide; tenuerunt tamen eos clausos in opere. Vndè & benè de Iudæa dicitur: speculatores eius cæci: quia videlicèt non videbant opere, quod professione cernebant. Vndè etiam de Balaam scriptum est, qui cadens apertos habet oculos: cadens quippè in opere, apertos tenuit oculos in contemplatione.* Libro 27. in Iob capite 9. *Vnde in ipsa quoque Sancta Ecclesia plurimi fidem tenent, & vitam fidei non tenent.* Et libro trigesimo tertio capite sexto de Behemoth absorbente fluvium hæc ait: *quia verò & post mediatoris adventum quosdam, qui rectè vivere negligunt, etiam fideles rapit.* Et infrà: *alios namque sub Christianitatis nomine positos devorat: quia in ipso eos fidei errore supplantat. Alios à rectitudine fidei nequaquam deviat; sed ad vsum pravæ operationis inclinat: & fidem tenent, sed vitam fidei non tenent. Quia enim nonnulli confitendo fideles sunt, non videndo; hinc est, quod voce veritatis dicitur: non omnis, qui dicit domine, domine, intrabit in regnum cælorum.*

§. 10. S. Cyrillus. Alexand. Sanctus Cyrillus Alexandrinus adductus disputatione 52. §. vndecimo, consentit apertè: maximè libro decimo in Evangelium Ioannis capite decimo sexto his vebis: *non igitur sufficit ad perfectionem, id est, sanctificationem, quæ per Christum est, in numero palmitum recipi; sed oportet ardenti charitate Christum sequi.* Dixerat autem homines esse palmites Christi per fidem.

§. 11. S. Bernar. Sanctus Bernardus adductus disputatione 52. §. duodecimo, id clarè testatur, & sermone vigesimo quarto in Cantica, *vides (inquit) quòd non faciat hominem rectum fides etiam recta, quæ non operatur ex dilectione.* Idem asserit Sanctus Cyprianus E-

S. Cypr. pistola 51. cuius verba satis conspicua refert Pater Iustinianus in epistolâ 2. ad Timotheum cap. 2. versu 20. aliosque Patres adducit. Hic observanda sunt duo: alterum non posse responderi ab hæreticis hos Patres locutos de fide imperfecta per solam apprehensionem mysteriorum: loquuntur enim de fide, qua rectè credimus in Deum: de fide Catholicâ: de fide, per quam sumus Christiani: de fide, quæ communis est bonis & malis Christianis: hæc autem fides non est imperfecta, qualis est naturalis. Alterum observatu dignum, à Sanctis nec verbum factum de inani ista iustificante hæreticorum fide, quâ necessariò ad iustitiam sit credenda remissio peccatorum iam facta in singulis: cùm autem Patres, vt homines in Ecclesia existant, non exigant nisi fidem, qua rectè credamus omnia, quæ à Deo revelata sunt, & per hanc sibi persuadeant esse homines fideles, & in Ecclesiâ; altera hæreticorum fides, vt necessaria ad existendum in Ecclesia & iustificationem obtinendam, commentum est Lutheranum, quo homines non trahuntur in Ecclesiam; sed extrahuntur ab illa.

SECTIO II.

Primum à ratione argumentum.

§. 12. BIPARTITA potest esse hæreticorum sententia: primũ de actibus fidei & charitatis, nempè actum charitatis necessariò esse componendum cum actu fidei, ita vt nullus possit credere, quin simul amet Deum: secundò possunt intelligi hæretici de habitibus ipsis: ita vt habitus fidei non possit componi cum vllo peccato mortali. Primum sensum hac sectione examinandũ suscipio. Actus fidei est naturâ sua independens ab actu charitatis: ergò potest esse absque illo. Consequentia non eget probatione: quia existentia rei independens ab alio, idem est, ac non indigere alio ad existendum. Antecedens probo, quia actus fidei est prior naturâ actu charitatis, vt cõstat ex Animastica disciplina: voluntati enim præit intellectus, non intellectui voluntas: tũ etiã quia actus fidei pẽdet ab obiecto, à specie impressâ, à potentia intellectrice, ab habitu per se infuso vel auxilio, item & à voluntate libera determinante, intellectum ad assensum, illum amante & orta ab alia cognitione reflexa repræsentante actum ipsum fidei: his autem potius

S. Thom. q. 4. Art. 3. & q. 23. Art. 8. positis, cur indigebit actus fidei actu charitatis terminato ad idem obiectum fidei? vt enim ego assentiar à Petro verè affirmari cœlum esse factum, quid pendeo ab amore Petri, aut cœli? immò assensus hic potest componi cum odio ipsius Petri, & cœli: sic & assensus fidei potest componi cum odio omnium, quæ per illam cognoscuntur.

§. 13. *Evasio.* Dices: assensum fidei non pendere à priori ab actu charitatis, pendere tamen à posteriori: quemadmodum substantia pendet à sua proprietate: & vt vicinius adducamus exemplum, visio beata non pendet ab amore, vt à principio influente; neque tamen potest esse absque illo. Quæ doctrina Lutherum habet antesignanum, quem sequuti Buzerus atque Calvinus; quos refert Cardinalis hæreticorum antagonista tomo 3. lib. 1. de iustificatione, cap. 15. à versu *quintum argumentum*, quos etiam refellit egregiè: neque indigent impugnatione longa. *Refell.* *Bellar.* Quod enim affertur de substantiæ proprietatibus, latè differt. Quia substantia pendet à multis accidentibus, sine quibus mutila esset, & manca: actus autem intellectus cùm accidens sit, non pendet ab alijs proprietatibus actualibus. Ab actuali enim operatione pauca pendent: pendet anima à suis potentijs: hæ & illa non pendent à suis actibus. Intellectio magis propriè dicenda videtur passio intellectus, quàm volitio passio intellectionis: quia intellectio est intrinseca intellectui, secùs volitio intellectioni: item intellectio est finis *qui* potentiæ; potentia verò finis *cui* intellectionis: qui duo fines magis sunt affines, quàm duo actus diversarum potentiarum: vt ergò intellectio non est propria intelligentis passio, cur volitio erit passio intellectionis? Immò cùm intellectio sæpè repræsentet obiectum cum indifferentia ad amorem & odium; neuter affectus potest esse intellectionis attributum.

§. 14. Quod affertur de visione beata est etiam abs re: ideò enim affectus sequitur necessariò visionem, quia intuitione perfecta proponitur infinitum bonum, in quo amando nullum apparet incommodum: fides autem inferiori ratione repræsentat bonum idem per species alienas, per quas vix formatur proprius conceptus obiecti obscurè, quæ est maxima imperfectio. At libertas aut necessitas voluntatis, quamvis ab obiecto pendet, magis tamen & immediatiùs à cognitione. Liquet enim experientiâ voluntatem non rarò subitò in obiecta ferri, quin possit se cohibere: si autem paululum animadvertat, crescente perfectione cognitionis eiusdem obiecti, fit paulatim sui compos, & odij, quod amaverat. Cùm ergo tàm latum sit discrimen à visione ad fidem, non potest ab altera duci ad alteram argumentum: alioquin & argumentabor ego: visio reddit hominem beatum & incapacem doloris: ergo & fides eadem præstat. Patet consequentia: quia obiectum est idem, & per to vtrâque cognitione reddit hominem incapacem peccati: cur ergo non & doloris?

Vt autem huius sententiæ deliramenta noscantur, in ipsis argumentis, quibus probatur à priori indifferentia voluntatis in amando obiecto finito, & etiam infinito obscurè proposito, sic argumentor. Sequitur, nullum hominem posse peccare, nisi priùs dissentiatur obiecto formali fidei, & sibi persuadeat Deum neque esse veracem, neque esse Deum: consequentis absurditas nota videtur ex se: ergo. Minor neque ab ipsis hæreticis negatur: quamvis enim aliqui asseruerint, nullum esse peccatum præter infidelitatem, vt constat ex Concilio Tridentino eos damnante sessione sexta, cap. 15. & Canon. 27. non tamen dixerunt fidem pendere ab actu dilectionis; sed potiùs componi posse cum furto, adulterio, & homicidio: quæ non censebant esse peccata; immò & cum ipso odio Dei fidem componerent: quia nullum censent esse peccatum præter infidelitatem: quæ distinguitur ab odio Dei, vel si admittunt aliqua peccata præter infidelitatem, asseruerunt sola infidelitate gratiam amitti, nō verò alio peccato quantumvis enormi. Itaque cum his hac in parte non disputamus; sed cum ipsis, & quovis alio hæretico, dùm asserunt fidem seiungi à charitate non posse. §. 15. *Confirm.*

Maior propositio è §. 15. probatur. Quia dùm est actus fidei, non potest esse peccatum vllum: quia dùm est assensus ille, coniungitur necessariò cum dilectione Dei, cum qua non potest admitti peccatum, quod videmus graviter displicere Deo: cū dilectione enim alicuius non potest componi voluntas illum graviter exacerbandi: ergo, nisi deponamus assensum de existentia Dei, non possumus peccare. §. 16.

Obijcies: concedi non posse peccari dùm exercetur fides: at verò opus non esse dissentiri Deo; sed sufficere cessare ab actu fidei: nec enim oppositum adhùc est probatum. Contrà: ergo dùm aliquis est memor Dei, peccare non potest: etenim per te necessarium est cessare ab actuali fide in Deum: eâdem autem ratione cum scientia naturali de bonitate Dei non poterimus peccare: quamvis enim scientia naturalis non est in substantia tàm perfecta, §. 17. *Obiectio.* *Refel.*

quàm

quàm fides: neque habet vim ad inferendã tàm perfectam volitionem; tamẽ perfectiori ratione repræsentat Deum, quàm fides, quod attinet ad movendã voluntatem, alioquin adiutam à Deo. Bonitatem enim Dei repræsentat evidenter: quod genus repræsentandi, tàm efficax est ad amorem naturalem, & advertendas graves eius offensiones, quàm fides ad inferendum amorem supernaturalem, si præcisè consideretur modus repræsentandi. Ergò vt admittatur peccatum egemus actuali inconsideratione Dei: hunc enim cognoscimus per fidem aut scientiam: vtraque autem vim habet ad inferendum amorem Dei: quo non datur locus ad faciendam Deo gravem iniuriam. Vnde concludo non posse componi peccatum actuale, neque cum actuali fide, neque cum scientia: ac propterea fidem nihil habere speciale in hominis impeccabilitate, quod non habeat naturalis cognitio Dei.

§. 18. Quod sic explico: asserunt hæretici, repræsentatâ bonitate Dei, non posse volũtatem ipsius Dei amorem cohibere: quia bonitas apprehensa determinat voluntatem ad amorem; sed eadem bonitas apprehenditur scientiâ naturali, & cognitione evidenti, quæ non est minus potens ad amorem in bonitatem eãdem: ergo Philosophus Christianus, dum actu de Deo cogitat, amat necessariò Deum. Hic autem amor componi nõ potest cum offensione gravi ipsius Dei, vt patet in amicitia civili, atq; etiã in turpi: ergo ad peccandum exigitur actualis oblivio Dei. Quàm autem sit hoc absurdum, vel ipsi hæretici fatentur: Lutherus enim atq; Calvinus, peccati hæresis Libertinos accusant; item & Pontificios: cùm tamen Pontificij, & Libertini de Deo cogitent, quando in sententia Lutheri & Calvini peccant: ergo cum cognitione actuali Dei cõponi potest peccatum: quid ni & cum fide? Item negari non potest à multis flagitia committi arbitrantibus se esse iniurios Deo: non est ergo opus ad peccandum habere oblivionẽ Dei.

§. 19. Tunc sic: sine oblivione actuali Dei peccare possumus, non tamen in sententia Lutheri cũ actuali fide de bonitate ipsius Dei: ergo necessaria est ad peccandum dissensio de existẽtia & bonitate Dei: quæ est maior propositio præmissa §. 15. Probo consequentiam; quia ex parte intellectus exigunt hæretici defectum in apprehendenda bonitate Dei; at hic defectus non est actualis inconsideratio; alioquin nullum peccatum esset iniuria in Deum: quæ nunquam infertur ei, quem obliviscimur inculpatè: ergo exigitur dissensio actualis de bonitate, & existentia ipsius Dei.

§. 20. Pono Philosophũ actu credẽtẽ existẽtiã, & bonitatẽ Dei: hic non potest Deum oblivisci, neque negare: quia per species evidentes cognitio necessariò excitatur: hic peccare non potest. Ponamus hunc non esse Philosophum, habere tamen actualem considerationem Dei, neque ab eâ posse cessare: eruditus enim inter Christianos, tàm est assuetus, homicidium esse iniuriam Dei, vt proposita occasione occidendi, non possit cogitatione separare homicidiũ ab iniuria Dei: hic cum ea cogitatione peccare non potest: quia fixè credens bonitatem, & existentiã Dei, illas amat necessariò: ergo vt occidat, opus est, vt sibi persuadeat nõ esse Deũ, qui ea lædatur iniuriâ. Probo consequẽtiã: quia Deum oblivisci non potest propter assuetudinem, ipsum cogitandi in homicidio; neq; item cum actuali in ipsum fide potest peccare: ergo opus est, vt fidem deponat arbitratus non esse Deum. Quæ omnia vel ipsa experientiâ revincuntur: memores enim bonitatis Dei, & eam rectè persuasi multa cõmittimus, quibus credimus ipsum offendi. Ratio à priori est imperfectio fidei Deum abstractivè repræsentantis, & obscurè. Cognitiones verò aliorum obiectorum, maximè autem sensibilium, acriter pulsant appetitum, voluntatemque trahunt ad peccandum.

SECTIO III.

Secundum à ratione argumentum.

§. 21. HÆC, quæ dixi, probant fidem Catholicam, quam hæretici historicam vocant, posse cum peccato componi: nunc probandum posse cum eodem peccato componi hæreticam ipsorum fiduciam. Hoc enim iudicium: *Deus mihi peccata remisit*, non habet oppositionem cum furto deinceps committendo: ergo cum fiducia de remissione peccati præteriti potest componi novum peccatum. Probo antecedens: quia remissio peccati antecedentis cõponi potest cũ sequenti peccato: ergo fiducia de ea remissione potest cõponi cum eodem futuro peccato. Consequentia patet; quia iudicium de remissione potest esse, quoties perseverat eius obiectũ: *ab eo enim quòd res est, vel non est propositio dicitur vera vel falsa*. Deus item iudicat, & remissum esse peccatum præteritum, & aliud novum

S.Tho. q. 4. Art. 3. & q. 23. Art. 8. novum admitti. Antecedens autem probo; quia peccatum præteritum & novum sunt duo realiter distincta, primumque potuit aboleri, atque remitti: priusquam novum committatur: cuius remissio facit illud non esse, vel in sententia hæreticorum non imputari: hæc verò quid pugnant cum novi peccati existentia, & imputatione?

§. 22. Ex quibus constat, fiduciam, per quam aliquis iustificatus est, posse manere informem per peccatum subsequens: per quod nec reviviscit prius, quod fuerat remissum; neque admittitur illius non imputatio: neque dicitur homo esse in peccato remisso prius. Quamvis enim peccato sequenti perdatur status filiorum Dei, non tamen reditur ad statum prioris peccati. Concluditur etiam quàm maneam & nullam iustitiam hæretici admittant: siquidem illa, quæ fuit tota ratio sanctificandi vno tempore, eadem alio componitur cum peccato mortali.

§. 23. *Evasio.* Huic argumento responderi potest quod §. decimo tertio, nempè effectum formalem huius fiduciæ non pendere à priori ab actu charitatis; pendere tamen à posteriori: qui enim apprehendit Deum sibi fuisse tàm benevolum, vt illi remiserit peccata, non potest eum non diligere, cum qua dilectione non potest componi peccatum mortale. *Refel.* Respondeo, idem dici posse de fide Catholicâ, apud ipsos historicâ. Qui enim considerat Deum sibi fuisse tàm benevolum, vt filium suum vnigenitum dederit, non potest eum non diligere: sic enim Deus dilexit mundum, vt filium suũ vnigenitum daret: commendat autem charitatem suam in nobis, quia cùm adhuc inimici essemus, Christus secundùm tempus pro nobis mortuus est. Cur ergo ex supernaturali consideratione, & fide historica de hoc mysterio non sequitur necessariò amor in Deum, cum quo componi non potest grave peccatum?

§. 24. Quamvis hoc tàm apertè sequatur, non admittetur ab hæreticis, ne cogantur admittere fidem iustificantem à fiducia distinctam. Mitto argumenta, quibus impugnavi à §. 16. hanc responsionem: quibus addo nullum peccare posse memorem Christi: nec posse esse peccatum ingratitudinis contra beneficium incarnationis, & remissionis peccati: quia ingratitudo est necessariò supponit memoriam beneficij. Si enim hoc inculpatè obliviscimur, non possumus ingratitudine peccare; si autem hæc beneficia recolimus, necessariò, per te, diligimus benefacientem: cum qua dilectione nullum peccatum in benefacientem componi potest. Hæc & alia absurda haud difficilè deprehendet, qui hæc hæreticorum deliramenta fuerit contemplatus.

SECTIO IIII.

Habitus fidei componi potest cum peccato mortali.

MVLTO facilius ostenditur posse habitum fidei componi cum peccato mortali, quã actum. Etenim effectus formalis fidei habitualis est independens à furto, & eius carentia: ergo potest fides cum vtroque componi. Hæc cùm clara sint, probanda sunt diluendo, quę possunt obiici. §. 25.

Primùm responderi potest quovis peccato mortali amitti fidem habitualem: quia nullum peccatum committi potest, quin præcedat in intellectu error contra fidem. Sed contrà, nam experientiâ de opposito constat: quid enim prohibet, me velle furari nihil de fide malè sentientem? etiam cum persuasione de existentia Dei, de eius remuneratione, de gravitate peccati, & alijs, potest peccatum admitti. Omnes Catholici de hac veritate sunt, vel ipsa experientiâ certi. Præsto est ratio, quia alia bona trahunt appetitum ad amorem sui. §. 26. 1. Obiectio Refell.

Speciatim autem hæc solutio impugnatur, quia non posset aliquod peccatum committi etiam infidelitatis: etenim voluntas dissentiendi dirigitur alio iudicio etiam falso, sicut furtum per te dirigitur iudicio infideli: rogo, vtrùm iudicium illud sit culpatum, aut inculpatum? si culpatum, abibitur in infinitum: quia culpa, ex qua ortum traxit, sequuta est aliud prius iudicium etiam falsum, de quo redit eadem quæstio, donec sistatur in primo vno iudicio inculpatè falso. Si autem iudicium illud sit inculpatè falsum: ergo velle dissentire mysterijs fidei non erit peccatum. Probo consequentiam: quia actus voluntatis ortus ex errore inculpato non est peccatum. Si enim ego inculpatè mihi persuadeo animal, quod est à fronte, esse cervum, non pecco illum sagittâ traijciens, quamvis sit homo: quia inculpata percussio cervi, facit involuntariam necem hominis. Voluntarium enim est à principio intrinseco cognoscente singula: ergo quãdo aliqua circumstantia sine culpa ignora- §. 27.

ignoratur, non committitur voluntariè.

§. 28. Vt ergo peccari potest contra fidem sine præeunte iudicio falso; sed solùm quia bonitas credendi proponitur cum indifferentia; ita potest peccari contra iustitiam, sine errore in fide, sed solùm ob indifferentiam, qua proponitur iustitiæ bonitas. Immò multò faciliùs: quia fides non repræsentat adæquatè bonitatem iustitiæ; sed Deum ipsum, & ejus revelationem circa alia mysteria: quin peccari potest contra iustitiam absque actuali assensu fidei circa bonitatem iustitiæ. Potest enim aliquis actu nō credēs Deum, cognoscere evidenter cognitione humana moraliter certa furtum esse malū, & contra voluntatem Dei: si illud admittat, cur amittet fidem circa alia obiecta?

§. 29. 2. Obiectio Secundò responderi potest habitū fidei amitti quolibet peccato mortali, quia illo amittitur gratia, quam necessariò comitatur fides: vt enim furto gravi amittitur charitas in Deum, temperantia infusa, & aliæ virtutes morales etiam infusæ, sic etiam amittitur fides, & quivis alius habitus per se infusus: quia gratia est principium, à quo dimanant habitus infusi more proprietatum. Sed contrà primùm: fides non amittitur sine peccato infidelitatis: præcisè enim quòd aliquis careat fide, quam tenetur habere, est infidelis teste Sancto Augustino, tom. 3. lib. 3. de Trinitate, cap. 2. *fides, (inquit) quam qui habent, fideles vocantur; & qui non habent, infideles.* At verò infidelitas non obtingit absque actuali peccato infidelitatis: nec tamen aliquis dicitur esse in peccato intemperantiæ; aut intemperans eo præcisè, quòd careat temperantiâ infusa: ergo ex sententia Augustini non perit fides eâdem ratione, quâ cæteræ virtutes. Igitur omnis qui caret fide est infidelis: quod absque infidelitate numquam contingit. *Aug.*

§. 30. Contrà secundò: nam manifesta est ratio in fide cur non pereat: sæpè enim peccat aliquis cum actuali assensu fidei circa aliquod mysterium, qui assensus non perit à peccato; sed cum illo componitur: sed assensus ille conservatur ab eisdem principiis, à quibus fuit primùm productus: neque enim videtur cur assensus ille sit conservandus ab aliis causis: quod non contingit in actibus aliarum virtutum, qui tunc vel non exercentur, vel exercentur per auxilium extrinsecum: assensus autem fidei est per se principium indifferens actus boni, ac per consequens est indifferens ad existendum cum malo.

§. 31. Ad id quod obiicitur de dimanatione habituum, dico gratiam sanctificantem non posse in omnibus comparari naturæ: multi enim sunt actus supernaturales, qui omninò non possunt oriri à gratia; sed potiùs indigent carentia ipsius gratiæ, vt constabit in disputationibus de iustificatione; at verò non potest esse aliquis actus vitalis absque substantia naturali: ergo non est gratia exactè comparanda naturæ: idem contingere potuit habitibus, nempè non esse naturâ sua gratiæ connexos. Quod de fide & spe communiùs Theologi affirmant. Qui autem dicunt posse etiam eos duos habitus connaturaliùs esse cum gratia, quàm sine illa, docent eos duos habitus speciali Dei beneficio manere in peccatore non desperante, & non dissentiente, vt commodiùs convertatur in Deum: quod apertè colligunt ex Scripturis, atque Conciliis.

SECTIO V.

Argumenta hæreticorum.

§. 32. NVLLO argumento moventur hæretici, nisi nonnullis Scripturæ, & Patrum testimoniis adulteratis illorum libidine. Multa recenset Cardinalis Bellarminus tomo 3. lib. 1. de iustificatione cap. 15. quibus omissis, hæc adduntur. *Bellarm.* Sanctus Hieronymus tomo 6. in epistolam ad Galatas, cap. 5. in id: *fructus autem spei*, hæc ait. *Cùm autem dilectio procul abfuerit, & fides pariter abscedit.* *Obiectio.* Respondeo, constare è §. 5. liquidò ab Hieronymo sentiri in multis peccatoribus manere fidem. *Resp.* In testimonio autem adducto oratoriè agit Hieronymus de quadam in circumincessione trium virtutum Theologicarum, vnamque censet in duabus aliis contineri; duas item in vna. Spem esse in fide sic ait. *Nec mirum si spei in hoc catalogo referatur, cùm in fide sit, quod speratur*: subiicit autem. *Quæritur quoque quomodo fides in charitate sit posita? qui diligit, numquam se lædi æstimat: numquam aliud, nisi quod diligitur suspicatur.* Hæc Hieronymus: quibus ostendit se non agere de fide Catholica, quando dicit fidem abscedere abscedente charitate; sed de fide largè sumpta pro æstimatione solius amoris activi, atque passivi: abscedente verò amicitia succedit æstimatio aliarum rerum, quàm amari, & amare, nosque arbitramur lædi: quæ suspicio est propria inimicitiarum, sicut prior æstimatio reperitur in solis amantibus: hanc ergo æstimationem vocat Sanctus Hieronymus *fidem*, quam meritò dixit abscedente charitate perire.

S. Tho. q. 4 Art. 3. & q. 23. Art. 8.

possint simul componi peccatum & gratiam.

§. 35. Hinc argumentor primùm: si tota ratio sanctificandi esset fides, fiducia, & apprehensio iustitiæ Christi; sicut in hac secunda sententia sola qualitas gratiæ est tota ratio iustificandi, inepte argumētaretur Apostolus, habentem fidem sine charitate non esse iustum & sanctum: ergo neque fides neque apprehensio iustitiæ Christi sunt tota ratio iustificandi. Probo antecedens: quia ex illa hypothesi possibili, aut impossibili, per locum intrinsecum nihil homini deesset ad rationem iusti: nam ex parte subiecti nihil deest, quia subiectum est substantia animæ rationalis: nequid deesset ex parte rationis formalis, quia hæc per te est fides; neque deesset aliquid ex parte vnionis. Charitas autem illa, quæ deesset, est per te extra totam rationem formalem iustitiæ: ergo tunc esset adæquatè conceptus iusti: ergo ineptè diceret Apostolus eum hominem nihil fore. Estque hoc manifestum discrimen, quòd carentia charitatis non est formaliter peccatum: possumus enim amorem omittere absque peccato: ergo per locum intrinsecum ex carentia charitatis non haberet homo, per quod esset nihil: nam & totam iustitiam haberet, & carentia charitatis non esset peccatū. Quod non contingeret in casu secundæ sententiæ propositæ §. 34.

§. 36. Secundò probo argumentationem Paulli fuisse stultam, si tota ratio formalis sanctificandi est fides. Quia argumentum ab impossibili, sive ex impossibili hypothesi, non debet includere terminos invicem repugnantes, ex quibus (vt aiunt Dialectici) sequitur quodlibet; sed B. Paullus retinuisset terminos invicem repugnantes, ex quibus sequitur quodlibet: ergo eius argumentatio fuisset stulta. Maior est clara, vel hoc exemplo, si ponatur hominem esse irrationalem: cùm enim homo essentialiter sit rationalis, ponere illum esse irrationalem, est ponere illum esse simul rationalē, & nō rationalē: vndè sequitur quodlibet; nec potest aliquid dignosci. Minor autem patet: quia si fides est tota ratio iustitiæ, poni ab Apostolo aliquem cum omni fide, & illum esse nihil; est illum ponere simul esse iustum & non esse iustum: iustum quidem, quia habet totam rationem iustitiæ: non iustum autem, quia solus ille, qui non est iustus iustitiâ communicata per Christum, est nihil comparatione vitæ æternæ. Dicendum ergo, vel hypothesim illā Apostolicam nō esse impossibilem; sed posse fidem sine iustitia consistere; vel charitatem esse necessariam per se ad iustificationem, ita vt fides sola non sit tota ratio iustitiæ: alioquin inanis est argumentatio Paulli.

Confirmo ab eadem Apostolo fidem nō §. 37.
solùm, non esse totam rationem iustitiæ, *Confirm.*
verùm neque principem partem: etenim illa virtus est præcipua formalis pars iustificationis, quæ in ratione virtutis est maior; sed charitas in ratione virtutis est maior fide: ergo charitas est præcipua iustificationis pars. Minor est ipsius Paulli 1. ad *1. Cor. 13.*
Corinth. 12. 31. *& adhùc excellentiorem viam vobis demonstro*: agit autem de charitate, & cap. 13. versu 13. *Nunc autem manent fides, spes, charitas: tria hæc; maior autem horum est charitas.* Maior probatur, quia habitus aut actus iustificans perfectior est non iustificante: ideò enim iustificat, quia propter excellentiorem bonitatem movet Deum ad remittendum peccatum. Item perfectissimus effectus formalis est reddere hominem Sanctum: si ergo fides pertinet ad rationem formalem sanctitatis, & non charitas, fides maior est charitate. Eâdem ratione si in ratione formali sanctificandi tenet fides meliorem charitate locum, ergo fides melior est charitate.

Adverte mihi non fuisse animum pro- §. 38.
bare, fide & charitate iustificari hominem *Animad.*
formaliter: censeo enim actum fidei esse dispositionem ad iustificationem, & extra eius rationem formalem: abstineo autem à quæstione, vtrùm actus charitatis sit formaliter sanctificatio? sed tantum volui ostendere sola fide hominem non iustificari formaliter; sed necessariam esse aliam formam, quæ vel sola, vel cum fide iustificet formaliter. Idque contra hæreticos ostendo apertissimo testimonio Paulli 1. ad Corinth. 13. sensus autem Apostoli est, nullum posse primum iustificari operum virtute sine actu charitatis: neque valere aliquid bonum opus ad condignum meritum augmēti gratiæ & gloriæ, nisi exerceatur ab homine existente in charitate. Qua expositione revincuntur hæretici: vtrùm vero charitas se ipsa sit ratio formalis sanctificandi? vel vtrùm charitas sit necessaria ratione gratiæ habitualis, quam perpetuo comitatur? sedē habet apud Scholasticos: Apostolus autem eo testimonio in neutrā se partem inclinat.

SECTIO V.

Contra inanem hæreticorum fiduciam.

INSCRIPTIONEM hanc præ- §. 39.
figo libenter, vel ob imitationem Concilij Tridentini sess. *6.* c. *9.* Præmitto tripli-

triplicem hæreticorum fidem (si possumus tripartiri fidem, quæ nullibi est, nulla enim vera in hæreticis est.) Primam vocant historicam: quâ fixè assentimur omni propositioni à Deo revelatæ; & propositæ sufficienter. Secundam operatricem miraculorum: quâ sibi aliquis persuadet certò, & infallibiliter à Deo faciendum miraculum. Tertiam, quâ absque formidine, & timore sibi aliquis persuadet remissa sibi esse peccata: quam vocant fiduciam, & fidem iustificantem. Hanc sequitur voluntatis affectus, qui potest etiam fiducia nuncupari, sive cõfidentia: est autem gaudium virtutis spei de bono apprehenso, vt existente: nempè de remissione peccati, & imputatione iustitiæ Christi iam apprehensæ. Probandum superest hanc fiduciam sine charitate inanem esse. Mitto argumẽta communia huic fidei, & catholicæ: quibus ostendi necessariam esse charitatem, vt homo sit aliquid, & ne sit cymbalum tinniens, & nihil: vt enim ea argumenta vim habent ad ostendendam solam fidem catholicam non sufficere sine charitate, sic eam habent contra inanẽ hanc iustificantem fidem. Mitto prætærea argumentum propositum §. 19. & 20. speciatim argumentor contra hanc fiduciam inanem.

§. 40. Quia illa fides est iudicium certum & infallibile, quòd peccata sunt iam remissa, ortum ex apprehensione iustitiæ Christi iam imputatæ: sed non potest esse eiusmodi iudicium certum de peccatis iam dimissis: ergò inanis est hæc fiducia. Maior ponitur ab hæreticis, opinantibus fidem illam non solùm terminari ad possibilem remissionẽ peccatorum: ea enim fides iam esset catholica, qua tenentur omnes credere possibilẽ esse remissionem peccatorum singulorum hominum; sed terminatur ad remissionem iam factam, per quam homo creditur iustificatus, & existens in statu filiorum Dei, quo est dignus vita æterna. Minor probatur primùm: quia non est principium ex parte obiecti cui innitatur assensus ille certus: quia ille actus debet inniti revelationi Dei, qua manifestet ipse se nobis remisisse peccata: hæc autem revelatio nullibi est: quia nulli id Deus revelat de lege ordinaria.

§. 41. Iam video Lutheranos, & Calvinianos, tàm familiares esse Spiritui Sancto, vt ab ipso singuli cognoscant immediatè quid sint credituri: eâdemque ratione ab ipso discent iam sibi esse remissa peccata. Iam impugnavi disp. 14. sect. 1. fidem non pendere à revelatione propria, facta ipsi credenti: nunc autem privatim hanc revelationem impugno: quia singulis hominibus viatoribus est in potestate cum gratia Dei sanctificatio propria: nulli enim impossibilis est salus, dum vivit: sed multis esset salus impossibilis, si consisteret in hac fiducia: ergo. Probo minorem: quia multi non possunt exercere hoc iudicium certum: quia illis non revelat Deus remissionem peccatorum iam factam. Miserum me! qui cùm sæpiùs peccaverim, nunquã adhuc mihi revelavit Deus esse mihi dimissa peccata: neque adhuc sum expertus Spiritus Sancti motum, quo certus sim de remissione peccatorum.

Dicent: revelatam esse remissionem peccatorum, si singuli firmiter credant iam esse remissa. Contrà: illa non est remissio absolutè facta; sed factibilis, facienda autem non absolutè, sed ex hypothesi, quòd certò credatur: ergo, vt absolutè fiat, opus est ponere illam hypothesim. Quemadmodum fide sumus certi peccata remissum iri homini exercenti contritionem charitatẽ perfectam: remissio verò non fit absolutè, nisi perfecta pœnitẽtia ponatur: ergo opus est ad remissionem peccatorum, vt exerceatur hoc iudicium absolutum, & certum: *Mihi remissa sunt peccata*; sed hoc iudicium multi exercere non possunt, quia non habent revelationem privatam, nec publicam de peccatis iã absolutè dimissis: ergo multis impossibilis est salus adhuc viventibus. §. 42. *Evasio. Refell.*

§. 43. Secundò probatur hoc iudicium esse impossibile: quia remissio peccatorum debet esse prior hoc iudicio; sed non potest esse prior: ergo non potest hoc iudicium esse. Maior probatur: quia remissio peccatorum est obiectum illius iudicij, cognoscendum per revelationem de ipsa remissione peccatorum. Assensus enim ille habet pro obiecto materiali remissionem peccati: pro formali verò authoritatem, & revelationem Dei, quæ cognoscit speculativè; sicut fide catholica cognoscimus creationem mundi. Obiectum autẽ formale, & materiale priora sunt cognitione speculativa de ipsis. Minor probatur: quia remissio peccati in sententia hæreticorum fit propter fidem illã: ideò enim Deus peccatum remittit, quia peccator habet fidem illam atque fiduciã: vt in sententia catholica ideò Deus remittit peccatum, quia sufficienter pœnitet hominem. Ergo remissio peccati non potest esse prior assensu certo de illa.

Hoc argumentum cùm attigisset P. Vazquez in 1. 2. disp. 210. num. 21. indicat etiã solutionem: quia non est opus, vt remissio peccati præeat iudicio: quia eius veritas perficitur iudicio ipso: quemadmodum antequam proferantur verba consecrationis, non adest corpus Christi; verba tamen vera sunt, quia in fine prolationis adest Christi corpus: ita ipso assensu fidei remi[illegible] §. 44. *P. Vazq.*

S. Tho. q. 4 Art. 3. & q. 23. Art. 8. peccati. Contrà: verba consecrationis significant practicè corpus Christi: practicum autem signum veritatem accipit, quando perficitur totum signum, quamvis in aliqua prima parte ipsius non existat effectus: cum enim tunc non sit tota propositio vocalis, non redditur falsa: fides verò illa est cognitio speculativa, supponens priùs natura totum suum obiectum. Quod apertè

Confirm. confirmo: revelatio de remissione peccati est prior naturâ assensu ipso; sed remissio peccati est etiam prior ipsa revelatione: ergo remissio peccati est etiam prior ipso iudicio. Maior est certa: ideò enim exercetur iudicium illud quia est revelatio: quæ est obiectum formale eius iudicij: & quemadmodum color, quem ego video, est prior visione, & per speciem impressam est principium visionis: ita revelatio per speciem sui vt existentis est principium assensus fidei. Estque vera hæc propositio caussalis, *ideò assentimur certò remissioni peccati, & revelationi, quia Deus illud remisit, & revelavit*: hæc autem est falsa: *ideò sunt remissio & revelatio, quia est assensus.* At verò præsentia corporis Christi in Eucharistia non est prior; sed posterior naturâ verbis: verbaque non sunt posteriora naturâ; sed priora. Est ergo latum discrimen. Item actus practicus, vt practicus est posterior suo obiecto. Priùs enim est possibilis domus, quam ab architecto cognoscatur vt possibilis: illa verò cognitio est caussa exercitæ existentiæ domus, quam non repræsentat in eo statu: cognitio autē architecti de domo iam exercita speculativa est, & posterior ipsâ domo vt existente.

§. 45. 2. Obiectio. Secundò potest obijci esse mutuam prioritatem inter assensum & remissionem peccati. Sæpiùs impugnavi eam mutuam prioritatem, maxime autem in caussis moralibus. Quia verò illa prioritas mutua admittitur ab aliquibus Catholicis, libet ostendere in illis nullum esse hæreticis asylum. Admittunt enim Catholici mutuam prioritatem inter gratiam & actum charitatis, tamquam inter principium activum, & passivū propriè, aut reductitiè, non verò in genere caussæ meritoriæ, aut moralis. Hæc enim movet vt existens liberè. Qua de re latè dissero disputat. 127. maxime autem sect. 10. Itaque admittunt Theologi pauci mutuam caussalitatem quasi physicam, non moralem. Hæc autem fiducia movet in genere caussæ moralis, ac propterea iam videtur existere omnino, prius quam effectus, qui est remissio peccati. Nam physicè movere non potest; quia fiducia non est physica dispositio ad iustitiam: quia hæc ex hæreticis est per imputationem iustitiæ Christi, & per non imputationem peccati: quæ duo non pendent physicè à fide; sed moraliter, inter actum verò creatū eiusq; obiectū nullum admittunt; neque possunt: quia obiectum formale semper est priùs, & independens à sui cognitione. Quando autem cognitio est de obiecto existente: ratio formalis, per quam cognoscitur, est principium activum assensus: quia per speciem impressam est ipsius caussa efficiens: at verò assensus non est causa efficiens speciei, neque obiecti à quo fit species. Sed sicut hæc est independens à cognitione, ita & obiectum ipsum. Immò qui dicunt scientiam liberam Dei esse caussam creaturarum (qui sunt paucissimi) non dicunt inter obiectum formale, & scientiam esse eam caussalitatem: decretum enim Dei (quod ex illis est obiectū formale illius scientiæ) est penitùs priùs ratione, quàm ipsa scientia: sic revelatio est omninò prior quam fiducia, & non potest esse posterior. Denique actus intellectus, quo credo mihi remissa esse peccata eodem modo tendit in suum obiectum, quo assensus de creatione mundi in suum: neque assensus intellectus efficiunt sua obiecta, nisi quando natura sua sunt practici. Pone autem duos eiusmodi assensus: alterum postquam aliquis iustus est; quod iudicium non facit sanctitatem: alterum in eodem primo instanti sanctitatis: hæc duo iudicia differunt in modo attingendi obiecti.

SECTIO VI.

Argumenta hæreticorum ex Scripturis.

HÆRETICI variè conantur ostendere solam fidem sine operibus sufficere ad salutem; neque opera esse necessaria: vbi adverte quod observavi §. 30. quam callidè, & malitiosè se isti tegant: cùm enim agitur in Scripturis de operum necessitate, admittunt opera vt necessaria: quando verò ipsi suum confirmant errorem adducunt scripturas, quibus arbitrantur expungi operum necessitatem. Primum igitur adducunt Paullum ad Roman. 3. 20. *Quia ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram illo. Per legem enim cognitio peccati. Nunc autem sine lege iustitia Dei manifestata est: testificata à lege & prophetis. Iustitia autem Dei per fidem Iesu Christi in omnes, & super omnes, qui credunt in eum. Non enim est distinctio.* Item versu 27. *vbi est ergo gloriatio tua? exclusa est. Per quam legem? facto-* §. 46. *Paull. Roman. 3. 20*

factorum? non, sed per legem fidei. Arbitramur enim iustificari hominem per fidem sine operibus legis. De quibus liquidò constat censuisse Paullum solâ fide sine alijs factis hominem esse iustum.

§. 47. Certè antiquiores hæretici non tam absre hoc testimonium adducerent: loquitur enim Apostolus non de fide privata de peccatis iam remissis, sed de fide Catholica, per quam credimus in Christum: Paullus autem nullam vult esse distinctionem inter omnes credentes in Christum: ergo non est necessaria ad iustificationem, hæc privata fides novantium hæreticorum. Secundò P.
P. Vazq. Vazquez 1.2. disput. 216. cap. 8. censet per opera legis non intelligi solam legem Mosaycam; sed etiam naturalem: quidquid enim agimus ex sola cognitione legis Mosaycæ & naturalis sine gratia per Christum, nihil confert ad iustificationem: immò neque ad augmentum gratiæ. Cardinalis Bel-
Bellarm. larminus tomo 3. lib. 1. de iustificatione capit. 19. per legem factorum intelligit non solum naturalem & Mosaycam; sed etiam Christi, quatenus aliquid præcipit: omnem enim legem præcipientem vocat legem factorum: legem autem fidei vocat spiritum, qui vivificat opem ferendo, eam à Deo postulando.

§. 48. Tolet. Cardinalis Toletus annotatione 27. reijcit expositionem Bellarminianam verbis Augustini: arbitrati vterque solam legem Mosaycam esse factorum legem: quia onusta erat præceptis sine vi ad observandum: Evangelium autem quamvis præcepta cōtinet, continet & vim ad ea observanda: cōsentit P. Cornelius. Et colligitur expressè ex glossa interlinearia id interpretante contra Iudæos; idque docet expresse Lyra & alij interpretes. Loquitur ergo Apostolus eo testimonio de solâ lege veteri: cuius cæremoniæ sine fide, & gratia per Christum nihil vmquam contulerunt ad salutem: nunc autem sunt perniciosæ. Quod satis apertè Paullus ostendit versu 28. *Arbitramur enim iustificari hominem per fidem sine operibus legis. An Iudæorum Deus tantum, nonne & gentium.* Quasi dicat ne glorietur Iudæus, quod per opera suæ legis salvus fiet: nam & gentes sine eâ lege possunt adipisci salutem. Quod si de lege naturali loquitur Apostolus nihil diceret de Iudæis non commune cum gentibus, immò & cum Christianis in expositione Bellarminiana. Eo igitur testimonio non excludit Apostolus, nisi cæremonias veteres: quod si etiam excludat actiones naturales, intelligitur de factis sine gratia per Christum; non verò de factis ex fide: hæc enim fiunt ex gratia per Christum.

Cornel. Gloss. Lyra. Ad Rom. 3.28.

§. 49. Ad Rom. 4.2. Secundum testimonium est ex eodem Apostolo, cap. 4. ad Roman. 2. *Si enim Abraham ex operibus iustificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum.* Hic arbitror locutum Apostolum de operibus naturalibus: vt præter P. Vazquez explicant Toletus annotatione 3. P. Cornelius, Lyra & alij. Cui adsonat ad Galatas 5. 6. *In Christo enim Iesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium:* circumcisionem autem intelligit legem Mosaycam: præputium verò naturalē: neutra enim solis suis viribus aliquid valet. *Sed fides quæ per dilectionem operatur,* id est, fides infusa propter merita Christi, quæ fides ex gratia eorumdem meritorum operatur per dilectionem, valet ad salutem. E quibus constat Paullum, & Iacobum exegisse ad salutem opera, quæ præcipiuntur lege Christiana, exercita tamen ex gratia per Christū: Paullumque hæc non reiecisse; sed legalia & naturalia exercita sine gratia per Christum. Qua distinctione facillimè conciliantur omnia testimonia, quibus opera exigūtur, & quibus excluduntur. Item colligitur fidem, quam desiderant Apostoli esse Catholicam, & non privatam illam fiduciam. Abrahamus enim, qui ipsis exemplo est, non dicitur credidisse remissionem suorum peccatorum; sed promissionem à Deo factam.

Ad Galat. 5.6.

§. 50. Luc. 7.50 Maldon. Tertium testimonium est ex cap. 7. Lucæ 50. vbi Christus dixit Magdalenæ *fides tua te salvam fecit*: vbi P. Maldonatus ait: hunc esse vnum ex his locis, quos semper hæretici nostri temporis in ore habent, vt confirment nos solâ fide iustificari. Qui locus est qui minus abs re citari posse videtur: quia Magdalena cōfisa misericordiæ Christi accessit ad iustificationem accipiendam. Est tamen locus adductus per quam ineptè. Illa enim salus, quam impetraverat Magdalena, fuit remissio peccatorum, & sanctificatio; sed hæc non obtigerunt Magdalenæ ob solam fidem, quod probandum erat hæreticis: ergo ex eo testimonio ineptè colligitur solâ fide impetrari remissionem peccatorum. Probatur minor ex versu 47. *propter quod dico tibi: remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Cùm igitur Christus remissionem peccati, & salutem adscribat & fidei & dilectioni, agit de fide operante per dilectionem quam commendat Apostolus ad Galatas 5. 6. Qua igitur impudentia hoc testimonio probant solâ fide Magdalenam salutem adeptam?

Luc. 7.47.

§. 51. Mat. 9.2. Quartum testimonium est ex cap. 9. Matthæi: *Et videns Iesus fidem illorum, dixit paralitico: confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* Et versu 22. dixit mulieri patienti fluxum sanguinis *confide filia, fides tua te salvam fecit.* Respondeo hæc etiam testimonia adduci

diso: latronem enim in exemplum adducēs Chrysostomus, inquit: *latro autem credidit tantùm, & iustificatus est*: id est, non dedit stipem, nec visitavit ægros, nec rapta restituit: at verò non potuit negare Chrysostomus præter fidem necessariam esse voluntatem: quam ipse latro satis expresśit sperans, & appetens regnum Dei, præter quam habuit perfectum amorem: Chrysostomum autem apertisśimè à Catholica fuisse sententia constat ex §. 15. quare cùm homilia 3. in epistolam ad Titum ait, à credente non esse alia inferenda, quia sola fides iustificat, non excludit opera facta ex gratia per Christum; sed potiùs ea in fide amplectitur; excludit autem cæremonialia veteris legis, quæ fidei opponit, vt constat indidem.

§. 56. Qua verò ratione exigatur fides ad iustificationem, & cur dicatur radix & fundamentum iustitiæ, commodiùs examinabitur disputationibus de iustificatione, quod ego præstiti eam quæstionem explanans. Vtrùm autem eodem habitu fidei credi possit revelatio vniversalis, item privata de miraculo faciendo, item & alia privata de remisśione peccatorum iam facta alicui? cõtroversia est etiam inter Catholicos. Ego disput. 9. sect. 3. admisi eas omnes revelationes, quando existunt, & sufficienter applicantur, pertinere ad eumdem habitum.

DISPVT. LIII.

Vtrùm fides posśit esse informis?

§. 1. D est, vtrùm fides posśit esse absque vera sanctitate, & cum mortali peccato componi? Fides enim formata est fides cum charitate & animi sanctitate coniuncta: informis autem est, quæ abiungitur à sanctitate. Et quamvis Doctores Theologi cum S. Thoma 2. 2. quæst. 23. art. 8. frequenter admittant charitatem esse formam omnium virtutum, & consequenter admittant virtutes formatas & informes: est tamen specialis ratio in fide, quæ à Sanctis & Scripturis præcipuè dicitur viva, & mortua: quia fides per obiecti repræsentationem movet voluntatem ad charitatis exercitationem: eaq; propter dicitur per dilectionem operari. S.Thom.

SECTIO I.

Sententia Catholica authoritate probatur.

§. 2. MIRA est hæreticorum stultitia, qui cùm argumentis vrgentur, aut etiam stimulis ad flagitium, inconstanter sua dogmata tradunt, cogente libidine ad sententiam oppositam ei, quam argumentum extorquet: pulvis sunt ille, quem David Psalmo 1. 4. conclamat vento esse à facio terræ proiectum. Refert Cardinalis Bellarminus tomo tertio, libro primo de iustificatione, cap. 14. inconstantiam Lutheri atque Calvini iam admittentium fidem sine operibus, iam negantium: Lutherus enim, hæc ait: *fides nisi sit sine vllis etiam minimis operibus, non iustificat, immò non est fides.* Alibi dicit; *fides, sine & ante charitatem iustificat.* In Commentarijs autem capitis 15. Genesis ait, se scire fidem non existere sine cæteris virtutibus, vt constat ex eodem Bellarmini testimonio: itaque in cap. secundum ad Galatas fides sine & ante charitatem iustificat: in Genesim autem non potest fides esse sine charitate. Calvinus in antidoto Concilij ad Canonē 11. sesśionis sextæ, ait fidem non esse solam: at verò ad Can. 28. docet manere semen aliquod, aut particulam veræ fidei inter gravisśimos lapsus. Benè sit constanti Kemnitio, qui consentiens Calvino in coniunctione necessaria fidei, & operum, docet omnia opera exercita à Paullo etiam in Apostolatu esse stercora inutilia ad salutem: vt constet, quàm vertiginosis capitibus ducantur hæretici.

§. 3. Concilium Tridentinum sesśione sexta, cap. 15. & Canone 28. definit non amitti fidem quovis peccato mortali; sed solùm peccato infidelitatis. Quam definitionem mirè Cardinalis Bellarminus confirmat eo lib. 3. cap. 15. ex Scripturis & Patribus: P. Valentia disp. 1. quæst. 4. puncto 4. & P. Suar. disp. 7. sect. 3. Quibus pauca sunt addenda. S. Ioannes 3. cap. versu 18. ait, *qui credit in eum non iudicatur: qui autem non credit, iam iudicatus est: quia non credit in nomine vnigeniti Filij Dei. Hoc est autem iudicium: quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem.* Quod testimonium subobscurum videtur: quia omnes homines partiti sunt in credentes & nõ credentes: credentes non iudicãtur; nõ credentes iã iudicati sunt: in quos ergò exercetur iudicium illud? Constat quidem ex ipsis Bellar. Valenti. Suar. Ioà. 3. 18.

S.Tho. q. 4. Art. 3. & q. 23. Art. 8. verbis, iudicium exercitum iri in eos, qui crediderunt fide mortua, & aliquo modo Deum dilexerunt, magis tamen mundum. Quod eleganter exposuit Sanctus Hilarius in Psalmum 1. in id: *propterea resurgent impij in iudicium*: vedeat lector totum Hilarij testimonium: è quo hæc nobis sufficiunt. *Sunt enim aliqui inter impios piosque, qui medij sint, ex vtroque admixti, neutri tamen propriè, quia in id ipsum constiterint ex vtroque: nec fidei admiscendi, quia sit illis aliquid infidelitatis insertum; neque infidelitati deputandi.* Quibus docet Hilarius peccatores medios inter iustos & infideles.

Hilarius.

§. 4. Quod autem dicit eos habere aliquid infidelitatis, non intelligitur eos in intellectu habere aliquem errorem: sic enim nullus est fidelis, nec in Ecclesia Christi; sed intelligitur in moribus eos habere aliquid gentilismi: vt constat ex immediatis, his verbis: *plures namque Dei metus in Ecclesia continet; sed eosdem tamen ad sæcularia vitia sæculi blandimenta solicitant. Orant, quia timent: peccant, quia volunt: Christianos se nuncupant, quia bona est spes æternitatis: gentilia agunt, quia blanda præsentia sunt: impij non manent, quia his Dei nomen in honore est: pij non sunt, quia, quæ pietati sunt aliena, sectantur.* Et infrà: *impijs* (non credentibus) *iudicium, quia iam iudicati sunt, non relinquit: peccatoribus autem, quos superiori sermone discerni ab impijs docuimus, consilium iustorum, quia iudicandi sint, denegavit.*

Idem.

§. 5. Hieron. Eâdem distinctione peccatorum & impiorum vtitur Sanctus Hieronymus tomo septimo, in Psalm. 1. in id *non sic impij*, his verbis: *inter impium & peccatorem hoc interest, quòd, qui impius est, negat Deum: qui peccator est, confitetur & peccat.* Et infrà, *sic & impius, qui semel Deum negaverit: quocumque illum aura diaboli traxerit, illic errore producitur.* Hos commentarios esse Sancti Hieronymi rectè docet Bellarminus in observatione 7. tomi. Commentaria verò ad Galatas tomo 6. sunt sine controversia Sancti Hieronymi: qui in cap. 3. sub initium explicans illa verba: *iustus ex fide vivit*, ait: *considerandum est itaque quia non dixit: homo, aut vir ex fide vivit, ne occasionem tribueret ad virtutum opera contemnenda, sed iustus ex fide vivit.*

§. 6. S. Aug. Sanctus Augustinus sæpè ostendit fidem inanem manere absque charitate: tomo 10. serm. 1. in Vigiliam Pentecostes, qui est 181. de tempore (in appendice verò est 59. cap. primo: ibi reijcitur, quia non videtur esse Augustini) hæc ait: *non dicit credo Deum, vel credo Deo: quamvis & hæc saluti necessaria sint: credere vera esse, quæ loquitur, multi & mali possunt: credunt enim esse vera, & nolunt ea facere sua, quia ad hoc [illegible]edum pigri sunt. Credere autem ipsum esse [illegible] um & Dæmones possunt: credere verò in De[illegible], soli noverunt, qui diligunt illum, qui non [illegible] sum nomine Christiani sunt; sed etiam factis & [illegible]tà: quia sine dilectione fides inanis est; cum [illegible]tione, fides Christiani: sine dilectione fides dæmonis. Qui ergo non credit Christum, adhuc nec dæmones imitatur. Iam credit Christum; sed odit Christum: habet confessionem fidei in timore pœnæ, non in amore coronæ.* Quod ait, fidem sine operibus, fidem esse dæmonum, eam non comparat in omnibus dæmoniacæ: hæc enim est coacta & sine gratia per Christum: illa autem est spontanea, & vtilis, immò & necessaria ad salutem: vt patet ex illis verbis, *non dicit: credo Deum, vel, credo Deo, quamvis & hæc saluti necessaria sint.* Vndè etiam cognoscent hæretici locutum Augustinum de fide iustificante, qua credimus mysteria; non verò de hæretica illa fiducia.

§. 7. Idem. Idem Sanctus Augustinus tomo quarto, libro quæstionum Evangelicarum in Matthæi cap. 13. hæc ait. *Sed rectè quæritur, vtrùm hæretici sint, an mali viventes Catholici? Possunt enim dici filij mali, etiam hæretici*: & infrà. *At illi, qui in eadem fide mali sunt, palea potiùs, quàm Zizania reputantur*: & infrà, *in illa planè sagena, qua concluduntur & boni & mali pisces, non absurdè mali Catholici intelliguntur.* Distinguit igitur Augustinus hæreticos à peccatoribus Catholicis: hos pleno ore *Catholicos* vocat, eosque dicit esse in eadem fide, qua boni. Neque verò meminit Augustinus alicuius fidei in bonis Catholicis, quæ non sit etiam in Catholicis malis: vtrosque enim dicit esse in eâdem fide: & vtrosque in Ecclesia Catholica, extra quam sunt hæretici. Quo ergo antiquitatis fundamento constituunt Novantes hæretici fidem Christianam in Christianis bonis, quæ non sit & in malis Christianis?

§. 8. Chrysost. Sanctus Chrysostomus adductus disputatione 52. nobis favet apertè. Et præter verba ibidem adducta & tomo 4. homilia 11. in epistola ad Rom. in morali, hæc ait. *Ita & fidelis corruptè ac perditè vivens, non solùm non veneratione dignus; sed vel magis ludibrio habendus.* Item homilia nona in primam ad Corinthios, cùm egisset de fide Chatholica, quæ par in omnibus Catholicis reperitur, non tamen cum pari vita, hæc ait de omnibus Catholicis. *Videre licet & hos rursus magis, illos minùs proficere: alios graviùs, alios leviùs peccare conspicamur*: & infrà clarissimè opponitur novis hæreticis: *si quis (in[illegible] vivit cum fide*

fide recta, auxilium ei fides non præstabit, vt non puniatur opere perdito. Vbi considera illa verba: *fides recta cum opere perdito*. Quid ergò est fides recta, nisi fides Catholica, fides qua sumus in Ecclesia? hæc fides potest esse in homine perdito.

§. 9. Gregor. Magnus Gregorius mille in locis id confirmat. Homilia 22. in Ezechielem, cùm egisset de fidelibus ait: *sunt tamen inter eos plurimi, qui adhuc carnaliter viuunt, qui etsi fortasse literas ignorant, & præcepta Dei legere non valent, certè in multorum fidelium conversatione, bona, quæ imitentur, vident: nec in excusatione dicere poterunt &c.* Libro 25. in Iob capite 14. cùm dixisset locum videntium esse Ecclesiam, in qua multos invenit vltio Dei, concludit: *quasi impios percussit eos in loco videntium. Ibi quippè stabant, vbi Deum videre videbantur. Ibi tenebras dilexerunt, vbi lumen veritatis aspicitur. Et quamvis apertos habuerunt oculos in fide; tenuerunt tamen eos clausos in opere. Vndè & benè de Iudæa dicitur: speculatores eius cæci: quia videlicet non videbant opere, quod professione cernebant. Vndè etiam de Balaam scriptum est, qui cadens apertos habet oculos: cadens quippè in opere, apertos tenuit oculos in contemplatione.* Libro 27. in Iob capite 9. *Vnde in ipsa quoque Sancta Ecclesia plurimi fidem tenent, & vitam fidei non tenent.* Et libro trigesimo tertio capite sexto de Behemoth absorbente fluvium hæc ait: *quia verò & post mediatoris adventum quosdam, qui rectè vivere negligunt, etiam fideles rapit.* Et infrà: *alios namque sub Christianitatis nomine positos devorat: quia in ipso eos fidei errore supplantat. Alios à rectitudine fidei nequaquam deviat; sed ad vsum pravæ operationis inclinat: & fidem tenent, sed vitam fidei non tenent. Quia enim nonnulli confitendo fideles sunt, non videndo; hinc est, quod voce veritatis dicitur: non omnis, qui dicit domine, domine, intrabit in regnum cœlorum.*

§. 10. S. Cyrillus. Alexand. Sanctus Cyrillus Alexandrinus adductus disputatione 52. §. vndecimo, consentit apertè: maximè libro decimo in Evangelium Ioannis capite decimo sexto his vebis: *non igitur sufficit ad perfectionem, id est, sanctificationem, quæ per Christum est, in numero palmitum recipi; sed oportet ardenti charitate Christum sequi.* Dixerat autem homines esse palmites Christi per fidem.

§. 11. S. Bernar. Sanctus Bernardus adductus disputatione 52. §. duodecimo, id clarè testatur, & sermone vigesimo quarto in Cantica, *vides (inquit) quòd non faciat hominem rectum fides etiam recta, quæ non operatur ex dilectione.* S. Cypr. Idem asserit Sanctus Cyprianus Epistola 51. cuius verba satis conspicua refert Pater Iustinianus in epistolâ 2. ad Timotheum cap. 2. versu 20. aliosque Patres adducit. Hic observanda sunt duo: alterum non posse responderi ab hæreticis hos Patres locutos de fide imperfecta per solam apprehensionem mysteriorum: loquuntur enim de fide, qua rectè credimus in Deum: de fide Catholicâ: de fide, per quam sumus Christiani: de fide, quæ communis est bonis & malis Christianis: hæc autem fides non est imperfecta, qualis est naturalis. Alterum observatu dignum, à Sanctis nec verbum factum de inani ista iustificante hæreticorum fide, quâ necessariò ad iustitiam sit credenda remissio peccatorum iam facta in singulis: cùm autem Patres, vt homines in Ecclesia existant, non exigant nisi fidem, qua rectè credamus omnia, quæ à Deo revelata sunt, & per hanc sibi persuadeant esse homines fideles, & in Ecclesiâ; altera hæreticorum fides, vt necessaria ad existendum in Ecclesia & iustificationem obtinendam, commentum est Lutheranum, quo homines non trahuntur in Ecclesiam; sed extrahuntur ab illa.

SECTIO II.

Primum à ratione argumentum.

BIPARTITA potest esse hæreticorum sententia: primò de actibus fidei & charitatis, nempè actum charitatis necessariò esse componendum cum actu fidei, ita vt nullus possit credere, quin simul amet Deum: secundò possunt intelligi hæretici de habitibus ipsis: ita vt habitus fidei non possit componi cum vllo peccato mortali. Primum sensum hac sectione examinandû suscipio. Actus fidei est naturâ sua independens ab actu charitatis: ergò potest esse absque illo. Consequentia non eget probatione: quia existentia rei independens ab alio, idem est, ac non indigere alio ad existendum. Antecedens probo, quia actus fidei est prior naturâ actu charitatis, vt cõstat ex Animastica disciplina voluntati enim præit intellectus, non intellectui voluntas: tũ etiã quia actus fidei pẽdet ab obiecto, à specie impressâ, à potentia intellectrice, ab habitu per se infuso vel auxilio, item & à voluntate libera determinante, intellectum ad assensum, illum amante & orta ab alia cognitione reflexa repræsentante actum ipsum fidei: his autem §. 12.

S. Tho. q. 4. Art. 3. & q. 23. Art. 8. positis, cur indigebit actus fidei actu charitatis terminato ad idem obiectum fidei? vt enim ego assentiar à Petro verè affirmari cœlum esse factum, quid pendeo ab amore Petri, aut cœli? immò assensus hic potest componi cum odio ipsius Petri, & cœli: sic & assensus fidei potest componi cum odio omnium, quæ per illam cognoscuntur.

§. 13. Evasio. Dices: assensum fidei non pendere à priori ab actu charitatis, pendere tamen à posteriori: quemadmodum substantia pendet à sua proprietate: & vt vicinius adducamus exemplum, visio beata non pendet ab amore, vt à principio influente; neque tamen potest esse absque illo. Refell. Quæ doctrina Lutherum habet antesignanum, quem sequuti Buzerus atque Calvinus; quos refert Cardinalis hæreticorum antagonista Bellar. tomo 3. lib. 1. de iustificatione, cap. 15. à versu *quintum argumentum*, quos etiam refellit egregiè: neque indigent impugnatione longa. Quod enim affertur de substantiæ proprietatibus, latè differt. Quia substantia pendet à multis accidentibus, sine quibus mutila esset, & manca: actus autem intellectus cùm accidens sit, non pendet ab alijs proprietatibus actualibus. Ab actuali enim operatione pauca pendent: pendet anima à suis potentijs: hæ & illa non pendent à suis actibus. Intellectio magis propriè dicenda videtur passio intellectus, quàm volitio passio intellectionis: quia intellectio est intrinseca intellectui, secùs volitio intellectioni: item intellectio est finis *qui* potentiæ; potentia verò finis *cui* intellectionis: qui duo fines magis sunt affines, quàm duo actus diversarum potentiarum: vt ergò intellectio non est propria intelligentis passio, cur volitio erit passio intellectionis? Immò cùm intellectio sæpè repræsentet obiectum cum indifferentia ad amorem & odium; neuter affectus potest esse intellectionis attributum.

§. 14. Quod affertur de visione beata est etiam abs re: ideò enim affectus sequitur necessariò visionem, quia intuitione perfecta proponitur infinitum bonum, in quo amando nullum apparet incommodum: fides autem inferiori ratione repræsentat bonum idem per species alienas, per quas vix formatur proprius conceptus obiecti obscurè, quæ est maxima imperfectio. At libertas aut necessitas voluntatis, quamvis ab obiecto pendet, magis tamen & immediatiùs à cognitione. Liquet enim experientiâ voluntatem non rarò subitò in obiecta ferri, quin possit se cohibere: si autem paululum animadvertat, crescente perfectione cognitionis eiusdem obiecti, fit paulatim sui compos, & odij, quod amaverat. Cùm ergo tàm latum sit discrimen à visione ad fidem, non potest ab altera duci ad alteram argumentum: alioquin & argumentabor ego: visio reddit hominem beatum & incapacem doloris: ergo & fides eadem præstat. Patet consequentia: quia obiectum est idem, & per to vtrâque cognitione reddit hominem incapacem peccati: cur ergo non & doloris?

Vt autem huius sententiæ deliramenta noscantur, in ipsis argumentis, quibus probatur à priori indifferentia voluntatis in amando obiecto finito, & etiam infinito obscurè proposito, sic argumentor. Sequitur, nullum hominem posse peccare, nisi priùs dissentiatur obiecto formali fidei, & sibi persuadeat Deum neque esse veracem, neque esse Deum: consequentis absurditas nota videtur ex se: ergo. Minor neque ab ipsis hæreticis negatur: quamvis enim aliqui asseruerint, nullum esse peccatum præter infidelitatem, vt constat ex Concilio Tridentino eos damnante sessione sexta, cap. 15. & Canon. 27. non tamen dixerunt fidem pendere ab actu dilectionis; sed potiùs componi posse cum furto, adulterio, & homicidio: quæ non censebant esse peccata; immò & cum ipso odio Dei fidem componerent: quia nullum censent esse peccatum præter infidelitatem: quæ distinguitur ab odio Dei, vel si admittunt aliqua peccata præter infidelitatem, asseruerunt sola infidelitate gratiam amitti, nō verò alio peccato quantumvis enormi. Itaque cum his hac in parte non disputamus; sed cum ipsis, & quovis alio hæretico, dùm asserunt fidem seiungi à charitate non posse. §. 15. Confirm.

Maior propositio è §. 15. probatur. Quia dùm est actus fidei, non potest esse peccatum vllum: quia dùm est assensus ille, coniungitur necessariò cum dilectione Dei, cum qua non potest admitti peccatum, quod videmus graviter displicere Deo: cū dilectione enim alicuius non potest componi voluntas illum graviter exacerbandi: ergo, nisi deponamus assensum de existentia Dei, non possumus peccare. §. 16.

Obijcies: concedi non posse peccari dùm exercetur fides: at verò opus non esse dissentiri Deo; sed sufficere cessare ab actu fidei: nec enim oppositum adhuc est probatum. Contrà: ergo dùm aliquis est memor Dei, peccare non potest: etenim per te necessarium est cessare ab actuali fide in Deum: eâdem autem ratione cum scientia naturali de bonitate Dei non poterimus peccare: quamvis enim scientia naturalis non est in substantia tàm perfecta, quàm §. 17. Obiectio. Refel.

quàm fidei: neque habet vim ad inferendã tàm perfectam volitionem; tamẽ perfectiori ratione repræsentat Deum, quàm fides, quod attinet ad movendã voluntatem, alioquin adiutam à Deo. Bonitatem enim Dei repræsentat evidenter: quod genus repræsentandi, tàm efficax est ad amorem naturalem, & advertendas graves eius offensiones, quàm fides ad inferendum amorem supernaturalem, si præcisè consideretur modus repræsentandi. Ergò vt admittatur peccatum egemus actuali inconsideratione Dei: hunc enim cognoscimus per fidem aut scientiam: vtraque autem vim habet ad inferendum amorem Dei: quo non datur locus ad faciendam Deo gravem iniuriam. Vnde concludo non posse componi peccatum actuale, neque cum actuali fide, neque cum scientia: ac propterea fidem nihil habere speciale in hominis impeccabilitate, quod non habeat naturalis cognitio Dei.

§. 18. Quod sic explico: asserunt hæretici, repræsentatâ bonitate Dei, non posse volũtatem ipsius Dei amorem cohibere: quia bonitas apprehensa determinat voluntatem ad amorem; sed eadem bonitas apprehenditur scientiâ naturali, & cognitione evidenti, quæ non est minus potens ad amorem in bonitatem eãdem: ergo Philosophus Christianus, dum actu de Deo cogitat, amat necessariò Deum. Hic autem amor componi nõ potest cum offensione gravi ipsius Dei, vt patet in amicitia civili, atq; etiã in turpi: ergo ad peccandum exigitur actualis oblivio Dei. Quàm autem sit hoc absurdum, vel ipsi hæretici fatentur: Lutherus enim atq; Calvinus, peccati hæresis Libertinos accusant; item & Pontificios: cùm tamen Pontificij, & Libertini de Deo cogitent, quando in sententia Lutheri & Calvini peccant: ergo cum cognitione actuali Dei cõponi potest peccatum: quid ni & cum fide? Item negari non potest à multis flagitia committi arbitrantibus se esse iniurios Deo: non est ergo opus ad peccandum habere oblivionẽ Dei.

§. 19. Tunc sic: sine oblivione actuali Dei peccare possumus, non tamen in sententia Lutheri cũ actuali fide de bonitate ipsius Dei: ergo necessaria est ad peccandum dissensio de existẽtia & bonitate Dei: quæ est maior propositio præmissa §. 15. Probo consequentiam: quia ex parte intellectus exigunt hæretici defectum in apprehendenda bonitate Dei; at hic defectus non est actualis inconsideratio; alioquin nullum peccatum esset iniuria in Deum: quæ nunquam infertur ei, quem obliviscimur inculpatè: ergo exigitur dissensio actualis de bonitate, & existentia ipsius Dei.

§. 20. Pono Philosophũ actu credẽtẽ existẽtiã, & bonitatẽ Dei: hic non potest Deum oblivisci, neque negare: quia per species evidentes cognitio necessariò excitatur: hic peccare non potest. Ponamus hunc non esse Philosophum; habere tamen actualem considerationem Dei, neque ab eâ posse cessare: eruditus enim inter Christianos, tàm est assuetus, homicidium esse iniuriam Dei, vt proposita occasione occidendi, non possit cogitatione separare homicidiũ ab iniuria Dei: hic cum ea cogitatione peccare non potest: quia fixè credens bonitatem, & existentiã Dei, illas amat necessariò: ergo vt occidat, opus est, vt sibi persuadeat nõ esse Deũ, qui ea lædatur iniuriâ. Probo consequẽtiã: quia Deum oblivisci non potest propter assuetudinem, ipsum cogitandi in homicidio; neq; item cum actuali in ipsum fide potest peccare: ergo opus est, vt fidem deponat arbitratus non esse Deum. Quæ omnia vel ipsa experientiâ revincuntur: memores enim bonitatis Dei, & eam rectè persuasi multa cõmittimus, quibus credimus ipsum offendi. Ratio à priori est imperfectio fidei Deum abstractivè repræsentantis, & obscurè. Cognitiones verò aliorum obiectorum, maximè autem sensibilium, acriter pulsant appetitum, voluntatemque trahunt ad peccandum.

SECTIO III.

Secundum à ratione argumentum.

HÆC, quæ dixi, probant fidem Catholicam, quam hæretici historicam vocant, posse cum peccato componi: nunc probandum posse cum eodem peccato componi hæreticam ipsorum fiduciam. Hoc enim iudicium: *Deus mihi peccata remisit*, non habet oppositionem cum furto deinceps committendo: ergo cum fiducia de remissione peccati præteriti potest componi novum peccatum. Probo antecedens: quia remissio peccati antecedentis cõponi potest cũ sequenti peccato: ergo fiducia de ea remissione potest cõponi cum eodem futuro peccato. Consequentia patet; quia iudicium de remissione potest esse, quoties perseverat eius obiectũ: *ab eo enim quòd res est, vel non est propositio dicitur vera vel falsa*. Deus item iudicat, & remissum esse peccatum præteritum, & aliud §. 21.

S.Tho. q. 4. Art. 3. & q. 23. Art. 8. novum admitti. Antecedens autem probo; quia peccatum præteritum & novum sunt duo realiter distincta; primumque potuit aboleri, atque remitti, priusquam novum committatur: cuius remissio facit illud non esse, vel in sententia hæreticorum non imputari: hæc verò quid pugnant cum novi peccati existentia, & imputatione?

§. 22. E quibus constat, fiduciam, per quam aliquis iustificatus est, posse manere informem per peccatum subsequens: per quod nec reviviscit prius, quod fuerat remissum; neque adimitur illius non imputatio: neque dicitur homo esse in peccato remisso prius. Quamvis enim peccato sequenti perdatur status filiorum Dei, non tamen reditur ad statum prioris peccati. Concluditur etiam quàm manca & nullam iustitiam hæretici admittant: siquidem illa, quæ fuit tota ratio sanctificandi vno tempore, eadem alio componitur cum peccato mortali.

§. 23. *Evasio.* Huic argumento responderi potest quod §. decimo tertio, nempè effectum formalem huius fiduciæ non pendere à priori ab actu charitatis; pendere tamen à posteriori: qui enim apprehendit Deum sibi fuisse tàm benevolum, vt illi remiserit peccata, non potest eum non diligere, cum qua dilectione non potest componi peccatum mortale. *Refel.* Respondeo, idem dici posse de fide Catholica, apud ipsos historicâ. Qui enim considerat Deum sibi fuisse tàm benevolum, vt filium suum vnigenitum dederit, non potest eum non diligere: sic enim Deus dilexit mundum, vt filium suũ vnigenitum daret: commendat autem charitatem suam in nobis, quia cùm adhùc inimici essemus, Christus secundùm tempus pro nobis mortuus est. Cur ergo ex supernaturali consideratione, & fide historica de hoc mysterio non sequitur necessariò amor in Deum, cum quo componi non potest grave peccatum?

§. 24. Quamvis hoc tàm apertè sequatur, non admittetur ab hæreticis, ne cogantur admittere fidem iustificantem à fiducia distinctam. Mitto argumenta, quibus impugnavi à §. 16. hanc responsionem: quibus addo nullum peccare posse memorem Christi: nec posse esse peccatum ingratitudinis contra beneficium incarnationis, & remissionis peccati: quia ingratitudo est necessariò supponit memoriam beneficij. Si enim hoc inculpatè obliviscimur, non possumus ingratitudine peccare; si autem hæc beneficia recolimus, necessariò, per te, diligimus benefacientem: cum qua dilectione nullum peccatum in benefacientem componi potest. Hæc & alia absurda haud difficilè deprehendet, qui hæc hæreticorum deliramenta fuerit contemplatus.

SECTIO IIII.

Habitus fidei componi potest cum peccato mortali.

MULTO faciliùs ostenditur posse habitum fidei componi cum peccato mortali, quà actum. Etenim effectus formalis fidei habitualis est independens à furto, & eius carentia: ergo potest fides cum vtroque componi. Hæc cùm clara sint, probanda sunt diluendo, quę possunt obijci. §. 25.

Primùm responderi potest quovis peccato mortali amitti fidem habitualem: quia nullum peccatum committi potest, quin præcedat in intellectu error contra fidem. Sed contrà, nam experientiâ de opposito constat: quid enim prohibet, me velle furari nihil de fide male sentientem? nam cum persuasione de existentia Dei, de eius remuneratione, de gravitate peccati, & alijs, potest peccatum admitti. Omnes Catholici de hac veritate sunt, vel ipsa experientiâ certi. Præsto est ratio, quia alia bona trahunt appetitum ad amorem sui. §. 26. 1. Obiectio. Refell.

Speciatim autem hæc solutio impugnatur, quia non posset aliquod peccatum committi etiam infidelitatis: etenim voluntas dissentiendi dirigitur alio iudicio etiam falso, sicut furtum per te dirigitur iudicio infideli: rogo, vtrùm iudicium illud sit culpatum, aut inculpatum? si culpatum, abibitur in infinitum: quia culpa, ex qua ortum traxit, sequuta est aliud prius iudicium etiam falsum, de quo redit eadem quæstio, donec sistatur in primo vno iudicio inculpatè falso. Si autem iudicium illud sit inculpatè falsum: ergo velle dissentiri mysterijs fidei non erit peccatum. Probo consequentiam: quia actus voluntatis ortus ex errore inculpato non est peccatum. Si enim ego inculpatè mihi persuadeo animal, quod est à fronte, esse cervum, non pecco illum sagittâ traijciens, quamvis sit homo: quia inculpata percussio cervi, facit involuntariam necem hominis. Voluntarium enim est à principio intrinseco cognoscente singula: ergo quãdo aliqua circumstantia sine culpa ignora- §. 27.

ignoratur, non committitur voluntariè.

§. 28. Vt ergo peccari potest contra fidem sine præeunte iudicio falso, sed solùm quia bonitas credendi proponitur cum indifferentia; ita potest peccari contra iustitiam, sine errore in fide, sed solùm ob indifferentiam, qua proponitur iustitiæ bonitas. Immò multò faciliùs: quia fides non repræsentat adæquatè bonitatem iustitiæ, sed Deum ipsum, & ejus revelationem circa alia mysteria: quin peccari potest contra iustitiam absque actuali assensu fidei circa bonitatem iustitiæ. Potest enim aliquis actu nō credēs Deum, cognoscere evidenter cognitione humana moraliter certa furtum esse malū, & contra voluntatem Dei: si illud admittat, cur amittet fidem circa alia obiecta?

§. 29. 2. Obiectio. Secundò responderi potest habitū fidei amitti quolibet peccato mortali, quia illo amittitur gratia, quam necessariò comitatur fides: vt enim furto gravi amittitur charitas in Deum, temperantia infusa, & aliæ virtutes morales etiam infusæ, sic etiam amittitur fides, & quivis alius habitus per se infusus: quia gratia est principium, à quo dimanant habitus infusi more proprietatum. Sed contrà primùm: fides non amittitur sine peccato infidelitatis: præcisè enim quòd aliquis careat fide, quam tenetur habere, est infidelis teste Sancto Augustino, tom. 3. lib. 3. de Trinitate, cap. 2. *fides*, (inquit) *quam qui habent, fideles vocantur; & qui non habent, infideles*. At verò infidelitas non obtingit absque actuali peccato infidelitatis: nec tamen aliquis dicitur esse in peccato intemperantiæ, aut intemperans eo præcisè, quòd careat temperantiâ infusa: ergo ex sententia Augustini non perit fides eâdem ratione, quâ cæteræ virtutes. Igitur omnis qui caret fide est infidelis: quod absque infidelitate numquam contingit. Aug.

§. 30. Contrà secundò: nam manifesta est ratio in fide cur non pereat: sæpè enim peccat aliquis cum actuali assensu fidei circa aliquod mysterium, qui assensus non perit à peccato; sed cum illo componitur: sed assensus ille conservatur ab eisdem principijs, à quibus fuit primùm productus: neque enim videtur cur assensus ille sit conservandus ab alijs causis: quod non contingit in actibus aliarum virtutum, qui tunc vel non exercentur, vel exercentur per auxilium extrinsecum: assensus autem fidei est per se principium indifferens actus boni, ac per consequens est indifferens ad existendum cum malo.

§. 31. Ad id quod objicitur de dimanatione habituum, dico gratiam sanctificantem non posse in omnibus comparari naturæ: multi enim sunt actus supernaturales, qui omnino non possunt oriri à gratia; sed potiùs indigent carentia ipsius gratiæ, vt constabit in disputationibus de iustificatione; at verò non potest esse aliquis actus vitalis absque substantia naturali: ergo non est gratia exactè comparanda naturæ: idem contingere potuit habitibus, nempè non esse naturâ sua gratiæ connexos. Quod de fide & spe communiùs Theologi affirmant. Qui autem dicunt posse etiam eos duos habitus connaturaliùs esse cum gratia, quàm sine illa, docent eos duos habitus speciali Dei beneficio manere in peccatore non desperante, & non dissentiente, vt commodiùs convertatur in Deum: quod apertè colligunt ex Scripturis, atque Concilijs.

SECTIO V.

Argumenta hæreticorum.

§. 32. NVLLO argumento moventur hæretici, nisi nonnullis Scripturæ, & Patrum testimonijs adulteratis illorum libidine. Multa recenset Cardinalis Bellarminus tomo 3. lib. 1. de iustificatione cap. 15. quibus omissis, hæc adduntur. Bellarm. Sanctus Hieronymus tomo 6. in epistolam ad Galatas, cap. 5. in id: *fructus autem spei*, hæc ait. *Cùm autem dilectio procul absuerit, & fides pariter abscedit*. Obiectio. Respondeo, constare è §. 5. liquidò ab Hieronymo sentiri in multis peccatoribus manere fidem. Resp. In testimonio autem adducto oratoriè agit Hieronymus de quadam in circūinsessione trium virtutum Theologicarum, vnamque censet in duabus alijs contineri; duas item in vna. Spem esse in fide sic ait. *Nec mirum si spes in hoc catalogo referatur, cùm in fide sit, quod speratur*: subjicit autem. *Quæritur quoque quomodo fides in charitate sit posita? qui diligit, numquam se lædi æstimat: numquam aliud, nisi quod diligitur, suspicatur*. Hæc Hieronymus: quibus ostendit se non agere de fide Catholica, quando dicit fidem abscedere abscedente charitate; sed de fide largè sumpta pro æstimatione solius amoris activi, atque passivi: abscedente verò amicitia succedit æstimatio aliarum rerum, quàm amari, & amare, nosque arbitramur lædi: quæ suspicio est propria inimicitiarum, sicut prior æstimatio reperitur in solis amantibus: hanc ergo æstimationem vocat Sanctus Hieronymus *fidem*, quam meritò dixit abscedente charitate perire.

§. 33. S.Tho. q. 4. Art. 3. & q. 23. Art. 8. Sed & Chrysostomus tom. 4. homil. de fide, spe & charitate docere videtur eas tres virtutes esse mutuò catenatas. *Quæ duo* (inquit fides & spes) *ita sibi mutuà vice coniuncta sunt, vt alter sine altero stare non possit.* Item in epistola ad Titum cap. 2. in ea verba, *in magna domo* &c. explicat in Ecclesia non esse vasa fictilia: ac propterea magnam domum intelligit mundum, non Ecclesiam: quia in hac nullum est vas in contumeliam; sed omnia in honorem. Respondeo constare ex §. 8. Chrysostomum à nobis esse. Immò in primo testimonio hic adducto paulò inferius perspicuè docet, posse manere fidem sine charitate, & spe. Præterea spes accipitur à Chrysostomo non solùm pro actu desiderandi spectante ad voluntatem; sed etiam pro intellectus assensu probabili iudicante rem esse futuram: cumque per desperationem deficit spes, deficit etiam assensus ille, pro quo succedit alius assensus de re non futura: hic autem assensus ex parte intellectus est in caussa, vt volūtas desperet, verba Chrysostomi sunt, *spes est futuræ pollicitationis religiosus affectus, promissæ gloriæ devota intentio.* Igitur Chrysostomus non accipit fidem Catholicam; sed persuasionem illam necessariam ad sperandum. Secundum testimonium nihil vrget, constat enim ex §. 8. ab eo admitti fidelem, qui sit vas contumeliæ. In epistola verò ad Titum non accipit Ecclesiam in totâ sua latitudine; sed pro eius præcipua parte membrorum vivorum: de quibus dicitur ab Apostolo Ecclesiam non habere maculam, neque rugam: quod non intelligitur de tota Ecclesia.

§. 34. Aug. Videbitur etiam S. Augustinum huic errori favisse tom. 7. lib. 1. contra Cresconiū Grammaticum, cap. 29. his verbis: *Non autem existimo, quemquam ita desipere, vt credat ad Ecclesiæ pertinere vnitatem eum, qui non habet charitatem.* Quibus significat charitate carentem carere quoque verâ fide: omnis enim, qui habet veram fidem, pertinet ad Ecclesiæ vnitatem. Inferiùsque hæc ait de Ecclesia. *Neque in qua sola fides retinetur; sed in qua sola vna fides cum charitate retinetur.* Respondeo eo testimonio non probari ab Augustino censeri non posse manere fidem veram sine charitate; sed potiùs inclinari videtur esse veram fidem extra Ecclesiam: ait enim cap. 18. *fidem, qua creditur Christum esse filium Dei vivi: invenimus etiam eos, qui non pertinent ad membra Ecclesiæ etiam confiteri; nec ideò fieri, vt non sit vna fides.* En quantum distet Augustinus ab his hæreticis.

Agit autem S. Doctor contra Schismaticos, de quibus tom. 6. lib. 20. contra Faustum cap. 3. initio ait eos eadem opinari, & eodem ritu colere, quo cæterā Ecclesia, eosque solo delectari dissidio congregationis: quàm doctrinam mutuatus est S. Thomas 2. 2. quæst. 39. art. 1. Hi Schismatici in Ecclesia quidem sunt: non enim eo præcisè quod Schismatici, sunt & infideles; non tamen sunt in vnitate Ecclesiæ, non quod mente habeant scissuras, & schismata; sed quia in diversitate cordis non habent vnitatem charitatis: quapropter schisma per se charitati opponitur, non fidei. Vnde constat rectè dixisse Augustinum nullum, nisi desipientem arbitrari posse esse aliquem in vnitate Ecclesiæ, nisi habeat charitatem: neque loquitur de charitate in Deum, neque de alio habitu iustificante; sed de voluntate non disidendi, per cuius contrariam homo constituitur formaliter schismaticus. Quibus responsum est primis duobus Augustini testimonijs. S.Thom.

§. 36. Nec verò censuit extra Ecclesiam esse veram fidem: accipit enim fidem obiectivè, & completè pro aliquo articulo, quem Catholici credimus. Hunc articulum, ait, esse vnum intra, & extra Ecclesiam, his verbis, cap. 50. *Vide ergo nos quam probabilem rationem sequamur, quæ schismatici, vel hæretici corruperunt, cum ad nos inde veniunt, corrigimus: quæ verò sicut acceperunt, tenuerunt, agnoscimus, & probamus: cùm Apostolū videamus etiam in ara gentilium, à quibus idola colebantur, Dei nomen inventum confirmasse potiùs, quam negasse.*

DISPVT. LIIII.

Vtrùm eadem fides possit esse formata, & informis.

STATVO contra hæreticos posse manere fidem informem; quærit S. Thom. vtrùm eadem sit formata & informis? censuerunt aliqui non esse eamdem, quod Magister in 3. dist. 23. dixit posse absque absurdo defendi. Primū, quia fides formata est vera; mortua autem informis; verum autem animal non potest esse eiusdem rationis cum mortuo. Respondeo vivum accipi posse pro toto composito pro homine, & equo: in quo sensu non sunt eiusdem rationis vivum & mortuum: quia forma cadaveris humani differt ab anima: sic complexum ex fide & charitate differt à complexo ex fide & peccato mortali: nec in hoc sensu dicitur fides mortua: dicitur autem iustitia mortua, sive extincta, vt homo vita functus: quia vt homo excessit e vivis; ita S.Thom. Magist.

ita & iustitia perijt. Item vivum, & mortuum accipitur pro subiecto quod informatur anima & cadavere; sic corpus dicitur vivum, & mortuum idem numero: quia subiectum accipit denominationem à forma, vt eadem manus est frigida, & calida solâ mutatione qualitatum: ita fides dicitur mortua: quam merito S. Bernardus vocavit putidum cadaver. Quæ possunt obijci pro hac sententia difficultate carent.

§. 2. Dicendum ergo eumdem numero habitum fidei esse formatum, & informem: quæ doctrina traditur à S. Thom. & tā est Theologis certa, vt opposita mordeatur à Banez PP. Valentia Turriano & alijs: quæ ab errore vindicatur ab alijs. Primùm argumētū ex Tridentino sess. 6. cap. 15. & Can. 28. *Si quis dixerit amissa per peccatum gratia, simul & fidem semper amitti; aut fidem, quæ remanet, non esse veram fidem, licet non sit viva; aut eum, qui fidem sine charitate habet, non esse Christianum: anathema sit.* Responderi tamen posset hoc testimonio apertè solum probari peccatorem manere cum fide mortua; per quā est verè fidelis & Christianus: cùm autem hæc doceat opposita sententia, non damnatur in Concilio. At certè satis forte argumentum est ea definitio ad probandum non corrumpi aliquem habitum fidei, nisi peccatò infidelitatis: quamvis enim responderi potest à Concilio intelligi fidem nō semper amitti; intelligitur tamen non amitti, ita vt omni fide careat peccator; at non definit non perire aliquam fidem: quo responso fugi videtur Concilij anathematismus: adhuc tamen magis adsonat Concilio nullam fidem perire: quia id melius verba sonant, & magis absonant hæreticis.

S.Thom. *Bañez.* *Valent.* *Torres.* *Cōc. Trid.*

1. Prob.

§. 3. Magis ergo è mente Concilij asseritur, nullam in peccatore non infideli perire fidem, quia nulla fides habet formalem effectum oppositum cum furto, aut homicidio; & quævis cognitio viæ componi potest cū amore, & odio sui obiecti, vt latè probavi disput. 53. à §. 12. nec opposita sententia potest defendi commodè. Nam si ponatur in iusto vna sola fides; hæc perit quovis peccato mortali: quod hæresi vicinum est; non enim videtur cōmodè responderi posse hæreticis, si arguerent ab eâ fide ad alias. Si enim fides succedens sit eiusdem speciei cū pereunte, argumentum hæreticorum esset efficax: quia inter individua eiusdem speciei non potest tantum esse discrimen: si autem fides illæ ponantur specie differre primum id asseritur absque fundamento: nec enim ex conceptu fidei petitur argumentum, quo probetur vna fides pendere ex conceptu suo à charitate; alia verò non pendere: item fidelis iustus non haberet vnam fidem cum fideli peccatore: quia, quæ solo numero differunt, habent vnitatem: quæ verò differunt specie, sunt absolutè diversa. De quo vide disp. 56. §. 5. & 6.

§. 4. Ratio à priori, est quia charitas est forma fidei per extrinsecam denominationem: charitas enim reddit subiectum gratum Deo; & iusti bona opera, digna vita æterna. At mutatio extrinsecæ denominationis nō est in causâ, vt pereat subiectum denominatum extrinsecè: nec fides periret, tametsi intrinsecè esset charitate formata: quia manus non perit mutatione lucis; nec quamvis pro luce non succedat alia qualitas.

DISPUT. LV.

Utrùm fides sit virtus.



§. 1. *S.Thom.* AGIT S.Thom. art. 5. de ratione virtutis, qua fides pollet: quæ partim spectat ad voluntatem per piam ad assentiendum affectionē; partim ad intellectum per assensum ipsum. Affectio pia communem habet quæstionem cum cæteris virtutibus spectantibus ad voluntatem; quam examinabo inferius cum S.Thom. quæst. 25. art. 7. vbi quæritur vtrū absque charitate possit esse aliqua vera virtus: quæ autem sunt propria spei tractanda sunt cum S. Thom. quæst. 17. art. 1. nunc occurrit examen de ipsa fide, vt est habitus intellectus: sit ne virtus pertinens ad intellectum: an verò exulet fides eâ lasse virtutum: cur autem pia affectio habeat obiectum honestum ostendam disputatione 86. §. 12.

§. 2. *Durand.* Qua in re non consentiunt Theologi. Durand. in 3. dist. 23. quæst. 6. num. 6. distinguit virtutem strictè, & latè acceptam: illa est, quæ facit vltimum de potentia: hæc, quæ laudabiliter attingit obiectum suæ potentiæ. Asserit ergo primum fidem esse virtutem in secunda acceptatione, quia obiectū fidei est veritas prima, quæ est præcipuum intellectus obiectum; eamque tangit laudabiliter; tùm quia per bonum affectum imperatur, tùm quia certò; & sine periculo erroris: in primâ acceptatione censet fidem non esse virtutem: quia virtus pertinens ad intellectum facit vltimum de potentia; non quod sit optimus actus inter omnes, quos circa obiectum potest exercere intellectus; sed quia in genere est in supremo cognoscendi obiectum, vel immediatè in se evidenter, vel illud evidenter resolvens in primum principium immediatè, & evidenter cognitum

§. 33. S. Tho. q. 4. Art. 3. & q. 23. Art. 8. S... Chrysostomus tom. 4. homil. de fide, spe & charitate docere videtur eas tres virtutes esse mutuò catenatas. *Quæ duo* (inquit fides & spes) *ita sibi mutuâ vice coniuncta sunt, vt altera sine altera stare non possit.* Item in epistola ad Titum cap. 2. in ea verba, *in magna domo*, &c. explicat in Ecclesia non esse vasa fictilia: ac propterea magnam domum intelligit mundum, non Ecclesiam: quia in hac nullum est vas in contumeliam; sed omnia in honorem. Respondeo constare ex §. 8. Chrysostomum à nobis esse. Immò in primo testimonio hîc adducto paulò inferius perspicuè docet, posse manere fidem sine charitate, & spe. Prætereà spes accipitur à Chrysostomo non solùm pro actu desiderandi spectante ad voluntatem; sed etiam pro intellectus assensu probabili iudicante rem esse futuram: cumque per desperationem deficit spes, deficit etiam assensus ille, pro quo succedit alius assensus de re non futura: hic autem assensus ex parte intellectus est in caussa, vt volũtas desperet, verba Chrysostomi sunt, *spes est futura pollicitationis religiosus affectus, promissæ gloriæ devota intentio.* Igitur Chrysostomus non accipit fidem Catholicam; sed persuasionem illam necessariam ad sperandum. Secundum testimonium nihil vrget, constat enim ex §. 8. ab eo admitti fidelem, qui sit vas contumeliæ. In epistola verò ad Titum non accipit Ecclesiam in totâ sua latitudine; sed pro eius præcipua parte membrorum vivorum: de quibus dicitur ab Apostolo Ecclesiam non habere maculam, neque rugam: quod non intelligitur de tota Ecclesia.

§. 34. Aug. Videbitur etiam S. Augustinum huic errori favisse tom. 7. lib. 1. contra Cresconiũ Grammaticum, cap. 29. his verbis: *Non autem existimo, quemquam ita desipere, vt credat ad Ecclesiæ pertinere vnitatem eum, qui non habet charitatem.* Quibus significat charitate carentem carere quoque verâ fide: omnis enim, qui habet veram fidem, pertinet ad Ecclesiæ vnitatem. Inferiùsque hæc ait de Ecclesia. *Neque in qua sola fides retinetur; sed in qua sola vna fides cum charitate retinetur.* Respondeo eo testimonio non probari ab Augustino censeri non posse manere fidem veram sine charitate; sed potiùs inclinari videtur esse veram fidem extra Ecclesiam: ait enim cap. 28. *Et fidem, qua creditur Christum esse filium Dei vivi: invenimus etiam eos, qui non pertinent ad membra Ecclesiæ etiam confiteri; nec ideò fieri, vt non sit vna fides.* En quantum distet Augustinus ab his hæreticis.

Agit autem S. Doctor contra Schismaticos, de quibus tom. 6. lib. 20. contra Faustum cap. 3. initio ait eos eadem opinari, & eodem ritu colere, quo cætera Ecclesia; eosque solo delectari dissidio congregationis: quam doctrinam mutuatus est S. Thomas S.Thom. 2. 2. quæst. 39. art. 1. Hi Schismatici in Ecclesia quidem sunt: non enim eo præcisè quod Schismatici, sunt & infideles; non tamen sunt in vnitate Ecclesiæ, non quod mente habeant scissuras, & schismata; sed quia in diversitate cordis non habent vnitatem charitatis: quapropter schisma per se charitati opponitur, non fidei. Vndè constat rectè dixisse Augustinum nullum, nisi desipientem arbitrari posse esse aliquem in vnitate Ecclesiæ, nisi habeat charitatem: neque loquitur de charitate in Deum, neque de alio habitu iustificante; sed de voluntate non dissidendi, per cuius contrariam homo constituitur formaliter schismaticus. Quibus responsum est primis duobus Augustini testimonijs.

Nec verò censuit extra Ecclesiam esse veram fidem: accipit enim fidem obiectivè, & completè pro aliquo articulo, quem Catholici credimus. Hunc articulum, ait, esse vnum intra, & extra Ecclesiam, his verbis, cap. 50. *Vide ergo nos quam probabilem rationem sequamur, quæ schismatici, vel hæretici corruperunt, cum ad nos inde veniunt, corrigimus: quæ verò sicut acceperunt, tenuerunt, agnoscimus, & probamus: cùm Apostolũ videamus etiam in ara gentilium, à quibus idola colebantur, Dei nomen inventum confirmasse potiùs, quam negasse.* §. 36.

DISPVT. LIIII.

Vtrùm eadem fides possit esse formata, & informis.

§. 1. STATVO contra hæreticos posse manere fidem informem; quærit S. Thom. vtrùm eadem sit formata & informis? censuerunt aliqui non esse eamdem, quod Magister in 3. dist. 23. dixit posse absque absurdo defendi. S.Thom. Magist. Primũ, quia fides formata est vera; mortua autem informis; verum autem animal non potest esse eiusdem rationis cum mortuo. Respondeo vivum accipi posse pro toto composito pro homine, & equo: in quo sensu non sunt eiusdem rationis vivum & mortuum: quia forma cadaveris humani differt ab anima: sic complexum ex fide & charitate differt à complexo ex fide & peccato mortali: nec in hoc sensu dicitur fides mortua: dicitur autem iustitia mortua, sive extincta, vt homo vita functus: quia vt homo excessit e vivis; ita

ita & iustitia perijt. Item vivum, & mortuum accipitur pro subiecto quod informatur anima & cadavere; sic corpus dicitur vivum, & mortuum idem numero: quia subiectum accipit denominationem à forma, vt eadem manus est frigida, & calida solâ mutatione qualitatum: ita fides dicitur mortua: quam merito S. Bernardus vocavit putidum cadaver. Quæ possunt objici pro hac sententia difficultate carent.

§. 2. Dicendum ergo eumdem numero habitum fidei esse formatum, & informem: quæ doctrina traditur à S. Thom. & tā est Theologis certa, vt opposita mordeatur à Bañez. PP. Valentia Turriano & alijs: quæ ab errore vindicatur ab alijs. Primum argumētū ex Tridentino sess. 6. cap. 15. & Can. 28. *Si quis dixerit amissa per peccatum gratia, simul & fidem semper amitti; aut fidem, quæ remanet, non esse veram fidem, licet non sit viva; aut eum, qui fidem sine charitate habet, non esse Christianum: anathema sit.* Responderi tamen posset hoc testimonio, apertè solum probari peccatorem manere cum fide mortua; per quā est verè fidelis & Christianus: cùm autem hæc doceat opposita sententia, non damnatur in Concilio. At certè satis forte argumentum est ea definitio ad probandum non corrumpi aliquem habitum fidei, nisi peccato infidelitatis: quamvis enim responderi potest à Concilio intelligi fidem nō semper amitti; intelligitur tamen non amitti, itavt omni fide careat peccator; at non definit non perire aliquam fidem: quo responso fugi videtur Concilij anathematismus: adhuc tamen magis adsonat Concilio nullam fidem perire: quia id meliùs verba sonant, & magis absonant hæreticis.

S.Thom. Bañez. Valent. Torres. Cōc. Trid.

1. Prob.

§. 3. Magis ergo è mente Concilij asseritur, nullam in peccatore non infideli perire fidem, quia nulla fides habet formalem effectum oppositum cum furto, aut homicidio; & quævis cognitio viæ componi potest cū amore, & odio sui obiecti, vt latè probavi disput. 53. à §. 12. nec opposita sententia potest defendi commodè. Nam si ponatur in iusto vna sola fides; hæc perit quovis peccato mortali: quod hæresi vicinum est; non enim videtur cōmodè responderi posse hæreticis, si arguerent ab eâ fide ad alias. Si enim fides succedens sit eiusdem speciei cū pereunte, argumentum hæreticorum esset efficax: quia inter individua eiusdem speciei non potest tantum esse discrimen: si autem fides illæ ponantur specie differre: primum id asseritur absque fundamento: nec enim ex conceptu fidei petitur argumentum, quo probetur vna fides pendere ex conceptu suo à charitate, alia verò non pendere: item fidelis iustus non haberet vnam fidem cum fideli peccatore: quia, quæ solo numero differunt, habent vnitatem: quæ verò differunt specie, sunt absolutè diversa. De quo vide disp. 56. §. 5. & 6.

§. 4. Ratio à priori, est quia charitas est forma fidei per extrinsecam denominationem: charitas enim reddit subiectum gratum Deo; & iusti bona opera, digna vita æterna. At mutatio extrinsecæ denominationis nō est in causâ, vt pereat subiectum denominatum extrinsecè: nec fides periret, tametsi intrinsecè esset charitate formata: quia manus non perit mutatione lucis; nec quamvis pro luce non succedat alia qualitas.

DISPVT. LV.

Vtrùm fides sit virtus.

§. 1. S.Thom. AGIT S.Thom. art. 5. de ratione virtutis, qua fides pollet: quæ partim spectat ad voluntatem per piam ad assentiendum affectionē; partim ad intellectum per assensum ipsum. Affectio pia communem habet quæstionem cum cæteris virtutibus spectantibus ad voluntatem; quam examinabo inferiùs cum S.Thom. quæst. 25. art. 7. vbi quæritur vtrū absque charitate posit esse aliqua vera virtus: quæ autem sunt propria spei tractanda sunt cum S. Thom. quæst. 17. art. 1. nunc occurrit examen de ipsa fide, vt est habitus intellectus: sit ne virtus pertinens ad intellectum: an verò exulet fides eâ lasse virtutum: cur autem pia affectio habeat obiectum honestum ostendam disputatione 66. §. 12.

§. 2. Durand. Qua in re non consentiunt Theologi. Durand. in 3. dist. 23. quæst. 6. num. 6. distinguit virtutem strictè, & latè acceptam: illa est, quæ facit vltimum de potentia: hęc, quæ laudabiliter attingit obiectum suæ potentiæ. Asserit ergo primum fidem esse virtutem in secunda acceptatione, quia obiectū fidei est veritas prima, quæ est præcipuum intellectus obiectum; eamque tangit laudabiliter; tùm quia per bonum affectum imperatur, tùm quia certò, & sine periculo erroris: in primâ acceptatione censet fidem non esse virtutem: quia virtus pertinens ad intellectum facit vltimum de potentia; non quod sit optimus actus inter omnes, quos circa obiectum potest exercere intellectus, sed quia in genere est in supremo cognoscendi obiectum; vel immediatè in se evidenter, vel illud evidenter resolvens in primum principium immediatè, & evidenter cognitum

S. Tho. q. 4. Art. 5. tum, quia non quadrant in fidem. Addit Durandus contra S. Thom. fidem cum charitate non habere maiorem rationem virtutis, quàm sine illa: quia semper attingit obiectum obscurè, & cum affectu pio, qui intrinsecè & ex conceptu suo est æquè bonus in peccatore, ac in iusto.

§. 3. *Scot.* Favet Scotus in 3. dist. 23. quæst. vnica versu *Ad quæstionem tamen*, huic sententiæ Durandi: quia multùm inclinat ad concedendam fidei humanæ æqualem certitudinem, ac infusæ: nec Scotus admittit humanam fidem esse virtutem intellectus. E contra

Gabriel. Gabriel in 3. dist. 23. quæst. 2. art. 3. censet opinionem esse virtutem intellectus; vndè meliùs id asseret de fide infusa. S. Thomas

S. Thom. art. 4. docet fidem formatam esse virtutem; secùs informem. Doctrina hæc difficilis aliquibus visa, quia cum charitate fides non est virtus moralis, id est, voluntatis; sine illa autem possunt esse virtutes intellectuales. Loquitur S. Thom. de fide, vt est à voluntate, quo sensu S. Thom. nullam virtutem agnoscit absque charitate. Caietanus

Caiet. docet fidem esse virtutem intellectus: quia certò attingit veritatem; non verò virtutem intellectualem: quia non est evidens.

§. 4. Opinor quæstionem hanc esse de solo nomine, & Caietanum magis esse à ratione devium: sunt enim quisquiliæ discrimen quærere inter virtutem intellectus, & intellectualem, vt inter virtutem voluntatis, & voluntariam: adiectiva enim nomina idē omninò significant, quod substātiva in genitivo possessionis: vt oratio Tullij, & Tulliana: virtus Christi, & Christiana; liber Aristotelis, & Aristotelicus. S. autem Thomas solùm videtur quæstionem diremisse de fide, vt spectat ad voluntatem; ad quod requirit ordinationem in vltimum finem per charitatem, & infallibilitatem ex parte intellectus. Hoc vltimum non requiri probatur: quia si quis exerceat fidem humanam, aut opinionem ex imperio & ordinatione charitatis, virtutem quidem exercet, vt cùm exercetur actio externa: quia ratio virtutis meritoriè conferentis ad vitam æternam convenit actui intellectus, & actioni externæ per solam denominationem extrinsecam ab actu voluntatis; sed hæc denominatio extrinseca convenire etiam potest actibus incertis, sicut & certis: ergo etiam ratio virtutis. Quæstio autem hæc est de ipso fidei assensu, vtrùm sit virtus; non quidem voluntatis; sed intellectus? vt scientia est virtus intellectualis: quod quidem habet scientia independenter à charitate: non ergo absolutè diremit S. Thomas totam quæstionem, nec malè Durandus eam partem impugnat.

§. 5. *Conclus.* Dico fidem infusam esse virtutem intellectus, & intellectualem etiam, cùm est informis: conclusionem hanc docent multi ex

Bañez. Torres. antiquis Theologis, quos imitati Bañez P. Turrianus & alij. Primùm: quia communiter virtus Theologica dividitur in fidem, spem & charitatem; fides autem non est virtus Theologica formaliter per affectū piū, qui non habet pro obiecto Deum, sed se ipsā est Theologica. Secundò, quia virtus est qua quis non potest malè vti: sed fide non possumus vti malè: ergo est virtus. Minor probatur: quia malus intellectus vsus est in aversione à veritate, aut in eius periculo: vt malus voluntatis vsus est in aversione à bonitate, aut eius periculo; sed fides, cùm sit certa, non potest avertere à veritate: ergo eā non possumus abuti. Tertiò, quia scientia naturalis est virtus intellectualis: ergo & fides infusa. Probo consequentiam, quia hæc perfectiùs attingit veritatem: quia eam infallibiliter cognoscit sine aberrandi periculo: est item in ordine supernaturali, quo primùm disponimur ad iustitiam: quæ ratio cōpensat evidentiam scientiæ, & superat: est enim actus in substantia perfectior scientiā naturali; & fortè scientiā infusa. Si ergo scientia naturalis ob perfectionem inferiorem est absolutè virtus intellectualis: cur fides infusa tanto nobilior non erit etiam virtus?

§. 6. *Ad arg.* Ad argumētū Durādi in §. 2. nego virtutē esse, quæ facit vltimū de potentia; alioquin sola charitas esset virtus voluntatis, & solum lumen beatū virtus intellectus: etenim misericordia non facit vltimum de potentia in amando proximo; qui meliùs amatur charitate Theologica: nec scientia infusa cognoscit Deum cum vltimo potentiæ: quia lumine cognoscitur perfectiùs: ergo ad rationem virtutis non exigitur, vt potentia totos contendat nervos; sed vt suum attingat obiectum tàm perfectè, vt non possimus à scopo deflectere. Idem respondeo Caietano, & cæteris adversantibus.

§. 7. Rogas, vtrùm fides naturalis de mysterijs creditis divinā, sit etiam virtus? Affirmant aliqui, quia illa fides non potest errare. Respondeo negativè: fides enim humana secundum se considerata non est nisi probabilis assensus, cui non repugnat falsitas: at incertitudo & errandi periculum, virtuti repugnant: quia illis possumus malè vti: ergo. Pone enim species de fide humana: illæ possūt esse principiū actus veri, quādo obiectū existit; ac falsi, quando non existit obiectū: quibus speciebus non repugnat ex conceptu suo cōponi cū quâvis parte, immò & cum affirmatione, & negatione ab ipsis orta: ergo non sunt virtus.

DIS-

DISPVT. LVI.

Vtrùm fides sit vna?

§. 1. ON disputo, vtrùm fides includat vnum solum habitum intellectus, an duos? alterum intellectus, & voluntatis alterum: egi enim hac de re disput. 50. nec item ago, vtrùm posit esse fides infusa solùm circa authoritatem, & testimonium Dei; an verò possimus simul habitu credere authoritati, & testimonio creatis? de quo agendum inferiùs. Solùm igitur quæro: vtrùm habitus fidei infusæ sit vna simplex qualitas in credente; an verò sint duæ, aut plures specie distinctæ? verbi gratia, vt vnà credam authoritati Dei, assentiens omnia eius testimonia esse vera; alia credam eius revelationem existere; alia credam mysteria ipsa; alijs item diversas revelationes.

SECTIO I.

Ab authoritate divina non probatur vnitas fidei habitualis.

§. 2. *Ad Ephes. 4.6.* NONNVLLI vnitatem fidei habitualis probare soliti ex epistola ad Ephesios 4.6. *vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma*: ergò non sunt multæ fides specie distinctæ, sicut nec baptismata multa. Mirum, eos non deduxisse esse omnibus vnam numero habitualem fidem, vt est idem etiam Dominus. Respondeo, non constare ex eo loco de existentia habitus fidei: ergo nec de eius vnitate: non enim fides adhuc sanxit esse fidem habitualem infusã: ergo nec eius vnitas fide est stabilita. Iam dixi disp. 1. fidem accipi & obiectivè, & formaliter: formaliter pro ratione, quâ assẽtimur; obiectivè pro ipsis articulis, & obiectis, quibus præstamus assensum. Paullus ibi loquitur de fide obiectiva; non de formali, cuius animus est, Ephesios ad vnitatem amoris hortari, quia regenerati sunt ex aqua, & Spiritu Sancto: eadem fides, id est, idem credunt omnes; nec hic hoc obiectum, aliud ille; sed omninò idem vterque.

§. 3. *Hieron.* Expositio hæc communis est Patribus. S. Hieronymus tomo 6. in eum locum: *Propterea* (inquit) *& fides vna dicitur: quia similiter in Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum credimus.* Itaque ex Hieronymo fides est vna: quia omnes Catholici eodem modo credimus in Trinitatem; at non egit Hieronymus vtrùm in Patrẽ credamus eodem habitu, quo in filium. Quare Glossa ordinaria, & Lyrana id acceperũt de fide Catholica, quæ vna est in tota Ecclesia. Idem S. Hieronymus cõtra hæreticorum errores asserit vnitatem fidei tomo 5. in Oseam, cap. 8. in id: *scribam eis rursus leges: vnum autem* (inquit) *esse altare in Ecclesia, & vnam fidem, & vnum baptisma Apostolus docet, quod hæretici defendentes multa sibi altaria fabricati sunt.* Nicolaus de Lyra, *Lyra.* *vna fides, id est, multi articuli innixi vni veritati divinæ*, Patres Iustinianus atque Cornelius ex S. Hieronymo expo- *P. Iustin.* nunt esse vnum baptisma contra Valenti- *P. Cornel.* num duo ponentem: vnam fidem contra Politicos salutem admittentes in quavis religione: quod & Libertini somniarunt.

§. 4. Age, & Paullus egerit de ratione ipsa credendi: non egit de habitu fidei; sed de actibus: quos esse multos, & specie distinctos vix negat vllus. Admitto item sermonem habuisse Paullum de habitibus: non propterea voluit in singulis fidelibus esse vnum numero habitum. Nam cùm multiplicitate habituum etiam in specie, fides est vna, id est, omnes fideles habent fidem habitualem, & actualem vnam; etenim ly *vnam*, non appellat simplicitatem habitus, quo ego credo mysteria; sed similitudinem, quâ omnium fides dicitur vna: nam articuli fidei multi sunt & specie distincti: at comparatione credentium est vna fides: quia omnes credunt eos omnes articulos: ita habitus credendi, licèt plures essent; comparatione tamen fidelium sunt vna fides: quia tot habet vnus fidelis, quot cæteri, nec plures vnus alijs, nec pauciores, ac propterea omnes habemus similem fidem habitualem: quia quamvis in singulis complexa sit plures habitus specie; non tamen diversos in Petro & Paullo; sed eosdem.

§. 5. *S. Aug.* Quod eleganter explicuit S. Augustinus tom. 3. lib. 13. de Trinitat. cap. 2. his verbis: *Sicut dici potest omnibus hominibus esse facies humana communis: nam hoc ita dicitur, vt singuli suas habeant. Aliud sunt ea, quæ creduntur; aliud fides, quâ creduntur: illa quippè in rebus sunt; hæc autem in animo credentis est: quamvis sit in alijs, non ipsa, sed similis. Non enim numero est vna, sed genere; propter similitudinem tamen, & nullam diversitatem, magis vnam dicimus esse, quàm multas: nam & duos homines simillimos cùm videmus, vnam faciem dicimus, & miramur amborum.*

§. 6. E quibus patet huic vnitati fidei habitualis non opponi multitudinem habituum in singu-

S. Tho. q. 4. Art. 6. singulis fidelibus; sed diversitatem vnius fidelis ab alio: etenim facies humana plures continet partes, & accidentia specie distincta: constat enim corpore & animo, colore, figurâ, & alijs inter se absimillimis: quia verò in alia facie similia conspiciuntur, vtriusque facies vna dicitur. Eâdem ergo ratione, quamvis fides Petri conflетur ex plurimis actibus & habitibus, erit vna cū fide Paulli, quia similes habitus & actus includit, ijs, quos habet Petrus. Cùm autem S. Augustinus dixit in omnibus eamdem esse credendi rationem, non numero; sed genere: genus accepit pro specie infima, nō propriè pro generico conceptu. Dixit enim esse eam similem sine vlla diversitate; at quę solo genere conveniunt non habent, similitudinem sine vlla diversitate, quia sunt in specie diversa. Propterea dispu. 54. §. 3. animadverti, non esse admittendam in peccatore fideli fidem specie distinctam à fide iusti; quia non esset illis vna fides: quod est contra sensum Paulli, vt explicatur à S. Augustino.

§. 7. Hieron. Obiectio. Huic tamen verissimæ Augustini expositioni obvius videtur factus Hieronymus tom. 6. in epist. ad Titum, cap. 1. in id, *iuxta communem fidem. Quod quidem* (inquit) *melius mihi videtur Apostoli Paulli & Titi fidem fuisse communem, quàm omnium credentium: in quibus pro varietate mentium fides communis esse non poterat.* Respondeo, non admitti à S. Hieronymo diversitatem in fide inter fideles; sed maiorem, aut minorem assensum actualem: quia simpliciores fideles nō percipiunt omnia mysteria, quæ Apostoli: quia non capiunt tantam doctrinam. At si erudiantur, eadem omninò credent. Hoc autem non tollit omnium esse absolutè communem fidem: quia habitus idem est in omnibus fidelibus: animi promptitudo eadem, at pro ruditate, aut acumine cuiusque non omnes æqualiter percipiunt mysteria; sed æqualiter credunt ea, non in se; sed in Ecclesiæ propositione, à qua nolunt dissentiri. Quapropter *communem* fidem exponunt vniversi, communem non solùm Paullo & Tito; sed etiam toti Ecclesiæ: vt accipitur à S. Petro epist. 2. cap. 1. vers. 5. *ijs, qui coæqualem nobiscum sortiti sunt fidem.*

2. Pet. 1. 1 §. 8. Obiectio. Resp. Obijciat tamen quis, non posse fidem esse vnam, si plures habeantur habitus: quia illi plures fides sunt. Respondeo, id esse falsum: nam articuli plures sunt, & vna tamen fides obiectiva: ergo eâdem ratione plures habitus erunt vna fides habitualis. Quia fides formalis tàm poterat esse composita ex habitibus, quàm actualis ex actibus; & obiectiva ex articulis. Est ergò obiectiva fides vna aggregatione, item & actualis: quidni & habitualis? cum autem scientia sit vna per aggregationem, ostendi disput. 1. metaph.

SECTIO II.

Diluuntur duo argumenta pro habitualis vnitate fidei.

Vt probetur vnitas habitualis fidei, argui potest, quia si contineret duos habitus specie distinctos, essent duæ virtutes Theologicæ fidei; hoc autem est falsum: ergò. Maior patet, quia quælibet fides in Deum, est virtus Theologica. Minor probatur, quia virtutes Theologicæ dicuntur communiter esse tres: essent autem plures, si fides plures amplecteretur habitus. §. 9.

§. 10. Pulsat hoc argumentum ad explanandam rationem, qua habitus fidei possunt esse multi. Possumus considerare vnum habitum terminatum ad authoritatem Dei, & revelationem circa Trinitatem item & circa mysterium ipsum. Possumus etiam considerare alium habitum terminatum ad eādem authoritatem Dei, & ad aliam revelationem de Incarnatione, & Incarnationem ipsam: ita vt singuli habitus sint principium assentiendi toti syllogismo obiectivo fidei partialis: & quemadmodùm constituimus circa ea duo mysteria duos syllogismos actuales formales, aut virtuales: ita possumus constituere duos habitus, principia eorum actuum.

§. 11. Ad arg. In qua dicendi ratione ad argumentum propositum §. 9. distinguo maiorem: essent duæ virtutes partiales Theologicæ, concedo maiorem; essent duæ virtutes totales, nego maiorem & minorem. Ad probationem minoris, dico divisionem illam communem accipiendam de divisione in tres virtutes totales, non partiales: & quemadmodùm non est absurdum esse plures fides actuales Theologicas partiales, ita nec habituales: cùm autem Scripturæ & Sancti loquuntur de nostra fide formali, non loquuntur de habituali; sed de actuali: cùm autem hanc admittamus complexam plures actuales fides specie distinctas, possumus & habituales.

§. 12. Absolutè autem licèt sint plures habitus fidei, non est, nisi vna fides, & vna virtus fidei: quia hęc nomina, *fides, virtus*, sunt collectiva significantia collectionem omnium habituum, quibus credimus in Deum: sicut fides actualis significat omnes actus, quibus credi-

credimus in Deum: estque clarum exemplum in fide obiectiva, quæ cùm vna sit, plurima continet obiecta: quin potiùs fidem acquisitam circa mysteria revelata dicimus vnam, quamvis continet plures habitus specie distinctos: eâdem ratione dicimus Logicam esse vnam, & vnam temperantiam acquisitam. Qui ergo partiti sunt virtutes Theologicas in fidem, spem, & charitatem, rectè fecerunt: quia adæquatè comprehenderunt tres modos, quibus Deũ immediatè attingimus in via: vtrùm autem quælibet virtus vno, aut pluribus habitibus Deum attingat, non explicuit illa partitio.

§. 13. Secundò possumus considerare vnum habitum fidei terminatum ad solam authoritatem Dei, qua nobis persuademus esse necessariò vera omnia eius testimonia: aliũ autem habitum, quo credamus existentiam revelationis Dei circa Trinitatem. De quo habitu potest esse controversia: vtrùm sit idem circa existentiam omnium revelationum; an verò pro illarum diversitate sit etiam diversus? Item potest esse controversia: vtrùm circa ipsa mysteria revelata sit tertius habitus ab vtroque distinctus; an verò illi duo sufficiant? Hæ vltimæ quæstiones parum intersunt instituti præsentis: solùm enim disquiro: vtrùm sine incommodo possent admitti duo habitus specie distincti: alter circa authoritatem Dei; alter circa existentiam revelationis?

§. 14. *Ad arg.* Sic habitibus explicatis, ad argumentum propositum §. 9. negò maiorem: ad probationem respondeo: omnem fidem in Deum esse Theologicam, non secundùm omnem eius partem; sed secundum alteram. Quemadmodùm omnis fides actualis in Deum, est Theologica, non adæquatè secundum omnes actus; sed inadæquatè secundum aliquem. Fides item obiectiva est Theologica hac eâdem ratione: quia pars eius obiecti est Deus; at verò pars obiecti etiam formalis est creatura. Immò, tametsi habitus fidei vnus sit, non tamen est vndique Theologicus; sed præcisè qua parte Deum attingit: qua enim parte se circa revelationis existẽtiam exercet, non est Theologicus: quia hæc ratio illi obtingit à Deo obiecto formali, non verò à creatura.

§. 15. *Animad.* Adverte in hac sententia neutrum horum habituum esse fidem; sed illam vtroque conflari. Quemadmodum vna sola præmissa Logicæ non est Logica; nec vna sola præmissa Metaphisicæ, est Metaphysica: fides enim est, qua possumus credere aliquid esse verum, quia dictum est à Deo: & quemadmodum, nec sola authoritas Dei potest esse tota ratio credendi, nec solum eius testimonium; sic nec solus habitus circa authoritatem Dei est fides, nec solus circa revelationem; sed ex vtroque complexum: vndè omnis infusa fides in Deum est Theologica, quia includit habitum circa authoritatẽ Dei: omnis item fides est obscura, quia includit habitum circa existentiam revelationis: vtrùm autem habitus in authoritatem possit esse evidens & obscurus comparatione diversorum actuum, quibus iam clarè, iam obscurè potest cognosci authoritas Dei, quæstio est communis etiam habitui simplici, quem re ipsâ constituimus vnum.

§. 16. *2. Obiectio* Secundùm argumentum petitur ab habitibus naturalibus; quia tantùm sunt vna simplex qualitas circa omnia obiecta: ergò & infusi sunt etiam vna qualitas: consequentia hæc videbitur alicui à fortiori: tùm quia habitus acquisiti comparantur physicè actibus ipsis, secùs infusi; tùm etiam quia infusi sunt perfectiores, atque ita se possunt porrigere ad obiecta plura, quàm acquisiti.

§. 17. *Resp.* Respondeo, primum antecedens esse falsum, vt latè probavi disp. 16. de anima. Secundò distinguo habitus intellectus, & voluntatis: in intellectu nullum admitto habitum naturalem distinctum à speciebus impressis: ac propterea in intellectu tot sunt habitus, quot species impressæ. Hæ autem in quovis syllogismo vt minimũ sunt duæ: altera circa maiorẽ propositionem, altera in minorem. Quod si cum hac proportione philosophemur de habitu per se infuso, nullus erit simplex; sed omnis duplex. Si autem constituamus in intellectu habitus naturales distinctos à speciebus, habitus circa maiorem propositionem distinguetur ab habitu circa minorem: quia cùm eorum obiecta sint disparata, facilitas circa vnum distinguitur à facilitate circa aliud.

§. 18. In voluntate verò possemus concedere eodem habitu attingi obiecta diversa: exempli gratia, amat quis efficaciter finem, potest eodem habitu amare media ad illũ simpliciter necessaria: vt qui efficaciter vult honestatem iustitiæ, iam est facilis ad materiam, sine qua iustitia non servatur. Hæc responderi possunt à constituentibus vnam simplicem qualitatem etiam naturalem. At verò tunc nulla est consequentia ad habitus per se infusos; qui non dant facilitatem; sed potentiam ad actus: potentia verò potest compleri ad actum circa obiectum formale, quin compleatur circa materiale, vt passim cernitur: indigetur enim diversa cognitione ad electionem determinati medij, ac ad intentionem finis: item & diverso concursu caussæ primæ ad præmissas, ac ad conclusionem.

§. 19. *Ad arg.* Ad argumentum in §. 16. præterito antecedenti, nego consequentiam. Ad primam proba-

S. Tho q. 4. Art. 6. probationem respondeo, actibus circa obiecta, quæ necessariam habent connexionem posse comparari eumdem habitum: quia omnes illi actus habent idem obiectum formale: at verò habitus infusus cōparatur cū suis actibus more potentiæ, quæ ad diversa obiecta etiam materialia exigit complementa diversa. Ad secundam probationem: maiorem aut minorem perfectionem habituum non esse expendendam ex maiori, aut minori extensione ad obiecta, & actus: sed ex perfectione obiecti formalis, & modi illud attingendi. Pone habitum supernaturalem terminatum ad authoritatem, & revelationem divinam: & alium naturalem terminatum ad alia plura obiecta, quibus continentur etiam authoritas, & revelatio Dei: supernaturalis habitus erit perfectior, tùm propter supernaturalitatis substantiam; tùm etiam propter infallibilitatem: fateor cæteris paribus habitum vniversaliorem esse perfectiorem; hic autem sunt cætera imparia.

SECTIO III.

Solvitur tertium argumentum, & probatur obiectum formale fidei non esse vnum.

§. 20. 3. *Obiectio* TERTIVM argumentum petunt S. Thom. & alij Theologi ab vnitate obiecti formalis. Etenim quando obiectum formale est vnū, habitus circa illud est vnus, & non plures; sed obiectum formale fidei est vnum: ergo fides est vnus habitus, & non plures. Maior patet: quia obiectum dat scientiæ vnitatem, aut multiplicitatem. Minor liquet, quia obiectum formale fidei est prima veritas: quæ vna semper est & non plures.

§. 21. *Resp.* Nego maiorem acceptam de solo obiecto formali primario, & *quo*: sæpiùs enim ostendi obiecta secundaria proxima, (quæ à me vocantur materialia proxima, ab alijs autem formalia *quæ*) esse principium distinguens specie habitus & actus: quia cùm immediatè repræsententur, sunt termini specie distincti ordinum ad ipsos immediatè terminatorum. Si autem obiectum formale *quod* & *quo* sit vnum, habitus erit etiam vnus.

§. 22. Deinde nego minorem. Ad probationem respondeo, obiectum formale fidei non esse solam authoritatem Dei; sed illam & revelationē, quæ est accidens physicū. Quod abūdè ostendi disp. 4. hæc autē duo sunt duo obiecta formalia: ergo obiectum formale fidei non est vnum; sed duo: vndè argumentor. Per te circa duo obiecta formalia non versatur vnus habitus, sed duo: obiectum autem fidei non est vnum, sed duo: ergo circa illa non versatur vnus, sed plures habitus.

Explicantur hæc: divina veritas distinguitur à revelatione non aliter, ac substantia creata ab accidenti creato; Deus autē & accidens duo quidē sunt: ergo facultas attingēs immediatè illa duo habet duo obiecta. Probo cōsequētiā: quia Deus cognitus vt Deus, & creatura cognita, vt creatura, non solùm sunt duo in ratione entis; sed etiam in ratione obiecti. Quod probo: quia obiectum in ratione obiecti idem est, quod cognitum in ratione cogniti; sed Deus cognitus in ratione Dei, est distinctus à creatura cognita in ratione creaturæ: ergo Deus & revelatio sunt duo etiam in ratione obiecti. Probo minorem: quia Deus cognitus in ratione cogniti supra suam entitatem præcisè addit veritatem transcendentalem, sicut quodlibet ens reale: veritas enim hæc convertitur cum ente, nec addit præter extrinsecam denominationem à cognitione: ergo vbi sunt duo entia cognoscibilia vt duo, sunt etiam duo obiecta duo cognita, & veritates duæ. Quod videtur Metaphysica demonstratio. §. 23.

Obijcies, ea duo esse quidem distincta in se, & in veritate transcendentali; non tamen in ratione credibilis: quia & vno habitu creduntur; & mutuò iunguntur ad assensum fidei: quemadmodùm lux & color sunt vnum in ratione visibilis. Respondeo hanc esse petitionem principij: est enim quæstio, vtrùm fides sit vnus habitus, an plures? ego contendo eos esse plures: quia terminantur ad plura obiecta formalia, quæ in ratione entis, & veri sunt plura: à te respondetur, ea obiecta esse vnum in ratione credibilis, quia vna fide creduntur: respondetur ergo eâdem conclusione, quæ vertitur in controversiam. Probanda enim fuerat vnitas fidei, vt ex illa probaretur vnitas obiectorum: fit item circulus: quia per te vnitas fidei probatur ex vnitate obiecti, & vnitas obiecti ex vnitate fidei. Debet ergo considerari obiectum secundum se, & in ratione entis, & veri: & ab eius vnitate in ratione entis, & veri, debet expendi vnitas scientiarum, quę terminantur ad suum obiectum formale secundum se, & vt est ens, ac verum. §. 24. *Obiectio.* *Resp.*

Quod affertur de colore, & luce, est in eâdem controversia: visus enim duo habet obiecta formalia immediata: quia lux & color, sunt duæ qualitates distinctæ specie. Et quamvis §. 25.

quamvis non admitterem lucem, & colorem esse duo obiecta in ratione obiecti, adhùc nulla esset consequentia ad obiectum fidei: quia color vt videatur, pendet à luce: quæ propterea vocatur obiectum formale visus; color autem materiale: at verò obiecta formalia fidei sunt mutuò independentia: quia existentiam revelationis possumus cognoscere independenter à cognitione, & authoritate Dei, & è converso: vndè absolutè sunt duo obiecta formalia in esse scibilis: quia sunt mutuò independentia, & disparata in cognitione.

§. 26. *Obiectio.* Obijcies secundò, authoritatem Dei, & eius testimonium non esse duo obiecta formalia, sed vnum: quia revelatio Dei non est accidens creatum; sed actus internus liber Dei: in quo realiter nō distinguuntur actus, & attributa. *Refell.* Contrà primum: satis ostendi disp. 14. testimonium, & revelationem Dei esse actionem aliquam ad extra deinde admissa identitate reali inter testimonium, & authoritatem Dei; adhùc sunt principium terminandi actus, & habitus specie distinctos. Nam fides specie differt à lumine: cùm tamen vtriusque obiectum sit realiter idem. Ratio à priori: quia authoritas divina cognoscitur secundū se: concipimus enim Deū, vt impotem mentiri: quod obiectum est omninò necessarium, necessarioque cognoscendum per fidem ad assentiendum revelationi, vt ostendi disp. 4.

§. 27. Testimonium Dei est etiam necessariò cognoscendum in ratione existentis actualiter, & contingenter, in ratione & denominatione testimonij liberi: obiectum autem vt contingenter existens terminare potest cognitionem distinctam, ac terminat, vt est necessariò existens. Quia, vt liberè existēs, potest terminare actus veros negativos, & affirmativos: verbi gratia, potuit Deus testificari, & non testificari mortem Petri: potuimus etiam illud testimonium affirmare verè, & negare: at verò non possumus formare actus veros negativos de existentia authoritatis diuinæ: ergo in ipsis obiectis ratione contingentiæ, & necessitatis, satis est fundamenti ad terminādas specie distinctas cognitiones equis neguet specie distingui cognitionem evidentem de existentia Dei, de immortalitate, & omnipotentia, à cognitione de voluntate libera creandi mundum, quidquid illa sit in ratione liberæ voluntatis?

§. 28. Quòd si per impossibile, vel possibile videatur à Beato natura absque personis; ab alio autem natura simul cum personis, quis dubitet eas cognitiones esse specie distinctas? cùm altera in ratione intuitivæ esset adæquata, alia verò inadæquata; (neutra tamen comprehensiva.) Ne verò ad casus impossibiles recurramus; cognitio comprehensiva alicuius creaturę specie differt à sola quidditativa eiusdem: quamvis ex parte obiecti comprehensi eadem omninò noscantur, non tamen eodem modo. Quòd si in his, quæ nullo modo differunt ex parte obiecti, fundari potest specifica distinctio cognitionum, multò meliùs fundabitur in attributis, & actibus liberis Dei: in quibus tantum discrimen reperitur, vt actus sint aliqua ratione contingentes; non verò attributa.

§. 29. Superest aliud argumentum, ad probandum obiectum formale fidei partiale non esse vnum, sed plurima: nam omnis revelatio Dei publicè proposita est obiectum formale fidei; sed eiusmodi revelationes sunt quàm plurimæ specie distinctæ: ergo obiecta formalia fidei sunt plurima, & specie distincta. Minor probatur: quia revelatio de Trinitate specie differt à revelatione de Incarnatione, & de creatione mundi; quia obiecta revelata differunt specie: vt ergo cognitio nostra de mundi creatione differt specie à cognitione de Trinitate; sic & revelatio Dei, quæ est actus propheticus: & quamvis esset actus internus Dei; adhùc est fundamentum ad distinctionem specificam: quia testimonium de Trinitate habet obiectum diversum, & potest terminare affirmationem, & negationem veram: quia potuit non esse in denominatione testimonij de Incarnatione, quamvis esset iam in denominatione testimonij de Trinitate: & vt quasi distinguimus specie actus liberos Dei per obiecta, ita testimonia libera. Quod patet, quia revelatio est loquutio Dei; quæ habet pro obiecto formali, & immediato loquutionem instrumentalem Dei, vt nostra auditio terminatur ad verba externa: sive revelatio consistit in ipsa loquutione instrumentali Dei: vt per te nostra loquutio consistit in verbis: illa autem signa in ratione signi differunt specie: quia significant obiecta diversa; & format propheta diversos conceptus de Trinitate & Incarnatione per diversa signa: vt cùm tu mecum loqueris de Trinitate, & Incarnatione. Item vna revelatio potest esse naturalis; alia supernaturalis: vtraque autem credi potest fide divina: ergo revelationes differunt specie.

§. 30. *Obiectio.* Obijciunt, ea testimonia differre specie materialiter in sua entitate, non verò formaliter in ratione testimonij Dei. *Refel.* Contrà: in ratione testimonij habet diversum obiectum revelatio de Trinitate, ac de Incarnatione: quia Deus vtramque testatur, & vt est testimonium Dei habet diversitatem testatarum rerum: ergo differunt in ratione testi-

S.Tho.q. 4.Art.6. testimonij Dei: sicut scientia libera & necessaria in ratione scientiæ Dei differunt: quia Deus vt sciens scit per illas obiecta diversa. In ratione autem Dei, reduplicant Deum esse authorem testimonij, seu testem ipsum: at ab eodem authore Deo sunt multi effectus specie distincti; sicut ab eodem intellectu nostro intellectiones multæ. Item diversam veritatem enunciant illi actus; & in se habent diversas conformitates cum diversis obiectis: & per diversa signa, quæ sunt obiectum formale revelationis, vt dixi §.29.

§. 31. Obiectio. Resp. Solet obijci obiectum formale fidei esse revelationem Dei vt sic; non hanc, aut ilam. Respondeo, constare ex disput. 5. de anima, obiectum potentiæ esse omnes species eius obiecti: verbi gratia, obiectum visus esse omnes colores, non verò colorem vt sic: vndè albedo & ingredo sunt diversa obiecta formalia; ita fides non movetur revelatione vt sic; sed hâc & illâ ad credendum Deo loquenti: vt enim dixit S.Thom. 2. 2. quæst. 1. art. 1. revelatio est obiectum formale fidei, vt præmissæ in demonstrationibus; sed revelatio, quæ disponitur in fidei præmissis ad inferendum articulum revelatum, est hæc aut illa revelatio: ergo fides attingit vt formale obiectum hanc & illam revelationem. Tandem sit revelatio vt sic obiectum formale *quo*; negari non potest hanc, & illam, quia sunt hæc & illa, esse obiectum formale, quod immediatè fide cognoscitur, & quo movemur ad assentiendum revelationi: ergo obiecta formalia, quibus movemur ad credendum, sunt plura, & non vnum.

§. 32. Probo autem efficaciter obiecta formalia esse distincta: revelatio de Deo differt specie à revelatione de creatione mundi: vt constat ex §. 30. Nec id negare possunt, qui dicunt iustitiam Dei, quæ ratione distinguitur à misericordia, esse obiectum formale distinctum specie à misericordia; eaque propter non posse attributum vtrũque esse obiectum formale charitatis, nisi sub ratione cõmuni perfectionis Dei: alioquin charitas haberet duo obiecta formalia specie distincta: illæ autem revelationes plus differunt, quàm misericordia & iustitia: & oriuntur à diversis cognitionibus Dei, tàm distinctis, quàm est iustitia à misericordia. Sed fides fertur, vt in obiectum formale, in eas revelationes, vt sunt de Deo, & creatione mundi: ergò fides fertur in duo obiecta formalia specie distincta.

§. 33. Probo minorem: quia fides in Deum tendit in revelationem Dei vt existentem; & fides de mundo in revelationem de mundo vt existentem: quia revelatio non aliter quàm vt existens cognoscitur à fide infusa: sed omne obiectum vt existens est formaliter singulare: quia vt existentia nõ sunt prædicata communia: quia hæc sunt formaliter obiectivè tantùm in intellectu: ergò fides fertur in revelationes vt singulares; & vt specie distinctas.

Dices primò: revelationem nos movere ad credendũ Deo, non quòd sit revelatio de Deo; sed quia est testimoniũ Dei: quia si propter hanc, vt hæc est, crederemus, nõ crederemus propter aliam. Repete quæ dixi disput. 3. & 4. de revelatione duo credi; nempè veritatem, & existentiam. Veritas non creditur in hac revelatione, quòd sit hæc; sed creditur ob veritatem Dei, cui mentiri repugnat! hoc attributum revelationis attingitur ex illo principio communi: quod æquè quadrat in omnem loquutionem Dei supernaturalem, & naturalem. Existentia autem huius revelationis non cognoscitur ob aliquam rationem comm[illegible]nem; sed propter ipsam, vt est hæc; sed [illegible]dem spectat huius revelationis existentia, vt hæc est, vt obiectum formale partiale: ergo fides attingit plura obiecta specie distincta. Probo minorem: tùm quia hæc existentia est omninò independens ab aliarum revelationum existentia: quia potuit Deus solam revelare Trinitatem: quo differt à veritate; non enim potest Deus soli huic testimonio veritatem donare, vt potest existentiam: quia omne Dei testimonium est necessariò verum propter authoritatem Dei; non tamen necessariò existens: tùm quia existentia aliarum revelationum est per accidens ad credendum Trinitatem: ad quod hæc revelatio sola sufficit, licèt omnes aliæ essent impossibiles: ergò hæc revelatio, vt hæc, attingitur à fide. Quia fides per se attingit omne, quod per se est necessarium ad credendum Deum, vt vnum & Trinum: quæ est efficax ratio. §. 34. 1.Obiectio Resp.

Secundò dices argumentum ex §. 33. non esse efficax: quia Petrus vt existens est singularis, & discurrit; id autem non efficit: quia Petrus est; sed quia homo: alioquin Paullus non discurreret: ergò etiam fides attingens revelationem vt existentem, non eam attingit: quia est hæc; sed quia est revelatio: alioquin cæteras non attingeret. Respondeo primùm: Petrum posse considerari vt discurrentem à parte rei: vel tantùm in esse obiectivo, abstracta humanitate per intellectum à Petreitate: dico, Petrum discurrentem à parte rei, ideò discurrere, quia est Petrus, & non solùm quia est homo. Quia à parte rei §. 35. 2.Obiectio Resp.

rei exercet discursus singulares existentes : quorum actiones terminantur per se primo ad singularia ; quia producunt eos vt existentes. Quos discursus non potest exercere Paullus ; sed alios illis similes : si autem consideres Petrum inesse obiectivo ; dico illum esse discursivum, non quia Petrus ; sed quia homo. Etenim ipse discursus abstrahitur etiam à singularitate, & concipitur solùm secundum rationem communem discursus. Ad quem dicit ordinem non Petrus vt Petrus ; sed homo vt sic. At fides infusa tendit in revelationem vt existentem ; sicut Petrus in suum discursum, cum illum producit : ergo fides tendit in revelationem, vt singularem.

§. 36. 2. Solutio. Respondeo secundò, admissa illa doctrina de Petro discurrente vt est homo; non verò vt est Petrus. Quando aliqua ratio communis est per se sufficiens ad aliquem effectum ; eius differentiæ sunt per accidens ad talem effectum ; qui propterea per attributionem singulorum adscribitur rationi communi, & non differentijs : ergo. Homo sentit, sensio per se oritur adæquatè ab animalitate ; & non à differentijs animalis : vbicumque enim est animal, potest sentire, licet non sit cum rationali, aut cum rugibili. Vndè sensio non adscribitur rationalitati : ita veritas huius revelationis non oritur ex conceptu proprio eius ; sed ex authoritate Dei ; cui per accidens est loqui hoc mysterium, in quo paria sunt, quæ sunt obiecta in me.

§. 37. Sepè etiam ratio communis sola non potest aliquem effectum ; ad quem per se exigitur differentia ; tunc differentia vt differentia est princium formale eius effectus : qui illi adscribitur in attributione singulorum. Animal enim per se absque rationali non potest discurrere. Vndè rationale est principium per se discursus: qui formaliter rationalitati in singulorum attributione respondet : sic revelatio vt sic non est sufficiens ad cognoscendam vnitatem, & Trinitatem Dei : non enim vbicumque fiat revelatio nos ducit in cognitionem Trinitatis ; vt animal vbicumque ponatur sentit, non tamen discurrit; sed opus est ad cognoscendam Trinitatem, vt fiat hæc revelatio vt hæc ; sicut vt sit discursus opus est rationalitate, vt est rationalitas : quia solùm animal non sufficit : ergo fides attingit revelationem hanc, vt est de Trinitate ; sicut discursus pendet à rationalitate. Probo consequentiam : fides tàm per se tendit in Deum vt vnum, & Trinum, quàm rationalitas in discursum : sed Deus vnus & Trinus in cognitione per fidem pendet per se ab hac specie revalationis, vt est hæc, vt discursus ab hac differentia animalis, vt hæc est : ergò fides per se attingit eas revelationes, vt sunt hæ.

Explico : ad cognoscendam Trinitatem non sufficit revelatio vt sic ; nec omnes revelationes nisi includant hanc, vt est hæc in specie : at non exigitur hæc numero : nec item, vt sit naturalis in substantia, aut supernaturalis : sed sufficit eam esse revelationem Dei de Trinitate : vt ad discursum non egetur hoc individuo ; sed homine vt sic : ergo quamvis fides non tangat per se hanc, vel illam revelationem de Trinitate ; at per se tangit revelationem de Trinitate, vt est de Trinitate : quia licet hæc, vel illa non sint per se necessariæ ; at est aliqua vt distinguitur ab omni revelatione non de Trinitate. §. 38. Confir.

Dices tertiò : fidem tendere in revelationem vt sic, vt visus in colorem vt sic. Contrà : visus tendit in albedinem, & nigredinem, vt tales sunt ; quia tendit in obiectum vt existens, & intuitivè. Deinde ; esto ita tendat in colorem. At per se primò tendit in lucem, vt est lux : in colorem autem vt sic : quia hæc lux in specie est sufficiens per se ad efficiendum, vt videatur quilibet color, vndè lux est velut obiectum formale visus. At revelatio vt sic non est sufficiens ad cognoscendam Trinitatem ; sicut lux vt sic est sufficiens ad albedinem videndam : ergo est opus revelatione de Trinitate tàm per se, quàm est opus luce ad videndam albedinem. Quia ergò visus sola luce movetur ad omnes colores indiscriminatim ; attingit per se lucem ; colores autem vt sic : ergo è contrà : quia revelationis ratio communis non sufficit ad Trinitatis fidem ; opus est addere per se differentiam huius revelationis. Admitto veritatem non attingi per se, vt est in hac revelatione, non tamen existentiam : quæ à nullo alio pendet in cognitione per fidem : vt color pendet à luce. §. 39. 3. Solutio.

Dices quartò : obiectum materiale fidei esse revelabile vt sic ; hoc autem & illud obiectum esse per accidens. Contrà : quia species adæquatè oppositæ constituunt sciẽtias diversas sub vno nomine Philosophiæ. Nam scientia de homine diversa est à scientia de cœlo, & mineralibus : ergo etiam diversæ species substantiarum revelabilium sunt obiecta per se cognoscibilia, & petent diversas fides ; vel vnam eas attingentem, vt tales sunt. §. 40. 4. Solutio.

S. Tho. q. 4. Art. 7. §. 41. Deindè obiectum attributionis huius facultatis est Deus, vt est vnus, & trinus: finis autẽ est ipse Deus, in quem dirigitur gratia, & omnia per se ad illam spectantia. Item necessitate medij opus est cognoscere Deũ, & eius remunerationem: & quamvis obiectum adæquatum proprium est omne revelabile; tamen obiectum attributionis, quod alij vocant specificativum, & finis adæquatus, est Deus: ergò fides tàm per se primò versatur circa Deum; quàm Philosophia circa substantiam, vel ens mobile: sed vt versatur fides circa Deum, petit diversas revelationes in specie: ergò. Probo minorem: quia Deus vt vnus cognoscitur diversa revelatione, ac vt trinus: item attributa vt sunt diversa, id est, in ordine ad diversos effectus, cognoscuntur revelationibus diversis. Item remuneratio Dei terminat revelationem diversam: ergò fides petit revelationem de Deo vno, & de Deo trino; & de Deo ente à se; & de omnipotente, vt tales sunt. Sicut Philosophia petit cognitionem de tota substantia entis mobilis.

§. 42. Considera sanitatem per se amabilem; & media varia, quibus obtineatur: sanitas est obiectum formale; & per se ducit ad medium vt sic; non tamen ad hoc, vel illud. Ita fides habet pro obiecto primario Deum vnũ, & trinũ, cũ omnibus suis perfectionibus; creaturas verò pro obiecto secundario: ergò habet pro obiecto formali omnes revelationes, vt sunt necessariæ ad Deum; sed hæ sunt in specie plures: ergò fides per se petit plures relationes in specie, vt tales sunt.

§. 43. Adverte applicationem ab Ecclesia, aut alias, non esse obiectum formale fidei; nec per eam attingi, quæ immediatè fertur in existentiam revelationis: item, præstito assensu vni revelationi, potest negari alijs: signum est ergò obiectum fidei non esse vnam rationem communem, sub qua attingantur singulares rationes; sed esse plures vt plures: quia quando est vna ratio communis, non potest admitti vna differẽtia; & negari alia.

SECTIO IIII.

Quid de quæstione?

§. 44. 1. Conclus. DICO primò: possibile est divinitùs, tot habitus fidei multiplicari, quot sunt obiecta formalia partialia fidei, & quod obiecta materialia proxima: ita vt vno habitu credamus Deũ esse infallibilis veritatis in dicendo; alio eum revelasse incarnationem; alio, item credamus ipsam incarnationem; alio, verò revelationem de trinitate &c. Probatur apertè: quia in eo habitu non includuntur duo prædicata mutuò pugnantia: cùm enim illa obiecta sint cognoscibilia actibus supernaturalibus distinctis; quid implicat vnâ qualitate intellectum compleri ad vnum, & ad alium aliâ? Quòd enim sit iam potentia completa ad totum obiectum formale, non tollit eam egere novo complemento ad materiale: quia posito assensu præmissarum, adhuc egetur novo concursu ad conclusionem, vt ostendi à §. 17. Habitum autem comparari ad suos actus vt potentiam, non refert; quia potentiæ comparatur habitus infusus, quia vtrumque est simpliciter necessarium ad operandum connaturaliter; at in multis sunt absimiles: nec enim fides tàm vniversalis est, quàm intellectus, nec tàm necessaria: quia divinitùs potest fieri assensus absque habitu fidei; non tamen sine intellectu: item si vna esset specie revelatio; adhùc possent esse multi habitus: alter ad vnam solam; alius ad duas simul; alius ad tres: qui habibitus differrent specie, sicut & actus: quamvis enim illa differentia esset accidentaria in obiecto; at in actibus est essentialis: quia per essentiam repræsentant illud discrimen: vt homo albus, & niger differunt accidentaliter; essentialiter autem visiones vtriusque.

Dico secundò: non repugnat vnam solam qualitatem esse principium credendi & amandi Deum: quia in eâ non implicantur termini: quemadmodum eadem anima intelligit, & amat. Potuit enim Deus efficere habitum tàm excellentem, qui tàm vniversalis esset, ac est anima. Nulla autem difficultas potest cõtra eum habitum obijci, quæ non sit in animâ solvenda: re tamen ipsa distinguuntur realiter illæ tres virtutes: 1. ad Corint. 13. *Nunc manet fides, spes, & charitas: tria hæc; maior autem horũ est charitas*: vbi comparantur virtutum actus, de quibus egit Apostolus, & eadem ratione, qua ex sacris Scripturis probatur habitus infusi, probatur etiam eorum distinctio ex hoc Apostoli testimonio. Item Sancti Patres, quoties habitus insinuant, insinuant & eorum distinctionem. Theologi quidem hanc admittunt, & quidem Deus satis consentaneè id effecisse creditur: quia actus illarũ virtutum sunt inter se dissimillimi, & exigunt etiam habitus absimiles. §. 45. 2. Conclus. 1. Ad Corint. 13.

§. 46. 3. Conclus. Dico tertiò: de facto solò vno habitu per

per se infuso credimus omnia obiecta, quæ spectant ad fidem: nempè authoritatem Dei; omnes eius revelationes sufficienter propositas, & omnia mysteria revelata. Probatur conclusio hæc, quamvis nec in Sacra Scriptura, nec in Concilijs, nec in Patribus habet satis firmum fundamentum; tamen tàm communis est omnibus Theologis nullo excepto; vt non possit absque temeritate negari: quia in re gravi non licet à communi Theologorum dissentiri consensu absque vrgenti fundamento: hic autem nullum reperitur: ergo non licet ab eâ discedere. Ratione probatur primo: quia constat peccato infidelitatis totam fidem amitti, ita vt infidelis maneat absque omni fide infusa: at illa sola fides amittitur, contra quam peccatur. Cùm autem quavis infidelitate amittitur fides, illa, quæ versatur circa quamvis revelationem, est quæ versatur circa omnes. Alioquin pereunte fide circa vnum mysterium, maneret alia circa cætera. Video responderi posse fidem non amitti physicè infidelitate; sed tantùm demeritoriè, voluisseque Deum omnes infideles punire privatione omnium habituum fidei. Contrà tamen: quia commodiùs statuitur in penam infidelitatis privatio illius habitus, quo assentiendum nobis erat obiecto, cui dissentitur.

§. 47. 2. Prob. Secundò probatur, quia non sunt habitus multiplicandi absque fundamento: sed nullum est ad multiplicitatem habituum fidei: ergo. Probo minorem, quia fundamentum posset esse multiplicitas obiectorum, & actuum; circa quæ habitus fidei versatur: sed idem habitus per se infusus potest versari circa multiplices actus, & obiecta formalia: ergo. Probo minorem, quia habitus per se infusus, nec producitur, nec augetur physicè suis actib⁹; sed potiùs ad illos cōparatur more potentiæ: quo differt ab habitu naturali, qui physicè producitur suis actibus: actus autē distincti distinctū producūt habitū: quia ipsi solum tollunt difficultatē circa se ipsos; non verò circa alios: sed eadem potentia potest producere actus diversos circa obiecta specie diversa; ergo & eadem qualitas per se infusa.

§. 48. Obiectio. Obijcies tamen: non esse vndè sumatur vnitas eius habitus: quia hæc sumitur ab vnitate obiecti. Respōdeo, vnitatem habituum sumi intrinsecè, & formaliter à se ipsis: quodlibet enim ens est se ipso vnum, & non per aliud ab ipso distinctum. Hæc autem vnitas sumitur extrinsecè ab illis omnibus rebus, à quibus & essentia talis rei. Cū verò obiectū sit vnū ex principijs, à quibus extrinsecè sumitur habituum essentia, ita & ab ipsis sumitur eorumdem vnitas: at à multis obiectis specie distinctis sumitur extrinsecè vnitas habituum. Ratio à priori, quia habitus est ordo transcendentalis; obiectumque est terminus illius ordinis: terminus autem extrinsecus potest esse multiplex, quamvis ordo ad illum sit vnus. Quemadmodū actus vitalis est ordo transcendentalis ad subiectum, ad caussam creatam, & increatam. Quia cum illi termini non dent vnitatem in genere caussæ formalis intrinsecæ, non est opus, vt sint vnum ad dandam eam vnitatem. Et quemadmodum vnus numero terminus terminat plures ordines specie distinctos, vt eadem materia plures formas, & idem Deus plures creaturas: ita & vnus ordo potest ferri in duos terminos.

Rogas: quo pacto simus discreturi habitus per se infusos? Respondeo: id non esse difficile: omnia enim, quæ spectant ad fidem obiectivam, terminant fidem formalē: obiectiva autem fides includit tria; authoritatem Dei, eius testimonium, & mysteriū revelatum. Habitus ergo, qui terminantur ad hæc tria obiecta disponendo duo prima, ita vt inferatur tertium, est fides formalis. Quod si illa tria obiecta terminarent tres habitus specie distinctos, omnes illi pertinerent ad fidem. Idem dico de habitibus ad diversa Dei testimonia terminatis, qui omnes convenirent in ratione assentiendi obiecto propter revelationem, & authoritatē Dei: in quo differrent à spe, quæ non cognoscit, sed amat: & à scientia infusa; quæ non movetur immediatè authoritate Dei, nec obscurè attingit obiectum materiale: vt ergo omnes illi habitus convenirent in ratione fidei, & differrent à quovis alio habitu in eâ ratione; sic constituo vnam qualitatem simplicem fidei, quæ amplectatur omnia illa obiecta eorum habituum, & non alia: & quemadmodum essent illi vna aggregatio habituum credendi in Deum: sic constituo vnum habitum credendi in ipsum Deum se solo efficientem tot assensus, quot fierent ab omnibus illis habitibus. Itaq; omnia obiecta dicta à Deo; eorum testimonium, & loquētis Dei veracitas terminant fidem: quia illa omnia sunt credenda. §. 49.

Quod patet exemplo habituum naturalium: etenim nō vocamus naturalem fidem quemlibet habitū intellectus; sed illos præcisè, qui tendunt in obiecta testata ab homine, in eius testimonium, & authoritatem: hos autem omnes vno, *fides*, vocabulo nuncupamus: sic est vnus habitus fidei, quo tendimus in testimonium, authoritatē Dei, & articulos revelatos. Alio item, quo amamus omnia intrinseca bona Dei propter ipsa: qui habitus est charitas: quod si charitatē parti- §. 50.

S. Tho. q. 4. Art. 7. partiremur in habitus diversos; omnes illi essent amicitia in Deum, quem propter ipsum omnes amarent: in quo illi convenirent inter se, at differrent ab alijs. Quod ergo illæ omnes amicitiæ facerent, facit vna simplex qualitas amicitiæ; & non efficit aliud, quàm omnes illæ facerent. Idem dico de spe, misericordia, & alijs: considerandum ergo est quid spectet ad levandam inopiam alienam: & id præstatur vna misericordiâ infusa, sicut præstatur nunc multis habitibus naturalibus: qui omnes sunt misericordia, & non iustitia.

DISPVT. LVII.

Vtrùm fides sit prima inter virtutes?

§. 1. QVÆSTIO est de habitibus, actibusque virtutum; vtrùm ante fidem sit aliquis alius actus, aut habitus supernaturalis? comparanda est fides spei, charitati, & virtutibus moralibus per se infusis: item affectui credendi; & cognitioni præeunti. Virtutes Theologicas & morales, sententia est Sancti Thomæ, esse fide posteriores: quia finis est in voluntate prior ijs, quæ sunt ad ipsum: sed Deus est finis, qui in voluntate est per spem, & charitatem; media autem sunt creaturæ, quæ in voluntate sunt per virtutes morales: ergo spes, & charitas sunt priores virtutibus moralibus: sed finis priùs est in intellectu per fidem, quàm in voluntate; quia *nihil volitum, quin præcognitum*: ergo fides prior est spe, & charitate: nam per actus naturales non cognoscitur Deus aptè vt ametur per spem, & charitatem supernaturalem.

§. 2. Hæc doctrina Sancti Thomæ probat quidem actum fidei esse naturâ priorem spe, & charitate actuali: at non probat idem de habitibus: hi enim sunt velut potentiæ ad actus: potentiæ autem non est opus, vt ita sint naturâ priores: quia amor actualis est, qui fertur in bonum apprehensum; voluntas verò in actu primo tantùm est potentia ad amorem illum: at potentiæ quid ni poterunt esse naturâ simul? Item probat ea ratio voluntatem medij ortam ex intentione finis esse posteriorem amore ipsius finis: sed virtutes morales sunt quidem circa media materialiter; quia earum obiecta sunt creata; non tamen formaliter per eas amantur, vt media, nec ex amore charitatis; sed per se immediatè vt finis: alioquin non essent à charitate distinctæ; ergo ea ratione non probatur prioritas charitatis: alioquin & hæc esset prior spe: quia priùs est amari finem secundùm se, quàm in ordine ad nos, & ad assecutionem. Item probat Sancti Thomæ ratio finem esse priorem in intentione, non in executione: vndè charitas est in ordine supernaturali prior in intentione fide, & spe; non in executione: idem dicere possemus de cæteris virtutibus: quæ in executione possent esse charitate priores: quia removent impedimenta ad amorem, vt de fortitudine fatetur Sanctus Thomas: nec dubium, quia in peccatore multi supernaturales actus præeunt charitati: nam detestatio aliqua peccati; & bona opera exercentur in statu peccati mortalis: quod fieri non posset, si omnis virtus moralis moveretur ad suum obiectum, vt ad medium formaliter.

Dico primò: actus fidei est prior naturâ actu spei, charitatis, & aliarum virtutum, quæ non pertinent ad imperandam fidem. Probatur, quia charitas non potest exerceri sine fide proponente Deum aptè, vt ametur, *sine fide enim impossibile est placere Deo*: eâdem ratione nec Deus sperari potest. Cùm ergo virtutes ferantur in Deum immediatè, non possunt exerceri sine supernaturali cognitione Dei: hæc autem frequenter non est in fidelibus distincta à fide: quia scientiâ infusa repræsentante clarè Deum pauci donantur. De cæteris virtutibus res est difficilior: quia non videtur necessariò cognoscenda per fidem bonitas obiectorum moralium. Tamen existimo eas exerceri non posse, nisi per fidem, aut per actus supernaturales productos ex speciebus, & actibus fidei. Quia cùm hæ virtutes necessariam habeant connexionem cum gratia, & charitate; ita & eamdem habent dependentiam à suorum repræsentatione obiectorum. §. 3. 1. Conclus.

Dico secundò: actus fidei est posterior tribus actibus supernaturalibus, qui necessarij sunt ad exercitium ipsius fidei. Vnus actus est affectus pius, quem ostendi disp. 46. §. 4. esse supernaturalem: secundus est repræsentatio supernaturalis actuum fidei, quæ repræsentatio piæ affectioni proponit actus fidei, quos ipsa vult, & imperat intellectui: pia enim affectio habet pro obiecto actus intellectus, quib⁹ sine hæsitatione credim⁹ loquēti Deo: quemadmodum misericordia habet pro obiecto actiones, quib⁹ aliena levetur inopia: & quemadmodū misericordia supernaturalis indiget §. 4. 2. Conclus.

super-

supernaturali earum actionum repræsentatione, ita piùs affectus indiget simili repræsentatione actuum fidei ad eos efficaciter amandum. Estque hic specialis ratio: cùm enim actus credendi sint supernaturales nõ possunt proportionatè repræsentari, nisi cognitione supernaturali.

§. 5. Tertius actus est prudentiæ supernaturalis: qui applicat virtutes supernaturales, vt se exerceant: hic actus non est magis necessarius ad pium affectum, quàm ad charitatem, misericordiam, & alias virtutes. Quamobrem non disputo, nunc ex instituto eius necessitatem: si tamen est necessarius; non est ipse solus sufficiens ad credendum: quia prudentia non repræsentat obiecta virtutum, quas dirigit: sed tantùm dictat, quando, & qua ratione eas oportet exerceri: quod patet in spe, & charitate, quæ præter prudentiam indigent Dei repræsentatione per fidem. Alius actus præit, quo repræsentatur obligatio credendi: hic non est supernaturalis; sed est cognitio evidens naturalis, vt ostendi disput. 23. Secundus actus repræsentans actum fidei non est opus, vt illum repræsentet clarè, & explicitè vt supernaturalem; sed clarè, & explicitè repræsentat fidem exercendam absque formidine: quæ fides supernaturalis est, quando est revelatio, & sufficienter proponitur. Videatur P. Suar. disp. 6. sect. 8. infrà disp. 63. latè differam hac de re.

§. 6. Obiectio. Obijcies: ab omnibus ferè affirmari actum fidei esse primum inter omnes supernaturales. Respondeo & à me id affirmari: fides tamen non accipitur tunc pro nudo intellectus assensu; sed etiam vt est actus honestus laude dignus: sic autem pendet ab actu voluntatis honesto, & libero: à quo actus fidei est moraliter bonus. Hic autem voluntatis actus pendet à cognitione fidei sibi proportionata: & in exercitio pendet à prudentia. Quapropter fides moraliter includit hos quatuor actus, qui priores sunt cæteris omnibus. Inter hos autem fides, vt est assensus intellectus, est postrema. Recognosce quæ dixi disput. 50. fidem à Doctoribus censeri esse virtutem intellectus, & voluntatis.

§. 7. 3. Conclus. Dico tertiò: habitus fidei potest infundi priùs tempore, quàm spes & charitas: quia fides conservari potest sine illis, ergo & primum infundi: probo consequentiam: quia non habet fides maiorem dependentiam in sui infusione à cæteris virtutibus, quam in conservatione. Quæ doctrina partim est Dominici Soto primo de natura & gratia, cap. 8. & Aragonis hic q. 6. art. 1. ad vltimum asserentium fidem in Baptismo posse infundi sine charitate: item absolutè docetur à Caietano, Bañez, Medina, & PP. Suarez, Vazquez & Salas, quos refert & sequitur Pater Turrianus disputatione 41. dub. 9. (Sot. Aragon. Caiet. Bañez. Medina. Suar. Vazquez. Torres. Salas.)

§. 8. Opposita tamen est etiam gravium Theologorum: Sotus enim & Aragon docent extra baptismum numquam infundi fidem absque charitate: absolutè autem etiam in baptismo idem docent S. Bonaventura, Durandus, Ricardus, Scotus & alij apud ipsum P. Turrianum, quibus non parum favet S. Thom. 1. 2. quæst. 62. art. 4. Probatur primò, quia si post actum fidei infunderetur habitus, sequeretur in adultis numquam per baptismum infundi fidem: consequens est falsum contra Concilium Viennense relatum Clementina 1. de summa Trinitate, vbi dicitur parvulis, & adultis baptismo fidẽ infundi. Secundò probatur ex Concilio Tridentino sess. 6. cap. 7. vbi fides, spes, & charitas dicuntur simul in baptismo infundi: agit autem Concilium de baptismo adultorum: ergo prima infusio fidei est simul cum infusione charitatis. Respondeo ad primum posse aliquando baptismo infundi fidem, quando simul concurrunt actus fidei, & ablutio: tunc enim infunditur fides & per moralem voluntatem credendi, & virtute baptismatis: vndè baptismus habet ex se virtutem ad infusionem primam fidei in adultis. Quia verò hic concursus fidei actualis, & ablutionis, ita vt non præcesserit fides, est rarò contingens. Respondeo baptismo augeri fidem, quod augmentum est infusio fidei: quia augmentum est productio intensionis: quæ intensio est fides: vndè augmentum est fidei infusio: habetque baptismus vim ad infundendam fidem; sive prima infusione cum acceditur ante illam; sive in augmento quod est infusio fidei. Ad secundùm respondeo eàdem ratione: vt enim baptismus habet vim ad primam infusionem charitatis cùm sine illa acceditur; ita habet vim ad fidem: semper autem in ritè, & rectè suscipiente hoc sacramentum, aut primum infunditur charitas, aut augetur, eaque propter omnia illa infusa accipit homo, aut primùm, aut in augmento. Adde non definiri tunc infundi: sed ea omnia infusa accipi ab homine: id est, homo iustificatus accipit tunc eas virtutes, quia toto tempore iustificationis accipiuntur, & perseverant tres illæ virtutes: & toto tempore quo durant, accipiuntur à Deo infusæ. Baptismus verò habet vim ex se, vt eas moraliter conferat non habenti, aut augeat habenti. (Bonavent. Durand. Richard. Scot. S. Thom. 1. Obiectio. Obiectio.)

9. Dico quartò: habitus fidei infundi p[illegible] n[illegible]tura

S. Tho. q. 4. Art. 7. naturâ, quàm exerceatur assensus, ita vt hic non fiat per auxilium extrinsecum; sed per habitum ipsum. Quam conclusionem arbitror sequi ex tertia, quia habitus fidei tunc producitur, quando sumus dispositi per moralem actum credendi: sed antecedenter ad assensum sumus dispositi per actũ moralem credendi: ergò. Maior probatur, quia Deus in adultis expectat dispositionem moralem ad infusionem habituum, qua posita non differt infusionem: minor patet; quia tota moralis dispositio consistit formaliter in affectu efficaci credendi, qui solus est per se, & formaliter moralis: assensus autem per solam extrinsecam denominationem est bonus, & liber: ergo antequam assensus existat, est iam tota dispositio moralis ad fidem. Quapropter assensus fidei semper dicitur ab habitu, & intensio assensus ab habitu etiam intenso.

§. 10. *Obiectio soluta.* Obijcies fidem non augeri, nisi in homine iusto: ergò nec infunditur. Respondeo, antecedens esse dubium, de quo disp. 61. & consequentiam illegitimam: quia posset dici augmentum fidei non dari, nisi ob meritum congruum; hoc autem nullum est satis in peccatore: exigit enim actum charitatis, aut contritionis perfectæ: licèt enim in credente detur aliquod meritum imperfectum ad gratiam; non tamen quale satis sit ad impetrandam infallibiliter gratiam, propter carentiam actuum perfectorum: & dum gratia non acquiritur, posset dici nec fidem augeri. Prima autem infusio datur sine illo merito, exigente Deo pro conditione ex libito suo voluntatem efficacem credendi: per quam recenset peccatorem in nomenclatura fidelium. Qui enim post baptismum fuit in hæresim lapsus internam: si posteà rectè credat, quin iustificetur; ille in numero est Christianorum, nec dici potest infidelis: talis verò esset, si fide careret, vt ex Sancto Augustino ostendi disp. 53. §. 29. eadem ratione qui ante baptismum rectè crederet, nec pœnitentiam perfectam egisset, non est infidelis coram Deo; quamvis est in foro externo: & quamvis peccatum infidelitatis neutri sit remissum: hoc deducendum est in solam Dei misericordiam, quâ nostra peccata superat.

DISPVT. LVIII.

Vtrùm fides sit certior scientia naturali?

SECTIO I.

Plures significatus certitudinis.



APVD benè latinos certitudo frequẽter vsurpatur pro voluntate efficaci, & firma de aliqua re facienda: *certus iter*, dixit Virgil. de Ænea, id est, iam decreverat iter, ita vt difficile dimoveatur. In hac significatione à nonnullis etiam nostrorum Theologorum accipitur certitudo. Quia S. Bonaventura in 3. dist. 25. art. 1. quæst. 4. Alensis 3. part. quæst. 68. num. 9. art. 1. membro 9. Vega lib. 9. de iustificatione cap. 39. versu, *neque debet*, asserunt fidem esse quavis sciẽtia naturali certiorem, certitudine adhæsionis: id est, oriri à voluntate tàm efficaci, vt priùs mors eligatur oppetenda, quàm deserenda fides. Et quidem meritò aiunt Theologi in hac significatione fidem esse certiorem quovis actu naturali, quantumvis evidenti: pius enim affectus præfert assensum fidei cuivis assensui naturali. Cùm enim fides sit necessaria simpliciter ad salutem; non verò cognitio naturalis, ideò pia affectio fidem præfert cuivis scientiæ. §. 1. *Virgilius.* *S. Bon.* *Alexand.* *Vega.*

§. 2. Quo genere certitudinis nullus actus naturalis gaudet. Si enim proponatur externa confessio fidei vrgente præcepto; illam eligimus necessariò, ne scelere obstringamur: quod nõ evenit in affirmatione externa de obiecto non spectante ad fidem: & quamvis assensus internus evidens determinet intellectum, ne posit dissentiri; tamen potest voluntas absolutè absque peccato mentem aliò divertere, & avocare ab assensu: quando verò vrgemur affectu placendi Deo, aut peccato emergendi, mentem etiam distractam revocamus ad fidem. Quod rectè explicatur hac hypothesi: *si in mea potestate esset, aut solam fidem, aut solam scientiam exercere, fidem eligerem, scientia contempta.* Quod fides vendicat naturâ sua à quovis homine quantumcumque prudente: quod non petunt actus alij.

§. 3. Secundò accipitur certitudo pro evidentia, quæ intellectũ cogit ad assẽsũ saltẽ quoad speciem: huiusmodi autẽ propositiones, quæ

quæ negari non possunt, *certe* dicuntur: observat enim Ambrosius Calepinus *certum* (Ambros. Calepin.) dictum à *cerno*, id est, *cretum*: est autem cernere oculis intueri. Quare certitudo vocari solet necessitas, & determinatio ad assensum. (Durand.) Ob quod Durandus, & alij referendi §. 11. censuerunt fidem esse certiorem habitibus naturalibus, certitudine adhæsionis explicata §. primo, & secundo: non tamen certitudine speculationis: id est, certitudine intrinsecè existente in ipso assensu. Hæc tamen vsurpatio Theologis non est communis, qui evidentiam à certitudine distinguunt: quamvis philosophi vix eam distinctionem sunt odorati: vt enim nullum actum agnoverunt certum, nisi etiam evidentem, non distinxerunt illos duos conceptus.

§. 4. Tertiò accipitur certitudo pro dexteritate attingendi scopum: verbi gratia, sagittarius, & sclopetarius, qui rarò à scopis aberrant, dicuntur habere sagittam, ictusque certos: Hispanè *certeros* appellant. (Martialis) Martialis, *ò quàm certa fuit vibrato dextera ferro!* id est, dextera manus coniecit ferrum sine errandi periculo. (Ovidius.) Ovidius: *da mihi quod petitur certo contingere telo*, id est, ferro consueto scopum attingere sine periculo erroris. Hinc deducturus sum certitudinem actus intellectus, qui sic est verus, vt à veritate non possit errare.

§. 5. Quartò ab aliquibus accipitur certitudo pro repugnantia cum formidine: quam repugnantiam sumunt non pro repugnantia actus cum falsitate; sed pro quadam intellectus firmitate: (Lorca.) ita Lorca in explicatione huius art. 8. cum alijs. (Vazquez.) Quintò accipitur à P. Vazquez 1. p. quæst. 1. in explicatione art. 5. tripliciter: primò, pro assensu vnius partis sine dubitatione: secundò, pro veritate cognitionis: tertiò, pro actu reflexo, quo quis iudicat se non falli.

SECTIO II.

Sententia varia.

§. 6. (S. Thom.) IN tàm multiplici acceptione certitudinis non potest esse omnium sententia vna. S. Thom. docet primùm, fidem secundũ se certiorẽ esse quavis scientia naturali: quia pendet à caussis certissimis: at verò quoad nos esse minùs certã, quia eius obiectum, cùm sit supra nos, minùs à nobis comprehenditur. Quia verò res absolutè dicitur, qualis est per suas caussas, non verò ex imperfectione subiecti, ideò docet fidem esse absolutè certiorem scientia naturali.

§. 7. (Durand.) Durandus in 3. dist. 23. quæst. 7. invehitur in Thomisticam distinctionem; quia, quidquid habet fides secundum se, id communicat subiecto: ergò vt in subiecto, est certior scientia naturali. (Caiet.) Caietanus dicit mentem Sancti Thomæ non esse intellectam ab hoc bono homine: nolo in hoc civili & intestino bello neutri suppetias ire. (Lorca.) Lorca disputat. 28. num. 7. & alij contra Durandum eâdem ratione conspirant, quia S. Thom. non asseruit fidem habere secundum se aliquid, quod non habeat in subiecto; sed explicuit quid fides habeat ex suis principijs: potest enim actus oriri ab aliquo principio tàm perfecto, vt esset evidens, impeditur tamen à subiecto, ne illam evidentiam accipiat: evidentes ergo notitiæ in hoc fidem excedunt, quòd minùs possit impediri earum evidentia.

§. 8. Nec tamen adeò est deridendus Durandus. Aut enim principia fidei ei communicant absolutè eam maiorem certitudinis perfectionem, ita vt fides secundum se considerata habeat intrinsecè eam perfectionem distinctam à perfectione principiorum; aut eam non communicant? si primum, ergo subiectum non impedivit eam perfectionem, quo minùs communicaretur, cuius oppositum hi docent authores: ergo non solùm secundum se; sed prout est in subiecto, est fides certior; nec intellectus valuit eam perfectionem impedire: si verò secundum: ergò illa perfectio non est in fide secundum se; sed solùm est in suis principijs. Hic autem non quæritur, quæ principia sint perfectiora; sed quæ dent suis actibus maiorem perfectionem. Confirmatur: fides secundum se dicit ordinem ad intellectum creatum, non minùs quàm ad alia principia: ergo quidquid illi obvenit ab intellectu, obvenit ipsi secundum se: consequentia patet, quia quod actui convenit ex suis caussis, convenit secundum se: & cùm intellectus passivè, & activè influat in suos actus; fides à principio & activo, & passivo accipit eam imperfectionen: cùmque ijs actibus & habitibus ratione principiorum repugnet intrinsecè esse certiores scientia naturali; illi secundum se & suam essentiam sunt minùs certi.

§. 9. Considera habitum fidei secundum essentiam suam: ille est per essentiam obscurus; cui nullum principium potest claritatem donare: alioquin non esset hæc species fidei, nec fides. Hæc repugnantia ad evidentiam efficit, ne vllum principium possit illi communicare claritatem: ratione autem eius repugnãtiæ potest impediri à voluntate, quod non potest esse in

S. Tho. q. 4. Art. 7. in actu evidenti: ergo minor hæc certitudo oritur ex habitus fidei essentia: ergo per essentiam est minùs certus scientia naturali. Quod obijciunt §. septimo, non vrget: probat enim in principijs perfectioribus esse virtutem ad alios actus nobiliores fide: & ea posse producere effectus alios perfectiores, qui non possint impediri ab intellectu: vt Deus, qui solus est caussa habitus fidei, potest efficere lumen, cuius claritas intellectu non impeditur: at hæc fides non potest oriri à Deo, nisi obscura: vt sol potest efficere aliam qualitatem nobiliorem calore; calor autem ortus à sole est secundū se tàm imperfectus, quàm qui ab igne.

§. 10. S. Thom. Aliam rationem reddit S. Thom. quam hi authores omiserunt: quia (inquit S. Doctor) intellectus creatus minùs potest comprehendere obiecta fidei: hæc enim naturâ sua prætervolant naturales vires intellectus; quæ hîc propterea minùs plenè consequitur mens: quæ autem sunt naturalis considerationis minùs fugiunt vim intellectus: quæ hîc pleniùs propterea consequitur. Duo tamen sunt in hac re difficilia: alterum, hanc maiorem, aut minorem consecutionem non esse speciem certitudinis propriæ; sed evidentiæ: intellectu enim aliquid consequi, est illud quidditativè cognoscere: quæ enim abstractivè, maximè autem si & obscurè, noscuntur, non consequimur: & quo clariùs ea percipimus, pleniùs consequimur. Vndè qui caussam, & omnes eius effectus penetrat perfectè, eam ita consequitur, vt comprehendat. Hic defectus non consequendi obiectum, essentialis est ipsi fidei: quia hæc secundùm se & suam essentiam petit esse cognitionem abstractivam, & obscuram sui obiecti formalis & materialis: ergo secundùm se habet esse minùs certam cognitionē evidenti naturali. Alterum est hinc fieri visionem beatam creaturarum esse minùs certam cognitione naturali: quia creatura beata intuetur Trinitatē: quæ non est obiectum naturale: quā propterea minùs consequitur, quàm lapidem aut aliud naturale obiectum. Quod nec S. Thomas, nec alius dixit, nec potuit, quia illa fœlicitas longissimo intervallo antecellit omnem aliam scientiam in evidentia, & certitudine: ergo.

§. 11. Durand. Durandus adductus §. 7. docet fidē certitudine adhæsionis esse certiorē omni naturali scientia, non tamen certitudine speculationis: quā distinctionem explicui §. 1. & 2. Quia verò hæc certitudo est extrinseca fidei, docuit fidē absolutè esse minùs certam scientia naturali. Sententiam hanc dixit Bañez esse temerariā, & alij recētes eam arguunt. Nescio sanè an satis meritò. Ego absolutè censeo, fidē & adhæsione, & speculatione esse certiorē omni scientia naturali: sicq; possū absq; suspicione agere Durandi caussam. Ac primū rem ipsam Durandi docuerunt S. Bonaventura in 3. dist. 23. art. 1. q. 4. Alensis 3. p. q. 68. n. 9. art. 1. memb. 9. Hugo Victorinus lib. 1. de Sacramentis p. 10. cap. 1. vbi perspicuè docet fidem esse certitudinem animi de rebus absentibus supra opinionem, & infrà scientiam. At tot tamque graves authores vno ictu ferire quis audeat? maximè cum pugnatores ipsi nulla sint loricâ satis armati: vacillant enim in explicāda certitudine fidei, nec eam attingunt. Bañez. Bonavent. Alens. Hugo Victorinus.

Quod autem Durandum reprehensione dignum effecit, fuit, fidem vocare absolutè minùs certam evidentia naturali, vt rectè P. Luisius observat disput. 52. dub. 1. versū *in fine*: quia Patres absolutè docent, fidem esse certiorem: verùm facilis est solutio, quia Patres loquuntur de certitudine adhæsionis, quia illi egerunt de fide in consideratione pertinente ad mores, vt ostenderent fidem præferendam cuivis scientiæ: Durandus autem egit in consideratione Metaphysica: qua censuit certitudinem intellectus absolutè esse in ipso, & non in voluntate. Quod quidem rectè dixit. Nec vllus Patrū dixit fidem esse absolutè certiorem; sed dicunt esse certiorem: quod fatetur Durandus de adhæsione. Itaque ob solam phrasim in re aperta non est tàm gravis Doctor temeritatis accusandus. §. 12. P. Luisius.

Ea Durandi sententia falsa est in re ipsa, & mutila: non enim explicat satis, quæ sit certitudo speculationis: ait namque eam esse, quæ minùs patitur dubitandi motus, & quæ illis est minùs immixta. Hæc tamen non est certitudo; sed evidentia, quæ necessitat intellectum ad assensum sine vlla formidinis specie. Non dubium actum fidei esse omninò determinatum ad veritatem, cui tantùm repugnat falsitas, quantùm cuivis scientiæ naturali. Etenim ostendi disp. 18. & 19. fidei nullo ex capite posse contingere falsitatem. Hæc verò est certitudo speculationis: quia ita speculatur fides obiectum, vt circa illud non possit errare: id autem esse certitudinem constat ex §. 4. de quo agendum est sequenti: ergo fides non est minùs certa, etiam speculativè, quàm scientia naturalis. §. 13.

Frequenter docent Theologi fidem esse absolutè certiorem omni scientia naturali cum S. Thoma, hoc art. 8. & alijs, quos referunt, & sequuntur PP. Valentia, & Luisius, Bañez & alij. Moventur primò, quia ex parte medij sive obiecti formalis, fides nititur testimonio Dei, quod nō potest esse fallibile; §. 14. S. Thom. Valent. P. Luis. Bañez.

bile; sed magis infallibile omni medio scientiæ naturalis. Secundò, quia obiectū creditum est magis necessarium. Tertiò, quia experimur nos firmius adhærere per fidem obiectis eius, quàm per vllam scientiam. Quartò, quia illo assensu sumus securiores.
1. Ad Corint. 2. Quintò ex Sacra Scriptura 1. ad Corint. 2. *vt fides vestra non sit in sapientia hominum; sed in virtute Dei*: ad Galat. 1. *notum vobis facio Euangelium, quod evangelizatum est à me, quia non est secundum hominem, neq; ego ab homine accepi illud; neque didici; sed per revelationem Iesu Christi*: 1. ad Thessalo. 2. *cùm accepissetis à nobis verbum auditus fidei, accepistis illud non vt verbum hominum; sed, vt verè est, verbum Dei*: 1. Ioann. 5. *si testimonium hominum accepimus, testimonium Dei maius est.* Sextò ex Patribus. S. Basil. in psalm. 115. ait, fidem suadere consensum præ cunctis rationalibus methodis. Augustinus lib. 7. de cōsensu Evangel. cap. 10. *loquutus est Dominus ad me, & audivi: & facilius dubitarem me videre, quàm me audire.* Sanctus Chrysostomus in Epistolam ad Hebræos homilia 12. docet certitudinem ampliùs haberi per fidem circa ea, quæ non videntur; quàm per scientiam circa ea, quæ videntur. Sanctus Bernardus Epist. 190. contra Abailardum: *tu mihi incertum garris, quo nihil est certius.*

Ad Gal. 1. 11. — 1. Ad Thessal. 2. 13. — 1. Ioan. 5. 9. — Basilius. — S. Aug. — Bernard.

§. 15. Sententiam hanc teneo: fundamenta non probo. Ac primùm non explicat certitudinem hanc fidei, qua superat scientias omnes. Quid enim refert obiectū formale esse melius, nisi illud perfectè contingat? Nam circa revelationem Dei, & existentiam, exerceri potest fides acquisita, vt aliundè pono, quæ tamen non est certa; quia illa obiecta non attingit perfectè: oportebat enim ostendere quid habeat fides in modo attingendi obiectum, ob quod certior sit scientia naturali: quod requiro in P. Luis. Lorca verò voluit hanc esse firmitatem assensus. Non tamen explicat, hæc firmitas quid sit? an sit actus voluntatis ita fixe fidem amans, vt pro ea despiciat naturales assensus evidentes? an verò sit ex parte ipsius assensus, qui in fide non est tàm firmus, quā in scientia? Assensus enim firmus est, qui ita determinat intellectum ad obiectum, vt non possit ipse per dissensum avelli: assensus autem fidei potest per errorem expelli: assensus autem scientiæ neqquaquam: & quemadmodum illa volūtas dicitur firmior, quæ difficilius per oppositam amovetur, & quæ facile dimovetur, dicitur parū firma, & inconstans, sic etiam assensus: cùm ergò scientia cogat intellectum, ne dissentiatur obiecto; fides autem non cogat, scientia firmior est fide. Et quamvis Lorca in explicatione artic. num. 2. admittit omnem actum certum esse necessariò verum; non tamen explicat certitudinem per hanc necessitatem ad veritatem; sed per solam firmitatem assensus: at quamvis scientia naturalis & fides essent æquè determinatæ ad veritatem; nō tamen sunt æquè firmæ aut fixæ: quia intellectus potest dissentiri obiecto fidei; non verò scientiæ: vnde fides nō est mentitàm altè fixa, quàm scientia.

§. 16. Argumenta proposita §. 14. nihil vrget. Primum enim testimoniū Dei non est magis necessarium, quàm hoc principium naturale: *quodlibet est, vel nō est*: quia tàm intrinsecè repugnat simul esse duo prædicata cōtradictoria, ac testimonium Dei esse falsum. Immò cùm volumus probare aliquod prædicatum repugnare Deo, id probamus, vt principio per se noto; quia repugnant simul duo contradictoria: & tamen certior est assensus fidei, quàm actus ille evidens de illo, & quovis alio principio per se noto: itē tàm necessariam connexionem habet Angelica essentia cum Deo, quàm veritas cum testimonio Dei: quia non minus repugnat Angelum non esse dependentem à Deo, quàm mentiri Deum: & tamen Angelus ex essentia alterius Angeli, & sua cognoscit Deum sicut nos ex testimonio Dei cognoscimus veritatem testatam: ergò mediū vtriusque actus est æquè infallibile. Quod autem dixit Christus Cœlum & Terram trāsitura, priusquàm eius verbo deficiat veritas, loquutus est Christus de existentia actuali, qua priùs Cœlū & Terra deficient, quàm veritas testimonij Christi: non tamen dixit priùs Cœlum & Terram fore entia independentia à Deo, aut impossibilia, quàm eius testimonium falsum: maximè in sententia docente non futurum Deum, si aliqua ex possibilibus creatura esset impossibilis.

§. 17. Secundò, admissa maiori necessitate inter veritatem & testimonium Dei, quàm inter essentiam Angeli, & Deum, nihil adhuc probatur eo primo argumento in §. 14. quia certitudo fidei consideranda est ex toto obiecto formali, & non tantùm ex partiali: quia conclusio sequitur debiliorem partem: parùm enim refert alteram præmissam esse certam, si altera sit incerta. At obiectum fidei formale est in parte contingens, magis quàm obiecta formalia scientiæ naturalis: ergo ex hac parte incertior est fides. Probo minorem, quia existentia revelationis divinæ est omninò contingēs, quia est actus prophetæ: & quamvis sit idē cum actu libero Dei, hic autem licet in sua entitate est necessarius, est tamen contingens quantum ad denominationem, & libe

S. Tho. q. 4. Art. 7. liberam terminationem: vt enim Deus potuit non creare mundum, potuit & nihil testari: sed existentia testimonij Dei est obiectum formale partiale fidei, ergo veritas fidei est contingens.

§. 18. Ad 2. Ad secundùm respondeo: obiectum materiale multarum scientiarum naturalium esse etiam Deum: ex hoc capite fides non erit certior: item multa obiecta formalia, & materialia sunt essentiæ creatæ, quæ non sunt minùs possibiles (in multorum sententia asserentium, Deum non futurum, nisi creaturæ essent possibiles,) quàm Deus est existens. Ad 3. Ad tertium respondeo: nos ex parte intellectus firmiùs esse defixos obiectis demonstratis, quàm creditis: quia demonstratis non possumus dissentiri, possumus autem creditis vt creditis: ex parte verò voluntatis firmiores sumus per affectum pium, vt explicui §. 1. & 2. de quo non dessèritur nunc; sed solùm de certitudine speculationis intrinseca ipsi assensui. Ad 4. Ad quartum respondetur: maiorem illam securitatem esse gaudium in credendo ortum ex persuasione, quòd meritoriè obedimus Deo captivantes intellectum in obsequium fidei. Hanc securitatem non afferunt demonstrationes: ex parte verò intellectus securior est demonstratio fide: quia scientia magis est intellectui fixa, quàm fides: illa enim nulla dubitatione potest depelli.

§. 19. Ad 5. Ad quintum propositum eodem §. 14. respondeo, Paullum non comparasse fidem & scientiam in certitudine; sed principium fidei comparasse principio sapientię humanæ: fides enim oritur ex virtute Dei, quæ porrigitur ad obiecta supernaturalia, quod non præstat hominum sapientia: vndè maiori cum reverentia excipienda est fides, quàm quævis hominum sapientia: quia cùm fit à virtute Dei, est intrinsecè perfectior propter supernaturalitatem, & vtilitatem ad vitam æternam: quod non habet hominum sapientia: eaque propter fides est adhæsione certior hominum sapientiâ: eâdem ratione explicatur testimonium ad Galatas: quibus persuadet fidem Catholicam, quia non est accepta ab hominum virtute, & sciẽtia, quæ est admodum imperfecta; sed virtute, & authoritate Dei, qui plura veriùs docet, quàm homo. Itaque videtur comparare hominum authoritatem & Dei: & quàvis agat de scientijs, probat quidem affectu esse fidem præferendam scientijs; quia est in substantia nobilior, & vtilis ad salutem, immò & necessaria simpliciter. Testimoniũ ad Thessalon. est clarius, quia acceptum est verbum Dei cum magna veneratione, quia erat dictum Dei, & non hominum: comparat ergo testimonium Dei hominis testimonio: & si egisset de scientia, esset eâdem ratione explicandus. Ioannes autem expressè loquitur de testimonio; divinum verò multum antecellit humano.

§. 20. Ad 6. Ad sextum in eodem §. 14. respondeo: Basilium rectè dixisse fidem esse efficaciorem ad persuadendum omni methodo rationali. Ratio enim nec tàm multa persuadet, quàm fides; nec affert secum gratiam per Christum ad faciendum ea, quæ docet; quam gratiam affert fides in Christum. S. Aug. S. Augustinus comparat actum evidentem evidenti: Deus enim ita loquitur, vt interdum evidẽter audiatur: tunc autem meliùs dubitari posset de visione externa, quàm de auditione. Item agit S. Augustinus de certitudine adhæsionis, qua præferret ipse auditionem suam visui. S. Chrysostomus loquitur de certitudine adhæsionis, qua certiores sumus in voluntate credendi, quàm in voluntate videndi obiecta demonstrata. Eodem in sensu Bernardum accipio: item illud, *quo nihil est certius*, significat Abailardi garritum, qui non erat de fide; sed auribus audiebatur, eoque garritu nihil dixit esse certius: ergo fides non est certior eo garrritu: loquitur Bernardus oratoriè & egregiè, vt ostẽderet Abailardum hæreticum esse garrientem; non tamen comparat fidem scientiæ in certitudine.

SECTIO III.

Quid sit certitudo actuum intellectus?

NON potest hæc controversia cõponi, nisi conveniamus omnes in significatu huius vocis *certitudo*. Repetenda sunt breviter quę latè dixi disp. 25. §. 2. de certitudine. In actu intellectus reperio tria: primũ est conformitas cũm obiecto, ita vt actus repręsentet obiectum, vt est, nihil ei falso adscribens. Quam perfectionẽ vocamus *veritatem cognitionis*. Secundò reperio necessitatem assentiendi obiecto per actum: ita vt principia illius actus non patiantur intellectum ei obiecto dissentiri; sed cum determinent ad speciem assensus, & fortè ad exercitium, nisi mens aliò distrahatur aliarum rerum contemplatione aut somno. Hanc perfectionem esse evidentiam actus ostendi disput. 25. §. 4. Tertium reperio in ipso actu, necessitatem ad veritatem; ita vt impossibile sit, actum illum esse falsum. Hãc perfectionem voco certitudinem. §. 21.

§. 22. Ad quod moveor ijs, quæ dixi §. 4. certitudinem

tudinem esse dexteritatem attingendi scopum. Item Gabriel in 3. distin. 23. quæst. 2. art. 1. certitudinem dixit nihil esse præter infallibilem apprehensionem veritatis absque errore: Sotus 3. de natura & gratia dixit infallibilem veritatem esse de ratione certitudinis: Lorca in Commento art. 8. num. 2. censet nullum esse actum certum, quin & infallibilem veritate. Et quidem infallibilitas est attingentia necessaria veritatis: qui enim falli non potest, non potest errare à veritate. Hoc autem assero esse certitudinem: vt enim actus voluntatis certus est, qui voluntatem strictè ad vnam partem adstringit; ita cognitio est certa, quæ determinat actum ad veritatem. Nec commodè explicatur ab alijs certitudo. Quod autem dico ego eam esse, constat apud omnes, in actu perfecto reperiri. Est igitur quæstio hæc: vtrùm fides sit magis infallibilis, quàm scientia naturalis? vel vtrùm sit magis ad veritatem determinata? cùm enim constet hanc determinationem esse in vtroq; actu, quæritur in vtro sit maior?

Gabr. *Sotus.* *Lorca.*

§. 23. Vt autem constet, de qua agam determinatione ad veritatem; pono duas esse opiniones de veritate cognitionis. Nonnulli censent veritatem esse modum additum substantiæ cognitionis; ita vt hæc numero cognitio potuerit illo modo carere; & actus, qui nunc circa obiectum contingens est verus, potuerit esse falsus. Item asserunt eumdem numero actum posse successivè esse verum, & falsum. Quòd si aliqui non possunt ita mutari, non oritur ex conceptu veritatis; sed ex obiecti necessitate, quod non potest aliter esse.

§. 24. Opinantur alij veritatem esse ipsam intellectionis essentiam; & distinguunt actum verum incertum à certo, quòd actus certus habet in se maiorem perfectionẽ, quã incertus; quia oritur à principijs, à quibus falsus non potuit oriri: itaque si consideres intellectum in actu primo completo proximè ad assensum certum, principium illud non potest efficere actum falsum: sed omnis actus ab illo ortus est necessariò verus, vt in sententia asserente veritatem esse modum distinctum, sunt nonnulla principia à quibus omnis actus est necessariò verus; nec potuit illo modo carere. Qui actus in essentia est perfectior actu indifferenti ad veritatem & falsitatem: ita non est consideranda impotentia ad falsitatem ex suppositione actus existentis: hæc enim necessitas est consequens actum & ex suppositione; sed consideranda est in actu primo ex principio proximo, quæ est necessitas antecedens actum.

§. 25. Ille ergo actus est certus, qui oritur à principio impote erroris: v[illegible] gnitio evidens & fidei infusæ. Quando verò principia sunt indifferentia ad actum verum & falsum, omnis eorum cognitio est incerta. Hæc sunt principia probabilia: verbi gratia, ego probabiliter tantùm cognosco esse Deum, quia vtor medio probabili: per easdem species, quibus Deum affirmo, negare eum potui: quamvis enim ex suppositione quòd vtrique præmissæ fuerim assensus, nõ possum conclusioni probabili dissentiri: potui tamen dissentiri præmissæ probabili: quia indifferenter mihi fuit proposita, & potui voluntate intellectum flectere ad oppositum, repræsentatum quidem per easdem species. Hæc breviter dixerim; cætera de certitudine recognoscantur ea disputat. 25.

SECTIO IIII.

Fides est speculativè certior quavis cognitione naturali.

§. 26. CENSEO fidem infusam certitudine speculationis, tàm quoad se, quã quoad nos, certiorem esse quovis actu naturali: etiam quàm hoc principium: *impossibile est idem simul esse & non esse.* Prima pars est Sancti Thomæ, sequacium, & P. Valentia. Secunda est contra eosdem: at verò posita prima parte, secundam sequi censet Durandus: est item vtraq; pars contra S. Bonaventuram, Alensem, atque Durandum: est quidem contra ipsos aspectu primo, & solis verbis; re tamen ipsa est omnium ferè Theologorum, ponentium fidei magis repugnare falsitatem, quàm scientiæ naturali: & eam esse magis infallibilem propter authoritatem Dei, cui innititur: hoc autem dico ego esse certitudinem, estque in re ferè omnium Theologorum & Patrum: at verò non solùm re; sed etiam verbo, est sententia Gabrielis in 3. dist. 23. q. 2. litera D. vbi docet visionem beatam non esse certiorem fide: & quidem cùm omnes Theologi (si ab vno Hebræo discedas) admittant inæqualitatem certitudinis in diversis actibus; quamvis hæc senten[illegible] tàm paucorum est, quod attinet ad phrasim; debet in obsequium fidei placidè excipi, si probabiliter suadeatur. Quod sic præsto.

S.Thom. *Valent.* *Durand.* *Bonavent.* *Alens.* *Gabriel.*

Omnis actus fidei infusæ oritur à duobus principijs certis: & omnis actus naturalis ab vno solo; sed oriri à duobus princip[illegible]

cert[illegible]

cari potest ex scientia visionis Dei: quæ ex obiecto suo formali est certisima: quia eius obiectum formale, aut est in aliquorum opinione decretum liberum Dei, vt liberè terminatur ad creationem; vel in aliorum sententia est ipsa existentia creaturarum, vt exercita, & ex suppositione quòd sit. Quòd si non extitisset creatura, non esset in Deo scientia de illa vt existente: idem dixerim in scientia intuitiva creata: immò & oculi tendunt in lucẽ vt existentem; quòd si non existeret, in eam non ferrentur: obiectum ergò fidei, vt est eius obiectum, est determinatum ad actum verum vt verum: estque certum.

§. 33. 2. Obiectio. Obijcies secundò: species, quibus cognóscitur existentia revelationis, esse indifferentes ad actum verum, & falsum: ergò obiectum vt est proximè obiectum fidei non est certum: consequentia patet: quia obiectum proximè est potens cognosci per speciẽ, quæ illius vice fungitur. Antecedẽs probo, quia species obiecti est cõfusa, æquè repræsentans revelationem non existentem ac existentem: quamvis enim ad existentiam terminetur, tamen non exercitam repræsentat æquè ac exercitam.

§. 34. Solutio. Nego antecedens: ad probationem respõdeo, obscuritatem specierũ non esse caussam actus falsi: vt enim habitus fidei est obscurus, & determinatus ad verum; ita potuit esse species. Ratio à priori est: quia revelatio vt existens potest immittere speciem sui intellectui applicato: v.g. Angelus aut Propheta habet revelationem Dei: hęc relinquere potest in intellectu prophetico speciem sui: hæc enim oritur naturaliter ex obiecto in potentia valente illud cognoscere: illa species repræsentat revelationem vt existentem: quia repræsentat obiectum, vt fuit illius caussa: sicut per sensum internum percipiuntur obiecta, vt existentia: non verò secundum se; at revelatio vt existens fuit caussa speciei: ergò repræsentatur specie vt existens. Quandò vero intellectus ita distat, vt revelatio non posit in illum immittere speciem; Deus obiecti fun ctus munere producit speciem, quæ perindè est, ac si ab eâ produceretur. Hoc autem fit à Deo cùm primum efficaciter volumus credere affectu pio.

§. 35. Difficult. emergens solvitur. Hinc alia difficultas emergit: Propheta cognosceret evidenter revelationem, si immitteret speciem sui: quia res clarè cognoscitur, quando est per speciem propriam. Nos verò obscurè revelationem cognoscimus, quia per speciem non propriam. Respondeo: sæpè revelationem evidẽter à prophetis cognosci: tunc autem non per fidem: sæpè cognoscitur obscurè, non quoad existentiam; sed quoad conceptum loquutionis Dei: tunc fit etiam per speciem propriã; imperfectam tamen: nam & intuitivâ specie concipimus albedinem vt existentem, quia per visum accepta est eius species propria; adeò tamen imperfecta, vt non posimus discernere obiectum illud esse albedinem: species verò illa non repræsentat albedinem secundùm se, nec colorem alium: sed quoties illâ vtimur, cognoscimus albedinem vt existentem: negare autem possumus obiectum illud esse albedinem; non tamen per speciem illam, sed per aliã, quæ, cognitâ ratione dubitandi, repræsentat obiectum illud, vt indifferens ad albedinem & colorem alium: sic revelatio cognoscitur vt existens per speciem illam, cum qua cõcurrit habitus fidei infusæ; & non cum alia. Negareque revelationem possumus per alias species, non per illam.

Species autem propria capitur dupliciter: primùm, quandò sine similitudine ad alia obiecta; sed in se perfectè concipitur obiectum; sic clarè concipitur: alio modo, quando est per comparationem ad alia; est tamen species facta ab obiecto: tunc concipitur obscurè, vt albedo in casu proposito concipitur obscurè in ratione albedinis; & negari potest per alias species. In hoc secundo sensu revelatio per se, aut Deus per illã immittit speciem obscuram repręsentantem obiectum existens: quia verò nec est in nobis, nec immediatè immutat intellectum per speciem; non est hæc species propria & intuitiva; sicut est in Propheta: hæc autem diversitas specierum contingit, quia plures specierum species sunt posibiles ab eodem obiecto: ita à revelatione possunt esse species claræ, & obscuræ: Deus nos donavit obscuris, quia voluit nos esse viatores, & non comprehensores; fideles ipsi, & non scientes eius mysteria: & quia revelatio est obiectum supernaturale, est nobis etiam improportionatum; quapropter minùs perfectè à nobis cõcipitur. Hæc possunt satis probabiliter dici. §. 36.

Nè tamen sententia certa minùs certâ ratione probetur; nego item antecedens in §. 23. ad probationem distinguo antecedens: species obscura naturalis est indifferens ad actum verum, & falsum, prætereo antecedens; species obscura supernaturalis est sic indifferens, nego antecedens, & consequẽtiam. Quia revelatio est principium proximum efficiens assensum per speciem supernaturalem; non per naturalẽ. Ratio à priori, quia species est in genere caussæ efficientis ab obiecto, vel caussa prima accommodata concursui simili ei, quod petit obiectũ. At caussa supernaturalis cùm agit, efficit super

S. Tho. q. 4. Art. 7. supernaturalem effectum, vt fides cum intellectu: idque maximè cernitur in caussa adæquata: cùm ergo obiectum sit caussa efficiens adæquata speciei, & sit supernaturale, efficit supernaturalem effectum. Hanc speciem Deus infundit cum piâ affectione volumus efficaciter credere. Hæc de primâ parte maioris propositionis positæ §. 27. Nunc superest probandum omnem cognitionem naturalem oriri à solo vno principio certò, & determinato ad actum verum vt verum.

SVBSECTIO II.

Actus naturalis non habet, nisi vnum principium certum.

§. 38. HOC ita probo: quia hoc principium, *quodlibet est, vel non est*, eo præcise est certũ, quia eius species est evidens, & determinat intellectum ad actum verum vt verum: quia enim obiectum in se ita est necessarium; immittit speciem & apprehensionem tàm perfectam, vt negari non possit, nisi à non callente voces: verbo negari potest, at re ipsa non potest ab homine sui compote: species ergo illæ & apprehensio determinant & intellectum ad assensum, & actum ad veritatem: ab illis enim actus falsus non potest oriri: obiecta verò hoc genere sunt evidentia, quia generant species determinantes ad assensum: sunt autem certa quia species determinatæ sunt ad actum verum vt verum. Quo genere certitudinis gaudet omnis scientia naturalis, & omnis actus supernaturalis; vt probavi.

§. 39. Ex parte potentiæ eiusmodi naturales actus certitudinem nequaquam habere probatur: quia potentia nudè considerata, vt præcisa à specie impressa non est secundùm se in actu proximo determinata ad actum re ipsa verum: sed est indifferens ad verum & falsum: ergo ex parte potentiæ non est actus aliquod principium certum. Probo antecedens, quia intellectus secundùm se consideratus est capax scientiæ & erroris: & indifferens vt coniungatur cum specie certa, & incerta: certa informatus producit actum certum: quia vniversalitas, & indifferentia intellectus determinatur per speciem certam ad actum certum: quemadmodum visus cum specie nigredinis determinatur ad visionem nigredinis; cum qua specie non potest albedo videri: ita nec cum specie certa produci actus incertus: vndè tota ratio formalis certitudinis in scientia naturali sumitur formaliter à specie impressa, aut apprehensione simplici: & quamvis intellectus materialiter producit certitudinem illam, non tamen formaliter: hæc enim propositio caussalis est falsa, *ideò actus est certus, quia ab intellectu producitur*: hæc autem est vera, *ideò est certus, quia ab hac specie producitur*: vt communiter dicitur in vitalitate, quæ simul est à potentia & habitu: formaliter tamen à potentia, materialiter ab habitu.

§. 40. Oppositum contingit fidei: quæ considerata secundùm se, vt informat intellectũ, & cum illo constituit rationem potentiæ proximæ, etiam sine consideratione speciei impressæ, est principium determinatum ad verum actum vt verum: adeò vt non posset etiam divinitùs efficere assensum falsum; tametsi vteretur specie naturali impressa incerta: quia speciei indifferentia ad verum & falsum determinaretur per habitum supernaturalem ad actum verum: & quemadmodum intellectus de se indifferens ad verum & falsum non potest vti specie certa ad incertum actum: ita nec species incerta posset vti habitu infuso ad actum incertum: at verò intellectus solus, si specie vtatur incerta, non poterit exercere actum certum; sed incertum: quia nec ex parte intellectus nec ex parte speciei est determinatio in actu primo ad actum verum: nam omnia principia sunt indifferentia ad verum & falsum.

§. 41. En igitur discrimen; si consideres potentiam ad actum fidei secundum conceptum potentiæ distinctum à conceptu obiecti, concipis principium determinatum ad actum verum vt verum: item si consideres conceptum obiecti moventis per speciem, & apprehensionem, & distincti à conceptu potentiæ, concipis aliud principium etiam determinatum ad verum vt verum: suntque duo principia in actu primo determinata ad verum: at verò in quâvis scientia naturali, si consideres potentiam in ratione potentiæ, est indifferens ad verum & falsum: si autem consideres rationem obiecti illud comperies determinatum ad verum: eaque propter nullus actus naturalis oritur à duobus principijs certis, sed ab vno. Quæ est maior propositio præmissa in §. 27.

§. 42. 1. Obiectio. Argues tamen primò: ergo omnis actus naturalis est simul certus & incertus: certus quidem quia oritur à specie certa sive determinata ad verum vt verum: incertus autem, quia oritur ab intellectu secundùm se incerto sive indifferenti ad verum & falsum.

Confirm. sum. Confirmatur, quia disput. 32. sect. 1. ostendi posse eumdem actum esse simul certum & incertum : quia potest oriri ab vno principio certo, & alio incerto : ergo idem erit cuivis scientiæ naturali. Nego consequentiam : quia intellectus solus non est caussa adæquata cognitionis; sed simul cum specie : hoc autem complexum ex intellectu & specie certa iam non est indifferens ad actum falsum ; sed determinatum ad verum : omnisque actus inde productus est certus : quia quando concurrunt duæ caussæ partiales ad producendum effectum, illa, quæ est caussa maioris in effectu perfectionis, complet alteram, vt communicet illam perfectionem effectui : sic complexum ex potentia vitali & habitu infuso, producit actum vitalem supernaturalem : habitus complet potentiam, vt simul cum ipso supernaturalem actum exerceat. Item in multorum sententia phantasma materiale cum intellectu agente producit immediatè spiritualem speciem, quæ non est simul materialis & spiritualis, sicut nec actus est simul naturalis & supernaturalis. Ratio à priori, quia quod deficit caussæ ad communicandam maiorem perfectionem effectui, datur à caussa compartiali: complexum autem ex vtraque dat totam perfectionem effectui, quam continet in actu primo.

Resp.

§. 43. Fateor intellectum, si præcisè consideretur secundùm se, considerari præcisivè in ordine ad communicandam certitudinē actui: quia secundùm se consideratus, non concipitur vt determinatus ad verum. At non potest considerari negativè in ordine ad eam certitudinem, quæ tàm immediatè oritur ab intellectu, quàm à specie. Hæc est attributio formalitatum, quam explicant propositiones caussales præmissæ §. 39. Ad cōfirmationem in §. 42. nego consequentiam: quia ibi actum est de causis adæquatis obiectivis, quarum quævis est obiectum adæquatum vnius actus : altera quidem determinata ad verum vt verum ; altera verò indifferens & ad falsum : quem modum influendi retinent, etiam quando influunt in actum eumdem : potentia verò est caussa partialis vniversalis actus veri & falsi, quæ cōpleta per speciem certā. determinatur ad efficiendū actum verū cum illa specie, quæ non potest concurrere, nisi ad actum verum. Quare intellectus, vt cum illa specie, est determinatus ad solum actum verum.

Ad confir.

§. 44. 2. Obiectio Secundò argues : scientiam naturalem habere etiam duo principia certa : alterum ex parte obiecti, quod ego admitto; alterum ex parte potentiæ : etenim habitus scientificus se tenet ex parte potentiæ ; sed hic est principium determinatum ad actum verū: ergo scientia naturalis oritur à potentia determinata ad verum, vt verum. Respondeo: negando ex parte potentiæ eam certitudinem: ad probationem respondeo, in intellectu nullum esse habitum naturalem à specie impressa distinctum : ac propterea habitus se tenet ex parte obiecti; non verò ex parte potentiæ. Quo responso ostenditur etiam, nullum esse habitum probabilem determinatum ad verū vt verum: quia omnis huiusmodi habitus est species probabilis; sed omnis species probabilis est principium assensus & dissensus obiecti, quorum alter est verus, alter falsus: ergò omnis habitus probabilis est indifferens ad actum verum, & falsum. Resp.

§. 45. Admissa tamen distinctione habitus naturalis à specie impressa, nego potentiam per se actus scientifici esse determinatam ad verum. Ad probationem respondeo : posse etiam dici habitum se tenere ex parte obiecti, quod mediā cognitione sui habitum produxit. Esto tamen ex parte potentię: dico, illum non pertinere ad potentiam per se & simpliciter; sed secundum quid, & per accides. Habitus enim naturalis non ad simpliciter ; sed facilè posse : vndè non efficit actum certiorem illis, per quos productus est : sic enim iam daret simpliciter posse ad illam maiorem certitudinem ; hæc autem determinatio potentiæ est ex suppositione consequente ipsos actus, qui habitum produxere, & inclinat ad alios omninò similes. Considerand est ergo potentia secundum conceptum principij necessarij, & per se actuum, & omnes illos antecedentis. Indè constat habitum probabilem inclinantem ad actum verum non esse certum: quia productus est per actus incertos, & inclinat ad similes.

SVBSECTIO III.

Hæc est maior certitudo.

§. 46. PROBATA propositione maiori syllogismi ex §. 27. probanda superest minor: nempè, oriri à duobus principijs certis, esse maiorem certitudinē, quàm ab vno. Quod facilè probatur comparatione actuum moraliter solùm, aut physicè certorum: disp. 8. de anima sect. 3. distinxi certitudinem moralem à physicâ & metaphysicâ : huic enim repugnat omninō falsitas : physicæ repugnat naturaliter; non tamen omninò de potentia absoluta: morali repugnat moraliter, & secundum commu-

nem

S. Tho. q. 4. Art. 7. nem vsum, prudentemque rationem: non tamen repugnat naturaliter. Actui fidei inest Metaphysica certitudo, quæ maior est morali & physicâ: quia maior est cum falsitate repugnantia etiam in ordine ad potentiam Dei absolutam, quàm solùm ad ordinariam, & hæc est maior, quàm quę tantùm est repugnantia ad id, quod frequenter accidit. Difficultas ergò est vtrum inter certitudines Metaphysicas sit inæqualitas, & quidem si nullus actus Metaphysicè certus est certior alio, etiam Metaphysicè certo, nec visio beata erit certior scientia naturali certa Metaphysicè: nec hæc quæstio est privata fidei; sed communis, & mihi erit satis ostendisse fidem adeò esse speculativè quoad se & nos certam, vt repugnet omninò alius actus certior.

§. 47. Hærveo frequenter adscribitur nullum actum esse certiorem alio; missis autem eius argumentis ea sententia probari potest primùm, quia certitudo consistit in indivisibili: ergo vna non est maior alia, probatur antecedens, quia certitudo est repugnantia ad falsitatē: sed actus Metaphysicè certi æqualem habent repugnantiam ad falsitatem: ergo & certitudinem. Probo minorem: quia cuivis repugnat divinitùs falsitas: ita vt sit chymæra à quovis principio certò Metaphysicè actum falsum oriri. Confirmatur, quia creaturæ sunt æquè repugnantes ac Deus: tàm enim est chymæra, *homo impossibilis*: *quàm Deus non existens*: ergo tàm est impossibilis falsitas vni actui, quàm alijs: ergo æqua est vtrisque cum falsitate pugna.

1. Arg.

Confirm.

§. 48. Ad arg. Argumentum non levè, nisi sententia esset tàm singularis: nego tamen maiorem: ad probationē, distinguo maiorem, est repugnantia sumpta præcisè ab ipso actu, nego maiorem: sumpta ab actu, vt orto à suis principijs impotibus erroris, cōcedo maiorem: distinguo item minorem: æqualem habent repugnantiam sumptam ex actibus præcisè, concedo minorem: sumptam ab ipsis vt à principijs oriuntur, nego minorem: & consequentiam. Ad probationem minoris respondeo: illam repugnantiam, vt consideratur actus cum sua entitate præcisè, esse omnibus æqualem, etiamsi nō sint certi, dummodo sint veri: at, vt consideratur actus relatus ad principia, non est æqualis repugnantia; quia à diversis principijs sumitur diversus certitudinis gradus; vt ostendam

Ad confir. §. 51. Ad confirmationem respondeo: repugnantiam Dei & creaturarum sumi ab ipsorum entitate nudè considerata: homo enim est quidditativè non repugnans ad esse, cui contradicit repugnantia; sicut non existentia Deo: at verò certitudo cōsideratur aliundè, quàm ex actuum entitate.

Quod sic explano: pone actum verum probabilem de existentia Dei, aut alio obiecto necessariò, vel etiam contingenti adstricto vni instanti, quo ego dicam *Petrus Deū amat in instanti A*. his actibus per suam entitatem tantùm repugnat falsitas, quantùm alijs duobus actibus evidentibus de eodem obiecto. Etenim si veritas est de actuum essentia, omni actui vero repugnat falsitas: si autem veritas aliquid aliud addit, non potest illos actus deficere: quia impossibile est eorum obiecta aliter esse: ergo certitudo non est in qualicumque impotentia actus ad falsitatem: est autem in ea impotentia orta à principijs in actu primo determinatis ad actum verum: vndè nec reperitur æqualis certitudo in repugnantia æquali actuum secundùm se ad falsitatem; sed in connotatione æquali ad principia determinata.

Secundè argumētor pro sententia Hærvei: actus intellectus sunt æquè veri: ergo & æquè certi. Nego consequentiam; quia veritas indivisibiliter accipitur in omni actu vero ex conformitate cum obiecto & non alio ex capite: *ab eo enim, quòd res est, vel non est propositio dicitur vera, vel falsa*: cùm autem eadem sit in omnibus ratio veritatis nō potest hæc esse in vno maior, quàm in alio: certitudo autem capitur non ab vnâ in omnibus ratione; sed in nonnullis ab eadem omninò, in alijs à diversis, & quamvis veritas fiat etiam à principijs, non tamen ab illis sumitur formaliter & proximè, nam quamvis ex influxu potentiæ impotis errare arguamus per consequentias actum esse verū: est tamen argumentum immediatè sumptū à certitudine, à qua rectè infertur veritas: at verò ad formalem veritatis conceptum vtimur actus comparatione ad obiectum, si reperimus actum conformem obiecto, concipimus veritatem; non tamen alia ratione, immò ex cognitione principij certi concipimus actum esse conformem obiecto, & ideò formaliter verum. §. 49. 2. Arg.

Est ergo inæqualitas in certitudine: quod cum Aristotele S. Thom. & alij Theologi docent. Probatur primùm, quia in evidentia est inæqualitas: quandò actus pluribus rationibus determinat intellectum ad assensum in specie: ergo & in certitudine est inæqualitas: probo consequentiam, quia etiā sunt plures rationes, quibus actus determinatur ad veritatem. Vndè sumo rationem à priori: aliquis actus certus habet plures rationes, quibus fit ad veritatem determinatus, quàm alius: ergo & est magis certus. Probo consequentiam, quia certitudo est ratio determinans ad veritatem, & quemadmodum plures gradus caloris conflant calorem maiorem; ita & plures gradus deter- §. 50. Conclus. 1. Prob.

determinationis efficiunt determinationem maiorem. Antecedens probo: quia actus à potentia certa habet vnam rationem, qua determinetur ad verum: ab obiecto item certo habet aliam rationem determinationis: qui verò à solo determinatur obiecto, non habet nisi vnam rationem: ergò alij actus habent plures rationes, quibus determinentur ad verum, quàm alij.

§. 52. Quod explico primùm, si dicamus actum certum habere essentiam perfectiorem incerto, quia necessariò fundat denominationem extrinsecam producti à principio certo: ita vt certitudo præter perfectionem essentialem actus addat denominationem extrinsecam à principio certo: tunc autem actus fidei haberet perfectionem fundantem duas denominationes extrinsecas: alteram à potentia certa; ab obiecto alteram: tuncque illa certitudo esset maior: quia illæ vel essent duæ certitudines vel duo certitudinis gradus: quod non evenit veritati, quia non habet conformitatem cum principijs actus; sed cum obiecto.

§. 53. Secundò potest explicari, si certitudo admittatur esse modus ab actu distinctus: tunc enim modus ortus à potentia esset re ipsa distinctus à modo ab obiecto producto: tūc actus substantia fieret, & à potentia, & ab obiecto: certitudo autem orta ex potentia non fieret ab obiecto, nec è cōtra: quia tunc certitudo esset effectus privatus principij certi; non verò incerti: sicut in sententia distinguente vitalitatem à supernaturalitate, & ab actu: habitus infusus non produceret vitalitatem, nec potentia supernaturalitatem: in qua sententia essent etiam, vel duæ certitudines, vel duo certitudinis gradus: & esset certitudo maior: nec hoc reperitur in conceptu veritatis: vtrumque enim principium eam efficeret, etiamsi distingueretur ab actu: quia veritas non est, nisi conformitas cum obiecto, quod est immediata & vnica ratio, per quam veritas & sumitur & cognoscitur: nec indigeret actus, nisi vna tantùm conformitate.

§. 54. Quamvis autem certitudo, nec sit denominatio extrinseca, nec modus ab actu distinctus, est tamen maior in vno, quàm in alio: quia habet virtualiter duos illos modos, & denominationes extrinsecas, id est, perfectionē connotantē duo illa principia, quæ sunt duæ rationes determinantes actū ad veritatē. Explicariq; possunt rudiori Minerva: quia homo existēs in loco, & ligatus fune, quem nullo pacto rūpere potest, tàm est in loco, quàm qui fune simul, & efficaci decreto Dei in eo detinetur loco. Magis autē est ligatus hic secundus, quàm primus, & plures habet difficultates è loco fugiendi. Ita actus à duobus principijs certis magis est ad veritatem adstrictus, quàm ab vno.

Hæc certitudo inest actui non solùm secundū se; sed etiā quoad nos: quia intellectus per habitum, & obiectum est magis determinatus ad veritatem; item accipit effectum formalem ab actu certiori, à quo ipse certior dicitur, vt manus est magis calida à maiori calore. §. 55.

DISPVT. LIX.
De habentibus fidem.

SECTIO I.
Vtrùm Angelus, & homo ante lapsum habuerint fidem?

COTVS in 2. dist. 3. q. 9. negat Angelis fidē, quibus concedit notitiā abstractivā Dei clarā & evidētē, sicuti est: quia cēset Angelos non eguisse fide: quia eo genere notitiæ potuerūt etiā cognoscere omnia mysteria per speciē propriā, quod asserit de omni intellectu separato in 4. dist. 10. q. 8. versu *ad secūdū dico*. Hæc sententia nititur aliæ Scoticæ, qua censetur nullū esse habitum supernaturalem quoad substantiam. Cuius decisio spectat ad disputationes de gratia. Quæ sententia mihi displicet, primùm quia huiusmodi cognitio immediata Dei nequaquam est admittenda. Secūdò: quia eā admissâ exigitur actus in substantia supernaturalis, qui respondeat nostræ fidei, quod attinet ad secum afferendam gratiam, qua possimus æternam mereri vitam. §. 1. Scot.

Durandus in 3. dist. 23. q. 9. negat Angelis fidem; concedit tamen nobiliorem aliam notitiam mysteriorū Dei. Quæ sentētia antiquior est Durando, vt cōstat ex S. Thom. art. 1. cui expresse suffragatur Hugo de Sancto Victore lib. 1. de Sacramentis parte 6. cap. 14. Quæ sententia non videtur improbabilis: quia illis potuit Deus loqui revelatione supernaturali: quam per scientiam infusam cognoscere potuerunt, cum qua S. Thom. hoc articulo componere videtur fidem. Iam autem ostendi disput. 25. evidentiam in attestante non posse componi cum fide immediatè terminata ad revelationem visam: posse tamen componi cum ea evidentia fidem terminatam ad aliam revelationem non visam: quæ revelatio sit reflexa terminata ad revelationem visam. §. 2. Durand. Hugo Victorin.

Quæstio hæc pendet ex facto: propterea censeo, Angelos fidem habuisse, quia maior & melior Theologorum pars id docent cum Magistro, & S. Thoma. idem dixerim de homine. §. 3. Con...

S. Tho. q. 5. Art. 1.

SECTIO II.

Vtrùm Dœmones atque damnati?

§. 4. Durand. DVRANDVS adductus §. 2. perspicuè docet homines damnatos habere eamdem fidem, quam in via, de Dœmonibus autem facit iudiciũ idem, si in via fidem habuerunt. In quam sententiam excãdescunt Thomistæ. Antesignanus est Bañez in quæst. 5. art. 2. dub. 1. eam censens periculosam, & proximam errori. Quã multa anathemata iaculatur Bañez in sentẽtias à sua schola alienas! P. Luis. d. 43. d. 3. §. *deinde*, ei improbabilitatẽ inurit. Bañez. P. Luisius.

§. 5. Non est opus ita excãdescere fundamento non magno. Nam præter Durandum in eâdem sententia videtur esse Magister in 3. dist. 23. & est Alensis 3. part. quæst. 64. memb. 1. quam P. Salmeron tomo vltimo in epistolam S. Iacobi dicit esse absque incommodo: Pater autem Valentia disp. 1. q. 5. puncto 2. eam probabilem censuit. Contra quam nullum est Sacræ Scripturæ testimonium, definitio Ecclesiæ nulla, nec vlla traditio generalis; quin potiùs ei non parum favent S. Iacobus in epistola Canonica, & S. Augustinus adductus disp. 53. §. 6. vbi eius verba retuli, quibus fidem cum operibus appellat fidem Christiani: sine operibus autem eam dicit esse fidem Dęmonum: agit autem de fide Catholica, qui verò non credunt, dicit nec Dœmonum esse imitatores. Quamvis enim ego ea verba explicanda curavi, explicatio tamen non est evidens, sed probabilis. Quid ergò opus est fulminare, aut grandinare? maximè cum S. Thomas q. 18. art. 3. ad 2. non leviter faveat ei sententiæ, quamvis eam hic impugnet: constituit enim discrimen cur spes non maneat in damnatis, maneat autem fides. Magister. Alensis. P. Salmer. Valent. S. Iacob. S. Aug.

§. 6. Conclusio. S. Thom. Censeo fidem infusam non esse apud inferos cum S. Thoma hoc ar. 2. & complurimis Theologis. Primùm enim habitus infusus ibi non manebit, nisi sit aliquãdo proditurus in actum. Testimonium enim Sanctorum Iacobi & Augustini, si quid probat, est de fide actuali, qua Dęmones credunt, & contremiscunt: tremor autem ille non oritur ex habitu fidei; sed ex actu: item habitus nõ ponitur nisi in eo statu, cui per se & non per accidens debetur aliquod exercitium. Deinde ibi nullus est actus fidei infusæ: quia hic oritur ex affectu pio, & vndique honesto, collato ex gratia per Christũ: Dęmones autẽ nullũ exercẽt actũ supernaturalẽ: nec dãnatis hominibus datur gratia per Christũ, neq; fit ibi actus vndiq; bonus.

Tertiò, quia fides non est necessaria: qui enim decesserunt hæretici, aut infideles numquam baptizati, nõ habent hanc fidẽ: quæ numquam infunditur extra viam, & tamen omnes illi cognoscunt iustam esse suam damnationem: item & mysteria gratiæ, ob quorum incredulitatem sunt damnati, ergò etiam cæteri damnati cognoscũt sine fide evidenter eadem obiecta. §. 7.

Item assensus Dœmonum & damnatorum est coactus, nec possunt illi dissentiri: omnis autem assensus fidei Catholicæ est liber. S. Thom. censet hanc actionem oriri ex evidentia signorum: iam tamen ostendi disp. 26. non esse evidentiam in attestante ex signis, atque miraculis, quæ non sint actus vitales habentes relationem transcendentalẽ ad voluntatem Dei: habent autem damnati evidentiã in attestante, quia Deus revelatione illis loquitur, quã iustè puniantur: & cùm multi puniantur, quia negaverunt mysteria fidei, ea cognoscunt evidenter: immò & ipsa mysteria Deus illis fortè loquitur in acerbiorem ipsorum cruciatum. Hæc revelatio est actus naturalis quoad substãtiam: quem ipsi intuitivè, & quidditativè cognoscunt, vt ostendi disp. 13. §. 8.

Obijcies S. Iacobum epist. Canonica cap. 2. vbi obiurgans fideles charitate carentes, ait, eos benefacere credentes in Deum: non tamen esse vnde glorientur, quia Dœmones credũt, & cõtremiscunt, id est, nõ superas Dœmones fide, qui tamen non sunt iusti apud Deum: ergò neque tu tua fide: vnde argumentor: Dœmones tàm bonam habent fidem & tàm perfectam, quàm Christiani peccatores; sed nulla fides naturalis, neque scientia est melior fide infusa: ergò fides Dœmonum non est naturalis. Maior probatur, quia alioquin argumentum S. Iacobi esset stultum: si enim Dœmonum fides est in ordine inferiori fide Catholicâ, nõ benè arguitur: Dęmones non iustificantur suâ fide; ergò neque fideles suâ: esset enim argumentum ab imperfectiori fide ad perfectiorem: perfectior autem potest efficere quod imperfectiori repugnat: quemadmodũ esset ineptum argumentũ, si quis probaret fide Catholica hominẽ non disponi ad iustificationẽ, quia non disponitur fide aut cognitione naturali. Quare cõcessa Apostolo insufficiẽtiã fidei Dęmonũ ad iustificationem, negari posset fidem nostram esse insufficientem. §. 9. Obiectio. S. Iacob.

§. 10. Lorca. Lorca disp. 3. num. 80. respondet mẽtem Apostoli non esse, in omnibus Dœmonum, & peccatorum fidem comparare: sed ostendit vtramque esse insufficientem & ex vnius inefficacia ad aliam sumi argumentũ.

Alij

Alij censent non esse comparationem à simili; sed commitanter vtrumque doceri. Hi minus placent: etenim vt ostendat Apostolus nostram fidem sine operibus non valere ad salutem; id probat exemplo dœmonum; quibus sola fides non sufficit: ergo nec nobis. Quod ait Lorca, verum est vtramque fidem esse insufficientem: at argumentum duceretur ineptè: quia nisi ponatur fidem dœmonum esse in se tàm bonam, quàm nostram; argumenti solutio tàm præstò esset, vt derideretur Apostolus ab hæreticis. P. Luisius disp. 24. dub. 5. varias interpretum explicationes adducit. *P. Luis.*

§. 11. Ego existimo, rē non esse difficilē ex tota epistola: qua damnatur error asserētiū fidē valere sine operibus: dixit autē Apostolus non iustificari auditorem, & peritum legis; sed factorem: vt Christus dixerat vapulaturum servum scientem Domini voluntatem, & non facientem: quia ea scientia tantùm abest ad placandum Dominum, vt potiùs eum provocet ad bilem. Ad hoc probādum arguit Apostolus: dœmones credunt esse Deum, & sciunt totam eius legem; nec tamē propterà sunt iusti: ergo cognitio sola Dei, & legis non sufficit ad iustitiam. Quod argumentum est evidentissimum, nec enim comparantur fides & scientia nostra & dœmonum in perfectione; sed præcisè in sufficientia cognitionis legis, cum qua componi potest dœmonum pertinacia: sic & cum nostra fide.

§. 12. *Ad arg.* Ad argumentum ex §. 9. respondeo: non dici ab Apostolo nos nō esse superiores dœmone in bonitate fidei: sed nos solùm esse obliviosos auditores legis; quemadmodum & dœmones. Ad formam argumenti respondeo; nego ab Apostolo dici æqualem esse fidem dœmonum; sed hos æquè esse peritos legis Dei, ac nos: ad probationem maioris respondeo: argumentum esse rectum, quia sumitur à sola insufficientia cognitionis & peritiæ legis: licèt enim cognitio dœmonum sit in ordine inferiori; est tamen in ordine cognitionis, & peritiæ legis: vndè non arguitur formaliter ab imperfectiori ad perfectiū; sed ab vno solo auditore legis ad aliū: quamvis autem nostra fides sit salutis initiū; quia affert gratiā Christi ad opera; secùs fides dœmonū: adhùc nostrę fidei cōvenire, vt sit in oblivioso auditore legis; explicat bene dœmonū exēplo. Nec enim nostra fides habet, nisi esse meliorē auditionē legis: quia tamē existit in intellectu obscurè Deū reprę sentās; ideò potest esse & obliviosa non minùs, quā dęmoniaca, quæ est evidēs; visio autem Dei non potest absq; opere reperiri, ac proptereà non est obliviosa legis peritia. S. Augustinus est in eādē sētētia, & nō in alia.

SECTIO III.

Vtrùm Animæ in Purgatorio?

COMMVNITER affirmant Theologi: quia illæ animæ sunt in statu, in quo benè operantur ex gratiā per Christum; nec sunt in patria, à qua ibi peregrinantur: ergo fidē habent, sine qua extra patriam impossibile est placere Deo. Hæc non satis conclusionem ostendunt, potest enim responderi; animas benè operari per scientiā supernaturalem infusam: Paullus autem egit de hominibus, vt sunt in hoc mundo, non verò in alio. Nec deest fundamentū oppositiæ sententiæ: illi enim animi iusti iā sunt in statu separationis à corpore: vndè etiā animi iusti exercent cognitiones supernaturales clariores, & perfectiores: divinā ergo revelationē supernaturalem sibi factā de æqualitate iudicis in sententia ferēda cognoscunt evidēter: si enim damnati suā naturalem vident evidenter, quid ni & iusti. §. 13. *Conclus. communis.*

Dici ergo possent vti scientia infusa; quâ intuentur, quibus suffragijs, & à quibus iuventur, pro quibus & ipsi Deum orant, intuentur etiam gradum gloriæ, sibi à iudice addictum: gratiam, in qua sunt: Angelorum supernaturalem secum amicitiam, & alia id genus obiecta supernaturalia: cum qua sciētia non potest componi fides immediatè circa revelationem scitam. Atque hæc videntur illi statui congruentiora: non tamen adhùc frequenter videntur admissa; nec negata frequenter. §. 14.

SECTIO IIII.

An & beati?

DICO primò: beati ex natura rei non possunt exercere assensum fidei circa vllum obiectum. Conclusio communis omnibus ferè Theologis, & Patribus: quāvis ex his nonnulli in oppositā partē inclinent, vt docet P. Valentia disp. 1. q. 5. punct. 1. quæ colligitur ex Paullo 1. ad Corinth. 13. vbi constituitur evacuatio fidei in Patria: in qua videbimus per speciem, & nō per speculū, & ęnigma. Probatur primū, quia status ille beatorū per se petit evidentē & immediatā cognitionē revelationis loquutionis, & volūtatis divinæ, quia est omniū bonorū aggregatione perfectus: essetq; hominis morosi occultis nutibus, & signis obscuris agere cū filio, quē sibi assidere facit in mensa: actū autē fidei immediatū de revelatione nō posse physicè cōponi cū evidē §. 15. *1. Conclus.* *Valent.* *Paul. 1. ad Corint. 13* *1. Probat.*

S. Tho. q. 5. Art. 1. & 2. cognitionē de ipsa revelatione ostendi disp. 25. §. 9. scientia verò naturalis potest: quia cognitio & medium evidentia non adversantur evidenti medio, & cognitioni; vt adversatur obscura cognitio ex testimonio: divinitùs autē componi potest fides de revelatione cū visione Dei: quia potest Deus occulere beato revelationis existentiam; quam credere poterit manuductus applicatione evidenti moraliter, & non physicè.

§. 16. 2. Conclus. Dico secundò: habitus fidei nullum habet effectum formalem physicè oppositum statui beatorum: sic Gabriel in 3. dist. 24. cōcl. 2. & dist. 3. litera B. Probatur, quia effectus formalis fidei habitualis est, intellectum cōplere, vt possit obscurè cognoscere revelationem, & revelata: lumen autem complet ad cognitionē immediatam Dei; vel si placet, ad immediatam etiam cognitionem revelationis; quæ clarè videntur actuali beatitate: sed posse in actu primo rem cognoscere obscurè, & eā clarè cognoscere actu, aut potētia proxima non sunt oppositi formales effectus: ergo. Probo minorē: quia si aliqua ratione pugnarent, maximè quia assensus luminis & fidei pugnarent; sed potentiam esse cōpletā ad duos pugnantes assensus nō pugnat: ergo nec pugnāt effectus formales fidei & luminis. Minor probatur: quia idē intellectus habet species ad assensum & dissēsum, quibus ad vtrumq; est in actu primo cōpletus: eadē itē voluntas est principiū amoris, & odij. Ratio à priori: quia actus habent oppositionem ratione obiecti, in quo argueretur contradictio ex assensu, & dissensu, aut ratione modi immutandi intellectum: quod non potest præstare obiectū fidei præsente scientia, hæcq; non contingunt ipsis principijs: quia verò habitus perpetuò otiaretur in patria destruitur à Deo cum animam donat beatitudine. De potentia absoluta possunt beati exercere fidem circa revelationē obscurè propositam; vt sæpè dixi: & docet P. Suarez disp. 6. sect. 9. num. 7.

1. Prob. Gabriel.

P. Suarez. §. 17. 3. Conclus. Dico tertiò: habitus piæ affectionis manet in patria in his, qui fidem habuerunt. Hanc conclusionem esse ex mente S. Thomæ docetur à Petro Vergomensi in tabula aurea dub. 66. vbi componit nonnulla testimonia Sancti Thomæ, quæ mutuò belligerata videntur: iam enim asserit fidem manere in beatis, iam negat. Manet quidem in voluntate habitus affectionis piæ, qui pertinet ad moralem considerationē fidei; nō manet in intellectu habitus assentiendi. Qua ratione cōponi etiam poterunt aliqua testimonia Patrum: videtur esse communis sententia Theologorum admittentium in patria omnes virtutes morales non pugnare cum eo statu: hæc autem nequaquā pugnat. Probatur, quia in patria exercetur gaudium de actibus fidei exercitis in via: spectat enim ad habitum eumdem amor strictus, desiderium, & gaudium: quia habent obiectū idem, & sub eâdem ratione formali: sed gaudiū non minùs exigit habitum, quā desiderium, & amor, ergo est in patria. Nec verò habitum constituo nunc ad actus conditionatos; sed ad absolutos. Neque disputo vtrū aliqui habitus sint in nonnullis beatis: sed dico virtutes exercitas in via, in patria manere, vt efficiant gaudium talis exercitij. Ita manent misericordia, castitas, & aliæ: nec absurdum est esse in Christo piam affectionem ad amorem strictum suæ fidei, vt possibilis, & ad actus conditionatos.

Petro Vergom.

SECTIO V.

In hæretico non est fides infusa.

§. 18. Durand. Magist. Aug. Scot. S. Thom. DVRANDVS in 3. dis. 23. quæs. 9. num. 8. censet non esse improbabile in hæretico manere habitum fidei Catholicæ. Cuius sententia est contra cæteros omnes Theologos Magistrum ex Augustino ea dist. 23. S. Thom. hac quæst. 5. art. 3. & omnes eius interpretes: Scotum in 2. dist. 23. versu *de primo*: & vix Theologus vllus abstinet ab inurenda ei sententiæ censura.

§. 19. Probatio S. Thom. S. Thomas eam conclusionem probat, quia, qui dissētitur cuivis articulo fidei proposito sufficienter, destruit totam rationem formalem fidei: sed ea destructâ non manet habitus circa illam: ergo. Minor probatur: quia destructo obiecto formali non potest manere habitus, qui ab eo essentialiter pendet. Maior probatur: quia obiectum formale fidei est divina veritas, vt manifestatur infallibili propositione Ecclesiæ: ergo qui dissentitur Ecclesiæ; iam non est paratus ad totam Ecclesiæ doctrinam propter eius authoritatem; sed sua voluntate dissentitur, & assentitur quibus vult obiectis.

§. 20. Hæc ratio suas patitur difficultates: primùm, maior propositio non est vniversim vera, tùm quia ostendi disp. 9. fidei Catholicæ habitu assensum præberi privatis revelationibus propositis sufficienter: hic autem assensus non pendet à propositione Ecclesiæ: ergo, qui dissentitur Ecclesiæ, habet alia principia, quibus assentiatur loquēti Deo: quemadmodum qui dissentitur privatæ revelationi, habet authoritatem, quā publicam admittat: item constat ex disp. 14. fide

Catho-

Catholica, vt Catholica posse aliquem credere multas publicas revelationes, motum miraculis, & alijs fidei adminiculis: ergo non destruitur totum obiectum fidei, nec omnis eius applicatio: quia propositio Ecclesiæ non est ex habitus naturâ vnica ratio assentiendi.

§. 21. Minor item propositio non satis probatur: quia actus intellectus & voluntatis corrumpuntur destructis obiectis; quia ex assensu & dissensu; & amore & odio sequuntur in obiecto duo contradicentia prædicata: at verò habitus non est actualis tendētia in obiectū; sed potentialis: existentia verò potentiæ non exigit obiectū actu existens; sed tantū vt posit existere: cumq; hæreticus posit aliquādò hæresi deposita credere Catholicè, posset etiā habitum retinere, quo credere posit. Itē species erroris habet pro obiecto formali aliquid distinctum ab obiecto formali scietiæ: nec verò opus est, vt per scientiā destruatur, nisi error actualis; intellectus verò & species impressa de obiecto opposito manent. Immò in communi sententia Thomistarum Logica, & quævis scietia est vna simplex qualitas habens vnum obiectum formale, cui opponitur quivis error in eâ facultate; nec tamen suscepto quovis errore destruitur tota scientia; manent enim aliqui gradus habituum: ergo destructo obiecto formali potest habitus secundum substantiam manere. Quod est argumentum Durandi; & quidem non tàm parùm efficax, quàm hoc cui respondeo.

§. 22. In forma ergo respondeo ad argumētum ex §. 19. primū negata maiori: ad probationē respōdeo antecedenti distincto: obiectū adæquatū fidei est divina veritas, vt proposita infallibili doctrina Ecclesiæ, nego antecedens: quia miracula & alia argumenta sufficiunt ex habitus naturâ: & quamvis iā non posset credere propter authoritatē Ecclesię, posset propter miracula: & qui non vult credere propter hæc, potest propter illam: quia qui iudicat imprudenter hanc applicationē non esse sufficientem; potest prudenter censere sufficientem esse aliam, quia per diversa principia cognoscitur vtriusque vis. Secundò respondeo negata minori propositione: ad probationem respōdeo habitum in actuali existētia non pendere ab obiecto actu existente; sed potente existere: quia habitus non est actualis tendentia; sed potentialis: vt materia prima non pendet actu à formâ actuali; sed à formâ secundùm se: nec visus ab actuali luce, & colore aut visione: qua de refusiùs agitur disp. sequenti de oppositione fidei & infidelitatis.

§. 23. Ratio à priori ob quam habitus fidei corrumpitur, est voluntas Dei: quia nō vult eū habitū esse in hęretico ob pravum eius affectū, quo violat leges fidei. Hæc autē volūtas maximè constat ex authoritate Patrū: qui de infidelibus loquuntur, vt de carētibus fide: itē & ex cōmuni Theologorum consensu: vtrisq; favet apertè Conciliū Tridentinū sess. 6. cap. 15. cùm enim Lutherus atque Calvinus docuissent quovis peccato mortali fidē amitti; alij verò solā infidelitate amitti gratiam iustificationis; docet Concilium gratiam amitti quovis mortali peccato; non vero fidem: hanc autem dixit peccato infidelitatis corrumpi: verba Concilij sunt: *non modò infidelitate; per quam & ipsa fides amittitur: sed etiam quocumque alio peccato, quamvis non amittatur fides accepta; iustificationis gratiam amitti, &c.* Trident.

§. 24. Respondebit aliquis non definiri amitti habitum per se infusum; sed statum illum, in quo erat ante hæreticum dissensum: nec enim constat ex Concilio esse habitus per se infusos. Contrà: definitur eum hominem amittere fidem, quam infusam accipi in Baptismo docuerat Concilium cap. 6. per quam inhærenter fuerat renovatus: hoc autem non est aliqua moralitas; sed qualitas physica: ergo. Minor patet: quia inhærentia renovans per dona Dei, non est denominatio aliqua extrinseca; sed intrinseca: ne relabamur in iustitiam extrinsecam Lutheranam. Maior probatur ex ipsis verbis. *Quamvis non amittatur fides accepta*: itaque peccato mortali ab infidelitate distincto, non amittitur accepta fides; quæ erat infusa per se, vel per accidens (hac enim de re nihil agit Concilium): infidelitate autem amittitur *ipsa fides*, id est, ea ipsa *quam infusam accipit homo, & quæ non amittitur quovis peccato*: hæc *ipsa* amittitur. Item charitas amittitur non solùm quoad moralē statum; sed ipsamet, quæ accipitur in Baptismo; item & habitus gratiæ: ergo etiam habitus fidei, quo sumus Christiani.

§. 25. Secundò responderi poterit dictum à Concilio hanc fidem amitti: id tamen non esse definitum, quia Patres eâ de re non egerunt directè. Respondeo id non posse, nisi temerè affirmari: quia quod Concilium dixit de amissione fidei, non fuit reddendo rationem aliquam alicuius decreti; sed eo capite duo damnantur errores: alter, quo asseritur fidem amitti quocumq; peccato mortali: cùm enim hæretici non admittant fidē informem: dixerunt vnà cum charitate perire fidem: hic error directè damnatur illis verbis: *quamvis non amittatur fides accepta.* Error alter erat, nullo peccato distincto ab infidelitate gratiam amitti: hic error dānatur illis verbis; *sed etiam quocumq; alio mortali peccato*: quia verò de fidei corruptione & con-

S. Tho. q. 5. Art. 3. & conservatione hi hæretici erraverant variè, definit Concilium quid sit ea in parte tenendum: nempè & fidem corrumpi cum gratia per peccatum infidelitatis: & gratiā quovis alio peccato corrumpi incorrupta fide: oportebat autem in tàm fluctuanti hæreticorum tempestate in materia de fide Concilium toti Ecclesiæ pharo præire.

§. 26. Obiectio. Pro sententia tamen Durandi ipse arguit: quia non destruitur tota sciētia habitualis per vnum solum errorem: qui enim in Philosophia errat circa syllogismū probabilem; non errat propterea circa demōstrationem; sed cum eo errore promptissimus est ad demonstrandum. Quod quidem experimento probatur: tàm facilè enim tradit regulas recti syllogismi, quàm si in nulla parte Dialecticæ errasset. Confirmatur, quia habitus scientifici & appetitivi sensim remittuntur, non subitò pereunt: quia habitus remissi componi possunt in eodem subiecto, tametsi indivisibiliter pugnent circa idem obiectum: ergò assensus hæreticus producens habitum remissum poterit componi cum habitu fidei etiam remisso.

Confir.

§. 27. Hoc argumentum non est leve contra Thomistas admittētes, scientias atque virtutes esse vnam simplicem qualitatem: vt enim fides est vna simplex qualitas habens pro obiecto formali authoritatem, & revelationem Dei sufficienter propositam; ita temperantia & Logica sunt aliæ duæ simplices qualitates: altera circa ens rationis sivè secundas intentiones; altera circa mediocritatem in gustu & tactu: sicut ergo hæ non destruuntur penitùs vno errore, aut actu contrario circa ipsarum obiectum formale, cur fides destructur per errorem oppositum obiecto formali suo? Confirmatio autem habet eamdem vim, maximè contra Dominicum Bañez asserentē peccato mortali distincto ab infidelitate fidem remitti, cur etiam non remittetur hæresi, & componetur in gradu remisso cum habitu vitioso hæresis? oportet autem & discrimen reddi à Bañez, & ab alijs ostendi cur non possit fides paulatim remitti.

Bañez.

§. 28. Resp. Propterea respondeo totam fidem infidelitate destrui, non physicè; sed demeritoriè: de quo latè differam disp. sequenti: ac propterea quovis actu infidelitatis, hæresis, Iudaismi, aut paganismi destruitur tota fides. Fides autem acquisita eorumdē mysteriorum paulatim minuitur tàm per partes intensionis, quàm extensionis; sicut cæteri habitus naturales: ac propterea habitus fidei acquisitæ non repugnat cum habitu vitioso. Vide Patrem Suarez disputatione septima sect. 4.

P. Suarez

DISPVT. LX.

Qua ratione fides infusa opponatur errori?



ÆC disputatio necessariò est annectenda superiori, vt cōstet contra Durandum, quo pacto fides expellatur errore: item vt constet vniversim, quis sit effectus formalis habituum infusorum, an sit facilitas: an verò præcisè potentia ad operandum? §. 1.

SECTIO I.

Vtrùm habitus hæresis, aut alius infidelitatis cū fide infusa physicè pugnet?

DOMINICVS Bañez in quæstione 5. art. 3. §. *hæc sententia*: dicit, errorem esse in Philosophia componere duos habitus contrarios, vnde deducit habitum infidelitatis nequaquā posse cum fide componi: quapropter erroris Philosophici damnat Durandum, quòd componere fuerit conatus vitiosum habitum hæresis cum fide infusa. Ne tamen ipse in Philosophia erraret, disertè fuerat loquuturus de habitibus contrarijs in gradibus intensis: in remissis enim eos posse componi nullus Philosophorum negat, qui admittat contrariorum compositionem in gradu remisso: præterea fuerat probaturus hæresim & infusā fidē esse habitus contrarios. §. 2. Bañez.

§. 3. Quantum autem se proiecerit in Durando carpendo constat, quia multi & gravissimi Theologi censent fidem infusam, & hæresim nō opponi ex natura sua; nec physicè; sed tantùm demeritoriè: quod si Deus vellet hæreticum non punire fidei privatione, non magis duo illi habitus pugnarēt, quàm dulcor & albedo: ita S. Bonaventura Conradus, OKamus, Almainus, ipse Durandus, Gabriel & alij, apud P. Vazq. 1. 2. disp. 91. cap. 1. quos sequitur P. Suar. disp. 7. sect. 4. num. 5. Sotus in 3. q. vnica versu ad 13. *principale* sed Gabr. in 3. dist. 23. q. 2. lit. O. id dicit de omni habitu per se infuso, quorū sētētia mihi maximè probatur.

Bonavent. Conradus. OKamus. Almain. Durand. Gabriel. P. Vazq. P. Suarez. Sotus.

§. 4. Probationi præmitto omne peccatū mortale cōmissionis & omissionis habere physicā oppositionē cū gratia sanctificāte: quā ex natura sua; & sine vllo libero pacto Dei potest

potest expellere à subiecto: quia effectus formalis gratiæ est hominem reddere amicum Dei: effectus autem formalis peccati reddere inimicum: qui effectus natura sua sunt oppositi: qua de re contra Scotum dixi non pauca in disputationibus de iustificatione. Hinc deducitur omne peccatum mortale opponi mediatè omni habitui per se infuso, qui natura sua pendeat à gratia, non quod effectus formales peccati & habitus sint oppositi; sed quia destructa caussa pereunt effectus ab illa per se pendentes: si autem habitus infusi conserventur absque gratia sanctificante, assero eos non opponi ex natura sua cum habitibus vitiosis circa ipsarum virtutum obiecta. Quia verò fides vel natura sua non pendet à gratia, vel si pendet conservatur à Deo sine illa speciali providentia, ideò quæstio in fide & spe est clarior.

SVBSECTIO I.

Primum argumentum.

§. 5. PETITVM quidem à conceptu proprio & habitu erroris: tota substantia assensus actualis & habitualis hæretici componi potest naturâ suâ cum intensâ fide: ergò duo illi actus non opponuntur ex natura sua, neque physicè (quod est idem): de consequentia dubitari nō potest, quia nulla contraria possunt naturâ suâ cōponi in gradibus intensis, vt constat ex eorum definitione. Antecedens probo in errante in materia fidei absque culpa, quem pono intensum habere habitum fidei: & errore inculpato intendit etiam habitum errantem: hic eo errore neque amittit fidē, nec remittit; sed habitum vtrumque componit, vt cum Magistro in 3. dist. 23. & S. Thoma hac q. 5. art. 3. Theologi omnes admittunt: sed habitus erroris inculpati, vt præcisè est principium assentiendi, est eiusdem substātiæ cū hæresi, vt est præcisè habitus assentiendi, ergo substantia habitus hæretici intellectualis est naturâ suâ cōpossibilis cum habitu fidei infusæ. Minor pobatur, quia eadē substantia habitus intellectualis est in errore inculpato, & hæretico: estque solum discrimē in malitia morali, & eius carentia: quæ habitibus intellectus sūt extrinseca denominatio à moralibus voluntatis actibus: quemadmodum actiones externæ sunt bonæ, aut malæ per extrinsecam denominationem: & eadem numero potest esse bona & mala: ergò in substantia habitus errantis, & hæretici nullum est discrimen. Antece- §. 44.

(Marg.: Magister. S. Thom.)

dens probo: quia idem assensus numero potest inculpatè amari atque produci, conservari autem culpatè: vt si quis neget propositionem definitam, definitionem ignorans; deindè in eâdem neganda perseveret cognitâ definitione Ecclesiæ: non est opus mutatione voluntatis assensū quoque mutari, vt etiam cernitur in actibus externis. Ratio à priori, quia voluntas tantū est potentia extrinsecè applicās potētias illi subiectas; sola autem applicatio non disparat effectus.

Dices primò: sufficere diversitatē actuum voluntatis ad inferendos diversos actus erroris: exempli gratia voluntas dissentiendi orta ex cognitione obligationis credēdi infert dissensū specie diversum, ac volūtas orta ex inculpata ignorantia obligationis: primus igitur assensus opponetur fidei, nō secūdus. Cōtrà primò: si ponamus moralitatē nō esse de substātia actus moralis, nihil affertur è re: quia si ipsi actus volūtatis propter diversam moralitatem non habent substātias diversas, multo minùs illas habebunt actus aliarū potentiarum, qui non habent moralitatē immediatè; sed per solā extrinsecam denominationem à voluntatis actu morali. §. 6. 1. Solutio. Impugn.

Contra secundò: sunt duo genera intellectionū: alterū quod est principium volitionis voluntati proponens obiectū amādum: ex diversitate harū cognitionum nō arguitur ineptè diversitas voluntatū: est enim volitio à principio intrinseco cognoscente singula: cū autē dicat immediatum ordinē trāscendentalē volitio ad intellectionē mutatâ intellectione & volitio mutatur: quia muta to termino immediato ordo quoq; ad illum mutatur. Alterum genus cognitionum est, quod sequitur voluntatem, vt obiectum extrinsecum ab illa efficaciter amatum: quemadmodū actus inevidētes pendent ab imperio voluntatis: sicut actio externa est obiectum extrinsecum efficaciter amatum. 2. Solutio.

Hoc obiectum in ratione obiecti immediatè terminat volitionem: quia voluntas efficax dandi elemosynā, aut credēdi immediatè terminatur ad externā erogationē stypis, & ad assensum intellectus. At verò in ratione caussæ, voluntas non attingit eos effectus, nisi remotè, dū applicat illorū immediatas potentias. Quæ potentiæ naturâ suâ sunt subiectæ appetitui sine cuius imperio nō moventur ad actiones, de quibus loquimur: at verò non dicunt specialē ordinē ad hunc, aut illū actum in particulari; sed vagè & indeterminatè petunt ab appetitu moveri: vndè omnis actio harum potentiarum pendens ab appetitus imperio petit indeterminatè hoc aut illud; nullum verò in particulari: sicut calefactio & omnis actio physica petit applicationē aliquā indeterminatè, §. 7.

S. Thoq. 5. Art. 3. nullam tamen determinatè: quia hæc generâ caussarum, non sunt ex influentibus per se; sed applicantibus.

§. 9. Confir. 2. Confirmatur secundò: quia assensus fidei infusæ imperatus ab actu charitatis, non est diversæ speciei ab assensu eiusdem fidei circa idem obiectum formale, & materiale adequatum imperato ab obedientia: ergo nec actus erroris differunt specie propter diversitatem actuum imperantium. Cōsequentia est certa à ratione pari. Antecedens autem adeò est clarum, vt adhuc de illo nullus dubitaverit. Et quidem mirum esset constituere duos actus opinionis specie diversos in eodem intellectu per eadem immediata principia circa idem adæquatū obiectum; item & duos actus humanæ fidei diversos, solùm quia diversis volūtatis actibus imperantur: vbi quæso Aristoteles, aut alius Philosophus, aut Theologus cōstituit inter principia diversificantia effectus affectum bonum, aut pravum. Ratio à priori: quia actus imperatus est terminus extrinsecus, qui potest terminare infinitos actus specie distinctos tàm appetitus sensitivi, quàm rationalis manens semper obiectum codē numero: quia ab illis non habet immediatam dependentiam; sed tantùm applicationem potentiæ, vt operetur. Actus supernaturalis potest imperare naturales: quod si naturalis supernaturales non potest, est quia habitus per se infusi non sunt nati ad obediendum naturæ soli; sed gratiæ: naturæ autem, vt est gratiâ elevata.

§. 10. Confir. 3. Confirmatur tertiò in actu malo ex subreptione: potest enim aliquis considerare existentiam revelationis divinæ, item & applicationem per authoritatem humanam Ecclesiæ: item & obligationem credendi, quam obligationem imperfectè cōsiderat; considerans tamen perfectè & revelationem & applicationem. Ponamus hunc hominem dissentiri parùm deliberatè ob imperfectā considerationem obligationis; vel ob irā subitam: hic ex omnium sententia non amittit fidē; quia peccatum illud infidelitatis fuit leve, [illegible] nec amittitur gratia, quę non potest esse absq; fide. En errorē culpatū cum fide cōpositum: quid obsecro minus habet hic error, quā si esset plenè culpatus: vtroq; enim casu dissentitur obiecto formali fidei perfectè cognito; itē & applicationi perfectæ: discrimen autem est in cognitione obligationis ad credendum: hæc autem cognitio obligationis quid immutat habitum intellectus fidei, qui non habet eam obligationem pro obiecto?

§. 11. Vt hæc explicentur, ponamus rusticū sibi persuadentē sanctitatem & doctrinā Ecclesiæ: itē sibi persuadeat inculpatè, vel cum culpa levi se posse licitè negare fidē propositā Ecclesiæ pro aliquo brevi tēpore ob vitandū mortis discrimen, vel alias ob caussas. Quos casus repugnare homini rustico parū à parochis instructo censebit aliquis: ponantur tamen disputandi gratia. Hic rectè considerat authoritatē Dei, revelationē & propositionē Ecclesiæ, quorū prima sunt obiectū formale; tertium verò applicatio fidei: & tamen ea negatio generat habitū erroris cōpossibilis cum habitu fidei: igitur error in cognoscente perfectè obiectū, & applicationē fidei potest naturâ suâ cōponi cū habitu fidei, quæ clariora etiā sunt in errante cum ignorantia vincibili: qui error est maximè culpatus: errans enim tenebatur diligētiam adhibere ad cognoscendam propositionem Ecclesiæ: hoc autem errore non expelli fidem ostendam disputat. 82. §. 36. & 37.

Neque argumentum leve sumitur ex errore culpato in eo, qui non credit revelationem aliquam propositam sufficienter aliquo miraculo: peccari enim contra fidem Catholicam à negante revelationem publicam miraculo contestatam ostendam à §. 66. hic autem error componi potest cum fide Catholica: quia non est hæresis, quâ solâ fidelis fidem amittit: quæque exigit necessariò in dissentiente pertinaciam cōtra authoritatem Ecclesiæ: qui autem sic errat, potest esse paratus ad credendam revelationem illam, quam negat, cùm primùm cognoverit eam à tota Ecclesia proponi. Hic error est contra obiectum formale fidei, & contra sufficientem applicationem, & est culpatus: ergò error culpatus componi potest cum fide. Quod si hoc genus erroris non pugnat physicè cum fide, cur pugnabit error contra propositionem Ecclesiæ: qui nihil differt à primo, nisi quia est contra aliam applicationem sufficientem: cur autem peccatum contra applicationem vnam destruet fidem ex natura sua, magis quàm peccatum contra applicationem aliam? §. 12.

Esto tamen differant specie assensus errantes propter actuum imperantium diversitatem, probo singulis erroribus fidem iri destructum, tametsi sint inculpati, vel non destructum iri culpatis: omnis enim assensus propositioni definitæ destruit obiectum formale fidei: sed destructo obiecto formali perit habitus, vt adversarij contra nos probant: ergo quovis assensu contra fidem destruitur habitus fidei. Maior probatur, quia interitus ille obiecti formalis fidei non est physicus in revelationem ipsam, ita vt hæc sit peritura, si à nobis negetur: sed est interitus intentionalis in errantis intellectu, quia cum negetur Dei revelatio, illa quasi abigitur, §. 13.

& exu-

& exulat ab intellectu: sed æquè perit per inculpatum dissensum, atque culpatum, quia vtroque æquè negatur: ergò vtroque assensu æquè perit obiectum fidei.

§. 14. *Solutio.* Respondebis obiectum formale fidei esse revelationem Dei, vt proponitur per Ecclesiam: quod ita non negatur errore inculpato. Quæ solutio insinuari videtur à S. Thoma quæst. 5. art. 3. Respondeo tamen primùm: obiectum formale fidei esse solam authoritatem Dei; propositio autem Ecclesiæ, si fit per authoritatem physicè infallibilem, est revelatio Dei; ad quam egemus applicatione alia nova: si verò propositio Ecclesiæ fit per authoritatem præcisè humanam; hæc non spectat ad obiectum formale fidei; sed præcisè ad applicationem, & conditionem sine qua non; ergò totum obiectum formale fidei destruitur per inculpatum errorem.

§. 15. *Impugn.* Contra secundò: sit propositio Ecclesiæ obiectum formale: adhuc destruitur revelatio Dei: quia hæc negatur; sed eâ negatâ destruitur obiectum formale fidei, ita vt non possit exerceri: ergò. Probo suppositum: quia fides obiectivè pendet à tribus; ab authoritate Dei, à revelatione, & à propositione Ecclesiæ, & quovis destructo nõ potest exerceri fides, quæ attingit veritatem Dei: vt proponitur ab Ecclesia; sed ibi non potest attingi veritas Dei, vt proponitur ab Ecclesia: quia negatur revelatio eius veritatis: ergò. Deinde posset aliquis inculpatè negare propositionem Ecclesiæ existentem: quia quamvis Ecclesia proponat revelationem Dei, adhuc id sine culpâ negatur; non quòd negetur infallibilis eius authoritas; sed quòd ignoretur eius propositio actualis: tunc negatur obiectum fidei, vt propositum est ab Ecclesia: quia id, quod est à parte rei, negatur: ergò destruitur obiectum fidei: sivè enim cum, aut sine culpâ negetur, verè negatur, cum qua negatione componi non potest assensus fidei: quia habet obiectum contradicens obiecto assensus inculpati: ergò tã inculpatus quã culpatus assẽsus habẽt obiecta cõtradicẽtia fidei: error enim ait *nec est revelatio, nec propositio Ecclesiæ*: fides ait, *est revelatio, & propositio Ecclesiæ*: sed habitus intellectus quandò opponũtur propter obiectorũ oppositionem: ergò vel non opponitur physicè culpatus assensus, vel opponitur inculpatus.

§. 16. Hæc argumenta sunt aperta: quibus non videtur satis fieri nisi asseramus habitum genitum ex errore inculpato esse oppositum physicè habitui infuso fidei: eam tamen non destrui impediente misericordia Dei interitum fidei; ne tanto beneficio homo careat absque culpâ. Hoc tamen à nullo Theologorum est assertum; sed potiùs oppositum censent, nempè solam infidelitatem esse natura sua oppositam fidei, de qua oppositione disputant, sit ne solùm moraliter? an verò physicè? at nihil disputant de erroris habitu, quem omnes ponunt esse fidei nequaquam oppositum.

Quòd probatur primùm: quia tametsi in gradibus intensis non possint ex natura sua componi habitus fidei & erroris; tamẽ possunt in gradibus remissis, vt possunt habitus scientiæ & erroris: ergò non solùm fides potest componi in gradu remisso cum assensu inculpato, sed etiam cum hæresi. Antecedẽs est certũ: quia oppositio tantùm esset contraria; qualis est inter habitus naturales & alias qualitates: nec est fundamẽtum ad maiorem aliam: consequẽtiam probo, quia culpatus error tàm opponitur obiecto fidei, quàm inculpatus. §. 17. *1. Probat.*

Secundò quoties homo peccat contra leges fidei, Deus illum fide privaret: quia generat culpatè habitum, quo illa corrumpitur, vel saltem eam remitteret, quia & sineret errorem & fidem naturalibus suis legibus, & hominem ex parte puniret, nec eum omninò fide privaret. A priori possumus vestigare rationem cur inculpatus error non sit oppositus fidei: quia omnes habitus infusi sunt comites gratiæ, vel quia ab ea petũt effluere, vel quia illa eos petit: quæ natura sua non potest esse absque fide, aut sciẽtia infusa, aut lumine: quia illa est principium diligendi Dei; quod fieri non posset, si omni habitu careret infuso: auxilium enim extrinsecum est per accidens, & ex defectu habituum; quod gratiæ non est cõnaturale. Itaque gratia ex natura sua in via petit fidem: sed si huic opponeretur physicè inculpatus error; posset ex natura sua gratia esse absque fide: ergò non opponitur error fidei. Minor probatur: quia absque culpa contingere poset ex natura rei intensus error homini iusto. En ergò absurdum gratia peteret & non peteret natura sua fidem; peteret ratione facta; non peteret, quia natura sua esset indifferens ad existendum in homine intensè errante absque culpâ, in quo non esset fides: vt ergò gratia & cæteri habitus infusi nõ pereunt nisi ob peccatum, nec possunt ex natura sua; ita nec fides: omnes enim habitus habent aliquam rationem potentiæ, quæ non opponitur physicè actibus vllis. §. 18. *2. Probat.*

Concludamus igitur habitum inculpatũ, atque culpatum intellectus non differre in substantia, sed præcisè penes denominationes extrinsecas ab actibus voluntatis probis: aut improbis: vnde idem numero habitus & actus intellectus potest successivè §. 19.

S. Tho. q. 5. Art. 3. esse bonus & malus: at error inculpatus non habet vllam physicam oppositionem cum habitu fidei; ergo nec culpatus. Quod si fides destruitur culpato, est propter culpam solius hæresis; quæ, cùm in voluntate sit, non opponitur physicè habitui intellectus; sed demeritoriè.

SVBSECTIO II.

Habitus per se infusus non dat facilitatem ad actus.

§. 20. QVÆ dixi, ponunt esse in intellectu habitus acquisitos distinctos à speciebus impressis; in quâ sententiâ locum habet proposita quæstio. Si verò meam sententiam teneam, quâ nego intellectui habitus acquisitos, nec naturales alios agnosco, nisi species impressas; nullam difficultatem habet hæc sententia de nulla oppositione physicâ inter habitum erroris & fidei. Etenim nullus asserit, nec potest, non esse in Catholico disputante cum hæreticis species impressas, quibus exercere posset actus hæreticos: item hæreticus reversus ad fidem retinet species impressas, quibus, si vult, posit errare: sed nullus est alius habitus erroris, quo inclinetur ad actum: ergo nullus est habitus erroris incomposibilis cum fide: illæ autem species non dicuntur habitus, nisi postquam exerciti sunt aliqui actus, & non retractati: nam in Catholico illæ species non possunt dici habitus erroris, quia numquam actum exercuerunt. Si autem illum exerceant, iam dicuntur habitus erroris, donec non efficitur assẽsus, quo prima retractetur hæresis. In hâc igitur sententia hæc quæstio de fide nullam habet difficultatem. Ne verò vni alligemur sententiæ, & quia difficultas est in habitibus voluntatis dirimenda ponendo distinctos habitus acquisitos, libet disputationis campum aperire nonsolùm habitui fidei assentiendi; sed etiam affectioni piæ, & cęteris habitibus voluntatis.

§. 21. Igitur antequam proponam secundum argumentum; præmitto habitum per se infusum non servire ad inclinandam, reddendamque facilem potentiam, vt promptè, & delectabiliter operetur; sed præcisè vt illam compleat in actu primo ad operãdum: adeò vt sine illo potentia vitalis non posit connaturaliter operari: sine illo autem, aut sine auxilio extrinseco, aut alia qualitate inhærente nec divinitùs potest intellectus, aut voluntas efficere actum supernaturalẽ, quo differt habitus per se infusus ab adquisito: quòd sine hoc potentia multos producit actus, non tamen facilè: cum eo verò non habet maiorem potentiam: habet autem promptitudinem & inclinationem: at verò sine infuso non habet potentiam; & cum eo potentiam habet; non verò delectationem: in quo convenit cum auxilio extrinseco: quod dat simpliciter posse, nullam autem delectationem, aut facilitatem. Hæc sententia docetur ab Aureolo in primum dist. 17. 2. parte §. *quod charitas disponit*, Scoto & alijs apud ipsum Aureolum, quos sequutus est P. Vazquez 1. 2. disput. 28. num. 3. & disp. 187. num. 4. quam ego attigi disput. 16. de anima sect. vltima, quæ adeò communis est, vt in proverbium abierit; dicitur enim communiter, *habitus per se infusus non datur ad facilè; sed ad simpliciter posse: acquisitus autem non datur ad simpliciter; sed ad facilè posse.* Aureol. Scot. P. Vazq.

§. 22. 1. Probat. Quæ probatur primo à priori, quia facilitas, promptitudo, & delectatio, de quâ agimus, acquiritur assuetudine, & exercitio actuum, qui frequenter ingeminati producunt in potentia qualitatem inclinantem ad similes actus, in quos ipsa potentia per eam qualitatem ita propendet, vt se quotidie experiatur magis facilem, & expeditam. Quod adeò est certum, vt species impressæ, quamvis sint evidentissimæ non præstent hanc facilitatem, quia non sunt comparatæ actuum assuetudine, & quia se tenent ex parte principij, & actus primi per se necessarij ad operationem. Itaque hæc facilitas, vt sit habitus duo requirit; alterum vt ipsis actibus comparetur, vt effectus per se illorum; alterum, vt non sit simpliciter necessaria ad efficiendos actus similes; sed ad illos inclinet.

§. 23. Sed habitus per se infusus non comparatur naturâ suâ per actus, & est simpliciter ad illos necessarius: ergo habitus per se infusus non est facilitas, & promptitudo ad operandum: sed habet præcisè rationem potentiæ, & actus primi simpliciter necessarij. Minor est certa, quia primus actus oritur necessariò à potentia, & habitu elevante, vel auxilio extrinseco: ergo ille habitus naturâ suâ prior est ipso actu: gradus autem maioris intensionis ponitur naturâ suâ, vt qualitas per se infusa elevans potentiam ad maiorem intensionem actus: ergo habitus per se infusus non comparatur actuum assuetudine.

§. 24. Obiectio. Obijciet aliquis, primum gradum habitus esse natura priorem omnibus actibus; at verò gradus secundus est naturâ suâ prior secundò gradu intensionis in actu; illeque est

Refell. est inclinatio & promptitudo ad primum gradum actus. Contrà: ille secundus gradus est naturâ suâ per se infusus, & simpliciter necessarius ad omnes effectus, ad quos præstatur, quia id etiam cernitur in specie impressa, cuius nulla pars intensiva est facilitas & promptitudo ad actum remissiorem; sed semper comparatur ad omnes suos effectus, vt principium antecedens: eos enim respicit eâdem ratione. Si etenim admittimus in secundò gradu intensivo habituum concursum ad gradum remissiorem actus, sequitur per locum intrinsecum posse potētiam cum illo solo gradu efficere, quod poterat per primum: tunc autem remissus actus habet tria principia per se necessaria divisivè, & non collectivè: nempè auxilium extrinsecum; vel primum gradum intensivum habitus, vel secundum. Quòd si secundus & primus gradus simul influunt, est quia complent vnum principium supernaturale per se adæquatum: quemadmodū duo ignes si iungantur ad producendum ignem, conflant vnum principium integrum. Clarius exemplum est in habitu, & auxilio extrinseco: ponamus à Deo paratum concursum ad actum vt octo: potentiam verò pro sua libertate non exercuisse, nisi actum vt quatuor, quo comparatus est meritoriè habitus vt quatuor: deindè invitet Deus potentiam, vt per habitum & auxilium idem exerceat actum vt octo; illa verò non exerceat actum, nisi vt quatuor: ad hunc actum secundum omnes gradus concurrere potuerunt habitus & auxilium: non tamen proptereà auxilium, aut habitus sunt inclinatio, aut promptitudo ad gradum remissum; sed ad omnes gradus comparantur, vt principia per se, si secundùm se considerentur; per accidens autem hic & nunc iunguntur ad efficiendum idem, quod vtrumq; poterat seorsim efficere.

§. 25. *Confirm.* Confirmatur: quia habitus inclinantes ad facilè, & delectabiliter operandum inclinant vehementiùs, & sunt in gradu vehementiori, solùm quandò exercentur intensiores actus. Si enim actu, vt quatuor, frequenter vsurpato productus est habitus vt quatuor, hic non evadet vegetior replicatis etiam infinities actibus vt quatuor, neque diuturna conservatione vnius actus vt quatuor: quia enim non sumus assueti actibus vt quinque: non sumus ad illos faciles: voluit enim Aristoteles, & cum eo cæteri Philosophi & Theologi his habitibus reddi actus similes his, per quos ipsi fuere cōparati: at habitus ille non fuit cōparatus actu vt quinque: ergo ad illum non potest inclinare; sed opus est exercitatione actus vt quinque, vt per illam viam cōparetur facilitas ad actum vt quinque.

Hæc autem omnia deficiunt in habitibus per se infusis, qui augescunt actibus remissis, & eorum continuatione, vt contra Dominicum Banez latiùs ostendam agens de augmento charitatis: vndè si gradus intensivi habituum infusorū inclinarent ad facilè & promptè exercendos actus in gradu remissiori, sequeretur actibus vt vnum replicatis, aut conservatis comparari facilitatem, & promptitudinem ad actus vt octo: ergo habitus infusi non præstant eam delectationem: probo sequelam, quia exercitatione & conservatione actus vt vnum, augetur habitus ad duo: qui gradus per te præstat facilitatem ad vnum: deindè alio actu vt vnū, habitus crescit ad tria, qui gradus inclinat per te ad actum vt duo: deinceps repetito actu vt vnum; habitus evadit vt quatuor: in quo gradu dat promptitudinem ad actum vt tria: cōsiderata ergo supputatione simili, homo, qui se assuefecit actui vt vnum, se sentiet paratissimum ad actum vt octo: quod esse à Philosopho alienum, & experientia & habituum facilitas monstrant. §. 26.

Rationem aliam à priori arbitror esse: quia potentia in actu primo proximo considerata, est indifferens ad facilè & difficilè operandum: quæ ante complementum in actu primo necessario, nec est potentia, nec difficilis; sed impotens: vt autem in ratione potentiæ sit indifferens, opus est, vt compleatur in ratione potentiæ: hoc complementum non tollit indifferentiam; multæ enim potentiæ sunt completæ, quæ adhuc manent indifferentes ad facilitatem, vel difficultatem. Hæc autem indifferentia tollitur efficienter actuum frequentatione; formaliter verò habitu ex illis actibus genito. Quod explico ab auxilio extrinseco supernaturali, quo potentia completur in ratione potentiæ; nec facilis constituitur: nihil aliud præstat habitus infusus, nisi quod inhæret potentiæ: quæ inhærentia non est facilitas, vt constat in specie impressa. §. 27.

Occurrat aliquis argumento: eos habitus inclinare ad actus, quibus oblectationem sensimus: in quo pares sunt extrinseco auxilio; at cùm in nobis inhæreant habitus, sentimus eorum facilitatem; non tamen in auxilio extrinseco non inhærente. Respondeo: distinctam esse oblectationem actuum à facilitate præstita per habitū: quia actualis sentitur ipso actu; habitualis verò antecedenter ad actum, in quem exercendum propendimus, etiam cum non exercetur. Hæc dupliciter sentitur: primùm memoriâ, & recogitatione actuum ipsorum: quæ non est habitualis; sed actualis inclinatio: quia ex illa recogitatione oritur simplex affectus §. 28. *Obiectio.* *Resp.*

S. Tho.q. 5. Art. 3. ctus in actus ipsos. Secundò contingit sine actuali recogitatione præteritorum actuũ; sed directè sumus tã faciles in alijs exercẽdis, vt nihil videamur facere, quod frequenter dicitur *operari ex habitu, & consuetudine.*

§. 29. 2. *Arg.* Secundum argumentum sumitur ab alio conceptu habituum infusorum, qui possunt esse in gradibus intensis in subiecto nullam facilitatem sentiente; sed potiùs summam difficultatem: hoc autem esse non posset si illi facilitatem præstarent; ergo eam non præstant; quod repugnaret non minùs, quã esse intensam albedinem in subiecto, & illud non reddere album intensè: quia facilitatis effectus formalis est, reddere potẽtiam facilem, vt albedinis reddere album. Minor probatur in homine iusto se exercente actibus misericordiæ, & religionis, vel etiam charitatis: qui tamen frequens est in mendacijs iocosis, & in levi intemperantia ab aquâ, aut mulso: hic habet temperantiam infusam in gradu intenso; item & veracitatem, quia singulis actibus bonis exercitis in gratiâ, & ex gratiâ per Christum augetur gratia, & cum eâ omnes virtutes per se infusę tàm morales, quàm Theologicæ, vt pono ex disputationibus de iustificatione: augmentum autem gratiæ & charitatis pono ex disputationibus de charitate. Et quamvis darem non intendi gratiam, nisi actu intensiori charitatis, est huic instituto eadem ratio: quia, qui exercet charitatem intensiorem, auget gratiam & virtutes omnes infusas: & potest interdum iocosè mentiri, & non se temperare: sed cum temperantia & veracitate infusis in gradu intenso non sentit facilitatem; sed difficultatem in abstinendo à iocis, & aquâ: ergo. Probatur minor tùm experientiâ; cum enim iustus ille se facilẽ sentiat in amando & colendo Deo, & difficillimum in habendo Deum odio & contemnendo: sentit quotidie voluntatem inclinatiorem ad iocum & aquam, quod ipse frequenter dolet.

§. 30. Ratio autem est manifesta, quia frequens iocus auget habitum iocandi, & potus frequens acuit appetitum ad aquam; quemadmodum actus cæteri: cùm igitur possit iustus, quo tempore Deum non amat actu, exerceri intenso actu iocandi; potest simul habere intensam veracitatem infusam, & mendacium acquisitum, & non potest sentire facilitatem intensam ad veritatem simul cũ intensa facilitate ad iocum, nec potest aliquis promptè & delectabiliter operari actus, quibus non se exercuit; sed potiùs oppositis frequenter. Idque experimento cõfirmatur; vndè recens iustificatus sentit facilitatem ad priora flagitia, & difficultatem ad opera pietatis. Constet ergo habitu per se infuso non præstari facilitatem; sed solam potentiam ad operandum.

Objiciet aliquis: hominem quidem esse facilem ad veracitatem, & temperantiam, quamvis in eâ non se exercuerit: non tamẽ sentire suam facilitatem, quia non habet species suorum actuum; quæ necessariè sunt ad sensum facilitatis. Quod confirmari potest, quia idem numero habitus inclinat ad actus diversos, quos tamen nõ exercuimus. §. 31. *Obiectio.* *Confir.*

Respondeo: eo argumento meliùs probari non esse habitus acquisitos in voluntate, quia cum viderimus nobis benè fuisse virtutis exercitatione, illa recogitatio est facilitas ad actus similes; nec egemus aliâ qualitate inclinante: contrà quam sententiam egi disput. 16. de Anima, eâ autem sententiâ admissâ facilè probatur nullam esse oppositionem habitus acquisiti cum infuso: quia ea recogitatio componi cum eo physicè potest. Admisso tamen habitu distincto à recogitatione & affectu simplici in actus similes, necessariò fatendum est, non esse facilitatem in eo, qui vehementem sentit difficultatem, maximè verò in vitio mendacij levis: quod intra suos fines non est peccatum mortale: quod exerceri potest vehementer ab homine intensè iusto. Confirmatio primùm vtitur antecedente falso, & à me impugnato disput. 16. de Anima: secundò consequentia ad hoc institutum est mala: qui enim habitu acquisito se exercuit in obiectum formale temperantiæ, aut veritatis; est facilis in obiectum materiale, quod semper amatur dependenter à formali: at qui numquam se exercet in obiectum formale vnius virtutis: quo pacto est in illius actus facilis, quòd præcisè amaverit virtutem aliam de obiecto omninò distincto ab obiecto alterius. *Ad confir.*

Responderi secundò poterit; cum hominem habere facilitatem ad operandum; eam tamen retardari, vel obiecti apprehensione, vel alio ex capite: facilitas enim argumentum est habituum, sine quibus illa sentiri non potest: difficultas verò non est argumentum carentiæ habituum; quia aliundè potest oriri: vt qui in ardenti febri non se potest abstinere à potu, à quo facilè abstinuit valens. §. 32.

Respondeo primùm, nec facilitatem esse argumentum habituum: quia apprehensione obiecti potest aliquis rapi; vt homo castus solet interdum vehementi tentatione pulsari; ac se sentit difficillimum in abstinentia à venere; cum tamen sit assuetus castitati; & difficilis veneri: ergo eadem est ratio in facilitate, ac in difficultate. Meliùs ergo esset ab his authoribus negari habitus acquisitos, vt dixi §. 31. quàm illis admissis §. 33.

sis negare ipsorum experientia.

§. 34. Quod affertur de ægro non valet multũ: tùm quia æger non est assuetus abstinentiæ à potu in illis circunstantijs: quòd si se exerceat, facilitatem acquiret etiam in illis. Tùm etiam quia habitus non tollit omnem difficultatem; sed eam, quæ oritur ex ipso obiecto: hâc aut illâ ratione apprehenso: mutatâ autem apprehensione oritur noua difficultas nouo habitu superanda: at non mutatâ apprehensione sentitur facilitas exercitatione.

§. 35. In nostro casu hi non attingunt scopum, quia, qui iocatur, eodem modo apprehẽdit iocum, ad quem est proruptior quotidiè, & difficilior ad seria; & tamen auget habitum infusum, cuius obiectum quotidiè apprehendit: ergò habitus infusus non est facilitas, quia non potest idem simul esse facillimus, & difficillimus: item qui numquam exercuit pænitentiam, quâ ratione ad illam est facillimus, licet habeat intensam pænitentiam infusam. Deinde exercitatione pellitur difficultas, & facilitas comparatur: quod nõ oritur ex nouâ apprehẽdẽdi ratione; sed ex assuetudine comparante habitum acquisitum: alioquin superfluit hoc genus habituum.

SVBSECTIO III.

Secundum argumentum.

§. 36. 1. Probat. HINC probo non opponi physicè habitum per se infusum cum vitioso: quia effectus formalis habitus vitiosi non opponitur physicè effectui formali habitus infusi: ergò nec habitus ipsi. Probo antecedens, quia effectus formalis mendacij habitualis, v.g. non est reddere potentiam simpliciter potentem ad actum; sed facilem & promptam; effectus autem formalis habitus infusi non est reddere potentiam promptam ad actum; sed potentem præcisè, vt constat ex subsectione 2. at complere potentiam simpliciter in actu primo non est effectus formalis oppositus physicè inclinationi, & facilitati ad actum oppositum; ergò non præstant effectus formales oppositos physicè. Probo minorem, quia voluntas frequenter mentiens est inclinata, & facilis ad mentiendũ; cum quâ facilitate est simul completa ad actum verum; ergò non opponuntur physicè inclinatio ad mendacium, & potentia in actu primo ad actum verum: probatur minor, quia, qui frequenter mentitur, habet voluntatem in actu primo liberam, & indifferentem ad voluntatem dicendi verum & falsum. Quod explico facile in omnibus potentijs exercentibus actus oppositos: intellectus enim est potentia ad assensum atque dissensum: cum quâ potentia ad dissensum componitur assensus, & omnis eius effectus siuè sint habitus, siuè species, siuè actus alij: voluntas item est potentia ad amorem & odium eiusdem obiecti, & cum eâ potentia odij componitur amor & habitus amandi: ergò potentia ad actum odij non pugnat physicè cum amore, & vehementi inclinatione ad illum.

Secundò probatur idem antecedens, & hæc consequentia, quia potentia ad vnum obiectum & actum, & inclinatio ad actum & obiectum oppositum non distant sub eodem genere: ergò non sunt contraria: quia contraria sub eodem genere maximè distant. Probo antecedens, quia intellectus ad assensum & inclinatio ad dissensum non distant: distant autem potentia & impotẽtia: vel, vt melius dicam, distant inclinatio ad hoc, & inclinatio ad oppositũ: facilitas & difficultas ad vnum actum, quæ consequuntur inclinationes ad duos oppositos: qui enim inclinatus est ad amorem, habet difficultatem ad odium. Hæc autem distantia sub eodem genere non est quæcumque distinctio essẽtialis inter duas species qualitatis commune genus habentes: non enim distant cognitio & amor, nec apprehensio & iudicium: neque item calor & color: est verò hæc distantia quædam repugnantia in ordine ad effectus vel ipsos actus: exẽpli gratia calor & frigus habent hanc distantiam: quia calor dilatat subiectum, illudque constituit raratum, & in ampliori spatio: frigus comprimit subiectum, densat, & in minori spatio constituit. Item assensus affirmat obiectum, & illud quasi constituit: dissensus illud negat, & quasi tollit: non potest autem obiectum idem simul esse & non esse, propterea in ratione iudicij maximè distant assensus, & dissensus: simile reperies in omni contrariorum pari. Sic inclinatio ad assensum & alia ad dissensum maximè distant, quia dùm per vnam inclinat potentia in hoc obiectum, auertitur magis ab alio. At verò inclinatio ad vnum non auertitur à potentia ad aliud, sed potiùs magis cum illâ componitur. §. 37. 2. Probat.

§. 38. 3. Probat. Tertiò possumus argumentari ab incommodo, quia si physicè opponuntur habitus infusus, & vitiosus, habitus infusus naturâ suâ esset remissibilis per peccata venialia. Item & charitas esset naturâ suâ in gradu remisso compossibilis cum peccato: hæc autem sunt absurda: ergò: minor de gradibus remissis est latè probanda disputationibus

do

S. Tho.q. 5. Art. 3. de charitate: de composſibilitate autem in gradibus remiſsis probatur, quia oppoſitio inter duos habitus eſt contraria: etenim non eſt contradictoria, quia non ſunt actuales tendentiæ oppoſitæ in obiecta contradictoria, quales ſunt aſſenſus atque diſſenſus; ſed tantum ſunt inclinationes ad tendentias actuales: inclinationes autem non opponũtur contradictoriè; ſed contraria poſſunt natura ſua ſimul eſſe in gradibus remiſsis: ergo omnes habitus infuſi eſſent composſibiles cũ vitioſis in gradibus remiſsis. Quod ipſi refugient maximè in fide.

§. 39. Item eſſet aliud abſurdum: quia in ſententia non diſtinguente habitum infuſum ad virginitatem ab infuſo habitu in caſtitatem: ſi quis iuſtus ob honeſtum finem, aut indifferentem frequẽter exerceat actus intenſos de vxore ducenda, hic generaret habitum de non ſervanda virginitate: qui habitus, ſi phyſicè opponitur habitui per ſe infuſo, illum expellet: ergo tàm intenſos poteſt exercere actus, vt omninò depellat habitum infuſum virginitatis: hic autem habitus eſt idem cum habitu caſtitatis; ergo huiuſmodi iuſtus non habebit caſtitatem infuſam. Item ſi caſtitas diſtinguitur à virginitate, amittit quidem virginitatem; & carebit aliquo habitu per ſe infuſo, quin peccaverit. Idem dixerim de veracitate infuſa, quæ corrumpetur habitu intenſo mẽdacij: cùm enim mendacium leve intra ſuã ſpeciem non ſit, niſi peccatum veniale: iam abſque peccato mortali carebit homo iuſtus aliqua virtute morali infuſâ, quod nullus Theologus audebit aſſerere: quia præter fidem, & ſpem cenſent omnes virtutes infuſas eſſe gratiæ comites & individuas.

§. 40. Mitto aliquorum argumentum probantium, non opponi habitus naturales & ſupernaturales: quia deducuntur ex potentijs diverſis: naturales ex potentia naturali, ex obedientiali autem ſupernaturales: hos latè impugnavi in diſputationibus de iuſtificatione primùm exemplo actus fidei & erroris circa obiectum idem: item amoris & odij: quorum alter educitur ex potentia obedientiali; alter verò ex ſola naturali. Secundò exemplo gratiæ habitualis, & peccati actualis mortalis: quæ cùm opponantur phyſicè; educuntur tamen ex diverſis illis potentijs. Tertiò à priori: quia illæ duæ potentiæ ſecundum ſignificatum in recto ſunt omninò eadem: nempè eadem ſubſtantia intellectus, aut voluntatis: obedientialis autem connotat aliquid extrinſecum, quod non connotat naturalis: at verò cùm habitus infuſus ſit in eâdem voluntatis entitate, item & vitioſus: cur eidem non præſtabunt oppoſitos formales effectus, ſicut præſtant aſſenſus & diſſenſus?

Quòd ſi diverſitas illa potentiarum naturalis & obedientialis efficerent, ne opponantur habitus, efficerent etiam ne opponerentur actus: quia aſſentiri ſimul & diſſentire per diverſas potentias, non affert contradictionem vllam formalem, nec virtualem: quia non ſunt eiuſdem de eodem in eodem ſubiecto: quòd ſi hæc contradictio cernitur in actibus, id eſt, quia illæ potentiæ in recto non ſunt duæ; ſed vna: ac propterea oppoſitionẽ habent aliqua naturalia, & ſupernaturalia: horum autem gradus infiniti, qui ſunt poſsibiles, habent eamdem oppoſitionem cum naturalibus, quam habent vitium, vt octo & virtus vt octo: quia octavo deſtructo gradu pereunt omnes illo ſuperiores, cum quibus remotè pugnat octavus gradus vitij. §. 41.

SVBSECTIO IV.

Oppoſita ſententia.

DOMINICVS Bañez in quæſt. 5. art. 3. & cũ illo frequenter Thomiſtę admittũt phyſicã oppoſitionẽ inter fidẽ infuſã & hæreſis vitium: quod iudicium eſt commune etiam habitibus voluntatis. Aliqui cenſent ab eâdem ſententia eſſe P. Vazquez 1. 2. diſp. 91. cap. 4. & P. Luiſium diſp. 44. dub. 2. alioſque complures. Tamen non loquuntur de ipſo habitu inclinante ad actum hæreſis; ſed de ipſo diſſenſu hæretico: quo cenſent fidem expelli natura ſua: vt clarè conſtat ex P. Luiſio verſu *explicationis gratiâ*: vbi docet ex communi Theologorum conſenſu habitum fidei non expelli phyſicè per actum hæreſis: idemque iudicium fuit de quovis habitu per ſe infuſo & habitu vitioſo circa obiectũ oppoſitum habitui infuſo. §. 42. Bañez. P. Vazq. Torres.

Argumenta autem, quibus moventur, non tàm vrgent ſententiam hanc de habituum oppoſitione, quàm de opoſitione inter actum hæreſis, & habitum fidei. Si enim hæreticus revertatur ad fidem, non negant huiuſmodi authores in eo componi ſimul infuſam fidem, & habitum erroris: excepto Dominico Bañez adducto diſp. 58. §. 4. Pro cuis ſententia nullum video fundamentum reſponſione dignum. §. 43.

SE.

SECTIO II.

Utrùm assensus hæreticus opponatur phycè habitui infuso fidei?

§. 44. *P. Vazq. Torres. Bañez.* PATER Vazquez 1.2. disput. 91. cap. 4. P. Luisius disput. 44. dub. 2. & alij authores apud ipsos: item Dominicus Bañez in q. 5. art. 3. cum Thomistis multis, docent habitum fidei infusæ physicè pelli per assensum hæreticum; armati authoritate S. Thomæ & ratione, de quibus agendum §. 53. *Valent.* Adstipulari videtur P. Valentia disput. 1. quæst. 5. puncto 3. quamvis enim id clarè non dicit, eius tamen argumẽta oppositionem physicam sonant.

SUBSECTIO I.

Conclusio.

§. 45. *1. Prob.* EGO existimo cum authoribus adductis §. 3. assensum hæreticum non opponi physicè habitui fidei infusę. Quod primùm probatur omnibus ferè argumentis, quibus ostendi habitum erroris nõ opponi physicè habitui fidei. Quia assensus errans non opponitur naturâ suâ tali habitui: ergò nec assensus hæreticus. Consequentiam probo, quia errans potest esse hæreticus, & hæreticus errans: non enim distinguuntur, nisi per solam extrinsecam denominationem à diversis actibus moralibus, quibus imperantur. Recognosce totum illud argumentum à §. 5.

§. 46. *2. Probat.* Secundò probatur, quia fides habitualis non distat sub eodem genere ab assensu hæretico. Pugnant enim assensus & dissensus: at verò potentia in actu primo completa ad assensum Catholicum non pugnat cum opposito dissensu: sicut intellectus & voluntas completa ad amorem & assensum facilè cõponuntur cum odio atque dissensu. Hoc autem argumentum recognosce subsectione 2. & 3. sectionis 1. quæ enim ibi dixi de habitibus, melius quadrant in habitum & actum.

§. 47. Ratio à priori est, quia nullus actus opponitur habitui physicè, nisi per habitum, quem ipse producit, quia assensus dissensui opponitur: habitui autem dissentiendi non opponitur, nisi mediatè dùm producit habitum oppositum; sed actus hæreticus non producit habitum oppositum habitui fidei: ergo.

Explicatur: quia actus intellectus, qui est dissensus, si consideretur secundùm se, non opponitur habitui fidei, vt constat ex primo & secundo argumento: quamvis destruit obiectum ipsius fidei negans existentiam revelationis: dissentiri enim obiecto cur ex naturâ suâ pugnabit cum potentia ad assensum? Etenim intellectus etiã dùm errat completus manet in actu primo proximo per auxilium extrinsecum ad Catholicum assensum: inhærentia verò habitus quam oppositionem habet cum assensu opposito? Quod enim aiunt destrui obiectum formale habitus, est multùm imbelle: probaret enim intellectum cum auxilio extrinseco non manere completum ad assensum Catholicum, ac propterea non fuisse in potestate hæretici exercere Catholicum assensum: quia in illo instanti reali realiter careret principijs necessarijs, vt posset credere. Idẽ probari de auxilio extrinseco, aut intrinseco facilè fluenti, probo: quia auxilium illud extrinsecum, vt elevat intellectum tendit in idem obiectum fidei. §. 48. *Confirm.*

§. 49. Si autem sumatur assensus ille in ratione peccati, iam non opponitur ratione sui; sed voluntatis pravæ: ipse enim assensus non est intrinsecè peccatum; sed extrinsecè: ergo si opponitur in quantum peccatum est, non opponitur ratione sui; sed ratione illius, à quo habet esse peccatum. Peccatum verò cùm sit actus voluntatis non habet effectum formalem immediatè pugnantem cum intellectus habitu: quia nec sub eodem genere maximè distant, nec in sententia communiori sunt in eodem subiecto.

§. 50. *Obiectio. Resp.* 1. Obijcient, charitatem & alias virtutes destrui physicè peccato mortali: ergo & fides poterit destrui. Respõdeo primùm, nullum peccatum actuale habere immediatam oppositionem cum aliquo habitu per se infuso distincto à gratia sanctificante: vndè si aliquis habitus per se infusus & gratiæ comes conservaretur absque ipsa gratia sanctificante, posset physicè cõponi cũ actu oppositi vitij: verbi gratia, misericordia infusa cum immisericordia: quia verò fides, vel ex natura sua, vel speciali Dei providentia cõservatur absque gratia sanctificante, ideò componi potest cum multis peccatis hæresi gravioribus: cur ergo non posset ex naturâ suâ cum hæresi conservari? *Resp.* 2. Respondeo secundò, solam formam sanctificantem immediatè corrumpi quovis peccato mortali cõmissionis & omissionis: habitus autem destruuntur consequenter, non propter effectum formalem oppositum; sed quia peccato gratia destruitur, quã conservandi erant habitus: fides autem, nec est forma sanctificans, cui opponatur peccatum hæresis,

S. Tho.q. 5. Art. 3. resis, nec à gratia necessariò pendet: cur ergo destruetur?

§. 51. *Confir.* Confirmatur, quia, si consideratur peccatum contra fidem, multis etiam admissis, & ipsa conservatur: qui enim culpatè dissentitur revelationi privatæ propositæ sufficienter, peccat contra fidem; nec tamen eam amittit. Item qui negat revelationem publicam miraculo confirmatam, est infidelis peccato habituali, & actuali contra fidem: nisi tamen sit contra Ecclesiam pertinax, nõ ammittit fidem: ergo ratione peccati contra leges fidei hæc non destruitur.

§. 52. *Evasio. Refell.* Fortè dicetur voluntate hæretica amitti affectionem piam, sine qua fides habitualis esse non potest. Contrà: ergo iam non ex defectu obiecti; sed principij imperantis activi fides destruitur. Secundò, manere etiã posset ex naturâ suâ affectio pia. Tertiò, pereat hæc: cur & ipsi fidei erit pereundum? nam per auxilium extrinsecum pertinens ad affectionem piam, aut virtutem aliam poterit exerceri fides.

SVBSECTIO II.

Argumenta soluta.

§. 53. *S. Thom. 1. Obiectio* SANCTVS Thomas art. 3. affertur, ab authoribus oppositæ sententiæ, qui, si rectè legatur, præcisè docet non posse fidem in hæretico manere, quia non movetur authoritate Ecclesiæ; sed solâ suâ. *Resp.* Hæc etiam admitto ego negans oppositionem physicam hæresis & fidei: potuit ergò idem à S. Thoma eâdem ratione negari, quia fides non potest esse de lege communi in hæretico propter rationem illam: sola enim hæresis, quæ est pertinacia contra Ecclesiæ authoritatem, destruit fidem in via: idque non physicè & ex naturâ suâ; sed tantùm demeritoriè.

§. 54. *Replic.* Quòd si vrgeant: argumentum S. Thomæ esse ad probãdam physicam oppositionem: quia per hęresim destruitur obiectum fidei: destructo autem obiecto, non potest habitus conservari physicè, & ex naturâ suâ: ergo S. Thomas egit de oppositione physicâ, & nõ morali. *Resp.* Respondeo, constare ex disp. 59. à §. 19. hoc argumentum nullius esse momenti acceptum de oppositione physicâ, & quidem ex authoribus oppositis admittunt fidem nonnulli cum hæresi, quando est evidentia in attestante de alia revelatione: ergo hæresis non destruit obiectum fidei: quia impossibilis esset habitus fidei actu assentiens sine obiecto formali: ergo sicut revelatio cognita per evidentiam in attestante, fuit sufficiens obiectum formale, vt simul cum hæresi exerceretur Catholicus assẽsus; ita alia revelatio cognita sufficiẽter per miracula, aut aliam applicationem potuit terminare assensum fidei, & hic potuit ipso habitu produci. De assensibus huiusmodi id etiam fatentur aliqui: contra quos etiam probo idẽ esse de habitu: quia assensus fidei habet pro obiecto formali obiectum fidei habitualis saltem partialiter: ergo sicut actus potuit esse cum actuali hæresi; ita & habitus: quemadmodum ipsi fatentur posse habitum fidei esse cum actuali assensu per evidentiam in attestante, & cum hæresi actuali: ergo physicè & ex natura rei hæresis actualis non adimit totum obiectum fidei.

Item: quoties ipsi Thomistæ conclamant obiectũ habitus, non esse hoc aut illud in specie; sed rationem communem amplectentem species omnes? vndè dicunt potentiam visivam permansuram, tametsi impossibilis esset nigredo, quia visio non habet pro obiecto formali nigredinem, quia nigredo; sed quia color: coloris autem ratio manet in albedine, ac propterea maneret visus. Ita dicam ego obiectum fidei non esse hanc aut illam revelationem, cum hac aut illa propositione; sed revelationem in communi cum sufficienti propositione etiam in communi: quamvis autem deficiat hęc propositio & revelatio in ratione huius: ratio tamen propositionis & revelationis manet in alijs: ergo sicut per te ablata nigredine non aufertur obiectum visus, ita neque aufertur obiectũ fidei, ablata hac propositione, aut illa revelatione. Sed habent nonnulli interpretes S. Thomæ regulam Lesbiam, quam cerebro potiùs suo, quàm Thomistico servire volunt, vide §. 78. contra Dominicum Bañez. §. 55. *Confirm.*

Igitur S. Thomas loquutus videtur de oppositione morali, & non physicâ: quia Deus statuit privatione fidei solos hæreticos punire: hæresis verò est in sola pertinacia contra Ecclesiam: quia igitur nolunt fidem suam metiri Ecclesiasticâ propositione; ideò Deus illos fide privare decrevit. Sic autem accepta ratio est efficax, quia iustè punitur amissione fidei, qui, in credendo, toti se opponit Ecclesiæ, vt amittat id, quod etiam videbatur habere. De oppositione physica ratio est momenti nullius, quia habitus non pendet in sua existentia ab actuali obiecto, vt dixi ea disputatione 58. à §. 19. §. 56. *S. Thom.*

Arguunt P. Vazquez 1. 2. disp. 91. cap. 4. & P. Luisius disp. 44. dubio 2. fides destruitur hæresi; sed non demeritoriè: ergo physicè. §. 57. *P. Vazq. Torres.*

physicè. Probatur minor: quia multa sunt peccata graviora hæresi, ob quæ Deus fide non privat: ergo non corrumpitur fides hæresi demeritoriè. Hoc argumentum retorquere possumus: quia solo intellectus assensu negante obiectum fidei hæc non destruitur per te; nec eodem assensu vtcumque vitioso; sed vt est contra authoritatem Ecclesiæ: hoc ergo peccatum, qua ratione peccatum est, vtque est assensui erranti denominatio extrinseca, destruit fidem, non quidem physicè: quia voluntatis actus non habet effectum formalem oppositum effectui formali actui, aut habitui intellectus, & quia assensui erranti est omninò extrinsecus: ergo demeritoriè; sed plura alia sunt graviora peccata: ergo. Itē ipse P. Luisius nō vult fidem destrui cū evidentia in attestante, quando est hæresis circa revelationem aliam: ergo hæresis non destruit physicè fidem.

§. 58. *Ad arg.* Ad argumentum in forma: nego minorem: ad probationem respōdeo, omne peccatum mortale esse de se dignum, vt propter illud peccator fide quoque privetur: est enim dignum vt propter illud homo damnetur statim: qua damnatione privatur etiam homo non solùm fide; sed etiam omni auxilio gratiæ per Christum: Deus tamen noluit nobiscum agere extremè ex peccatorum dignitate: & sicut noluit nos damnare statim, nec privare multis auxilijs gratiæ; ita noluit nobis adimere fidem ob solam misericordiam suam, nisi cùm admittitur hæresis: tunc autem amittitur fides etiam in habente evidentiam in attestante, quæ destrueretur cum omni habitu supernaturali: quia nullus est in hæretico in hæresis pœnā. Quòd si Deus servare vellet in hæretico evidentiam in attestante; non possumus nisi divinare, an simul vellet fidem conservare, an verò perdere.

§. 59. *Bañez. 2. Arg.* Dominicus Bañez argumentatur secundò, quia hæreticus posset dici fidelis: consequens est falsum, ergo. Probat maiorem, quia hæreticus fidem haberet: sed omnis, qui habet fidem, est fidelis: ergo hæreticus est fidelis. *Resp.* Respondeo, eodem argumento probari, non posse Deum potentiâ absolutâ conservare fidem in hæretico: quia hæreticus esset fidelis: quis autem hoc neget absolutæ potentiæ? Nego igitur maiorem: ad probationem distinguo minorem: omnis, qui de lege communi habet fidem, est fidelis, concedo maiorem: omnis, qui de potentia absoluta, & considerata sola physicâ oppositione hæresis & fidei, haberet fidem, esset fidelis, nego minorem. Adverte in hæretico esse de facto carentiam fidei infusæ, habitum vitiosum hæresis, peccatum habituale hæresis, & dissensum. Hæreticus, vt accipitur in præsenti, nec sumitur pro carente fide, nec pro existente in peccato habituali hæresis; nec in habitu vitioso; sed pro exercente assensum hæreticum, quem nondum retractavit sufficienter per consensionem cū Ecclesia in omnibus fidei dogmatibus: si autem habeat expressum consensum cum Ecclesia in omnibus principijs fidei, iam retractavit hæresim: quamvis adhùc non iustificetur, nec sit illi remissum peccatum hæresis: status enim hæretici est in aversione à doctrina Ecclesiæ. Cùm verò in casu argumenti, qui fidem haberet, esset aversus à doctrina Ecclesiæ esset hæreticus, nunc autem convertuntur hæreticus & carens fide: quia fides non amittitur, nisi per hæresim, nec hæresis admittitur sine amissione fidei.

§. 60. *3. Arg.* Tertiò argumentatur, quia hæreticus posset esse pars Ecclesiæ: consequens est falsum, ergo. Minor patet, quia hæretici sunt extra Ecclesiam: vndè cùm absolvuntur, dicuntur, Ecclesiæ reconciliari. Maior probatur: tùm quia hæreticus haberet fidem cum charactere baptismali: tùm etiā quia Christus in illum influeret habitum fidei. *Resp. 1.* Respondeo primò argumento etiam probari, non posse divinitus componi fidem & hæresim. *Resp. 2.* Respondeo secundò negando maiorem. Ad probationem respondeo, non sufficere fidem cū charactere baptismali, vt aliquis sit pars Ecclesiæ in illo casu de potentiâ absolutâ; sed præterea requiriri consensionem cum tota doctrina Ecclesiæ, vel saltem in nullo principio fidei ab Ecclesia cum pertinacia dissentiri: quod quidem non reperiretur in eo casu: at de lege communi omnis, qui cum charactere baptismali habet fidem est pars Ecclesiæ: quia, qui fidem habet, de lege communi in nullo dissentitur pertinaciter ab Ecclesia. Itaque cōceptus quidditativus hæresis est assensus pertinax contra Ecclesiam: & propter hanc separationem doctrinæ est hæreticus formaliter extra Ecclesiam: carentia autem fidei est effectus huius separationis à doctrina: effectus, inquam, moraliter, non physicè.

§. 61. Ad secundam probationem respondeo: etiam Christus in hæreticos influit de facto gratiam sufficientem ad conversionem: dùm ergo efficaciter non influit in illos consensionem cum Ecclesia, illos non facit partē Ecclesiæ: quia in doctrina sunt ab illa separati. Si arguens velit aliquem esse partē Ecclesiæ formaliter per solum characterem baptismalem, & fidem infusam, dico hæreticū de lege cōmuni non esse partē Ecclesiæ;

S. Tho. q. 5. Art. 3. potuisse tamen esse de potentiâ absolutâ. Hæc autem responsio non potest dari ab arguente: quia pars Ecclesiæ non potest à toto dissentiri.

§. 62. *Obiectio.* Tandem argumentatur: quia si quis sit affectus ad non credendum, non habet fidem: ergo non potest componi fides cum dissensu actuali. *Resp.* Distinguo antecedens, non habet fidem propter repugnantiam physicam fidei cum illa voluntate, nego antecedens: propter legem Dei, qua fidei privatione punit hæreticum, concedo antecedens. Consequens autem distinguo, item nego & concedo consequentiam eâdē ratione. Adverte hoc argumēto nobis præstari vires, nō adversario. Si enim solus affectus non credendi destruit fidē, ergo non destruitur aliquo actu contrario destruēte obiectū fidei, quia tunc nullus exercetur dissensus tendens in existentiam revelationis, aut authoritatis Ecclesiæ: nam si sit affectus ille solus sine actuali dissensu, impediente Deo actum erroris, tunc nulla propositio fidei negatur: si autem sequatur assensus hæreticus, est posterior naturâ, quàm voluntas, quæ in illo priori fuit caussa duorum effectuum, nempè & assensus hæretici, & carentiæ fidei: carentia verò fidei, & dissensus sunt simul naturâ & ratione: ergo sola voluntas dissentiendi corrumpit fidem.

SECTIO III.

Vtrùm componi possint hæresis de vno articulo, & fides actualis de alio?

§. 63. QVÆSTIO est non de facto: Deus enim lege communi decrevit, nullum actum formaliter spectantem ad infusam fidem, hæretico actuali donare: est item quæstio de oppositione duorum actuum consideratorum ex suo formali conceptu intellectionum: vtrùm in ipsis cernatur physica oppositio, non consideratis affectibus, quibus imperantur? sectione enim sequenti quæritur, vtrùm affectus fide Catholica credendi componi possit cum affectu hæretico?

§. 64. *1 Conclus.* Dico primò: assensus Catholicus in revelationem propositam per Ecclesiam pugnat ex conceptu suo cum hæresi non solùm circa revelationem ipsam, quod ex terminis liquet; sed etiam in revelationem aliam propositam ab eâdem Ecclesia. Hæc conclusio certa est apud omnes. Quia omni revelationi præstatur assensus per applicationem tàm prudentem, vt nullus possit licitè dubitare; sed cum omni firmitate sentimus eam conditionem non posse moraliter esse falsam: at hæreticus nulli revelationi potest assentiri per applicationem Ecclesiæ cum hac firmitate: ergo hæreticus actualis non potest præbere assensum Catholicum alicui revelationi vt propositæ per Ecclesiam. Maior satis probata est disp. 14. Minor ostēditur: quia, qui semel sibi persuadet Ecclesiam esse deceptam in vno articulo proponendo, non potest censere eius authoritatem esse moraliter infallibilem: quia si de facto fallitur in vno, quidni & poterit in alijs falli? falsitas enim in proponendo oritur, vel ex deceptione passiva ipsius Ecclesiæ, quę decepta est in revelatione vestigādā; vel ex deceptione activa, qua voluit nos decipere: at intellectus, qui de facto decipitur in vno articulo potest facilè decipi in alijs: quia omnis revelatio est obscura, & rationis eiusdem quoad difficultatem eam inveniendi: voluntas item semel mentita, creditur facilè mentitura in materia simili mendacij prioris: ergo hæreticus actualis non potest firmiter assentiri esse propositionem Ecclesiæ moraliter infallibilem.

Poterit autem quis argumentari: possumus homini loquenti præbere fidem in vno obiecto, & non in alio: ergo & Ecclesiæ. §. 65. *Obiectio.* *Resp.* Respondeo, disparem esse rationem: fides enim habita homini privato non est firma, & absque formidine, neque cum assensu de morali eius infallibilitate; ac propterea fide hac credimus alicui prudenter, dum eum videmus hominem frugi; nec apparet caussa deceptionis activæ, aut passivæ: quia assensus formidinem non expellit: Ecclesiæ autē est credendum absque formidine vlla, vt exerceatur assensus Catholicus in revelationem: quæ certitudo non potest credi esse in eo, quem in simili obiecto credimus esse deceptum. Nec est eadē ratio de miraculis: potest enim vnū tàm prudenter applicari, vt non relinquat locum dubitationi prudēti: alicui verò potest non ita applicari, quia non est in omnibus eadem applicationis ratio: at verò in authoritate Ecclesiæ semper est eadem ratio; nempè moralis eius infallibilitas: vndè distinguo consequens: possumus Ecclesiæ credere cum formidine & suspicione de eius deceptione activa, aut passiva, concedo consequentiam; possumus absque formidine, nego. Ac proinde hæreticus arbitrans eam semel esse deceptam in vno articulo, poterit eidem in alio credere fide humana, non Catholica. Recognosce disput. 4. qua ratione credamus homini humana fide. Item loquor de authoritate humana Ecclesiæ, quæ est conditio applicans: quæ

quæ solum est moraliter infallibilis; non verò de authoritate divina, quæ est Metaphysicè etiam infallibilis, & obiectum formale fidei.

§. 66. 2. Conclus. Dico secundò: actualis hæresis cum pertinacia contra Ecclesiam, ex conceptu suo non opponitur assensui eiusdem fidei in aliam revelationem deductam ex alia applicatione miraculorum, aut prophetiæ. In hanc conclusionem conveniunt omnes, qui negant physicam oppositionem hæresi cum fide: ex oppositæ sententiæ authoribus, hanc etiam tuetur P. Luisius disp. 44. dub. 2. versu *sed de actu fidei*: & versu *quæstionis caussa est*, componit assensum fidei ductum ex evidentia in attestante cum actuali hæresi. Quæ doctrina mihi videtur difficilis conciliatu cum ratione, qua ipse versu *& dicendum*: probat amitti habitum infusum fidei ex naturâ suâ per hæresim: quia destruitur obiectum fidei: negantur enim omnes articuli vt proponuntur per Ecclesiam; ac iam sua voluntate assentitur alicui, & non ob authoritatem Ecclesiæ, vt iam probo. (P. Luis.)

§. 67. Sic argumentor: revelatio, vt proponitur per Ecclesiã, aut est tota ratio credendi, aut prẹter hanc authoritatem est etiam alia credendi ratio? si primum: ergo hæreticus actualis non potest simul exercere actum fidei Catholicum, quia cùm neget authoritatem Ecclesiæ, negat totam rationem credendi: si verò secundum; ergo hæreticus negans Ecclesiæ authoritatem, potest exercere fidem: quia non negat, nisi Ecclesiæ authoritatem; sine qua, per te, moveri potest per miracula: ergo hæresis non perimit physicè habitum infusum fidei: quia non adimit totum eius obiectum. Est ergo hæc doctrina conciliatu difficilis. Item qui habet evidentiam in attestante, fatetur necessariò obiectum: at non poterit exercere fidem: quia hæc non deducit assensum ex evidentia revelationis: ille enim non esset fidei; nec ex authoritate Ecclesiæ, quam negat, itaque admissa compositione fidei & evidentiæ in attestante; adhùc, negata authoritate Ecclesiæ, manere potest naturâ sua ea evidentia, quia non pendet ab authoritate Ecclesiæ; fides verò non potest; quia ab ea authoritate pendet. Tandem vbi potest esse physicè assensus fidei, cur physicè esse non poterit habitus? non enim destruitur totum habitus obiectum, vbi manet aliquis actus: quia actus non habet obiectum, quod habitus non habeat.

§. 68. Probatio. Probatur igitur à priori conclusio: duæ cognitiones possunt simul esse, quando sunt de duobus obiectis omninò distinctis, & applicatis per conditiones, & distinctas, & minimè connexas: sed assensus fidei de revelatione Incarnationis applicata sufficienter per miracula, habet obiectum formale & applicationem sufficientem distinctam ab obiecto formali, & applicatione sufficienti, quam habet assensus fidei de revelatione creationis mundi applicata per authoritatem Ecclesiæ: ergo duo fidei assensus de ijs obiectis possunt simul esse. Maior videtur esse perspicua: oppositio enim intellectionum, vel oritur ex affirmatione & negatione, quæ simul esse non possunt, quia fateremur duo obiecta cõtradicentia simul; vel opponũtur, quia alius actus est clarus, & alius obscurus circa idẽ obiectum materiale, per idẽ, aut diversa media: vel quia obiectũ vnum virtualiter continet negationem alterius: in maiori autem propositione nihil horum ponitur, quia obiecta & applicationes ponuntur independentia mutuò, & inter se, & ab vno tertio: poterunt ergo esse simul eiusmodi cognitiones.

§. 69. Probatur minor: quia assensus vterque fertur in revelationem distinctam realiter, quarum altera est omninò independens ab altera, tàm in esse, quàm in cognosci; quis enim dicat revelationem de creatione mundi pendere à revelatione de Incarnatione? aut nõ posse affirmari vnam, & alteram negari ab eodem intellectu simul? applicationes verò etiam sunt independentes: Ecclesia enim authoritatem habet moraliter infallibilem, qua possumus prudenter manuduci ad credendum, quæ authoritas negari potest ab hæretico admittente miracula habere vim ad persuadendam prudenter revelationem intellectui: miracula enim distinguuntur ab humana authoritate Ecclesiæ. Quid enim repugnant hæc duo? ergo obiecta illorum assensuum sunt mutuò independentia. Quod argumentum arbitror esse Metaphysicam demonstrationem.

§. 70. 1. Obiectio. Obijcis tandem primò, revelationes, & applicationes esse inter se mutuò independentes: quia verò debent credi simul cum authoritate divina, non possunt simul ab eodem intellectu negari & affirmari per fidem & hæresim. Contrà: authoritas divina neutro negatur assensu: sed potiùs assensu fidei affirmatur; hæreticus autem eam affirmans non potest eam negare. Si enim hæreticus diceret Deum carere infallibili authoritate, nullum posset habere fidei assensum: vndè hæc quæstio ponit, admitti ab hæretico infallibilem authoritatẽ Dei: solùmque est dissidiũ illius ab Ecclesia Catholica in dissensu existentiæ revelationis propositæ ab Ecclesia: cũ verò illá

S. Tho. q. 5. Art. 3. illa revelatio sit independens in suâ existentiâ ab alia revelatione, non habet connexionem vllam cum illa mediatè, aut immediatè.

§. 71. 2. Obiectio Refel. Obijcies secundò: miracula sola non esse sufficientia ad extorquendum assensum fidei Catholicæ. Contrà: iam ostendi disp. 14. id esse falsum. Christus enim accusavit Iudæorum infidelitatem, quòd non crediderint tot miraculis visis, propterea enim dixit eos non habituros excusationem, quia visis eius operibus non crediderunt: & S. Ioannes meritò admiratur pertinacem Iudæorum incredulitatem, qui non credebant in Christum post tàm multa signa, quæ fecerat coram eis. Itē Nicodemus apud Ioan. cap. 3. credidit in Christum, quia, nisi ipse esset à Deo, non posset facere signa, quæ faciebat. S. Augustinus tom. 9. tractat. 11. in Ioannem, hæc ait. *Nicodemus ex his erat, qui crediderant in nomine Iesu, videntes signa, & prodigia, quæ faciebat.* Illam autem fidem esse Catholicam nulli potest esse dubium, maximè cùm Sanctus Augustinus eam dicat esse, qualis est in cathecumenis petentibus baptismum; at cathecumeni rectam habent fidem: cœterique Iudæi accusantur à Christo, quòd non crediderint, à qua accusatione excipitur Nicodemus, qui crediderat. Ergo miracula sufficiunt ad extorquendum assensum Catholicæ fidei, & quidem Apostoli non authoritate humana Ecclesiæ; sed miraculis & portentis domuerunt Orbem: qui illorum prędicatione Christianus est factus.

Ioan. 3.

Aug.

§. 72. 3. Obiectio Refell. Obijcies tertiò: non posse præstari prudentem assensum propter miracula, quia imprudenter negatur authoritas Ecclesiæ: nec potest idem homo esse simul prudens & imprudens. Contrà: si prudens sumatur absolutè pro eo, qui omnes suas actiones absolutè prudenter exercet, hæreticus est absolutè imprudens propter imprudentem hæresim; prudens autem secundùm quid: si verò prudens sumatur comparatione præcisè ad aliquos actus, non repugnat eumdem hominem simul esse prudentem in vno, & imprudentem in alio, quia quamvis imprudenter iudicet de vno obiecto, quid prohibet eū prudēter iudicare de alio? quod passim cernitur: potest enim simul habere actum intemperantiæ, & alium actum misericordiæ: in altero est imprudens, prudens in altero. Sic, considerata imprudenter ab hæretico authoritate Ecclesiæ, possunt miracula considerari prudenter.

§. 73. 4 Obiectio Refell. Dices quartò, fidem pendere à tota collectione revelationum & sufficientium applicationum. Contrà: fides habitualis respicit omnes revelationes, à quibus non dependet in actuali existentia: esto tamen dependeat, probat obiectio non posse componi physicè hæresim cum habitu fidei: at non probat eam non posse componi cum aliquo assensu fidei; quia hic non tendit in omnes revelationes; sed in vnam, & applicationem vnam. Assensus enim de revelatione Incarnationis ex miraculo ductus nō habet pro obiecto aliam revelationem. Hic ergo assensus produci poterit, vel auxilio extrinseco, vel qualitate fluente, cuius obiectum non sit, nisi illud, quod huius assensus, esto habitus non possit cum hæresi conservari. Idemque dixerim de iudicio prudenti composito cum imprudenti, & de affectu pio composito cum affectu hæretico: quæ auxilio extrinseco, aut qualitate fluente poterunt produci.

Obijcies tandem: authoritatem Ecclesiæ non esse positivè necessariam; esse tamen privativè: id est, opus est, vt non negetur. Contrà: id dicitur pro libito, si præcisè considerentur actus physicè, & secundùm se: si enim miracula sufficiunt assensui Catholico, quin cogitemus de authoritate Ecclesiæ, quid refert eam negare? hæc enim negatio nequaquam adimit miraculo vires. Demus controversiam esse inter Catholicum & hæreticum de ipsa Ecclesiæ authoritate: hæreticus convinci potest, vt videat se teneri ad credendam authoritatem Ecclesiæ per revelationem applicatam miraculo: ergo hæc authoritas non est necessaria antecedenter: sed potiùs ipsa potest esse obiectum cognitum per alias revelationes, & applicationes. §. 74. 5. Obiectio Refel.

Secundò probari potest ea conclusio, quia dissensus inculpatus de articulo revelato componi potest cum assensu Catholico de alio articulo revelato, & proposito per miracula: immò & culpatus absque pertinacia: ergo idem erit de hæresi: probo consequentiam, quia hæresis non addit intrinsecè aliquid supra dissensum revelationis: & quamvis addat, caret dissensus ille oppositione cum obiecto fidei: vt satis ostendi: itē cum assensu Catholico potest componi culpatus dissensus de revelatione privata: quæ creditur eodem habitu, quo publica. §. 75. 2. Probat.

Contra secundam conclusionem arguit Bañez: destructo obiecto materiali, possunt esse plures actus illius scientiæ & habitus circa obiectū formale, & alia materialia: quia formale terminat cognitionem independenter à materiali, hoc autem dependenter ab illo: destructo autem obiecto formali, nullus actus potest exerceri: sed dissensu hæretico tollitur obiectum formale fidei; quia §. 76. Bañez.

quia tollitur divina veritas, vt per Ecclesiam proposita: ergo non potest alius assensus fidei exerceri. Quod explicat exemplo physico: si enim in phylosophia negetur ens mobile, non poterit fieri vllus actus physicus: quia physicorum obiectum est ens mobile: at licet negetur homo aut Leo, non propterea cessabunt omnes actus philosophici; quia homo & Leo sunt obiecta materialia physicorum. Quas argutias fatetur Bañez se ab arguto Caietano mutuatum.

§. 77. Contra 1. Contra: Deus, homo, & Leo non sunt obiectum materiale; sed formale partiale physiologiæ: sunt enim species entis mobilis; quæ sunt partes obiecti formalis: etenim scientia de homine habet hominem pro obiecto formali: ita hæc & illa revelatio sunt species obiecti formalis fidei; non verò materialis. Esto sint obiectum materiale: nullo argumento potuerunt Caietanus & Bañez suas obligare manus strictiùs, quàm hoc, vt insinuavi §. 55. Quia obiectum fidei est prima veritas revelans, quæ conservatur in articulo credito ob miraculum, quamvis negetur alius propositus ab Ecclesia: comparo enim obiectum philosophiæ fidei obiecto. Sunt in physica conclusiones, quæ sunt obiectum materiale: verbi gratia, risibilitas hominis, & quantitas corporis; sunt item in fide & conclusiones, quæ sunt obiectum materiale, & articulus revelatus: negatis ijs obiectis præcisè, non negatur obiectum aliquod formale *quo*, sunt item & obiecta formalia alicuius syllogismi; quæ sunt præmissæ in demonstratione; vt essentia hominis & Leonis: item in fide sunt revelationes nonnullæ; quæ sunt obiectum formale *quo*.

§. 78. Si hæc obiecta negentur; adhuc censent Caietanus & Bañez, non negari obiectum formale philosophiæ; quia ratio formalis *sub qua*, nec est homo quia homo, nec Leo vt Leo; sed corpus mobile; homo autem & Leo: quia corpus mobile sunt, vt de coloribus dixi §. 55. ergo negatis etiam hac & illa revelatione non negatur obiectum formale fidei: quia hæc revelatio non quia est hæc; sed quia est revelatio Dei, est obiectum formale fidei: sed revelatio manet in obiecto credito per miraculum; licet negetur revelatio proposita per Ecclesiam; sicut manet corpus mobile licet negetur homo: ergo sicut hominis negatio non adimit obiectum formale physicæ; ita nec negatio huius revelationis adimit formale obiectum fidei. Quę consequentia est ad hominē evidentissima. Quod autem de revelatione dico, accipio etiam de applicatione: hæc enim applicatio non est fidei, quia est hæc applicatio sufficiens; sed quia sufficiens applicatio est: ratio verò sufficiens applicationis etiā in miraculo reperitur: ergo. Sunt tādē in philosophia corpus mobile vt sic, & in fide revelans Deus vt sic; his negatis, nullus potest esse actus fidei, nec philosophiæ. Vndè cōcludo non esse à Caietano ipsius doctrinam.

§. 79. 2. Arg. Solicitum. Secundum argumentum est; quia habitus fidei componi non potest ex natura sua cum hæresi actuali: ergo nec assensus fidei. Respondeo: antecedens esse falsum; vt probavi sect. 2. & antecedente prætermisso, consequentiam esse malam: discrimen est, quia habitus per te perit pereunte eius formali obiecto, cùm enim fides feratur in omnes revelationes, si quævis negetur, perit habitus, vt in illam potest tendere: & quia illa entitas, quæ perit est idem cum entitate tendente in alias: perit totus habitus: vt cognitio repræsentans hominem & lapidem perit amoto solo lapide, quia indivisim vtrumque attingit obiectū: assensus autem ipsi habent obiecta diversa; pereunteque obiecto vnius actus; hic etiam cum obiecto perit; alius autem perseverat: quia manet integrè eius obiectum: vt si duobus actibus repræsento hominem & Leonem: amoto Leone perit cognitio de illo; manet tamen de homine cognitio: quia & obiectum eius manet.

SECTIO IIII.

Vtrùm ex parte voluntatis pugnent ex natura sua hæresis de vno obiecto, & aßensus Catholicus de alio?

§. 80. CENSEBIT fortasse quis; assensum hæreticum & alium Catholicū non esse oppositos physicè ratione sui, atque immediatè: esse tamen mediatè & ratione affectuum, quibus imperantur: verbi gratia, assensus hæreticus oritur ab impio affectu, quo Deus offenditur, & lex fidei violatur: assensus Catholicus oritur ab affectu pio, quo volumus credere Deo super omnia credibila. Sic igitur arguitur primū: isti duo affectus sunt inter se tā oppositi, quā actus charitatis & quodvis peccatum mortale actuale ortum ex cognitione displicentiæ Dei in illud, aut ignorantia culpatā de tali displicētiā: sed act⁹ charitatis, & eiusmodi peccatū sunt physicè incōpossibiles: ergo & affect⁹ pi⁹ & impi⁹. Maior probatur, quia sicut charitas est dilectio Dei super omnia

S. Tho. q. 5. Art. 3. omnia; ita & affectus pius est voluntas assentiendi Deo super omnia: ergo vt charitas propter eum modum tendendi physicè pugnat cum omni peccato; ita & affectus pius cum impio. Confirmatur: quia pia affectio exhibet testimonio Dei summam reverentiam; contra quod peccatur, quando pertinaciter negatur; sed non possumus simul honore habere vnum Dei testimoniū, & aliud contemptu: ergo.

Confirm.

§. 81. *2. Arg.* Secundum argumentum, quia concederetur in hæretico actus naturalis honestus de eodem obiecto formali, de quo in Catholico sunt actus supernaturales: hoc autem est falsum: ergo. Probatur minor, quia hæreticus, dum est pertinax, nullum exercet actum supernaturalem: ergo neque naturalem honestum: probo consequentiam, quia in naturâ elevatâ quoties exercetur actus naturalis honestus, exercetur alius supernaturalis circa idem obiectum.

§. 82. *3. Arg.* Argumentantur tertiò, demus, hæreticum inculpatè oblivisci hæresim priorem: sic autem oblitum credere articulum pœnitentiæ: accedat item iste ad id sacramentum: hic iustificabitur, quia non pugnat fides Catholica cum peccato habituali hæresis: sicque pœnitens iustificabitur sacramento.

§. 83. Hæc sententia non placet, quia tantùm nititur verborum involucris de credendo Deo super omnia, de honore & reverentia exhibitis revelationi: quibus evolutis & explicatis, levia sunt momenta rationis. Ac primùm qui asserunt assensum fidei oriri posse à voluntate naturali indifferenti immò & mala, non possunt eo vti argumento: nam cum actu naturali indifferenti aut malo, quo volumus credere revelationem propositam ab Ecclesia, aut miraculis, possumus componere alium actum malum, aut indifferentem, quo credamus alia obiecta: & quidem huius sententiæ author sentit vitiari posse actum fidei per extrinsecum imperium malum: ergo fides non pendet necessariò ab affectu pio supernaturali præferente fidem cæteris obiectis. Item fatentur multi non esse per se necessarium affectum supernaturalem ad credendum fide Catholicâ; sed sufficere affectum naturalem vndique honestum. Ponamus hominem dissentiri propositioni Ecclesiæ, & eumdem simul assentiri revelationi miraculo propositæ, qui assensus oriatur ab affectu naturali vitandi turpitudinem peccati incredulitatis in revelationem ita propositam. Isti duo actus cur physicè pugnabunt?

Impugnatur sententia.

§. 84. Præterea ad hominem infringuntur huius argumenti vires: censet enim author eodem habitu fidei assensum præberi privatæ, & publicæ revelationi: censet autem nullū dissensum in privatam revelationem opponi assensui in revelationem publicam propositam ab Ecclesia: potest enim aliquis simul dicere se non credere revelationem aliquam privatam: credere tamen omnes ab Ecclesia propositas. Affectus credendi revelationes propositas ab Ecclesia præstat reverentiam testimonio Dei, cui credit super omnia credibilia, & tamen secum patitur peccatum incredulitatis in revelationem privatam sufficienter propositam, cui reverentia non exhibetur: ergo affectus isti credendi non pugnant vniversim cum peccato incredulitatis.

Quod clarè constabit in communissimâ omnium sententiâ admittente assensum aliquem erroneum contra fidem Catholicam, qui sit peccatum, qui tamen non deserat Catholicam fidem, neque assensum Catholicum præstitum Ecclesiæ. Exempli gratia, si quis dissentiatur alicui revelationi publicæ confirmatæ miraculis tàm clarè & manifestè, vt nullus sit locus dubitationi prudenti, vt Christus doctrinam miraculis confirmavit: hic dissensus est peccatum contra fidem: sic autem dixit Christus Iudæos punitum iri, quia credere noluerunt: hic dissensus non facit hominem hæreticum: ac propterea manet in illo tota Catholica fides, quâ paratus est credere omnes revelationes propositas ab Ecclesia. §. 85.

Hoc posito sic argumentor: componi possunt isti duo affectus: ergo affectio pia non opponitur affectui impio tantùm, quãtùm actus charitatis peccato mortali actuali. Probo consequentiam, quia iam videmus compositos istos duos affectus. Catholico enim assentimur Deo super omnia credibilia; peccato autem contra revelationem propositam miraculo non credimus revelationem Dei sufficienter propositam: item hoc dissensu contemnitur testimonium Dei; Catholico verò aliud testimonium habemus honore: ergo ex his rationibus non rectè infertur non posse componi hæresim cum assensu Catholico in revelationem publicam propositam miraculo. Probo consequentiam: quia assensus propter miraculum tàm credit Deo super omnia, & exhibet honorē testimonio Dei sufficienter proposito, quàm assensus propter authoritatem Ecclesiæ: ergo sicut assensus Catholicus propter hanc authoritatem componi potest cum impio affectu assensum negante revelationi miraculo affirmatæ: ita è contra dissensus revelationis propositæ per Ecclesiam componi poterit §. 86.

cum

cum assensu Catholico per miraculum.

§. 87. *Ratio à priori.* Ratio à priori conclusionis est: quia assensus fidei potest imperari aliquo affectu habente obiectum formale privatum, & nō vniversale: verbi gratia, proponitur alicui miraculum, quo revelatio confirmatur: & considerat honestatem privatam assentiendi propter miracula: considerat item turpitudinem in dissentiendo huiusmodi revelationi: iste vult credere propter honestatem credendi miraculis, & vt vitet turpitudinem illius incredulitatis in specie: hoc motivum credendi non se porrigit ad credendum propter authoritatem Ecclesiæ: hæc enim distincta propositio est, diversam habens honestatem, contra quam committitur turpitudo distincta invrbanitatis, & malæ existimationis de authoritate totius Ecclesiæ. Hæc duo obiecta possunt simul amari, & odio haberi, id est; componi possunt amor vnius, & odium alterius: quia privatis motivis habentur odio & amore: vt potest aliquis detestari furtum propter specificam eius turpitudinem: quæ pœnitentia non se porrigit ad homicidium, aut intemperantiam detestandam.

§. 88. Si autem affectus credendi esset de obiecto vniversali amplectente omnes revelationes sufficienter propositas; non posset componi, nec cum hæresi, nec cum alio vllo peccato contra fidem: quia vbi constaret de obligatione credendi, crederet; nec ignorantiâ culpatâ aliquid ageret contra fidem: vndè nec per culpam omitteret diligentiam, vt sciret, quid Ecclesia proposuerit; nec contra illam vniversaliter ignoraret; nec dissentiretur revelationi confirmatæ miraculo: videmus autem Catholicum agere non rarò culpatè contra fidem: signum est ergo eum non semper credere affectu vniversali expellente omnem culpam contra fidem.

§. 89. *Ad arg.* Ad primum ex §. 80. nego maiorem: amicitia enim cùm sit efficax benevolentia, non patitur grave damnum amici: cùm ergò peccatum mortale graviter displiceat Deo, & sit illius damnū extrinsecum, non potest componi cum efficaci benevolētia in Deū, quæ est charitas. Pius verò affectus potest esse de obiecto privato, admittens malum in alia specie contra leges fidei. Ad probationem maioris respondeo, pium affectum esse voluntatem credendi Deo super omnia: quia eius authoritatem præfert cuivis alij, quod dixit S. Thom. quæst. 5. art. 4. ad 2. vt charitas præfert omnibus bonis bonitatē Dei: item eligit assensum fidei præ omnibus scientijs; quia est simpliciter necessarius ad salutem: confessionem item externam præfert assertioni externæ cuiusvis obiecti creati: iste autem affectus potest esse de obiecto privato. Quid verò dicit author de hoc affectu super omnia credendi? asserens posse extrinsecè vitiari fidem? Item posse à Catholico negari culpatè revelationes privatas: immò & publicas miraculo confirmatas; & peccari vincibiliter contra propositionem Ecclesiæ; quin amittatur fides: quæ non admittit in charitate: ergo non est argumentum ab altera ad alteram.

S. Thom.

§. 90. *Ad confir.* Ad confirmationem ex eodem §. 80. Respondeo, pium affectum non esse voluntatem colendi propriè revelationem Dei; sed ei assentiendi: vndè cultus illius & assensus sunt idem, & vt potest colere propositam ab Ecclesia non colens miraculo confirmatam; ita è contra potest non colere propositam ab Ecclesia, & colere confirmatam miraculo: vt autem cultum absolutum demus revelationi, opus est, vt priùs nobis persuadeamus eius existentiam: semperque colimus sub conditione revelationes Dei etiam non existentes, dùm earum veritatem ita æstimamus, vt propter illam credamus obiecta superiora ratione, pro quibus & vita profunditur.

§. 91. *Ad 2.* Ad secundum ex §. 81. respondeo illud non benè sapere: inclinat enim in sententiam asserentium esse peccatum quodvis opus infidelium. Habet ergo hæreticus aliquas actiones honestas naturales; sive ex gratia per Christum; sive ex beneficio creationis; vt alij infideles. Tunc autem esto nullum habeat actum supernaturalem, non est contra statum naturæ elevatæ non operari supernaturaliter, quando ipsa vitio suo se facit indignam actuali auxilio supernaturali: hoc do authori non admittenti, in hæretico vllum actum supernaturalem.

§. 92. *Ad 3.* Tertium argumentum ex §. 82. nescio quò tendat: qui enim ita obliviscitur hæresim superiorem, & iustificatur, quid habet cum nostrâ difficultate commune? si enim exercuit actum pœnitentiæ ex obiecto vniversali complectente virtualiter omne peccatum; hic retractat etiam virtualiter hæresim; sin minùs, non iustificabitur.

§. 93. Hîc disputandum videbatur; quibus actibus infidelitatis amittatur fides; an sola hæresi, an quovis alio contra fidem? Quæ difficultas pendet ex quæstionibus de infidelitate: quibus absolutis, vestigabimus, qua ex illis amittat Catholicus fidem, de quo disput. 82.

***

SECTIO II.

Utrùm in peccatore fides augeatur?

§. 5. *Valent.* *Torres.* DIFFICULTAS est, vtrùm per actus fidei imperatos affectu supernaturali augeatur in peccatore fides? P. Valentia disp. 1. quæst. 5. part. 4. P. Luisius disp. 45. dub. 1. & communiter Theologi recentiores affirmant in peccatore augeri fidem informem: ita vt actibus fidei intensis, atque remissis, fides evadat auctior, quamvis homo perseveret in mortali peccato: fundamentum est, quia fides cõservatur in homine peccatore: ergò & augetur. Consequentia non est necessaria, sed congruens. Potest enim negari: quia augmentum est novum beneficium, quo Deus non vult donare peccatorem: conservat autem fidem, vt per illam & accenseatur populo Dei, & sit aptus ad se convertendum.

§. 6. *Sotus.* *Scot.* Sotus, Scotus, & alij adducti disp. 57. §. 8. censebunt consequenter in peccatore nõ augeri fidem quia infideli non infunditur, nisi cùm iustificatur, & quidem posito antecedenti, consequentia non est mala: eædẽ enim sunt omninò rationes de augmento negando, ac de prima infusione; immò graviores. Quia verò pro neutra sententia efficax est argumẽtum, magis inclinor in sẽtentiam priorem; quia magis misericordiã Dei commendat. Non tamen disputo id fieri merito etiam cõgruo: quod ad præmium supernaturale non admittitur à multis, nisi in actu iustificante. Est tamen quædam cõditio, quam Deus expectat: vtrùm autem sit meritum congruum, alibi dicam.

§. 7. Vnde potest inferri posse eumdem hominem habere maiorem fidem, quàm gratiam: sit enim assuetus actibus credendi: ijs aucta est fides ad gradum octavum: deinde iustificetur gratiâ vt quatuor: quia eius contritio fuit vt duo; cui correspondent duo gradus gratiæ; qui cum ea, quæ reviviscit, complent gratiam, vt quatuor: fides autem erit vt decẽ, quia prius erat vt octo; deinceps additi sunt duo eius gradus cum gradibus gratiæ.

§. 8. *P. Luis.* *Aragon.* Difficilius est, vtrùm gratia possit esse intensior fide? Affirmant P. Luisius eadem disp. 45. dub. 1. versu, *contrariam*, fundamentum præbet parti affirmanti: quia censet cum Aragone & alijs, fidem non augeri in homine iusto, nisi per actus fidei; non verò per actus aliarum virtutum. Ex qua doctrina colligitur apertè posse gratiam esse intensiorem fide: quia actu fidei exercito in gratia augentur simul fides & gratia: item actu charitatis & aliarum virtutum gratia nova crementa capit; fides verò nullum: ergò gratia vegetior est fide.

§. 9. Censeo tamen, gratiam non posse esse intensiorem fide: tum opposito fundamento probando sectione sequẽti: tùm etiam quia gratia est principium physicum, aut morale habitus fidei; ita vt substantia gratiæ non posit esse sine substantia habitus fidei: nec intensio gratiæ sine æquali intensione fidei: quia gratia comparatur substantiæ naturali: vnde quælibet pars intensiva gratiæ est natura intensionis similis. Quia gratia est naturâ suâ principium amandi Deũ; quod præstari non potest absque fide. Quare, si fideli vt vnũ, infundatur gratia vt octo; hæc gratia aut physicè, aut moraliter intẽdit fidem & spem ad octo.

SECTIO III.

Vtrùm omni actu augente gratiam augeatur & fides?

§. 10. NEGANT authores adducti §. 8. quia fides non augetur nisi actibus proprijs: actibus autem aliarum virtutum haudquaquam. Primũ fundamentum est, quia fides & spes non habẽt necessariam cõnexionem cum gratia: ergò. *1. Fund.*

Refel. Respondeo fidem & spem non esse necessariò gratiæ nexas, sivè ex natura rei, sivè providentiâ numinis; gratiam tamen habere necessariam connexionem cum fide & spe, sivè physicè, sivè moraliter, vt dixi §. 9. Itaque fides est independens à gratia; hæc autem ab illa pendet: cum fide enim nõ est necesse placere Deo; at, qui Deo placet, habet necessariò fidem.

§. 11. *2. Fund.* Secũdũ fundamẽtũ: quia nõ quovis actu virtutis cõstituitur quivis fidelis; actualiter cõstituitur autem iustus: ergò non quovis actu virtutis augetur fides: probo consequentiam, quia fides non augetur, nisi cùm aliquis constituitur actu fidelis. Respondeo *Refel.* negatâ consequentiâ: ad probationem respondeo, fidem cum iustitia augeri: pertinet enim ad maiorem iustitiam maior fides; sicut maior pœnitentia, & temperantia maior.

§. 12. *Conclus.* Censeo igitur cum alijs multis fidem augeri quolibet actu, quo & gratia: primum, oppositis fundamentis. Secundò: quia actu religionis augetur habitus temperantiæ infusæ: ergò & fidei. Antecedens pono ex *1. Prob.* disp. de merito; quia omnes habitus perfe

S. Tho.q. 5. Art. 4. §. 51. infusi sunt gratiæ comites; exceptis fide & spe. Consequentiam probo: quia, qui est religiosus, non constituitur actu temperans; & tamen augetur temperantia: ergo quamvis religione non constituatur quis fidelis actu; augebitur fides: opposito autem fundamento moventur oppositi. Et quemadmodum temperantia pertinet ad statum hominis iusti; ita, immò magis præcipuè fides: ergo vt quovis actu iustitiæ augentur omnes alij habitus spectantes ad statum hominis iusti: ita & fides, sine qua impossibilis est ille status.

§. 13. Evasio. Refell. Dices: ab alijs habitibus ad fidem non esse consequentiam: quia cæteri comitantur gratiam; non fides. Respondeo: esto fides non sit naturâ suâ gratiæ comes: sint autem virtutes cæteræ, negari non potest spectare fidem ad statum iusti: & eius habitum cū affectione pia, esse virtutem, & magis honestam temperantiâ: spectant enim ad statum iusti aliquæ virtutes præeuntes gratiā; aliæ sequentes: omnes autem sunt virtutes constituentes hominem perfectè sanctum; vt posit se omni honestate exerceri. Quamvisque non sit consequentia aliarum ad fidem ratione connexionis cum gratia: est tamen ratione status hominis iusti; qui totus augescit quolibet actu virtutis exercito in gratia, & ex gratia per Christum.

§. 14. In peccatore autem solis actibus fidei augetur fides; (si tamen augetur): quia tunc non augetur status hominis iusti; quia in eo non est peccator: & cùm augmentum fidei sit maximum beneficium, ad quod concedendum nullo alio moveor fundamento, nisi aliquorum authoritate: qui tamen, censent augeri fidem actibus fidei & non alijs: spem autem solis suis actibus: nolo aliquid præter eos asserere. Discrimē est, quia sicut Deus noluit corrumpere fidem, nisi per hæresim; ita voluit eam augeri per actus ipsius fidei: cæteros autem non acceptavit ad id augmentum.

SECTIO IIII.

Vtrùm remittatur fides?

§. 15. Trident. Bañez. FIDEM corrumpi actu aliquo infidelitatis, & non alijs peccatis, definitum est Tridenti contra Lutherū, & alios sess. 6. cap. 15. quod non semel attigi in superioribus contra hæreticos. Censuit Dominicus Bañez in quæst. 4. art. 1. versu *ad 4.* fidem in peccatore remitti: nec esse inconveniens, immò esse fidem debilem, sicut & spem; hoc autem fieri censuit ipso actu quo gratia corrumpitur: Bañez dixit hæc sine incommodo posse dici; magis tamen inclinat in oppositum.

P. Luisius disp. 45. dub. 3. versu *sed in hac doctrina*, meritò ait, id nulli niti rationi probabili: quia, nec Sacra Scriptura, nec Patres id insinuāt: Theologi autem vniversim docent habitus infusos non minui; sed integros manere, aut perire. Ratio autem nulla ei suffragatur: connexio enim fidei & gratiæ si est physica, probaret totam fidem cū gratia perituram: at ex Dei providentia conservatur sine gratia fides: vndè ergo probat Bañez conservari remissam fidem, & non intensam? spes manet debilis, non intensione habitus; qui totam retinet priorem; sed actus sunt debiles: cor enim peccatorem reprehendit, ne tantùm Deo fidat, quantū iustus: *si enim cor nostrū non reprehenderit nos, fiduciā habemus*: fides autem nō vacillat in peccatore: quamvis interdum naufragatur, propter multitudinem peccatorum. §. 16. P. Luisius. 1. Ioan. 3. 21.

§. 17. Est præterea doctrina hæc affinis errori Lutheri censentis quolibet peccato mortali fidem amitti: Concilium autem statuit eam amitti sola infidelitate: quòd si alio peccato corrumpitur intensio fidei, iam acceditur magis ad errorem: quia quamvis alia peccata fidem nō demoliantur, labefactant tamē & gradus ille corruptus est aliquid fidei: ergo quovis peccato mortali fidei aliquid perit. Dicent verò Lutherani, nihil fuisse mirum censuisse Lutherum fidem destrui; cùm & Bañez censuerit eam destrui, si minùs in substantia; tamen in intensione, & perfectione intrinseca: & conabuntur ostendere, nullum esse discrimen inter corruptionem, & imminutionem.

§. 18. Probatur item eius sententiæ absurditas: quia si primo peccato minuitur fides: ergo peccato intensiori minuitur magis, tantumque poterit peccari, vt fides penitùs pereat absque infidelitatis peccato. Nullâ enim ratione probatur primo peccato remitti fidem, & non sequentibus: si enim physica oppositio id facit, eadē reperitur in peccatis intensioribus: si autē oritur ex oppositione morali, maior hæc est in peccato graviori. Gratiâ igitur pereunte, æquè conservatur, aut non conservatur omnis fidei gradus: nec vnus poterit cum fundamento ostendi, qui perire non posit, vt cæteri. Gaudeo eā doctrinā authori displicuisse suo; vt posimus in eam agere acerbiùs; quin tàm doctum & Catholicum virum præstringat oratio. Cōcludo fidē numquam minui; sed totam conservari, dùm non admittitur infidelitas; at corrumpi totam infidelitatis peccato. Conclusio.

DIS-

DISPVT. LXII.

De caussa efficiente habituum Theologicorum.

§. 1. S. Thom. VÆSTIO hæc communis est fidei, spei & charitati quam S. Thom. quæst. 6. & quæst. 14. art. 2. tractat. quapropter eodem filo texetur.

SECTIO I.

Hi habitus sunt per se infusi.

§. 2. Quid sit habitus. latè. INFVSIO latè accipitur pro collatione cuiuscumque doni spectantis ad intellectum, & voluntatem dati ex gratiâ per Christum: Ecclesia petit à Deo, vt nobis infundat charitatis affectum, & spiritum. Infundere enim perindè est ac fundere aliquid in aliquem locum: sic aquam infundimus in cacabum, id est, mittimus: gratia autem Christi sæpè vocatur in scripturis aqua, *& fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam*: (Ioan. 4. 14) & quemadmodum aquam infundimus in vas, ita & Deus in nos suam gratiam: ipse autem testatur se effusurum super nos de spiritu suo.

§. 3. Quid propriè. Propriè accipitur à Theologis pro collatione alicuius qualitatis naturâ suâ permanentis in intellectu, aut voluntate, quam habitum infusum vocamus: qualis est fides in intellectu, & in voluntate charitas. Hæc infusio est bipartita: altera enim est per se: altera per accidens. Infusio per se est, quâ producitur habitus à solo Deo, à quo ipse solo petit produci ex naturâ suâ tamquam à caussa principali, & non ab alia caussa secunda. Itaque habitus infusus per se in genere caussæ efficientis pendet à solo Deo ex naturâ suâ. Et quamvis posset à Deo instrumentum assumi ad productionem eius habitus, id non est ex necessitate naturali ipsius habitus; sed ex sola voluntate Dei. Infusio per accidens est, quâ à solo Deo producitur habitus, qui ex naturâ suâ petit caussam secundam principalem, à qua producatur: vt si, verbi gratia, temperantiam acquisitam Deus infundat in pueros: & quemadmodum accidens præter conceptum suum creatur, ita & hic habitus infunditur.

§. 4. Fidem, spem, & charitatem esse habitus per se infusos tàm certum est, vt iam absque crimine negari non possit. Apud vetustiores Theologos duæ erant sententiæ probabiles: altera negans habitus per se infusos; asserens altera. Hæc probabilior censa fuit in Concilio Viennensi, & magis è mente Sanctorum Patrum. (Concil. Vienn.) Innocentius Tertius in cap. *maioris* de baptismo neutram prætulit alteri: (Innocēt. 3.) nostram autem prætulit Clemens Quintus Clementina vna de summa Trinitate, his verbis: (Clemēs 5.) *nos autem attendentes opinionē secundam, quæ dicit tàm parvulis, quàm adultis infundi in baptismo gratiam, & virtutes tamquam probabiliorem; & dictis Sanctorum, & Doctorum Theologiæ magis consonantem, sacro approbante Concilio, duximus eligendam.*

§. 5. Hæc doctrina post definitionem Concilij, atque Clementis tàm altè insedit Ecclesiæ toti, vt eâ sit vsum Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 6. (Tridem.) definiens enim renovationem interiorem hominis per gratiam inhærentem datam in baptismo, hæc ait: *hæc simul infusa accipit homo fidem, spem, & charitatem*: vbi Concilium conflatum ex doctissimis Theologis ex ore Clementis accepisse videtur sententiam hanc Patrum, & Scholasticorum: & definiens hominis renovationem interiorem contra Lutherum, eam statuit per tres virtutes Theologicas infusas à Deo.

§. 6. Obiectio. Obijcies: Conciliū nequaquam loquutū nisi de actibus virtutū. Contrà: doctrina Cōcilij communis est omni suscipienti baptismum ritè, & sine obice, vt constat ex toto eo capite, vbi constituit caussam instrumētalē iustificationis baptismum; sed multi adulti iustificantur virtute baptismi absque actu charitatis: ergo non loquitur Concilium de actu; sed de habitu. Probo minorem primùm, quia cum sola attritione, fide, & voluntate baptismi, suscipitur hoc sacramentum ritè & sine obice: nec enim actus charitatis est per se dispositio necessaria ad iustificationem per sacramentum: & tamen iste iustificatur per interiorem renovationem per fidem, spem, & charitatem: ergo multi iustificantur baptismo sine actu charitatis: idem cernitur in eo, qui cum fide, & attritione voluit, & petijt baptismum, deinceps sine retractatione eius voluntatis, & sine novo peccato mortali incidens in amentiam baptizatur: hic simul accipit fidem, spem, & charitatem infusas, & non actuales: vt constat: ergo habituales.

§. 7. Immò ex eodē capite apertè colligitur pueros baptismo renovari his tribus virtutibus infusis. Constat enim ex eo capite hominum iustificationem esse per intrinsecam renovationem, & non per aliquam formam extrinsecus: hic enim erat præcipuus Concilij scopus: vt ostenderet contra Lutherum omne

S. Tho. q. 5. Art. 4. omne peccatum tam originale, quàm personale verè eradicari, atque deleri: & in homine iustificato nihil superesse damnationis: eaque propter recensitis dispositionibus adultorum, definit iustificationem secundum se, nempè translationem à statu peccati ad statum gratiæ, & filiorum Dei: quàm translationem, ait, contingere interiori renovatione gratiæ inhærentis: quam dicit esse vnicam caussam formalem iustificationis. Deinde recenset cæteras caussas: instrumentalem autem ait esse baptismum: quod non solum est verum in adultis; sed etiam in parvulis.

§. 7. *Quæstio.* Quæstio est inter Doctores, an sit fide certum eos habitus esse per se infusos. Non audent oppositam sententiam hæresi notare. P. Valentia tom. 3. disp. 3. quæst. 1. part. 1. §. 3. Bañez in præsenti dubio 1. conclus. 2. Aragon in Commentario huius quæst. 6. P. Luisius disp. 46. dub. 4. Sotus & alij apud Patres Valentiam & Luisium: immò neque audent eam dicere esse apertum errorem. Vega tamen & alij eam censent errorem: P. Suar. disput. 7. sect. 1. num. 2. eam censet hæreticam.

Valent. Bañez. Aragon. Torres. Sotus. Vega. Suar.

§. 8. *1. Conclus.* Hac in re primùm censeo, oppositam sententiam esse temerariam, quia à longo ævo exulat à Scholis. Potest quidem doctrina olim probabilis decursu temporis probabilitate minui; & vergere etiam in hæresim: verbi gratia, sententia negans sanctissimæ Virgini sanctificationem in momento côceptionis, magìs probabilis olim fuit, quàm nunc: defendebatur enim ab aliquibus Scholasticis; insinuata videtur à S. Bernardo; S. Thomas varius in ea controversia fuit. At tunc non colebatur eius festum ab Ecclesia Romana; quod desiderabant Bernardus, & Thomas: nunc autem colitur: quòd si ipsi vidissent; lubentes nostræ sententiæ subscripsissent. Tunc permissa fuit publicis disputationibus, & concionibus: at nunc cæmento & calce Paullus Quintus obstruxit os eam tuentium, ne mutiant. Eius patroni sunt per quam paucissimi, qui in tota reliqua Ecclesia, *apparent rari nantes in gurgite vasto.* Quis dubitet eam sententiam vix iam retinere probabilitatis partem octavā, eamque spectri more nudis ossibus hærere: ita sententia negans habitus infusos contabuit senio: differt tamen ab opinione alia de côceptione: quòd hæc adhùc non damnatur improbabilitatis; illa verò defendi non potest.

§. 9. *2. Conclus.* Secundò censeo eamdem doctrinam esse erroneam: quia per legitimas consequentias infertur ex ea non infundi charitatem pueris baptismo tinctis, nec aliquibus adultis ritè ablutis, & rectè. Etenim omnis qualitas ad amandum longo tempore perseverans ex naturâ suâ est habitus voluntatis; sed nisi admittatur charitas habitualis infusa, non est in pueris; & aliquibus adultis qualitas ad amandum longò tempore ex naturâ suâ perseverans: ergo non est in ijs qualitas per se infusa: probatur minor, quia auxilium actuale quamvis esset inhærens, est qualitas, vt barbarè aiunt, de facili fluens: quod non datur, nisi subrogatum pro habitu. Quia verò responderi potest hoc auxilium manere inhærens ex voluntate Dei, licet non ex natura sua; ideò ea sententia nô est hæretica: puniendus tamen esset eius author, qui non tàm videretur dubitare de proprietate actualis auxilij, quam Theologi illud admittentes agnoscunt; quàm de de Concilij definitione constituente in pueris, & adultis omnibus iustificatis iustitiam inhærentem, quia actualis non est in multis adultis; nec potest in pueris, habitualis non agnoscitur ab his; auxilium autem actuale non habet permanentiam, qualem iustitia puerorum: vix aliter de ea sentio, ac denegante resibilitatem Christo: quia non videtur negari principium Philosophis commune, sed humanitas Christi.

§. 10. *Scot.* Ratione est nostra doctrina probatu difficilis: quia cum sit de obiecto supernaturali, non est illud odorata natura. Scotus & alij negantes actibus fidei supernaturalitatê non solùm non possunt rationem reddere; sed potiùs admittent eos habitus minimè necessarios, & maximè otiosos, nisi enim haberent effectum aliquem supra vires humanas & Angelicas: quorsum eis nos Deus donaret? an ad videndum dat qualitatem infusam? aut ad intellectionem ex sensibus derivatam. Igitur ex ipsa habituum infusione colligimus in actu credente, sperante, & amante vt oportet ad salutem; esse effectum aliquem habitui adscribendum infuso; quē non possunt vires nec Angelicæ. Item si Angelo esset naturalis vis ad visionem Dei; non illâ privaretur initio creationis: vt nostra mens non est privata formis: nec ipse Angelus cognitione mediata Dei; qui nihil creavit inutilum: sed potiùs Angelis & homini multa beneficia dedit minimè debita: debitum detraxit nullum.

§. 11. *Probatur conclusio.* Constitutâ ergo aliquâ supernaturalitate in essentia actuum credendi rectè concluditur habitum fidei esse per se infusum. Quia ille habitus est supernaturalis in substantia; ergo non potest produci ex solis naturæ viribus. Consequentia liquet ex ipso conceptu entis supernaturalis quoad substantiam: cùm ergo sit in aliquo principio sistendum, quo elevetur natura ad efficiendos actus supernaturales; hoc principium creatum non

non potest, nisi à solo Deo produci: hoc autem debere esse creatum ostēdam §. 17. Nec hic cōmitto circulum: pono enim ex Scholasticis Patribus, & Concilijs habituum infusionem per se: ex hac infusione colligo esse aliquem effectum in actu credendi, qui non possit ex solo naturæ conceptu produci: vndè ex habitus infusione arguitur supernaturalitas actuum: ex hac rectè colligitur habitum non posse esse ex solis naturæ viribus; alioquin non esset per se infusus, nec necessarius. Item ex conceptu actuum, quos nec Angelus habuit, colligimus eos esse supra vires Angelicas: ad quos egetur principio elevante naturam.

SECTIO II.

Utrùm habitus Theologici augeantur physicè per actus?

§. 12. *P. Luisius.* PATER Luisius disput. 45. dub. 7. versu *alij verò*, meminit aliquorum asserentium habitus hos esse quidem per se infusos; augeri tamen physicè suis actibus: excusat tamen Vegam & Stapletonium ab ea sententia. Ostendam disputans de charitate virtutum actibus gratiam augeri meritoriè; augmentum verò physicum non est tutum, quia & contra communem Patrum, & Theologorum; & sine vllo probabili fundamento. Percurramus singulas sententias de augmento habituum, & omnium qualitatum intensibilium. Qui enim dicunt intensione nihil acquiri novum; sed priorē qualitatē magis radicari in subiecto, non possunt asserere habitum augeri physicè, nec moraliter; quia habitus nullum habet augmentum. Quid ipsi intelligant per maiorem radicationem novam, sine aliqua nova entitate, ipsi dixerint, & explicent, si possunt: & dicant, vtrùm hæc nova radicatio sit effectus physicus & novus? & sit nova actio sine aliqua entitate novè producta? & videant quid respondeant: in quos egi disp. 5. de generatione, & corruptione.

§. 13. Si autem dicamus intensione produci aliquid in qualitate, quod etiam sit qualitas eiusdem rationis cum qualitate præeunte, ratio est manifesta: quia cùm secundus gradus sit eiusdem naturæ cum primo: & primus sit per se infusus, secundus quoque per se est infusus; alioquin non possent esse eiusdem naturæ: quia habitus infusus per se multùm distat à per se acquisito. Si verò secundus gradus sit diversę rationis, res est nō minus clara. Primùm, quia absolutè componunt eam[...] speciem completam gradus primus & secundus: at non possunt pertinere ad eamdem naturam completam habitus acquisitus & infusus: referuntur enim gradus intensionis habituum ad efficiendū maiorem perfectionem in actibus: in quo non possunt tantùm differre, vt alter gradus sit infusus per se, alter acquisitus. Deinde secundus gradus est primò nobilior: ergo habet perfectionem infusam per se: quia acquisita per se est longè inferior per se infusâ.

In omni sententia sic argumentor: duæ caussæ æquivocæ non sunt mutuæ caussæ, ita vt inferior sit caussa superioris; sed habitus infusus & eius actus sunt caussę æquivocæ: ergo non possunt mutuò esse caussæ. Minor est clara, quia actus & habitus non sunt eiusdem speciei; sed diversarum, ita vt actus sit imperfectior; habitus autem perfectior. Maior probatur: quia caussa æquivoca potest producere effectum, in quo reperit aliquam formalitatem, sibi respondentem: eius autem effectus nullam invenit, sibi respondentem: habitus enim complet potentiam, vt exerceat actum supernaturalem: cùm enim ipsa esset operatura vitaliter, adiunctus est illi habitus, vt ea vitalitas sit supra solius naturæ vires. Item experimento probatur non esse reciprocam hanc vicissitudinem caussarum æquivocarum. §. 14.

Obijcies, primò habitum naturalem & actum esse caussam & effectum æquivocum: cùm tamen sit inter ipsos vicissitudo caussandi. Item ignis, & calor se producunt mutuò. Tandem species impressa & actus. Respondeo, habitum naturalem non influere physicè in actum: neque calorem in ignem: species impressa relicta ex actibus non producit alios eiusdem rationis; sed valdè diversæ à primis, qui eam reliquerunt. Secundò respondeo, calorem esse causam instrumentalem ignis: habitus verò est caussa per accidens, quia sine illo fieri potest tota substantia actuum: at verò habitus infusus, & actus sunt caussæ & per se & principales: quæ propterea non possunt esse mutuæ, nisi sint vnivocæ. §. 15. 1. Obiectio *Resp.* *Resp. 2.*

Obijcies secundò, inter caussas æquivocas non posse esse mutuam caussalitatem adæquatam: posse tamen esse alteram adæquatam cum altera inadæquata. Item in caussa æquivoca potest reperiri aliqua formalitas respondens caussæ inferiori. Respondeo (quidquid sit de alijs causis, quod hic persequendum nolo) nullum esse locum huic vicissitudini: quia actus est imperfectior habitu per se infuso: quia supernaturalitas actus, vt supernaturalitas, oritur à principio §. 16. 2. Obiectio *Resp.*

S. Tho. q. 5. Art. 4. cipio in ordine supernaturali superiori; vt aliûndè pono: vnde habitus non potest esse ab actu, vt à caussâ adæquatâ; alia ergo caussa præter actum concurrit ad habitum producendum.

§. 17. Probo prætereà sententiam, quia habitus intensio est etiam per se infusa: ergo non acquiritur physicè actuum connaturali virtute. Probo antecedens, quia intensio est principium simpliciter necessarium ad efficiendum actum in intensione æquali: ergo est per se infusa: consequentia patet ex §. 21. omnis enim actus supernaturalis petit connaturaliùs oriri à potentia vitali completa intrinsecè; Deus enim solus per auxilium extrinsecum concurrit, nō præcisè vt caussa prima; sed supplens vices caussæ secundæ. Etenim Deus etiam cum habitu infuso concurrit vt causa prima in ordine supernaturali, concursu generali & communi in eo ordine: vndè cùm præter hunc generalem concursum præbet alium per auxilium extrinsecum; est iam concursus specialis, subrogatus pro concursu, qui præstandus esset ab habitu. Eâdem ratione maior actuum intensio petit oriri ab aliquo principio supernaturali creato: quod à solo Deo potest produci ex natura sua: hoc autem principium non solùm est habitus substantia; sed etiam intensio: ergo habitus intensio petit physicè produci à solo Deo: estque propterea per se infusa.

§. 18. Huic argumento respondebitur ægrè. Etenim si qua ratione actus producerent intensionem habituum; maximè cùm actus intensus producitur per auxilium extrinsecum: tunc enim posset habitum existentem intendere. Hoc tamen fieri non posse probatur: quia eadem ratione actus productus totus à potentia cum auxilio extrinseco posset novè producere substantiam habitus, & primum eius gradum. Remissus enim facilior est intenso productu: sed actus ita productus, non producit primum habitus gradum: quia aliquod principium creatum ponitur connaturaliùs ad producendū actum: debetque esse priùs ex natura sua in genere caussæ efficientis: ergo in eodem genere non potest ex natura sua produci per actum: ergo similiter nec habitus intensio potest esse actuum physicus effectus. Probo consequentiam: quia tàm per se pendet intensio actus ab habitu intenso, quàm actus ab habitu: productio autem per auxilium tàm per accidens est actuum intensioni, quàm substantiæ.

§. 19. Confirm. Confirmatur primò: actus non potest producere habitum se intensiorem; quia nec habitus actum; nec lux calorem: nec item potest producere habitum æqualem, aut inferiorem intensione: ergo nihil in habitu physicè producit: probo minorem; quia habitus non magis intensus est principium per se, & connaturaliùs necessarium ad actum; sed principium per se necessariū præcedit naturâ in genere caussæ efficientis effectum: ergo hic non potest illum producere. Quòd si habitus esset naturâ suâ indifferens, vt posset physicè actibus comparari, non esset per se infusus. Productio ergo per auxilium extrinsecum est præter naturam actus; volente Deo infringere leges habituum, & actuum: ac proptereà non possunt actus habitum producere; quia naturâ sua supponunt habitum; meritoriè verò habitum augeri nihil refert: quia actus meritorius oritur à suo principio connaturali, nempè, gratia sanctificante, & suo habitu: eius autem bonitate movetur Deus ad incrementum eorumdem habituum.

Confirmatur secundò, quia species impressa non producitur eo actu, quem ipsa producit, nec intenditur: ergo nec habitus. Liquet antecedens, quia ab obiecto per speciem impressam, & à potentia, pariter notitia: debet ergo potentia constitui, quasi fœcunda, & prægnans per speciem, ac cōplert proximè ad actum faciendum. Consequentiam probo: quia etiam habitus complet potentiam proximè non quidem ex parte obiecti; sed ex parte ipsius potentiæ: quæ per habitum infusum constituitur proximè in ratione principij activi se tenentis ex parte potentiæ. Discrimen solum est; quòd Deus numquam subrogat concursum loco speciei impressæ, nisi in visionem sui: subrogat autem eum habituum loco. At vt visio nullam producit speciem Dei impressam; quæ vel cognitionem intendere, vel producere possit; ita nec cæteri actus producunt habitum, à quo per se pendent. Nec visio facta auxilio extrinseco Dei supplente speciei locum, produceret, aut intenderet speciem coloris; qua ipsa posset, aut produci, aut intendi; ita nec actus possunt: quia vtrisque est præternaturalis productio per auxilium extrinsecum. §. 20. Confir. 2.

DISPVT. LXIII.

Quibus actibus fides comparetur?

OSTENDI disp. 57. §. 4. assensu supernaturali credendi priorem esse actum supernaturalē affe- §. 21.

ctionis

ctionis piæ: hoc autem affectu prius esse supernaturale dictamen prudentiæ dictans hic & nunc assensum: hoc dictamine prius esse iudicium supernaturale repræsentans eosdem actus fidei, & eorum honestatem: hos omnes actus ostēdi pertinere ad fidem, vt principia necessaria ad assensum; item vt partem fidei, vt pertinet ad genus moris, atque virtutis moralis, id est, voluntatis. Nūc oportet disquirere, quo genere actuum vtamur, vt Deus nobis ex gratia per Christum donet eos supernaturales actus; & doctrinam ea disp. 97. propositam enucleare penitiùs.

SECTIO I.

Utrùm pius affectus credendi fide infusa sit naturalis?

§. 2. *Lorca.* LORCA disp. 3. num. 5. ait, pium affectum credendi indubitanter esse supernaturalem quoad substantiam, etiam in primo actu, quo infidelis cōvertitur ad fidem. Quod probat primùm ex *Concil. Arausi.* Concilio Arausicano, cap. 5. vbi diffinitur initium, fidei ipsum credulitatis affectum esse gratiæ donū & nō naturale. Et Can. 7. & cap. 9. statuitur per naturæ vigorem non posse bonum aliquod spectans ad vitā æternam cogitari: rectam autem cogitationem ait esse muneris diuini. Secundò mouetur *2. Ad Corinth. 3.* ex 2. ad Corinth. 3. *non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis.* Tertiò *Trident.* ex Concilio Tridentino sess. 6. cap. 6. vbi definitur homines liberè moueri ad credendum in Deum excitatos diuina gratiâ & adiutos.

§. 3. *Torres.* P. Luisius disput. 46. dub. 6. §. *in hac controversia*, rectè docet sententiam hanc non esse tàm certam: quia certitudine euidentiæ minimè pollet: quis enim euidenter intuetur aut actum supernaturalem fidei, aut eius principia? item non est fide certa, quia multi Scholastici Doctores non agnoscunt actum supernaturalem quoad *Scot. OKam. Gabriel.* substantiā: Scotus eiusq; discipuli, itē OKamus, Gabriel & alij, cum quibus erit agēdū in disput. de gratia: vbi ex instituto disquiretur conceptus entis supernaturalis quoad substantiam eiusque species. Sunt prætereà alij admittentes actus fidei supernaturales quoad substantiam imperatos voluntate efficaci naturali quoad substantiam. Non est ergo ea sententia secundum fidem certa: nec opposita est aliqua censurâ Theologica digna.

Ad primum respondetur, inde concludi §. 4. necessitatem gratiæ per Christum, sine qua nullus disponitur ad credendum prout oportet ad salutem, vt constat etiam ex Tridentino sess. 6. cap. 6. & Can. 3. vtrùm autem illa gratia per Christum donetur ad actus supernaturales quoad substantiam; an verò naturales tantùm, nihil statuerunt Concilia abstinentia à Scholasticis argutijs, & decernentia necessitatem gratiæ per Christū, & imbecillitatem, impotentiamque naturæ relictæ viribus, quas habet post peccatum originale: sine gratia enim per Christum numquam possumus credere prout oportet; cum gratia possumus. Hanc gratiam esse principium actuum supernaturalium quoad substantiam, vbi definierunt Concilia? nec Paullus aliud voluit, præter necessitatem gratiæ per Christum.

Censeo tamen omnem actum voluntatis, §. 5. *Conclus.* quo efficaciter imperatur aliquis actus fidei infusæ, esse supernaturalem quoad substantiam: siue assensus sit primus, siue secundus. *P. Suarez. Molina. Torres.* Sententia est P. Suarez tom. 1. in 3. par. q. 7. in explicatione art. 3. & disp. 6. de fide, sect. 7. P. Molinæ in concordia quæst. 14. art. 13. disp. 8. fine, P. Luisij ea disp. 56. versu *quartò dicendum.* Missis compluribus argumentis, quibus nihil concluditur apertè: probatur *1. Prob.* primùm, quia obiectum huius actus est supernaturale quoad substātiam: sæpiùs enim ostendi affectum pium habere pro obiecto assensus supernaturales fidei: sed omne obiectum supernaturale, si proportionatè amatur, terminat amorem supernaturalem: sicut omne obiectū supernaturale terminat cognitionem supernaturalem: ergo illa voluntas est supernaturalis quoad substantiam. Item ostendendum est disputat. de gratia omnes actus supernaturales ita esse catenatos, vt nullo modo per se pendeant ab actu naturali, eâdemque ratione deduces affectum hunc supernaturalem oriri à cognitione etiam supernaturali quoad substantiam. Qualis autem sit hæc cognitio, disquiram.

SECTIO II.

Qualis cognitio præeat affectui pio?

NON consentiunt authores qualis §. 6. sit ea cognitio, quæ præit affectui pio. Eam esse supernaturalē quoad substantiam non est alia ratione certius, aut *Lorca.* incertius, quàm de assensu ipso. Lorca verò non

S. Tho. q. 5. Art. 4. non satis sibi censens statuisse suam sententiam pro indubitabili, censet solutionem redditam à me suprà §. 4. ea disp. 31. num. 6. doctrinam esse temerariam. Est tamen miranda eius authoris audacia, qua se proijcit contra tàm multos, & graves authores: cum quo hìc non est magis ex instituto belligerandum.

§. 7. Ipse autem ea disp. 31. num. 8. statuit iudicium prudentiæ supernaturalis, quod non habeat pro obiecto humana motiva & rationes, quibus manuducimur ad credendũ: habere tamen ait iudicium illud pro obiecto ipsum obiectum fidei. Hæc sententia est manifestè falsa: primùm, quia obiectum fidei, aut respicitur illo assensu per se, & immediatè; aut mediatè, atque per aliud? Si immediatè, iudicium illud est actus fidei formaliter, quia obiectum per se consideratur à sola fide. Si obiectum illud illo attingitur assensu mediatè, atque per aliud, opus est, vt assignet obiectum formale eius iudicij. Secundò, quia assensus fidei imperatur affectu pio tamquam obiectum per se efficaciter amatum: ea enim ratione fides est libera, quia volumus credere: ergo aliquod iudicium repræsentat hos actus credendi, alioqui nõ possemus eos velle: sed iudicium quod illos repræsentat, excitat voluntatem ad illos amandos per affectum pium: ergo iudicium illud non habet pro obiecto obiectum fidei; sed ipsos actus credendi, qui realiter distinguuntur à suo obiecto.

§. 8. Præterea non videtur admittere Lorca alium actum distinctum à prudentia: recensens enim actus necessarios ad credendum, non meminit alius ex parte intellectus necessarij. Quod quidem etiam est falsum: quia sola prudentia non proponit sufficienter obiecta virtutum, quas dirigit; sed præcisè repræsentat convenientiam, vt hic & nunc exerceantur. Exempli gratia, dictat prudentia amorem Dei, & actum misericordiæ, prudentia non contemplatur Deũ, aut honestatem misericordiæ: sequeretur enim fidem qua cognoscitur Deus non esse necessariam: nullumque esse iudicium supernaturale à prudentia distinctum. Requirit ergo amor Dei & proximi cognitionem à prudentia distinctam, quæ repræsentet bonitatem Dei, & misericordiæ honestatem; ita affectus pius requirit primum actũ intellectus supernaturalem, quo repræsentetur bonitas & honestas credendi. Præter hunc actum exigitur secundo loco dictamen prudentiæ præscribentis hic & nunc exercitium virtutis, quam dictat.

§. 9. Obiectio. Hoc iudicium videtur nonnullis difficile vt sit supernaturale, quia non habet supernaturale obiectum; censent enim illud terminari ad conditiones, & applicationes humanas. Item rogant, vtrùm sit evidens, an obscurum? Obscurum censent esse impossibile, quia omnis actus supernaturalis obscurus est fidei; hoc autem iudicium non est fidei, quia potiùs est principium assensuum credendi: evidens esse non potest, quia non experimur actus supernaturales evidentes. Quo argumento vtitur P. Luisius ea disput. 46. dub. 5. P. Luis.

§. 10. Respondeo, obiectum eius iudicij esse supernaturale: terminatur enim ad supernaturales assensus: quia repræsentat honestatem credendi absque formidine repertam in assensu supernaturali. Quamvis enim qui credit non habet evidentem cognitionem de possibilitate, & honestate assensuum supernaturalium: tamen evidenter cognoscit esse possibilem assensum fidei absque formidine, eumque esse honestum, & quia illud obiectum est materialiter, sive ex parte sui supernaturale; ideò confusè repræsentatur assensus supernaturalis per illud iudicium. Quod non terminatur ad humanas rationes; sed ad ipsos divinæ fidei assensus. Pater Suarez disp. 6. sect. 8. hac de re disserit latè. Adde circa obiectum naturale posse esse actum supernaturalem, vt sæpiùs ostendi. P. Suarez.

§. 11. Ad interrogationem respondeo, assensum esse evidentem de possibilitate, & honestate credendi absque formidine; quam evidẽtiam experimur: vtrùm autem ea sit supernaturalis, non deprehenditur experientiâ: inevidẽtem autem de supernaturalitate eorum actuum: non enim penetrat evidenter obiectum illud esse supernaturale: vt qui cognoscit rationale clarè, cognoscit animal confusè; quia est idem cum rationali. Nec propterea est actus fidei formaliter; quia non elicitur ab habitu fidei; nec habet eius obiectum; est tamen fidei reductivè; quia & habet fidem pro obiecto, & est principium immeditum affectionis piæ; quæ est pars fidei.

SECTIO III.

Vtrùm ea congnitio sit iudicium?

§. 12. P. Luisius. DIXI eum actum esse iudicium. P. Luisius ea disp. 46. dub. 5. & 6. censet affectum credendi esse supernaturalem, ortum tamen non à iudicio supernaturali; sed à sola simplici apprehensione supernaturali. Movetur, quia sic vitantur absurda

absurda nonnulla, quæ censentur esse in admittendo supernaturali assensu ante fidem. Contra hanc apprehensionem non agam ex instituto, ex eius impotentia ad movendam voluntatem liberè ad efficacem actum, & ex proprio eius conceptu. Primùm enim rogo, vtrùm sit evidens; an obscura? si evidens, determinat necessario intellectum ad iudicium evidens; ergo non solùm est apprehensio supernaturalis, sed etiam iudicium. Nec item experimur (vt ipsi aiunt) actus supernaturales evidentes. Si autem est obscura, contrà: quia nullus est actus supernaturalis obscurus (vt ipsi dicunt) nisi fidei.

§. 13. Respondebunt, iudicium supernaturale obscurum esse fidei, secus apprehensionem. Contrà: illa apprehensio petit naturâ sua oriri ab habitu per se infuso: præter species enim supernaturales petit potentiam proximè completam: quod complementum connaturalius est per habitum; ergo est aliquis habitus distinctus à fide, qui possit exercere vel actus supernaturales obscuros; vel etiã evidentes: cur igitur ille habitus nõ poterit exercere iudicium, aut evidens, aut obscurum de eodem obiecto?

§. 14. *Refel.* *Evasio.* Addo, non esse cur illa apprehensio sit supernaturalis ex parte obiecti, magis quàm iudicium: aut enim obiectum est naturale, aut supernaturale? si naturale, ergo vt ab eo est apprehensio supernaturalis, ita & iudicium. Si supernaturale: ergo iam habet iudicium illud ex parte obiecti, vndè sit supernaturale. Dicit P. Luisius ea disput. 46. dub. 5. versu *secundò obiici*: obiectum materiale eius apprehensionis esse supernaturale; quia est honestas credendi Deo per fidem; iudicium autem præter obiectum materiale, exigit formale, à quo sumit speciem. Contrà: obiectum ipsum apprehensionis potest esse formale obiectum iudicij: ergo ex eo capite non repugnat. Probo antecedens; quia honestas credendi Deo tàm est per se nota, quàm honestas iustitiæ servandæ: item proposita revelatione sufficienter, cognoscitur clarè obligatio credendi absque formidine: & vnusquisque evidenter experitur, ita se posse credere (quia præsto est gratia Dei): iudicium ergo illud immediatè terminatur ad honestatem credendi. *Luis.*

§. 15. Tandem apprehensio simplex sufficit ad excitandos simplices affectus etiam liberos in obiectum, quod proponit: quia ad hos non exigitur existentia obiecti, nec possibilitas; sed ipse conceptus apprehensus; item ad aliquos motus efficaces, indeliberatos tamen & subitos, sufficit vehemens apprehensio obiecti: dormiens enim interdum brachia iactat in aquam, quam per somnum apprehendit adesse; & bruta moventur ad gressum, & actiones alias; immò qui corripiuntur irâ, subitò sæpè moventur. Hoc præcisè docuerunt authores. At actus efficax deliberatus oriri non potest, nisi à iudicio: quia voluntas efficax libera ad faciendum aliquid, exigit iudicium de existentia, aut possibilitate obiecti: quia sine spe non possumus aliquid efficaciter, & liberè velle: formalis enim spes, aut virtualis est necessaria ad agendum: at sine iudicio & possibilitate rei, & sine probabili etiam coniectura, quòd erit, nec spes esse poterit; nec nos movere: de quo agendum disputationibus de spe.

§. 16. *Obiectio.* *Refel.* Quod obijcitur fore absurdum constituere in infideli actum aliquem supernaturalẽ, non videtur in hac sententia; quia apprehensio illa supernaturalis est: quæ in idem recidit absurdum. Item omnes ferè admittunt dictamen supernaturale prudentiæ ad efficaciter volendum credere: quod prius naturâ est ipso credulitatis affectu. Ratio est præstò: quia Deus vocat infideles sufficienter, cùm illis ritè proponuntur mysteria fidei: at gratia sufficiens esse non potest ad credendum, vt oportet, nisi detur ad supernaturalem credulitatis affectum: hic verò esse non potest absque præeunte iudicio supernaturali: ergo ad vocationem sufficientem exigitur supernaturalis assensus.

§. 17. Pone hæreticum à Deo vocari sufficienter; aut Catholicum extitari sufficienter ad assensum alicuius mysterij ab Ecclesia propositi: si dissentiatur vterque, peccat: itẽ est eo instanti in vtroque, & iudicium supernaturale, & voluntatis excitatio supernaturalis atque sufficiens. Alioquin nisi illo instanti adesset auxilium sufficiens, non peccaretur eo instanti contra fidem. Itaque tàm assensus Catholicus, quàm hæreticus dissensus componi possunt cum gratia sufficienti ad credendum vt oportet, & cum omni principio ad illam necessario: ergo in hæretico potest esse aliquis supernaturalis assensus. Authores negantes infideli actus supernaturales, loquuntur de illis, qui non sunt necessarij ad vocationem sufficientem ad fidem: cùm autem hæc non deficiat hæretico ipso instanti, quo discedit à fide, nihil mirum, in eo eum assensum reperiri.

SECTIO IIII.

Vtrum per actus naturales quoad substantiam possimus ad fidem recte disponi?

§. 18. QVA dixi §. 16. & 17. verissima consequitur nunc disquirere lubet, vtrū per actus naturales quoad substantiam possimus vltimò disponi ad fidem? Non est hæc quæstio, vtrum affectu naturali quoad substantiam imperari posit supernaturalis fidei assensus? iam enim dixi id repugnare; sed est quæstio, vtrum ante affectum supernaturalem credendi possimus per actus naturales donatos ex gratia per Christum, aut ex solo dono naturæ (hac enim de re non disputo nunc) vltimò disponi dispositione quasi physicâ; non verò meritoria, vt Deus nobis det affectum supernaturalem credendi cum iudicio, & dictamine supernaturali?

§. 19. Posset enim aliquis ita ratiocinari: cùm infidelis primum audit aliquid de fide, propositis eius rationibus, quibus manuducimur ad credendum, potest assensu naturali censere eas rationes esse satis prudentes ad extorquendum assensum: ex quo iudicio sequatur affectus etiam naturalis, quo bene disponatur in fidei mysteria. Deinde penitius considerata evidenti credibilitate mysteriorum, cognoscat assensu evidenti sibi obligationem inesse ad credenda ea mysteria absque formidine, & ex quo assensu liberè inferat naturalem affectum credendi absque formidine: & ex hoc affectu sequatur assensus fidei naturalis.

§. 20. Cùm autem exercetur affectus ille, potest considerari Deus infundens species supernaturales, & præparans auxilium extrinsecum ad efficiendum assensum supernaturalem, quo repræsentetur honestas credendi absque formidine: ex eo iudicio, & supernaturali dictamine prudentiæ liberè deducitur affectus supernaturalis credendi, quo imperatur supernaturalis etiam assensus fidei.

§. 21. Tota hæc actuum series mihi maximè placet, opinanti nunquam exerceri in via actum supernaturalem, quin simul naturalis exerceatur circa idem obiectum. Hos autem duos actus arbitror exerceri simul naturâ, neque alterum esse naturâ priorem altero: at verò non ita placet constituere actus naturales naturâ priores supernaturalibus. Ac propterea naturalis non est dispositio physic[...] aut moralis ad supernaturalem. Etenim [...] actus naturalis est prior naturâ supernatu[...], non est noua libertas ad exercendum [...]um supernaturalem: quia vt sit nova libert[...] opus esset, vt præstito assensu naturali po[...]mus supernaturalem cohibere, & cum assensu naturali cōponere assensum supernaturalem, aut eius carentiam. Hoc autem fieri nō potest; quia non est in nostra potestate separare alterū actum ab altero.

§. 22. *Obiectio.* *Solutio.* Obijcies, hac difficultate nos etiam vrgeri: quia etiam si non sit prioritas naturæ inter illos actus, est tamen illa inseparabilitas. Respondeo, disparem esse rationem: quia simultate naturæ illi duo actus sunt æquè liberi, & potest vterque esse, & non esse, quamvis non potest alter ab altero separari. At verò in casu, quem impugno, libertas per se primò versatur in actum naturalem, quem ponimus esse liberum in illo priori naturæ: facta hac suppositione, si Deus præstat concursum ad actum supernaturalem, non potest non exerceri: quia suppositio illa antecedens determinat voluntatem, vt operetur quantum potest circa illam: vnde secundus actus non habet novam libertatem distinctam à priori. Sequeretur inde totam rationem dispositionis moralis ad fidem infusam esse naturalem per se primò; consequenter autem & secundariò supernaturalem. Si autem sint actus comitantes, id nullo modo sequitur: quia neuter actus est dispositio ad alterum.

§. 23. Nec video cui serviat hæc naturæ prioritas: quamvis enim positis actibus supernaturalibus, iam non sit periculum componendi actum supernaturalem cum infidelitate: quia per affectū naturalem, iam consentit homo toti Ecclesiæ, à qua ex ea hypothesi dissentiri non potest: tamen nullum est absurdum esse in infideli actum supernaturalem distinctum ab actibus fidei; & necessarium ad vocationem sufficientem ad fidem: immò sæpe est necessarius: quia sine illo non potest esse gratia sufficiens ad perseverandum in fide: omnis autem hæreticus illum habet actum primo instanti, quo incipit esse hæreticus: quia tunc habuit gratiam sufficientem ad vitandam hæresim.

DISPVT. LXIV.

Leves nonnullæ quæstiones diremptæ.

§. 1. 1. Conclus. DICO primò: fides informis est caussa timoris servilis Dei: quia proponit voluntati ęterna supplicia, quę malis minatur Deus: quæ metu corripiunt homines, & à peccato fręnant. Item est caussa timoris filialis fides formata: quia per charitatem est homo Deo coniunctus affectu: fides verò repræsentat hanc coniunctionem posse separari: quod timet iustus ex affectu charitatis: item iustus non vult se æquari Deo: quia fides eum repræsentat incomparabilem: qui affectus est timor filialis. Quod observa ad probandum in Christo esse rectè, & propriè timorem. Fides autem movet ad hos affectus non aliter, ac cæteræ cognitiones in amorem, aut odium boni, aut mali, quod repræsentant.

§. 2. 2. Conclus. Actor. 15. Dico secundò: purificatio cordis est effectus fidei: probatur ex Actorum 15. *fide purificans corda eorum*: item impuritas est permistio cum rebus inferioribus, non cum superioribus: argentum enim mistum plumbo est impurum, mistum auro est purius: homo dum miscetur affectu rebus caducis est impurus; mistus cœlestibus est purior, quàm si illâ mistione careat. Sed fides est caussa, ne homo misceatur rebus caducis; & vt appetat æternas: ergo est caussa purificationis cordis. Item intellectum purificat; cùm abstrahat ab errore, quo mens deturpatur humana: intellectum purificat formaliter; voluntatem autem efficienter, aut quasi efficienter: quia Deus homini fideli parat gratiam sufficientem, multis verò & efficacem.

§. 3. 3. Conclus. Dico tertiò: est etiam donum supernaturale intellectus: quod respondet fidei. Hoc donum est ad rectè cognoscenda quædam principia supernaturalia, quæ intellectu penetrantur, componique potest cum fide: quia neuter actus est evidens; sed obscurus vterque. An verò hoc donum sit à fide distinctum, aut quid sit, non possumus hîc enucleare: spectat enim ad 1. 2. Hoc donum est præcipuè speculativum, & ex parte practicum, propter nonnulla obiecta materialia, ad quæ facienda dirigit intelligentem & à scientia ex S. Thoma distinguitur, quòd donum rectè accipit, & apprehendit obiecta supernaturalia; scientia verò fert rectum iudicium. Hæc omitto, quia non sunt hîc resecanda ad vivum: vol. tertio distin. 40. aliqua disseram de donis Christi.

DISPVT. LXV.

De infidelitate negativa.

SECTIO I.

Aliqua explanantur.

§. 1. S. Thom. SANCTVS Thomas quæst. 10. art. 1. bipartitur infidelitatem in negativam, & contrariam: negativa est, quando aliquis nihil cogitat de mysterijs fidei: v.g. non proponitur alicui revelatio Dei de mysterio Trinitatis: eiusmodi homo Trinitatē neq; negat, neq; fatetur: quapropter circa mysterium habet se merè negativè. Aliquādo verò homo potest assentiri, aut dissentiri alicui articulo revelato, penitùs ignarus revelationis Dei: hic habet etiā infidelitatem negativam: quia circa obiectum formale fidei nihil cogitat: errorque ille est materialiter contra fidem: id est, contra materiam fidei; non tamen formaliter: quia dùm non possumus de revelatione cogitare, non possumus agere cōtra leges fidei. Quemadmodùm nihil agimus ex fide, quamvis nobis persuadeamus aliquem eius articulum, nisi de revelatione & authoritate Dei cogitemus. Hæc infidelitas non est absolutè infidelitas: quia homo nihil agens contra temperantiam, non est intemperās. Dicitur autem infidelitas, quia est carentia fidei.

§. 2. Infidelitas contraria est dissensus articuli revelati, propositi sufficienter, vt revelati à Deo: dicitur infidelitas, quia & infert carentiam fidei, & est contra eius obiectum formale propositum sufficienter. Quæ infidelitas etiam sine carentia fidei habitualis constitueret hominem simpliciter infidelem: qui enim dissentitur, aut authoritati Dei, aut eius testimonio sufficienter propofito, peccat contra leges fidei: carentia autem habitus est pœna eius peccati, quando peccatum est hæresis.

§. 3. Ignorantia invincibilis est, quæ vinci nō potest, aut nòn debet: v.g. ego habeo ignorantiam invincibilem de primo Hispaniæ conditore: quia non possū, quantavis diligentiâ à me adhibitâ, scire, quis ille fuerit. Hæc ignorantia est physicè invincibilis: quia me deficiunt vires ad eam superandā.

S. Tho. q. 10. Art. 1. Hæc est omninò inculpata: quia non potest mihi vitio verti, quod non est in mea potestate. Possum item ignorare, quis fuerit primus conditor huius vrbis: non tamen teneor aliquo præcepto ad id sciendum; quamvis possum, adito libro de historia huius vrbis. Hæc ignorantia est physicè vincibilis: quia mihi suppetunt vires ad scientiam illi oppositam: est tamen moraliter invincibilis; non quòd habeam ego impotentiam moralem ad illam vincendam: possum enim illam facilè superare: sed quòd non teneor. Quæ enim mihi non sunt præcepta, perinde sunt in morali consideratione, ac si mihi essent impossibilia: quia illorũ omissio mihi non magis imputatur ad culpam, quàm si necessariò omitterem. Quæ ignorantia à Theologis dicitur simpliciter invincibilis: quia illi agunt de ignorantia, vt potest habere rationem culpæ.

§. 4. Ignorantia vincibilis est quæ potest & debet superari. Exempli gratia: dubitat aliquis an hodie sit sacer dies? potest scire an sit sacer; nec ne? tenetur item id scire, ne se exponat periculo violandi præceptum de audiendo sacro: si diligentiam, quam potest, & debet, non adhibet, & cum ea ignorantiâ, aut sacrum omittit, aut incumbit operi seruili, peccat contra leges religionis: & omissio diligentiæ ad superandam ignorantiam fuit peccatum; item & omissio sacri eam ignorantiam secuta: non disputo nunc, an sint duo, vnumve peccatum.

§. 5. Animad. Animum adverte, non esse ignorantiam vincibilem, quæ vinci quacumque ratione potest; sed eam præcisè, quæ superari potuit, & debuit, per considerationem obiecti ignorati. Exempli gratia, ignorat aliquis secretum aliquod Dei, aut Principis: quod secretum numquam in illius incidit mentem: cum hac ignorantia peccat iste contra Deũ, aut Principem: qui offensi peccato statuunt illi numquam aperire secretum. Hæc ignorantia vinci potuit absolutè: quia ignorans potuit absolutè non peccare, sic autem illi aperiretur secretũ: quia verò ignorans nihil omninò cogitavit, nec potuit de eâ ignorantia, non potest hæc illi esse culpata: omne enim voluntarium cognitum est actu, vel obligatione, & debito: vt explicui in definitione voluntarij. Quapropter hæc ignorantia est absolutè invincibilis; quia fuit involuntaria, nec potuit adscribi vitio: quemadmodùm sunt involuntariæ multæ pœnæ in specie, quas legis violator ignorat absq; culpa. Debet igitur ignorantia vincibilis esse cũ aliqua apprehensione obiecti; quod sciẽdum non curamus, videntes nos illud scire teneri: vt cùm mihi satis proponitur mysterium revelatum, & video me posse veritatẽ disquirere; insuper cognosco obligationem disquirendi: si diligentiam omitto, omissio & ignorantia sunt mihi voluntariæ, atque culpatæ. In hoc sensu disputo, an infidelitas negativa sit invincibilis.

SECTIO II.

Vtrùm posit esse ignorantia invincibilis mysteriorum fidei?

DICO primò: potest esse ignorantia invincibilis mysteriorum fidei formaliter, vt per fidem sunt cognoscenda. Aliqui articuli fidei possunt cognosci independenter à revelatione Dei, & Ecclesię prædicatione: quales sunt existentia Dei, turpitudo peccati, idque genus alia. Hæc vtrùm posint invincibiliter ignorari, non disputo: non est enim huius loci; sed disputo tùm de articulis, qui certò cognosci non possunt, nisi per Dei revelationẽ, & applicationem sufficientem; tùm etiã de omni articulo cognoscendo formaliter per revelationem. Quæ conclusio communiter docetur à Theologis: S. Thomas q. 10. art. 1. cùm disquirit vtrùm infidelitas sit peccatũ, distinguit infidelitatem negativam, & contrariam. Hanc dicit esse peccatum, secùs illã: quia, qui nihil audierunt de fide, excusantur à peccato infidelitatis; damnantur autem propter alia peccata. S. Thomam sequuti cæteri ferè Theologi: recognosce Dominicum Bañez in art. 1. dub. 1. Aragonem ibidem versu *sed contra*: Patres Valentiam disput. 1. quæst. 10. punct. 1. versu *his non obstantibus*, Luisium disp. 28. dub. 2. & disput. 50. dub. 1. versu *sed difficultas*: Gabrielem Vazquez in 1. 2. tom. 1. disp. 120. cap. 3. Thomam Sanchez lib. 1. operis moralis cap. 16. num. 32. Suarez disp. 15. sect. 1. num. 10. & alios, quos ipsi referunt, & sequuntur. §. 6. 1. Conclus. S. Thom. Bañez. Aragon. Valent. Luis. Vazq. Thom. Sanch. Suarez.

§. 7. 1. Probat. Ioann. 15. 22. Probatur primò ex Ioanne 15. 22. *Si non venissem, & loquutus eis fuissem, peccatum non haberent.* Quibus ostendit Christus Iudæos excusandos fore à peccato infidelitatis, si ipse eis non fuisset loquutus, confirmans fidem in ipsum tàm multis operibus, qualia nullus anteà fecerat. Sanctus Augustinus hunc locum explanans tomo 9. tract. 89. in Ioann. proponit quæstionem hanc, quã dirimit conclusione nostra, his verbis: *ad hac inquisita pro meo captu Domino, donante, respondebo, habere illos excusationem,* Augus.

non

non de omni peccato suo ; sed de hoc peccato, quòd in Christum non crediderunt, ad quos non venit, & quibus non est loquutus : sed non in eo sunt numero hi, ad quos in discipulis venit, & quibus per discipulos est loquutus.

§. 8. 2. *Probat.* Secundò probatur eadem sententia authoritate Pij V. & Gregorij XIII. qui in Bulla contra Michaelem Bayum damnant hãc eius propositionem sexagesimam octavam, quam ipse dixit, his verbis : *Infidelitas pure negativa in his, quibus Christus non est prædicatus, peccatum est.* Constat autem eas omnes propositiones in sensu rigoroso, quem earum author intendit, esse damnatas. Hæc autem non potest habere nisi sensum rigorosum. Hæc Bulla excusa fuit à P. Vazquez post Commentaria in Paullum : eâ autem Pontificum censurâ adempta est probabilitas sententiæ oppositæ, quã docuerant authores nonnulli his Pontificibus antiquiores.

Pius 5. Greg. 13. P.Vazq.

§. 9. 3. *Prob.* Tertiò probatur, quia revelatio Dei, & mysteria, quæ non possunt, nisi per illam, cognosci, neque sunt per se nota, neque deduci possunt ex per se notis ; neque possunt aliter cognosci, nisi aut per privatam revelationem factam alicui à Deo, aut factam alijs, & sufficienter prædicatam. Quod non obscurè docuit Apostolus 10. ad Romanos 14. *Aut quomodo credent ei, quem non audierunt ? quomodo autem audient sine prædicante ?* Etenim quæ non possunt solo rationis lumine cognosci, opus est, vt doceantur ab alio, qui ea acceperit à Deo.

Ad Roma. 10. 14.

§. 10. 2. *Conclus.* Dico secundò : inter fideles potest aliquando contingere ignorantia invincibilis alicuius articuli, quem tenemur credere: verbi gratia, potest rusticus invincibiliter ignorare mysterium Trinitatis, & Sanctorum communionem. Ita P. Vazquez 1. 2. disputat. 121. num. 3. P. Suarez disp. 15. sectione 1. num. 10. & alij. Probatur: quia potest esse aliquis ita rudis, vt non possit percipere vnitatem naturæ cum Trinitate personarum ; quia neque apprehendit, quid sit natura, neq; persona. Itẽ potest per aliquod tempus in agro degere, & incuriâ, aut oblivione Curionis non satis instrui: & sic non instructus potest, aut mori, aut in amentiam incidere: hæc autẽ quid repugnant? Sunt tamen perrara. Sic expono S. Thomam, Bonaventuram, & alios relatos à P. Vazquez ea disput. 121. cap. 1. loquuntur enim de eo, quod frequenter accidit : non autem de rarò contingenti. Eadem ratione potest aliquis degens inter hæreticos errare inculpatè in aliquo articulo fidei, quia propter exiguam eius doctrinam, & ruditatem, potest Magistris suis credere : quia illi non suppetit aliud medium, quo possit ignorantiam superare: neque illi occurrit aliqua suspicio de perversitate Doctoris: quemadmodùm nostri rustici possunt decipi.

P.Vazq. P.Suarez. Probatio. S.Thom. Bonavent.

SECTIO III.

Respondetur argumentis.

§. 11. ADRIANVS quodlibeto 4. art. 1. Gabriel in 2. dist. 22. quæst. 2. art. 3. dub. 1. & alij apud Patres Valentiam disp. 1. quæst. 10. punct. 1. & Vazquez 1. 2. disput. 120. cap. 1. & 2. (vndè eos descripserunt recentes nonnulli:) inclinant in oppositam sententiam. Moventur primo Apostoli authoritate ad Rom. 10. 18. *in omnem terram exivit sonus eorum* : vndè argumentantur : in omnem terram egressa est prædicatio Apostolica adeò, vt inexcusabiles sint, qui non credunt in Christum : ergo nulli est excusatio de infidelitate. Antecedens patet, quia Apostolus accusat infidelitatem Iudæorum, qui non credebant in Christum, vt constat ex versu 19. *nunquid Israel non cognovit?*

Adrian. Gabriel. Valent. P.Vazq. 1. Arg. Ad Rom. 10. 18.

§. 12. *Resp.* Respondeo, eo testimonio nihil cõtra nos concludi. S. Thomas lect. 3. docet tempore Apostolorum pervasisse prædicationẽ Evãgelicam in omnes Provincias Orbis, & in singulis radices egisse fidem Christi: at verò eam nõ pervenisse ad singulos homines, qui invincibiliter potuerunt ignorare legem. Quod sufficit instituto nostro. Et quidem Evangelium per Apostolos prædicatum in Orbe vniverso docuerũt S. Chrysostomus, & alij apud S. Thomam : author Commentariorum Epistolæ ad Rom. in operibus S. Ambrosij : Tertullianus adversus Iudæos: vbi recenset omnes Provincias Orbis, in quibus colebatur Christus. His consentiunt Glossa interlinearia & Lyrana.

S.Thom. Chrysost. Tertull. Glossa.

§. 13. *S. Aug.* S. Augustinus tom. 2. epist. 80. docet non modò tempore Apostolorum ; verùm nec suo, omnes Provincias audivisse verbũ Dei: multas enim barbaras eius fide caruisse, docet constare ex Romanorum captivis, quorum auribus nunquàm insonuerat Christus. Augustinum sequuti sunt S. Anselmus, P. Salmeron tom. 13. disp. 34. versu *quarta dubitatio*, & alij censentes Paullum non loquutum solùm de præterito ; sed etiam de futuro : vsurpat enim Davidica verba, quæ de futuro erant, non de præterito. Vide P. Pereyram in eum locum disput. 4.

S. Ansel. P.Salmer. P. Pereyr.

Huic tamen expositioni Augustini obstat primùm, argumentationem Paulli esse inefficacem, nisi de præterito vsurpentur verba:

S. Tho. q. 10. Art. 1. verba: volens enim ostendere non posse excusari Iudæos, aut etiam Gentiles, ab infidelitate in Christum, vtitur eo testimonio: quod comparatione Davidis fuit prophetia de futuro: quâ, nisi iam completâ, non posset vti Paullus, quia antequam Christus sit re ipsa alicui prædicatus, excusatur ab infidelitate, qui in eum non credit. Respondet Pater Salmeron iam tunc fuisse prædicatum in præcipuis orbis partibus, in quibus excusationem non habent Iudæi. Contra: id non colligitur ex Apostolo magis, quàm prædicatio in toto orbe: quia Apostolus de toto orbe vsus est testimonio, non distinguēs in qua parte vtentur de præterito; in quâ verò de futuro. (P. Salmer. Resfo. Refel.)

§. 15. Obest secundò testimonium eiusdem Apostoli ad Colos. 1. 6. *Verbum Dei in vniverso mundo fructificat, & crescit, sicut in vobis.* Quod testimonium etiam de futuro explicat Augustin. ibidem. Quod subdurum videtur. At verò ad Roman. 1. 8. non potest sic explicari Paullus: *quia fides vestra* (inquit) *annunciatur in vniverso mundo.* Quod non intelligitur de futuro: quia Apostolus commendat Romanorum fidem ab illius fama per totum orbem vulgata. S. Chrysost. Theodoretus, OEcumenius, Theophilact. & Pseudo Hieronymus sine hyperbole accipiunt Apostoli testimonium. Alij verò è contrà. Quemadmodum & hoc, quod exponimus ex cap. 10. hyperbolycè accipiunt & per synecdochen Patres Iustinianus & Cornelius, secuti Cardinalem Toletum annotatione 11. accipitur enim *orbis* pro præcipuis, & maximis eius partibus. (Ad Colos. 1.6. — Ad Roma. 1.8. — Chrysost. Theodore. OEcume. Theophil. Pseud. — Iustinian. Cornelius. Card. Tol.)

§. 16. Ego existimo tempore Apostolorum sufficienter fuisse prædicatum Christum in omnibus provincijs Romanorum imperio subiectis: quas provincias vocat Apostolus vniuersum mundum: quia Romanum imperium omnibus ferè provincijs tunc cognitis iura dabat. Imperium Romanū vsurpari in novo testamento pro orbe vniuerso cōstat ex Luca 2. 1. *Exijt edictum à Cæsare Augusto, vt describeretur vniversus orbis.* At verò in orbem non subiectum, non exijt Cæsaris edictum: forte Romani se appellabant Dominos orbis, tùm propter præcipuas eius partes, quibus dominabantur: tùm etiam propter iactantiam: omnes autem eas provincias admisisse legem Christi ante exicidium Hierosolymitanum, testis est Hegesippus apud Strabum in hunc locum. Theodoretus autem, & Pseudohieronymus in cap. 1. ad Romanos, docent Romanorum fidem versari iam in ore totius orbis, quia Româ egrediebantur Magistratus Romanum orbem administrantes: item illuc confluebant omnes subiecti. Sic dixit elegāter S. Leo à nulla natione posse ignorari legem, quem Roma susceperat. (Luc. 2. 1. — Hegesipp. Theodore. Pseudo.)

§. 17. Ita compono S. Chrysostomum, & Augustinum: primus loquitur de toto orbe Romano: secūdus de toto orbe absolutè. Quod autem dixit Augustinus aliquos barbaros nihil audivisse de Christo, non obest: quia illi nondùm erant subiecti Romanis. E quibus constat non repugnare ignorātiam invincibilem Christi: tùm quia in orbe Romano non omnes homines sufficiētер audiverant Christū: multi enim barbari, & agrestes, & à civili cultu maximè alieni, nihil audiverant, vt docet S. Thomas: tùm etiam, quia novus orbis, quem Hispania à regno Ferdinandi, & Caroli Quinti aperuerunt, adeò fuit antiquis occultus, vt S. Augustinus, cum cæteris geographis, censuerit torridam Zonam esse inhabitabilem: quam tamen nostri Hispani penetrarunt, & Indos in ea habitare compererunt. Hi nihil omninò audierunt de Christo ante hæc tēpora. Præter hos neque Iaponi aliquid vnquam audierunt: quibus primus lucem attulit Euāgelicam, magnus ille Iaponorū Apostolus S. Franciscus Xavierus nostræ Societatis secundus parens: constat autem ex eius historia eum à Iaponis rogatum, cur tàm longis sæculis deserti fuerint à Deo, vt ne verbum audierint de eius lege? (Chrysos. Austin. — S. Thom. — S. Franc. Xavier.)

§. 18. 2. Argu. S. August. Secundò moventur authoritate S. Augustini tom. 7. lib. de gratia & libero arbi. cap. 3. his verbis: *Sed & illa ignorantia, quæ non est eorum qui scire nolunt; sed eorum, qui tanquam simpliciter nesciunt, neminem sic excusat, vt sempiterno igne non ardeat.* Respondeo, oppositum ab Augustino sentiri: distinguit enim duas ignorantias: alteram, quæ est præcisè nescire; alteram, quæ est nolle scire. Hæc secunda ignorantia neminem excusat: excusat autem prima omninò à peccato infidelitatis, à cæteris autem peccatis, quæ contra dictamen rationis committuntur, non excusat quidem; est tamen in caussa, vt mitior pro illis infligatur pœna: subijcit enim Sanctus Augustinus: *Neminem sic excusat, vt sempiterno igne non ardeat, si propterea non credidit, quia non audivit omninò quod crederet; sed fortassis, vt mitiùs ardeat:* quæ expositio, & quadrat in hoc testimonium, & est ipsius Sancti Augustini adducti §. septimo, tomo nono, tract. 89. in Ioannem his verbis: *Respondebo, habere illos excusationem, non de omni peccato suo; sed de hoc peccato, quòd in Christum non crediderunt:* quam expositionem atque doctrinam amplectitur S. Thom. quæstione decima art. 1. (Responde. — S. Thom.)

§. 16. 3. Argum. S. Prospe. Adducunt præterea S. Prosperum lib. 2. ca. 5. & 6. de vocatione gentiū his verbis, qui

qui de quibuscumque nationibus, quibuslibet tẽporibus, Deo placere potuerunt, spiritu gratiæ Dei fuisse discretos: quæ etsi parcior antea, atq; occultior fuit, nullis tamen sæculis se negavit.
Resp. Respondeo, S. Prosperum loquutum non de cognitione per fidem: hæc enim non fuit proximè concessa omni nationi; sed illi, qui Deo placuerunt, donati sunt fide, non propter eorum merita; sed quia ipsi cum gratia Dei fecerunt, quod erat in se: ait enim cap. octavo, vnicuique datam gratiam secundum propriam, & naturalem possibilitatem: non autem secundum proprium meritum. Item cap. 4. ostendit, qualis cognitio fuerit cæteris gentibus, nempè, quam poterant accipere ex naturalibus significationibus, his verbis. *Cælum quippè ac terra, & mare, omnisque creatura, quæ videri, atque intelligi potest, ad hanc præcipuè disposita est humani generis vtilitatem: vt natura rationalis de contemplatione tot specierum, id experimentis tot bonorum, de perceptione tot munerum, ad cultum, & dilectionem sui imbueretur authoris.* Voluit ergo S. Prosper nullum à peccato excusari, quia omnes potuerunt illud vitare cum gratia Dei, quæ præsto fuit omni nationi, & singulis hominibus: qui non damnantur propter peccatum infidelitatis, quia illud non committunt, qui nihil de fide audiunt. Propterea dixit lib. 1. cap. 5. *vndè & inexcusabiles facti sunt, quia Deos sibi dona fecerunt: & quæ creata erant ad vtendum, venerati sunt ad colendum.* Non dixit homines inexcusabiles esse, quia non crediderunt; sed quia dona, creaturasque Dei coluerunt pro Deo.

§. 20. Argum. Ratione argumentantur: omnis homo tenetur credere articulos simpliciter necessarios ad salutem: ergo peccat per illorum ignorantiam. Antecedens probant primò, quia omnis homo tenetur ad ea, sine quibus non potest obtinere salutem: quia salutem tenetur quærere: tùm etiam, quia si carent fide, est propter illorum culpam: si enim fide carent, est, quia propter peccata Deus illos punit privatione fidei.
Resp. Respondeo negato antecedenti de obligatione proxima; quæ nulla est, quando nihil cogitant homines de supernaturali salute: quam non possunt vestigare sine prædicatore, aut revelatione Dei: vndè illius omissio est omninò illis involuntaria, purè naturalis, & non humana; obligatio autem remota, quæ est in ipso præcepto, non sufficit ad peccatum, nisi de lege cogitetur, aut saltem de eius obiecto. Ad primam probationem respondeo, singulos homines teneri ad salutem, vt eam possunt cognoscere; non verò ad eam, quam cognoscere nõ possunt. Quapropter tenentur omnes ad vitanda peccata, quæ sunt contra omnem animi salutem: peccata, inquam, quæ rationis lumine cognoscuntur. Ad secundam probationem respondeo, illam pœnam carentiæ fidei, non esse infideli voluntariam in specie: quia non potuit de illa cogitare: at propter suam culpam habet illam pœnam; quæ tamen illi non affert aliquam circumstantiam gravioris peccati, quàm si non esset, vt constat ex §. 5.

Potuerunt quidem omnes consequi salutem supernaturalem: non quòd de illa aliquid cogitaverint; sed quòd potuerint servare legem naturalem: ad cuius observationem vires habuerunt sufficientes ex gratia per Christum: per eam enim, vel per aliud speciale beneficium Dei potuerunt servare legem: alioquin non peccarent illius violatione: facienti autem quod est in se Deus non denegat gratiam. Quod adagium Sanctus Thom. in cap. 10. ad Romanos, lect. 3. rectè explicat de faciente quod est in se cum gratia Dei: quod quidem sic est intelligendum: vtrùm autem Deus infallibiliter donet gratiâ facientem quod est in se solis naturæ viribus, non est huius loci. Certum est singulos peccatores habere sufficientes vires ad vitanda peccata: quibus vitatis, fide illustrarentur à Deo: non quidem propter illorum merita: nulla enim præeunt fidei; sed quia removissent iam omnia impedimenta ad salutis initium, quod est fides. Quibus omnia argumenta soluuntur, quæ fusiùs referuntur à Patre Valentia disput. 1. quæst. 10. puncto 1. §. 21. S.Thom. in cap. 10. ad Rom.

DISPVT. LXVI.

De infidelitate contraria.

SECTIO I.

Infidelitatem esse peccatum ex Scriptura probatur.



BIFARIAM potest aliquis dissentiri Deo: primũ si sibi persuadeat, non esse credendum eius testimonio, quia potest esse falsũ, quæ persuasio est contra authoritatẽ Dei: falsitas enim testimonij oritur, vel ex inscitia loquentis, sibi persuadentis rem aliter, atque est: vel ex voluntate mentiendi, qua vult dicere rem aliter, §. 1.

S. Tho. q. 5. Art. 3. aliter, atque eam sentit. Huius persuasionis malitiæ satis liquet: qui enim sibi persuadet Deum esse inscium, gravem illi facit iniuriam: qui autem sentit Deum esse mendacem, Deo vitium imponit: vt ostendi cōtra Robertum HolKotum disp. 18. Prætereà potest aliquis dissentiri Deo, negans nō eius infallibilem veritatem; sed existentiam testimonij divini, asserens Deum non esse testatum rem, de qua agitur: huius actus malitia non est tàm clara, quàm primi.

§. 2. Num. 20. 24. Vtramque autem esse peccatum constat ex Scriptura: Numer. 20. 24. *non intrabit terram, quàm dedi filijs Israel, eo quod incredulus fuerit ori meo.* Incredulitas autem Aaronis, non tàm videtur fuisse de existentia revelationis; quàm de eius veritate, vt colligitur ex versu 12. vbi Deus reprehendit Moysen, & Aaron, quòd non crediderint ipsi: at satis apertè illis fuit loquutus: cum constet illis apparuisse gloriam Dei, & ibi Deum ipsum cum Moyse locutum. Item eodem cap. versu 10. reprehēdūtur Israelitæ: *Audite rebelles, & increduli:* vbi duo illis exprobrātur peccata, & rebellio in Moysen, & Aaronē; & infidelitas in Deum. Num. 20. 10.

§. 3. Christus Dominus accusat infidelitatis Iudæos, non quòd negaverint authoritatem Dei; sed quod sibi persuaserint testimonium Christi, non esse testimonium Dei: cùm tamen id confirmasset Christus tàm multis operibus, qualia non fecisset vllus: operibus item ipsis credendum voluit Christus. Quapropter S. Ioannes cap. 12. 37. iure miratur Iudæorum in credendo duritiem, *cùm autē tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum*: & versu 40. *excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum, vt non videant oculis, & non intelligant corde, & convertantur, & sanem eos*: hoc autem grave fuisse peccatum constat ex adductis verbis, & ex versu 43. cum enim retulisset nonnullos Principes Pharisæorum noluisse confiteri Christum, ne è Synagoga truderentur, ait, *dilexerunt enim gloriam hominum magis, quàm gloriam Dei.* Ioan. 12. 37. & 40. & 43.

§. 4. Ioann. 25. 22. Ipse Christus apud Ioannem 25. 22. *si non venissem, & loquutus fuissem eis, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo. Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.* Hoc peccatum esse incredulitatem, constat ex Augustino adducto disputat. 65. §. 7. & ex communi Patrum consensione. S. Aug. Et quamvis Rupertus censet peccatum illud esse odium in Christum, non obest expositioni communi: odium enim conceperant in Christū, quòd se diceret filium Dei: à quo possent excusari ignorantia testimonij Dei: vt autem Christus ostendat eos nullam excusationem habere, eam ignorantiam esse culpatam probat ex operibus, & doctrinâ suâ: erant enim tàm aperta argumenta revelationis Dei, vt id non possent absque culpa ignorare.

Item Ioannes 3. 18. *qui autem non credit, iam iudicatus est, quia non credit in nomine vnigeniti filij Dei*, id est, iam condemnatus est apud Deum, & habet in se caussam damnationis. §. 5. Ioan. 3. 19 Marci 16. 16. *qui vero non crediderit condemnabitur.* Marc. 16. 16. Idem constat ex Paullo cap. 11. ad Romanos: versu 20. & 23. cap. 3. ad Colossen. versu 6. epist. 1. ad Thimot. cap. 1. versu 13. ad Hebræos 12. 13. *videte fratres, ne sit in aliquo vestrum cor malum incredulitatis discedendi à Deo vivo*; Ad Hebr. 12. 13. & versu 19. *Et videmus, quia non potuerunt introire propter incredulitatem*: idem docet cap. 4. versu 6. & 11. Sanctus Ioannes epistola 1. cap. 5. versu 9. *qui non credidit filio, mendacem facit eum.* 1. Ioan. 5. 9. Et epistola 2. versu 9. *Omnis qui recedit, & non permanet in doctrinâ Christi, Deum non habet: si quis venit ad vos & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, neque ave ei dixeritis. Qui enim dicit illi ave, communicat operibus eius malignis.*

Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 15. ostendit peccato infidelitatis non solū gratiam; sed etiam fidem amitti, quæ veritas adeò est perspicua, vt nec hæretici eam negaverint, quamvis nonnulli censuerint, nullum esse peccatum, fidem negare in tormentis. §. 6. Triden. 6. cap. 15.

SECTIO II.

Idem ratione probatur.

DIFFICVLTAS est an sit peccatum negare existentiam revelationis, quando sufficienter prædicatur: exempli gratia, an non credere revelationem, quando vel ab Ecclesia proponitur, vel à Deo miraculis confirmatur, sit peccatum. §. 7. Et quidem peccatum esse dubitari non potest. S. Thomas quæs. 10. art. 1. id probat, quia fides est virtus; contra quam est infidelitas; sed omnis actus contra virtutem est peccatum: ergo infidelitas est peccatum: S. Thom. vt hoc argumentum vim habeat probanda est maior propositio: quod præstari facilè potest. Minor autem propositio est probatu difficilior. Multæ enim sunt virtutes, quarum violatio non est peccatum: quia ipsæ non sunt virtutes in præcepto positæ, sed in consilio, & supererogatione, (vt aiunt) qualis est virginitas, paupertas voluntaria, & aliæ. At licet aliquis faceret contra virgi-

nitatem

nitatem iniens matrimonium honestam ob caussam, non peccat: ergo non est peccatũ omnis actus contra aliquam virtutem.

§. 8. Obiectio. Dicet aliquis, posse etiam esse peccatum contra virtutem supererogationis: quia omnis virtus cõstituit aliquam ordinationem: facere autem contra eam ordinationẽ, non potest non esse peccatum: qui verò matrimonium init, non facit in esse moris cõtra ordinationem virginitatis; sed tantùm in esse naturæ: quia destruitur materia, circa quam versatur habitus virginitatis. Contra primùm: quia oppositio libera circa materiam alicuius virtutis non solùm est in esse naturæ; sed etiam in esse moris: sed matrimonium est oppositio libera cum materia virginitatis: ergò est oppositio in esse moris. Maior probatur: quia oppositio libera, moralis, & in esse moris idem sunt. Genus enim moris, & genus libertatis sufficientis ad meritum, atque demeritum idem sunt: opponitur item oppositio libera cum naturali: quia hæc fit sine deliberatione; illa verò cum sufficienti: aut quâ aliâ ratione est oppositio in genere moris, nisi libere volendo aliquid, quod opponatur alicui virtuti?

Refell.

§. 9. Secundò: virtus supererogationis constituit quidem ordinationem: dirigit enim in honestum finem aptum ad perfectam æternæ vitæ consequutionem: quod est aliquem ordinare in Deum: hæc autem ordinatio non est necessitatis; sed consilij. Quapropter agere libere contra hanc virtutem, non est agere contra ordinationem aliquam, nec est simpliciter deordinatio: deordinatio enim absolutè sumpta sonat aversionẽ ab vltimo fine per peccatum mortale, item & impedimentum per veniale: agere autem contra virtutem consilij, non est peccatum mortale, aut veniale: possumus enim huiusmodi virtutem omittere honestas ob caussas: vt matrimonium iniri potest ob finem bonum; & retineri facultates; primo amittitur virginitatis virtus, saltem quoad denominationem, & statum virginitatis; secundo amittitur paupertas voluntaria. Est autem hæc deordinatio privativa, id est, carentia perfectioris ordinationis.

§. 10. Tandem potest liberè fieri contra virginitatem in esse naturæ; quin actus ille sit contra virginitatem in esse moris; qua ratione actus ille non est peccatum: ergo eâdem ratione poterit libere fieri contra fidem in esse naturæ, quin & in esse moris, neque actus ille erit peccatum. Probo consequentiam: quia S. Thom. præcipuè argumentatus est ex conceptu virtutis, vt inde probet infidelitatem esse peccatum; sed potest liberè fieri aliquid contra virtutem in esse naturæ, quin sit peccatum: ergo ex solo conceptu virtutis nõ repugnat fieri aliquid liberè contra fidem sufficiẽter propositam, quin sit peccatum. Et quemadmodum potest aliquis rectè consideratâ virginitate, dicere sine peccato, nolo virginitatem servare, sive nolo esse virgo: ita poterit dicere sine peccato, nolo credere hęc mysteria sufficienter proposita, sive nolo esse fidelis. Sin assignandum est discrimen inter fidem, & virtutes supererogationis,

§. 11. 2. Solut. Contra. Dices secundò, non posse esse honestum finem in non volenda fide, sicut potest esse in non volenda virginitate, Rogo id vnde probatur? Potest enim aliquis retinere facultates, vt sine molestia, & difficultate mẽdicandi posit vivere in obsequium Dei: ita potest velle non credere, vt sine difficultate, & molestia credendi posit vivere in obsequium Dei; sicut potest velle à litteris vaccare propter studij molestiam. Video odiũ in obiectum virtutis secundùm se esse malum: ac propterea peccare, qui odio habet paupertatem, aut virginitatem: sic erit peccatum odium fidei: at verò, vt possumus absque odio in paupertatem, & absque peccato retinere divitias, matrimonium inire, & non studere; ita possumus absque odio in fidem ab illa vaccare. Duo ergo præstanda supersunt: alterum fidem esse virtutem: alterum illam esse virtutem præcepti, & non consilij tantùm: vtroque autem probato firmabitur Thomistica argumentatio.

SECTIO III.

Fides est virtus voluntatis.

§. 12. SÆPIUS ostendi voce *fides* includi, & assensum intellectus, & affectionẽ piam voluntatis. Item ostendi disput. 55. assensum fidei esse virtutem intellectus, sive intellectualem: nunc autem probandũ est eumdẽ assensum esse actum virtutis moralis, sive spectantis ad mores. Dixi affectũ pium credendi habere pro obiecto ipsos actus, & assensus fidei: quemadmodum affectus misericordiæ habet pro obiecto levamen inopis, & externas actiones ad illud vtiles. Vestigandum nobis est vtrùm illi assensus fidei sint consentanei naturæ rationali: quemadmodũ sunt consentaneæ actiones externæ levatrices inopiæ: si enim constiterit eas actiones, & actus esse consentaneos; constabit inde habitum volũtatis eos actus propter ipsos volentem, esse virtutem moralem: vt est habitus volens inopis levamen propter ipsum: quod si hæc honestas

S. Tho. q. 5. Art. 4. actuum nobis est præcepta, habitus illam volens erit virtus præcepti, & non consilij solùm.

§. 13. Conclus. 1. Prob. Dico igitur eiusmodi assensus fidei esse honestos, & habitum circa illos esse virtutem. Probatur primùm: quia illi assensus sunt consentanei naturæ rationali: ergo sunt honesti. Consequentia patet ex disp. de actibus humanis, & de peccatis: vbi latè probavi rationem honestatis consistere in consonantia obiecti cum natura rationali; malitiæ autem in dissonantia: sive huic consonantiæ, & dissonantiæ necessariò accedat, sivè non, præceptum, aut prohibitio Dei. Antecedens probo, quia assensus illi sunt magna intellectus perfectio: quia sunt cognitiones certæ, supernaturales, & initium fugiendi peccata, & amandi virtutes, quorum supplicia minantur, & præmia proponunt: perfectio autem intellectus est maximè conveniens naturæ rationali, vt rationali. Quapropter studiositas est ex obiecto virtus: quia eius obiectum est intellectus cultura: quæ, nisi aliundè vitietur, honesta est. Quòd si aliquando carpitur à Sanctis, non est, quia per se amatur; sed sinistros ob alios fines curiositatis inutilis, aut ostentationis inanis: velle autem intellectũ perfectum habere, est per se honestum, & principium colendi, & diligendi Deum. Quod de habitibus supernaturalibus non potest esse dubium, quia magis accedunt ad perfectionem divinam: habent enim Deum nõ modò authorem communem; sed etiam privatum, cuius sunt speciale germen.

§. 14. 2. Probat. Secundò probatur: quia humana vita non potest sine fide etiam naturali administrari: nisi enim aliquis credat, vix potest vivere: credendum est enim me esse Bernardini filium; alioquin nec eius hæreditatem possum inire, nec ex illo nobilitatem probare, & immunitatem à tributis. Credendũ est item hunc hominem esse Regem: cui aliter obediri non potest, & alia id genus infinita, sine quibus nullum potest esse commercium, nulla inter homines conventio, corruit politia civilis, & politicarum virtutum exercitatio. Quòd si humana fides tàm multis exposita errandi periculis, tàm necessaria est, & conveniens naturæ rationali, nonne erit longè convenientior divina fides, immunis ab omni errandi periculo: qua credimus, non homini; sed ipsi Deo loquenti: cum quo mutuam societatem, & commercium inimus?

§. 15. Confirm. Explicatur: veracitas ideò est consentanea naturæ rationali, quia sine illa cessant commercia, & actiones vniversæ, quas homo in alios exercet: ideò enim mendacium est peccatum; quia loquens redditur incredibilis; diruitque fundamenta vitæ civilis: quia enim homo non potest rebus omnibus adesse, neque illas per se cognoscere; indiget aliorum adminiculis: vt ex ipsorum sermonibus, & scripturis cognoscat, quæ per se non potest: quòd si quis alium linguã, aut calamo decipiat, deceptus non sciet; sed ignorabit, & errabit, neque audebit deinceps ei credere, quem est mendacem expertus. Ob eumdem finem necessaria est etiam fides, quæ in audiente respondet veracitati dicentis: quid enim prodest veracitas, si desit fides? Et quemadmodùm est contra virtutem mentiri; ita & dissentire loquenti, quando non est probabilis ad tergiversandum ratio: & quemadmodùm dici rem aliter, atque sentitur, est peccatum mendacij: ita dissentiri, quando oportet credere, est peccatum incredulitatis.

Hæc de fide in communi: divinam autem commendant complurimæ vtilitates, quibus est naturæ rationali maximè apta. Etenim per illam Deus nobis fit familiaris: per illam percipimus eius verba, & ipse nobis ostendit, quid sibi placeat, quidque displiceat: quid honestum sit, quid turpe: quid nobis agendum, quid fugiendum. Præterea est initium salutis: ab illa enim incipit iustificationis series: per illam cognoscimus Deum aptè ad amorem supernaturalem, & spem: item & æterna supplicia, ob quorum terrorem vitam componamus ex præscripto rationis. Quæ omnia ostẽdunt apertè supernaturalem fidem esse maximè consentaneam naturę rationali, vt rationali: ac propterea habitus voluntatis amans fidem propter ipsam, est actus honestus, atque virtutis. §. 16.

SECTIO IIII.

Fides est virtus præcepta.

PROBANDVM superest, fidem ita esse in præcepto, vt non possimus absque peccato gravi illius violare leges: de quo argumento copiosè disserit P. Suar. disp. 13. Primùm, quia interdùm contingit dissensum contra fidem humanam esse peccatum grave. Si enim ego mihi persuadeam absque fundamento probabili plures, aut vnum hominem gravem mihi mentiri, est iudicium temerarium incredulitatis, directè pugnans cum legibus humanæ fidei: quæ me adstringunt, ne mihi tale persuadeam de viro gravi. Immò quamvis non mihi persuadeam eum mentiri; §. 17. P. Suarez.

tiri; sed tantùm esse deceptum, adhùc hoc non possum licitè sentire multis in casibus: verbi gratia, cùm ipse testatur se oculis aliquid vidisse: non possum mihi persuadere illum esse deceptum; neque velle ab ipso me decipi. Quòd si ipse mihi testetur, se vidisse adventare hostem: & ego propter incredulitatem non munio vrbem, nec militem accerso, neque expedio arma: tunc admitto duplex peccatum, alterum contra charitatē vrbis; alterū contra fidē humanā: quemadmodū quando carnibus vescor contra legem ieiunij, frequenter pecco contra temperantiam, item & contra legem Ecclesiasticam: ergo eâdem ratione peccabo contra leges fidei infusæ, si dissentior eius obiecto proposito sufficienter. Probo consequētiam, quia strictiùs ligant infusæ fidei leges, quàm humanæ: quemadmodùm pietas in Deum nos magis adstringit, quàm in hominem, propter discrimen inter Deum benefacientem, & hominem: idem discrimen est inter Deum loquentem, & hominem.

§. 18. 2. *Arg.* Secundò probatur: quia Deus habet ius, vt illi credamus: & vt non solùm nobis persuadeamus illum esse veracem; sed etiam ea testificari, quæ nobis satis proponuntur, vt ab ipso testata: quia, nisi id nobis ita persuadeamus, non possumus facere, quod ipse iubet: nec cognoscere, quæ ipse velit à nobis fugienda, aut amanda: cùm autem Deus sit nostri perfectè Dominus, cui parere tenemur: & hæc ratio illi credendi sit ab ipso instituta, & ex se sufficiens ad extorquendam fidem; ius habet ipse, vt nobis hac ratione persuadeamus existentiam divini testimonij. Sed violare hoc ius, est apertè prohibitum ipso iure Dei: quemadmodùm violare ius humanum, est prohibitum: ergo non agere contra fidem, est præceptum ipso iure Dei: quo fides à virginitate differt: virginitas enim nō præscribit aliquod ius Dei: quod violetur, nec est simpliciter necessaria ad parendum Deo, aut illi placendum: maximè cum matrimonium sit multis de caussis honestum & institutum à Deo: fides autem non solùm de veracitate Dei; sed etiam de existentia eius testimonij, est simpliciter necessaria ad cognoscendam, & exequendam voluntatem Dei; proponitque nobis ius divinum, quod habet in nos, vt possit nobiscum agere.

§. 19. *Caiet. Difficul.* Quapropter Caietanum miror distractū per tàm longos anfractus ad quærendam rationem, cur supernaturalis fides obliget naturam: quæ illi non videbatur teneri ad quærendam perfectionem supernaturalem: quemadmodùm homo è fœce plebis, non tenetur acceptare nobilitatem oblatam à Rege; cuius argumenti tricas non satis explicuit. Respondetur autem ex argumento proposito, teneri omnes ad assensum fidei ipso iure Dei: quod nos adstringit ad ea facienda, sine quibus tale ius exerceri non potest, nec nos illi satisfacere: sive enim satisfactio illius iuris pendeat ab actu supernaturali, vel naturali, dùm Deus nobis parat sufficientes vires ad actum supernaturalem, à quo ea satisfactio pendet, tenemur eum actum exercere: quia Deus iure Dominij nobis potest aliquid præcipere, cui nos tenemur obedire, qua ratione possumus. Ad argumentum Caietani respondetur, naturam soli suæ virtuti permissam non teneri ad aliquid supernaturale, quia nec potest; naturam autem auxilio supernaturali instructam teneri ad actus supernaturales, sine quibus satisfieri non potest iuri Dei. Neque hoc pendet ab eius acceptatione; sed præcisè ex ipso iure Dei, & viribus naturæ, illi aut debitis, aut additis ex gratia Dei. Ad exemplum rustici respondeo, illum teneri ad accipiendas vires omnes, quæ illi offerantur, si necessariæ sunt ad satisfaciendum iuri regio. Exempli gratia, homo ignobilis polleat prudentiâ, qua Rex indiget in legationem, à qua pendet Reipublicæ salus: vt autem ea legatione pro dignitate, & necessitate Reipublicæ ille prudens vtatur, indiget nobilitate, & opibus: illas tenetur accipere, si offerantur: vel illis vti, si præsto sint, easque scit sui esse Regis: ita tenemur vti viribus fidei. *Solutio.*

§. 20. 3. *Arg.* Tertium argumentum ad probandam necessitatem fidei, est: quia tenemur iure ipso naturali & supernaturali, placare Deum, deponere peccatum etiam habituale, item & inire gratiam, & amicitiam Dei. Est enim peccatum tàm grave malum, vt nova sit culpa, nolle illud depellere, cùm possumus, saltem in aliqua occasione: velle enim mori in peccato mortali, est novum peccatū contra charitatem sui, distinctum à primo. Itē nolle satisfacere Deo pro peccato cōmisso, est etiam novum peccatum in Deum. Item gratia Dei & æterna beatitas sunt tàm excellentia bona, vt nullus excusari possit à peccato, qui ea neglexerit: lex enim charitatis, & beneficentiæ in nosmetipsos nos obligat ad ea bona procuranda: quemadmodùm tenemur procurare vitam, immò & alimenta filijs: hæc autem omnia videmus necessariò pendere à fide infusa, qua credamus Deum hæc omnia promisisse, & eius promissionem esse veram: quemadmodùm teneor credere, verum esse testimoniū prudentis, & frugi, quoties mihi proponit imminere periculum oppetendæ mortis: tunc enim, si non adsit probabile fundamentum dissentiendi, teneor non solùm non dissentiri;

tiri; sed etiam mihi persuadere imminere periculum, illudque declinare.

§. 21. Quo etiam patet ad argumentum Caietani propositum §. 19. hominem lege charitatis teneri acceptare tàm excellentia bona: & quo illa sunt magis supernaturalia, & excellentiora, maior nobis incumbit obligatio, eo præcisè quòd maiora bona spiritalia sunt. Itaque ipso in limine Caietanus offendit: quia ex ipsa evidenti ratione obligationis captavit dubitationem. Ad exemplum hominis ignobilis respondeo, rationem esse tàm disparem, vt in nullo sit par. Nobilitas enim, fortunæ, & id genus alia bona, quia caduca sunt, & nullius momenti, sæpiusque magis sunt oneri, & incommodo, quàm honori & vtilitati, possunt facilè despici: maximè vt sine illis ad vitam faciliùs progrediamur æternam: si tamen non propter honestum finem; sed ex animi vilitate fugiantur, fit quidem vili pusillanimitatis vitio, non virtute. At verò carere peccato, esse amicum Dei, eiusque regni participem; adeò sunt bona, vt nullam ob caussam posit illorum honestari contemptus.

§. 22. 4. Arg. Resp. Quartum argumentum petitur à præcepto Dei, qui millies nobis præcipit credere: ab his testimonijs abstineo, partim quia sunt satis vulgata, partim quia proposita sunt à §. 2. satis multa. P. Suarez adducit ea disput. 13. *Suar.*

SECTIO V.

Corollaria.

§. 23. DEDVCO primùm: semper esse peccatum mortale dissentiri mysterijs fidei prædicatis sufficienter. Probatur: quia quoties fides proponitur sufficienter, non est locus prudenti dubitationi: agere autem contra prudentiam, semper est peccatum mortale, quando materia est tàm gravis: item, quia quotiès proponitur sufficienter revelatio, obligat eodem modo ad non dissentiendum: si autem semel esset licitum dissentiri, semper dissentiri possemus: quia revelatio semper proponitur cum evidenti probabilitate, & credibilitate evidenti; sed eadem evidens credibilitas semper occludit aditum dissensui: ergo semp[er] obligat ad cohibendum dissensum.

§. 24. Secundò deduco: esse peccatum contra fidem, dissentiri revelationi propositæ sufficienter per authoritatem humanam Ecclesiæ, vel per miraculum, vel per prophetiam, vel per quamcumque aliam sufficientem applicationem. Probatur: quia qui authoritate Ecclesiæ non movetur ad credendum, est hæreticus: Iudæi autem incredulitatis accusantur à Christo, quòd non crediderint tantis visis miraculis: item Zacharias pœnas luit suæ incredulitatis: sive ergo revelatio sit privata, sive publica, dùm proponatur sufficienter, dùm non est prudenter dubitandi locus, semper obligat ad non dissentiendum. Ratio à priori: quia multis rationibus Deus potest suas revelationes facere tàm evidenter credibiles, vt nullum relinquat locum dubitandi prudenter.

§. 25. Obiectio. Obijcies contra corollarium vtrùmque: non esse peccatum mortale dissentiri alicui revelationi parvi momenti: verbi gratia, revelationi de cane Tobiæ, quæ exigui quidem est momenti: prætereà dissentiri revelationi privatæ, non erit peccatum. Respondeo, vtrumque esse falsum: quia quamvis obiectum revelatum momenti sit exigui; tamen ratio, qua proponitur, est eadem, ac quâ proponuntur alia: exempli gratia, authoritas Ecclesiæ, cuius despectus semper est gravis: nec alia ratione cōmuniter proponuntur cætera mysteria fidei: qui autem semel dubitat de authoritate Ecclesiæ, non potest absque formidine assentiri revelationibus alijs: evertit igitur, qui ita dissentitur, totam rationem credendi: vt ostendi. Ad secundum respondetur, nullum posse dissentiri absque gravi peccato revelationi privatæ, quando à Deo fit credibilis evidenter: quia Deus habet ius communicandi nobiscum etiam privatim: cui iuri satisfacimus credentes revelationes privatas, sufficienter propositas; qui autem semel negat revelationem credibilem evidenter, iam evertit rationem, qua Deus cōmmunicat cū hominibus: non enim omnibus loquitur immediatè, sed paucis, quorum revelationes proponit credibiles evidenter: ideò autem Ecclesiæ dissentiri est grave peccatum, quia eius authoritas est revelationis applicatio sufficiens: ergo eâdem ratione erit etiam peccatum dissentiri cuivis applicationi sufficienti. *Resp.*

§. 26. Tertiò deduco, dissensum contra authoritatem humanam Ecclesiæ esse peccatum directè cōtra fidem: quia lex ipsa fidei obligat, non solùm ad assensum revelationis; sed etiam ad vitanda omnia, quæ illi officiunt: quemadmodùm peccat contra iustitiam, qui alicui absque caussa interdicit alimenta. Item habitus piæ affectionis inclinat immediatè ad assensum authoritatis humanæ; non quidem propter ipsius honestatem; sed propter supernaturalem assensum, quem habet pro obiecto formali primario: quemadmodùm eodem habitu charitatis amantur Deus & proximus: & eodem habitu infuso

infuso finis attinguntur & media. Sed assensus in authoritatem Ecclesiæ est mediũ ad supernaturalem assensum fidei: ergò eodem habitu piæ affectionis vterque amatur assensus. Idem dixerim de assensu negato miraculis: est enim eadem ratio: quia cùm ea omnia sint media per se necessaria ad supernaturalem assensum, eadem lege, qua præcipitur assensus, præcipiuntur & media, & prohibentur opposita.

§. 27. *Obiectio.* Dices: habitus fidei infusæ non attingit authoritatem humanam Ecclesiæ: ergò nec affectus pius attinget assensus in illam. Probo consequentiam: quia affectus pius non extẽditur ad aliud obiectum remotum, distinctum ab obiecto immediato fidei. Nego consequentiam: præsto est discrimen: nullus enim habitus attingit, nisi obiectum formale, & materiale: quidquid enim amat, aut cognoscit, est propter se, aut propter aliud: si propter se, est obiectum formale: materiale autem, si propter aliud: authoritas humana Ecclesiæ non est obiectum formale fidei: materiale verò potest esse quando cognoscitur Dei revelatio de ipsa authoritate: nunc agimus de ipsa vt præit revelationi credendo. Conditiones autem, sive applicationes non attinguntur fide infusa: quia nec sunt ipsius obiectum formale, aut materiale: pius affectus amat assensum in authoritatem humanam Ecclesiæ, quia est medium vtile ad supernaturalem assensum, quem affectus ille amat, vt finem. Itaque quod fuit conditio necessaria ad assensum fidei, non cognita per ipsam fidem, fuit obiectum materiale affectionis piæ per ipsam amatum.

§. 28. Quartò deduco, non esse peccatum contrà fidem cohibere interdum assensum: quãvis enim tenemur numquam dissentiri; at semper assentiri non tenemur: quemadmodum tenemur numquam odisse Deum, at non tenemur illum semper amare: credere enim & amare sunt obiectum legis affirmativæ, quæ semper obligat; non tamen pro semper, etiam si cogitemus de Deo, & eius revelatione. Tenemur exercere fidem, cùm tenemur illam profiteri: item cùm tenemur amare Deum, aut exercere virtutem aliquã infusam, quæ in exercitatione pendet ab assensu fidei: vt cùm tenemur Christum in Eucharistia adorare: cultus enim ille pendet ab assensu fidei de præsentia Christi in Eucharistia: item quoties ad Sacramentum accedimus: arbitror & cùm primùm audimus aliquid contra hæreticos diffiniri: tũc enim tenemur ostendere nos esse ab Ecclesiæ factione, cum hæreticis pugnantis. Hac de re sermo redibit disput. 95. vbi agendum de præcepto fidei.

§. 29. Quintò deduco: esse peccatum infidelitatis dubitare de fidei articulis propositis sufficienter: quòd si à tota Ecclesia proponantur, erit peccatum hæresis. Probatur: quia qui intellectu dubitat, habet dispositionem repugnantem assensui fidei, hic enim est necessariò absque formidine, & cum assensu certo, quòd non sit licitum dubitare propter moralem certitudinem, & euidentem credibilitatem mysteriorũ fidei. Quæ sententia communis est Theologis, & Iurisperitis capite de hæreticis, vbi statuitur dubiũ in fide esse infidelẽ, & in Cõcilio Lateranensi sub Leone X. damnantur, qui negauerint, aut verterint in dubium immortalitatem animæ rationalis. Video hoc negari videri à Melchiore Cano 12. de locis cap. 9. cuius tamen sententia in re tàm gravi sine alio authore est, & ratione. His de rebus sermo redibit in quæst. 16. de præcepto Fidei. *Conc. Lat.* *Canus.*

DISPVT. LXVII.

De subiecto infidelitatis.

§. 1. Recognoscenda est disp. 50. maximè §. 6. vbi ostendi fidem acceptã metaphysicè, esse in intellectu subiectiue: quia est assensus certus, cuius subiectum est intellectus; si autem fides in esse moris concipiatur, vt includit pium affectũ credendi, est in voluntate. Quapropter fides componit moraliter vnum actum ex duobus physicè distinctis: scilicet ex assẽsu, & affectu pio, estque in intellectu simul, & in voluntate.

§. 2. Eâdem ratione infidelitas componit moraliter vnum actũ ex duobus physicè distinctis: nempè aut ex carentia culpata assensus debiti, vel ex assensu culpato contrario fidei, & ex pravo affectu dissentiendi, aut non discendi, quæ necessariò sunt credenda ex præcepto. Quemadmodum homicidium componitur moraliter ex actione externa necante, & ex actu interiori eam imperante: qua ratione liquidò constat infidelitatem consummatam esse in intellectu, & voluntate: quemadmodum virtus consummata fidei est in vtraque facultate. Quã doctrinam expressit S. Thom. quæst. 10. art. 1. & sequuntur omnes Theologi: recognosce P. Suarez disp. 16. sect. 3. *S. Thom.* *P. Suarez*

§. 3. Ostendi disputationibus de actibus humanis malitiam moralem esse per se primò in voluntate: in actibus autem externis denominatiuè tantùm, in quibus præit malitia moralis, non quidem formaliter; sed obi

S. Tho. q. 10. Art. 2. obiectivè, id est, sunt tale obiectum, vt actus sit malus moraliter, & dignus vituperatione eo præcisè, quòd ad illud liberè terminetur: est item obiectis bonitas moralis obiectiva ex eo præcisè, quòd, si propter se ipsa amentur, reddunt amorem formaliter bonum (si cætera concurrant). Hæc bonitas obiectiva, aut malitia, est convenientia obiecti, aut dissonantia cum natura rationali; vel lege: actus enim voluntatis ideò est formaliter bonus, aut malus, quia est de hoc obiecto: hoc autem ideò est obiectivè bonum, aut malū, quia adsonat, aut dissonat naturæ rationali, aut legi: moraliter verò ideò est actus virtutis, aut vitij, quia amatur actu bono, aut malo.

§. 4. E quibus deduces malitiam obiectivam infidelitatis esse in solo intellectu: quia hæc malitia, aut est carentia debiti assensus, aut dissensus prohibitus: formalis autem malitia est in sola voluntate, quia hæc est, aut omissio culpata affectus pij; aut prohibitus affectus dissentiendi, aut non discendi necessaria ex præcepto. Malitia autem moralis est formaliter in voluntate; in intellectu autem denominativè, totaque malitia bipartita est in intellectu, & voluntate. Quæ omnia clara sunt ex doctrina communi, quā contra nonnullos dedi in materia de actibus humanis, qui autem dicunt malitiam per se primò esse in actione externa mala, idem asserent de infidelitate.

DISPVT. LXVIII.

Vtrùm peccatum infidelitatis possit esse in sola voluntate?

SECTIO I.

Explicata quæstio.

§. 1. ECCATA nonnulla atque virtutes consummantur interiùs, absque vlla actione ex ipsis derivata. Exempli gratia: odium Dei consummatur interiùs, quia nullam habet ex natura sua actionem, quam efficaciter amet; sed totum versatur circa Deum, displicens in eius bonitate. Amor item Dei consummatur interiùs: quia eius obiectum formale non est aliqua actio; sed bonitas Dei. Misericordia cōsummatur exteriùs, quia eius obiectum formale est honestas levandi inopem, & dùm hæc honestas non exercetur exteriùs, non completur misericordia: item homicidium consummatur exteriùs, eaque propter irregularitas est pœna homicidij completi, & exteriùs consummati.

Dupliciter potest virtus, aut vitiū cōsummari exteriùs. Primùm, quia ex se sive ex natura sua petit ita cōsūmari, cui opponuntur virtutes, & vitia, quæ ex obiecto formali non habent eam aptitudinem: in quo sensu, qui efficaciter vult necem, est homicida, quamvis non assequatur necem: quia actus ille petit esse caussa necis: sic infidelitas est vitium consummatum exteriùs, quia petit esse principium, aut dissensus prohibiti lege fidei, aut omissionis, eâdem lege interdictæ. Nec hac in parte est dissidium vllum. §. 2.

Secundò potest virtus, aut vitium exteriùs consummari actu, & non consummari actu, vt qui quęrit mendicum, eius inopiæ levandæ gratia, nec invenit; aut qui hominem iniustè occidendum postulat; habent misericordiam & homicidium inconsummata exteriùs per accidens. In hoc sensu disquiro: vtrùm voluntas possit habere actū infidelitatis, quin ex illo sequatur de facto aliquis dissensus prohibitus, aut carentia pręcepti assensus? §. 3.

SECTIO II.

Conclusio.

CENSEO: posse aliquem peccare in voluntate per actum infidelitatis, quin de facto sequatur in intellectu, aut dissensus prohibitus; aut carentia assensus præcepti. Hæc conclusio est P. Valentiæ tom. 3. disput. 1. quæst. 10. punct. 1. à versu *tertiò quæritur*. §. 4. *Conclus.* *Valent.*

SECTIO III.

Probationes P. Valentiæ.

SIT primum eius argumentum: intemperantia est vitium naturâ sua petens cōsummari in appetitu sensitivo, sicut infidelitas in intellectu; sed contingere potest intemperantia in sola voluntate, quin actu derivetur in appetitum: ergo & infidelitas, quin derivetur aliquid in intellectum. P. Suarez disput. 16. sect. 3. num. 7. respondet disparem esse rationem, quia executio intemperantiæ multas ob caussas potest §. 5. *1. Arg.* *P. Suarez.*

potest impediri; & licet imperetur, non obediunt potentiæ externæ, eaque propter licèt in voluntate sit affectus in actionem externam, poterit non desiderari efficaciter. At intellectus sine vllo impedimento obedit voluntati: vndè distinguo maiorem: intemperantia & infidelitas consummantur exteriùs eodem modo, & obedientiâ potentiarũ, nego maiorem; diverso modo, concedo; & nego consequentiam.

§. 6. 2. Arg. Valent. Secundum argumentum: Philosophus impotens negare existentiam Dei, potest hypotheticè velle negare Deum, nisi demonstratione impediretur: hic peccat infidelitate, & tamen in intellectu nullum habet errorem; sed potiùs adsonat fidei persuasus existentiam Dei: ergo. P. Suarez adductus §. 5. respondet: in intellectu eius Philosophi esse hunc errorem: *non est credendum, nisi quod demonstratur*: alioquin non haberet propositum hypotheticum non credendi.

Resp. P. Suarez. Item qui paratus est dissentiri obiectis fidei, si efficacior afferatur probatio, non credit Catholicè, quia sibi persuadet possibiles esse eas probationes.

§. 7. Impug. Hæc autem responsa impugno: etenim ille Philosophus absque vllo errore posset habere conditionatam voluntatem dissentiendi; non enim censet non esse credenda, nisi quæ demonstrentur; sed iudicans ea debere credi, ipse non crederet voluptatis, aut alius commodi gratiâ: vt possumus liberè dissentiri cognoscentes nos agere contra leges fidei tunc obligantes. Item in secundo casu facilis est solutio: etenim non agimus de illo; sed de eo, qui dissentiri vellet, nisi demonstratione impediretur.

§. 8. Resp. Respondeo: eos homines tunc esse formaliter hæreticos: quia sibi persuadent non existere revelationem Dei de ipsius Dei existentia, quia si illam sibi persuaderent, non possent dissentiri, etiam si demonstratione carerent: quia præstito assensu infallibili authoritati Dei, & existentiæ revelationis, non possumus dissentiri mysterio: nec itẽ possumus validiorẽ quærere rationem; cùm revelatio sit certissimum argumentum.

§. 9. 3. Arg. Tertiò arguit: potest aliquis rationes expendere cum dubitatione; in quo non habet eius intellectus aliquid contra fidem: quia carentia credendi tunc non est peccatum; quia tunc non obligat hoc præceptum affirmativum credendi: nec item expendere rationes est peccatum: nec habet aliquid, quo opponatur fidei. Ipse tamen P. Valentia versu *animadverti autem*, asserit prudenter, se non agere de dubio, aut suspicione, qua contra fidem aliquid quis suspicetur, aut vertat positivè in dubium: hunc enim asserit esse completè infidelem; sed agit de eo, qui neutram in partem flectitur, ob quod non est satis aperta huius argumenti vis. Quapropter P. Suarez adductus §. 5. respondet: eam suspensionem assensus non fore peccatum, nisi oriatur ex mala, aut formidolosa persuasione rerum fidei; vel assensus sit præceptus pro eo instanti. P. Suarez.

SECTIO IIII.

Probatio conclusionis.

CONCLVSIO proposita §. 4. probatur: cùm aliquis cernit, se non teneri ad assentiendum fide Catholica, quia tunc præceptum non vrget, potest dicere: *nunc volo suspendere assensum; cras autem dissentiar revelationi: quamvis video me teneri ad non dissentiendum.* Hic casus non est impossibilis: quia tunc potest absque peccato omittere assensum: decretum autem de dissensu crastino quis dicat impossibile? Nam cùm ille assensus sit ei cras liber, potest nunc decernere dissensum: non secùs ac iter crastinum: cum verò tunc cessare posse à dissensu præsenti, quamvis decernat dissentiri cras, est certum: quia crastina dissensio non infert nunc dissensionẽ: & potest apprehendi vt incommoda nunc; cras autem commoda. Hunc hominem tunc peccaturum, non minùs certum est, quàm qui decerneret homicidium crastinum, quia decretum illud est contra dictamen rectæ rationis: sed in toto hoc peccato nihil derivatur in intellectum contra fidem: quia nunc est peccatum absque aliqua intellectione contra fidem; crastinus autem dissensus non est opus vt sequatur: quia mutari decretum potest: ergo peccari potest contra fidem, quin aliquid derivetur in intellectum. §. 10. Probatio.

E quibus liquidò constat carere vi discrimen §. 5. allatum ex P. Suarez inter potentias externas & intellectum. Quamvis enim intellectus continuò obedit voluntati in motibus imperatis pro eodem instanti; non tamen in imperatis pro futuro. Itaque in obedientia actuum, qui de præsenti fieri imperantur, est verum illud discrimen: in futuris autem motibus non obedit intellectus antequam tempus futurum adveniat: peccatum verò in voluntate est de præsenti; & nullus error; nec carentia assensus culpata: ergo. §. 11. P. Suarez.

S. Tho. q. 10. Art. 3.

SECTIO V.

Argumentum oppositæ sententiæ.

§. 12. *Obiectio. Suarez.* PATER Suarez disput. 16. sect. 3. num. 7. censet non posse committi peccatum infidelitatis, quin in intellectu consummetur. Argumentum est; quia omne peccatum infidelitatis propriæ, expellit ex intellectu fidem: ergo consummatur in intellectu. Antecedens probat ex definitione infidelitatis, quæ est peccatum fidem expellens. Consequentia probatur: quia illa carentia fidei est macula voluntaria in intellectu.

§. 13. *Resp.* Respondeo primùm: à me adhuc non disputatum de infidelitate sic stricta, sed de infidelitate in communi, non vt de facto infert carentiam fidei; sed vt est contra fidei leges: quæ vt sic non infert necessariò fidei privationem. Secundò respondeo: eum hominem habere totam rationem formalem hæresis; nempè voluntatem efficacem dissentiendi cum pertinacia contra Ecclesiam, ob quod peccatum amittitur fides: vndè nego consequentiam. Ad probationem respondeo: carentiam fidei habitualis non habere malitiam obiectivam infidelitatis; sed esse illius pœnam: hic autem agimus non de voluntario pœnali, quod non est obiectum actus mali, sicut malitia odij Dei non consummatur per carentiam habitus charitatis; agimus autem de infidelitate, vt est pars malitiæ: quia habet malitiam obiectivam: & quærimus vtrùm posit actu existere moralis malitia infidelitatis in voluntate, quin existat in intellectu malitia obiectiva infidelitatis? id est, vtrùm actus pravus imperans posit esse absque actu imperato?

DISPVT. LXIX.

Vtrùm infidelitas sit maximum peccatorum?

§. 1. AC disputatione multa complector de spe, & charitate, ne cogar repetere tripartitam difficultatem communem tribus virtutibus Theologicis. Comparanda est fides primùm charitati, secundò spei, tertiò virtutibus moralibus.

SECTIO I.

Nonnulla præmoneo.

PRIMVM: infidelitate à me comprehendi disputatione præsenti omne peccatum contra fidem, sive illo amittatur fides, vt hæresi, Iudaismo, & Paganismo; sive non amittatur, vt peccato ex ignorantia; aut dissensu in revelatione propositam miraculo, & similibus, de quibus agendum in quæstionem 16. Hic igitur est comparandum omne peccatum in fidem cum cæteris omnibus. §. 2. *1. Animad.*

Præmoneo secundò: intra peccata contra fidē multa distingui specie. Ostendi disputans de peccatis duas esse peccatorū species: alterā obiectivā; formalē alterā: obiectiva est obiectum formale, quod, vt terminus extrinsecus, dat speciem actibus in ipsum, vt quodvis aliud obiectum formale. Species formalis est conceptus quidditativus actuum, sivè illorum essentia: hæc essentia potest esse multiplex pendens ab obiectiva specie, vt à principio extrinsecè concurrente. Omnia peccata contra fidem sunt eiusdem speciei obiectivę, quia sunt contra authoritatem & revelationem Dei, quæ sunt obiectum formale fidei, à quo, vt ab obiecto deserto, sumitur infidelitatis malitia. At verò non sunt omnes infidelitates eiusdem speciei formalis; quia negatio authoritatis Dei diversa est specie à negatione revelationis: quia illa est negatio actus Theologici: secùs hæc. Item peccatum ex ignorantia, diversum est à peccato ex pertinacia contra Ecclesiam. §. 3. *2. Anim.*

Tertiò præmoneo: intra eamdem speciem obiectivam deteriorem; posse esse multa peccata levioris speciei formalis, quàm sunt aliqua intra speciem obiectivam minus malam. Quod contra Theologos nonnullos latè probavi in disputationibus de peccatis. Ieiunium enim pertinet aliquandò ad virtutem religionis, eiusque violatio est irreligio: homicidium autem est iniustitia, quæ minus mala est irreligione ex obiecto; & tamen homicidium & adulterium peccata graviora sunt, quàm solutio ieiunij. Quod in præsenti P. Suarez observat disputat. 16. sect. 2. num. 6. Comparo ergo pessimam infidelitatis speciem cum pessima aliorum vitiorum. §. 4. *3. Animad.*

***

SE-

SECTIO II.

Opinio Sancti Thomæ.

§. 5. S.Thom. SANCTVS Thom. quæst. 10. art. 3. & quæst. 20. art. 3. docet primò: infidelitatem minus grave peccatum esse odio Dei: quia odium magis avertit à Deo, & opponitur virtuti nobiliori charitatis. Docet secundò: infidelitatem esse gravius peccatum desperatione: quia hæc avertit à Deo, vt est à nobis participabilis: infidelitas autem, vt est secundum se; quod est maius malum, & iniuria maior. Secundò, quia per infidelitatem avertitur homo à Deo totaliter: quia in similibus, qui non attingit, errat. Tertia conclusio: desperatio est maius peccatū infidelitate quoad reparationem, & occasionem resipiscendi: nam, qui desperat, non habet principium, quo frenetur.

SECTIO III.

Difficultates circa tertiam conclusionem.

§. 6. 1. Conclus. Probat. DICO primò: infidelitas ex obiectiva specie deterior est desperatione quoad nos, sive tollēdo à nobis rationem resipiscentem. Probatur opposito fundamento: infidelis pauciora habet, quibus avertatur à peccato, quàm solùm desperans: ergo deterior est hac in parte. Probo antecedens: quia hæreticus caret spe, ac propterea non frænatur eius affectu magis, quàm solùm desperans. Addit insuper ex parte intellectus carentiam cognitionis in intellectu: cognitio autem in desperante vim habet eum cohibendi: ergo pluribus impedimentis illaqueatur infidelis ad resipiscendum.

§. 7. Bañez. Dominicus Bañez quæst. 20. art. 3. respondet, hæreticos concipere interdum beatitatem, & æternos cruciatus, qua cognitione terrentur. Impug. Contrà primùm: quia illa apprehensio est inefficax, quia non figitur satis in obiectum. Contrà secundò: pone hæresim circa beatitatem, atque cruciatus: hine sequitur illorum derisio; quia errantes in eis articulis irrident fideles, & contemnunt futuram vitam. Hæc infidelitas graviùs impellit errantem in flagitia, quàm sola desperatio, quia nec est cum timore, nec amore in ea obiecta: in quo similis est desperanti: addit item in sensu composito infidelitatis non posse esse eos affectus; qui autem eos nec habet, nec potest, longiùs à resipiscentia distat, quàm qui potest, licet non habeat: carentia enim actus vnius faciliùs pellitur, quàm duorum.

§. 8. Confirm. Confirmatur: desperans habet in intellectu vim impellentem in amorem fœlicitatis, & odium cruciatuum: hæreticus autem in solo errore circa alterum sæculum, habet & carentiam eius impulsus, & impotentiam proximam sperandi ex suppositione erroris de altera vita. Denique posita fide, est distincta difficultas in spe: sunt ergo duæ difficultates superandæ: altera in credendo, altera in sperando; sed solùm desperans non habet vincendam, nisi vnam, idque faciliùs, quia per fidem habet in gentem vim, vt moveatur: infidelis autem habet duas: alteram credendi, quæ est gravior: alteram in sperando: ergo difficiliorem se videt ad resipiscentiam.

§. 9. 2. Arg. Secundò probatur; quia ruina totius ædificij à fundamētis ægriùs instauratur, quàm ruina vnius partis; sed per infidelitatem ruit ædificium spiritale à fundamento; quia fides est initium iustificationis: per desperationem autem ruit ædificij pars: ergo damna fidei difficiliùs reparantur, quàm desperationis.

§. 10. Bañez. Respondet Bañez: desperationē per se, & directè ex obiecto afferre impulsū in flagitia; infidelitatem verò non nisi consequenter. Impug. Contrà primùm: quia infidelitas circa beatitatem directè affert, & ex obiecto, reparationis difficultatem, vt constat ex §. 7. Secundò: quia sivè consequenter, sivè ex obiecto, infidelitas est ruina omnium à fundamento, & affert plura impedimenta ad meliorem frugem, quàm desperatio: ergo consequenter est deterior absolutè ad hunc finem, quàm desperatio, ex obiecto.

SECTIO IIII.

Difficultates erga secundam conclusionem.

§. 11. 2. Conclus. DICO secundò: desperatio ex obiectiva specie est peccatum gravius, in ratione peccati, infidelitate: quod docuit Pater Suarez disputat. 2. de spe, sectione 2. num. 5. Pater Luisius in Commentario articuli 3. quæstionis 20. ait se neutri hærere factioni: quia non videt principia, quibus quæstionem dirimat. Aragon, Bañez, Lorca, & Thomistæ cæteri nobis P. Suar. P. Luis. Aragon. Bañez. Lorca.

S. Tho. q. 10. Art. 3. nobis adversantur. Animadverte posse considerari fidem, & infidelitatem physicè pro actibus intellectus, qui sunt virtus, & vitium intellectuale: in hoc sensu rectè asserit Pater Lussius difficile esse iudicium, quia vix possumus scire, vter habitus sit physicè nobilior fidesnè, an spes? In quo sensu S. Thom. dixisse videtur infidelitatem esse vitium deterius desperatione, quamvis (vt verum fatear) ægrè exponitur: quærit enim vtrùm infidelitas sit maximum peccatorum? peccatum autem non sumitur purè physicè sine moralitate.

P. Luisius. *S. Thom.*

§. 12. Secundò, considerari potest fides in esse moris, sivè virtutis meritoriæ: item & infidelitas in esse peccati supplicia merentis. Nec fides, nec infidelitas pertinet formaliter ad genus moris; sed præcisè ad illud pertinent per extrinsecam denominationem ab affectu pio, aut impio: ille est virtus amans fidei assensus propter ipsos; hic est peccatum amans dissensus infideles. In ijs est adæquatè tota virtutis, aut vitij ratio, in credendo, aut dissentiendo: sicut in voluntate restituendi, aut rapiendi, est formaliter tota iustitiæ, aut iniustitiæ, moralis bonitas, aut malitia. In hoc genere facillima sunt principia ad probandam conclusionem è §. vndecimo.

§. 13. *Probatio.* Sic arguo: fides in genere moris formaliter est virtus minùs nobilis spe: ergo desperatio est peius peccatum infidelitate. Consequentiam cum Aristotele pono ex disputationibus de actibus humanis. Probo antecedēs: omnis virtus Theologica est in ratione virtutis melior, quàm non Theologica; sed spes in genere moris est Theologica; fides autem in genere moris non est Theologica formaliter: ergo spes est melior in ratione virtutis. Probo minorem: moralitas formalis fidei consistit in affectu pio, vt iam ostendi; sed hic non est formaliter Theologicus: ergo fides in genere moris non est formaliter Theologica. Probo minorem: omnis virtus Theologica habet Deum obiectum formale saltem inadæquatè; sed affectus pius id non habet: quia eius obiectum formale sunt assensus fidei, qui cùm sint qualitates, & non Deus; non constituunt virtutem Theologicam.

§. 14. *Confirm.* Confirmatur: præcipuus actus desperationis est formaliter odium Dei, vt finis quæsita vt odium illud tàm verè & propriè terminetur ad Deum, vt distinctum à visione; quàm amor spei tendit in ipsum: quod alibi ostendam; sed infidelitatis peccatum non est odium Dei; sed creaturæ. At omne odium Dei deterius est genere omni odio creaturarum, vt ex terminis constat: ergo. Secunda maioris pars probatur: quia peccatum infidelitatis est formaliter, aut voluntas non credendi, aut voluntas dissentiendi: quæ non versantur nisi circa creaturas. Denique (si ita est fas loqui) infidelitas in genere moris est vitium morale, desperatio Theologicum: actus affectus pij, aut impij, sunt reductiuè Theologici, quia amant assensus, aut dissensus Theologicos; secùs spes & desperatio immediatè tendentes in Deum.

§. 15. *Solutio. 1. Arg.* Ad duo argumenta proposita §. quinto, pro secunda conclusione Sancti Thomæ, respondeo: ad primum distinguo maiorem: infidelitas in esse physico avertit à Deo, prout in se, transeat maior: quia est dissensus falsus de Deo; infidelitas, vt est formaliter peccatum, sivè vt est in genere moris formaliter, avertit à Deo, nego maiorem: non enim avertit nisi ab assensu fideli, qui non est Deus. Nec infidelitas in hoc genere habet actum vllum odij, aut amoris circa Deum; sed circa assensus, aut dissensus: distinguo item secundam partem maioris: desperatio avertit à Deo prout à nobis participabili, cum vero odio ipsius Dei, concedo; sine odio Dei, nego. Et nego maiorem: maior enim iniuria Dei est eius odium, quàm odium in assensum verum de ipso: quia odium Dei vult non esse ipsius Dei; odium assensus vult non esse assensus; at non esse Dei peius malum esset, quàm non esse veri assensus. Hinc distinguo consequens: ergo infidelitas est peior physicè desperatione, transeat consequens: quia opponitur virtuti in esse physico meliori; est moraliter peior, nego.

§. 16. *2. Arg. Arist.* Secundum argumentum ex eodem §. quinto tractatum est à me disputat. 12. à §. 14. est autem ex Aristotel. 9. Metaph. cap. 12. textu 22. vbi asserit de rebus simplicibus cognoscendis. *Attingere quidem & dicere verum; ignorare autem non attingere:* id est, qui rem simplicem attingit, eam verè, vt est, attingit; qui autem non attingit mente, eam penitùs ignorat. Sic Aristotelem S. Thom. explanat lect. 21. Bañez opinatur Aristotelem accipiendum de cognitione intuitiva, quæ totum obiectum aut attingit, aut non versatur circa illud. Aristoteles nec meminit de cognitione intuitiva; sed præcisè egit de apprehensione obiecti, quam nūc exercemus, & quam explicamus voce.

S. Thom. Bañez.

§. 17. *Aristotel.* Aristoteles ibi vult in definitione quidditativa non esse medium, sed eam aut totam attingi, aut totam ignorari: etenim circa

circa definitionem non contingit deceptio; nisi secundum accidens: quia vel tangitur tota definitio, vel non tangitur tota. Si primum: tangitur definitum; in quo non est deceptio. Si secundum, non tangitur definitum, ac propterea ignoratur: nisi enim cognoscamus animal rationale, non concipimus hominem. Quod non est proprium definitioni rei insectilis; sed commune cuivis enti etiam composito, vt Aristoteles asserit: dat enim præceptum generale definitionis vt sic, circa quam non est deceptio; nisi in accidente: deinde ea præcepta aptat substantiæ simplici: *Non est* (inquit) *profectò decipi circa quidquid est, nisi secundum accidens; similiter autem est circa non compositas substantias: non enim est decipi.* Sanctus Thomas lectione 21. sic explicat Aristotelem, his verbis: *& quod intellectus circa quod quid est non decipiatur, non solùm est in simplicibus substantijs; sed etiam in compositis.* S.Thom.

§. 18. Vndè arguo: in definitione substantiæ compositæ non est deceptio; & tamen potest apprehendi vna pars definitionis, quin alia apprehendatur: ergo non posse esse deceptionem, non est non posse esse conceptum de vna parte, nisi etiam sit de alia: ergo etiam si in quasi definitione Dei non posit esse deceptio; tamen apprehendi poterit vnum prædicatum absque alio: igitur in conceptu quidditativo non potest esse deceptio: quia licèt constet multis prædicatis physicis, vt homo corpore & animo; vel multis logicis, vt animali rationali, si non attingantur omnia; licèt attingatur vnum, definitio & definitum non attinguntur simpliciter. At retenta definitione essentiali, potest esse deceptio circa alia prædicata idemtificata realiter cum essentia: quia sunt quasi accidentia logica essentiæ: vndè cum prædicato quidditativo Dei possumus componere errorem de attributo, aut de revelatione existente: quia est error secundùm accidens logicum, aut physicum. Caietanicam & alias expositiones omitto: quia nec è re, nec difficiles impugnatu.

§. 19. Admitto Sancto Thomæ, infidelitate, non quâcumque; sed aliqua averti intellectum omninò à Deo, vt in se, v. g. ab Atheismo efficitur homo sine conceptu Dei. Probat quidem S. Thom. eum actum esse physicè peiorem desperatione: quia est dissensus à toto Deo; & non probat eum esse moraliter peiorem: est enim moraliter malus, non per se; sed per actum impium affectus, qui habet pro obiecto non esse fidei, & esse dissensus hæretici: desperatio habet pro termino, *à quo* fugit, Deum; & pro termino *ad quem* odio tendit, non esse Dei; sed maius malū est hoc, quā dissensus hæreticus: ergo desperatio est peior ex obiecto. Itaque infidelitas, vt est in genere moris, non privat Deo, sed actu vero: quia vt sic consistit in affectu impio.

Rogas, si infidelitas est minùs gravis odio, & desperatione, cur punitur acerbiùs? Respondeo, à Deo eam non puniri acerbiùs; sed ab hominibus: & quidem meritò, tùm quia Apostolus Ioannes monet hæreticis nec dicendum *ave*; tùm quia S. Polycarpus Marcionem appellavit primogenitum diaboli. Tertiò, quia infidelitas à radice exurit germina virtutum: crescit enim in dies, & grassatur per Provincias, quas efficit seditiosas, rebelles, perduelles: docet in cœlum & Sanctos blasphemias. Est igitur perniciosissimum inter omnia mala, & secundum hunc conceptum habet malitiam aliqua ratione maiorem. §. 20.

SECTIO V.

Comparatio infidelitatis cum cæteris vitijs.

DICO tertiò: infidelitas ex suo genere tàm physico, quàm morali, est deterior omni vitio morali. Hæc est doctrina S. Thom. quæst. 10. art. 3. De malitia physica est certa: quia fides est nobilior cæteris virtutibus non Theologicis: tùm quia infidelitas est aversio intellectus à toto Deo; vitia moralia à solis actionibus externis. De malitia morali probatur: quia affectus impius habet pro obiecto dissensus magis absonos Deo, quàm actiones irreligionis, aut inobedientiæ; aut blasphemiæ: ergo est peior ex obiecto. Probo antecedens, quia irreligio habet pro obiecto actiones externas cultus, Dei excellentiam non significantes; inobedientia actiones repugnantes divinæ legi; blasphemia verba significantia aliquid indignum Deo; sed dissensus in fidem sunt ex natura sua significantes perfectiori modo multa aliena à Deo: nullum enim est peccatum, nec imperfectio, quam hæresis non appingat Deo: ergo. §. 21. 3. Conclus. S.Thom.

Rogas, cur dixerit Sanctus Augustinus, se non audere præcipitare sententiam; an sit deterior homo fidelis plenus vitijs infideli, in quo præter infidelitatem non videmus multa vituperatione digna? Respondeo, quia potest Catholicus §. 22. S.Ang.

S. Tho. q. 10. Art. 4. habere odium Dei contra charitatem, & spem; & eo carere hæreticus. Nescit autem Augustinus quid contingat. Item multitudine, & magnitudine scelerum potest esse dignus maiori supplicio. Et quamvis infidelitas est peior omni vitio morali, quia privat cognitione Dei; at fidelis aggravat sua vitia ex circumstantia cognitionis, qua aliquo pacto ea minuit infidelis.

§. 23. 4. Conclus. Dico quartò: aliqua peccata contra spem possunt esse minus gravia aliquo peccato contra virtutem moralem: exempli gratia, negligentia discendi aliquod mysterium necessarium ex solo præcepto, est peccatum contra fidem, quod minus grave est, quàm blasphemia gravissima: quia intra eamdem speciem obiectivam sunt multæ formales, inter quas potest esse hæc inæqualitas. Recognosce Patre Suarez disp. 16. sect. 2. P. Suarez.

DISPVT. LXX.

Utrùm omnis actio infidelis sit peccatum?

§. 1. ANCTVS Thomas dirimit hac controversiam duabus conclusionibus: alterâ, omnem actionem infidelis esse peccatum, si fiat formaliter in finem infidelitatis. Quod est clarum: quia relatio in eum finem est intrinsecè mala. Secunda conclusio est: posse infidelem efficere aliquod bonum opus, quod nulla ratione sit peccatum. Quia per infidelitatem amittitur gratia sanctificans, sine qua nec in fideli est opus dignum vitâ æterna; at non amittitur cognitio naturalis de faciendo opere naturaliter bono.

§. 2. Non est controversia, vtrùm absque gratia per Christum possit infidelis efficere bonum opus ordinis naturæ? hæc enim est communis difficultas fidelibus etiam iustis; sed est quæstio, vtrùm ex conceptu infidelitatis homo maneat impos ad vtendum benè libertate naturali; ita vt in illo statu, vel careat semper gratiâ per Christū, qua nō caret peccator fidelis, vel non possit habere cognitionē sufficiētē ad bonū opus?

§. 3. Conclusio. 1. Prob. Trident. Conclusio S. Thomæ certissima est: tùm ex Concilio Tridentino sessione 6. Can. 7. vbi definitur non esse peccata omnia opera, quæ ante iustificationem fiunt: quæ etiam includuntur, quæ fidei præeunt: nam antequam credamus, volumus credere. Et ex Bulla contra Michaelem Bayum propositione 35. quæ est hæc: *omne, quod agit peccator, peccatum est.* Quam doctrinam luculenter confirmat Pater Bellarminus tom. 3. lib. 5. de gratia & lib. arb. cap. 9. & P. Valentia quæst. 10. puncto 2. vbi excusat Gregorium, qui non egit, nisi de ignorante Deum; non tamen de quovis infideli: cui consentit P. Luisius disputat. 50. dub. 3. Recognosce P. Suarez disput. 17. sect. 3. mentem S. Augustini exponentem: item & Lorca disput. 35. Ab hac difficultate abstineo: quia facilis est, authoresque adducti ei satisfaciunt. Item & Pater Azor tomo 1. lib. 8. cap. 25. à versu, *decimoquartò quæritur.* Michael Bayum. Bellarm. Valent. Torres. P. Suarez. Lorca. Azor.

DISPVT. LXXI.

De triplici specie infidelitatis.

SECTIO I.

Quid sit paganismus?

§. 4. AGANVS derivatur à *pago*, qui est vicus, aut oppidum (vt aiunt) apertum, sivè villula. Paganus ergo est colens pagum: vt paganium est, quod spectat ad pagum: Cicero pro domo sua. *Nullum est in hac vrbe Collegium, nulli pagani, aut montani*: est ergo paganus idem, quod rusticus: qui enim in pagis agunt, ruri dicuntur esse. Est item pagus vicinitas vrbis, quæ distribui solet in vicos, seu tribus. *Areopagus* erat Atheniensibus *pagus Martis*: Dionysius Areopagita huic præerat pago. Sanctus Isidorus libro 8. etymol. cap. 10. ab his pagis censet dictum esse paganum. Pater Azor tomo 1. lib. 8. cap. 26. sub initium, hanc reijcit expositionem; quia pagani multò post nuncupati sunt cultores Deorū. Respōdeo, à S. Isidoro derivatam etymologiam nominis; omissam autem rationem, cur ea vox addicta sit idololatris. Paganos autē dictos eorum incolas pagorum, & nomen Areopagitæ confirmat & Ambrosius Calepinus ex authoribus antiquis. Addit insuper Scholiastes Isidori ex Festo, paganū meliùs dici à *pagis*, id est, fontibus; linguâ enim Dorica *pagi* sunt *fontes*: quia rustici prope fontes degunt. Cicer. S. Isidor. Azor. Calepin.

Paganus item est *immunis belli*; quapropter

ter apud Iurisconsultos; *miles & Paganus* opponuntur: vt *immunis & serviens bello.*
Sueton. Suetonius refert ab Augustino concionante visos Paganos inter milites: & in digestis de Paganis diversa pœna decernitur militi, ac Pagano, idque homini etiam vrbano: quia in vrbe erant interdum pagi, quorum vicini non tenebantur militiæ legibus.

§. 3. August. Apud Christianos etiam perantiquos Pagani dicuntur idololatræ. Sãctus August. tomo 1. lib. 2. retractationum cap. 43. *Deorum falsorum, multorumque cultores, quos vsitato nomine Paganos vocamus.*
Hieron. Sanctus Hieronymus tom. 7. in Psalm. 41. Pagani suos Deos digito ostendunt: lib. 1. Codicis, tit. 11. leg. *nemo ea* Paganus accipitur pro superstitioso. *Nemo ea, quæ sæpius Paganæ superstitionis hominibus interdicta sunt*, & Iure Canonico accipitur in significatione eâdem lib. 5. decretal. tit. 6. de Iudæis & Saracenis cap. 10. *Cùm sit laudabile*, cùm ad prædicandum Christi fidem Paganis exhibitis, & cap. 16. *cùm sit nimis*: cùm interdictæ essent præfecturæ in Christianos Iudæis infidelibus, concludit. *Hoc idem extendimus ad Paganos*: quæ res constat quotidiana phrasi.

§. 4. Derivata est ea vox ad explicandum Mahumetismum, cuius cultores vocantur *Pagani* in decretalium lib. 5. totus titulus sextus est de Iudæis & Saracenis, qui non semel vocantur *Pagani*; quoties enim ibi fit mentio de Paganis, est de Saracenis, excepto cap. 10. *cùm sit laudabile*, quod agere videtur de idololatris, ad quorum conversionem animantur nonnulli prædicatores, & quidem cap. 16. *ex speciali* hortatur Pontifex Regem Portugaliæ, ne Iudæos Christianis præficiat: *etsi* (inquit) *redditus suos Iudæis vendiderit, vel Paganis; Christianum tunc deputet de gravaminibus inferendis, Clericis & Ecclesijs non suspectum, per quem Christianorum iniuria regalia consequantur.* En quos primùm Paganos vocaverat; deinde Saracenos appellat. Nec tunc erant in Lusitania Gentiles, sed Mauri, quibus regnum eripuerat Castellæ Rex: quod in dotem dederat Henrico Lotharingo, quem constituit Lusitaniæ Comitem: à quo, & ab eius vxore Regis Castellæ filiâ orti Lusitaniæ Reges: nec tunc Iudæi & Mauri erant eradicati; sed permissi in Regno: titulis autem lib. 1. Codicis 9. de *Iudæis & cælicolis*, id est, Idololatris & 10. *Ne Christianum mancipium*, & 11. *de Paganis & sacrificijs*, respondent in Iure Canonico tituli de Iudæis, & Saracenis. Quod imitatus est noster sapiens Castellæ Rex Alphonsus in Iure Civili Castellæ, part. 7. tit. 24. Alphon. Sapiens.

§. 5. P. Azor. Cur autẽ Idololatræ & superstitiosi dicti sint *Pagani*, non satis constat. P. Azor adductus §. 1. refert à Philastrio censeri id dictum à Pagano filio Deucalionis, & Pyrrhæ, quem antiqui in Deorum nomenclatura constitutum esse voluerunt: coniectura non malã, si starent tria: primum, Paganum fuisse; secundum, eum fuisse cultum à gentilibus; tertium, id nomen vsurpatum ab antiquis: nihil tamen horum reperi, cùm tamen essent facilia: quia Deucalion fuit filius Promethei; hic primus simulacra finxit: ob quod finxere poetæ à Prometheo hominem factum ex luto: cùm autem S. Isidorus lib. 8. etymol. cap. 10. meminisset Promethei parentis idololatriæ, nõ omitteret Paganum, nec recurrisset ad pagos Athenienses. S. Isidor. Beda, S. Hieronymus, & alij Paganos censent appellatos, quia vt milites exauctorati non erant adscripti militiæ Principum; ita & Ethnici erant extra militiam Dei: verum id quidem; tamen sensus hic mysticus, mirũ si percrebruisset in vulgus, maximè cùm Iudæi, & hæretici militent extra Ecclesiam, quos proptereà Paganos non appellamus. Beda. S. Hierom.

§. 6. P. Azor. Pater Azor doctè observat temporibus Imperatorum Christianorum claudi cœpta delubra simulacrorum; idque maximè in vrbibus, vbi Imperalia edicta melius observantur: quam ob caussam idololatræ, relictis vrbibus, Paganos adibant ad sacrificandum. Hinc & ex edicto Constantini exauctorantis militem idololatram, cœpit hoc nomen *Paganus*, in gentiles infideles. Ego opinor duas ob rationes idololatras dictos esse Paganos. Primùm: quia in nemoribus, lucis, & sylvis erant frequentia sacella Deorum, & sæpè constat ex Sacris literis; & nunc sunt apud nostros eiusmodi phana Christo, eius matri, & Sanctis dicata: ad quæ singulis annis sunt solemnes cõcursus. Secundò, idololatria est vitium tàm stolidum, vt dedecuerit homines vrbanos, & apud nostros factum stolidum & contumax vocatur *Paganismus, villania*, tametsi ab homine admittatur vrbano, ita & idololatria dicta sit *Paganismus*, rusticitas & indigna homine politico. Quia verò Mahometani stolidissimos sectantur errores, ob barbariem meruerunt idem nomen. Itẽ, quia sua infinitudine terram occupant pro gentilibus, ob quod antiquæ leges in idololatras nunc præstringunt Mahometanos.

S. Tho. q. 10. Art. 5.

SECTIO II.

De Iudaismo & Haresi.

§. 7. *Alphons. Rex.* IVdaismus est professio sectæ Iudæorum; vt paganismus paganorum: ita noster sapiens Alphonsus partit. 7. tit. 24. l. 1. definit: *Iudæus est, qui se patitur circũcidi, & secundùm literam observat legẽ Moysis.* Circumcisio erat signum Iudæorum, vt nunc apud Christianos Baptismus. Iudæi dicti à tribu Iuda, quæ fuit Regia: & quia Mosaica lex post captivitatem decem tribuum viguit in tribu Iuda in ipsa regione. Hi dici potuissent Mosaici, & eorum lex Mosaica dicitur: quia in ea promulganda Mose ministro vsus est Deus. Vnde Iudaizare est vti lege Mosis; vt constat ex capite secundo ad Galatas decimo quarto, Gentiliter vivere dixit Apostolus pro vsurpatione ciborum more gentium: vivere autem Iudaice, pro Iudæorum more: ipseque Apostolus fatetur se in Iudaismo profecisse. Igitur vniversus orbis erat bipartitus in Iudæos, atque Gentiles, Illi erant circumcisi, & lege privata Dei agebantur: hi incircumcisi, & lege naturali vti poterant. Propterea vocati sunt *Gentiles*: id est, naturalem rationem secuti, in qua sunt nati. Nõ tamen propterea omnes erant Idololatræ: Iob enim Gentilis fuit: quia verò præ rari non erant Idololatræ; ideò Gentiles, & Ethnici (quod idem est) significant idololatras.

§. 8. *Obiectio.* Obijcies, Mahumetanos esse à Iudæis diversos, & tamen circumciduntur, & vtũtur Pentatheuco, teste nostro sapiente, partita septima, titulo vigesimo quinto, lege prima, quamvis alij eis libris non vtantur. Quòd si dicas, à Iudæo admitti etiam libros Prophetarum; non tamen à Sarracenis. Respondeo: id nihil interesse: accepta enim lege à Mose; qui ex eius ritu circumcideretur, & ageret ex cæremonijs Mosaicis, esset verè Iudæus, quamvis tunc non erant Prophetæ. *Respond.* Respondeo, Mahumetanos discriminari à Iudæis ipsa etiam circumcisione, qua Iudæi vsi in signum fidei, qua credunt remissionem peccatorum: Mahumetani autem eo signo vtuntur materialiter: vt si apud ipsos esset vsus baptismi sine voluntate conferendi, aut recipiendi id, quod Christus eius institutione voluit; illi convenirent nobiscum in ablutione externa, & verbis; non tamen absolutè in ratione baptismi. Discrimen est, quòd circumcisio est signum permanens; secus ablutio. Item in sacrificijs & legibus est magnum dissidium.

Hæreticus est, qui deserit fidem Catholicam, quam est in baptismo professus. De quo infrà est disputandum vberrimè. §. 9.

SECTIO III.

Divisio infidelitatis in Iudaismum, Paganismum, & hæresim.

DICO primò: infidelitas consummata, id est, pugnans cum habitu fidei catholicæ, congruè dividitur in eas tres species. Conclusio est Sancti Thomæ, Patris Suarez dispu. decima sexta sectione quarta, & Patris Valentiæ disput. prima, quæstione decima pũct. 3. Quam S. Thom. quæstione decima, articulo quinto probat: quia species infidelitatis sumitur ex renitentia fidei; sed triplex renitentia potest contingere constituens has species: ergo. Probatur minor: quia fidei renititur quis, quia eam numquam admisit: quòd constituit Paganismum; vel renititur fidei susceptæ in figura: quia mysteria Christianæ creduntur in figuris veteris Testamenti: quod spectat ad Iudaismum; vel renititur fidei iam manifestatæ, & expressæ, quę est hæresis. §. 10. *1. Conclus. S. Thom. P. Suarez. Valent.*

Primùm observo: hanc doctrinam non esse accipiendam de receptione subiectiva fidei; sed obiectiva: vt prudenter Pater Suarez observat disp. 16. sectione 4. numero 5. Primùm: quia Iudaismus est contra fidem numquam receptam subiectivè à Iudæo. Nunc enim committitur Iudaismus; cùm tamen Iudæi nunc non habeant subiectivè fidem catholicam; qua ab ortu caruerunt: ergo non est opus peccare contra fidem acceptam subiectivè. Secundò id probat: quia multi filij hæreticorum numquam habuerunt fidem: quia eorum parentes errant in forma, aut materia Baptismi; hi tamen hæreticorum filij sunt hæretici, quando dissentiuntur culpatè, de quo tamẽ inferiùs erit sermo. Tertiò probatur: quia hæc culpa cõmittitur eo præcisè, quòd aliquis cum pertinacia dissentiatur testimonio Dei proposito sufficienter ab Ecclesia: sivè enim aliquis fidem habuerit, sivè ea perpetuò caruerit, infidelitas admittitur. §. 11. *1. Observ. Suarez.*

Caietanus alijque Thomistæ opinantur hæresim in homine baptizato habere malitiam infidelitatis, non solùm contra fidem §. 12. *Caietan.*

fidem Catholicam; sed etiam contra fidem promissorum: quia in batismo promittimus eius observationem. Hæc tamen ratio displicuit eidem Caietano eam promisionem neganti. Item quodvis peccatum in materia naturali esset in eadem specie infidelitatis contra promissa: quia in baptismo renunciatur Sathanæ, & quamvis in baptizato eam circumstantiam haberet, eā careret in cathecumeno; qui tamen esset infidelis: non paganus, nec Iudæus; ergo hæreticus: huius hæresis, & baptizati essent eiusdem rationis in ratione infidelitatis: esto hæresis baptizati habeat adiunctam malitiam alius speciei: quod non mutat hæresim in ratione infidelitatis, vt pono ex disputationibus de actibus humanis.

§. 13. Observa secundò: has infidelitates non esse dignoscendas ex subiecto: est enim indignum Philosopho, quærere discrimina habituum ex subiecto, in quo extiterunt, aut non extiterunt. An albedo differt specie, si numquam extitit in subiecto, ab ea, quę extitit? Illa enim est circumstantia maximè accidentaria: quia licet ordo ad subiecta diversarum specierū efficeret diversitatem; non tamen actualis existentia, aut eius carentia in eodem subiecto.

§. 14. *S. Thom.* Hinc oritur difficultas doctrinæ Sancti Thomæ: quia acceptio fidei non est subiectiva; nec si esset, præstaret ad diversitatem infidelitatum: acceptio autem obiectiva non constituit discrimen: ergo. Probo minorem: ponamus duos infideles audientes Incarnationem Christi, simul & eam fuisse promissam: alter dicat: *ego neutrum dico, nec Incarnationem, nec promisionem*, alter verò: *ego propter Iudaorum consensionem, credo promisionem; non verò propter consensionem Christianorum: ac propterea non credo Incarnationem exercitam.* Hi duo non differunt in infidelitate: quia vterque admittit duo peccata: alterum contra Incarnationem, vt propositam ab Ecclesia: alterum circa promisionem: quia vterque negat authoritatem Ecclesiæ: & qui promisionem admittit, non exercet in eam fidem Catholicam; sed humanam Catholicæ repugnantem: ergo illi non differunt in infidelitate. Ratio à priori, quia admittere promisionem Christi, aut aliquam eius vmbram, per fidem humanam temerariam, tàm imprudenter exercitam, non magis pertinet ad fidem Catholicam, quàm eam negare: est ergo quærenda alia congruentia divisæ infidelitatis in paganismum, hæresim, & Iudaismum.

Pater Suarez disputat. 16. sect. 4. num. 10. hanc diversitatem explanat per Scripturas. Qui admittunt vetus testamentum, & non novum, sunt Iudæi: qui neutrum admittunt, sunt Pagani: qui novum, & non omnia, quæ in illo continentur; sunt hæretici. Cùm autem Pater Suarez censuerat eam divisionem non esse exactam; reddit congruentiam non incongruam. Contrà: quia ex §. 8. constat ex Rege Alphonso, à multis Sarracenis Pentatheucum admitti: item & circumcisionem; nec tamen sunt Iudæi: quia & in decretalibus, & in Hispaniæ partitis discernuntur à Iudæis Sarraceni: item & ipse Pater Suarez num. 3. eos paganis accenset: ergo paganus non distinguitur à Iudæo per vetus testamentum. §. 15. *P. Suarez.*

Dices, ab illis non admitti libros prophetarum. Respondeo, adhùc illos futuros Iudæos: vt enim sub nomine Christiano nonnulli respuunt libros aliquos novi testamenti; ita & aliquos veteris sub nomine Iudaico. Et quemadmodū sunt hæretici, qui admittunt partem novi test[illegible]ti; cur non erit distincta infidelitas in admittenda parte veteris testamenti sub nomine Iudaico? Item potest hæreticus reijcere integrum testamentum novum; vt id ferè faciunt Novatores, omnia revocantes ad spiritum proprium. Quid pugnat hominem baptizatum, & ante hæresim Catholicum, credere Christum venisse servatorem à peccatis; & multas Christianas cæremonias observare; immò & ferè omnes: & asserere nullam esse Sacram Scripturam novi testamenti? vt à Manichæis factum asserit Pater Maldonatus in præfatione Evang. cap. 2. & fieri facile potuisse à Calvino? iste manifestè est hæreticus, quia sub nomine Christiano, discedit à doctrina Ecclesiæ; nec est apostata. Item si hic neget vetus testamentum, non est paganus; quia est Christianus nomine: nec item est Iudæus, si vetus admittat: credit enim Christum venisse. Alia ergo ratio quærenda. §. 16. *Obiectio. Resp.* *P. Mald.*

Eam reddit P. Suarez num. 11. aut enim aliquis nullam admittit revelationem Dei, & hic est paganus: aut admittit aliquam; non tamen omnes, & hic est hæreticus: quales erant tunc Saducæi inter Iudæos. Hi duo errores habuerunt locū ante Christum, post quem locum habet Iudaismus, quo non creditur venisse Christus. Contrà: potest baptizatus post exercitam fidem Catholicam, sibi persuadere nullam esse revelationem Dei; sed ab ipso omnes moveri ad credendum, & se credere venisse §. 17. *Suarez.*

Christum: credere (inquam) id est, persuadere: hic est hæreticus, & nullam revelationem admittit. Item potest aliquis incircumcisus expectare Messiam. Item & eum credere esse Deum, ac venisse: simulque colere alios Deos, vt ferè de Tiberio Cesare fertur: hic erit mixtus ex Christianismo, & paganismo.

§. 18. *Probatio.* Hæc divisio moralis est potiùs, quàm Metaphysica; quam Scriptura & Patres, Concilia & iura meritò fecere ad ferendas leges contra infideles, & ad œconomiam Ecclesiasticam. Agitur enim diversa ratione cum hæretico, ac cum Iudæo, & cum Pagano: vt constat ex adductis Canonibus, ac legibus: & diversa ratione disputandi vtitur Ecclesia; item & divesa prædicatione, & alijs medijs ad ipsorum salutem, & Catholicorum cautionem vtilibus. Quapropter Ecclesia de illis iudicat in foro exteriori. Omnes Mosicolas non baptizatos vocat Iudæos, qui circumcisione, & alijs cæremonijs vtuntur Mosaycè. Cæteros infideles non baptizatos censet paganos, qui constituuntur adæquatè per fundamentum duarum negationum: nempè, quia nec Mosem, nec baptismum sequuntur. Hi sunt gentiles idololatræ, Sarraceni & etiam Cathecumeni, quamvis verè crediderint. Hi enim sunt extra characterem Christianitatis, de quibus Ecclesia non secùs iudicat, ac de paganis & Iudæis, pro qualitate infidelitatis, quam deferere volunt; non verò vt de hæreticis. Denique omnes deficientes à doctrina Ecclesiæ Romanæ post baptismũ Ecclesia vocat hæreticos. Quæ divisio est adæquata: vndè qui deficiunt ad Mosem vocantur Iudaizantes; puniuntur tamen pro hæreticis: quia verè tales sunt: item & ad paganismum migrantes: omnes enim illi sunt hæretici; & non pagani; sed paganizantes. Iudæus enim & paganus carent baptismo: at hæretici Iudaizantes, aut paganizantes baptismo non carent; sed sunt intra spiritalem iurisdictionem Ecclesiæ, & capaces sacramentorum, sine novo baptismo: vndè illæ species sunt adæquatæ, & exacta est divisio. Paganus enim non potest esse Iudæus: quia paganismus includit negationem Iudaismi: nec Iudæus potest esse hæreticus propriè: quia Iudæus dicit carentiam baptismi: quamvis ex conscientia erronea, potest deficere ab aliqua propositione Iudaicâ, in qua culpam hæresis committat per accidens, vt monet P. Suarez num. 13.

§. 19. 2. *Conclus.* *P. Suarez.* Dico secundò: ea divisio non est Metaphysica: ita P. Suarez, & ferè omnes Theologi, paucis Thomistis exceptis. Probatur primùm, quia divisio exacta Metaphysica est in species essentialiter oppositas, & adæquatas: hæ non sunt eiusmodi: quia Iudæus & Mahometanus audientes legem Mosis expirasse, nec homines religionis ergò esse circumcidendos; si dissentiantur, æquè peccant ex genere suo, & possunt esse æquales moraliter in cognitione; & alter censet circumcisionem esse necessariam; Mahometanus in finem suæ legis; Iudæus in suæ: qui fines sunt diversi: hi peccant: alter Iudaismo; alter paganismo: ergo hæ species non sunt oppositæ essentialiter: itẽ paganismus propriè est cultus falsi Dei: Sarracenismus non est: nec item Athoismus: nec cultus Philosophicus præstitus vero Deo, nisi cum negatione fidei Christianæ. Item cathecumenus fidelis, si deficiat, eâdem ratione specifica peccat, ac si esset baptizatus: estque Metaphysice hæreticus: ab Ecclesia autem habetur pro pagano, aut Iudæo. Cætera vide in Patre Suarez.

DISPVT. LXXII.

Vtrùm infidelitas sit genus tàm physicè, quàm moraliter?

ID est, vtrùm infidelitas contineat sub se multas species infidelitatis: quæ tàm in genere entis, quàm moris, sint distinctæ; & in confessione aperiendæ? An verò omnes infidelitates sint eiusdem speciei infimæ? §. 1.

SECTIO I.

Prima conclusio.

§. 2. 1. *Conclus.* DICO primò: infidelitas vt sic est genus physicè consideratum, ad varios infidelitatis actus specie distinctos in esse entis physicè: nempè, vt visio coloris vt sic continet plures species; aliam de albo; aliam de nigro; ita dissensus huius revelationis differt specie à dissensu alterius. Quæ doctrina expressè datur à Sancto Thoma quæst. 10 art. 5. Caietano, Patre Valentia, Bañez & alijs: & probatur primùm ex parte obiecti formalis, quod est divina authoritas, & revelatio: sed negatio authoritatis differt specie à negatione revelationis: ergo. Minor probatur: *S. Thom.* *Caiet.* *Bañez.* *Valent.* 1. *Prob.*

batur: quia negatio authoritatis habet pro obiecto immediato non esse authoritatis; alia verò negatio non esse revelationis; primum vitium est (vt ita dicam) Theologicum; secundum verò purè morale.

§. 3. *Obiectio. Resp.* Obijcis: actus fidei esse solo numero distinctos erga ea obiecta; ergo actus infidelitatis. Antecedens est apertè falsum: si enim illi actus distinguuntur realiter, & specie, quia alter plerumque est evidens; obscurus alter, hic habet pro obiecto formali, & immediato accidens creatum; estque purè moralis; ille Deum, estque Theologicus. Aut ergo illi actus differunt specie, aut non sunt, nisi vnus: at dissensus non est opus vt sit vnus: multi enim hæretici tenent immoti authoritatem Dei, & negant revelationem: si autem aliquis negaret vtramque, haberet actum specie distinctum propter obiecta distincta. Deindè consequentia est mala, quia habitus, & actus supernaturales se porrigunt ad plura obiecta, & actus, quàm naturales, infidelitas autem est vitium naturale: quod faciliùs multiplicatur, quàm actus supernaturalis.

§. 4. *2. Probat.* Secundò probatur ex distinctione revelationum; sunt enim distinctæ speciei, vt ostendi disput. 56. vndè illorum dissensus sunt distincti. Item & ex parte obiecti negati: dissensus enim de Trinitate specie differt à dissensu de initio mundi. *Obiectio. Respond.* Dices, assensus fidei circa ea obiecta specie non differre: ergo nec dissensus. Nego antecedens, vt sæpiùs ostendi. Nego item consequentiam: quia assensus fidei oriuntur ab eodem obiecto formali authoritatis, & testimonij Dei: testimonia autem censebit aliquis non distingui specie: dissensus autem oriuntur à diversis rationibus obiectivis. Trinitatem enim negat Paganus ob Metaphysicum principium, *quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se*: initium mundi negat, quia *ex nihilo nihil fit*. Iudæus autem id negat ob alia principia; immò circa idem mysterium oriri possunt infiniti errores distincti specie: quia ad negandum mysteriũ, & revelationem, possunt homines mille principijs abuti. *Aragon. S. Thom.* Aragon in art. 5. censet absurdum tot esse infidelitates, quot sunt errores: at id expresè docet S. Thom. immò plures errores possunt esse, quàm sunt mysteria negata: quia vnum negari potest multis de causis formalibus, sive formalibus obiectis.

SECTIO II.

Secunda conclusio.

§. 5. *2. Conclus. Probat. P. Suarez.* DICO secundò: contra fidem possunt esse multa peccata specie distincta: in hanc conveniunt authores citandi §. 7. item & Pater Suarez & omnes ferè Theologi, quia peccatum hæresis specie distinguitur à peccato non tollente fidem; sed multa peccata contra fidem eam non tollunt: ergo distinguuntur specie morali ab hæresi. Minor est certa: quia ignorantia vincibilis est peccatum contra fidem; nec eam abigit. Maior probatur: quia ex magnitudine supplicij colligere possumus peccati diversitatem. Cùm enim Deus ob hæresim hominem privet spe, & fide, & Ecclesia atque Apostoli tàm acres fuerint in hæreticos; non verò in ignorantes culpatè: argumentum est, ea peccata plus differre, quàm intra eamdem speciem. Deinde pertinacia, & contemptus contra vniversam Ecclesiam, cui non videbitur in specie morali diversa, ac est negligentia audiendi Doctorem? hæc enim habet obiectũ commodũ aliquod, aut studiũ alicuius rei, ob quod omittit audire; illa habet obiectum vilem opinionem de tota Ecclesia.

§. 6. *2. Probat.* Secundò: peccatum omisionis specie differt à commisione, sed in fidem sunt omisio & commisio: ergo differunt specie. Minor probatur: quia si quis nõ credat, quo tempore potest, & tenetur, peccat omissione; qui autem dissentitur, cõmisione. Maior ponitur ex materia de peccatis.

SECTIO III.

Tertia Conclusio.

§. 7. *3. Conclus. Caiet. Bañez.* DICO tertiò: inter infidelitatés consummatas sunt multæ distinctarum specierum in genere moris: ita censent Caietanus, Bañez, & alij Thomistæ in art. 5. arbitrati se hac in parte secutos B. Thomam. *1. Prob.* Probatur primùm ex §. 2. Qui negat authoritatem Dei, committit peccatum distinctum specie à negatione revelationis: ergo. Probo antecedens, quia iudicium de fallibilitate, aut falsitate Dei, est in genere moris in specie deteriori, quàm iudicium de non existentia revelationis: quia illud est disconveniés immediatè Deo ipsi, cui appingitur ea imperfectio: dissentiri ergo veritati Dei, est iniuria irrogata Deo, vt personæ privatæ:

S. Tho. q. 10. Art. 5. dissensus autem revelationis non est iniuria Dei, nisi communi ratione, qua omne peccatum est iniuria Dei: at non est convicium in Deũ, qualis est dissensus alter: item revelationis existentiæ dissentimur, quia censemus Ecclesiam aut fallere, aut falli; sed id opinari de Deo est in deteriori specie: vt irreverentia in Deum est in irreligione; nõ verò irreverentia in homines: ergo istæ duę infidelitates sunt in diversis speciebus in genere moris.

§. 8. 2. *Probat.* Secũdò probatur ex parte motivorum: diversum peccatum est in Iudæis dissensus revelationis à Christo prædicatæ, & propositæ; visis tàm portendentibus miraculis; ac dissensus revelationis propositæ, aut ab Ecclesia, aut per eadem miracula ab alijs relata. Quis enim dubitet obstinatiorem illorum fuisse cæcitatem? quod mirè perpẽdit Sanctus Ioannes cap. 12. 37. *Cùm autem tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum.* Vbi ex Isaia ostẽdit incredibilem eorum cæcitatem. Ratio à priori; quia Deus multis modis specie distinctis potest facere credibiles evidenter suas revelationes: contra quos modos committuntur peccata specie distincta. Etenim virtus miraculorum in diverso genere est, ac authoritas humana totius Ecclesiæ: ergo miraculorum contẽptus erit specie diversus à contemptu authoritatis humanæ. (*Ioan.* 12. 37.)

§. 9. 3. *Probat.* Tertiò probatur ex parte revelationum, & mysteriorum: etenim dissensus de existẽtia Paulli Hierosolymis, aut de cane Tobiæ, nullam habet malitiam, præter dissensum in revelationem, vt propositam ab Ecclesia; at assensus de Deo authore peccati, aut de eius mortalitate, præter illam malitiam, addit specialem iniuriam, cõviciumque Dei: quis enim neget deteriorem esse hæresim malè sentientem de Deo ipso, & Ecclesia; quàm de Ecclesia sola?

§. 10. *Suar. Luisius. Valent. Lorca. 1. Arg.* Huic doctrinæ adversari videntur Pater Suarez disp. 16. sect. 4. num. 8. Luisius disp. 50. fine, Valentia disp. 1. quæst. 10. p. 3. vers. *porrò circa*, & Lorca in annotationibus in art. 5. num. 8. Primùm: quia malitia pensatur ex rectitudine, qua privat; sed omnes infidelitates privant eâdẽ rectitudine: ergo omnes sunt eiusdem malitiæ. Minor probatur: quia fides, qua privant, est vna specie. Hoc argumentum multis est mutilum. Primùm: quia prodigalitas, & parcitas sunt species distinctæ in genere moris; nec privant nisi eâdem rectitudine liberalitatis: item eâdem honestate temperantiæ privant sensualitas, & insensibilitas, quæ differunt specie: similiter credulitas & incredulitas.

§. 11. *Solutio.* Ad argumentum distinguo maiorem. Sumitur ex rectitudine sine modo privandi, nego maiorem; cum modo, concedo maiorem: itẽ distinguo minorẽ: privat eâdem rectitudine eodem modo, nego minorem: diverso, concedo minorem, & nego consequentiam. Item maior est falsa: quia malitia sumitur à disconvenientia obiecti; & cũ infidelitas sit disconveniens multipliciter, est multiplex peccatum: minor etiam est falsa; ad probationem respondeo habitum fidei non esse illam convenientiã: quia peccatum ignorantiæ rerũ fidei est contra cõueniẽtiã fidei, & nõ privat habitu. Est ergo illa rectitudo, aut cõvenientia obiectiva rerum cum natura rationali, aut lege: vel ipsi actus fidei qui sunt multiplices.

Secundum argumentum: quia peccatum contra fidem est contra revelationem propositam sufficienter; sed hoc peccatum moraliter est semper idem, ergo. Nego maiorem: quia potest esse etiam contra authoritatem ipsam Dei. Nego item minorẽ: quia modus proponendi est valdè diversus, vt ostendi §. 8. Item materia revelationum est valdè diversa. §. 12. 2. *Arg. Solutio.*

Quapropter Pater Valẽtia disp. 1. q. 10. p. 3. vers. *ijs ita* rectè monuit explicanda esse in confessione mysteria, quibus datus est dissensus. Quod intelligo; quando cum pertinacia in Ecclesiam dissensum est articulo, ex quo dissensu aliquid Deo indecorũ, aut Ecclesiæ perniciosum creditur; si autem ex eâdem pertinacia quis dissentiretur historiæ, quæ parum interesset; tunc non esset particularis circumstãtia; sed communis de contemptu authoritatis Ecclesiæ, & revelationis Dei: tunc enim omnis diuersitas est moraliter intra eamdem speciem. At dissentiri culpatè revelationi propositæ per miracula, diversæ rationis est, ac per authoritatem Ecclesiæ. Vide Patrẽ Suarez disput. 16. sect. 4. num. 14. & P. Thom. Sanchez li. 2. Summæ cap. 7. num. 17 §. 13. *Valent.* *P. Suarez. Sanchez.*

DISPVT. LXXIII.

Quæ infidelitas sit deterior?

COMMVNIS sententia cũ S. Thom. quæst. 10. art. 6. asserit, hæresim in ratione peccati esse gravissimam; deinde Iudaismum; tandem Paganismũ: hunc autem esse deterrimum, propter plures, & deteriores errores. Ego censeo hæresim esse ex genere suo omnium deterrimã, etiam in corruptione errorum: quia omnes gentilium errores potest hæreticus amplecti, quibus additur circumstantia desertionis susceptæ religionis: item & maior malitia §. 1. *S. Thom. Conclus.*

litia ex circumstantia maioris cognitionis: Catholicus autem ex genere suo eruditior est in credendis mysterijs: vndè crescit eius malitia; per accidens autem poterit gentilis gravius peccare in errando; vt si Philosophus approbat Deorum vulgus; graviùs peccat, quàm Christianus agricola illi assentiens.

§. 2. Itaque circumstantia desertæ fidei compensari potest ex turpitudine erroris: vt si qui fidelis erat, dissentiatur Ecclesiæ in Sacramentorum numero; non peccat absolutè tàm graviter, quàm Philosophus Atheista: quia contemptus Ecclesiæ potest vtrique esse æqualis: cognitio item obiecti maior potest esse in Philosopho; quàm sit in aliquo Christiano; gravitas autem erroris est omnium maxima: ergo.

DISPVT. LXXIIII.

De disputatione cũ infidelibus.

§. 1. X multis capitibus oriri potest controversia de disputationibus cum infidelibus; quæ breviter præstringemus.

SECTIO I.

Utrùm liceat examinare decreta Conciliorum?

§. 2. NVLLI benè instructo fide licere in dubium revocare fidei dogmata, tàm certum est, quàm esse hæreticum, qui dubius est in fide. Antè verò quàm satis constet de certitudine alicuius dogmatis, licitum est de illo dubitare, ac disputare: quia leges fidei non obligant antequam revelatio proponatur, vt evidenter credibilis. Quapropter homo, qui primùm audit fidei mysteria, potest absque peccato disputare, dubia proponere, & audire responsa; donec ei constet revelationẽ tàm evidenter fieri credibilem, vt iudicet non licere ei dissentiri; vel ignoret culpatè: eâdem ratione Catholicus ignorans inculpatè revelationem, potest de illa arguere; donec ei constet, eam esse tàm certò propositam, ac cæteras. At, qui de iam propositis dubitat, & arguit vt dubius, puniendus est pro hæretico.

§. 3. Vndè concludo, eum, qui alicuius legitimi Concilij generalis approbati dogmata examinat, aut discutit, ad ea, vel impugnanda, vel revocanda in suspicionem, esse hæreticum: quia dubius est de revelatione proposita à tota Ecclesia: nec hac de re est controversia inter Catholicos; nec esset inter hæreticos, si arbitrarentur propositionẽ totius Ecclesiæ esse applicationem sufficientem. Quapropter eos, qui dubitant de revelationibus propositis vnicuique proprio spiritu interiori, dicunt Novatores esse hæreticos, & dubios in fide: quod ergo ipsi dicũt de suo spiritu fallaci; nos asserimus de propositione Ecclesiæ.

Addò præterea hæreticos, aut Paganos, aut Iudæos agere contra ius civile, dùm disputant, aut scribunt contra eiusmodi Concilium: quam sententiam doctè animadvertit P. Valentia tom. 3. disp. 1. quæs. 10 pũct. 4. contra Martini Kemnitij examen Concilij Trident. eam sequitur P. Luisius in explicatione articuli septimi & P. Suarez disputat. 20. sect. 1 num. 2. §. 4. *Valent. P. Luisius. P. Suarez.*

Probatur ex lege *Nemo Clericus*, Codice lib. 1. tit. de *summa Trinitate*: cùm enim disputationem interdixisset Martianus Imperator, ait: *Nam & iniuriam facit iudicio reverendissimæ Synodi, si quis semel indicata, ac rectè disposita revolvere, & publicè disputare contenderet.* Respondet primùm Kemnitius, se non egisse contra hoc ius interdicens publicam disputationem, contra quæ rectè disposita sunt: se enim non agere ait, nisi contra malè disposita in Concilio Tridentino. §. 5. *Probatio. Martian⁹. Imperator* *Kemnit. Obiectio.*

Respondeo, Imperatorem vetuisse omnem disputationem contra decretum aliquod Concilij: quia in eius honorem, eam tulit legem, certus Catholicus Imperator non posse esse malè disposita decreta legitimi Concilij, cui irrogatur iniuria revocatione in dubium alicuius decreti. Itaque non est bipartitus Imperator decreta in malè, & benè disposita; sed voluit ab omnibus eum honorem haberi Concilio. En Imperatoris verba: *Cùm ea, quæ nunc de Christiana fide à Sacerdotibus, qui Chalcedone convenerunt per nostra præcepta, statuta sunt; iuxta Apostolicas expositiones, & instituta Sanctorum Patrum trecentorum & decem & octo in Nycæa, & centum & quinquaginta in hac Regia vrbe, definita esse noscantur.* *Resp.*

E quibus constat, Canones trium Conciliorum iuxta Apostolicas expositiones censos ab Imperatore, & prohibitos revocari in dubium; ne vel ipsa suspicione Synodis irrogaretur iniuria. Tunc etia secunda ratio est manifesta: *quia* (inquit) *non solùm contra fidem verè expositam veniunt; sed etiam Iudæis, & Paganis ex huiusmodi certamine prophanant veneranda mysteria.* §. 6.

Secundò

S.Tho. q. 10. Art. 7. 2. Obiectio Secundò respondet Kemnitius, hic interdictam ab Imperatore disputationem, ex qua tumultuatur plebs, aut perfidię occasio, his verbis: *ex hoc tumultus, & perfidiæ occasionem requirens*; se autem non ob eas caussas disputare. Resp. Respondeo, omnem eiusmodi disputationem ab Imperatore censeri occasionem tumultus, & perfidiæ: quia censet triũ Conciliorum decreta esse expositiones veras fidei, & Apostolicas; omnem autem eiusmodi concertationem de fide, & eius in dubium revocationem perfidiam; & prophanationem fidei apud Iudæos, atque Paganos. Item omnis eiusmodi concertatio est occasio tumultus: non ergo damnat Imperator quærentes data operâ tumultus; sed illorum occasionem dantes publicâ disputatione. Legatur tota illa lex, qua docētur hæretici quantam observantiam debeant Conciliis. Salicet. Salicetus rectè observat, ideò prohiberi disputationem contra Conciliorum decreta: quia sunt prima principia, contra quæ non est disputandum.

§. 8. 3. Obiectio Resp. Dicit tertiò: eam legem esse contra disputantes contra legitima Concilia: Tridentinum autem esse illegitimum. Respondeo, à Kemnitio omni Concilio detrahi authoritatem. Deinde Tridentinum eâdem ratione coactum, quo Nycænum, Chalcedonense, & Constantinopolitanum: quibus præfuere legati Papæ: vt ostendi disp. 21.

§. 9. 4. Obiectio Respond. Dicit quartò: sermonem eâ in lege esse de disputante voce, turbis coadunatis, & audientibus. Respondeo, omnem publicam disputationem interdictam, his verbis: *Si Clericus erit, qui publicè tractare de religione ausus fuerit.* Deinde ratio legis est manifesta: quia reverendissimæ Synodo maior infertur iniuria scripto, quàm voce; item scripta prophanant mysteria Iudæis: & agunt contra fidem verè expositam; vbi autem est eadem ratio legis, est eadem obligatio, vt Salicet. in simili docet Salicetus ibidem. Immò & prima verba legis id exprimunt: quia libri leguntur sæpè turbis coadunatis. Non est ergo dubium Kemnitium procax examen Concilij Tridentini; & Calvinum venenatum antidotum dedisse luci contra ius civile.

§. 10. Deduco ex dictis, non licere Regibus, & Principibus Catholicis permittentibus etiã conscientiæ libertatem; permittere impunes hos libros: quia libertas conscientiæ permittit vnicuique religionem: non tamen agere contra ius civile. Possunt quidem hæretici impunè impugnare dogmata definita: quia id habet libertas conscientiæ; reflexè autem agere, disputare, aut scribere contra aliquod Concilium legitimum, non possunt: quia ergo libertate conscientiæ nõ solvuntur hæretici obligatione iuris civilis: tenentur illi obedire: quia verò permissio horum librorum est tàm perniciosa, tenentur Principes iure charitatis, & providentiæ in subiectos, eos libros dare igni, & authores punire.

Dices, hæreticos libertate conscientię non teneri legibus contra hæreticos latis. Distinguo: non tenentur legibus quoad pœnam; concedo: quia libertas conscientiæ eos permittit impunes: vndè Principes condonant pœnam: non tenentur legibus præcipientibus aliquid non contentum in libertate cõscientiæ, & perniciosum Reipublicæ: nego. At huiusmodi disputationes & libri sunt perniciosi, nec cõtinentur in libertate conscientiæ. Possunt enim hæretici dissentiri & repugnare cuivis dogmati, in quo sunt liberi: non tamen possunt reflexè agere contra aliquod generale Concilium, nec disputare extra gymnasium: in gymnasio enim non est turbis coadvnatis, vt Salicetus observat. §. 11. Obiectio. Respond.

SECTIO II.

Disputatio cum infidelibus est licita.

DISPVTATIONEM cum infidelibus esse licitam, dubitari non potest. Qua de re luculenter agunt Patres Valentia disp. 1. quæst. 10. p. 4. & Suarez disp. 20. Idemque confirmant pluribus testimonijs paginæ Sacræ, & Sanctorum Patrum. Constat exemplo: Sanctus Augustinus tom. 7. & lib. de vnico baptismo, initio, obijciens Donatistarum questus, ait. *Prima illic invidia est, quòd ventilatur in publico res secreta: taceant ergo, qui hoc fieri debere non putant: aut si ad loquendum cogi se dicunt, vt respondeãt contrà sentientibus, hæc etiam nostra caussa est, vt respondeamus. Debet enim palàm redargui, quod in occulto nocet*: estque eodem tom. 7. exemplum insigne disputationis publicæ initæ inter Catholicos & Donatistas iussu Imperatoris Constantini, cuius collationem refert S. August. in Breviculo. Item eodem tom. 7. concionum super gestis cũ Emerito post initium, refert se Donatistis obiecisse testimonium Scripturæ in collatione, id est, disputatione: *quod illis* (inquit) *in collatione diximus*, & lib. de gestis cum eodem Emerito refert cum illo, alijsque Donatistis publicas disputationes. §. 12. Valent. P. Suar. S. Aug.

Nec nos deserunt aliorum Sanctorum exempla: mitto in Concilio Nycæno admissam disputationem cum Philosophis, in Constan- §. 13.

Constantiensi cum hæreticis, in Tridentino expeditũ salvum conductum, vt hæretici disputaturi venirent: & à Catholico nostro Rege Carolo Primo, Imperatore autem Quinto vocatum Lutherum, cum quo, & eius discipulis publicè disputarunt Cardinalis Caietanus, Ioannes Eckius, Ioannes Cochlæus, & alij. Sanctus Petrus Martyr, ex clarissimo Prædicatorum Ordine, non semel publicam disputationem inijt cum Manichæis: Sanctus Antonius Paduanus, ex Seraphicâ familâ cum Bonavillo, & alijs. Hic miraculo piscium ad ipsum audiendum convertit hæreticos; ille disputatione provexit trahens oratione nubem, quæ solis radios excepit, ne ambürerent auditores. Sãctus Franciscus Xavierus ex nostra Societate, vno prælio fugavit tria millia Bonciorum spectante Buengenti Rege, qui ex eâ disputatione semen suscepit verbi Dei, ad quem conversus Franciscum se voluit appellari, in honorem sui catechuistæ. Nec hâc de re dubitari potest.

Caietan. Eckius. Coclhaus. S. Petrus Martyr. S. Antoniˀ de Padua. S. Frãcis. Xavierus

§. 14. *Ratio.* Ratio est manifesta. Primùm: quia fides est ex auditu concipienda, nec homines teneantur credere, nisi tàm validis argumentis revelatio proponatur, vt prudẽtissimus quisque iudicare possit, non licere dissensum; hoc autem fieri non potest absque disputatione, quæ est inquisitio, & ostensio veritatis. Nec tenetur quis credere, nisi illius difficultati fiat satis, vel ostendendo mysteria non esse contra; sed supra rationẽ, vel argumenta diluendo, vel ea infringendo authoritate Dei oppositum asserentis. Item hæretici deficiunt apertè à fide: cum quibus agendum partim ex Scriptura, partim ex ratione naturali, cui sæpe adversantur. Respondendum item est ad illorum cavillos, ne insolescant, & iactitent Catholicos parum abesse à Mahometanis, qui non ratione; sed armis agendum, pro lege censent: possent item multi seduci, nisi Catholici Doctores obsisterent.

§. 15. *Obiectio. ad Tit. 3. 10. Tertullia. Respond. S. Hieron.* Huic doctrinæ videtur obesse Paullus ad Titum 3. 10. *Hæreticum hominem post primam & secundam correptionem devita.* Vbi Tertullianus lib. de præscriptionibus, cap. 16. ait: *adeò interdixit disputationem.* Respondeo inde probari cõclusionem: ponit enim Apostolus primam, & secũdam correptionem: quam S. Hieronymus interpretatur commonitionem factam monendo, & docẽdo. Monet Apostolus hæreticum bis monitum fugiendum: rationem reddit ipse, quia proprio iudicio subversus est: & Sanctus Ambrosius, quia disputatione crebra sunt exercitatiores; Sanctus autem Hieronymus, quia se parat ad pugnas, & iurgia verborũ: e quibus liquet duobus in casibus fugiendam cum hæretico disputationem. Primum, cùm non est eius resipiscentiæ spes. Secundò, ne publicè sine delectu inspiciente populo ineatur disputatio: tunc enim verbis, & gestu immoderato excitant cachinnos; at vbi non est hoc periculum, disputari potest cum hæretico etiam contumaci: vt fit apud quæsitores fidei, qui viros doctos accersunt ad coarguendos hæreticos. Item cùm hæreticus grassatur impunis, opus est illi disputatione obsistere: vt infrà constabit.

Ambrof. S. Hieron.

§. 16. *Obiectio. Gelas.* Huic expositioni obesse videtur Gelasius Papa in commonitorio ad Faustinum: *Nobis* (inquit) *nullum fas est inire certamen cũ hominibus communicationis alienæ, dicẽte Apostolo Hæreticum hominem, &c.* Respondeo: à Gelasio intelligi certamen contentiosum, & invtile: quale fit verborum contentione, quam Apostolus secundò ad Timotheum 2. 14. dixit non esse vtilem, nisi ad subversionem audientium, & eorum verba serpere canceris more vlcerantis corpus. Hæc certamina nullo modo nobis licent; licent tamen disputationes, quando ex illis speratur vtilitas: tunc enim non contenditur verbis ad subversionem aptis; sed ad emendationem hæretici, vel cautionem aliorum. In hunc sensum expone Sanctum Irenæum, Sanctum Athanasium, & alios adductos à glossa, PP. Iustiniano & Cornelio ad Titũ 3. 10. & 2. ad Timot. 2. 24. Concilium autẽ Toletanum adductum à Patre Suarez disp. 20. sect. 1. num. 3. agit de disputatione inter Catholicos, quæ oritur ex curiositate: ait enim non esse diuina à nobis discutienda, nec disputanda; sed credenda.

Respond. Ad Timo. 2. 14. S. Iren. S. Athan. Iustinian. Cornel. Concil. Toletan. Suarez.

SECTIO III.

Quibus liceat cum infidelibus disputatio?

§. 17. DISPVTATIO cum infidelibus multis ex capitibus potest esse honesta: item & vitiosa. Nunc disquiro, cui personæ Catholicæ sit licita, vel prohibita?

§. 18. *1. Conclus. S. Thom.* Dico primò: nulli in docto licita est disputatio cum infideli, ijs de rebus, quibus non est satis instructus: quæ doctrina clarè colligitur ex S. Thoma quæst. 10. artic. 7. Probans enim publicam disputationem esse licitam interdùm, ait, necessarium esse vt ad id munus assistant sufficientes, & idonei. Eamdem docet Pater Valentia disp. 1. quæst. 10. p. 4. vers. *secunda assertio*, Pater *P. Valent.*

Azor

S.Tho. q. 10. Art. 7. P. Azor. Thom. Sanch. P. Suar. Azor tom. 1. lib. 8. cap. 26. quæst. 1. Pater Thom. Sanchez lib. 2. Summæ, cap. 6. num. 3. & Pater Suarez disput. 20. sect. 1. num. 8. quam rectè ex Apostolo probat. Ratione id etiam confirmat: quia in omni munere tenetur vnusquisque ita esse peritus, vt illud possit exercere; at hoc munus est gravissimum: ergo. Responderi potest ad omne munus publicè exercendum, aut privatim ex stipendio, vnumquemque teneri ad doctrinam necessariam: v. g. Doctor, aut Concionator; immò & sutor, & sartor: ne per inscitiam alijs noceant. At si quis nec eo munere publicè, aut ex stipendio fungatur; nec tenetur ad peritiam. Si enim quis velit ex suo corio calceos efficere; non tenetur discere sutoriam. Ita in disputando, non tenetur quis ad doctrinam ratione officij, aut muneris: quia obiter, & sine disputationis professione id præstat.

§. 19. *Ratio à priori.* Ratio à priori est periculum deceptionis, derisus mysteriorum: ignarus enim potest quàm facillimè decipi ab hæretico, cuius verba serpunt vt cancer: quòd si doctrina Apostoli proposita §. 15. & 16. vlla in occasione obligat, hæc maximè est, vbi nulla est spes fructus, & maximum periculum aversionis à fide. Quapropter rectè Põtifices decreverunt, ne laici disputarent de fide: quia frequenter sunt indocti: vndè in vulgari puerorum Cathechesi, rectè inducitur ignarus reijciens rationem mysteriorum ad Ecclesiæ Doctores: quam ipse præ ignorantia reddere non potest. Si tamen aliquis satis sit instructus aliqua mysterij doctrinâ, ita vt speret vtilitatem ex disputatione; non est secundùm se illicita de illo articulo disputatio. Quanta autem doctrina necessaria sit? Dico illam, ex qua prudenter speretur vtilitas, considerata doctrinâ & acumine infidelis, cum quo disputatur; nisi Deus speciali auxilio indoctum impellat, vt Sanct. Spiridionem ad vincendum Philosophum.

§. 20. *2. Conclus.* Dico secundò: ex Iure Canonico illicita est disputatio Catholico laico cum infideli, cap. *inhibemus*, de hæreticis in sexto, his verbis: *inhibemus quoque ne cuiquam laicæ personæ liceat publicè, vel privatim de fide Catholica disputare; qui verò contrà fecerit, excommunicationis laqueo innodetur.* *Caiet.* Caietanus in eum articulum septimum rectè monet disputationem vsurpari pro formali, quando cum aliquo disputatur ad persuadendam doctrinam fidei: alter eam non credit; alter verò eam illi persuadet. Debet ergo in omni disputatione esse aliqua sententiarum diversitas, vt disputatione veritas aperiatur. Cùm ergo de ipso fidei articulo dissidetur, non potest laicus disputationem inire: nam hac lege id cavetur, & meritò: quia laici frequenter sunt indocti, quorum disputatione periculum creatur, & ipsi, & audienti, & ipsi fidei. Quando verò non dissidetur de ipso articulo; sed de ratione illum probandi, est quidem disputatio formalis de ratione non spectante ad fidem: de ipsa autem fide non est disputatio formaliter; sed materialiter. Quapropter & pueri in Scholarum etiam Tyrocinio disputant de fide: quia non creatur periculum vllum in fidem.

§. 21. Rogas, vtrùm duo laici Catholici possint disputare de fide? Respondeo, ex doctrina Caietani inter eos nullam esse formalem disputationem de fide: quia de illa neuter dubitat; sed est potiùs quædã confabulatio de fidei mysterijs. Si quod autem oritur dissidium, non est de rebus fidei; sed de ratione illarum, quæ disputatio est, qualis est inter Scholasticos Catholicos, & quidem cùm totus ille titulus sit de hæreticis; illa lex est ne indocti se insinuent in hæreticorum disputationes: ne *camelus cornua desiderans, emittat etiam aures.*

§. 22. Hæc lex abrogata videtur in Provincijs vtentibus conscientiæ libertate: quia laici Catholici, & timentes Deum, frequenter disputant cum hæreticis, vt observat Pater Valentia quæst. 10. p. 4. versu *alij etiam*: nec potuimus digniori teste moveri, cùm ipse diu in eis regionibus degerit: quem sequuntur Pater Suarez disp. 20. sect. 1. num. 11. & Pater Thom. Sanchez num. 7. loco adducto §. 18. idque iure: quia in ijs Provincijs non sunt solùm hæretici Magistri; sed multi etiam ineruditi, ad quos arguendos sufficiunt alij laici. Item hæretici vagantur impunes, eaquepropter maritus potest persuadere fidem vxori, eamque confutare; Pater filio; & herus servo, essetque ea lex perniciosa in ijs Provincijs: quia pesti, & lui hæreticorum aerem inficienti non satis efficax medicina provideretur, si vxor hæretica garriens in fidem contra maritũ, non posset ab eo, nisi fuste compesci: est enim rationibus emendanda. *Valent.* *P. Suarez. Thom. Sanchez.*

§. 23. Prætereà ea lex non vetat laicis disputationem cum hæreticis, quando laicus disputatione potest vitare grave damnum in fidem, aut aliquem hominem tueri. Si, verbi gratia, hæreticus conetur fidelem corrumpere argumentis, quibus solvendis est laicus; non interdicitur tunc ea disputatio. Primùm: quia lege charitatis, iureque divino tenetur ille Catholicus tunc disputare, ita vt omissio disputationis sit peccatum mortale, nisi alia ex caussa gravi excusetur; sed lex humana non vrget contra divinam: ergo. Secundò ex ipsius legis fine, ne hæreticorum

eorum verba serpant, vt cancer: at tunc omissa disputatione serperent; ex disputatione verò non serperent: ergo tunc lex non vetat disputationem; immò disputatio laici cum hæretico, cùm speratur ex ea vtilitas proximi, & laus fidei, non interdicitur easdem ob caussas. Tenemur enim lege charitatis proximo providere, cùm commodè possumus. Item legis fini adversaretur tunc, qui taceret. Quam doctrinam observant PP. Valentia punct. 4. versu *alij limitant*, Sanchez cap. 6. num. 7. Suarez sect. 1. num. 11. & alij. Quod confirmatur exemplo Damiani Iaponi, qui cùm laicus esset, & Neophytus, ingressus idoli phanum, & Boncium audiens de votis nuncupatis ab Amida Iaponorum Deo, publicè eum convicit, Amidam non esse Deum, qui votis eguit ad impetrandam à superiore opem: quo multùm auditoribus profecit, illustravitque fidem. Vide Patrem Ludovicum Guzman.

Valent. Sanch. Suarez.

§. 24. Existimo prætereà: hac lege non teneri laicum doctum, & satis eruditum, qui cum laude disputare posit cum hæretico: quamvis non sit tàm certa spes de vtilitate, nec novum damnum immineat; dùm tamen aliud periculum ex disputatione non immineat. Hæc doctrina est glossæ illius capitis: quæ asserit forte per *laicum*, intelligi more Vltramontanorum, illiteratum: quia apud illos *Clericus* vsurpatur pro *docto*, *laicus* pro indocto. Non probo hanc expositionem, vt constabit infrà; probo autem glossæ doctrinam, nõ teneri hac lege laicos doctos. Quod censuerunt Caietanus quæst. 10. versu *Hac autem cõtingit*, Bañez ibidẽ, Petrus Ledesma 2. tom. summæ, tract. 1. c. 5. conclus. 13. quã probabilem censet Pater Thom. Sanchez lib. 2. cap. 6. num. 5. Probatur: quia vnica ratio legis est, ne periculum creetur disputanti, aut audienti: nullum enim alium finẽ, nec proximum, nec remotum proposuit sibi ea lex; sed cessante omni fine legis, cessat eius obligatio, vt mox dico: ergo. Secundò, quia potest aliquis laicus esse egregius Theologus, & Theologiæ professor. Demus enim ei datum stipendium publicum ad eã professionem; deindè eum vxoratum renunciasse scholis: hic tantã cum laude potest disputare, ac Clericus prima tonsurâ, & privilegio gaudens Clericali: cur huic ius interdiceret disputationem, potiùs quàm illi? Tertiò: quia Pater Suarez, & alij censent posse laicum doctum disputare cum hæretico, iussum à Clerico ibi adstante; sed, si disputatio illi esset interdicta, parùm referret ea Clericorum iussio: ergo. Minor probatur: quia lex non dat Clerico facultatem, vt laico disputationem permittat: probat quidem Sanctum Leonem, & antiquas Synodos noluisse à laicis propria illorum authoritate disputari ante hanc legem; id autem eis licuisse authoritate alicuius Ecclesiastici superioris; at post hanc legem, nullo verbo facto de Clerici iussu interdicuntur laici disputatione, &, vt authoritate Clerici non potest laicus solvere ieiunium, quando lege ad illud tenetur; ita nec disputare, si lege prohibetur.

Caiet. Bañez. Petrus de Ledesma. Sanchez. P. Suarez.

§. 25. Oppositam sententiam sequuntur PP. Azor lib. 8. cap. 26. quæst. 1. Suarez disput. 20. sect. 1. num. 11. Sanchez nunc adductus, Navarrus, Francus & alij, apud ipsos. Primũ argumentum: quia cessante privativè in singulari fine legis, non cessat in singulari eius vis: vt constat ex lege, *Nam ad hac DD. de legibus*; sed hîc est cessatio privativa finis legis in singulari: quia in communi non cessat: ergo hîc non cessat legis vis. Distinguo maiorem: cessante fine legis in singulari remoto, & non cessante fine aliquo proximo, non cessat vis legis, prætereo maiorem; cessante fine legis proximo, & remoto, non cessat vis legis, nego maiorem. In quo sensu Caietanum accipio eo art. 7. asserentem, considerandam esse mentem; non verba legis.

Azor. Suar. Sanchez. Nauar. Francus. 1. Arg. Resp.

§. 26. Cui doctrinæ subijcio, duas esse legum species: alteram, quæ propter finem remotum præcipit actiones, alioquin de se etiam honestas: quæ sublato ordine ad finem remotum habent specialem honestatem, & sunt materia virtutis: exempli gratia, lex ieiunij habet finem compescentem motus turpes, & præcipit abstinentiam: abstinentia moderata est per se materia temperantiæ, & per se laudabilis: si quis absque periculo turpium motuum vesceretur contra legẽ ieiunij, adhùc peccaret: quia manet alius finis proximus legis, nempè, exercitium tẽperantiæ. Vndè carentia periculi luxuriæ non excusat à ieiunio. At aliæ leges, nullũ finem habent, nisi vitare damnum ex aliqua actione, cuius omissio per se non pertinet ad materiam alicuius virtutis, vt hæc de non disputando: carẽtia disputationis quid habet honesti? per se loquẽdo in ijs legibus, cessante fine in singulari, cessat in singulari obligatio: quia lex sine honesto fine non est lex, nec obligat; at in disputatione laici docti cessat in singulari omnis finis legis: ergo.

§. 27. Obiectio. Quod obijcitur ex lege, *Nam ad ea*, nihil vrget; quin à nobis esse videtur: non enim negat exceptionem singularium à lege, cessante omni eius fine; sed legem non ferri ob singulares eventus; sed ob frequentes: cùm ergo laicorũ doctrina sufficiens ad disputationem de fide sit prærarò, non comprehenditur lege eius disputatio, aut non disputatio

S.Tho. q. 10. Art. 7. tio; sed laicorum indoctorum, qui sunt frequentes, verba legis: *nam ad ea potiùs debet aptari ius, quæ & frequenter, & facilè, quàm quæ præraro eveniunt.*

§. 28. 2. Arg. Secundò moventur, quia sequuntur incommoda ex hac exceptione hac præsertim ætate: quia hæretici hoc munus sine discrimine adscribunt laicis, & clericis: & quia singuli laici de sua doctrina præsumentes arrogarent sibi clericale munus. Respond. Respondeo: nullum indè incommodum esse: hæretici ad proprium cuiusque spiritum revocant examen fidei, in quo errant: Catholicus autem disputans non est acturus è proprio spiritu; sed Ecclesiæ. Immò ob hoc periculum in Provincijs liberis conscientiâ, non erant laici disputaturi: quia illas vrit hic inferorum non spiritus; sed ardor. Nec datur præsumptionis occasio: quia longo studio, exercitationeque literariâ debet quis esse paratus ad hæc bella; laicus autem, qui neq; scholas frequentavit; nec est peritus Sacræ literaturæ, nō potest occasionē sumerę prę-sūptionis ex scholastico diuturno exercitio.

§. 29. 3. Arg. Tertiò arguunt: quia illa lex ferè esset inutilis: nihil enim de novo prohiberet laicis: quia indocti iure divino sunt interdicti eâ disputatione; docti verò, nec hac lege interdicuntur. Clerici item indocti non possunt disputare, docti autem possunt. Quid ergo facit hæc lex? Respond. Respondeo: legem esse vtilissimam: etenim ante eam non erat ab Ecclesia puniendus, nec anathemate feriendus laicus indoctus ob disputationem, est autem nunc; eaque propter hic metus eum in officio continebit: at Clericus indoctus ante, & post legem peccat disputando; non tamen hac lege præstringitur, vt rectè observat P. Azor. P. Azor. Hoc autem quis neget magnum esse discrimen?

§. 30. Superest inquirendum, qui intelligantur nomine *personæ laicæ*? glossa censet intelligi hominem illiteratum: quia *Clericus*, accipitur ab Vltramontanis pro literato: & cōsonat Hispana phrasis, qua ignaros vocamus *mui legos, valdè laicos*. Singularis expositio, nec probanda: quia ex ea concluditur Sacerdotem illiteratum ea lege comprehendi; & excommunicandum, si disputet cum hæretico: quod temerè assereretur cōtra communem consensum. Item esset multis occasioni iurgiorum, possent enim Ecclesiastici superiores agere anathemate cum Sacerdote disputante: quia censeretur illiteratus; essetque disputationi præmittenda probatio de sufficienti literatura. Ad rationem respondeo illam phrasim Vltramontanorum non esse iuris. Hispana autem est tropica, vt apud nos sunt multæ. Hoc peccatum est ex se grave: quia punitur excommunicatione maiori, in quam ex communi sententia non caditur ipso facto; sed est ferenda post peccatum.

Alij censent, *personâ laicâ* significari omnes, qui nec Clerici sunt, nec religiosi. Inter quos P. Thomas Sanchez lib. 2. cap. 6. num. 6. Lorca in adnotatione articuli 7. & alijs; quorum opinionem valdè probabilem, & securam appellat P. Suarez disp. 20. sect. 1. num. 10. quia sæpiùs in iure homines dividuntur in laicos, & Clericos, quo nomine comprehenduntur religiosi. Item Canon, *si quis suadente diabolo*, continet privilegium Clericorum; quod eodem nomine datur religiosis. Ratio autem est commoda per iurisdictionis divisionem: qui enim sæcularibus aguntur legibus, sunt laici; Ecclesiastici autem, qui Ecclesiasticis. §. 31. Thom. Sanchez. Lorca. P. Suarez.

Censeo tamen *laicâ personâ* significari omnes, qui carent tonsurâ, & habitu clericali, etiam religiosos: quam doctrinam colligo ex Patre Azor ea quæst. 1. probante sententiam asserentium *laicum* intelligi, qui nullo est Ecclesiastico ordine initiatus, etiā prima tonsurâ. Pater Suar. ab opposita est apertè, quamvis videri vult esse ab hac. In religione sunt nonnulli intonsi, qui communiter vocantur *laici*, sivè *conversi*, aut *mutilati*: hos contineri *personâ laicâ*, monet ipse Suarez posse dici absque incommodo: consentitque Lorca: quia est apertè eadē ratio, immò graviùs eos vrget; nam laici sæculares plures sunt docti: at verò inter mille reperies vnum mutilatum grammaticæ natum: qui enim vel tenuissimè eam attigere, in ordinem sacræ tonsuræ volunt cooptari. Sunt autem frequenter homines ex plebe; addicti culinæ, & ruri. Quis autem dicat excalceatorum donatos non contineri hac lege? Si quis autem sit doctus; ob doctrinam, non ob religionem est hac lege solutus. Sanctimoniales vult Lorca hoc Canone non præstringi. At cur inter illas non discriminat addictas choro à mutilatis, quæ *laicæ* quoque dicuntur? censeo eas eâ lege teneri: est enim gravior ratio, quàm in religioso laico: quia fœminis non licet docere, nec disputare: cur ergo hæc lex eas solvat anathemate in materia in illis periculosiori, & aliundè interdicta ipsis, & non viris? Si cui ergo favet hæc lex, maximè viris religiosis, non verò fœminis: quia eâ adimitur viris facultas disputandi, qua fruebantur; non verò permittitur ijs, quibus est aliàs interdicta. Cæteros religiosos post novitiatum probabile est non comprehendi ea lege; nō quòd religiosi sunt; sed quia sunt per se adscripti ordini tendendi ad clericatum: & quia prima tonsurâ frequenter ornantur; dantque operam literis. §. 32. Conclusio. P. Azor. P. Suar.

Ad

§. 33. *Ad arg.* Ad argumentum ex §. 27. Respondeo, *laicum* propriè esse omnem intonsum prima ianuâ ad clericatum, vel etiam tonsum; sed cum habitu, in quo non gaudet *Lorca.* Ecclesiæ privilegijs, vt observat Lorca. Ad probationem ex Canone illo respondeo, considerandam esse materiam legis: quòd si ratio sit eadem in Clerico, & religioso: hic continetur nomine *Clerici*, & non *laici*, vt in illo Canone, quo Ecclesia contra sceleratorum audaciam armavit omnes Ecclesiasticos: quia inermes incedunt, & vult suspici Deum in personis ipsi dicatis. Quid quòd caput illud apertè loquitur de Clerico, vel Monacho: quando verò eadem est ratio de religioso laico, ac sæculari; tunc *laicus* sumitur & propriè, & in tota significatione vocis. Ad cætera facilè respondetur. Sanctimoniales propriè sunt laicæ, & ratio in illis est gravior. Quòd si obijcias, *Obiectio.* hanc legem esse odiosam, & esse coarctandam: quia ita aliquando fit quamvis ratio in *Resp.* vno, & in alio sit eadem Respondeo: finem immediatum, & vnicum legis esse vitare periculum disputantium, & eam esse favorabilem toti Ecclesiæ: ac propterea strictè est accipienda. Aliæ leges plus habent odij, quàm hæc: quia ex finibus nonnulli sunt mixti ex labore, & commodo spiritali: finis autem vnicus huius est purè spiritalis, & nihil præcipit durum: quia non disputare nullus est labor.

§. 34. Rogas vtrùm Clericus possit licitè disputare? Respondeo licere illi disputationem ex vi legum, si adsint cæteræ circumstantiæ; lex autem *nemo Clericus*, adducta §. 5. non agit, nisi de disputatione revocante in dubium generalis decreta Synodi, vt constat ex ipsius verbis.

SECTIO IIII.

De persona infidelis, & audientium.

§. 35. HÆC facilè expediuntur: cum infideli procaci non est disputandum per se, & absolutè: in quo *Suarez.* sensu P. Suarez numero decimo tertio, rectè exponit Apostolum adductum §. decimo quinto, & ratio Apostolica est evidens: quia ipse iudicio suo se subvertit: idque probant rationes Sancti Hieronymi, & *S. Hieron. Ambros.* Ambrosij ibidem adductæ. Eiusmodi enim non errant, nisi animo errandi: quia per superbiam volunt omnium videri Magistri: vt disputatione 21. ostendi superbiam Lutheri, qui se Angelis censuit superiorem; & Calvini, qui à suis præponebatur Paullo. Montanistæ autem, & Montanus ipse se Christo censuit superiorem; & alius crematus vivus apud Indos ab Hispanis, vnionem Hispostaticam testamento legavit filijs ex sacrilegio susceptis, eorumque successoribus, & se prædicavit redemptorem quoad efficaciam: solentque eiusmodi Scripturas depravare, & calumniari, vt vulgus alliciant: si autem ob vitandum damnum opus sit illos coarguere, descendendum est in arenam: quia licèt ab illis non speretur fructus; extinguitur tamen ignis, ne vires acquirat eundo. Si autem Catholicus ab hæretico provocetur, vt non possit tacere sine incommodo fidei; loquatur, vt effecit Martyr Edmundus Campianus in equuleo singulari doctrina confundens hæreticos. *S. Edmun. Campian.*

Coram plebe non est disputandum; nisi cum solicitatur ab hæreticis. Tunc enim hæreticorum impunitas est in caussa, vt plebeiorum aures frequenter pulsentur errore; tùm privatis sermonibus; tùm publica disputatione, & concione; quo in eventu lex charitatis cogit publicè disputare cum hæreticis, vt simplices, vel confirmentur in fide, perceptis argumenti ponderibus, vel si non percipiuntur, videant eam doctrinam defendi ab hominibus doctis; quorum ingenij & literaturæ opinio in oppido viget, aut in vrbe. Si enim tunc Catholici sileant, intempestivum silentium erit occasioni vilis opinionis de fide. Quod ex Sanct. Gregorio mirè Sanct. Thomas ostendit art. 7. §. 36. *S. Thom.*

Si autem plebs nihil audiat de hæresibus, non licet coram illa disputare cum infideli: quia meliùs percipitur argumentorum vis, quàm responsio: quia illa petitur à ratione naturali; quæ sæpè apparet evidens: responsio verò petitur à supernaturali frequenter, quæ est obscura. Item melius est ne audiant, quàm vt audita ruminent; & existiment nihil esse de fide nec dubitandum; nec obijciendum. At disputatio Scholastica inter Catholicos potest instituti coram plebe: quæ videt non esse dissidium in fide; sed in ratione illam defendendi. §. 37.

Quale peccatum sit hæc publica disputatio, variatur. Pater Thomas Sanchez eo cap. 6. num. 11. censet raró contingere, vt §. 38. *Thom. Sanchez*

S. Tho. q. 10. Art. 8. peccatum sit mortale ob imprudentiam. Ego censeo, hoc peccatum ex genere esse mortale: quia est contra charitatem proximi, & in damnum fidei: exponere enim hominem tanto periculo, est grave damnum. At considerari debet probabilitas periculi, & imminentis damni magnitudo. Cùm dicitur disputatio ineunda coram doctis; non solùm agitur de literatis; sed etiam de prudentibus, qui non exponuntur errandi periculo, vel prudenter censent multa hæreticorum argumenta esse cavillos, & nostra mysteria esse difficilia; non tamen propterea falsa.

§. 39. Cavendum tamen est, ne laici constituantur Iudices controversiæ: id enim fieret ordine præpostero, debent enim laici à Sacerdotibus doceri. Inquies ex Sancto Augustino tomo primo, in breviculo referri disputationem habitam coram Tribuno, & alijs, ex edicto Constantini Imperatoris. *Obiectio. August.* Respondeo, cognitorem illum, non fuisse disceptatorem controversiæ; sed armis, & imperiali authoritate securos reddidisse disputantes, & fecisse describere disputantium argumenta, atque responsa: vt in Germania nunc contingit interdùm. *Resp.* Multò autem accuratiùs fugiendi sunt laici hæretici propter illorum pervicaciam: coram quibus non est aggressurus Catholicus disputationem; si autem fuerit provocatus, respondeat quod satis sit ad ostendendum, sibi non deficere responsa; sed copiam benevolorum auditorum: aperto autem Marte non oportet certare; nisi cum ingenti probabilitate victoriæ: silentium tunc non potest adscribi diffidentiæ caussæ; sed auditorum, qui non excipiant verba pacatè.

§. 40. Modus item debet esse modestus, ne hæretici nobis obijciant immodestiam, quam nos illis. Debemus enim sine iniurijs, & contemptu agere, & modestè ferre ab illis obiecta: vt in nobis conspiciatur animus verè Christianus tenendi veritatem, & hæreticos ad fidem revocandi. Si autem iniurijs agatur, iam disputatio vertitur in rixam: si tamen sit petendum argumentum à moribus Doctorum alicuius erroris, vel eum sectantium; id fieri oportet modestissimè, vt verborum lenitas molliat acritatem argumenti. Sanctus Augustinus libros composuit de moribus Manichæorum, & ex concione, & libro super gestis cum Emerito, dicit sibi non esse in animo illis dedecus aspergere; sed eos ad saniorem revocare mentem. *Aug.* Itaque tunc non agitur iniurijs; sed à moribus hæreticorum sumitur optimum argumentum, eo efficacius, quo ipsi eo audito rubore suffunduntur, vt ex malo morum fructu, vitiatam videant doctrinæ radicem.

DISPVT. LXXV.

Utrùm infideles compelli possint ad fidem?

INFIDELES hæretici compelluntur licitè ad servandam fidem, vt constabit, cùm de illorum pœnis agetur. §. 41. Sermo est de infidelibus nō baptizatis. Horū nonnulli subiecti sunt Christiano Principi; secùs alij. Item aliqui repugnant fidei, divexantes prædicatorē; alij nihil illi mali, aut iniuriæ irrogant: de quibus omnibus instituo disputationem.

SECTIO I.

Utrùm armis liceat prædicatori fidei munire viam?

PRÆMITTO penes Ecclesiam esse, non solùm facultatem; sed præceptum Evangelij prædicandi, §. 42. vt eruditè probat Pater Suarez disputatione 18. sectione prima, ex multis Scripturæ testimonijs. *P. Suarez.* Christus enim, vt homo, est omnium populorum Rex iure hæreditario: quod Regnum præcipuè est situm in spiritali subiectione gentium, cultu, & adoratione: in quem finem legatos misit Apostolos, eius fidem prædicaturos, in orbem: quibus prædicationem in omnes præcepit gentes, 1. Corinth. 9. *Si non evangelizavero, væ mihi est: necessitas enim mihi incumbit.* 1. Cor. 9. Electus fuit Paullus, vt portaret in gentes nomen Iesu: hoc munus illi fuisse præceptum, adducta verba testantur apertè.

SVBSECTIO I.

Prima conclusio.

HIS constitutis dico primò: Ecclesia habet ius ad arma movenda in Ethnicos, paganos omnes, & Iudæos, si vi, & armis iter occludant prædicatoribus fidei. §. 43. 1. Conclus. Itaque Princeps, aut Respublica

blica non permittens in Regno prædicatores fidei; possunt iustè ab Ecclesia debellari, donec prædicatores in Regno permittant. Hæc est doctrina Sanct. Thom. quæst. 10. art. 8. *Sunt tamen* (inquit) *compellendi à fidelibus, si adsit facultas, vt fidem non impediant, vel blasphemijs, vel malis persuasionibus, vel etiam apertis persecutionibus; & propter hoc fideles Christi frequenter contra infideles bellum movent, &c.* Caietanus ibidem versu *in eodem articulo* asserit ex hac doctrina solvi quæstiones multas: quod accipio de caussis iusti belli adversus infideles. Bañez eadem quæstione 10. art. 10. dubio 4. versu *arguitur* 3. vbi asserit ab Alexandro Sexto non concessum Regibus Hispaniæ ius in omnia Indorum Regna; sed vt armis obsisterent barbaris impedientibus prædicationem, vt iniquè in fidem agentibus: hanc concessionem licitam censet hic author, Aragon quæstione 10. art. 8. dubio 3. Corollario 2. Pater Valentia disputatione 1. quæstione 10. punct. 6. versu *illud autem*, Pater Luisius disputatione 51. dubio 2. ante finem. Pater Suarez disputatione 18. sectione 1. num. 4. estque inter Catholicos absque controversia, & ab Ecclesiæ Pontificibus in vsum revocata. Alexander Sextus curam tuendi prædicatores fidei missos ad orientes, & occidentes Indos, partitus est inter Ferdinandum Castellæ Regem, & Emmanuelē Lusitanum. Cùm autem Salsetani, quinque è nostra Societate ob fidei prædicationē obtruncassent, classe, & exercitu sunt puniti à Goano Prorege; alijsque infidelibus eamdem ob caussam illatum est bellum, atque laudatum ab omnibus Ecclesiæ filijs.

S. Thom. Caiet. Bañez. Aragon. P. Valent. Luis. Suar.

§. 4. 1. Prob. Ratione probatur primùm: quia Ecclesia ius habet à Christo disseminandi apud omnes gentes verbi Dei, ergo ius habet ad omnia necessaria huic muneri. Probo consequentiam: quia tale ius esset omninò mancum, & inutile: vt enim rectè probat P. Suarez, concessa iurisdictione, conceduntur omnia, sine quibus exerceri non potest; idque constat, tùm ex Canonico iure, atque civili, tùm ratione: quia vt in naturalibus, qui dat formam, dat consequentia ad formam: ita & in moralibus; alioquin improvidè daretur forma.

P. Suarez.

§. 5. Obiectio. Dices, data potestate prædicandi, dari omnia necessaria ad missionem prædicatorum; non tamen vt audiantur. Spectat ad Ecclesiam prædicatores mittere: quòd si à Principibus non admittantur, redeant ad eum, qui eos misit: vtrique enim suo munere sunt defuncti. Contrà: si hæc potestas solùm esset præceptiva prædicationis, fuisset huic argumento factum satis; at est vera iurisdictio: habet enim Ecclesia à Christo ius prædicandi verum, & potestativum: & consequenter potestatem compescendi omnes, qui illi obsistunt. Vt si Rex habeat potestatem intrandi in conclave eligentium Imperatorem, potest armis irrumpere in omnes aditum iniustè intercludentes. Ita Christus commemorata omni potestate à Patre sibi facta in cœlum & terram, eam partitus cum discipulis concludit: *euntes ergo in universum mundum, prædicate Evangelium omni creaturæ*: quam missionem, legationem dixit Apostolus: qui propterea æternâ caligine damnavit Magum Elimam prædicationi resistentem. Habet ergo Ecclesia ius tuendi legationem suam, & prædicationem: cui nullus potest resistere per vim: quòd si mercator potest iustè vi propulsare vim iniustam diripientium merces, & Romani ob malè acceptos legatos Corinthum extinctam esse voluerunt, suosque bello iusto David vindicavit; non poterit Ecclesia vindicare suos? Potest quidem affectos iniuriâ, vindicare supplicio: & cogere Reges Ethnicos, ne illos è suis finibus abigant, & vt admittant.

§. 6. 2. Prob. Secundò probatur: quia Reges prædicatoribus obsistentes, sunt ea in parte tyranni; sed tyrannus, qua parte tyrannus est, cogi potest ad tyrannidem deponendam: ergo. Maior est certa: Tyrannus enim est, qui in suos potestate abutitur contra ius ad eorum perniciem: quod in præsenti quæstione maximè locum habet: quia armis, & facultatibus subiectorum, est impedimento æternæ illorum saluti: cùm enim omnia hæc visibilia sint instituta à Deo in assequutionem vitæ æternæ, quicumque illis vtitur contra hanc salutem; eis abutitur in suorum perniciem: quia publica doctrinâ suos privat, quâ in cœlum possent ire. Minor est clara: quia Rex Regio iure est immunis vi iniusta: quæ semper est iniusta, quoties est contra hoc ius; tyrannis autem nec est ius Regium, nec ex iure; sed contra ius: ergo iure Regio non iuvatur tyrannus, nec est immunis à vi: ac propterea non est iniusta; sed iusta.

§. 7. 3. Prob. Tertiò: quia tyrannico impedimento irrogat suis iniuriam, & opprimit innocentes; sed innocentem opprimens potest ab alijs compesci: ergo: maior est certa: quia adimere suis proximam facultatem audiendi Verbum Dei, est maior oppressio, quàm eam adimere ad vivendum. Minor probatur: quia, dum perseverat oppressio, est locus, vt eâ liberetur, qui opprimitur. Si quis hominem occidit, non

S. Tho. q. 10. Art. 8. potest à privato puniri; quia eius vindicta nihil prodest occiso; at, dùm certatur, potest tertius opem innocenti ferre feriens culpatum, si alia ratione non potest inculpatum tueri: ita non potest alius Princeps fidelis propria authoritate vindicare prædicatorem occisum; potest tamen cogere Ethnicum authoritate propria, vt liberè patiatur prædicatores.

SVBSECTIO II.

Tres aliæ conclusiones.

§. 8. *2. Conclus.* DICO secundò: non potest Papa conflare exercitum ex Clericis, & Ecclesiasticis viris, ad compescendum infidelem, nisi aliàs timerentur in Ecclesiam damna; sed hoc munus est sæculari Principi mandandum. Ita P. Suarez eâ disputat. 18. sect. 1. num. 7. quia est alienum institutum à clerico, & religioso, arma movere. Quod abundè probat ex Sanct. Ambrosio, & alijs, in cap. *convenior* 23. quæst. 8. At verò, quia Papa est etiam Rex temporalis, potest bellum infidelibus inferre: tunc enim iure Pontificio licitè delectum habet, & potestate regia illum alit: tunc autem ab ipso observari debent, quæ ab alijs servanda esse ostendam inferiùs. *P. Suarez.*

§. 9. *3. Conclus.* Dico tertiò: potestas impetendi Principem infidelem non est penes Reges, aut Regna; sed penes Papam: potest quidem Rex, dùm Pontificem consulat, cogere Paganum, ne Regno prædicatores interdicat, sicut quilibet potest innocentem tueri. In quo sensu Aragonem accipio art. 8. dubio 3. Corollario 1. & 3. At verò Regni investitura, & ius ad illud suo adiungendum, aut alicui donandum, non est nisi penes Pontificem Romanum: quod eruditè probat Pater Suarez disputatione 18. sect. 1. num. 7. *Probat.* Probatur primò, exemplo Regum atque Pontificum: Castellanus & Lusitanus, præfigente limites Alexãdro Sexto, partiti sunt Indorum oppugnationem; idque constat ex historijs antiquioribus.

§. 10. *2. Prob.* Secundò à priori: quia nulli Regi est ius directè, aut indirectè, in aliorum Regna: *directè*, res est clara; sunt enim plerique infideles verè domini suorum Regnorum; neque *indirectè*: quia hoc ius oritur indirectè ex iure directo prædicandi Evangelium; sed hoc ius non est Regi sæculari: ergo nec ius indirectum. *3. Probat.* Tertiò: quia ea esset occasio Principes fideles perturbandi: multi enim specie religionis impeterent infidelium Provincias; & contendissent de illarum oppugnatione, & in Ecclesiæ filios verterentur arma, quæ essent movenda in hostes. Item, vicinus infidelium sibi timeret, ne fidelis Princeps potentior infideli, propè accederet ad suas Provincias, easque invaderet. Quapropter oportuit, vt ad vnum caput hæc iura disponenda revocarentur.

§. 11. *Obiectio.* Obijcis, quivis Princeps potest eripere insontem ex tyranni potestate: ergo & eum tyrannum impetere. *Resp.* Distinguo consequens: dùm est necessarium ad tuendam fidem, donec Pontifex consulatur, cõcedo consequentiã; Pontifice consulto, & nõ annuente nego. quia privatus potest insontem tueri, & vincire culpatum aggressorem, donec Iudex consulatur; eo verò consulto, tenetur non agere deinceps in aggressorem: quia propulsatio iniusta violentiæ id exigit præcisè; privare autem sontes suis bonis, eaque distribuere, spectat ad iudicem. Sic, qui prædicatores defenderet, posset compensare sumptus belli iusti ex bonis tyranni; at eius Regnum tenere, non potest absque Pontifice annuente.

§. 12. *4. Conclus.* Dico quartò, Pontifex non habet potestatem donandi investituram cuique Principi pro suo arbitratu; nec eam sibi, vt Regi vsurpandi; sed tenetur studiosè perpendere: quæ commoda, aut incommoda sequi possent in fidem, & Ecclesiam: exempli gratia. Constituamus ante vnionem Regni Navarræ cum totius Hispaniæ Regnis, Reges eius Provinciæ esse infideles, & obsistere fidei prædicationi: si Pontifex addiceret Galliæ Regibus ius aggrediendi Navarram, cederet in gravissimũ Hispaniæ Regis incommodum, qui vicinitatem Regis Navarræ non timeret: quia nullo ferè sumptu illi resisteret; at à Rege Gallo timeret oppugnationem: quia inter eos Reges perennant ab ævo bellorum caussæ. Gallus autem nunc disparatur ab Hispano Pyrinæorum inaccessis iugis, in quibus parva manu compescitur; tunc autem montibus superatis plana viâ peteret Hispanum, cui ingentes sumptus essent necessariò faciendi in muniendis militum stationibus; & tertio quoque die esset se ad bella comparaturus. In hoc casu Hispano donanda esset investitura Navarræ: quia licèt novo Regno esset potentior; divideretur tamen à Gallo ipsis Pyrinæis, ac per facilè retardarentur eius impetus à Gallis. Itaque considerandum est Pontifici, ne qua iusta detur occasio iurgiorum inter Catholicos.

Proba-

§. 13. *Probat.* Probatur hæc conclusio. Primùm: quia potestas Ecclesiastica non est ad destructionem; sed ad ædificationem; sed ea partitio esset ad destructionem, & non ad ædificationem: ergo Pontifici non est licita. Probo minorem: quia ædificatio obvenire posset donata investiturâ Hispano, non minus, quam Gallo. Item cessarent incommoda, quia non esset occasio, vt inter Catholicos Principes dissideretur armis: quod est vnum ex maximis Ecclesiæ damnis, & ferè inter omnes maximè exitialis exitus, vt non sine lachrymis cernimus: ergo illa partitio esset in destructionem.

§. 14. Secundò, indè sumerentur occasiones ad graviora damna. Catholicus enim, qui suo Regno timeret ab alio Catholico, si ab à ratione sibi nequiret providere, arma sumeret, vt infideli ferret suppetias: & inter duos Reges Catholicos effusis copijs dimicaretur de Religione; altero curante Ethnicum subiugare, vt prædicatores admitterentur; altero repugnante, ne cum prædicatore miles intraret. Item quæstiones inter literatos vtriusque Regni orerentur de iustitia belli. Hi Papam damnarent, & fortè ad tuendam sententiam, se proijcerent ad alia graviora incommoda. Melius est ergo parta tueri, & fidem cum pace fidelium conservare; quàm cum periculo tumultus contra Papam, & pacem, curare prædicare fidem: cuius prædicationis fructus esset incertus; seditio autem & inter Catholicos bella certissima. Nec tamen propterea quævis iniusta Principis querela est audienda, vt nuper Sanctissimus Gregorius XV. noluit Vallemtelinā Grysonibus hæreticis restitui; sed eam adiudicavit Domino nostro Philippo Quarto: cuius Pater Philippus Tertius eam eripuerat ex hæreticorum faucibus. Quamvis enim nonnulli Principes reclamarunt, illis persuasit Pontifex ex æquitate agi cum Hispano, & Vallemtelinēsibus, sine iusta offensionis caussa alicuius Principis Catholici.

SVBSECTIO III.

Aliæ duæ conclusiones.

§. 15. *5. Conclus.* DICO quintò: non potest Ecclesia prædicatores mittere cum exercitu ad prædicandum: nec eo titulo possunt Principes fideles erigere munitiones in Provincijs infidelium; sed expectandum est qua ratione ipsi prædicatores excipiant. Hæc conclusio est contra nonnullos, quos tacitè refert P. Suarez disp. 18. sect. 1. num. 8. quam tamen ipse tuetur: estque manifestè Sancti Thomæ art. 8. qui nullam caussam belli iusti in infideles titulo religionis agnoscit, nisi vt cogantur, ne blasphemijs, & persequutionibus sint impedimento prædicandæ fidei: si ergo ipsi non sunt impedimento, non est Evangelium cum armis defendendum. In quo sensu loquitur Caietanus propè finem, referens caussam belli in tres rationes B. Thomæ, & in non sufferendis in suo Regno prædicatoribus fidei, Bañez art. 10. dub. 4. Aragon ibi art. 8. versu *sed dubitabit aliquis*, vbi agit etiam si meliùs prædicari posset fides. P. Valentia disput. 1. quæst. 10. p. 6. versu 3. *certum est*. qui eā ait esse certam. P. Azor tom. 4. lib. 8. cap. 24 (per mendum 26.) quæst. 10, recensens enim omnes caussas iusti belli in infideles, non agit, nisi de criminibus contra religionem Christianam admissis. P. Luisius disput. 5. dub. 2. quamvis non omninò agit de huius conclusionis materia, sed de bonorum privatione. M. Lorca disp. 36. num. 6. Victoria, Sotus, & alij ab his authoribus adducti: & quidem existimo oppositam omninò improbabilem. Eius præcipuus author est Gynesius Sepulveda parum quidem politus graviori literaturæ: Hostiensis autem non est tām apertè ab ea opinione.

Suar. *S. Thom.* *Caiet.* *Bañez.* *Aragon.* *P. Valent.* *P. Azor.* *Luisius.* *Lorca.* *Victor.* *Sot.*

§. 16. *Obiectio.* Dices primò: ab his tām multis authoribus negari bellum inferendum Ethnicis; non tamen negari posse prædicatores mitti cum mediocri aliqua phalange; non ad pugnandum directè; sed vt prædicatores tueantur. Item arces struendas esse, vt sint securi. Respondeo, id etiam ab his authoribus negari: dùm enim aiunt non habere Ecclesiam ius in non subiectos, negāt posse in illos irrumpere. Præterea argumenta authorum vtrumque negāt: quia lex non armis; sed doctrinâ, & exemplo est suadenda. Tertiò: quia illa est indictio belli: omnis enim exercitus, aut armatorū copiæ missæ in aliena Regna sunt per se caussa belli: quis enim Princeps non timeat exercitum exterorum contra suā voluntatem intrantem regnū? Repugnādū est ergo illis copijs: vndè per se illa est ratio belli.

§. 17. *2. Obiectio* *Scot.* *Resp.* Dices secundò à Scoto censeri, & alijs posse cogi infideles. Respondeo: Scotum locutū de infidelibus subiectis Christiano Principi; non verò de non subiectis: est ergo illa sententia improbabilis: quia sine authore, & fundamento repugnat cōmuni Doctorum sensui, & Ecclesiæ consuetudini. Multò improbabiliùs dicit, posse ab infidelibus exigi sumptus factos in exercitu cum prædicatore misso; & in instruendis propugnaculis. Etenim Princeps infidelis nullam occasionem iustam dedit illis sumptibus; pono enim ab eo non inter-

S.Tho. q. 10.Art.8. dictos prædicatores suo Regno: timor autem ille Principis fidelis fuit absque fundamento, nec fuit satis ad eos sumptus exigendos.

§.18. *Probat.* Probatur primùm: quia Evangelium non aliâ ratione est prædicandum, quàm à Christo præceptum est; sed hæc ratio prædicandi est contra rationem à Christo præceptam: ergo. Minor probatur ex cap. 1. Matth. vbi Christus mittens Apostolos ad prædicandum, eos mittit non solùm exarmatos præsidio militũ; sed etiã inermos, nũ imperatoriâ ratione minitâtes populis ferrum, & ignem; sed agnorum more inter lupos, quorum vngues non semel essent experturi. Nec verò illa præcepta fuerunt de illa missione prima in pagos Israeliticos; sed etiam de secunda in orbem, vt contra hæreticos, & nonnullos parum consideratos Catholicos doctè ex S. Ambrosio, Hieronymo, Augustino, & alijs Pater Maldonatus observat in Matth. 10. 9. Præsertim *ecce ego mitto vos, sicut agnos in medio luporum*, accipienda sunt aut solùm, aut potissimùm de secunda missione: quia Apostoli in ea prima missione non lupos experti; sed amicos concives; à quibus discessere gloriantes: nec tunc traditi sunt à parentibus, nec damnati à Regibus.

Matth. 1. *P.Mald. Matt.* 10. 9.

§. 19. *Hieron.* Sanctus Hieronymus tom. 6. explanans hunc locum, ait; *consequenter hæc dat præcepta Evangelizatoribus veritatis; quibus antè dixerat, &c.* S. Chrysostomus tom. 2. hom. 24. in Matth. *Mea est caussa, Deus humano auxilio non indiget, ideò vos tantummodò mihi personam præstate, & ego vobis sensum*, & infrà. *Nemo speret in patronis, nemo in amicis, aut parentibus*: S. August. tom. 5. lib. 18. de Civit. cap. 48. *elegit discipulos, quos & Apostolos nominavit, humiliter natos, inhonoratos, illiteratos, vt quidquid magnum essent, & facerent, ipse in eis esset, & faceret*. Nihil est Apostolo, & Patribus familiarius, quàm voluisse Deum agere cũ mundo convertendo sine armis, sine propriâ doctrinâ prædicantium; sed cum sola doctrinâ Christi. At si cum exercitu prædicetur fides, evacuatur gloria Christi; & conversio mũdi nõ vivacitati doctrinę Christianæ; sed sulphuris, & bombardarum, erit adscribenda ... ego Christus illi sententiæ repugnat.

Chrysost. *S. Aug.*

§. 20. *2. Prob.* Secundò: cum Ethnici docendi essent Evangelium, viderent prædicatores Evangelio esse contrarios, illosque censerent, ludricos fabulones; non serios Christi ministros. Quid enim humili prædicatori cum militari satellitio? Quid Christi ministro, cui incedendum est sine pera, & virga, cum cohortibus lancëariorum, & sulphure plenis viris? Quid salutaturo appropinquatione Regni Dei, cum bombardarum fragore? Indigna hæc sunt, quæ efficiantur à Christianis. Quapropter meritò censuit P. Suar. num. 9. eam doctrinam non esse probandam: tùm maximè, quod omnes infideles non pararent Dei verbis auditum; sed exercitum adversus tyrannos invadẽtes iniustos: & dùm essent ad Christum convertendi, illum suspicarentur tantæ tyrannidis authorem. Accedit Ecclesiæ inveteratus mos ab exordio. Misit Sanctus Gregorius in Angliam paucos monachos inermes; idque quotidie præstant nostris temporibus Pontifices, missis Sacerdotibus instituto verè Christiano. Cuius exemplo fit vnus Sanctus Franciscus Xavierus, nudus pedibus Iaponiam aggressus.

P. Suarez. *S.Greg.* *S.Xavier.*

§. 21. *Obiectio.* Obijcies primùm: possunt infideles puniri, quia fidei prædicationi repugnant: ergo potest exercitu provideri, ne repugnent. Alioquin non audebunt prædicatores eos adire. *Respond.* Nego consequentiam; quia ob crimẽ & iniuriam illatam fidei, & innocentibus sunt digni supplicio, cuius inflictio spectat ad supremum Ecclesiæ Principem. Ad probationem respondeo; eos, qui mittuntur à Deo animi æquiores esse sola confidentiâ in promissione Christi, non verò exercitu: qui autem non audent infideles adire absque exercitu, non sunt apti Evangelicæ prædicationi.

§. 22. *Obiectio.* Obijcitur secundò; recentes apud Indos prædicatores, nisi stipati militibus non prædicant, & Hispani Reges nullo alio iure Indos vsurpant, nisi vt Evangelium illis prædicetur: ergo. *Resp.* Nego antecedens: fiunt enim multæ excursiones in Indos, nondùm subiectos, absque milite; barbari autem doctrinâ cicurantur, & relictis stationibus montanis se adiungunt vicinioribus oppidis. In Sinas autem, atque Iaponos, qui mittuntur exercitus, nisi prædicatorum è nostra Societate? Quod obijcitur de Regibus Hispanis, est ob exterorum invidentiam. Conquisitus est novus orbis, cuius incolæ non homines; sed feræ videbantur. Reges per tyrannidem passim suos occidere, & immolare Dijs: nec ex humano more; sed ferino administrare Regna: quibus de caussis posse eos illis privari, nullus negat: opprimunt enim insontes, & sunt Regno perniciei, non saluti: privatos autem Indos nullus privavit bonis, nisi ob delicta: quòd si Regij ministri per iniustitiam aliquid faciunt, puniuntur à Rege, cùm deprehenduntur: quia verò Atabaliva Rex Peruanorum non repugnauit prædicationi, ei⁹ Neptis illustrissima Marchionissa Oropessę, nomine *Coia*, apud ipsos reginã, sopan-

sonante) iure contendit damnorum compensationem: quæ à Philippo Tertio Christianissimo est facta: quæ visa est ex Christiana lege esse satis.

§. 23. 1. Conclus. S. Thom. P. Valent. Dico primò: infideles puniri possunt ab Ecclesia ob iniurias, & blasphemias iactas in Christum: quod cum B. Thom. frequenter dicunt Interpretes. Quod sic accipio cũ P. Valentia, & alijs: blasphemia materialis est persuasio rei indignæ Christo, vt eum non fuisse Deum, nec Prophetam: ob hanc non possunt puniri: quia hęc non distinguitur ab infidelitate, ob quam Ecclesia non habet ius animadvertendi in non baptizatos. Item hæc infidelitas potest verbis ostendi: vt si apud ipsos aliquis dicat Christum non esse Deum: idque sine animo, aut modo convitiandi: vt cùm ego agens cum aliquo de ignobilitate alicuius; illi non convitior; sed exprimo animi sensum: quia illa verba sunt externa peccata contra fidei confessionem: quæ non spectant ad Ecclesiæ claves. Accipio igitur blasphemiam formaliter, ortam ex animo, & modo convitiante. Tunc enim civiliter irrogatur iniuria & Christo, eiusque discipulis: quam illi vindicare possunt. Immò si quis fidelis animo, & more convitiante de Mahometo aliqua diceret; audiente eius sectatore, peccaret: quia tunc convitia conijcerentur in audientem. Itaque ostendenda sunt, & prædicanda Saracenis, Mahomethi flagitia; modestè tamen, & sine iniuria, quæ censeatur prudenter irrogari non modò Mahometo (quod nihil interesset) sed etiam homini eum audienti: quia cognitione scelerum falsi Prophetæ poterunt eum deserere; ob modestiam etiam, non audient animo acerbo: ob alia peccata non posse infideles non subiectos puniri, meritò docent P. Azor lib. 8. cap. 24. quæst. 6. Pater Suarez disputatione 18. sect. 4. num. 3. estque sententia communis: quia Deus non dedit æquali potestatem in æqualem: si autem sint tyranni, effundantque sanguinem innoxium, possunt compesci; donec desit periculum; non tamen puniri, vt in cæteris privatis hominibus patet.

Azor. Suarez.

SECTIO II.

Utrùm infideles compellendi sint ad fidem?

SUBSECTIO I.

Non subiecti cogi non possunt.

CONSTAT ex dictis non posse infideles ad fidem compelli: quia si nec invadi possunt, antequam per contumelias, aut persecutionem fidei prædicationi repugnent; multò minùs poterunt compelli ob dissensum fidei: quia per illum nulli hominum faciunt iniuriam; sed præcisè sunt infideles. Item qui foris sunt, non spectant ad Ecclesiæ claves: quia dixit Apostolus ad se non pertinere illorum iudicium: quæ sententia communis est, & certa; tùm ex testimonio Apostoli iam insinuato: tùm quia Ecclesia non habet directam iurisdictionem, nisi in sibi subiectos, in quos ea iurisdictio est spiritalis; infideles autem eâ non possunt dirigi: quia excommunicatio, censuræ, & totus Ecclesiasticus processus, non agit, nisi cum Christianis re, aut nomine: id est, cum solis baptizatis; indirecta autem iurisdictio in bona temporalia est Ecclesiæ ex directa: sed in infideles non habet Ecclesia iurisdictionem directam: ergo nec indirectam. Propulsatio autem iniuriarum, & vindicta de resistentia in prædicationem, oritur necessariò ex potestate, & iure prædicandi: item & inculpata defensio ex iure naturali. §. 24.

Itaque Ecclesia, vt Ecclesia, nullam habet iurisdictionem in infideles; sed cum illis se gerit comparatione admittendæ fidei, ac se habet vnus Princeps cum alio sibi non subiecto. Ratio à priori est voluntas Dei, & Christi: qui noluit eo iure agere cum infidelibus non baptizatis: nec Ecclesia maius potuit habere ius, quàm à Christo acceperit. Id autem ita contigisse colligitur ex testimonio Apostoli; & ex Matthæi 10. vbi Christus præcepit pulverem excutiendum; non verò eos oppugnandos armis, qui noluissent credere: & Ecclesiæ consuetudine id perpetuò observatur; Scotum autem accipio de infidelibus subiectis iurisdictioni sæculari, in quos Princeps Ecclesiasticus habet idem ius, quod sæcularis. Etenim in eamdem personam coeunt aliquando §. 25.

quando vtraque iurisdictio : tunc Episcopus, aut Papa non dirigit infideles legibus Ecclesiæ formaliter; sed sæcularibus: nec quia infidelium habent Principatum sæcularem, plus minùsvè possunt in illos, quàm Princeps laicus.

SVBSECTIO II.

Nec subiecti cogi possunt ob ius humanum.

§. 26. 2. Conclus. DICO secundò : iure humano interdicta est coactio infidelium nō baptizatorum ad fidem. Hæc conclusio constat ex cap. *qui syncera* distinct. 45. vbi Gregorius Papa præcipit Archiepiscopo Neapolitano, & cæteris Europæis, ne Iudæos compellant ad deserendas cæremonias Mosaicas, & profitendam fidem Christi, & cap. *de Iudæis autem*, eàdem distinctione refertur Decretum 56. Concilij Toletani IIII. quo præcipitur ne Iudæi non baptizati cogantur ad suscipiendam Christianitatem, & lib. 5. Decretalium titul. 6. de Iudæis, & Saracenis, cap. 3. *Iudei*; illis permittuntur antiquæ Synagogæ, novis interdictis; cap. autem 8. *consuluit* ijsdem permittitur instauratio ruentium Synagogarum, non tamen novarum erectio; cap. autem 4. *sicut Iudei* id vniversim interdicitur apertè: *statuimus vt nullus invitos, vel nolentes Iudaos ad baptismum venire compellat.* Hæc autem omnia decreta sunt de Iudæis subditis Principi Catholico : caput enim *qui syncera*, est ob questus Neapolitani Iudaismi; caput autem *sicut Iudai*, præcipit iudicibus, vt ex æquitate agant cum Iudæis. (Cōcil. Tol.)

§. 27. Obiectio. Huic doctrinæ potest obijci exemplum Ferdinandi Catholici : qui ex Hispania abegit Iudæos, qui nolunt baptizari. Ergo cogi possunt : quia illud exilium est coactio. Resp. Nego consequentiam, ad probationem respondeo, illis liberam fuisse potestatem exeundi; elegerunt tamen baptismum, qui voluerunt : qui tametsi non fuit penitus immunis involuntario; non tamen fuit coactus : quia omnia ipsorum bona illis fuere permissa; & nulla pœnâ corporis, aut pecuniaria fuere coacti. Nec existimo licere Principi Catholico exilio plectere infideles ob solam irreligionem. Capite enim *qui syncera*, præcipitur Neapolitanis, & omnibus Europæis, ne molesti sint Iudæis ob religionem : & capite *sicut Iudais*, & alijs adductis §. 26. præcipitur, vt in iudicio audiantur. At exilium perpetuum à Patrio solo, & toto Regno, est è gravissimis supplicijs: quòd si non possunt immodico gravari tributo; multò minùs possunt exilio. Quam doctrinam sequitur Pater Azor tomo primo, libro octavo, cap. 24. quæst. quarta, & Pater Luisius disputatione 51. dubio primo, referens exilium Iudæorum ab Hispania in damna, quæ ex illis Christiani patiebantur. Experti sumus in Saracenis gravissima damna, grassationes, compilationes, & proditiones, & incorrigibilem feritatem. Quapropter etiam baptizatos iure pepulit à Regno Philippus Tertius Christianissimus, cuis avus Ferdinandus eadem expertus mala pepulit Iudæos : quia erant multis incommodis occasioni. (P. Azor. P. Luisius.)

§. 28. Obiectio. Secundò, potest obijci exemplum Sancti Gregorij Magni adducendi §. 49. qui infideles graviori tributo premens, asserebat id à se fieri, vt fidem susciperent: quòd si multi id facerent fictè, eorum filij, atque nepotes eam profiterentur ex animo. Respond. Respondeo cum Patre Luisio ea disputatione 51. & Patre Suarez, disputat. 18. sectione 3. num. 8. & 9. tributa esse infima, suprema, & media, more pretiorum. Considerandum est gravissimum tributum, quod independenter à caussa religionis potest imponi iustè. Hoc potest imponi infideli, vt conuertatur, & remitti converso: quæ est indirecta coactio : quia totum tributum potest iustè exigi à Principe; estque ille finis honestus : nec est in pœnam infidelitatis; sed allectio ad fidem. Quòd si aliqui fictè eam susciperent, non esset Principis vitio; secùs si tributa essent iniusta: quia essent directa coactio. (P. Luis. P. Suar.)

SVBSECTIO III.

Independenter à iure humano est illicita coactio ad fidem.

§. 29. 3. Conclus. DICO tertiò: ipso iure naturali est illicitum cogere infideles non baptizatos ad fidem. Hæc conclusio est S. Thom. art. 8. Caiet. Bañez, Aragonis, PP. Azoris, Valentiæ, Suarez, Luisij, Lorcæ, & omnium Theologorum, excepto Scoto, & vno, aut altero Scotico. Probatur primùm: iure naturali nullus potest alium cogere, nisi accepta potestate à Deo: (S. Thom. Caiet. Bañez. Aragon. P. Azor. Valens. P. Suar.)

Torres. Lorca. 1. Probat. Deo; sed Deus nulli dedit facultatem alium non baptizatum ad fidem cogendi: ergo: maior est clara: nisi enim nobis detur desuper, nullus est alijs superior: ergo aut electione Dei, aut hominum, hæreditate, aut alio titulo nobis contingit potestas in alios. Minor probatur, quia ex nullo testimonio constat de hac potestate, alioquin esset de fide: nec item iure dominij temporalis id contingit: ergo. Probo minorem primùm: quia Ecclesia iure spiritali pascendi oves, & prædicandi accepto à Christo, non potest cogere infideles non baptizatos; ergo multò minùs id eveniet iure dominij temporalis: quæ consequentia videtur evidens: quia ius Ecclesiasticum est formaliter à Christo, & supernaturale; & directum ad animarum salutem, vt in finem expresè, & formaliter amatum: quæ salus nititur fidei, vt primo fundamento: ergo si hoc ius non porrigitur ad coactionem ad fidem, multò minus temporale ijs carens.

§. 30. Secundò probatur eadem minor: quia dominium temporale est purè naturale: ergo non præbet facultatem ad aliquid supernaturale. Antecedens est certum: tùm quia infideles, & qui nihil de fide audierũt, sunt capaces eius dominij; tùm quia successione, aut electione, aut emptione acquiritur. Consequentia probatur: quia vis naturalis absque elevatione supernaturali non progreditur ad aliquid supernaturale. Cùm ergo dominium temporale non elevetur iurisdictione supernaturali: quia de hac elevatione non constat; nec est in ipso iure supernaturali Ecclesiæ; liquidò constat, Principes sæculares non habere potestatem cogendi non baptizatos ad fidem, quæ est supernaturalis.

§. 31. Obiectio. Resol. Obijcis, lege charitatis posse Principem afferre vim non baptizatis. Contrà: lex charitatis obligat interdum; at nullus somniavit vnquam teneri Principem ad cogendum ad fidem non baptizatum: ergo. Secundò: lex charitatis naturalis ligat Principem sæcularem ad providendum subiectis, vt obtineant finem naturalem; non verò supernaturalem; fides autem spectat ad finem supernaturalem: ergo. Maior liquet: quia dominium temporale secundùm se non refertur ad finem supernaturalem, nisi per elevationem iurisdictionis supernaturalis. Tertiò: hæc charitatis lex presśiùs vrgeret Principes Ecclesiasticos, quàm laicos: quia illis, vt Principibus populi in ijs, quæ sunt ad Deum, commisit spiritale, & pastorale ius; ijs tamen non permittit charitas, vt cogant non baptizatos: ergo nec laicis. Quartò: quia charitas vrget ad prædicandam, monendam, & consulendam salutem; non tamen ad eamdem ab invito capessendã: sic vrget Ecclesiasticos, vt hortentur Ethnicos; non tamen, vt cogant.

§. 32. 2. Probat. Probo secundò conclusionem: Ecclesia interdixit perpetuò eiusmodi coactionem: ergo est de se illicita. Hæc consequentia non est formalis: quia multa de se non illicita interdicuntur, vt carnes certis diebus. Eam tamen probo primùm: quia, quæ secundùm se sunt indifferentia, non interdicuntur semper absque dispensatione cum aliqua persona, aut in aliquibus occasionibus, vt matrimonia inter consanguineos permittuntur iustas ob caussas: lege ieiunij solvuntur milites nonnunquam; idq; comperies in omni materia de se indifferenti. Sed coactio nulli vnquam permittitur; sed perpetuò est interdicta, & contra aliquorum Regum exemplum cogentium non baptizatos, edita sunt nonnulla Pontificum decreta: ergo coactio non est de se indifferens; sed illicita. Secundò probatur eadem consequentia: quia ipsa decreta Pontificum supponunt antè eorum promulgationem esse illicitam coactionem, & reprehenduntur cogentes, vt Archiepiscopus Neapolitanus; vel excusantur ob syncerum animum, vt Sisebutus Rex Hispaniæ; de quo sermo erit §. 35.

§. 33. Consideranda est vis huius argumenti: si Deus permisisset non baptizatorum coactionem, eâ aliquando vsa fuisset Ecclesia, vt medio vtili per se ad propagationem fidei: quamvis enim coacti ficte baptizarentur; at alij eorum exemplo intrarent in Ecclesiam minùs inviti; & iustè punirentur, ne existimarent pertinaciam sibi futuram immunem: etenim coactio magis inclinaretur ad materiam honestam per se, & bonam, quàm ad indifferentem, vt constat in coactione hæreticorum, qua frequenter vtitur Ecclesia: quia est per se medium expeditum ad conservationem fidei: cur ergo Ecclesia eâ non vteretur in non baptizatos, si esset licita? aut cur eam interdiceret æternùm? leges enim illæ potiùs essent perniciosæ Ecclesiæ, quàm vtiles, vt si ferretur lex de immunitate hæreticorum; quis eam censeret dignam Ecclesiæ? at nõ esset minùs vtilis coactio infideliũ, nec minùs perniciosa immunitas; sed Ecclesia perpetuò vsa est coactione in baptizatos infideles: à qua perennante consuetudine, pluribus legibus abstinuit, & Principibus abstinendum præcipit in non baptizatos: ergo illa coactio est illicita de se, & quia talis est, interdicitur ab Ecclesia; non verò est illicita, solùm quia interdicta. Libet canones nonnullos expendere.

S. Tho. q. 10 Art. 8. *Gregor. Pontifex.* Capite *qui syncera*, 45. distinctione, refert Gregorius Pontifex permissas esse Iudæis cæremonias Mosaycas à temporibus longè retrioribus. Itaque illud decretum non est nova prohibitio solùm; sed est declaratio antiquæ consuetudinis in Ecclesia non cogendi Iudæos, & quia contra proprium ipsorum ius cogebantur, appellaverunt Neapolitani Iudæi Summum Pontificem: *Iudaei siquidem Neapoli habitantes questi sunt nobis asserentes, quòd quidam eos, &c.* Pontifex autem in tota Europa præcepit eos immunes permitti, duas rationes reddens; alterã ab Ecclesia constitutam rationem, quã observent Iudæi in suis cæremonijs: quod inutile fuisset, si eis adimeretur ad cęremonias facultas; alteram, coactorem videri non tã agere negotium Christi, quàm suum: quod enim Christus nec præcepit, nec permisit, non fit ob Christum: si autem coactio esset permissa, cur agere videretur coactor suum negotium, & non Christi? Addit tertiam, coactionẽ tantùm abesse vt possit ad cõversionẽ Iudæorũ, vt potiùs obsit: *Debet nõ asperitatibus studere: ne quorũ mentem reddita ratio ad planum poterat revocare pellat, procul adversitas.* Quibus satis ostendit, interdici coactionem: quia est mala de se, & occasio obdurationis, potiùs quàm conversionis ad fidem.

§. 34. Eadem, aliaque ratio redditur eâdẽ dist. 45. & de *Iudais*, vbi laudatur Sisebutus ob Catholicum animum; eius tamen factũ improbatur modestè, vt oppositũ præcepto. *De Iudæis autem præcepit Sancta Synodus, nemini deinceps ad credendum vim inferri: cui enim vult Deus, miseretur, & quem vult indurat: non enim tales inviti salvandi sunt; sed volentes, vt integra sit forma iustitiæ: sicut enim homo propria arbitrij voluntate serpenti obediens peryt, sic vocante se gratiâ Dei propriâ mentis conversione quisque credendo salvatur: ergo non vi; sed libera arbitrij sui voluntate, & facultate, vt convertantur, suadendi sunt, non potiùs impellendi.* Sumit ergo Concilium rationem à priori: quia fides omninò sponte suscipienda est: ad quam Deus nullum voluit esse cogendum.

§. 35. Lib. item 5. Decretal. tit. 6. cap. 9. *Sicut Iudæi. Si quis autem ad Christianos causâ fidei confugerit: postquam voluntas eius fuerit patefacta, Christianus absque calumnia efficiatur: quippe Christi fidem habere non creditur, qui ad Christianorum baptismum non spontaneus; sed invitus cogitur pervenire.* Vnde arguo. Qui nõ creditur prudenter habere fidẽ, & velle esse Christianus non est baptizandus; sed nisi quis spontè veniat ad baptismum, non creditur prudenter habere fidem, nec velle esse Christianus: ergo non est baptizandus. Maior constat tùm ex cap. adducto, præcipiente explorari voluntatem ad Christianos confugientis; an sit Religionis causâ, an metu, aut aliquo commodo tẽporali: tùm, quia nihil prodest baptismus; sed potiùs committitur sacrilegium: ea ratione interrogat Ecclesia baptizandum; vtrùm baptizari velit? nisi enim velit in Ecclesiam admitti, Baptismus est irritus: & mille implexæ difficultates orirentur de rebaptizandis baptizatis fictè, & sine voluntate baptismi: minor constat ex verbis eiusdem capitis adducti: quæ morali evidentia probant noluisse Deum non baptizatos cogi.

§. 36. *Obiectio.* Potest nobis opponi primùm constare ex lege *cælicolarum nomen*, Codice *de Iudais, & cælicolis*, tit. 9. lib. 1. vbi cælicolæ subijciũtur eisdem legibus, quibus hæretici, nisi cõvertantur ad fidem, eorumq; templa Christianis adiudicantur. At hæretici compellũtur ad fidem: ergo & infideles non baptizati. *Solutio.* Respondeo cælicolas non fuisse paganos, quod apertè colligo ex eodem Codice. Primùm: quia lex adducta non permittit impunes cælicolas; sed eos adstringit iisdem legibus vindicandos, quibus hæreticos: at Iudæos, atque Paganos leges permittunt impunes, lege *Christianis*, Codice de Paganis, titulo 11. lib. 1. *Christianis, qui verè sunt, vel esse dicuntur, specialiter demandamus, vt Iudæis, ac Paganis quietè degentibus, nihilq; tẽtantibus turbulentum, legibusq; contrarium, non audeant manus inferre, Religionis authoritate abusi.* Cùm ergo ius infidelitatem partiatur adæquatè in hæresim, Iudaismum, & Paganismum: & Paganos omnes atque Iudæos Imperator permittat, & non permittat cælicolas; concludo cælicolas esse hæreticos, & non paganos: quod apertè docetur à glossa illius capitis vocante cælicolas hæreticos in specie aliqua. Templa item Paganorum leges adiudicant fisco Regio; hæreticorum autem templa adiudicantur Ecclesiæ; sed templa cælicolarum non applicantur fisco; sed Ecclesiæ: ergo cælicolæ sunt hęretici, & non pagani. Secundò, leges in hæreticos non præstringunt Iudæos, nec paganos: cur ergo præstringunt cælicolas, nisi quia sunt hæretici? Nisi fortè esset efferata hominum religio, quæ ob tumultus, vel ritus aliquos perniciosos, esset hæresum more oppugnanda. Potest item responderi eas leges esse ab animo laudabili; sed in se non esse laudandas, vt lex Sisebuti fuit abrogata, cum authoris tamen laude, qui non omninò coegit; sed minatus exilium ijs, qui nõ cõverterentur, coegit remanẽtes baptizari: quia virtualiter id voluerunt, dùm conditionis conscij noluerunt egredi.

§. 37. *Obiectio.* Obijci potest eâ ratione probari, nec hæreti-

Obiectio. reticos esse compellendos ad fidẽ; quia non
Resp. voluntariè eam susciperent: Respondeo, non esse rationem eamdem. Primum, quia Concilium Toletanum, & Pontifices eâ ratione vsi in non baptizatis, præcipiunt baptizatos vi etiam tenendos in fide: ergo illi censent non esse vtrobique rationem eamdem. Secundò, quia dupliciter cogitur quis ad baptismum. Primum, vt illum recipiat externus absq; vlla voluntate de Christianitate. Hic est omninò nullus, nec characterem imprimit: de ijs non videntur egisse Pontifices: tamen Concilium Toletanum iure præcepit omnes baptizatos ex Iudæis obligari ad Christianismũ, ne nomẽ Christi vilescat permissione alienæ sectæ in eos, qui lavati essent.

§. 39. Alij habuerunt voluntatem Christianismi, quamvis coactam: alij omninò spontaneam. Vtrique meritò coguntur ad professionem fidei; vltimi quidem, quia voluntario perfecto sine involuntario admixto, spoponderunt eam professionem; primi autẽ, quia quamvis inviti, at simpliciter voluntariè: quia metus & vis non adimunt voluntarium simpliciter: ergo quamvis nunc sit proximè coacta professio fidei; in radice tamen est voluntaria ei, qui se semel subiecit Ecclesiæ per baptismum, debetque ab eâdẽ Ecclesia cogi ad standum promissis: qui autem nihil promisit, non potest cogi. Quod
Ad Galat. 5. 3. mirè confirmat testimonium Apostoli ad Galatas 5. 3. *Testificor autem rursus omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est vniversæ legis faciendæ*: Nullus poterat cogi ad observationem legis Mosaicæ: at si circumcidi volebat (vigente adhuc lege, & non nocente) ad totam illam tenebatur: eâdem ratione nullus absolutè cogitur ad nuncupandum in Religione votum; eo autem legitimè nuncupato, ad observantiam instituti potest compelli: quia à prima illa voluntate est illi voluntaria ea professio. Miror Petrum Lorcam hoc non animadvertisse dis-
Lorca. crimen, & vsum argumento à potestate hæreticos compellendi ad compellendos non baptizatos.

Obiectio. Obijcies: hæc esse vera in eo, qui sponte voluit intingi baptismo, non verò in
Resp. coacto; quamvis absolutè voluerit. Respondeo: vtrobique esse rationem eâdem: ostendi in disputatione de voluntario metu adimi perfectionem voluntario, non tamen substantiam: quia est absolutè à principio intrinseco cognoscente singula: vnde contractus initus per metum, iure naturæ esset validus; leges autem humanæ illum irritaverunt, ne occasione arrepta vellent homines per vim alios compellere. Character autem Christianus imprimitur susceptione baptismi absolutè voluntarij: ac propterea compellẽdi sunt omnes baptizati ad externam observationem fidei: & qui omnino fictè sunt lavati, possunt eâdem ratione cõpelli: quia lavacrum externum voluntarium absolutè, vidit Ecclesia, nihil in hoc foro iudicans de occultis.

SVBSECTIO IIII.

Opinio Scoti.

SCOTVS in 4. dist. 4. quæst. 7. fine, asserit non baptizatos ad fidem suscipiendam licitè posse compelli: In quã opinionem inclinari videtur Gabr. eâdem dist. quæst. 2. fine: cui subscribunt Scotici nonnulli: quod intelligendum est de iure divino solùm: nam de humano pars opposita liquet ex dictis. Petrus Lorca disput. 36. nu. 7. communem sententiam sequutus, hanc Scoticam vult esse probabilem. Movetur primùm, quia cap. de *Iudæis* laudatur factum Sisebuti. Cui respondi §. 35. & 38. fine. Cur autẽ coacti sint Iudæi coactè baptizati fidem profiteri; quamvis coactio non fuerit de se licita, ostendi §. 38. & 40. Secundò movetur quia iure civili puniuntur cælicolæ, nisi cõvertantur ad fidem. Ad quod respondi §. 37. §. 41. *Scot.* *Gabr.* *Lorca.*

Tertiò movetur, quia eodem iure civili compelluntur infideles ad deserendã idololatriam: quas leges laudant S. Amb. epist. 30. & S. August. epist. 48. & 50. ergo licita est coactio ad fidem. Probat consequentiam num. 13. quia qui alicui interdicit cultum falsi Dei: illum cogit quærere aliquem cultum veri Dei; non enim homo relinquẽdus est illex; nec conquirenda inaudita aliqua Religio, qualis cælicolarum fuit. Secundò, quia verus cultus Dei non est separabilis à cultu Christiano: miscentur autem in alijs cultibus multa contra ius naturale. §. 42. *Ambros.* *August.*

Antequam respõdeam, moneo S. Augustinum tom. 2. epist. illa 50. non agere nisi de legibus latis ab Imperatore contra Donatistas: ea enim epistola est ad Bonifacium militum præfectum scire cupidum, quid Donatistæ sint: & quo Arianis dissimiles. Laudat Augustinus legem Imperialem contra hæreticos Donatistas, vt constat ex his verbis. *Quod isti dicunt*, Donatistæ, *se iustos esse, quia ex lege Regis persequutionem patiebantur; quod vtiq; dicerent* (tres pueri) *si insanirent, sicut isti insaniunt, qui dividunt membra Christi, exsufflant Sacramenta Christi, & de persequutione gloriantur: quia prohibentur ista facere* §. 43. *August.*

certe legibus Imperatorum; quas constituunt pro vnitate Christi. Donatistæ autem multiplicitate baptismi tollunt vnitatem Christi. Laudatur item ibidem lex Nabuchodonosor, ne quis diceret blasphemiam in Deum trium puerorum: quod tenentur præstare Reges omnes. Item laudantur Iud eorum leges: illi enim tenebantur populum Dei legibus tenere, ne discederet à patrio cultu; vt Catholici Principes tenentur legibus hæreticos punire. Itaque de ijs non est controversia.

§. 44. Ad arg. August. Ad argumentum ex §. 42. concedo antecedens. Sunt enim illæ leges de tollendis sacrificijs paganorum: de quibus hæc ait August. epist. 48. *Quis enim nostrum, quis v strum non laudat leges ab Imperatoribus datas adversus sacrificia paganorum? & certè longè ibi pœna severior constituta est: illius quippe impietatis capitale supplicium est.* Sunt autem illæ leges 1. tituli 11. de paganis. Item lex *nequis*, & lex *nemo ea*. & lex *nemo venerandi*, quæ agit expresse de Idolorum cultu. Quæ doctrina constans est apud Theologos. Recognosce P. Valent. disputat. 1. q. 10. pūct. 6. versu *ad quartum*. P. Lusium disputat. 52. dub. 2. P. Suar. disputat. 18. sect. 4. num. 6. & P. Azorem tom. 1. lib. 8. c. 24. q. 5.

Valent. Torres. P. Suar. P. Azor.

§. 45. Nego autem consequentiam: quia dominium temporale est à Deo, vt authore naturæ, in cuius laudem dirigitur principatus temporalis; omnia autem, quæ per se ab hoc fine hominem avertunt, tenentur Reges interdicere: & præcipere media per se vtilia ad eum finem naturalem. At verò ius naturale non respicit actionem aliquam supernaturalem, nisi elevetur supernaturali iure: cùm ergò fides in Christum sit supernaturalis, non cadit in solum ius naturale.

§. 46. Ad primam probationem respondeo, homines impellendos in cultum Dei honestū naturâ sua, vt est oratio, adoratio, preces, accensio cereorum, suffituum concrematio, thuris oblatio, & alia, quæ & ex se bona sunt, nec prohibita lege Dei. Immò & sacrificia animalium, oblatio leguminū, & alia, quæ in lege naturæ offerre licet, possunt permitti non baptizatis; vt Iudæis permittuntur suæ iam sacrilegæ cæremoniæ: è quibus multæ sunt interdictæ à Pontifice. Itaque non finuntur absque lege; sed cum lege naturæ sine peccato contra eam. Cælicolis autem erant superstitiones inauditæ; vt ait lex: at nec hæc est superstitio, nec inaudita.

§. 47. Ad secundam probationem respondeo, verum cultum non esse contra legem Christi, quæ amplectitur omne, quod secundum rectam rationem naturalem est bonum. Fides non potest separari à lege naturali, quia eam amplectitur; & corrigit omnes in illam errores; lex autem naturalis potest à fide separari, vt potentia naturalis separari potest ab accidente supernaturali; quamvis hoc ab illa non potest: quia ergò fides amplectitur etiam mysteria supernaturalia; ideo fine illa potest esse cultus de se licitus, & naturalis in Deum, vt author est naturæ.

§. 48. Addit ex eodem codice, Manichæos, & Samaritanos graviter puniri: cùm non sint hæretici. Item qui nolunt baptizari: privantur dominio, & alijs afficiuntur pœnis in lege *qui post Sac. lum, vers. fisi Oret*. Respondeo, Manichæos iure hæreticis accenseri; quia presi lierunt ex Ecclesia, & Episcopi ... cùm autem constet ex cap. *de Iudæis* item & *de paganis*, hos infideles in Republica permitti; Manichæi autem & Donatistæ gravioribus adhuc, quàm cæteri hæretici, legibus tenerentur, pro hæreticis sunt habiti, nō pro paganis. Fateor in lege *qui post Sanctum* Codice de paganis, graviter animadverti in non suscipientes baptismum: tamen hæc lum laudo, non legem, vt dixi de nostro Sisebuto. Nec illa lex adsonat, aut praxi ipsius Iustiniani, aut alijs legibus permittentibus Iudæos impunes.

§. 49. S. Greg. Adducitur S. Gregorius lib. 3. epist. 26. *Iam verò si rusticus fuerit tantæ perfidiæ, & obstinationis inventus, vt ad Deum venire minimè consentiat, tanto pensionis onere gravandus est, vt ipsa exactione sua pœna compellatur ad rectitudinem festinare.* Iam respondi §. 48. loquutum S. Gregorium de tributis iustis independenter à Religione: agit enim de rusticis, per quos colebantur Ecclesiæ prædia: hoc autem argumentum est à nobis, quia solùm in materia alioquin licita, voluit gravari paganos, non in alijs: adducit ibidem S. Augustinum, qui tamen epistol. 48. & 50. totus est contra hæreticos: cùm autem digreditur ad paganos, tantùm probat eos coercendos ab idololatria, vt ostendi §. 43. cætera sunt facilia.

S. Greg.

SECTIO III.

Utrùm Infideles ad fidem audiendam possint impelli?

§. 50. 1. Conclus. DICO primò: infideles non subiecti Catholico Principi, compelli possunt ab Ecclesia, vt in suo regno permittant prædicatorem fidei: hominem alioquin non agentem contra illius pro-

P. Azor. P. Suarez. provinc[illegible]ges. Ita censent P. Azor lib. 8. cap. 24. quæst. 7. Pater Suarez disputat. 18. sect. 2. num. 8. & alij quã plures. Si princeps infidelis vult audire Euangelium, & populus obsistat, potest compelli populus: item si vellet populus, Rex autem nõ permittat; potest compelli Rex: immò si vnus homo solus velit, cęterj autem resistat, possunt armis adigi, vt permittant prędicatorem: quia ille habet ius ad quærenda suæ salutis media: quod læditur iniustè. Addo, quamvis omnes resistant, nullusque velit audire, possunt compelli ferro, vt prædicatorem admittant: quæ cõclusio probatur ex §. 3. & 4. quamvis enim ibi egi de Principe per tyrannidem persequente prædicatores; rationes tamen omnes huc faciunt. Ecclesia enim habet verum ius ad prædicandum: quare potest vi coercere omnes impedientes prædicationem: non potest Ecclesia eos compellere ad audiendum; at potest, ne obstruant os prædicatori: adde esse moraliter impossibile, vt nullus velit audire.

§. 51. 2. Conclus. Valent. Salmer. P. Suar. P. Luisius. Probat. Dico secundò, Infideles non subiecti cõpelli non possunt ad audiendam fidem: quã cõclusionē docent Pater Valentia, & Pater Salmeron adducti à Patre Suar. disputat. 18. sect. 2. num. 2. quos ipse sequitur num. 6. Pater Luisius disputat. 52. dub. 2. estque cõmunis apud Theologos. Probatur, quid ad id nulla est in Ecclesia potestas spiritualis; cui solùm concessum est ius ad prædicandum, cuius correlatiuum essentiale non est auditio; sed non resistentia: itaque, qui mihi præcipit, vt loquar, non præcipit vt aliquem adigam ad me audiendum: & concionator, cui Episcopus dat facultatem; vt prædicet, nemini præcipit, vt audiat; sed, vt non impediat concionantem: hoc enim sequitur per se ex illa facultate; alioquin esset inutilis: audire ergò est correlativum physicum loquutionis: quia hæc est instrumentum physicè illam efficiens; at in morali consideratione correlativum est non impedire loquutionem; potestas autem laica non est in Ecclesia ad hanc coactionem: ergò ex nullo capite est licita.

§. 52. 3. Conclus. Azor. P. Suar. P. Luis. 1. Probat. Dico tertiò: Catholicus Princeps licitè potest Infideles sibi subiectos compellere ad audiendam fidem. Ita Pater Azor lib. 8. cap. 24. quæst. 3. Pater Suar. disputat. 18. sect. 2. num. 2. Pater Luisius disputat. 52. dub. 2. estque communis. Probatur primũ, quia Nicolaus III. & Gregorius XIII. cogunt Romæ Iudæos ad audiendum Theologum statis diebus: item cap. *qui syncera* 45 ait Greg. *agendum est ergò, vt potiùs ratione, & mansuetudine provocati, sequi nos velint; non fugere: vt eos, ex eorum codicibus ostendentes, quæ dicimus, ad sinum matris Ecclesiæ Deo possimus auxiliante convertere.*

Hæc duo argumenta non sunt satis. Primum; quia censent aliqui pœnam impositam à Nicolao, & Gregorio, non esse propriè pœnam; sed tributum iustum, quod condonatur audientibus Theologum; secus non audientibus: Quod si nunc nõ exigitur alio titulo; est; quia iam est condonatum audientibus; at non audire est conditio necessaria ad iustam exactionem: & nunc ideò penditur, quia non auditur Verbum Dei. Satis verò simile est Iudæos Romæ receptos ea lege, vt interdùm audirent legem Christi; nec credi potest summos Ecclesiæ Pontifices eã de re non curasse, cùm eo animo Iudæi Romæ permittantur. Secundum argumentum non vrget: quia non dixit Põtifex eos persuadendos, cùm audiũt coacti: quia sine coactione possunt audire Theologos. §. 53.

Ratio à priori; quia nihil supernaturale illis præcipitur; sed omnino naturale, idque honestum, item & per se vtile ad finem naturalem laici Principatus, quia de Deo, vt authore naturæ multũ apud infideles erratur: de vitijs, atque virtutibus multa ignorantur: item fides Christiana est vtilis apprimè etiam ad laicam politiam; quia tam severè agit in rebelliones, in iniustitias, & alia crimina: quam ob causam possunt Principes laici moderata multâ eos cogere ad audienda mysteria supernaturalia; ad legē autem naturalem audiendam possunt agere per [illegible] severè in contumaces. §. 54.

§. 55. Valent. P. Suarez. Luisius. Arg. Oppositam sententiam docet Pater Valentia disputat. 1. quæst. 10. punct. 6. versu *quidquid*: & alij adducti à Patre Suarez; & Luisio: moventur primùm ex ratione; quã Christus prædicare præcipit: & cum Apostoli vellent igne absumere Samaritanos Christum non excipientes; eis obiecit Luc. 9. eos nescire cuius spiritus essent. Respondeo; hoc ius cogendi Infideles, non esse Ecclesiasticum, sed laicum, ortum ex solo dominio temporali: Apostoli autem non acceperunt ius laicum, sed spirituale: ac proptèrea aliter sunt à Christo instructi; ac Principes laici: ad secundum respondetur, Apostolos tunc fuisse ardentiores iusto; eosq; primùm vsuros mansuetudine Christiana, quã Heliano fervore: quæ rectè componuntur cum hac doctrina. (Luc. 9. Respond.)

§. 56. Arguit secundò, auditum fidei esse per se medium necessarium ad fidem: ergò cui nõ possumus afferre vim ad fidem, nec ad auditionem: quia medium non potest præcipi, nisi ad finem. Distinguo antecedens: est ad solam fidem, nego; ad fidem, & ad laicũ Principatum, concedo: & nego consequentiam: ad probationem respondeo, medium (2. Arg. Resp.)

non

S.Tho. q. 10. Art. 9. non vtile, nisi ad vnũ finem, non posse præcipi, nisi à potente præcipere finem; si autem vtile sit vni fini, quem potest laicus Princeps præcipere, potest & medium: immò hinc ego arguo. Laicus Princeps potest præcipere medium vtile ad principatum tẽporalem; sed auditus legis est vtilis, vt ostẽdi: ergo illum potest præcipere.

§. 57. Tertiò movetur; quia hoc iam esset per vim persuadere fidem: hoc nego; sed persuadere auditum fidei: quo præstito, liberum est vnicuique credere: vt Romæ fit cum Iudæis.

DISPVT. LXXVI.

De communicatione cum Infidelibus.

§. 1. HÆC Disputatio non poterit esse brevis: quia multa complectitur explicatu non facilia, propter infinitam rerum multitudinem, quæ nobis cum Infidelibus possunt esse communes.

SECTIO I.

Vtrùm cum hæretico excommunicato non speciatim, possimus agere, vt cum Catholico eadem ratione excommunicato?

§. 2. EXEMPLI gratia, Henricus est hæreticus: de quo satis mihi cõstat: estque excommunicatus iure, & iure quidem; at non est speciatim denunciatus: item Antonius est Catholicus, & ob aliquod crimen contraxit excommunicationem; non tamen est denunciatus nominatim: quæstio est, vtrùm cum Henrico possim ego communicare; non secùs ac cum Antonio?

§. 3. Præmitto item cum Antonio speciatim nominato, aut publico clerici percussore illicitam mihi esse communicationem, nisi certas ob caussas: item præmitto cum Antonio speciatim non excommunicato, nec publico clerici percussore, licitam mihi esse cõmunicationem, & civilem, & Ecclesiasticam: item cum Iudæo atq; Pagano. Est igitur quæstio, vtrùm Hæreticus ob excommunicationem generalem, & [illegible] non specialem, habeat speciale aliquid, quod non habeant Pagani, & Iudæi, nec Catholici ligati simili vinculo?

SVBSECTIO I.

Conclusio.

§. 4. Conclus. DICO eamdem esse rationem in vtroq; ac propterea, si præcisè consideretur vis censuræ, nihil speciale continet in hæretico: alias autem ob caussas potest communicatio esse illicita: de quibus infrà. Nunc autem tantùm ago de sola censuræ vi. Sententia est Navarri consilio 15. de hæreticis, num. 2. & 4. & consil. 16. num. 8. eodem titulo, vbi asserit licitum esse orare, & rem sacram audire cum hæretico non denunciato nominatim: sequitur Pater Azor tom. 1. lib. 8. cap. 11. quæst. 1. versu *secunda opinio*. Pater Suar. tom. 3. in 3. part. disputat. 18. sect. 1. versu *tertiò est observandum*, & tom. 5. disput. 9. sect. 2. num. 5. & 6. & disputat. 21. de fide, sect. 3. num. 2. quam ait esse ferè omniũ authorũ, Toleti, Sayrij, Hugolini, & aliorum, quos refert, & sequitur Pater Thom. Sanchez lib. 2. summæ, cap. 9. num. 3. estque omnium ferè authorum, qui non admittunt aliquem vitandum ob excommunicationem, præter publicum clerici percussorem, & speciatim denunciatum: cùm autem hæreticus ob præcisam hæresim, nec sit publicus percussor clerici, nec speciatim denunciatus, non est interdicta eius communicatio ob solam excommunicationem, qua tenetur ob hæresim. Navar. Azor. Suar. Tolet. Sayr. Hugolin. Th. Sanch.

§. 5. Fundam. Vnicum fundamentum est, extravagans quædam ex Concilio Constantiensi: quæ in solis duabus occasionibus vult fidelibus interdictam communicationem cum excõmunicatis. Primùm, quando quis publicè, & speciatim denunciatur. Secundò, quando sacrilegas manus quis iniecit in clericum tã apertè, vt nullâ possit tergiversatione celari. Hæc esse verba eius extravagantis ex Sancto Antonino, alijsque Doctoribus doctè demonstrat Pater Suar. to. 5. in 3. part. disputat. 9. sect. 2. num. 5. cùm ergò verba legis eas duas occasiones dumtaxat excludant, non sunt ad alias porrigẽda: tùm quia rigores non sunt ampliandi; hæc autem cõmunicatio non permittitur in excommunicati favorem; sed aliorum: tùm, quia finis eius legis est vitare scandali occasiones & scrupulorum: quod locum habet cum hæreticis in provincijs vtentibus libertate conscientiæ; P. Suar.

fcientiæ: item & in omninò Catholicis, agẽtibus pacificè cum hæreticis. Nunc in Hispania exercentur commercia cum Anglis, è quibus complures hæretici notorij mercaturam agunt: quòd si ante specialem denuntiationem essent vitandi, complures essent scrupulorum occasiones. Verba aliqua extravagantis referam disp. 173. §. 250. & explicabo.

§. 6. Tandem: quia in provincijs, vbi hæretici permittuntur, est impossibilis ea vitatio: quid aget filius hæretici? quid vxor? cui servient egeni? item Reges amici quo pacto poterunt amicitiam conservare? at non potest vnus Catholicus Princeps, cum omnibus hæreticis belligerari: in provincijs autem penitùs Catholicis, nullum est inconveniens: quia hæretici sunt prærari: publicus nullo modo permittitur; occultus autem latere dici non potest, ob gravissima supplicia in non eum deferentes ad iudicem: si quis autem animo hauriat peccatum, & pœnas non deferentium, etiam glutiet pœnas communicantium cum excommunicato.

§. 7. *Obiectio.* *Sot.* *Thom. Sanchez.* Sotus, & alij pauci apud Patrem Thomã Sanchez adductum §. 4. censent, tanti esse momenti excommunicationem hæreticorum, vt ad eos necessariò vitandos non sit opus expectare specialem denuntiationem. Fundamentum est caput *sicut de hæreticis: eos, & defensores, & receptatores eorum anathemati decernimus subiacere: & sub anathemate prohibemus, ne quis in domo, vel in terra sua tenere, vel fovere, aut negotiationem cum eis exercere præsumat*: item caput *si quem forte*, damnat accipientes sacra ab hæretico, & schismatico, sine extrema necessitate.

§. 8. *Resp.* Respondeo ante Concilium Constantiẽse interdictam esse communicationem cum omni excommunicato notorio, & eâdem ratione cum omni hæretico; at post illud Concilium abrogatæ sunt illæ leges, quod attinet ad solam communicationem. Vnde caput *sicut* adductum, adhuc premit fautores hæreticorum; at solùm communicantes non premit, ob extravagantem, quæ est recentior. Idem respondeo ad caput *si quem fortè*.

§. 9. *2. Obiectio* *Respond.* Secundò moveri possunt, quia excommunicatio hæreticorum est de iure divino: ergo non potest cum illis communicari: antecedens esse falsum ostendam disputat. 83. & consequentia est mala: etenim susceptio passiva Sacramentorum & activa administratio, sunt illicitæ ipsis hæreticis: id enim videtur esse de essentia excommunicationis maioris: nec enim per extravagantem Constantiensem ipsi excommunicati excusantur à peccato in Sacramentorum vsu: ait enim Concilium à se minimè relevari excommunicatos; at cæteris fidelibus non est ipso iure excommunicationis interdicta cõmunicatio; sed in maius excommunicati dedecus fuit interdicta humano iure, quod iustas ob causas revocari potest: nam vltra pœnas iure divino impositas, in peccantes contra illud ius, possunt homines alias visibiles imponere, easque minuere.

Secundò rogas; vtrùm hæreticus nominatim denuntiatus per sententiam iudicis; sit speciatim denũtiatus, & vitandus, verbi gratia quæsitor fidei asserit: *damno Henricum hæreticum, illum dico incurrisse excommunicationem*: quæritur an hæc sit specialis denuntiatio sufficiens ad eum necessariò vitandũ? Quæstio est communis omni excommunicato: v.g. si quis teneatur aliquo anathemate ob sacrilegium, & Episcopus dicat: *damno Ioannem, & dico illum esse excommunicatum*, non tamen dicat: *illum nunc excommunico; aut iubeo vitari*: Non est ergò hæc quæstio, nisi communis. Pater Suarez tom. 5. disput. 9. sect. 2. num. 10. censet apertè, sufficere hanc denuntiationem: quia tunc publicè denuntiatur excommunicatus; & publicè ac nominatim constat de eius excommunicatione: quod repetit disputat. 21. de fide; sect. 3. num. 7. quæ sententia est compluriũ apud Patrẽ Thomam eo cap. 9. num. 4. quã ipse censet probabilissimam; ipse tamen sequitur oppositam cum multis: quia tunc nõ fertur sententia, nec denuntiatur: quam opinionem Pater Suarez nunc adductus dicit esse probabilem, quando denuntiatur publicè solum crimen; si autem cum crimine declaretur eum incurrisse censuram, sententiam suam ait esse certam. Ex opinione Patris Suarez sequitur, nos non posse communicare cum hæretico damnato à quæsitoribus: ex opinione Patris Thomæ sequitur oppositum. Hæc autem quæstio est de omni delicto secum afferente excommunicationem. §. 10. *P. Suarez.* *Th. Sanc.*

SVBSECTIO II.

Corollaria.

INFERTVR ex dictis primùm, Catholicos non peccare contra leges excommunicationis in convictu civili, aut mercatura, aut alijs negotijs politicis. Vnde in provincijs permittentibus hæreticos, possunt concives mutuò degere. Item in provincijs penitùs Catholicis, permittentibus mercaturam hæreticis, possunt fideles cum illis negotiari, & cõfabulari; non secus §. 11.

S.Tho. q. 10. Art. 9. P. Azor. Th. Sanch. P. Suar. ac cum alijs nõ excommunicatis. Ratio est; quia sola lex excommunicationis non interdicit eam communicationem nisi cum speciatim, & publicè denuntiatis. Ita senserunt Patres Azor lib. 8. cap. 11. quæst. 1. Thomas eo cap. 9. num. 5. qui num. 6. idem ait de Lutheranis, & alijs satis expressis antequàm denuntientur, Pater Suarez disputat. 21. de fide, sect. 3. num. 4. & multi apud ipsos; monendum tamen est hæc intelligi ex sola vi excõmunicationis: si enim sit periculum, scandalum, aut alia id genus, communicatio est illicita; nõ tamen ab excommunicatione.

§. 12. Infertur secundò, cum hæreticis etiam cognitis, non tamen speciatim denuntiatis licere Catholicis orare, audire missam, & officia sacra in Templis Catholicorum. Probatur: quia eiusmodi actiones per se non sunt illicitæ nisi ob excommunicationem; sed hæc eas non interdicit, nisi cum nominatim denũtiatis, & publico percussore clerici: ergo nisi hæreticus speciatim, & publicè denuntietur, non est illicita fideli hæc cõmunicatio. Ita sentiunt Patres Suar. Azor, Thom. & alij. P. Suar. Azor. Th. Sanch.

§. 13. Tertiò infertur: non agere contra leges excommunicationis, qui cum hæretico notorio non denuntiato communicat in susceptione Sacramentorum. Doctrina est Patris Suarez disputat. 21. sect. 3. nu. 5. & alibi; Patris Thomæ cap. 9. nu. 10. & aliorum: estque eadem ratio, quia hæc communicatio solùm est illicita per se à censura excommunicationis; sed hæc non obligat, nisi cum excommunicato publicè nominato: ergò: minor cõstat ex negatione legis: cùm enim hæc communicatio sit honesta per se, non intelligitur illicita, nisi ex lege. At nulla lege prohibetur, nisi censuræ: ergò: & quidem de susceptione Sacramenti ab hæretico notorio, non est multa difficultas, nisi hæretici errent in aliqua re essentialiter requisita ad valorem Sacramenti: tunc enim non est illicita ea susceptio ob excommunicationẽ; sed aliũde: difficultas maior est de collatione: & quidem in ea servanda sunt, quæ cum Catholico excommunicato notorio. Eucharistia enim illi non est conferenda: quia publico peccatori non pœnitenti est neganda: si tamen hæresis, aut delictum, ob quod excommunicantur, est mihi notum, & non alijs: tunc si non possum eos secretò à communione retrahere, teneor cum illis facere; quæ cum cęteris peccatoribus eâdem ratione mihi soli notis: si autem sunt publicè denuntiati, teneor illis negare Eucharistiam, & à templo arcere; licet præsentibus sint ignoti: pœnitentiã illis negare teneor: quia non pœnitet illos delicti; itaque cum hæretico agam, vt cum Catholico excommunicato. Quòd si commodè possum Sacramenta ab alijs accipere, teneor id facere: nõ quia illi sunt excommunicati; sed quia peccatores mihi noti: lex autem charitatis me obligat non dare occasionem alicui, vt tractet irreverenter sacra, vt rectè probat Pater Suarez tom. 3. in 3. part. disputat. 18. sect. 1. P. Suarez. hæc item intellige secluso scandalo proximi, & occasione ruinæ propriæ: solũ enim ago ex vi excommunicationis.

§. 14. P. Azor. Obiectio. Huic corollario adversatur Pater Azor lib. 8. cap. 11. quæst. 7. movetur: quia independenter ab excommunicatione est interdicta Sacramentorum susceptio ab hæretico: & quia S. Thom. 2. 2. quæst. 39. art. 3. cẽset hæreticum carere iurisdictione: eodẽque teste 3. part. quæst. 82. art. 7. ad secundum, hæretici nequeunt Sacramenta conferre. S. Thom. Respondeo à Patre Azore non affirmari oppositam sententiam; sed nostram censeri dubiam: nõ probat, nec potest, hanc communicationem interdictam independenter ab excommunicatione. Resp. Quòd enim cap. *si quis dederit*, interdicitur susceptio Eucharistiæ ab hæretico; non probat fieri independentur ab excommunicatione: cùm enim omnis hæreticus sit ipso iure excommunicatus; & omnes publici erant antiquitùs vitandi, statuuntur eo capite pœnæ in non vitantes hæreticum in susceptione Sacramenti: quod constat apertè; quia ibidem statuitur supplicium permittenti in Ecclesia Catholica sacrum celebrari ab hæretico: quod quidem ab excommunicatione pẽdet, & quamvis id non penderet à censura; pendet tamen à prohibitione generali iuris, de qua est eadem ratio, vt in simili dicam §. 20. de sepultura vsurarij. S. Thom. in 1. testimonio loquitur secundùm antiqua iura, S. Thom. quibus adimebatur excommunicatis notorijs facultas absolvendi: at eam adstrinxit Concilium ad solos speciatim denuntiatos, & publicos clerici percussores. Vndè Pater Suarez disputat. 21. sect. 5. num. 15. ait. P. Suarez. Hæreticis, nisi speciatim denuntiatis, esse potestatem absolvendi: è quibus, & ex sect. 3. num. 5. constat ab eo sentiri non esse per se illicitum accipere Sacramenta pœnitentiæ ab eiusmodi hæreticis: in secundo testimonio rectè dicit hæreticis non licere conferre vllum Sacramentum præter baptismum in necessitate: at quamvis hoc sit illis illicitum ob excommunicationem; non propterea est per se illicitum ea suscipere.

§. 15. Th. Sanch. Azor. Quartò infertur, licitum esse per se Catholico de sacro fonte suscipere filium hæretici; dummodò servetur Romanus ritus: secùs si hæreticus: quod docet Pater Thom. eo cap. 9. num. 12. & Pater Azor eo cap. 11. quæst.

quæst. 9. cum alijs: quod primū patet; quia gravius est Sacramenta suscipere; & tamen id per se est licitum: ergò. Secundū: quia illa communicatio pendet à sola excommunicatione; quæ non habet ad id vim ante publicam, & specialem denuntiationem. Observa duo; non licere Catholicô dare filio patrinum hæreticum; quia patrini munus est clientem imbuere fide; quod hæreticus præstare non potest. Item vitandam esse offensionem, & scandalum, ne aliqui censeant id fieri in honorem falsæ religionis: si legatus Principis Catholici levet filium Regis hæretici solo honoris, & benevolentiæ titulo, idque constat apertè ex ratione, qua fit; est per se licitum.

§. 16. Deducitur quintò: licere Catholico comitari funus hæretici non denuntiati nominatim. Ita P. Azor, cap. 11. quæst. 3. cū Navarro, & P. Thom. c. 9. num. 7. dūmodò non sit ex animo favendi sectæ; nec cum offensione fideliū. Hic est dubium. Vtrùm liceat comitari funus hæretici in loco sacro? negat P. Thom. cum Navarro, quia esset adiuvare peccatum sepelientium, & illis cooperari. Hæc ratio vt sit efficax, debet supponere comites funeris esse cooperatores sepelientiū: quod non probat: quia respectu humationis per accidens sunt comites, nisi sint portitores pheretri, vel alicuius signi, sine quo moraliter non fiet funus. Probat itē ex cap. 2. de hæreticis in 6. vbi præcipitur, ne quis hæreticum donet Ecclesiasticā sepulturā; & negatur absolutio, donec proprijs manibus extumulent cadaver; & locus interdicitur novis cadaveribus: hoc autem supplicium nō pendet adæquatè ab excommunicatione: quia eodem lib. 6. tit. de *vsuris*, vsurarius interdicitur sacrâ sepulturâ, donec de facto restituantur malè parta; hoc autem non est propter excommunicationem; quia facta restitutione permittitur sepeliri corpus.

Azor. *Navar.* *Th. Samb.*

§. 17. *P. Azor.* Pater Azor è contra sentit: in cuius sententia nec templum manet profanum, nec inhabile alijs sepeliendis: quia hæc communicatio solùm est interdicta ob excommunicationem; quæ nō obligat, nisi cum speciatim denuntiato, aut publico clerici percussore, quæ sententia mihi magis arridet. Ad caput secundū de hæreticis respondeo: illud esse prius Concilio Constantiensi: & quemadmodum tunc, cum quovis notorio excommunicato vivente erat interdicta communicatio; ita cum mortuo: nunc autem cū vtroque est licita ante denuntiationem speciālē. Quod confirmo, quia cōmunicatio cum vivente hæretico non denuntiato est nobis in templo licita: ergò & cum mortuo. Probo consequentiam ex cap. *sanè quod superest* 24. quæst. 2. *inter cæteros quippe nostra fidei Patres* *beatus Leo Papa Doctor egregius; quibus vivis (inquit) non communicamus, nec mortuis communicare debemus.* Constat ergò quibus vivis (vt ex opposito loquamur) cōmunicamus; mortuis quoque communicare posse.

Ad exemplum vsurarij respondeo eādē ratione: quia post extravagantem *Ad evitāda* ex Concilio Constantiensi, non labūtur in eam pœnam sepelientes vsurarium, nisi publicè & speciatim sit denuntiatus; aut sententia sit lata de eius crimine, vt ex ipsis verbis extravagātis rectè probat P. Suar. tom. 5. in 3. part. disp. 31. sect. 2. nu. 10. vbi asserit absolutè nulli hominum esse illicitam hanc communicationem ex vi excommunicationis, nisi cum speciatim denuntiato, aut publico clerici percussore. Vndè tenet hanc P. Azoris sententiam, eamque generaliùs docet eodem tom. 5. disp. 12. sect. 4. nu. 5. §. 18. *P. Suar.* *Azor.*

§. 19. Estque eadem ratio de Torneatoribus, qui nisi publicè sint, & speciatim denuntiati, aut publicè clericum percusserint, non obligat pœna in Torneatores ad eos sepulturâ privandos: est ergò necessaria sententia iudicis, qua denuntientur excommunicati: sic accipe decreta Pontificum in Torneatores: itaq; cum hæretico, vsurario, & Torneatore agendum est hac in parte, sicut cum fideli excommunicato notorio, non denuntiato, aut clerici non percussore. Vtrū autem publicus peccator decedens absq; signis pœnitentiæ, sit donandus Ecclesiasticā sepulturā, non est huius loci: si enim eā privandi sunt: eâdem ratione privandi sunt hæreticus, vsurarius, & Torneatores, non aliam ob causam, nisi quia sunt publici peccatores, mortui absque pœnitentiæ: signo de quo §. 21.

§. 20. Existimo autem vsurario interdictam sepulturam independenter ab excommunicatione: quia de hac non constat ex iure: item quia cap. 2. de vsurarijs in 6. permittitur sepeliri corpus vsurarij, si hæredes integrè restituant vsuras: quod non permitteretur, si vsurarius esset excommunicatus: item non dicitur eo capite pollutum mansurum templum; vt dicitur de templo, in quo sepeliuntur excommunicati, lib. 3. decretalium, titul. de consecratione Ecclesiæ, cap. 7. cùm ergo vsurarij sepultura non habeat odia sepulturæ excommunicatorum; non est ob excommunicationem: idem dico de sepultura in torneamentis occisi: cui poscenti conceditur pœnitentia, & (iuxta glossam) viaticum; negatur tamē sepultura, lib. 5. decretalium de torneamentis, cap. 1. At hæretici cadaver polluit Ecclesiam, vt constat ex cap. 2. de hæreticis in 6. *& locus ille perpetua careat sepulturâ*: esto tamē, ne sit hæc pœna ob excommunicationem, adhuc hæreti-

S.Tho. q. 10. Art. 9. hæreticus non denũtiatus potest in templo humari ritu Catholico, propter hæc verba extravagantis *Ad evitanda. Constituimus, vt nemo posthac teneatur abstinere, & separare se, nec evitare cõmunicationem alicuius, ratione alicuius sententiæ, aut censura Ecclesiastica, aut suspensionis, aut prohibitionis ab homine, aut à iure generaliter promulgata*: cùm ergò interdictio sepulturæ sit prohibitio generalis à iure, nõ tenemur evitare eum, qui speciatim nõ denuntiatur, aut non est publicus clerici percussor. Vndè vsurarius & torneator nõ sunt necessariò vitandi ante sententiam publicã, & specialem, quam Episcopus ferre tenetur.

§.21. Est tamen dubium: esto non labatur quis in pœnas sepelientium excommunicatum denuntiatum: an ne erit peccatum tumulare hæreticum in templo? est enim publicus peccator absq; pœnitentiæ signo: est autem eadem ratio de quovis publico peccatore non pœnitente exteriùs: vt qui in torneamantis occũbunt; aut in aliqua actione mortaliter mala. Censeo eiusmodi homines (nisi se ipsos occiderint) posse licitè donari Ecclesiastica sepulturâ: quia cap. 2. de vsurarijs in 6. facta restitutione permittitur sepultura vsurario, absq; discrimine, quòd egerit, vel non egerit pœnitentiam exteriùs; immò & pro eiusmodi peccatore video offerri sacrificia. (non ago de excõmunicato:) quia non sumus certi de eius dãnatione: potuit enim converti absque signis externis.

§.22. P.Suarez. Video de suffragijs oppositum asseri à P. Suar. tom. 5. disp. 31. sect. 2. num. 8. quia ille est publicè damnatus, quantũ Ecclesiæ constare potest. Cur ita censetur? cùm Ecclesiæ constare non posit, vtrũ internã egerit pœnitentiã, & quidẽ consuetudine cernitur homines ita repentè mortuos in eiusmodi actionibus sepeliri; & pro eis missam offerri. Quòd si de illorũ damnatione cõstaret, nec privatim posset pro illis orari. Huius sentẽtiæ ratio est: quia orationes publicæ & privatę sũt ex hypothesi, quòd ij, pro quib' offerũtur, sint in statu, in quo illis prosint: occidenti se interdicta est iure canonico sepultura, & suffragia: quia de eius salute nulla est probabilis spes; & vt homines ab eo crimine terreantur: at publico peccatori video sepulturam dari: quidquid sit de oblatione suffragiorum: etenim cap. *quicumq;* 23. q. 8. clerico rixanti interdicitur oratio publica, nõ tamen sepultura: & quidẽ P. Suar. tom. 4. disp. 48. sect. 4. concl. 2. graviter probat non licere suffragiorũ oblationẽ pro eiusmodi peccatoribus, de quo non est hic agẽdum, sicut nec de oblatione eorundẽ pro publico excommunicato nõ denuntiato. P. Suar. tom. 5. disp. 9. sect. 2. nu. 16. censet nec hanc esse licitam: oppositum non sine probabilitate dicit Navar. ex cuius opinione sequitur ea posse licitè offerri pro hæretico non denuntiato. Navar.

§.23. Quintò deduco: posse hæreticorum filios admitti in scholis Catholicorum: deniq; omnia, quæ sunt interdicta Catholicis ob solam excommunicationem: item omnis cõmunicatio exterior interdicta generali sententia iuris, est per se licita fideli: nec ad oppositũ obligat generalis prohibitio iuris: quid autem dicendum sit de matrimonio ineundo ostendam sect. 6.

SECTIO II.

De communicatione civili.

SVBSECTIO I.

De iure divino.

§.24. 1. Conclus. DICO primò: cuivis Catholico est iure divino interdicta omnis communicatio civilis cum infideli; quãdo ex illa probabiliter timetur lapsus in fidem. Quod S. Thom. expresit art. 9. quẽ sequuntur omnes: estq; ex terminis notũ: nullus enim potest licitè se exponere probabili labendi periculo, nec infidelium communicatio habet aliquid speciale: quivis enim mortalium tenetur omnem hominem fugere, à quo timet probabiliter periculum: hic namq; est oculus eruendus; & succidendi pedes ex consilio Christi, quando minantur scandalum. S.Thom.

§.25. 2. Concl. Dico secundò: non est æquale periculum singulis hominum. Prudentes enim, docti, & benè instructi non habent commune periculum cum indoctis, & rudibus: quia ij dificiliùs persuadentur: item non est æquale periculum agere cum infideli idiota, ac cum literato: nec dominus habet idem periculum cum famulo, ac famulus cũ hero; quia herus audentior est famulo; nec est tantum periculum cum Ethnico, quantum cum Saraceno; nec cum hoc, quantum cum hæretico ex genere suo at ex genere suo maius periculum est agere cum hæretico, aut Saraceno, quàm cum scelestissimo Catholico: quia hæreticus frequenter est perditus moribus, & inclinat amicos in errorem, qui est difficilior curatu cæteris vitijs.

§.26. 3. Concl. Dico tertiò: illicita est hæc communicatio iure divino, quando præbet occasionem scandali activi. Itaque tenemur abstinere ab omni probabili fundamento suspicionis, aut favoris in sectam infidelium. Quod si non possumus sine gravi incommodo abstinere ab

ab hac communicatione infidelium; nec ratio illam exercendi est de se satis ad suspicionem, aut favorem; tunc non tenemur abstinere ab hac communicatione infidelium; quia scandalum est merè passivum. Denique hîc observandæ sunt scandali leges, quæ in hac materia graviùs vrgent, quàm in alijs: ac propterea omnes nos oportet esse solertissimos, his maximè tempestatibus hæresum parentibus.

§. 27. 4. Concl. Dico quartò: iure divino, aut naturali non est illicita per se communicatio civilis cum infideli: quia illa est aut honesta iure naturæ; aut indifferens: confabulari enim cum Ethnico de metallis suæ patriæ, ludere sphærimachia, emere panem, illi suere vestes, quid habet malitiæ à divino iure? Secundò, id quotidie cernimus: nobis enim serviunt Saraceni captivi, fideles Romæ emunt à Iudæis galeros, & alia id genus, quod nobis esset illicitum. Tertiò, quia in provincijs libertate conscientiæ vtentibus; impossibile est vitare hanc communicationem: quid enim aget filius hæretici? quid Vxor? quid Artifices? Quartò: quia Principum legati agunt cum infidelibus, ineunt inducias, contractus exercent. Tandem, quo pacto erunt convertendi, nisi in eorum regiones intremus? at tunc non sumus diversaturi apud aliquem? non est ergò prohibita hæc communicatio iure divino, & per se. Quæ doctrina est certa Sancti Thomæ & aliorum. (S.Thom.) Ratio à priori: quia hic convictus habet aptitudinem ad multos fines naturales honestos: estque à natura insitus: est item fundamentum ad multos fines supernaturales: ergò non est per se illicitus iure divino.

SVBSECTIO II.

De iure humano.

§. 28. 5. Cóclus. DICO quintò: cum hæretico publicè, & speciatim denuntiato, est interdicta ea communicatio civilis, quæ & cum publico clerici percussore; & cum quovis excommunicato publicò, & speciatim denuntiato: quia ille hæreticus est notorius excommunicatus, & speciatim denuntiatus: hæc autem communicatio est omnis illa, ad quam non cogimur aliquâ ex caussis frequentibus apud Theologos, & Canonistas; si autem non sit publicè, & speciatim denuntiatus; ita vt non sit publicè assertus, & nominatim denuntiatus pro excommunicato; non est illicita iure humano cum illo communicatio purè civilis: vt constat ex sectione prima: quia non tenemur vitare ex ea lege, nisi excõmunicatos publicè, & nominatim denũciatos, vel publicos clerici percussores. S.Th. ar.9. asserit licitã esse hanc cõmunicationẽ cum Paganis, & Iudæis; indicans oppositum cum hæreticis, (S.Thom.) & quidem meritò; quia tunc cum omni publico excommunicato erat illicita: revocatam autem esse legem post Concilium Constantiense ostendi sect. 1.

§. 29. 6. Conclus. Dico sextò: iure humano non est interdicta omnis communicatio civilis cum Iudæis, aut Paganis (quibus comprehendo Saracenos): sentẽtia est S. Thom. art. 9. & omnium. (S.Thom.) Quia iure interdictæ sunt nonnullæ communicationes; non tamen omnes. Secundò quia Romæ licitè agunt fideles cum Iudæis, exercentibus mercaturam, artesque viles: idem Massiliæ cernitur, & ante illorum ex Hispania expulsionem frequentia erant cum illis commercia: cum Saracenis nostri agunt interdum: tum cum mancipijs, quibus abundant Hispani; tum Orani, & in alijs Hispaniæ Regum præsidijs. Ratio à priori est negatio legum id interdicentium; cùm autem illa communicatio sit apta per se ad fines honestos naturales; nec sit per se occasio ruinæ; sed apprimè necessaria vitæ civili; non oportuit eam esse interdictam: cum Ethnicis agunt passim Lusitani in Sina, & Iaponia: item & Castellani apud aliquos Indos nondum baptizatos.

SVBSECTIO III.

De servitute.

§. 30. 7. Concl. DICO septimò: non licet fideli esse mancipium Iudæi, vel Pagani subditi Principi fideli: sed tenetur (si potest) se redimere duodecim solidis, cap. *præsenti* de Iudæis: glossa exponit duodecim solidos reddendos Iudæo pro mancipio, si illud emit; alioquin ipso iure est liberum, si Christianum est, aut esse vult, cap. *multorum ad nos* eodem titulo, cap. *Iudæi* 2. & cap. *nullus* ibidem: quod itẽ docet P. Mol. (P.Mol.) tom. 1. tract. 2. disp. 39. immò videtur præcipi magistratibus vt redimant servum: si enim hic careat nummis, non propterea est futurus in servitute. *Quia nefas est, quẽ Christus redemit, blasphemum Christi in servitutis vinculis detinere*; cùm autem pro bono mancipij id præcipiatur; illud poterit suis operibus restituere magistratui duodecim solidos, id est, duodecim aureos; apud Hispanos *escudos*,

S.Tho. q. *des*, quòd si mancipia non sint bona, viliori
10. Art.9. redimantur pretio. Iudæo negantur mancipia Christiana, non tamen alijs infidelibus, lege *Iudaus*, cap. *ne Christianum mancipiū*, tit. 10. iure autem canonico vtriq; negatur. Vi
P.Mol. de P.Molinam, ea disp 39.

Suboritur quæstio; vtrùm Christianus
§.31. iure Christianitatis sit solutus servitute infidelium? ac primùm statuo cū P.Suar. disp.
P.Suarez. 18. sect. 5. num.4. Principem infidelem, & habere verum dominium, & iurisdictionē temporalem, ac propterea illius vassalli, si convertantur, manent sub eâdem iurisdictione temporali Principis infidelis: de servitute mancipiali idem censeo, quando ori-
P.Suar. ginem traxit à caussa honesta; vt cum complurimis docet P.Suar. num. 10. quia baptismus Petri non privat alios suo legitimo iure; sed dominus Petri habet in illum ius legitimum: ergò non privatur eo iure. Si autē infidelis vexaret iniustè mancipium, aut vassallum fidelem, aut illi laqueum injiceret ad ruinā; est in Ecclesia potestas indirecta eos privandi eo iure, ratione iustæ innocentium tutelæ; maximè in his, quę spectant ad fidē. At verò Ecclesia iure prohibuit infidelibus temporali fidelium potestati subiectis habere mancipia Christiana, ob honorē Christianæ Reipublicæ, quæ Ecclesiastico iuri paret.

Rogas, vtrùm Christianus possit fugere dominum infidelem? si enim iusto bello ca-
§.32. piatur, rogo vtrùm licitè fugere possit? de bello iniusto res est clara eis licere fugam; item & cuivis mortalium iniustè captorū: quia in eos nullum est servitutis ius, quod violent fugâ: de capto à Turcis, & Saracenis
Azor. P.Azor, tom.1. lib.8. cap. 24. q. 10. censet posse fugere: quia eorū bellū est iniustum. Fateor id esse frequenter: cur autem nō poterit iusto bello agere Princeps Saracenus? pone Regem Iaponiæ eam legem amplecti; & iniustè impeti à fideli, vel infideli, cui militat Christianus: iam hîc est bellum iustum. Secundò movetur; quia inter Saracenos imminet periculum in fidem: at potest id nullum esse: cur tunc fugiet? existimo cū ipso Patre Azore, cuivis in bello capto, etiam iusto licitam esse fugam per se: quia licet victor iure belli possideat hominem, ipse tamen iure naturali potest suæ libertati consulere: cui iuri non derogat bellum iustum: est enim durissima servitus ad quam nullus cogitur: vt qui iustè carceratur, morte, aut remigio plectendus, non amittit ius
S.Thom. fugiendi, vt ex S.Thoma, & alijs docet Sil-
Silvest. vester, verbo *accusatio*, num. 10. & *fugere*, num. 1. fuga autem captivorum est in omnium gentium vsu: non ago de captivis alio titulo. Huic tamen doctrinæ refragatur Pa-
ter Molina ex parte, tom. 1. tract. 2. disp. 37 P.Mol.
& Lorca, sect. 3. disputat. 54. num. 29. suf- Lorca.
fragatur Pater Lessius, lib. 2. cap. 5. num. P.Lessius.
24.

Sunt tamen observanda duo: alterum §.33.
nequavis inferatur domino, cùm enim ille in retinendo servo vtatur suo iure, non potest malè affici pro illo vsu. Vnde nec carcerati possunt vim inferre custodi. Alterum, ne violent pactum aliquod iustum initum inter ipsos, & dominos: si enim conveniant, vt dominus eis custodiēdis nullā adhibeat diligētiā; sed eos per vrbē, aut oppida vagari permittat, ea lege, ne ipsi fugiant; tunc non potest servus fugere: quia cessit iuri fugæ, sicut & dominus cessit iuri custodiæ: vterque enim tenetur stare pacto iusto: si autem permittūtur absque pacto, tunc fugere possunt; quia dominus adhuc retinet ius eos custodiendi: censet Pater Azor Azor.
hæc esse vera, quando fugiunt ad patriam; non verò quando ad alios. Respondeo, eis licere fugam, vbi sint liberi: quia id oritur ex iure naturali libertatis, & belli: si autem alibi sint futuri servi, non licet fuga: sic accipio Patrem Azorem. Vndè nec carceratus, cuius custodiæ ex pacto cessit custos, potest fugere.

Rogas, vtrùm fugienti servo possit infligi supplicium? cùm enim ille vtatur iure §.34.
suo, cur punietur? Respondeo, posse: quia id crebrò videmus in carceris effractione: vapulant enim eum effringentes: nam ius domini, & iudicis, est potestativum, habetque vires ad illud servandum; & ad compescendos alios, ne fugam meditentur, quæ frequenter est cùm vi illata iniustè. Ius autem servi & rei, præcisè est ad fugiendum, & cōparandam libertatem cū eo onere: estq; ius inferioris rationis: superior autem vtitur altiori iure: vndè hîc non datur bellum per se iustum vtrimque: dominus enim habet ius ad retinendum, & compescendum servum: hic non ad resistendum; sed ad fugiendum, si potest absque vi.

Dico octavo: quamvis nullus captivus §.35.
Christianus, qui ante captivitatem bapti- 8. Concl.
zatus est: potest esse mancipium alius Christiani, tamen potest Catholicus esse aliquando mancipium hæretici. Exempli gratia, hæreticus bello iusto cepit Saracenum: qui post captivitatem lavacro tingitur regenerante, sequutus Romanam fidem: hic manet servus. Probatur; quia servitus non aufertur iure Christianitatis; vt constat ex Paulo orante Philemonē, vt ignoscat Onesimo eius servo; filio autem Apostoli charissimo: quod opus non esset, si Onesimus baptismo redderetur immunis; sed nullo iure humano privantur hæretici, dominio in servos;

vos; in provincijs, in quibus permittitur cōsciētiæ libertas: ergò: minor probatur: quāvis enim in Catholicis provincijs servantur leges canonicæ, & civiles confiscantes hæreticorum bona, & eorundem emancipantes mancipia Christiana, vt ostendam disp. 85. sect. 3. tamen in alijs non servantur; sed Principes Ecclesiastici, & laici cedunt his pœnis temporalibus: & vt tunc hæretici retinent dominium aliarū rerū; sic & mancipiorum: & quidem libertas conscientiæ non posset pacatè cōponi, si hæretici punirentur libertate suorum mancipiorum; disp. autem 85. ostendam vtrùm ex iure communi mancipia hæreticorum sint libera, ante; an post sententiam latam? Vide interim P. Molinam, tom. 1. tract. 2. disp. 39. P. Mol.

§. 36. 9. Conclus. Probat. Dico nonò: non potest Christianus esse mancipium Apostatæ; qui nihil retinet de Christi honore. Probatur: quia cap. *præsenti* adductum §. 30. rationem reddit eiusdē roboris in Apostata: quia enim Iudæi, & Saraceni Christum blasphemant; est iniquum, vt inter Christianos serviat Christicola blasphemanti Christum; sed Apostata est magis blasphemus in Christum, cuius est penitus desertor: ergò: immò propterea §. 30. dixi Christianum non posse esse Pagani mancipium, quia licèt illa capita non agant nisi de Iudæis, & Saracenis; tamen cùm sint in privilegium Christiani, debent porrigi ad omnes, qui non retinent nomen Christianum: leges enim Imperatoriæ in Iudæos, & Paganos, respondent nunc legibus in Iudæos, & Saracenos: quia Paganis Saraceni successere; & quia nobis sunt viciniores, ideò de illis loquuntur recentiores leges: eosq; Ecclesia *Paganos* appellat; quoties Paganos, & hæreticos evertendos à Deo postulat; est autem Apostata in foro externo Paganus. Vndè licèt illi permitteretur conscientiæ libertas, vt Iudæo & Saraceno; adhuc non sunt permittenda Christiana mancipia; sicut nec Iudæo, nec Saraceno, nisi Pontifex dispenset in iure: immò nec Cathecumenus potest habere mācipia Christiana; quia in foro externo habetur Paganus: & ad eum extenditur privilegium Christianismi.

SVBSECTIO IIII.

De iurisdictione, famulatu, & alijs purè civilibus.

§. 37. 10. Concl. DICO decimò: Iudæo adempta est omnis iurisdictio in Christianos: lege *hac valitura*, Codice *de Iudæis, & cœlicolis*, tit. 9. & lege *Iudæorum primates*, ibidem cap. *constituit* 17. quæst. 4. cap. 16. *cùm sit nimis de Iudæis, & Saracenis*, lib. 5. Decretal. vbi refertur decretum Concilij 4. Toletani interdicentis Iudæo iurisdictionē; ait autem Pontifex: *Hoc idem extendimus ad Paganos*: estque peccatum mortale eis talē donare potestatem; quia magna inde sequūtur incōmoda: & quia præcipitur, vt strictè cōpescantur oppositum facientes: immò c. 18. *ex speciali*, præcipitur Regi Lusitano, ne Iudæos, aut Saracenos vectigalibus exigendis præficiat. Quòd si redditus eis vendiderit, vt præficiat Christianū eos corrogantem à clericis. Vide in P. Azore lib. 8. cap. 22. q. 10. elegantē compositionem legis ex Codice adductæ cum alia ex digestis, permittente infidelibus iurisdictionē: hujus enim authores fuerunt Lucius Verus & Antoninus Ethnici; alius verò authores fuerunt Theodosius & Valentinianus Christiani: & iura ab Ethinicis permissa, abrogata sunt à Christianis, quos imitatur noster Sapiens partita 7. P. Azor.

§. 38. 11. Concl. Dico vndecimò. Interdicitur Christianis, ne Iudæis famulentur, & ne illorū filios lactè nutriant fœminæ in illorum domibus, cap. *adhæc de Iudæis, & Saracenis, ne Iudæorū servitiose assiduè pro aliqua mercede exponant*. Rectè autem observat glossa, non esse prohibitum famulatū interpolatum; quia nō est assiduus: nec est eiusdem periculi: vndè rectè Silvester, verbo *Iudæus*, q. 2. & alij docēt, posse à fideli locari suas operas Iudæo, eius rura coli, ædificia strui, & alia, quæ non inferunt familiarem consuetudinem: idem censet P. Thom. eo cap. 31. num. 21. tametsi Iudæus sit aliquando præsens; dum non frequenter adsistat. Item *ne infantes Iudæorū in eorū domibus nutrire præsumant*, nēpe assiduè: interdū enim illorum domos petere infantis lactandi gratiâ, non prohibet hæc lex. Quæ graviter obligat ob gravitatē materię; tum quia monentur iudices Ecclesiastici, vt Ecclesiasticâ districtione curent hanc legē observandam. Extra domū nō prohibet lex hæc famulatū, aut nutricatū; est tamen alio ex cap. interdictus; vt constabit §. 44. si tamen nutriri queat infans absq; cōmuni familiaritate; non est prohibitum; secùs famulatus: vt observat P. Sanchez, lib. 2. cap. 31. num. 20. Silvest. Th. Sanchi

§. 39. Duo occurrunt dubia: primum, an hæc lex sit extendenda ad Saracenos, aliosque paganos? nimirùm, vtrùm in Iaponia possit fœmina nutrire Ethnici filium, in eius domos, aut homo famulari? item, vtrùm apud Saracenum id liceat? & quidem si non possit herus deseri sine gravi dāno; & aliūdè non sit periculum subversionis, rectè po

 test

S.Tho. q. 10.Art.9. test id fieri, etiam cũ Iudæis: moveor, quia leges Ecclesiasticæ latæ in cautionẽ singulorũm fideliũ, nolunt obligare tanto cum dispendio, quando cessat in illis finis legis: immò P. Thom. eo cap. 31. nu. 2. asserit hâc lege non teneri, qui firmi sunt in fide, & periculo immunes: quod est probabile, & in hac occasione longè probabilius.

§. 40. Th.Sanch. Censeo itẽ hanc legem solùm accipiendã contra Iudæos; non verò contra Paganos: ita P. Thom. nu. 25. cum bonâ coniecturâ; tùm quia Iudæi sunt acerbiores in Christũ: tum quia argumentis minùs stultis possunt decipere familiares: tum tertiò quia, quãdo leges volunt Saracenos, & alios Paganos amplecti, id exprimunt, vt de iurisdictione ostendi §. 37. item cap. *Iudæi 2.* Iudæis, & Saracenis interdicuntur Christiana mancipia: cùm ergò legislator tam sit accuratus in explicandâ mente, in quos ferat legem; nõ est cur eius mentem extendamus maximè, cũ in illo cap. *Iudæi 2.* Vtrisq; interdicitur mancipium, etiam specie alendi filios: at verò cùm non agitur de mancipijs, cum solis Iudæis interdicitur asiduè versari in domo eâdem. Quòd si §. 26. prohibitionem mancipiorum extendi ad Apostatas; est quia ratio est omnino eadem; & quia brevitatis gratia inter blasphemos Christi continentur Apostatæ, qui nec nomen retinent Christi; hic autẽ est ratio absimilis.

P.Suarez. P. Suar. disp. 18. sect. 6. nu. 10. censet, his legibus comprehendi Saracenos; non tamen Ethnicos, quia etiã Saraceni sunt infensi Christo. Respondeo, eos minùs argutè agere, quàm Iudæos, nec esse tàm solicitos de sua lege.

§. 41. Th.Sanch. Secundum dubium est, vtrùm hæc lex sit generalis in singulas personas: an verò in simplices, aut expositas alicui probabili periculo ruinæ spiritalis? P. Thom. eo cap. 31. nu. 2 censet, eam legem solùm esse in fideles expositos alicui periculo: & quidem de familiaritate sola probanda videtur hæc sententia; quia cessante penitùs toto legis fine, cessat in speciali legis obligatio: vt dixi disput. 74. §. 23. at in homine periculi expertè cessat omnis finis legis, qui est periculũ subversionis. At verò in famulatu, nutricatu, cõvivijs, & alijs id genus censeo omnes teneri

P. Suar. lege cum P. Suar. ea sect. 6. num. 6. disp. 18. quia non cessat totus finis legis; sed hoc non cessante, non cessat lex in particulari: ergò: maior probatur: quia interesse convivijs, frequentare domos, & alia id genus, cedunt in honorẽ Iudæi; & pariunt suspicionẽ suspectæ fidei. At cõfabulari in foro, esse casu in balneo, & alia, possunt fieri absq; honore, & suspicione; maximè cùm homo est doctus, & literatus, à quo non possunt illiterati exemplum sumere.

Dico duodecimò, non licet cum Iudæis habitare in domo eâdem: nec vesci illorum azymis, nec eos medicos accersere; nec medicinas accipere: nec cũ illis esse in balneo: nec excipi ab eis, nec eos excipere cõvivio. §. 42. 12. Concl. Hæc præcipiuntur, cap. *nullus*, & cap. *omnes* 28. q. 1. ex sexta synodo, & Concilio Agathensi. in quæ primum observa, Catholico licere habere mancipium Iudæum. Colligitur clarè ex cap. *etsi Iudæos*, de Iudæis, & Saracenis lib. 5. decretalium, vbi asseritur Iudæos potiùs esse debere Christianorum servos, quàm Christianos Iudæorum. Itẽ, quia id nullibi interdicitur: hoc enim cap. *nullus*, adductũ initio conclusionis, solùm negat cohabitationem; hæc autem non est inter servum, & dominum; nec inter herum, & famulum: itaq; potest fidelis vti mancipijs, & famulis Iudæis intra domum; debet tamen illorum familiarem consuetudinem fugere. Ratio est: quia mancipium & famulus non sunt domino periculo; vt è contra, Dominus est famulo occasio ruinæ propter authoritatem, & audaciam. Ita sentiunt Pater Thom. lib. 2. cap. 31. nu. 6. & P. Suar. disput. Thom. Sanchez. 18. sect. 6. nu. 7. cum alijs de vsu ciborũ prohibitorum satis egi, disp. 48. P. Suar. Medici nõ possunt accersiri Iudæi sine necessitate gravi; cum illâ licet: idem dixerim de medicinis: vt P. Suar. observat nu. 8. & P. Thom. eodem numero, nec prohibetur emptio medicinæ; sed solùm vsus illius Iudaicâ manu: vt notat P. Thom. num. 9 de balneo intelligit ipse, ne vnâ cũ Iudæo incedendo, aut familiariter agendo; si autem casu concurrant, non est peccatum simul vtrumq; lavari: hæc sex cum solis Iudæis prohibentur, vt constat ex eo iure, & ex §. 40. Excipe convivia cum Saracenis discernentibus cibos: in quibus eadẽ omnino est ratio; vt multi censent apud P. Thom. num. 25. quia Christiani essent inferiores, cùm respuerentur eorum cibi: at non Th.Sanch. excipiuntur Ethnici non discernentes. Hoc intelligo in provincijs Christianis non in Mahometanis, aut Gentilibus: at licet præsente Iudæo comedere; immò & in eius popina: quia iam illud non est convivium; & in eius hospitio licet diversari.

Dico decimotertiò: non licet servire Iudæo, nec nutrire eorum infantes, cap. *ad hæc* §. 43. 13. Concl. de Iudæis, & Saracenis: vbi duæ causæ referuntur: altera, quia cogunt nutrices die, quo accipiunt Christi corpus; effundere, lac in locum immundum: & multa faciunt detestabilia. Secunda, quia filius liberæ non debet servire filio ancillæ. Secunda hæc ratio est congruentia quædam, confirmatioque prioris: prior autem est fundamentum præcipuum. Vnde arbitror hac lege solùm agi contra Iudæos, ijs motus verbis. *Sed tam*

quam

quam servi à Domino reprobati, in cuius mortem nequiter coniuraverunt, se saltem per effectum operis recognoscant servos illorum, quos Christi mors liberos, & illos servos efficit. Hæc autem pœna non cadit nisi in solos Iudæos, quorum parentes coniuraverunt in Christum. Rogas quid differat hæc lex ab adducta §. 38? Duobus: primùm, quòd illa agit de nutricatu, & famulatu domestico; hæc de omni. Secundò, quod illa prohibet assiduitatem; hæc absolutè famulatum; censeo tamen non interdici hac omnem nutricatum; sed illum, qui sine consuetudine cum Iudæis esse non potest, ne nutrices cogantur lac effundere; famulatus autem omnis interdicitur ob adducta verba.

§. 44. Conclus. 14 Dico decimoquartò: hæreticis, aut paganis nihil ex testamento legare possunt Episcopi, nec præsbyteri, nec alij clerici: id est, gaudentes privilegio clericali ob tonsuram, & habitum decentem. Quæ prohibitio non extenditur ad laicos: quia Pontifex extensionem fecit ab Episcopis ad omnes clericos. Glossæ eam extendunt ad omnes non Catholicos: quod probat Pater Suarez §. 46. disputatione 18. sectione 6. numero 9. *P. Suarez.* Quod apertè dicitur cap. *in eos*, de hæreticis: *in eos, qui Catholici non sunt, nihil conferant.* Quæ rectè glossa exponit in testamento, & extra; tamen censeo ibi non comprehendi cathecumenos fideles, qui coram Deo Catholici sunt.

§. 45. Rogas vtrùm sit peccatum mortale in ijs casibus violare leges? *Azor.* Pater Azor cum alijs apud Patrem Thomam, cap. 31. numer. 26. *Th. Sanch.* censent peccatum esse mortale: quia graves pœnæ decernuntur violatori: alij censent peccatum esse veniale, si desit periculum subversionis, *Aragon.* Aragon 2. 2. quæst. 10. art. 9. *Sa.* Sa verbo *Iudæus*: ego distinguo cum Patre Thoma, nimiam familiaritatem & consuetudinem, item cohabitationē, servitutē, & permissionem iurisdictionis, dico esse peccatum mortale: quia est lege prohibitum ob vitandas Christianorum ruinas; si autem hæc lex publicè violetur, est per se occasio ruinæ, vt alij eam quoq; violent, & ruant, easq; ob caussas tam graves pœnæ proponuntur, vt videri potest in cap. *ad hoc de Iudæis, & Saracenis*: & cap. *nullus* 28. quæst. 1. clericus præcipitur deponi; laicus verò excommunicari: quod in hoc sensu intelligo. At verò lavari interdum in balneo, nonnumquam excipi, aut excipere convivio; & alia id genus, rarius effecta, non sunt mortalia, si desit occasio ruinæ. Quod Pater Azor rectè dixit esse posse peccatum veniale ob materiæ levitatem. *P. Azor.* Dispensatio in ijs prohibitis, spectat ad solum Papam: vt cum multis docet Patrer Thomas, numer. 27. nisi vrgente necessitate ob periculum in mora: tunc enim potest Episcopus dispensare: vt docet Pater Suarez, disputat. 18 sectione 6. numer. 9. *Th. Sanch. P. Suar.* Collegium Iudaicum non posse constitui hæredem constat ex l. 1. Codice de *Iudæis*; glossa tamen ait, non esse sermonem de singulis personis; sed de tota communitate: nunc viget hæc lex in clericos, & Episcopos, etiam vbi est conscientiæ libertas; excipe tamen necess tatis occasionem: non enim prohibentur, nisi ditare hæreticos, vt docent glossa & Silvester verbo *Iudæus*: *Silvest.* hæc autem lex est in cap. *si quis Episcopus*, & in cap *in eos de hæreticis*. Vide glossam capitis *Iudæi* 2. de Iudæis, & capite *sanè profertur* 24. q. 2.

§. 46. Vlt. Concl. Dico vltimò: in alijs purè civilibus nō est interdicta communicatio. Probatur primū, quia nulla est lex id interdicens. Secūdò ex cap. *etsi Iudeos*, pro Iudæis, & Saracenis: vbi si Iudæi non dimiserint servos, & mancipia, præcipitur Episcopis, vt sub excōmunicatione præcipiant Christianis, ne cū Iudæis commerciū aliquod valeant exercere: ergò si Iudæi mancipia dimiserint, nō promulgabitur censura in exercentes commercium. Tandem, quia ita contingit Romæ, atq; Massiliæ; si autem Iudæi tolerantur inter Christianos, non potest omnis communicatio cum illis esse interdicta.

SECTIO III.

De communicatione in instrumento bellico.

SVBSECTIO I.

De iure divino.

DICO primò illicitum est iure divino arma, & instrumenta bellica ministrare infidelibus bellum iniustum inferentibus alicui fideli: quæ doctrina clarissima est, quia opē ferre belligeranti iniustè, est intrinsecè malū: itē & arma vendere cū certitudine morali de illorū abvsu iniusto; immò speciale est hoc peccatū contra leges fidei, cuius propagationi, & conservationi obest bellū iniustum infidelium. §. 47.

Quapropter si quis opinetur Turcam, aut alium infidelem instruere classem, delectum habere, arma expedire ad inferendum bellum iniustum; tunc non potest licitè iure divino arma præbere, nec materiam §. 48.

S.Tho. q. 10. Art. 9. armorum; nec commeatum, nec pecuniam, nec quidquam aliud per se vtile ad bellum, quia id est moraliter cooperari ad bellum iniustum. Quemadmodum, qui inter Christianos arma præbet alicui, aut vendit, quando scit ea in singulari peti ad iniustam pugnam: de quo sermo redibit sect. 5. cùm agetur de ædificio synagogæ.

§. 49. 2. Conclus. Probat. Dico secundò: iure divino non est illicita armorum communicatio, quando per se, atque directè non petuntur ad bellum iustum; sed ad vsus per se honestos. Probatur, quia armare aliquem ad vsum per se honestum, non est malum; potest enim ferrum vendi ad vomeres, & ligones, enses ad inculpatam proprij corporis propugnationem: clypei, & bombardæ ad bellum iustum cum alijs. Deniq; inter nos his vtimur licitè, quando non petuntur certò ad pravum vsum.

Objicies, inde sequi potentiores esse hostes fidei ad impetendos fideles. Secundò esse moraliter certum eos abusuros armis.

§. 50. Obiectio. Respond. Respondeo: hæc non sufficere ad ius naturale, tunc enim est omninò per accidens illa abusio. Qui enim arma vendit, vtitur iure naturali ineundi contractum in materia per se indifferenti in circumstantijs eam non vitiantibus; infideles autem arma: urā cōversuros esse in fideles est omnino involuntariū arma præbenti. Quemadmodum fabri inter nostros valentiores reddunt homines ad petendum alios iniustè: & obsonatores paratiorem dant occasionem ad violationem ieiunij: & moraliter est certum multos abusuros armis, & cibis: quia tamen id non timetur in singulari; sed illæ merces, vt hic & nunc venduntur, sunt indifferentes, nec per se in his circūstantijs sunt occasio peccati; ideò licitè venduntur. quia mala sequutura eam emptionem non prævidentur in speciali; nec per se sequentur.

SVBSECTIO II.

Hac instrumentorum communicatio est interdicta iure canonico.

§. 51. 3. Conclus. DICO tertiò, hæc armorum communicatio, est interdicta iure canonico, ita vt non liceat arma præbere; quod solo iure divino nō esset illicitum. Itaque quamvis actu Turca non meditetur bellum iniustum; non licet illi præbere instrumenta bellica.

Probat. Probatur primùm ex cap. *ita quorundam de Iudais, & Saracenis*, lib. 5. Decretalium, *ita quorundam animos occupavit sæva cupiditas, vt qui gloriātur nomine Christiano Saracenis arma, ferrum, & lignamina deferant galearum, & pares, aut etiam superiores in malitia fiant illis; dum ad impugnandos Christianos arma eis, & necessaria subministrāt.* Quibus Alexander III. agere videtur in casu primæ conclusionis; quando Saraceni petunt arma ad pugnandum iniustè; tamen prohibitio amplectitur materiam secundæ cōclusionis: quia illa locū non habet in Saracenis: qui vel ad impetendos iniustè Christianos; vel ad ad tuenda iniustè præsidia, quæ iniustâ retinent tyrannide, semper arma quærunt ad bellum iniustum: ac propterea, vt hic & nūc cōsiderari debēt, semper est illicitum iure divino illis arma præbere. Alex. III.

Censeo tamen eo capite agi de materia secundæ conclusionis. Pontifex enim non dixit arma præbere formaliter ex animo impugnationis iniustæ; sed virtualiter, & in actu exercito: nimirum, quia armant hostes nominis Christiani. Idque confirmo; quia è vestigio subjicit aliam interdictionem instrumentorum, non delatorum ex certa intentione iniusti belli; sed per se indifferentium. *Sunt etiā qui pro cupiditate sua in galeis, & piraticis Saracenorum navibus regimen, & curam gubernationis exerceant.* At certum est non omnes rates esse ad prædandum; sed multas esse onerarias inutiles pugnæ; & aptas ad mercaturam. §. 52.

Idem Alexander III. cap. *significavit*, eodē titulo interdicit deferri Alexandriā merces, & alia id genus, nisi, quæ necessaria sunt ad redimendos captivos: idq; fieri vetat tā immediatè, quā per interpositas personas. Nec tempore induciarum id vult permitti: Innocētius III. cap. *ad liberandam*, eodem titulo, præter prohibita ab Alexandro III. adducto § 51. prohibet vendi *galeas vel naves: ita Consilium in machinis, vel auxiliū vllum.* Clemens V. cap. *multa mentis* de Iudæis, lib. 5. extravag. cōmunium, acrius hæc prohibet: vt *nullus arma equos, ferrū, lignamina, victualia, & alia quacunq; mercimonia in Alexādriā, vel alia loca Sarracenorum terræ Ægipti deferre, mittere, vel extrahi permittere; aut eis aliàs auxilium, vel favorē præstare quoquo modo præsumant.* Ioannes XXII. in suis extravagātibus idē interdixit titulo 8. de *Iudais, & Saracenis* in odium Maurorum Granatensiū, id petente Petro Infante Castellæ, bellum illis indicente, pro Rege Adelphonso, cuius erat tutor; hæc autem extravagans tantùm fuit in ea occasione, belloq; durante. §. 53.

In Bulla in Cœna Domini hæc dicuntur excommunicatione 7. *Excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui ad Saracenos,* §. 54.

nos, Turcos, & alios Christiani nominis hostes & inimicos, vel hereticos, per nostras, sive huius sancta Sedis sententias expressè, seu nominatim declaratas; deferunt, seu transmittunt equos, arma, ferrum, filum ferri, stannum, chalybem, omniaque alia metallorum genera, atque bellica instrumenta; lignamina, Canopem, funes tam ex ipso Canope, quàm aliâ quâcumque materiâ, & ipsam materiam; aliaque huiusmodi, quibus Christianos, & Catholicos impugnant. Necnon illos, qui per se, vel per alios de rebus statum Christiana Reipublica concernentibus in Christianorum perniciem, & damnum, ipsos Turcas, & Christiana religionis inimicos, necnon hereticos, in damnum Catholica religionis certiores faciunt: illisque ad id auxilium, consilium, vel favorem quomodolibet prastant.

SVBSECTIO III.

Explicantur materia, & actiones interdicta.

§. 55. ARMA prohibentur, quæ sunt offensiva, & defensiva, vtraque enim verè sunt arma, & in iure sic appellantur; vt eruditè probat glossa capitis vnici *de Iudais & Saracenis* extravagantium. Ioannes 22. tit. 8. quin Festus asseruit arma esse ab *armo*, id est humero, à quo pendent vestes ferreæ, quibus armamur: in Scripturis id passim asseritur 2. Regum 8. Saul obtulit Davidi arma sua: qui versu 7. dicitur tulisse arma aurea, & hastam habere dicitur. Rom. 13. 12. *induamur arma lucis*: igitur accipio arma, gladios, pugiones, lanceas, tormenta sulphurea, balistas, sagittas, fundas, glandes, lapides missiles, sudes, clypeos, parmas, peltas, galeas, loricas, saga ferrea, thoraces ex bubalo, aut alia materia resistente vulneribus, denique omne tegumentum ad excipiendos ictus, & omne instrumentum ad feriendum in pugna: item omnia, sine quibus non possunt arma gestari, vt fibulas, quibus tenentur, & vestiuntur, vaginas, baltheos, carros ferratos ad vehendas bombardas, & his similia: insuper & thecas, in quibus adservantur, involucra, quibus defenduntur à rubigine, aqua, & pulvere. Arma etiam sonant & instrumenta ipsa pugnantium, & ea sine quibus sunt inutilia: & quamvis non comprehendantur *armis*; at comprehenduntur *auxilio quomodolibet*, auxilium enim est, quidquid est vtile exercitui. Vide P. Suarez tom. 5. disp. 21. sect. 2. num. 53. & Sylvestrum excommunic. 7. num. 64. Sulphur maximè comprehendo: est enim præcipuum instrumentum feriendi: sine quo bombardæ, & sclopeta sunt oneri, non vtilitati. Item funis aptus concipiendis ignibus: sine quo inutile est etiam sulphur: qui funis *chorda* vocatur: à nostris *cuerda, mecha*.

2. Reg. 8.

Rom. 13. 12.

Suar. Sylvest.

§. 56. At non prohibentur cultri ad panem scindendum, nec aratra, nec alia id genus, quæ non sunt arma: vt hoc verum sit, existimo considerandum esse, an sit probabilis coniectura, cultros non futuros alijs vsibus, quàm ad mensas, aut secandas carnes. Si enim non sunt futuri, non comprehenduntur armorum nomine, nec hac censura præstringuntur eos deferentes opinione Card. Toleti lib. 1. cap. 23. num. 7. adducentis Panormitanum, glossam & Ioannem Andreã, quibus consentit. P. Azor lib. 8. cap. 23. quæst. 10. absolutè censeo eos comprehendi nomine *ferri & chalybis*, cultri enim illi verè sunt ferrum, & chalybs. Vnde hâc lege comprehenduntur ligones, vectes, & alia instrumenta, quibus exercitus egit ad fodiendum terram, & parietes demoliendos, aut eruendos lapides: item vomeres, & aratra: quæ omnia sunt ferrũ, & quibus hostes sunt instructi ad ea in arma vertendum, à qua sententia non multum abhorret Pater Azor.

Tolet. Azor.

§. 57. *Ferrum, chalybem, filum ferri, stannum, & metalla.* Ferrum vsurpatur in iure civili pro ferro facto, & infecto, in qua significatione vsurpari in Iure Canonico rectè monet P. Azor eo cap. 23. quæst. 11. omissis alijs authoribus. Ferrum factum sunt artefacta ex ferro, nempè ferrum laboratum: vt sunt ligones, vomeres, cultri, vectes, & alia ferramenta: *qua* omnia comprehenduntur hoc verbo, & lege. Quamvis enim repugnare videtur P. Azor, probatur apertè: quia ea omnia sunt verè ferrum, & ferrum factum; sed omne ferrum est interdictum: ergo. Azor.

§. 58. Dicit P. Azor ea non esse, quibus Christiani impugnantur. Respondeo primùm, Obiectio. id esse falsum; quia ea omnia sunt instru- Respond. menta, aut per se necessaria, aut vtilia exercitui: ad custodiendum à pulvere arma, & victum: sunt necessariæ seræ, & claves: ad faciendas rates, clavi: ad tuendos equos, soleæ ferreæ, &c. Secundò illa per se sunt materia armorum, & quo plus illorum sit apud hostes, illi sunt paratiores ad pugnam: vndè nisi ob levitatem materiæ non possunt per se excusari à peccato gravi, & censurâ. Ferrum infectum est ipsa substantia ferri sine labore aut arte: nempè laminæ oblongæ, aut frusta ferri.

§. 59. Ferrum item est lapis ille, qui *vena* dicitur apud Cantabros: licèt enim illi distinguunt ferrum à vena, est ob pretia, & alia id

aliaque prohibita; ita vt quicumque extra belli tempus ferret Alexandriam merces, præstringeretur hâc censura. Propterea mutata sunt ea verba in ea, quæ retuli; quibus relatio fit ad arma, ferrum, & alia, quæ immediatè antè fuerant interdicta: Pontifex enim recensitis armis, ferro, chalybe, &c. vt complecteretur omnem materiam armorũ, & machinarum, instrumentorumque omnium, quibus oppugnamur à Turcis, adiecit illa verba, *aliaque huiusmodi, quibus, &c.* Qui ergo tempore belli ferret merces, laberetur in censuras iuris communis, non tamen in hanc; vt Toletus observat numero 9. ex Caietano, atque Sylvestro. Nisi fortè illæ merces hic & nunc censerentur in prudentis æstimatione auxilium: ergo si Turca expeditionem meditetur, & in eius portus nostrę naves deferant pannos, piper, & alias merces, quibus exercitus commodiùs ageret, tunc comprehenduntur hac lege verbo *auxilio*: vt asserit Navarrus notab. 10. in caput *ita quorumdam de Iudæis, & Saracenis*: cui reclamat Toletus num. 10. tamen Toletus non agit, nisi vt comprehenduntur armorũ nomine. Navarrum sequutus P. Azor eâ q. 10. estque res absque cõtroversia, quis enim neget exercitum, quo Christiani petuntur, eis mercibus aliquo modo iuvari? at auxilium quoquomodo interdicitur hac bulla: ergo.

Tolet. Navar. P. Azor.

§. 66. *Certiores faciunt*. Incipit nunc alius actionis interdictio, ne infideles scire possint statum Reipub. Christianæ: ne conscij nostri consilij, aut nos impetant, aut se comparent ad nostros impetus declinãdos: idem dixerim de consilio, & favore. Si quis Madridij degens certiorem faciat infidelem de rebus nullo pacto concernentibus statum; sed de civilibus, atque iocosis, quarum scientia nihil interest status, nec inde hostes in nostrum damnum possunt aliquid machinari: hic non labitur in hanc pœnam: item si quis consilium det Turcæ de negotio nulla ratione vergente in nostrum damnum; certè hic non agit contra hanc legem: vt Toletus observat num. 12. idem est si quis faveat Turcæ cum Rege Hispano in negotio non spectante nostrum incommodum, vt quod det aditum, vt medicinæ caussâ eius vxor Neopolim veniat: verba enim bullæ adducta §. 54. id dicunt apertè.

§. 67. Primum dubium hac in parte oritur ex ijs verbis, *illisque ad id auxilium præstant*. Vtrùm, qui nec per se, nec per alium agit cum Turca, labatur in hanc censuram; si alicui proditori narret consilia Principis Christiani; ex qua narratione immineat nostrum damnum: quia is, cui fit, certiorem faciet Turcam de statu Reipublicæ Christianæ in eius perniciem? Verbi gratia, est in Hispania proditor, Turcam docens de Regis consilio: hic id explorat ab aliquo Regis consiliario, sciente rogantis animum, & proditionem. Rogo: vtrùm consiliarius secreta referans roganti, teneatur hâc censurâ? P. Suar. tom. 5. disput. 21. sect. 2. num. 58. adhæret negationi. Probat: quia id non exprimitur hâc lege: cùm enim dixisset: *Necnon & alios, qui Turcas de rebus concernentibus statũ certiores faciunt*: adijcit, *illisque ad id consiliũ, aut auxilium præstant*. At pronomen *illis*, non refert certiores facientes, sed Turcas ipsos: id est, *illisque Turcis ad id favorem dederit*; non verò *illisque facientibus certiores favorem dederint*. P. Suarez.

§. 68. Censeo eos eâ lege, atque censurâ teneri. Moveor primùm: quia ante P. Suarez nullus oppositum asseruit. Secundò: quia pronomen *illis* refert vtrosque; nempe & Turcas, & omnes, qui arma ferunt, certioresque faciunt hostes: cùm enim eâ lege velint Põtifices hostibus arma eripere, & omnem rationem impetendi Christianos, eius animus est negari omne auxilium, consilium, & favorem: Turcis negatur favor, ne possint iuvari; fidelibus ne iuvare: cùm enim vtrumque sit apprimè vtile ad Pontificis institutum: & verba possint in vtrumque quadrare proprijssimè; cur non fiet? maximè cùm nomen *ad id*, id sonet apertè: refert enim damnum: *in damnum*, (inquit) *Catholicæ religionis certiorem faciunt, illisque ad id consilium præstant*: ac si dicat, *præstant auxilium ad id damnum*: non solùm ad explorationem consiliorum; sed ad damnum. Deinde si *illisque* refert Turcas, adhùc consiliarius comprehenditur. Proditio enim consilij Regij favor est in Turcam; quem ipse emeret carò: vndè respondeo ad argumentum P. Suarez, primum *illisque* referre omnes enumeratos tàm Turcas, quàm fideles. Secundò relatis Turcis, illis favorem dari ea ratione.

§. 69. Non est vllum dubium proditores, qui per se, vel per alios nuntium ad Turcam remittunt, hâc lege præstringi: item & delatores conscios rei, quam deferunt, licèt consignata feratur: illi enim renuntiant factũ, suntque caussa physica, & moralis, qua certior fit Turca de rebus Christianorum in eorum perniciem. Quod docet etiam Pater Suarez numero 58. Denique omnis favor, consilium, & auxilium interdicũtur in perniciem Christianorum cedentia. Hæc de rebus interdictis in bulla Cœnæ. Nunc percurramus actiones. Suar.

§. 68. *Deferunt, aut transmittunt*, dubium vtrùm vendentes arma hâc lege coerceantur? Pater Azor lib. 8. cap. 23. quæst. 13. censet eos contineri, pro qua parte nullum allegat autho- Azor.

S. Tho. q. 10. Art. 9. Sylvest. Tolet. authorem; est autem opinio Sylvestri excommunicat. 7. num. 64. Toletus eo cap. 23. num. 3. oppositum censet cum Caietano, & Navarro: quia illa lex est odiosa, atque pœnalis, quæ porrigi non debet vltra verbi significationem propriam, cui sententiæ acquiesco. Si enim Turcæ Venetias appellant, & emant gladios, aut clypeos; vendens non illaqueatur hoc vinculo anathematis. Nec deest congruentia rationis: Pontifices enim maximè invecti sunt in eos, qui vltrò, & spontè onustas armis naves vehebant ad Turcas armandos ob lucrorum aviditatem: hæc erat perniciosa negotiatio; & indigna homine Christiano: si verò quis sit domi suæ, & illic vendat arma; non vidētur Pontifices in eum egisse, cùm non feratur sævâ cupiditate; nec sit determinatus in speciali ad negotiandum cum Turcis, nec hoc est ferre auxilium.

§. 71. Considerandum est: vtrùm hic & nunc hic contractus armorum petatur à Turcis determinatè ad bellum iustum, an verò indifferenter; ita vt tunc nulla sit moraliter præsens occasio belli: an verò bellum ingruat iniustum? In prima occasione accipio Toletum, Caietanum, & Navarrum: tūc enim permittuntur fideles iuri naturali, in sensu explicatò §. 49. Nec enim tunc fertur auxilium: hoc enim est argumentum præsentis belli, quod vt habeat exitū fælicē, indiget auxilio; vbi autem nullum est periculum, nec illius occasio, non dicimur auxiliari: nec modo aliquo prohibito favemus in perniciem Christianorum. In secundo sensu accipio P. Azorem: quia tunc, licèt non præstringatur mercator verbo *mittendi, aut transportandi*: at continetur verbo *auxilio quocumque modo*, nec enim dubitari potest magno auxilio esse armorum copiam, & apparatum præbere, quantumvis multâ ematur pecuniâ. Vtrùm autem degentes apud ipsos Turcas hâc censurâ ligentur, dicam §. 93.

§. 72. Tolet. Aliud dubium est, vtrùm mandare, seu consulere, vt hęc deferantur, sit contra hanc legem? Negat Tolet. cap. 23. numero 5. quia quando in iure statuitur pœna in aliquid facientem, non extenditur ad consulentem, nec præcipientem, nisi verbis exprimatur in lege, vt censura lata inter consanguineos ineuntes matrimonium, non fertur in consulentes. Quod latiùs probaverat. cap. 8. numero 9.

P. Azor. P. Azor lib. 8. c. 23. censet hâc lege teneri omnes, qui vel per se, vel per alios hęc deferunt: mandantes autem deferunt per alios. Ego distinguerem: mercator existēs in Hispania mittens Constantinopolim famulos, aut procuratores, tenetur hâc lege: quia absolutè in æstimatione prudenti ille ea transmittit, & vulgari sermone mercator manens Hispali dicitur mittere navim in Indos. Sic accipio P. Azorem. Quod exprimitur cap. *significavit* de Iudæis & Saracenis lib. 5. Decretalium: idē est illi, qui in personis proprijs non euntes, merces eis per nuntios destinaverunt: vide glossam: si autem deferens physicè, non deferat nomine, & vt gestor mandantis, non continetur lege, qui mandat, aut consulit, eo præcisè quòd comprehendantur deferentes: quia ille non defert, nisi eius mandatum cogat deferentem. Quod voluit Toletus: continetur autem verbo *auxilium*, aut *consilium*, *aut favorem*: vt cōstat ex §. 68. quia favor interdicitur Turcis in toto negotio, & apparatu bellico. Deníque omne iuvamen navale, aut terrestre in administrando bellum, aut pyraticam prohibetur.

Præter hæc, quæ interdicta sunt etiam iure communi, vt constat ex §. 51. 52. & 53. sunt etiam alia prohibita ipso iure. Nempè merces, vt constat ex §. 53. ex cap. *Multa mentis*, & ex cap. *significavit de Iudæis*, merces interdicuntur deferri Alexandriam, & alia oppida Ægypti, tempore belli cum Soldano oppugnante Hierosolymam; excipiuntur tamen qui ad redimendos captivos illuc adeunt: tunc enim licet deferre merces necessarias in pretium. Quòd si nullo pacto redderentur captivi, nisi pro armis; deferri possent, quæ necessaria essent; non plura: Pontifex enim eo cap. *significavit*: ait licitum esse ire ad redimendos concives; dum Saraceni nihil commodi ex eorum mercibus, aut alio modo capiant (excepto redemptionis articulo.) Glossa censet non comprehendi arma; sed immeritò: quia *mercibus, & alio modo*, comprehenduntur omnia quibus Saraceni possunt vti in bello. Nec glossa id absolutè negat; sed ait adeundum Papam, ne qua fraus contingat. §. 73.

SVBSECTIO IIII.

De personis, locis, & tempore; cum quibus interdicuntur merces, & instrumenta belli.

OLIM cum solis Mahumethanis erant hæc interdicta iure Canonico: cùm enim hæc hominum lues, locustarum more magnam occupasset orbis partem, bellum indicens Christianis, qui agmine denso illos erant interdicturi igne, aqua, §. 47.

aqua, & aëre, impulsi pecuniarum fame; cũ illis mercaturam tàm turpem agebant, vt eos armarent ferro, chalybe, armis, ratibus, & commeatu: Pontifices, vt Christianos ab hoc infami quæstu revocarẽt, distrinxerunt arma Ecclesiæ, vt illis Saracenos ex armarent. At verò authores bullæ in Cœna Domini, hæc interdicta esse voluerunt cum Saracenis, Turcis, & alijs Christiani nominis hostibus, & cum hæreticis speciatim denuntiatis à Sede Apostolica, & Romana.

§. 75. Saraceni sunt omnes Mahometani; Turcæ sunt Constantinopolitani, & genus illud hominum, qui cum Othomana domo administrant Imperium Orientale. Hi sunt etiam nunc Mahometani: amplexi enim sunt victores legem eorum, quos vicerant, illius voluptuosis illecebris superati: cùm ijs interdicta est communicatio hæc, quam explanamus: item hæc arma non possunt ferri Græcis, alijsque Christianis Principi Saraceno subiectis: vt rectè monet P. Azor lib. 8. cap. 23. quæst. 5. Quia illi Christiani exarmantur à Turcis, eorum arma vertentibus in nostram perniciem: ac proinde idem est ea deferre Græcis, ac Turcis: cùm ergò Pontifices velint eripere Christiani nominis hostibus arma, ne nos oppugnent; volunt ea non ferri in eorumdem hostium Provincias, cui adsonat caput *significavit de Iudæis*: vbi non solùm interdicitur contractus cum Saracenis; sed etiam cum vrbe Alexandrina, & tota Ægypto sita cum omni regione Saracenis subiecta interdicitur hæc communicatio: præsto est ratio (præter dicta) quia, quando prohibetur communicatio cum aliquo Principe; interdicitur cum omni eius imperio: exempli gratia, nunc est interdicta ab Hispano cum insulis rebellibus: quamvis Amstellani essent pauci aliqui Catholici ex alijs Provincijs; cùm illis quoque est interdicta: quia prohibitio est per se primò cum illa Republica; secundò verò cum omnibus ibi degentibus; alioquin vix posset dijudicari quis ageret contra legem: & esset inanis legis scopus; si arma ferrent in Græciam, cùm indè commodè ea haberet Turca.

Azor.

§. 76. Si verò Græci aut alij arma petant, occultè servanda in perniciem hostium Christiani nominis; delatores non tenentur hâc lege: quia, quando sequitur finis contrarius legi, cessat obligatio legis; quin & verba ipsa legum id sonant: eã enim præcisè interdicuntur, quæ sunt in perniciem Christianorum; hæc autem sunt in salutem: ergo. Si verò Saraceni, & Turcæ sint subiecti Principi Catholico, non interdicitur cum illis hæc communicatio: verbi gratia, ante expulsos Granatenses Mauros; si parebãt Regi Castellæ, poterant Itali, & alij arma deferre Malacam vendenda Saracenis, quia illa cõmunicatio est per se primò cum Castellano Rege: nec illa vergit in perniciem; sed vtilitatem Christianorum: quia hi possunt, cùm libuerit, vti armis in Turcas; at si ea arma ferantur, quando rebellio timetur, aut est probabilis de illa coniectura; tunc directè interdicitur hæc communicatio.

§. 77. Est quæstio: pugnet Turca cum Persa etiam Mahometano; neuter verò cũ Christiano: an ne poterit Christianus alteri ire suppetias? aut arma præstare? P. Suarez tomo 5. disput. 21. sect. 2. num. 56. ait licere cẽset: quia tunc neuter est formaliter in armis hostis Christianorum. Secundò: quia non cedunt in perniciem Christianorum; sed in vtilitatem: oportet enim hostium infringi vires. Toletus cap. 23. num. 11. & alij oppositum cẽsent. Ego distinguerem: qui deferunt sulphur, nummos, & alia ipso in prælio absumenda, non tenentur hâc lege: quia ea non cedunt in perniciem; sed vtilitatem nostram. Nec hoc negant secundi authores. Si verò ferantur bombardæ, clypei, & alia, quæ bello peracto, manent apud victores; tenentur hâc lege: quia verè fiunt potentiores ad nos debellandos. Nec hoc negat P. Suarez, ad cuius primam rationem distinguo antecedens: non sunt formaliter hostes in armis, in actu concedo; in habitu, nego. Partâ enim victoriâ possunt arma à nostris accepta in nos convertere. Ad secundũ nego antecedens: ad probationem respondeo, frangendas vires hostium, non augendo vires alicuius in nostram perniciem.

Suarez.

Tolet.

§. 78. Arimad. Hic tamen considera, vtrum ex Principibus infidelibus alter sit potentior in Christianos; quos acrius oppugnabit, altero superato. Tunc licitum est armis, milite, & omni ratione opem ferre impotentiori: quia illud vergit in Christianorum vtilitatem: divertitur enim hostis à nostro imperio, atque terretur. Nec enim est vtilitas exigua potentem hostem terrere, & frangere: tunc enim non tam est arma deferre hostibus, quàm eos avertere adversus potentiorem hostem: qua ratione Hispanus, exhortante Romano Pontifice, non semel opem fert Persis pugnantibus cum Turcis: quamvis bombardæ, apud Persas serventur. Idem dixerim, quãdo pro toto apparatu bellico datur ab infideli castrum, aut portus, ex quo maior vtilitas est Christianis, quàm damnum ex armis datis infideli in alium infidelem.

§. 79. Eâdem ratione non est peccatum arma præbere Saracenis opem ferentibus Christiano adversus Turcas, aut alios infideles, vnique militantibus Principi fideli in bello iusto,

S. Tho. q. 10. Art. 9. iusto, quia tunc in armis sunt formaliter amici: estque maior vtilitas ex eorum socia pugna? quam damnum ex armorum asportatione: cùm enim amici sint facile possunt, & amicè exarmari: nec milites partâ victoriâ vehunt gravem armaturam: pars autem iustæ prædæ illis permitti potest, quamvis arma sint in prædam: deindè, qui licitè potest vti Saraceno milite; eum licitè potest armare: quia nullus sine armis miles: si partâ victoriâ potest Princeps commodè exarmare militem infidelem remittendum in patriam, id tenetur præstare, quia in iure excommunicantur permittentes hæc prohibita è suis portubus extrahi: secùs verò si non posit sine gravi incommodo: illa enim armorum asportatio sequitur ex actione licita Principij; ac propterea ei non vertenda vitio.

§. 80. Est etiam hæc communicatio interdicta cum Iudæis, si rempublicam habeant, aut occasionem impetendi Christianos, quia sunt hostes nominis Christiani: at existimo per se eos nō cōprehensos: quia ipsi non habent rempublicam; sed sunt subiecti, aut Christianis, aut Saracenis, aut hæreticis, aut Ethnicis. Vndè licita erit, aut illicita cōmunicatio cum illis, vt est cum Principe, cui sunt subiecti.

§. 81. P. Azor. De Ethnicis est controversia: quam rectè dirimit P. Azor lib. 8. cap. 23. quæst. 4. si enim inimici sunt Christiani alicuius Principis, non possunt illis arma præberi: si autem non sunt inimici Principis Christiani, nec nominis, possunt ea præberi, vt nunc possunt Hispani eâ in re communicare cum Sinis, atque Iaponis: quia hæc communicatio non est in perniciem Christianæ Reipublicæ.

§. 82. Si autem Princeps infidelis bellum iustum gerat cum fideli, poterunt arma infideli deferri: quia ea prohibentur, ne iniustè fideles oppugnentur; non verò ne iustè; debet tamen considerari, vtrùm occasione belli iusti, posit ita frangi fidelis Princeps, vt fides periclitetur in eius ditione, & opprimatur ab infideli: si quod enim est eiusmodi periculum; non possunt infideli arma præstari: quia cederent in odium, & damnū nominis Christiani. Vndè Princeps potens, non est armis iuvandus, vt invadat Provincias Principis fidelis. Prædæ enim vrbium, cederent necessariò in detrimentum fidei: nisi fortè tantis copijs fideles opem ferrent infideli, vel tantâ securitate, vt religio nihil damni pateretur, de quo infrà. At verò in bello iusto defensivo possunt arma præberi infideli; dummodo ipse non sit inimicus nominis Christiani: si autem est, non est licita hæc communicatio: quia occasione belli iusti, manet potentior, & magis armatus ad iniusta bella contra fidem. Vide §. 77. quæ hîc vrgent potiori iure.

Lorca disput. 51. de charitate, num. 7. censet appellatione *hostium nominis Christiani*, significari etiam hæreticos: quia omnes illi sunt absolutè infideles, & inimici veri Christiani nominis. Navarrus opinatur solos intelligi Turcas, & Saracenos. Censeo contra Lorcam eos infideles non comprehendi sub hostibus nominis Christiani: tùm quia nomen Christi non oderunt; sed amāt, quāvis enim doctrinā Christianam ex parte depravant; Christiano tamen nomine gloriantur, Turcæ autem ipsi nomini Christiano sunt infensi: vndè & hæretici commune nobiscum bellum Turcis indicunt, vt hostibus nominis, quod ipsi hæretici colunt. Moveor secundò: quia bulla in Cœna Domini nihil iuvat infideles, in quorum odium exardent antiqua iura; sed eis faveret, si per hostes Christianorum intelligerentur hæretici: ergo. Probo minorē: quia ex iure antiquo nullo publico hosti nominis Christiani possunt arma deferri, quamvis non sit publicè denuntiatus hostis à Romana Sede, vt nunc non possunt: at ex bulla Cœnæ solis hæreticis publicè denuntiatis à Romana Sede interdicuntur arma: ergo bulla favisset infidelibus: cum ergo bulla aliquid novum præceperit contra hanc infidelium speciem, illud fuit in eius odium, & non in favorem: signum ergo est eos nunc de novo comprehendi. §. 83. Lorca. Navar.

Quod ita confirmo: nullus, nec ipse Lorca, asserit nunc cadi in excommunicationem iuris antiqui, si arma deferantur ad hæreticos nominatim, & publicè non denuntiatos à Romana Sede: ergo antè nullus hæreticus significabatur eo nomine: antecedens est certum: vide Toletum lib. 1. cap. 23. numero 6. Apostatas autem arbitror comprehendi: quia sunt hostes nominis Christiani: & professione externa nullo modo sunt Christiani: nec habent aliquid præter characterem baptismalem. §. 84. Tolet.

Loca intelliguntur omnia regna horum infidelium: item & omnia, ad quæ ex pacto, aut consuetudine convenire solent infideles ad arma coemenda. Finge Hispanum mercatorem paciscentem cum Turca, vt Venetias conveniant armorum tradendorum gratia: Hispanus peccat contra hanc legem: quia hic verè defert arma Saracenis: vtrùm autem, qui hæc vendunt, teneantur hâc lege, recognosce §. 70. & 71. Itaque communicatio delativa armorum in omni loco est interdicta, merces verò prohibentur ferri Alexandriam, & in totam Ægyptum omni tempore, cap. *significavit de Iudæis*, & cap. §. 85.

& cap. *multa mertis de Iudæis*, in Extravag. item tempore belli omnis locus horum infidelium interdicitur cap. *Quod olim de Iudæis*, lib. 5. Decretal. dixi §. 53. hæc interdicta à Ioanne 22. in odium Granatensium Maurorum: cùm autem Granata vniversa illis sit adempta; iam cessavit illa lex. Adverte in bulla Cœnæ non excommunicari, qui vllo tempore pacis, aut belli, in locum vllum vexerit merces non spectantes ad arma: nisi ex illis sequatur auxilium, vel favor in bello.

Ioann. 22.

§. 86. ¶ Tempore quolibet interdicitur communicatio in armis; non verò in mercibus: excepta enim Alexandriâ, & Ægypto, nō prohibentur merces in alias Provincias, nisi tēpore belli. Vbi considera ex cap. *significavit*: tempus induciarum, non esse tempus pacis, induciæ enim non sunt, nisi ad reficiendas vires, vt commodiùs repetantur arma; si autē pax ineatur cū vno solo Principe fideli, vel cum pluribus, dummodò bellum supersit cum aliquo, non est pax: quia infidelis bellum gerit nobiscum; id est, cū professoribus Christiani nominis: vt dicit Alexander 3. cap. *Quod olim de Iudæis, quamdiù inter nos & illos guerra duravit*, vox autem *Nos* non significat Pontificem, qui tunc non belligerabatur; sed Christianos. Quapropter Galli, & Veneti pacatè agentes cum Turcis, non possunt illis arma deferre; nec merces, absque Pontificiâ facultate: quia cum Turca bellum est Hispano (ob misericordiam Dei.)

§. 87. *Dubium. Sylvest.* Est controversia: vtrùm tempore pacis vniversalis cum omnibus Principibus Catholicis, posint hæc arma deferri? Sylvester excommunicat. 7. nu. 62. quæstionem hanc movet. Partem affirmantem refert ex Panormitano. Leges enim hæ latæ videntur nè Christianum nomen impugnetur. *Resp.* Respondeo iure naturali id non prohiberi: vt constat ex §. 49. censeo tamen iure Canonico esse prohibitum. Quod Sylvester opinatur cum alijs: immò & Panormitanum adducit. *Probat.* Probatur: quia bulla in Cœna, aliaque iura id vniversim interdicunt; sed generalis interdictio, vt amplectitur omnes personas, & loca, amplectitur etiam omne tempus: ergo. *Confirm.* Confirmatur, hæc lex quamvis mercatoribus est odiosa, est tamen in apertum fidei commodum, vtque excipiatur tempus vllum, opus est fundamento in iure: hoc non est: ergo.

§. 88. Quod confirmo ex ipso iure: cùm enim agitur de solis mercibus non spectantibus ad bellum, interdicuntur tempore belli, & induciarum; cap. *significavit* de Iudæis, vbi solùm agitur de mercibus, non verò de armis. Glossa eius capitis asserere videtur legem illam non esse cōtra tempus pacis vniversalis; sed contra induciale tempus, sive treguæ. At verò non agit glossa, nisi de materia illius capitis, quæ solùm est de mercibus, cap. autem. *Quod olim* exprimitur, *dum guerra duraverit*: at quāvis ibi agitur de alijs subsidijs asportandis navi Alexandriam; tamen præcipuè agitur de mercibus: subsidia autem intelligo, quæ spectant ad commeatum, aut ingenia bellica, vt ibidem dicitur; non tamen arma, & metalla: subsidia ergo ingeniorum, quæ tunc serviunt, prohibentur eo tempore; arma verò omni: estque integra ratio legis: illis enim possunt hostes abuti in perniciem Christianæ Reipublicæ. Infideles enim sunt perfidi in socios, & amicos, solent violare pacis fœdera, bellum indicere, & occasionem dare, vt illis indicatur à Christiano; tunc autem non oportet eos instruere armis. Nec pax affert hanc communicationem: tùm, quia pax laicorum nō est contra iura Ecclesiæ, quæ prudenter filiis providet in futurum: tùm quia; quamvis consentiente Papa ineretur pax, non proptereà in iure dispensat, nec in bulla Cœnæ: quia inter amica regna prohibita est multarum rerum communicatio: vt Hispani non possunt in Galliam efferre aurum, equum, nec captivum Saracenum: est ergo opus expressâ Pontificis licentiâ: alioquin deferentes labuntur in hanc censuram, non secùs ac tempore induciali. Nec licet navibus hostiū vllo tempore dare funem, anchoram, & alia, sine quibus naves essent inutiles: vt Sylvester observat excommunic. 7. num. 64. Vtrū autem Genuenses habeant privilegium, dicam §. 127. *Sylvest.*

SVBSECTIO V.

De personis, quibus interdicitur communicatio, & ac circumstantijs.

IVRE naturali cuivis personæ interdicitur auxilium ferre in bello iniusto, vt constat ex §. 47. iure autem civili interdicitur hæc communicatio omnibus subiectis Principi vtenti illo iure. Vnde, si iure Hispaniensi interdicitur elatio auri; Gallus non subiectus Hispano, non tenetur illa lege, quamvis iuste privatur auro asportando: sciens enim conditionem illam, se illi periculo exposuit: punitur ergo non formaliter ratione delicti; sed quia conditioni virtuali voluit eâ mulctâ plecti, si caperetur, §. 89.

S. Tho. q. 10. Art. 9. peretur; Hispanus autem punitur ob delictum, gravioribusque pœnis. Gallus enim sola mulctatur pecuniâ; Hispanus verò insuper honore, & interdum vitâ. Iure Canonico tenentur omnes, & soli baptizati: omnes enim illi, sive hæretici, sive Apostatæ, sive schismatici, sive Catholici tenentur legibus Pontificijs; quibus se in baptismo subiecere; quibus non solvuntur discedentes à fide in baptismo suscepta.

§. 90. Primum ab hac lege excusatur, qui redimendi captivum gratiâ merces interdictas defert etiam durante bello. cap. *significavit de Iudæis*: vbi interdicitur omnis mercatura, etiam tempore induciali *excepto redemptionis articulo*.

§. 91. Nec enim fas erat interdicere redēptionē; cùm multò graviora damna sequantur ex servitute Christianorum, quàm ex emolumento Saracenorum ex mercibus capto.

§. 92. Secundò excusantur, qui eodem redemptionis articulo aut ad vitandum ingens malum arma deferunt his omnibus infidelibus. Oppositam sententiam tenet glossa capitis *significavit*, fundamento tamen non magno. Azor. Hanc docet P. Azor lib. 8. c. 23. q. 13. quod benè explicat, si non possit capitvus redimi aliâ ratione. Asserit tamen, tempore belli id non licere: ego distinguo, aut enim captivus est mihi sanguine, aut gravi aliâ ratione coniunctus: aut non est? in hoc secundo casu P. Azor. accipio P. Azorem; cū Sylvestro verbo *excōmunicatio 7. nu. 61.* quamvis claudicare videtur: at video Innocentium, Angelicam summam, & alios sine discrimine opinari id esse licitum; si tamen captivus sit in aperto vitæ aut fidei discrimine, melius est captivo opitulari; si autem mihi est coniunctus, non teneor abstinere ab armorum communicatione, quia illa actio est de se indifferens: at verò ratione redemptionis est honesta, & cum ingenti meo damno non teneor ab eâ abstinere, vt constabit à §. 93. & ostendam ex ipso Azore: ergo. Dico præterea, quemlibet teneri arma non ferre; quando ex illis delatis probabiliter imminet grave periculum Christianismo.

§. 93. Tertiò arbitror excusari eos, qui necessitate aliqua compelluntur degere inter Saracenos: exempli gratia, captivus dignoscitur esse armifaber: nisi arma fabricet, aut peribit, aut tàm malè mulctabitur, vt vix possit, nisi cum ingenti dolore, vivere. Huic licet arma facere quocumque tempore; primùm quia §. 107. ostendam licere captivo remigium agere: ergo & arma facere, quia immediatiùs cooperatur remiger ad pugnā, quàm armifaber. Secundò: quia ipse nec arma defert, nec transmittit, & quamvis est aliquâ ratione auxilio: at non tenetur cum tanto incommodo cessare ab opere de se honesto, licèt eo abvtantur alij; quia ipse immediatè non concurrit ad pugnam; sed præcisè circa opera inanimata versatur; quæ nisi mota ab alijs nihil efficiunt mali: at ille motus non oritur ab armifabro; nec tenetur illum vitare, vt iam probo §. sequenti: si tamen videat à se posse propulsari grave Reipublicæ damnum, tenetur non fabricare arma.

Quartò excusantur, qui vrbem propugnantes, tàm acriter oppugnantur, vt non possint fugere vitæ, aut gravis discrimen famis absque vrbis deditione. Quod docuit P. Azor lib. 8. cap. 23. quæst. 13. quia consulere vitæ, est actio honesta, medium non est per se malum, à quo non tenentur abstinere cum tanto dispendio: in quas duas sententias convenient necessariò, qui remiges à peccato excusabunt, §. 107. Si verò commodè possunt non dedere castrum armatum, aut navim; tenentur hac lege, aut si sustento gravi periculo sperant subsidium, aut concipiunt spem tuendi vrbem: quam nisi desperato auxilio non possunt dedere hostibus fidei. §. 94. Azor.

Quintò excusantur ab excommunicatione, qui arma extulerunt è portu; ea tamen non tradiderunt. In quam sententiam conveniunt authores, vt constat apud P. Azorem, cap. 13. Ratio videtur esse: quia excommunicatio nullum illaqueat ante factum prohibitum consummatum exteriùs: at factum prohibitum est ipsa armorum traditio, quæ sola vergit in perniciem Christianorum: ergo. Probo minorē: quia armorum elatio è portu, nisi coniungatur cum ipsorum traditione, non est nobis perniciosa. Item si navis comissa mari capiatur à Turcis antequam fideles decrevissent arma non tradere; non tenentur hac lege: quia licèt peccaverunt afferentes arma; at ea non tradiderunt. §. 95.

§. 96. Obiectio. Respond. Obijcis: in bulla excommunicari eos, qui *deferunt, aut transmittunt.* Respondeo, id intelligi, qui deferunt, aut transmittunt cum effectu voluntariè & liberè; capti autem à Turcis non deferunt voluntariè, & liberè; nec dici potest: *detulerunt arma Turcis*; sed *deferebant*: vt interdicitur actio necandi; si autem aliquis retardet impetum ferientis; non labitur hic in censuram: est ergo opus, vt sit delatio effectivè cum traditione libera: item si levatum iam brachium, alius, me invito, impetu deprimeret, & alium occideret; homicidium non est voluntarium, nisi deprimenti.

§. 97. P. Azor. Quæstio est inter authores, vtrùm excusentur, qui in pyraticis horum infidelium serviunt? P. Azor cap. 23. quæst. 15. duo affir-

affirmat; alterum omnes, qui quoquomodo serviunt in ratibus infidelium, quas ius *galeas* vocat, hâc lege teneri, sive rates illæ pyraticæ sint, sive ad alios vsus. Secundò non teneri eâ lege, qui serviunt in navi oneraria, nisi pugnent cum fidelibus. Hæc non admodùm placent: primùm, quia non possunt pugnaces rates distingui in pyraticas, & non pyraticas: omnes enim excurrunt maria avidæ Christianæ prædæ, ac propterea idem est *galea*, & *pyratica* in hac disputatione: cùm ergo ex §. 51. liqueat in pyraticis, & galeis esse hæc interdicta; vbi audis *galeam*, intellige & *pyraticam*. Deinde idem censeo de navi oneraria; quando in ea aliquid exercetur permanens, quod possit in bello esse subsidium, vt dixi §. 62. ob quod Sylvester excommunicatio 7. num. 64. rectè censuit hâc lege teneri, qui extra bellum exercent nauticam artem; qua infideles instruuntur ad bellum, idque æquipollet armis in pace delatis: at si in navi oneraria nihil permanens exercent, nec tunc ea navis est vllâ ratione subsidio bellico, non tenentur hâc lege, qui in ea serviunt, vt cum alijs rectè docent Sylvester, & P. Azor. Nullibi enim hoc obsequium interdicitur, estque ex se indifferens: si autem sit periculum subversionis in fide, aut moribus, non possunt illic adesse fideles.

Sylvest.

Azor.

§. 98. Duæ leviores quæstiones supersunt: altera, vtrū hâc lege præstringatur, qui extulit arma sibi necessaria; deinde existens inter Saracenos ea vendidit lucrandi gratiâ, cū ea non extulerit eo animo? Sylvester excommunic. 7. num. 64. censet eū non teneri, quia delatio nō est prohibita, nisi gratia vēditionis contingat: hæc ratio nō vrget: primùm, quia animus internus deferentis non cadit in has leges; cùm autem interdicuntur hæc lucrandi gratia, distinguunt Pōtifices actiones ipsas externas: quando prohibita deferuntur ad captivos eruendos, non feruntur lucrandi gratia; secùs quando non apparet alia contractuum honesta caussa: deinde posset quis amicitiæ caussâ deferre armis onustam navim, quia delatio lucratoria est interdicta, & non alia.

Sylvest.

§. 99. Meliùs censuit P. Azor cap. 23. q. 13. eū hac lege teneri: ratio est clara, quia Pōtifices voluerunt hostes nō esse à nobis armatos; at tunc sine vrgēti necessitate armantur: ergo. Item illa est delatio armorum, & subsidium: quod in bulla Cœnæ interdicitur apertè: in qua nihil dicitur de intentione deferentis. Addit P. Azor eū, qui beneficio donatus à Principe Saraceno, eidem Principi in gratiā redonat arma, hâc lege prẹstringi. Quod mihi accedit mirum; quia nō vrget hæc lex tanto cum dispendio civili: si enim Princeps significasset sibi placere gladium, aut sclopetum, non potest vir ingenuus sine rubore id negare.

Azor.

Quapropter distinguo. Si arma sint in magna quātitate, vt illis posset nobis inferri grave damnū; nullus potest ea donare, nisi vrgente gravi aliquo damno vitæ, aut fortunarū: nec tunc Christianus esset incivilis, cū possit se canonicâ lege tueri. Si verò arma sint in quantitate non magna, vt gladius, sclopetum, aut clypeus, aut elegans equus; tunc non præstringitur donans hâc lege: tū quia hæc parū nocent, non enim dantur ob vtilitatem, sed ob elegantiam, aut artem, sine quibus tā armatus est hostis, quàm cū illis: Ecclesia autē non curat de ijs levibus, raris, & nō nocētibus casibus; curat verò de emptione, & venditione. Item si Rex Hispaniæ excipiat legatum Principis Saraceni, cum quo gravia negotia gerat, satis inciviliter cum remitteret non donatum sex, aut octo equis, vt est in Principum more: hæc enim sunt Principibus familiaria officia: sine quibus vix possunt agere mutuò cum dignitate. Huc applico Sylvestri sententiam. §. 100.

Altera quæstio est, vtrū hoc anathemate feriatur, qui ab vno infideli arma capiens donatione, aut emptione; eadem vēdit alijs. Navarrus, & alij apud P. Azorem, cap. 23. q. 9. affirmant: quia verè in Christiani dominium abiere, qui deinde ea deferens, perinde est, ac si ea non emisset. Sylvester excommunicat. 7. nu. 64. censet oppositum, quia id ita declaravit Gregorius Nonus: quæ bulla abrogata deinceps fuit, quod attinet ad prẹcepta; non verò quoad declarationem hanc. P. Azor distinguit. Si Christianus arma, & equos in eâdem substantia emat, & vendat nihil meliores effectos, nō tenetur Christianus mercator hâc lege, quia hostes ẹquè manent armati, aut inermes. Quæ sententia mihi probatur, quia ea actio non est communicatio armorū, nec in nostram perniciem; sed potiùs in vtilitatē: quia sôla industriâ, & solicitudine, Christianus auget suas fortunas ex hostiū ipsorū bonis. Si autē arma, & equi meliores reddantur; tūc nō possūt reddi, quia id cedit in perniciē Christianorum. §. 101. Navar. Sylvest. Azor.

Hæc doctrina mihi itidē placet cū moderatione: primū enim illa maior bonitas potest esse per accidens ad bellum, & per se: si est per se, est illicita contra hanc legē illa mercatura, vt si quis emit arma infecta, aut tàm malè concinnata, vt vix possint esse vsui bellico, & reddantur iam apta: vt si quis emeret sclopeta rubiginosa, malè inclusa lignis: deinde eadem reddat tersa, & instructa: item si emit equum doctum frænum, & cursum deinde ill reddat doctum pugnam; aut n ea id §. 102.

S. Tho. q. 10. Art. 9. nudum; deinde reddat phaleratum: si autem hæc bonitas sit per accidens prælio; perinde est ac si non essent arma meliora, vt si armis nihil addatur præter nitorem, aut cœlaturam, & equi non fiant, nisi pulchriores.

§. 103. Secundò moderor sententiam: quia si in vna hostium Provincia geritur bellum: cui magno subsidio est mercatura nostrorum; quia licèt arma tunc non obsunt ibi, vnde asportantur; obsunt tamen ibi, quò asportantur, tenentur Christiani mercatores hac lege: quia id vergit in perniciem nostram. Si tamen mercatores infideles abundent; ita vt nostris nihil agentibus, adhuc hostes habeant eadem arma: non tamen tàm expolita: tunc non peccant nostri; quia ipsi nihil iuvantes ad bellum, spoliant hostem pecuniâ: quod est in vtilitatem Christianorum; differunt tamen hi à ferentibus arma Principi ijs abundanti, quod Princeps nostris armis verè manet potentior ad illud, & alia bella: alioquin arma non emeret: at in hoc casu hostis non manet potentior; sed fractior pecuniâ datâ pro armis, vide §. 111. 112. & 113.

§. 104. Tertiò moderor: si Christianus ex præda infidelium accepit arma; ea non potest vendere hostibus: quia hoc absolutè cedit in perniciem nostram; estque belli subsidium, quia illa arma non sunt hostium; nec illorum venditio est ex caussa vtili Reipublicæ Christianæ magis, quam in mercatoribus ea asportantibus è nostris Provincijs; at mercatura, de qua §. 101. est vtilis: quia ex sola industria ditantur nostri bonis hostium; item nec arma donata ab vno possunt alijs divendi; sed præcisè est licita mercatura: quia est vtilis per se Reipublicæ Christianæ. Pro qua parte Navarrus facit.

SVBSECTIO VI.

De captivis remigibus.

§. 105. DE remigibus captivis gravior est controversia: ac primum statuo, eos qui se conduci volunt ad remū (quos remiges spontaneos possumus appellare, apud nostros autem *Buenas boias*) graviter contra hanc legem peccare, quoties pyraticas, & galeas remis agunt, vt constat ex §. 97. est item clarius eos gravius peccare qui in actuali prælio iniusto remis iuvant; quia quamvis actio de se sit indifferens; est tamen prohibita; qua lege nemo solvitur, nisi gravi [illegible] honesta necessitate; hi autē absq; vlla occasione illi se exposuerunt: poterant enim apud Christianos, aut infideles aliâ ratione victum quærere. Nec item est controversia, Christianos captivos non peccare: quando navim non ferunt ad prælium, quia extra certamen actuale, & extra illius occasionem, non tenentur cum tanto dispendio omittere actiones indifferentes.

Est igitur quæstio, vtrùm in actuali certamine iniusto peccent hi remiges: quando absque discrimine vitæ, aut mutilationis, aut acerbissimorum verberum cruciatu nō possunt à remigando cessare? §. 106.

Dico primò: eos non peccare contra hanc legem, nec contra aliam: sententia est plurium, graviumque doctorum: sunt PP. Leonardus Lessius de iustitia & iure ab omnibus, non tamen pro dignitate laudatus lib. 2. cap. 9. dub. 18. Azor. lib. 2. cap. 17. quæst. 6. & lib. 8. cap. 23. quæst. 16. Molin. tom. 1. de iustitia disput. 115. Vazquez de restitutione cap. 9. §. 1. num. 39. & 40. Thomas Sanchez lib. 1. operis moralis cap. 7. num. 18. Sa verbo *peccatum*, num. 9. Navarra, Corduba, Ludovicus Lopez, & Emanuel Rodriguez apud P. Sanchez: adde Lorcam disp. 51. de charit. num. 11. §. 107. *1. Conclus. Lessius. Azor. P. Mol. P. Vazq. Thom. Sanchez. Sa. Navar. Cordub. Lud. Lop. Emanuel Rodriguez. Lorca.*

Vnicum fundamentum est, quia ea actio est de se indifferens: vt autem exercetur à remigibus est honesta, quia est ad tuendam vitam: illius actionis abusus non est ab ipsis; sed à Turcis, qui non per se; sed per accidens sequitur eam actionem, & præter intentionem remigum. Sed cum abusum non tenentur ipsi vitare cum tanto discrimine: ergo: minor probatur ex communi doctrina in materia de scandalo: quia nō teneor cum gravi damno impedire pravas aliorum actiones; quando non per se, sed per accidens sequuntur factum aliquod meum bonum, aut indifferens. Nec lex charitatis me obligat ad abstinendum ab eâ actione cum tanto discrimine; hæc autem opinio, vel eâ ratione est docenda, cùm probabilis sit, vt tàm innumeri homines possint absque prava conscientia tàm miseram vitam agere. §. 108. *Fundam.*

Dico secundò; si in vrgenti aliqua occasione censeret aliquis vitandum grave damnum Christianæ Reipublicæ, si ipse à remigio cessaret; tunc teneretur id facere: Ita frequenter authores adducti §. 107. Probatur: quia lex charitatis obligat me, vt me exponam aperto vitæ discrimini ob bonum commune proportionatum tanto periculo; vt constabit in disputationibus de charitate. §. 109. *2. Conclus.*

Dico tertiò: moraliter rarò contingere potest hæc obligatio: quia nullus tenetur [illegible] lege §. 110. *3. Concl.*

lege charitatis se gravi periculo exponere pro bono communi, absque spe probabilide effectu, ob quem charitas obligat; sed non potest moraliter, nisi rarò contingere hæc spes: ergo nec hæc obligatio: minor probatur, quia in bello navali pendet hic eventus ab omnium Christianorum remigum voluntate: quia prælium committitur multis ratibus: inter quarum remiges non est familiaritas, nec communicatio. Immò nec vnius ratis remiges se possunt consulere sine ingenti difficultate: ergo.

§. 111. P. Less. Addit Pater Lessius ex consensu doctorum virorum, licere nunc in Hollandia Catholicis nautis, & aurigis deferre cymbis annonam, & alia id genus in vrbes ab hæreticis infessas: tùm quia alioquin se exponunt gravissimo periculo vitæ, & fortunarum, nisi id præstent: tùm quia suppetunt aurigæ hæretici, qui ea deferent: ita vt Catholici minimè requirantur, quorum operâ nec hostes fiunt potentiores, nec id vergit in Catholicorum perniciem: est hæc sententia valdè probabilis propter secundam rationem. Pōtifices enim volunt hostes fidei exarmare, ob quod nostris interdicunt armorum, & commeatuum delationem: quia eâ armantur hostes. At in eo casu nostrorum vectura est per accidens ad hostium vim; quia ijs non vehentibus, arma deferent hæretici; quorum multitudo præsto est deferendis: immò Catholicorum vectura vtilior est Ecclesiæ: naulum enim eripitur hæreticis, & Catholici eo vtuntur ad sua commoda: recognosce §. 103.

§. 112. Idem dicendum videbitur de mercibus, & alijs, quæ hostibus præsto sunt ab infidelibus: verbi gratia, Turcæ bellum gerunt in Græcia, quibus nulla est caritas annonæ: quia ex Thracia, alijsque Provincijs vehitur magna frumenti vis: ita vt non requiratur annona à Christianis mercatoribus: tunc non videtur esse prohibitum eam deferre, quia delatio tunc vtilior est Christianis à Turca oppugnatis, quàm delatio ab infidelibus; quia pecunia Turcica minuitur, estque apud eos, à quibus non potest extorqueri: at quæ est apud mercatores Turcas, potest iterum esse bello subsidio: idem consequenter videbitur dicendum de bombardis, & alijs armis, quando ea tàm abundè suppetunt à mercatore Turca, vt nec plura, nec pauciora sint futura in exercitu, quamvis nostri nihil deferant.

§. 113. Hæc duo corollaria, quamvis metaphysicè sint probabilia, sunt tamen practicè minimè exercenda; nec ego excusarem à censura, & peccato vectorem, nisi priùs consuluisset Romanā Sedem, quia possunt non ita concurrere mercatores infideles, vt non pendeat exercitus à Christianis, qui si non adessent, essent in caussâ, vt hostis laboraret inopiâ: quapropter moraliter est improbabile eiusmodi mercatores excusari: dixi *moraliter*: quia potest aliquis Turca ad fidem conversus, occultè agere inter Turcas; & evidenter cognoscere tot esse vectores, & mercatores infideles, vt, ipso nihil vehente, sint deferenda, quæ ipse defert; tunc autem est eadem ratio, ac de Hollando Catholico: qui probabiliter excusatur ea de caussa: secùs quando sine ijs circūstantijs arma vehuntur: ob quod Christianus apud nos agens, nec vrgetur eadē necessitate, qua Hollandus, & Turca, nec potest esse tàm certus, quàm illi; nec vitare poterit scandalum, & suspicionem violatæ legis: debetque puniri, vt transgressor. Patrē Reginaldum expono in hunc sensum. Vide §. 130. P. Regin.

§. 114. 4. Concl. Dico quartò, non licet fideli pugnare in bello iniusto, nec ferire, nec incendere vrbem, nec sulphur, nec alia, dùm non sunt in potestate hostium. Hæc doctrina est certissima, quam docet Pater Molina ea disputatione 115. cum alijs: quia hæc sunt intrinsecè mala, nec agenda etiam cum aperto necis periculo. Ait tamen Pater Molina conclusione vigesima quinta, licere Christianis incendere bona externa, quando illis imminet periculum vitæ, aut membri abscisio. Quod Lorca intelligere voluit de omnibus bonis: at non ita loquitur Molina; sed agit de externa necessitate accipiendi aliena bona ad tuendam vitam: at hoc non licet, quando dominus est in eâdem necessitate sulphuris, murorum, & commeatuum, ad tuendam propriā vitam: tunc non possunt muros suffodere, aut demoliri: quia id est directa pugna; sed solùm possunt actiones indifferentes, quæ secundùm se non inferunt malum: Turcæ tamen eis abvtuntur ad malum. Molina. Lorca.

§. 115. Vndè possunt arma ferre humeris, efferre prædam; non tamen vi tenere captivum potentem fugere, cùm verò captis hostibus, vrbs, & eorum bona sunt amburenda à Turcis, licet Christiano imminente gravi periculo ea incendere ob imperium Turcæ, quia iam Christiani ab incendio, vt est ab hoc homine nihil patiuntur mali, quia nec ipsi possunt suis frui bonis; nec bona supererunt, quia ab alijs comburentur.

§. 116. vlt. Concl. Dico vltimè: absque gravissima necessitate, hæc non possunt licitè fieri: in quo nulla est dubitatio.

§. 117. Navar. Contra doctrinam propositam §. 107. sunt Navarrus in Manuali cap. 27. nu-

S.Tho. q. 10. Art. 9. *Tolet.* *Suar.* *Vgolin.* mero 63. quem sequuti Cardin. Toletus, libro primo, cap. 24. num. 88. Pater Suarez tomo 5. disputatione 21. sect. 2. numero 60. & Vgolinus de censuris Papæ reservatis parte 2. cap. 3. 6. 2. versu *ac omnes eorum fautores* prope finem. Moventur primùm, quia nullam ob caussam possumus cooperari actioni pravæ; sed remis agere naves tunc, est cooperari actioni pravæ: ergo non licet vlla ex caussa. Probo minorem, tùm quia naves vehunt Turcam, illumque constituunt, vbi aggrediatur, & oppugnet; tùm quia ipsæ naves impetum faciunt illiduntque nostras: tertiò, quia nisi tunc essent remis impulsæ, nihil omninò Turca posset.

1. *Obiectio*

§. 118. Adverte, cooperationem liberam accipi dupliciter: physicè, & moraliter. Physica cooperatio actionis pravæ, est actio immediatè terminata ad malum lege prohibitum: vt in pugna ferire hostem compugnãte socio: displodere bombardam, & alia id genus præstita à milite, dùm cum alio pugnat: quæ sunt formaliter pugna; non verò conditiones antecedentes, aut sequẽtes pugnam. Cooperatio moralis est actio libera non spectans formaliter ad pugnam; sed conditio physicè antecedens pugnam, sine qua hæc non esset; at tenetur quis illam vitare cùm potest: vt homo videns alium furore raptum, tenetur illi arma non præbere: si tamen illi mors immineat, nisi præbeat non tenetur, non præbere: si præbet cùm non præbere potest sine gravi, & proportionato damno; cooperatur moraliter homicidio: secùs si non potest.

§. 119. Iam ostendi disputans de voluntario, incendium non esse voluntarium physicè non extinguenti, quantumvis teneatur, & possit: quia non oritur physicè à non extinguente: at verò siquis potest extinguere, & non tenetur; non est illi voluntarium nec moraliter: secùs si tenetur, & potest restinguere: quia cùm teneatur lege servare vrbem, si eam non servat, cùm potest; perinde est ac si eam incenderet: sunt enim eiusmodi consentientes moraliter. Idem dico in cooperatione: si actionem impendo mihi prohibitam, cooperor moraliter, & non physicè, quando actio est antecedens pugnam; si autem actio hæc mihi non est prohibita, non cooperor moraliter, nec physicè.

§. 120. Remiges item possunt navim rostratam ita impellere, vt ipsa rostro navim Christianorum infringat. Hæc actio est intrinsecè mala; quia est formalis pugna, & impetus in bello iniusto: non secùs ac siquis bombardam displodat ad murum demoliendum, aut petardo portis admoto det ignem, quia tunc directè exarmãtur Christiani muro, aut navi, quibus se tuentur, idque probat secunda ratio in §. 117. Secundò possunt remiges navim impellere, quæ nostras non illidit, nec labefactat; sed præcisè illis fit propior, ita vt inde Turcæ depugnent. Hæc actio non est intrinsecè mala, nec est pugna formaliter; sed conditio physicè prior pugna: & indifferens ad hunc aliosque vsus probos, & pravos.

Ad argumentum ex §. 117. concessâ maiori propositione, nego minorẽ: ad primam probationem respondeo, vecturam illam de se non esse pugnam, sed indifferentem ad alios vsus; Turca verò per malitiam abutitur eo loco ad pugnam: quod remigi est per accidens. Itaque illa vectura non est physicè cooperatio: quia non est pars operationis intrinsecè malæ, quæ est pugna. Nec moraliter; quia non tenetur cessare tunc cum tanto dispendio à conditione per se indifferenti. Ad secundam probationem patet ex §. 120. Ad tertiam respondeo, inde nihil inferri: quia id probat vecturam esse conditionem necessariam ad pugnam: at non est determinata ad illam; sed indifferens: quia, illâ positâ, potest adhùc non iniri certamen; sed pax: eiusmodi autem actiones non semper vitare tenemur, vt constat in ministrante gladium vrgente periculo mortis. Itaque remos agere, arma ferre in locum certaminis, prædam humeris efferre, porrigere sulphur; & alia quæ servi in pace præstare possunt, possunt & hi remiges in bello, instanto gravissimo periculo, & sine spe vtilitatis, si cessant, vt dixi §. 109. §. 121. *Respond.*

Secundò movetur Pater Suarez: quia hæc doctrina viam aperit ad exercendas actiones cooperatrices: quia multæ sunt ex se indifferentes, hoc autem est absurdum: ergo. Probatur minor primùm: quia liceret struere templa paganorum, quę structura est de se indifferens. Secundò, quia liceret idola fingere, aut pingere. Tertiò, quia liceret ignem ferre, vt alij incenderent ædificia. Quartò, quia non est consideranda actio secundùm se; sed vt exercetur hic & nunc: at in ijs circumstantijs semper est cooperatio ad malum: ergo. §. 122. 2. *Obiectio*

Respondeo: viam muniri ad excusandas omnes operationes ex se indifferentes, quãdo in eis eadem concurrunt, quæ in hac. Nego minorem. Ad primam probationem & secundam constabit §. 181. Ad tertiã respondeo, imminente periculo damni gravissimi licere ignem ferre; non tamen admovere, vt dixi §. 121. Nisi incendium sit occasio §. 133.

occasio tàm magni damni publici, vt teneatur quis lege charitatis illud avertere, ipsâ etiam instante morte. Ad quartū respondeo: considerandam actionem secundùm se; vtrùm sit physicè pars actionis iniustæ, aut principium per se illius: quia absque hac consideratione non potest dijudicari, sitne cooperatio physicè: deindè cum constiterit eam non esse physicè cooperationem, considerandæ sunt omnes circumstantiæ: si nulla excusat, erit moraliter co operatio; secùs si qua excuset.

Ad 4.

SVBSECTIO VII.

De privilegijs, & consuetudine contra hanc legem.

§. 125. 1. Conclus. DICO primò, nulli esse privilegiū arma, & equos ferendi his infidelibus. Quia licèt Veneti, atque Genuenses facultatem dicantur habere ad nōnulla ex prohibitis; non tamen ad arma, & equos, vt constat ex Sylvestro excommunicatio. 7. numero 58. referente ea privilegia, & stringente hâc eâdem ratione; & Toleto lib. 1. cap. 28. num. 13.

Sylvest.

§. 126. 2. Concl. Tolet. Dico secundò: nullum constat esse privilegium ad ferenda metalla. Quia quamvis (ex Toleto ibidem) Iulius Secundus ea metalla permiserit à Genuensibus deferri; iam cessavit privilegium: fuisse enim fertur concessum anno Christiano millesimo quingentesimo quarto, per centum annos; vltrà quos elapsi sunt duo de viginti: immò Sylvester ait se audivisse à fidedignis omnè tempus præterijsse.

§. 127. 3. Concl. Dico tertiò. Genuensibus non licet præbere funem, aut chordam Turcis appellentibus Genuensium portus; quando certò, & determinatè petuntur ad iniustum bellum. Sylvester suprà num. 64. absolutè cēset hoc nemini licere tempore etiam pacis: quia censet omnia privilegia cessasse, & quidem privilegium Iulij Secundi cessavit omninò: privilegium autem Sixti Quarti dicitur esse vivæ vocis oraculo: quod minùs diuturnū est scripto, nec proponitur tàm digna fide: esto tamen, admitto illud privilegium, si ea Respublica dixerit illud apud ipsam esse, illud quidem solvit Genuenses excommunicatione, & alijs pœnis canonicis: item si funis petatur ad vsus per se indifferentes; non peccabunt eum porrigentes. At privilegium actionem intrinsecè malam non potest reddere non malam; constat autem ex

Sylvest.

§. 47. actionem illam tunc esse intrinsecè malam contra naturæ leges, quando servit iniusto bello.

§. 128. Nec id vergeret in gravissimum Genuensium damnum; tùm quia ipsi nullo periculo exponuntur amittendi bona corporis, aut fortunæ: tùm quia imminutio commerciorum non est sufficiens ratio: alioquin nulla Respublica teneretur ijs legibus: qui enim Alexandriam merces vehebant, copiosiùs exercebant commercium; quod sacrilegium vocant Pontifices: non enim est eadem ratio in amittendis fortunis, ac in novis comparandis: tum quia Turcis vtilis est communicatio mercaturæ, à qua non cessabunt; tametsi eos funis, chordaque deficiat in Genuensium portubus: eam enim ascìscent aliundè. Quòd si tanta est eius apud illos caritas, vrgetur acriùs argumentum: quia illa mercatura cederet in apertam Christianæ Reipublicæ perniciem: quia armantur Turcæ, qui alioquin essent inermes.

§. 129. Difficultas est, cur in Hispania exerceatur mercatura cum Africanis: etenim Toleti ingens efficitur pileorum rubrorum vis, quæ Orano mittuntur ad Alarabes? Respondebit aliquis, esse Hispanis privilegium: etenim cùm bellum præcipuè ardeat inter Hispanos, & Alarabes; Hispanis providendum erit, ne suos arment implacabiles hostes. At non constat nobis de eo privilegio; sed Toletani sine vlla eius memoria mercaturam exercent.

§. 130. Reginald. Pater Reginaldus libro nono, cap. 18. numerò 301. probabile censet, non labi in hanc censuram, dico, excommunicationem, qui arma deferunt cum maiori vtilitate Christianæ Reipublicæ, quàm damno, vt si pecunia reportata pro armis sit Christianis vtilior, quàm arma sunt noxia. Non possum huic opinioni assentiri: quia viam sternit ad perpetuam abolitionem huius legis: censerent enim singuli mercaturam suam vtiliorem esse Christianis: nec esset vlla mercatoris compescendi ratio, essetq; fidelibus scandalo. Quapropter si qua Respublica id de suis mercatoribus censeret, consulere teneretur Romanum Pontificem, vt, veritate syncerè perspecta, provideret tunc, & cessaret scandalum, nec deesset ratio compescendi violatores. Nec enim cuivis fas est tàm publica, & diuturna vti epicheia, quando tàm facilè potest legislator adiri. Quod factum esse, à Genuensibus, & Venetis credendum est. Respublicæ enim tàm Catholicæ, & Romanæ obedientes Sedi, non erant effecturæ, vt malo exemplo suspicionem parerent contumaciæ: sic Patrem Reginaldum expono,

S. Tho. q. 10. Art. 9. pono, de probabilitate speculativa ; non practica: recognosce §. 112. & 113.

§. 131. Sæpius captivi redimuntur ab Hispanis: redemptores verò deferunt merces, vt plures illarum pretio servitute solvantur; quod licere constat ex §. 73. cum Alarabibus vicinis Orano nobis est commercium, quamvis cum illis perpetuò belligeramur. Præsto est ratio: quia nonnulli Alarabes pacatè nobiscũ agunt, sine quorum communicatione nõ possent vivere alij milites præsidiarij, qui Orani castra fixere ad frænandos Alarabes, ne in Christianos erumpant: extrema ergo necessitas alendi militem in perniciem Alarabum; & commodum Christianorum adigit Hispanum ad communicationem in mercibus, quæ vtilissima est Hispanis. Alarabes enim nihil fiunt ea communicatione fortiores, vt experientia testatur; sed cicurantur potiùs ab Hispanis, & in societatem redeguntur: si verò pro cerâ, quam Bugiâ, & ex alijs oppidis asportamus, alias remittimus merces; certo certiùs est id fieri annuente Pontifice: singulari enim Dei beneficio ab Hispania recuperata, à sæculo non est audita, vel minima nostrorum Regum in Romanum inobedientia: si quando verò imminere visa sunt bella inter Romanum, & Hispanum; non agebatur, vt inter Ecclesiæ caput, & Regem Hispaniæ; sed vt inter duos Principes temporales.

SVBSECTIO VIII.

De pœnis, & ab eis absolutione.

§. 132. EXcommunicatione maiori ipso facto incurrenda ligantur omnes, qui arma, equos, & quodcumq; subsidiũ belli ferunt his infidelibus. Hæc excommunicatio maximè cernitur in bulla in Cœna (quam *Processum* appellant, quia eius titulus est, *litera Processus*) numero septimo: qua nullus solvi potest, nisi à Romano Pontifici, excepto mortis articulo: tunc enim potest absolvi, eâ tamen lege, vt Sacerdos cautionem providerit, quâ absolvendus speretur staturus deinceps præceptis Ecclesiæ Romanæ, & satisfacturus pro inobedientia præteritâ.

§. 133. In Regnis Hispaniæ, qui accipit Cruciatæ bullam, potest ab hac excommunicatione, & peccato solvi, ipsius bullæ privilegio: nisi enim ab hæresi (ad cuius absolutionem bulla non iuvat) ab omnibus censuris, atque delictis in processu contentis, potest vnusquisque privilegio bullæ Cruciatæ absolvi semel in anno: quod si post absolutionem relabatur eodem anno, potest iterum bullam sumere, vt absolvi possit: existimo autem ad hunc effectum inutilem esse tertiam bullæ acceptionem: quia cum vna bulla vna tantum absolutio potest impendi: at bullæ prima acceptio, & vna repetitio valet: itaque intra vnum annum, & extra mortis discrimen non potest quis, nisi bis per bullam absolvi. Vide Emanuelem Rodriguez in explicatione §. 11. in discrimine vitæ potest quis virtute bullæ toties absolvi, quoties extra discrimen: ad idque valet repetita bulla vna vice intra annum. *Emman. Rodrig.*

Cæteræ excommunicationes spectantes ad merces, & non ad bellicum apparatum, aut subsidium, vel non sunt reservatæ etiam Episcopis, vel sunt illis, & non Papæ (excepta excommunicatione in cap. *Multa mentis* Clement. de Iudæis: vbi reservatur excommunicatio in ferentes merces Alexandriam): à quibus ipsi Episcopi possunt reos absolvere: item & nonnulli religiosi; quibus privilegio Papæ datur absolvendi facultas. Virtute itẽ bullæ Cruciatæ possunt omnes in Hispaniæ regnis absolvi, quoties ea fuerint confessi peccata. Processus enim Cœnæ nihil agit de mercibus. §. 134.

Secunda pœna est servitus. Alexander enim Tertius cap. *ita quorundam de Iudæis, &c.* mulctat servitute ferentes arma, & bellicum instrumentum Saracenis: item & eos, qui in Saracenorum triremibus, & navibus pyraticis gubernationem exercet: vbi considera, ibi non agi de milite pugnante in exercitu Saracenico, aut ratibus; sed de deferente arma, & instrumenta: si quis enim inermis Turcas adeat, & ab eis armatus pugnet contra Christianos; non punietur servitute. Quamvis enim gravius peccet; tamen servitus non est in illum decreta. Item Pontifex non infligit immediatè servitutem; sed ostendit Principi laico, quid agere oporteat, vt Panormitanus in illud caput observat, & colligitur ex cap. *Multa mentis*: vbi dicitur, vt in servitute maneat, qui captus fuerit. Eadem pœna decernitur in ferentes merces Alexandriam, & in alia loca Soldani in Ægypto. Nec hæc pœna est in vsu: iure belli nullum Christianum fieri Christiani mancipium, antiquâ est observatum consuetudine: hæc autem servitus non esset iure belli, sed ob delictum; credo tamen absolutè in honorem baptismi nullũ Christianum posse redigi in servitutem ob antiquam cõsuetudinem: quamvis mancipium, §. 135. *Panorm.*

post

si post servitutem baptizetur, manet in servitute, nisi dominus sit infidelis, vt dixi à §. 30. ad 36.

§. 136. Eodem cap. *ita quorundam* infligitur deferentibus arma, & gubernantibus pyraticam, bonorum amisio. Iure item civili capite plectuntur. Quapropter iustè poterunt remis perpetuis addici. Item cap. *Multa mentis*, ferentibus merces Alexandriam, & in alia loca Soldani tunc oppugnantis Terram Sanctam, indicitur pœna, vt tantum donent in auxilium liberationis terræ eiusdem, quantum in ea loca detulerunt. Iam videtur cessasse ratio huius excommunicationis: quia Ægyptus nõ est in potestate Soldani; sed Turcæ: qui posidet Palæstinam: si tamen bellum Turcæ à Christiano indiceretur ad vindicandam Terram Sanctam; vim haberet hæc excommunicatio. Nunc autem sunt res in alio statu. Quare Sylvester verb. excõmunicatio 7. numero 60. ait: Ecclesiam habere perpetuum bellum cum Soldano specialiter. Vndè censet diversam communicationem cum illo esse permissam, ac cum alijs Saracenis. Vndè non videtur nunc esse maius incommodum ferre has merces Alexandriã, quàm in alia oppida Turcarum, nisi fortè bellum ingrueret ad recuperationẽ Terræ Sanctæ. *Sylvest.*

SECTIO IIII.

De communicatione cum infidelibus in bello.

SVBSECTIO I.

Quædam præmitto.

§. 137. PRIMVM: non possunt communicare Catholici cum infidelibus in bello iniusto: vt est per se notum. Nec item in bello civiliter iusto, quando ex victoria imminet ruina religionis: v.g. si Iaponus permittens prædicationem Evangelij, Sinas iniustè lacessat, nõ licet Christiano opem ferre Sinis eam prædicationem non permissuris, quia cum religionis detrimento, nullus potest iuvare alios iure civili; plus enim debemus Deo, quàm amicis: vndè propter amicorum commoda non licet agere contra honorem Dei.

§. 138. Immò tenetur Christianus opem ferre Iapono contra aggredientem, quia mihi licet me tueri ab hoste irruenti, quamvis iustè dederim caussam bello: ergo & amicus poterit me iuvare in ea defensione. Secundò: quia impediturus prædicationem Evangelij aggreditur religionem iniustè: qua ex parte bellum gerit iniustum. Quòd si nulla ratione vitari posint ea in religionem damna, nisi petatur hostis, antequam ipse certamen ineat, rectè poterit impeti.

Vndè secundò deduco, non licere in bello etiam iusto opitulari infideli Principi in alium etiam infidelem: quando is, qui iuvatur, est futurus potentior in Principes Christianos; tùm quia satis ostendi à §. 75. id esse lege Pontificia interdictum: tùm quia maior Principis potentia vergit in Ecclesiæ perniciem: immò, quamvis bellum sit civiliter iniustum, licet opem ferre non solùm ad propugnationem; sed etiam ad aggresionem: quia fidelis Princeps iure divino potest, & tenetur providere Reipublicæ Christianæ; & eam incolumem servare ab iniusto aggressore; sed tunc infidelis potentior, est iniustus aggressor fidei: quia bellum illi indicit iniustum: ergo potest fidelis licitè illi vires infringere, sive propugnando, sive impugnando: quia licèt bellum considerata caussa civili esset iniustum; sit tamen absolutè iustum opitulanti ratione fidei. §. 139.

Dices, licitam esse propugnationem, non verò aggresionem. Respondeo: vtramque licere fideli, qui vtitur Principis infidelis armis ad frangendum hostem iniustum. Itaque ex parte fidelis iusta est invasio: quòd si infidelis præliatur iniustè, non est mihi in culpa: quia ego teneor lege charitatis avertere proximum à peccato; nec ad eius materiam concurrere, quando sine gravi incommodo possum; non verò quando non possum sine gravi, & proportionato damno. Itẽ nõ possum ego cooperari iniustè alius actioni, qua diripiũtur iniustè alius bona; quando mihi est illicita ea direptio; si autem mihi licita est, possum iuvari aliquo iniusto direptore, quia vtor meo iure in eâ direptione, quæ à me exercetur iustè, & iustè vtor alieno auxilio: ille autem curet agere iustè. §. 140. *Obiectio. Respond.*

Dices hinc sequi, posse me inire fœdus cũ Principe iniustè belligerante cum alio, cum quo ego iustè belligeror: concedo consequẽtiam. Pone Hispanum habere ius in Hollandos, in quos nullum habet Anglus, & inimicitiarum ergò Anglum velle indicere bellũ Hollandis. Quod vt ab Anglo indicitur, est omninè iniustum. Potest Hispanus exercitum movere cum Anglo ad oppugnandum Hollandos, quia bellum est iustum Hispano, qui non cooperatur iniustitiæ §. 141. *Obiectio. Resp.*

S.Tho. q. 10. Art. 9. Angli; sed vtitur eius armis ad bellum sibi iustum.

§. 143. Possumus communicare cum infideli in alium etiam infidelem in bello iusto: quando non timetur damnum in fidem, aut mores honestos: quia ea actio non est intrinsece mala: opitulari enim alicui iniustè vexato, est honestum; nec ex parte eius, cui bellum infertur, est circumstantia vitians actionem: quia non est dedecus in fidem, aut religionem: vt est quando oppugnatur Christianus: nec lege vlla cavetur.

§. 144. Tandem: si Princeps infidelis moveat arma in alium infidelem iniustè: si qui petitur iniustè nocet religioni; qui autem petit alium, nō est nociturus; possumus aggredientem iuvare. Probatur ex §. 138. & 140. Ratio à priori: quia fideles habent ius ad compescendos Principes impedientes Evangelij prædicationem, & crementa fidei. Vtuntur autem tunc suo iure, & armis amicorum: quibus fideles non dant opem ad malum; sed directè ad bonum, nempè fidei crementa. Quòd si infideles eo abvtuntur auxilio; non est in culpa fidelium.

SVBSECTIO II.

Quando fidelis Princeps potest iuvare infidelem in bello?

§. 145. INFIDELIS Princeps pôtest considerari, vt privatus à Pontifice, vel alio iudice legitimo iure regni. Dico non licere Principi fideli opem ferre huic infideli contra fidelem. Probatur: quia infidelis non habet verum ius ad regnum proprium; nec ad alienum: quia sententiâ æqua legitimi iudicis privatus est omni dominio: ergo alius fidelis non potest illi opem ferre. Probo consequentiam: quia non licet opem ferre iniustè prælianti.

§. 146. *Obiectio.* Dices, constare ex §. 138. me posse licitè me tueri ab hoste irruenti, quamvis iniustè dederim caussam bello: ergo & infidelis se tueri poterit. *Resp.* Nego consequentiam, quia Princeps fidelis retinet verum ius in suum regnum, quod licitè tueri potest ob periculum, ne hostis plura prædetur, quàm ei debeantur: at infidelis iustè privatus regno nullum in illud habet ius; ac propterea ei nō licet regnum tenere: cùm ergo tunc licitè petatur bello ab alio Principe fideli, non potest quis ei licitè ire suppetias.

§. 147. *Obiectio.* Obijcis: hæc vera esse quando Princeps concertat, ne ipso regno privetur: secus si regnum iniustè petatur à Rege fideli, & ipsum regnum impotens fidelē iniustum regno movere; duce infideli vtatur ad se tuendum. Respondeo, si regnum sit hæreticum, *Respond.* & privatum iure sui, nullum illi posse opem ferre; si autem regnum sit Catholicum, poterit illi quis opitulari: quia auxilio non iuvatur per se Princeps infidelis; sed fidelis Respublica, habens infidelem ducem. Quòd si Rex futurus est potentior ad divexandos fideles; nullus ei potest opitulari: vt constat ex §. 139.

Si verò Princeps fidelis superato infideli mihi sit illaturus bellum iniustum maiori cum robore; tunc ego possum opem ferre infideli: quia tunc egome ipsum defendo ab hoste iniusto: & quemadmodùm ego possū vocare militem infidelem in defensionem iustam; ita & iuvare Principem infidelem: quia tunc ego non cooperor bello iniusto; sed vim iniustam oppugno. Quod patet exemplo: ego video duos gladiatores iniustè pugnantes: vel alterum iustè; alterum verò iniustè: iniustus nullum mihi inferet malum inimico superato: alter verò victoriâ potitus me aggredietur iniustè, & in vitę discrimen adducet: ego possum iuvare iniustum: quia tunc vtor meo iure inculpatæ tutelæ: &, vt ego poteram alium mihi socium adiungere ad alium enecandum, ita possum illo pugnante vti, quocumque ille animo certet. Recognosce §. 140. §. 148.

Hic tamen duo sunt observanda: alterum ne religio gravius patiatur damnum ob meā defensionem: si enim ego non sum gravissimè lædendus, & religio est graviter lædēda ob meam opem ferendam infideli, teneor eam non ferre: quia præferenda est religio commodo temporali: alterum, vt periculum iniusti belli sustinēdi à fideli sit probabile, & cadens in virum constantē eius timor; alioquin non licebit eam ob caussam opitulari infideli. Principes enim ratione status multa moliuntur contra legem Dei; ne vicini potentiores fiant: v.g. Hollandi rebellarunt iniustè in Hispanum: si hic nō cogitat de bello iniusto inferendo alijs Principibus, qui nullo probabili fundamento possunt illud timere: hi non possunt hæreticis opem ferre: licet enim Hispanus sit futurus potentior, si Hollandos revocet in suum ius: at id non sufficit ad iuvandos Hollandos: quia illa maior potentia est debita Hispano, & non potest eâ privari, dùm non meditatur eius abusionem in perniciem aliorum, nec de ea est probabilis timor. §. 149.

At verò, si Princeps hæreticus non sit privatus iure regni; sed toleratus, dico non licere fideli ei opitulari contra fidelem, nisi ad vitandum grave damnum proportiona- §. 150.

tum

tum sibi imminens v.g. Anglus nunc non est privatus iure regni: & cum illo bellum iniustum gerat Gallus, ob rationes civiles iniustas: non potest Hispanus Anglum iuvare eo in bello; nisi ob caussam alicuius gravis damni vitandi: potestque Gallum iuvare ratione religionis iniustè ab Anglo impugnatæ. Probatur: quia illud iuvamen est perniciosum fidei: ergò, non potest Hispanus illud præstare absque eiusmodi caussa. Antecedens est luce clarius: Anglus enim Catholicos, & religionem divexat iniustè: quæ tyrannis cessabit omninò, aut magna ex parte, si Anglus superetur à Gallo: Consequentiam probo: quia nullus potest efficere absque gravi caussa proportionata aliquid, vndè etiam indirectè sequatur damnum in fidem: quæ autẽ sit hæc gravis caussa, occurrenti tempori est permittendum: illâ enim existente, qualis à viris doctis, & pijs sufficiens videatur, non tenetur Princeps vitare omninò damna contra religionem, quia ipse ad ea non concurrit; sequuntur autem indirectè, & per accidens eius actionem; non per se, neque directè. Ipse enim directè non cooperatur, nisi in inculpatam tutelam.

§.151. *Obiectio.* Dicet quis: hæc esse vera, quando infidelis vexat Ecclesiam. Quid autem erit, si fideles sacro iuri permittat? *Resp.* Respondeo: nec esse licitum tùnc auxilium: quia Princeps infidelis vel solo exẽplo est reipublicæ pestis, omnes halitu inficit, trahitque regnum favore, & honoribus: fidelis autem vtilior erit religioni.

§.152. *1. Arg.* Contra hanc doctrinam plura facere videntur. Primùm authores nonnulli Theologi, asserentes licere per se Principi fideli suvare infidelem in bello iusto; eoque iuvari. Hi sunt Pater Suarez, disputat. 13. de charitat. sect. 7. num. 25. Pater Azor, lib. 8. cap. 25. quæst. 13. Lorca, sect. 3. disputat. 51 à num. 4. *P. Suarez. Azor. Lorca. Resp.* Respondeo, eos authores affirmare in genere non esse per se illicitum auxilium præstare infideli in omni bello; quod ego censeo: quia vrgente gravi caussa potest Catholicus in bello iusto infidelem iuvare: at non affirmant id de omni bello iusto civiliter: immò omnes illi ponunt considerãdam in primis esse religionis caussam; & vitandam scandali occasionem.

§.153. *2. Arg.* Secundum argumentum: quia David paratus fuit ad pugnandum pro Achis Rege Philistinorum contra Saulem Regẽ Israel, *1. Reg. 28.* 1. Regum 28. *Dixitq; David ad Achis; nunc scies quæ facturus est servus tuus:* Glossa interlinearia, *pro te contra hostes tuos:* itaque David spopondit pugnam contra Saulem: eaque propter Achis repromisit Davidi præfecturam sui satellitij: *& ego custodem capitis mei ponam te cunctis diebus.*

Hac de re non levis est velitatio Abulẽsi nostro cum Lyra: hic enim in hunc locum opinatur, Davidem nequaquam mẽtitum; sed verè animum induxisse pugnare contra Saulem: quia David habebat ius in regnum Israel, quod occupare sperabat armis Philistinorum, quibus inde pulsis ipse religioni provideret. Abulensis autem, quæst. 5. in id caput constanter probat, Davidem noluisse pugnare; sed tunc esse mentitum, vt sæpe eâdem in re, asserentem se pugnasse cõtra Philisteos. Item ait Davidem noluisse pugnare contra Regem Achis, cuius erat hospes; sed contra alios Reges, & Satrapas Philistinorum. §.154. *Abul.*

Respondeo primùm: Davidem nisi vrgente occasione pressum non potuisse in suos pugnare etiam in bello iusto: quia lege charitatis patriæ tenebatur abstinere à cœde suorum: qui secùs efficiunt, malè apud omnes audiunt: vt Carolus Borbonius. Vide §.158. constat autem Davidem gravi occasione spopondisse pugnam: si enim eam negaret, exponeretur aperto vitæ periculo, quia occideretur ab Achis: ea autem pugna erat licita Davidi, quia erat contra Saulem, à quo iniustè, & crudeliter petebatur ad necem: item contra Israelitas ministros Saulis: qui sæpè eum fuerant persequuti, & obsederant: exulabat enim iniustè è patria, & regno, propter Saulem, eiusque ministros. Quòd si Saul fuisset victoriâ potitus, nullus erat Davidi locus securus: eum enim, vt æmulum regni, insequeretur Saul, & Philistini in eumdem Davidem rabiem convertetent de amissa victoriâ: hæc autem reddebant iustam pugnam Davidis, esto Philistinis esset iniusta. Potuit ergò licitè pugnare David: vt ait Lyra. §.155. *Resp.*

Arbitror tamen Davidem non pugnaturum contra Saulem: de quo egregias adducit coniecturas Abulensis ea quæst. 1. Nec titulus regni erat satis solus; quia Deus non privaverat regno Saulem viventẽ: nec enim Samuel ei præcepit, vt eo se abdicaret; sed eum privavit iure hæreditario in posteros. Quapropter David non potuit vi extorquere regnum: Nec fecisset, tametsi potuisset: nec enim armis; sed patientiâ fuit regno potitus: nec item pugnaret contra Regem Achis: qui ei multa beneficia donârat, maximè securitatẽ vitæ, & alimẽta: pugnaret autem contra cæteros, servaturus Regẽ Achis, ne aut occideretur, aut caperetur. Quare nec ei videtur mentitus: erat enim visurus quanta pro eo facturus erat David; equidem non pugnans cum Israelitis; sed efficiens ne partâ victoriâ à Saule, in eius manus incideret Achis: itaque in prælio §.156.

S.Tho. q. 10. Art. 9. cum tueretur, vt posset: & post victoriam, cum servaret incolumem.

§. 157. 3. *Arg.* *Resp.* Tertium argumentum contra hanc doctrinam: quia Princeps infidelis in bello iusto, patitur damnum absque culpa, estque innocens: at innocentem quilibet potest licitè tueri: ergò & infidelem. Distinguo maiorem: patitur absque culpa, ob quam affligitur ab aggressore, cōcedo maiorē: patitur absque culpa in religionem; nego maiorē. Distinguo item minorem: quilibet potest innocentem tueri, quando ex eius culpa oritur gravè damnum, nego minorē: & consequentiam. Quia ex defensione infidelis oritur culpâ defensi grave damnum in fidem.

§. 158. Quod constat exemplo: si meus frater iniustè alium petat; possum ego hunc tueri absque fratris nece: at si eum aliter ego tueri non possum, nisi fratrem occidens; non teneor illum occidere, quia lex charitatis non me tenet cum tanto discrimine: & eâdem lege ego teneor primùm fratri, quàm vicino. Quòd si ex nece mei fratris grave damnum oriretur meis parentibus; peccarē ego illum occidens, quia lege charitatis primū ego teneor avertere à meis parentibus grave damnum, quàm à vicino: quia ergò religioni plus debemus, quàm amico, tenemur abstinere ab eius ope, licèt petatur iniustè; ne ex eius defensione grave damnum in religionem emergat. Quod vitare teneor, nisi vrgear gravissimo incommodo, vt iam dixi §. 150.

§. 159. 4. *Arg.* Quartum argumentum est ab exemplo Caroli Quinti Regis Hispaniæ, qui Cæsarianas Aquilas adiunxit Anglico Leoni; inito fœdere cum Henrico Octavo hæretico tunc publicè denuntiato: vterque autem Rex vexavit Franciscum Gallum devastata Picoardiâ.

Resp. Respondeò: id effectum Numine providente, vt qui Turcico gladio cæciderat baptizatos, hæretico puniretur flagro. Nec Hispanus opem tulit Anglo; sed cùm ipse bellum iustum gereret cum Francisco fœderato cum Turca; Carolus in auxilium vocavit hæreticum: qui tunc nihil curabat de hæresi prædicanda in Gallia; sed de fruendis voluptatibus in Anglia.

SVBSECTIO III.

Licet Fideli accersere infideles socios.

§. 160. LICERE Principi Catholico vti infidelium armis in bello iusto in alium Catholicum, communi firmatur Theologorum assensu, Ioannis Maioris in 4. dist. 15. quæst. 21. Silvestri, verbo *bellum*, 1. quæst. 8. num. 9. Qui duo requirit: alterum, vt bellum sit iustum; alterum, vt sit necessitas gravis infidelis accersendi: absque ijs censet id minimè licere. Quæ & vera sunt; & favent doctrinæ propositæ §. 150. & 152. Dominici Bañez, 2. 2. quæst. 40. art. 1. dub. 3, idque confirmat ex Caietano, & consultum esse testatur Carolo Quinto à Theologis. Patris Molinæ, tom. 1. de iustitia, disp. 112. fine. Patris Azoris, tom. 1. lib. 3. cap. 25. quæst. 13. Pater Suar. disput. 13. de charit. num. 25. Petri Lorcæ, sect. 3. disputat. 51. à num. 4. 5. Anton. & aliorum. *Maior.* *Silvest.* *Bañez.* *P. Mol.* *Azor.* *P. Suar.* *Lorca.*

§. 161. *Obiectio.* Moventur primùm: quia Machabæi fœdus iniere cum Romanis, & alij Reges cum Ethnicis. Secundò, quia feris vtimur in bello. Tertiò, quia licitum est fideli ferre auxilium infideli contra fidelem: ergo & vti infidelium auxilio. Antecedens probant primùm: quoniam Abraham auxilium tulit Regi Sodomorum. Secundò, quia Ionathas opitulatus est Demetrio. Tertiò, quia David illud etiam præstitit Regi Achis.

§. 162. *Resp.* Hæc non vrgent: quia Machabæi, alijque Principes accersivere Romanos in infideles; de quibus non agimus. Ad secundū nego exemplum valere: quia feræ solùm nocent corpori: quod licitum est in bello iusto; ac propterea ipso belli iure absque alia necessitate possumus vti feris, vt gladio, & machinâ: at infideles sunt perniciosi moribus victi, atque victoris. Vndè absque vrgenti necessitate solo iure belli non possumus eis vti. Ad tertium nego antecedens: est enim clarum non posse fidelem infidelibus opitulari, nisi ad propulsandum grave damnum, quod aliâ ratione non possunt fugere. Ad probationem, Abrahamus contra nullum fidelem opem tulit infideli; sed vel infideli contra infidelem; quales erant Reges; vel si non erant infideles, erat vterque fidelis: immò ipse solus bellum intulit Regi iniusto: in eius administratione ipse absque vllo periculo in bonos mores aciem instruxit: nec absque gravi damno poterat bellum omittere propter Loth captum. Ad secundum, Demetrius in nullum fidelem bellum gessit ope Machabæorū; sed in infidelem tyrannum. Ad tertiam probationem constat ex §. 158.

§. 163. *Probat.* Probatur ergò conclusio posita §. 160: quia interdum potest bellum administrari absque incommodo religionis; quia infideles sunt in exiguo numero; & eâ lege militant, nequid in Catholicorum religionem moliantur; possuntque supplicio compesci: tunc nullo ex capite est illicitum eorum auxi-

auxilium: bellum enim est iustum; nec ex infidelium copijs oritur aliud incommodum, quàm ex fidelium: eâ ratione Iulius Secundus cùm Bononiæ anno 1511. obsideretur exercitu Gallorum, & Ferrariensiû, excepit paucas cohortes Turcici equitatus missas à Venetis; quia ope, & exercitu Ferdinandi Regis Catholici, & aliorum poterant cohiberi: eâdem ratione Carolus Quintus vsus est Germanis hæreticis: qui quamvis in suis stationibus hæreticè multa facerent; at aliorum religionem minimè tentaverunt. Nec solus Carolus Rex Germanorum, qui illius parebant imperio; sed Franciscus Galliæ Rex ijsdem est vsus hæreticis. Quapropter in prælio Papiensi, vbi captus est Gallus, Cæsariani Germani ita sævierunt in Germanos Gallo militantes, quòd in naturalem Regem arma sumpserint, vt omnes trucidarent. Vndè constat non semper esse illicitam infidelium opem; hæc autem cum hâc circumstantiâ licita est ex solo iure belli, absque alia necessitate: quia nihil agitur contra religionem, aut mores.

§. 164. Idem probatur, quando ex infidelium copijs imminet aliquod periculum hosti: quia actio Principis evocantis infideles, nõ est ex se mala, sed bona; per accidens autem & indirectè est causa mali, quia infidelis natus occasionem crudelior est in victos, eosque abducit cum Fidei periculo: at ego non teneor cum tanto discrimine providere iniustorum hostium saluti: ipsi enim mihi ferrum flammamque minantur, direptionem bonorum, subditorum servitutem, idque genus lacrimabiles ærumnas: cur ergò tenebor ego illas omnes perferre, ne mei milites sint ipsis aliarum occasio? ipsi sibi provideant; nec me iniustè lacessant. Si ego iter agens me à grassatoribus defendo, non pecco eos obtrucans: quando gravissima damna aliâ ratione vitare non possum; quamvis ferè sum certus eos ad inferos detrudendos, quia defensio est mihi licita: grassatoris dãnatio nõ sequitur ex eâ directè; nec ad eam vitandam ego teneor cum tanto discrimine: idem contingit in bello, quando aliâ ratione non me possum tueri: si autem possum, non mihi licet illud auxilium; quia charitas me obligat ad illa damna vitanda, quã do absq; gravi incommodo proportionato possum.

§. 165. Hanc tamen doctrinam impugnare nõ nulla videntur: primùm, quia à Clemente Quinto in Concilio Viennensi, lib. 2. clem. de iure iurando. §. *porro præter iuramenta*, inter iuramenta Romanorum Imperatorum hoc quoque refertur. *Numquam cum Sarraceno, Pagano, Schismatico, seu alio quolibet communionem Catholicæ Fidei non habente; aut cũ aliquo alio præfatæ Ecclesiæ inimico, vel rebelli, seu eidem manifestè suspecto, vnionem quamlibet, vel parentelam, aut confœderationem inire.*

§. 166. Maior. Maior in 4. dist. 15. quæst. 21. respondet Papam egisse cum Imperatore, qui regnum accipit ab Ecclesia cum ea conditione, at cæteri Principes id non habent ab Ecclesia. Non acquiesco: quia sæpè Imperatores ineunt fœdus cum infidelibus: vt nunc Ferdinandus Secundus Imperator admodũ Catholicus cum Duce Saxoniæ. Intelligo iuramentum, quando Imperatorium ius defendi potest absque fœdere cum infideli; si autem non potest, nullum est iuramentum: vt nunc funditùs everteretur religio in Germania, Bohæmia, & Hungaria; nisi Catholicis exercitibus Ferdinandi Imperatoris, & Philipporum Tertij & Quarti Hispaniæ Regum, adiunctæ fuissent hæreticorum copiæ: item Pontifex excludit fœdus vergens in Romani Pontificis perniciem: subijcit enim. *Sed tàm nostram, quàm successorum nostrorũ personas, honorẽ, & statũ manuteneret, defenderet, & conservaret, &c.* ex ergò dictio adversativa *Sed*, opponitur fœderi cõtra personam honorem, & statum Pontificum.

§. 167. 2. Arg. Resp. Secundum argumentum: quia scriptura sæpè reprehendit Israelitas, quòd arma cõiunxerint cum Ethnicis. Respondeo, non reprehendi fœdus secundum se; sed cum aliquâ circumstantiâ prava; vel periculi in religionem, vel diffidentiæ. Nõ enim est sperandum auxilium, nisi à Deo, qui movet corda sociorum, & acies dirigit in suorum salutem: hoc autem non tollit prudentem diligentiam. Non reprehenduntur Machabæi in scriptura, quòd fœdus inierint cum Spartiatis, atque Romanis: quia eorum spes non erat in Romanis, sed in Deo: David autem obiecit Philisthæo spem in armis; ipseque speravit in solo Deo; at propterea non prætermisit armaturam; prius enim tentanda censuit arma Saulis; deindè electis quinque limpidissimis lapidibus aggressus est pugnam. Non ergò humana diligentia damnatur, sed immodica in illâ confidentia.

§. 168. 3. Arg. Tertium argumentum est à damnis, quæ infideles afferunt Christianis. Iam ostendi §. 147. non licere ad vitandum quodvis dãnum, exponere proximum gravissimis incommodis; si autem ipsi suo se vitio illis exponunt indicto mihi bello iniusto, & periculoso, illorum vitio vertitur, non meo vitæ inculpatâ defensione. Alioquin hinc scelerati ansam arriperent ad vexandos bonos, qui illis non obsisterent cum gravi nocentium ipsorum damno.

SVB-

S.Tho. q. 10. Art. 9.

SVBSECTIO IIII.

Animadversio animadversione digna.

§. 169. QVIA verò regnandi cupiditas effrænat homines, agitque præcipites in omne scelus; operæpretium duxi proponere prudentem observationem Ioannis Maioris in 4. dist. 15. quæst. 21. vbi asserit licere Catholico vti militibus infidelibus in eo numero, quo illos posit compescere. Vndè assero: nulli licere vnquam tantam infidelium copiam advehere, vt posint regnum, aut vrbem, de qua agitur, occupare. Itaque non licet evocare ingentem Turcarum classim, quæ potiri posit aliquo Christianorũ portu; nec exercitu potente occupare vrbem; aut erigere munitionem; vbi expectare possint vberiora à suo Principe subsidia: idem dixerim de hæreticis, cæterisque infidelibus.

Maior.

§. 170. Prob. 1. Id probo duobus evidentibus argumentis. Primùm: quia damna inferenda ab infidelibus excusantur à culpâ fidelis Principis; quando ipse potest securus suo regno potiri: eius enim quieta possessio tanti æstimatur, vt non sit postferenda gravissimis impugnantium eam incommodis; sed evocare ingentes infidelium copias æqualis periculi est amittendi regnum, ac resistere hosti fideli absque illis auxilijs: ergò non licèt evocare infideles. Minor probatur; quia exercitus infidelis vltrò admissus intra regni viscera, potentior est ad illud occupandum; quàm qui hostiliter agit extra regnũ: at infidelis semper appetit fidelium regna: ergò non est minus periculum infideles accersere, quàm sine illis pugnare: immò periculum est multò maius: quia semper est timenda infideliũ perfidia; estque magis implacabilis eorum in Fideles furor: nec verò imminent solis fortunis; sed multo avidiùs religioni: vnde non potest Catholicus se, & regnum infidelium exponere voluntati.

§. 171. Probat. 2. Secunda ratio: ius regni est posthabendum religioni ipsius regni: quod regnum iniustè petatur à Principe Fideli, qui in eo nihil est contra religionem acturus: & Princeps iniustè petitus, non posit illud tueri, nisi evocato exercitu infideli; non efficit, vt licitè posit infidelis in tanto numero admitti. Probo: quia ius regni est præcipuè in bonum subiectorum; sed tunc esset religioni subiectorum perniciosa defensio, cum exercitu infideli: ergo non est licita. Minor probatur: quia tunc est ingens periculum, vt infidelis victor traducat ad se regnum, & religionem, vt sæpe contingit.

Addo, si Catholicus non posit se tueri, nisi evocato Principe hæretico; qui non sit vsurpaturus regnum; petit autem libertatem conscientiæ in regno penitus Catholico, non licet Catholico hæreticum vocare: quia id est in apertam regni perniciem. Nec ipse potest tanti æstimare temporalẽ Principatum, quanti sui regni Catholicam fidẽ. Quòd si non potest aliter regnare, signum est Deum non velle efficaciter, vt ipse regnet; sed eius constantiam probare in spernenda regia gloria pro divina. §. 172.

Vt autem constet, quàm inaniter nonnulli Christiani Principes sint delusi spe in infideli exercitu collocata: alij verò quàm prudenter eos fecerint excludendos; nec vllum imperium amissum ob spretos; sed ob evocatos infideles; considera quantùm fuerit afflicta respublica Veneta anno 1509 cùm in eam conspiràverint Germanus Imperator; Reges Hispanus & Gallus; & ipse Pontifex Iulius Secundus: qui ei reipublicæ eripuerant non vrbes; sed provincias: ei obtulit vltro auxilium Bayacetus, quod ipsa constanter recusavit; timens ne rempublicam occuparet tyrannus specie subsidij, inter pacis fœdera: vt postea Cyprum eripuit Selynus anno 1570. Resque ita composuit Deus; vt paulò post Christianorũ Principum, & maximè Pontificis operâ, Venetis omnia fuerint restituta. §. 173.

In Græcorum capite sapuerat sapientissima respublica: cùm enim Græcorum Imperator Ioannes Paleologus graviter esset afflictus; censuit se posse levari Amuratis armis: advexitque in Græciam anno 1363. navibus Genuensium, Turcarum sexaginta millia: qui pulsis hostibus totam Græciã redegerunt in provinciam, occupatis præcipuis vrbibus; Imperator autẽ Christianus factus est vectigalis Mahometanis; à quibus tandem fuit imperium extinctum: etenim anno 1374. Emanuel Ioannis Filius, privatur Thessalonicensi Principatu. Bayacetus autem anno 1384. ob dissidium Ioannis, & Andronici, opem ferens Andronico totâ Græciâ sensim potitur. §. 174.

Nec successit fœlicius Hungaris auxiliũ Solymani: cùm enim Ferdinandus Primus Imperator, iure, & pacto peteret regnum Hungariæ; illud tradere recusavit Isabella Regina, vxor Regis Ioannis Sepusij; mater verò Stephani Sepusij pueri: obtulit ei Ferdinandus provincias, & copias ferè Regias: omnes sprevit fœmina decepta à suis, ac se munivit exercitu Solymani: qui crudeli strage à suis in Christianos factâ, occupavit §. 175.

vit anno 1521. Belgradum, & alias vrbes; deliberans autem de educando puero, parum abfuit, quin eum traduceret Constantinopolim imbuendum Mahometismo. Regina verò iuvenis pulcherrima, fuit in barbari arbitrio, qui eam non attigit, quia noluit; non verò quia non potuit: ipsaque & filius privati regno, ignobiliori fortunâ sunt agitati, quàm offerebatur à Catholico Ferdinando: itaque vnus segnis Imperator & alia fœmina malè consulti, reipublicæ Christianæ ademerunt Græciam, & Hungariam.

§. 176. Obiectio. Resp. Dices, Franciscum Primum Galliæ Regem vsum armis, & classi Turcica, eiusque præfecto Hariadeno Ænobarbo, vulgò, *Barbaroxa*. Respondeo: Regem illum virtutes verè Regias, quibus effulsit, eo facinore obtenebrasse: adduxit enim Christianum orbem in summum discrimen; Galli enim (teste Paulo Iovio) enixè contendebant, vt Barbaroxa occuparet in Italia portum, cuius adventu vniversa expavit Italia; conspicata in suis litoribus anno 1543. centum & decem magnas triremes, & quadraginta minores. Nec potuit impetrare Pollinus, vt abstinerent Turcæ à direptione Nizæ, & aliorum oppidorum; immò & Tolone innumeros Gallos obtruncarunt Turcæ; actique sunt in captivitatem infiniti Christiani; & rapta in matrimonium Christiana puella, & (vt aiunt) coacta renuntiare Christo. Ob quæ Franciscus Rex clarissimus omnium animos exacerbavit; nec deinceps vsus est fortuna fœlici: Carolus enim Quintus rectà Parisios petens, eum tantùm depressit, vt tota Gallia videretur capienda; Henricus autem Octavus Picardiam devastavit: & quamvis ad Ceresolam Gallicus exercitus fudit Hispanum, fuit fato tam infœlici Gallis: è quibus tàm multi desiderati sunt in prælio, quàm è nostris: & quidem iustè vtrumque. Nam occisorum multitudo fuit è Germanis hæreticis; qui diu in Christum blasphemaverant: Hispani autem contrito Gallorum dextro cornu, victoriâ adepti, redeuntes in castra; invenerunt Germanos obtruncatos. Itaque Catholici è nostro exercitu cæsis hostibus se receperunt; hæretici autem periere. Franciscus ergò in nullo est vsus fortunâ secundâ post accersitum Turcam, regnumque traductum est è familia Valoysiana ad æmulam Borboniam.

§. 177. Cùm verò Henricus Secundus Francisci filius inito fœdere cum Petro, & Carolo Carraffa, vocandum iterum curaret Turcã; qui litora Sicula, & Neapolitana excurrenda susciperet; vsus fuit fato non meliore. Misit in Neapolim vndecim equitum millia: è quibus complurimi fuerunt trucidati ab Hispanis; cæteri redierunt inglorij, dato salvoconductu à Duce Albano: Rex ipse interfectus in hastiludio lamentabile spectaculum factus est Orbi: eius regnum in filijs malè extinctis extinctũ, datum est Borbonijs: Petrus & Carolus Carraffa capitibus plexi à Pio Quarto, & in publico Ponte locati exemplo fuerunt mundo, nequis appetat aliena regna. Quæ comperies in Historia *de Bellis Campaniæ*. Sic Deus afficit primos Turcarum amicos, secundos & tertios eâdem ratione affecturus, augens Hispanorum regna, cum Turcis perpetuò bellantiũ; vt & nunc Polonorum serenissimi Ferdinandi Secundi.

SECTIO V.

De communicatione cum infidelibus in instrumentis ad religionem spectantibus.

CONSTAT ex disputat. 48. sect. 3. licere circa religionem nonnullas actiones; quæ non sunt propriè cultus; quamvis exerceri soleant ab infidelibus. Item ostendi hac disputat. à §. 107. licere remigi Christiano navim remis agere, etiam in ipso certamine, vrgẽte gravissima necessitate. Quia remigium non est pugna; nec pugnæ pars; sed quædam conditio antecedens indifferens de se; qua abutitur Turca ex pravo affectu: quem abvsum ego non teneor vitare cum gravi meo incommodo: de quo differam inferiùs agens de obligatione vitandi aliorum incommoda. §. 178.

§. 179. Lorca. E quibus deduco: licere, vrgente necessitate gravi, ministrare Iudæo agnum, quem emit immolandum. Lorca, quæst. 10. in art. 9. num. 6. asserit, non licere agnum præbere Iudæo parato ad sacrificium; licere tamen, quando eum non petit tàm proximè expeditus ad sacrificium: verùm parùm refert Iudæum esse paratum, vel imparatum: nisi inde absit probabile iudicium de eius abvsu, quod vult etiam ipse Lorca Considerandum est ergò, vtrùm hæc instrumenta sint ex pravo ea petentis affectu addicta irreligioni; vel non. Si primum, non possunt licitè dari absque caussa damni proportionati: si non sunt addicta, possunt dari; licere autem, vbi Iudæis permittitur lex vetus, eis agnum vendere, docent plurimi: vide P. Marianam de spectaculis. P. Mariana.

Hæc

S.Tho. q. 10. Art. 9. §. 180. Hæc autem caussa non est in omnibus eadem, quia materia remota, vt licitè detur, non eget tanta caussâ, quantâ proxima: de quo agendum cùm de scandalo disseratur disputat. 173. Recognosce Silvest. *infidelitas*, quæst. 4. Magistrum Bañez, in quæst. 10. art. 11. Patres Valentiam, dist. 1. quæst. 10. punct. 5. Thom. Sanchez, lib. 1. summæ, cap. 7. Suar. disputat. 10. de charit. sect. 4. nu. 7. vbi distinguit actionem remigum à donatione statuæ, quòd illa est cooperatio; non hæc.

Silvest. Bañez. Valent. Th. Sanch. P. Suarez.

§. 181. De sculptura, aut pictura Idoli est dubiũ: & quidem ea est licita; quando nec quæritur, nec timetur idololatria; cùm autẽ timetur, dico peccare contra religionem, qui eã præbet absque vrgentissimo damno. Probatur: tùm ex lege charitatis; tùm quia omnis virtus obligat, vt vitentur omnes occasiones eam violandi: vt pono ex disputatione de scandalo; si autem non possum ego non præbere idolum absque gravi damno proportionato; non pecco in eo dando. Ita authores adducti censent vniversim, nullũ teneri cum gravi damno proportionato ad vitandum aliena damna, quia hæc actio non est cooperatio ad idololatriã; sed est prævia materiæ ostensio, qua abvtitur infidelis: idẽ dixerim de ædificio phanorum; nisi quòd minor caussa excusat. Quia vbi permittitur Iudæis Synagoga, possunt opifices eam struere: vt cum multis docet Pater Mariana.

P. Mariana.

§. 182. *Obiectio. 1 Resp.* Dices primùm: S. Claudium, & eius socios noluisse fingere simulacrum. Responderi posset primùm: eos sibi esse persuasos id esse illicitum; & more Martyrum mortem objisse, ne agerent contra conscientiæ dictamen. Secundò, eos id rectè fecisse; sed absque obligatione; maximè cum statua peteretur, non ad cultum; sed ad ornatum stagni, vt multi Martyres publicè Christũ confessi sunt, quando licitè poterant se occulere, atque tacere. Tertiò respondeo; tunc fuisse signũ maximè notũ idololatriæ finge re statuas, à quo illi meritò abstinuere: quorum nomina celebrat Ecclesia die octava Novembris: conclusio autem est quando sculptura nulli est argumẽtum de sculptoris infidelitate.

§. 183. *Obiectio. 2 S. Thom.* Objicies secundò. S. Thom. 2. 2. quæst. 169. art. 2. ad 4. vbi ait, peccaturum hominem exercentem artem, cuius opere nullus possit, nisi malè vti: vt qui idòla efficeret. Silvester *infidelitas*, quæst. 4. respondet loquutum S. Thom. de artifice volente suo opere compleri idololatriam aliorũ: at Silvester fugit, non exponit S. Thomam, discrimen adducentem inter artificem, cuius operibus nullus potest benè vti, & eũ; cuius opere possumus & vti, & abvti: at si hic secundus eo animo operaretur, etiam peccaret: ergò sentit S. Thomas structuram idoli esse intrinsecè malam.

Silvest.

Respõdeo: rectè id dictũ à S. Thoma: quia qui se addicit illi arti; ipse absque necessitate se facit scandalum; cum posset aliam artẽ exercere. Vnde Histriones gravissimè peccãt, & sunt per se (vt nũc Histrioniam exercent) in statu peccati mortalis: quia nulla necessitate compulsi se addicunt arti, quam sciunt esse laqueo infinitis spectatoribus: at non agit S. Thomas de eo, qui casu cogitur ad efficiendum idolum: vt nunc non peccaret Histrio in agenda fabula Leandri ad vitandum grave damnum. §. 184. *Resp.*

SECTIO VI.

De communicatione in matrimonio cum hæreticis.

NON ago cum hæretico publico clerici percussore, aut speciatim denuntiato: cum quo matrimonium est eâdem ratione illicitum, ac cum Catholico, spectata excõmunicatione. Vndè, vt in Germania Catholicus non potest licitè vxorem Catholicam ducere publicè & nominatim excommunicatam; ita nec hæreticam eâdem ratione excommunicatam. Ago igitur de matrimonio inter hæreticos externos non excommunicatos nominatim. §. 185.

SVBSECTIO I.

Valet matrimonium inter hæreticos.

DICO primò: inter hæreticos est legitimum matrimonium. Probatur primùm, quia §. 235. ostẽdam, esse legitimum matrimoniũ inter non baptizatos infideles: ergò & inter infideles baptizatos; quæ consequentia est evidentissima. Secundò, quia in omnium consensu filij hæreticorum in Germania, Gallia, & Anglia, non sunt spurij; sed legitimi, & hæredes honorum, & fortunarum parentum: nec fœmina hæretica hæretico nupta censetur §. 186. *1. Concl. Probat.*

eius

eius Scortum, sed vxor; si autem vterque revertatur ad fidem; non iteratur matrimonium; nec in confessione sunt expositurí actus coniugales; vt sunt expositurí actus cum alienâ personâ. Nec Ecclesia irrita reddidit ea matrimonia: nullibi enim est aut lex, aut consuetudo; sed, vt multi contractus sunt validi inter hæreticos; ita & hic, qui est maximè necessarius ad mundi conservationē. & vitanda innumera peccata.

§. 187. 2. Concl. Dico secundò, matrimonium inter hæreticos est verum Sacramentum. Probatur: quia matrimonium in ratione contractus est validum inter hæreticos: ergò & est Sacramentum. Probo consequentiam; quia in ratione Sacramenti nihil exigit præter contractum, nisi personarum capacitatem; sed hæretici sunt capaces huius Sacramenti, vt Ordinis; & vt efficiendi Eucharistiam, & absolvendi à peccatis: ergò est Sacramentum; nec Ecclesia eos reddidit incapaces, nec potest, nisi invalidatione contractus: quæ nullibi est. Confirmatur primùm, quia (Confirm.) vtroque converso non instauratur matrimonium. Secundò: quia vtroque discedente à fide, manere matrimonium ostendam §. 189: ergò & inter vtrosque infideles: quia vt perseverantia baptismi retinet Sacramētum matrimonij; ita & ratum facit. Tertiò: quia altero ad fidem converso non potest alter dimitti; neque novum iniri vivente alterutro. Quod non contingeret, nisi esset Sacramentum. Quapropter, siquis baptizetur, & eius coniux nolit baptizari; potest novum matrimonium inire superstite coniuge infideli.

SVBSECTIO II.

Hæresis non dissolvit matrimonium.

§. 188. 3. Concl. DICO tertiò: matrimonium contractum inter fideles non dissolvitur altero deficiente à Fide; sed integrum manet, quoad vinculum: ita vt superstite coniuge hæretica, non liceant Catholico novæ nuptiæ. Hæc propositio est tàm certa, vt Cœlestinus Tertius ab omnibus reprehendatur; quod in oppositum fuerit inclinatus. Innocentius Tertius, cap. *quæsivit*, & cap. *quanto*. de divortijs id asseruit: (Innoc.) damnans Cœlestini sententiam ijs verbis: *Licèt quidam prædecessor noster sensisse aliter videatur*. Glossa ait, eum fuisse Cœlestinum Tertium; eiusque sententiam olim extitisse in iure decretalium: ait autem Glossa: *& malè dixit Cœlestinus*. Alphonsus Castro, 1. de (Castro.) hæresibus, cap. 4. affirmat Cœlestinum ab hæresi excusari non posse; quòd censuerit dissolvi matrimonium per hæresim vnius cōiugis. Cardinalis Bellarminus, tom. 1. lib. (Bellarm.) 4. de Romano Pontifice, cap. 14. versu *respondeo nec*, Cœlestinum prudenter excusat; quòd tunc nihil erat definitum: nec eum loquutum fuisse authoritate Pontificis; sed privati Doctoris more id asseruisse: immò nec Innocentium egisse, nisi privato iure, quod sibi probabilius est visum, nullo modo Cœlestinum damnans erroris: at nūc nostra sententia est definita Trid. sess. 24. can. 5. Ratio Innocētij est optima: quia per- (Trid.) severante charactere baptismi, perseverant cætera Sacramenta, quæ de se sunt diuturna, quæ ratio non rarò ex S. August. reddi- (S. Aug.) tur à Gratiano in decreto 32. quæst. 7. cap. (Gratian.) 2. & alibi. Tandem: quia Sacramentum efficit matrimonium ratum; quod post cōsummationem à solo Deo potest dirimi vtroque coniuge superstite: quamvis possint, cum cautione iuris religionem inire.

§. 189. Vndè deduco matrimonium perseverare vtroque coniuge deficiente à fide: tum quia Concilium dixit apertè ob hæresim non solvi matrimonium. *Si quis dixerit ob hæresim, aut molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam à coniuge dissolvi matrimonij vinculum, anathema sit*. Secundò, quia filij deficientium à Fide non censentur illegitimi: nec actus coniugales peccata, nec iterandum Sacramentum, quando redeunt in Ecclesiam. Tertiò: quia dùm in vtroque perseverat Sacramentum baptismi, sunt capaces Sacramenti matrimonij: quod semel consummatum est insolubile.

SVBSECTIO III.

Catholicus potest ab hæretico coniuge separari.

§. 190. 4. Concl. DICO quartò: altero coniuge deficiente à Fide, potest alter ab eo separari, si cogat infidelis fidelem avocari à Fide: ita sancitur, cap. *quæsivit*, de divortijs. & cap. *quanto*. eodem titulo: tùm ob fidei dignitatem, ob quam iure privatur infidelis fructibus matrimonij: tum quia quoties vir cogit vxorem ad peccatum; potest ab ea separari: vt ostendam disputatione de matrimonio.

§. 191. 5. Conclus. Dico quintò: tametsi infidelis coniux non pertrahat coniugem ad peccatum vllū; nec

S.Tho. q. 10.Art.9. nec vivat cum contumelia cr[illegible] potest coniux fidelis infidelem relinquere ob solum crimen hæresis aut apostasiæ contractum post matrimonium. Probatur ex cap. *quanto*, de divortijs; vbi agitur de coniuge lapso in hæresim, aut paganismum; non verò in specie de trahente alium coniugem ad peccatum vllum; vt constat ex eodem cap. versu *si verò*: cùm autem Pontifex definijsset matrimonium durare; objicit coniugem fidelem privari absque culpa vsu matrimonij: & respondet id contigere etiã alias ob caussas: itaque sola desertio fidei sufficit ad separationem coniugum à mutua cohabitatione. Hæc clariùs sanciuntur cap. *de illa*, de divortijs; vt constabit §. sequenti: idque passim reperies: tùm quia iura iure invehuntur acerbè in hæreticos; tùm quia durum esset non licere vxori deficere ab homine deficiente à fide: à quo timere iure potest scandalum labendi in hæresim, & in alia hæreticorum peccata, quæ discuntur ex illorum assuetudine. Itaque si hæreticus pertinax sit in non resipiscẽdo, deseri potest: at expectari debet aliquandiu an resipiscat.

§. 192. 6. Concl. Dico sextò: non est opus sententiâ Ecclesiæ ad hanc separationem; sed privata authoritate accepta à iure communi: & ob crimen coniugis, potest fidelis coniux ab infideli discedere. Constat hâc de re in cap. *de illa* de divortijs ijs verbis: *De illa, quæ viro suo labente in hæresim, ipsius consortium sine iudicio Ecclesiæ declinavit, videtur nobis, quòd mulier (maximè si eâ intentione discessit, vt lapsus in hæresim tædio pariter, & confusione affectus, se ab errore suo converteret) ei, cùm reversus fuerit, est reddenda*: vbi Vrbanus Tertius nõ præcipit reddendam vxorem separatam sine Ecclesiæ iudicio, nisi coniux revertatur ad fidem: quia illa separatio est iusta; vt constat ex §. 191.

SVBSECTIO IIII.

Catholicus quando cogitur redire ad hæreticum?

§. 193. 7. Concl. DICO septimò, mulierem authoritate propria separatam à viro suo ob hæresim debere ad illum sponte, aut coactam redire conversum iam ad fidem. Hæc conclusio statuitur cap. *de* Th. Sanch. *illa* de divortijs, in qua omnes conveniunt: vt constat apud P. Thom. Sanchez, tom. 3. lib. 10. disp. 15. num. 13.

§. 194. 8. Concl. Dico octavò: probabile est post sententiam posse compelli Catholicum ad reditum, nisi religionem intret. Ita P. Thom. Sanchez, ea disputat. 15. num. 18. pro qua Th. Sanch. plures adducit, cui favet P. Rebellus adducendus §. 207. At oppositum statuitur de Rebel. illa, quæ authoritate Ecclesiæ decessit, ijs Obiectio. verbis: *Si autem iudicio Ecclesiæ ab eo recessit; ad recipiendum eum nullatenùs dicimus compellendam*, cap. *de illa*, de divortijs. Respondeo, tunc Pontificem noluisse præcepto ob- Resp. stringere coniugem fidelem ad reditum cũ infideli; hoc tamen mitigavit Innocentius Innoc. Tertius, cap. *quanto*, de divortijs; vt constat ex glossa capitis *de illa*, ijs verbis: *Sed hoc, quod in fine dicitur, corrigitur per capitulum sequens. Nota quòd, cessante caussâ, cessat effectus*: vbi glossa & hanc conclusionem probat, & decretum Vrbani esse correctum Innocentij lege.

Et quidem cap. *quanto*, de divortijs fine, §. 195. ex principijs ibidem iactis; ait Innocentius dirimendam esse quæstionem, vtrùm redire cogatur coniux fidelis ad infidelem iam conversum? quia nimirùm cogi debet; sicut ex ijsdem principijs ostenditur hæreticos non esse matrimonio solutos ob hæresim. Quod docet glossa asserens cogendum esse coniugem fidelem ad reditum cum iam converso, sive anthoritate Ecclesiæ, sive privatâ sit separatus: Glossa capitis *de illa*, fine, conatur vtrumque componere: vt ea, quæ authoritate Ecclesiæ fuit separata, non compellatur absolutè redire; sed permittatur religionem intrare: in quo sensu loquutus est Vrbanus: Innocentius autem voluit eam compelli: at non ei vetuit religionis ingressum, quæ authoritate publica fuit separata; estque hæc omnium optima interpretatio. Nec illi duo Pontifices diversa docuere, vt ostendam §. 200.

Objicies meliùs asseri ab Vrbano, non §. 196. esse cogendam ad reditum, quæ authorita- Obiectio. te Ecclesiæ fuit separata: quia, quæ ob mariti adulterium separatur authoritate publicâ, non cogitur ad virum redire: ergò nec, quæ ob infidelitatem. Glossa capitis *mulier*, de conversione coniugatorum, negat consequentiam, quia vir non cogitur redire ad adulteram; quia contraheret bigamiam; & ob eam, irregularitatem. Quam glossæ rationẽ iuvare possumus; quia mas & fœmina sunt in hac parte pares, vt ratione constat; & ex 32. quæst. 1. cap. *si quis vxorem*; & cap. *quæsivit*, de divortijs.

Hæc tamen ratio mihi nõ probatur: pri- §. 197. mùm, quia non dat ius æquum vtrique parti: quia marito dat ius directum; vxori autẽ indirectum: quia ille non cogitur redire ad adulteram propter irregularitatem vitandam; fœmina autem non propter aliud, quã propter æqualitatem iuris. Secundò, quia

facultas

facultas discedendi à coniuge adultero non oritur ex intrinseco conceptu matrimonij, & adulterij; sed ex lege extrinseca bigamiæ. Itaque, si nulla esset irregularitas in bigamos, non posset vir discedere ab adulterâ emendatâ. Tertiò, quia sæpè cogitur aliquis ad actionem, ob quam est irregularis; ex suppositione, quòd sit in aliquo statu, v.g. qui secundas nuptias inivit, tenetur matrimonium consummare, vel ingredi religionem; at ob consummationē secūdi matrimonij contrahitur bigamia, & irregularitas; non verò ob solas nuptias. Item Iudex tenetur agere in patibulum homicidas: eâdem ergò ratione teneretur ad recipiendam adulteram, ex suppositione quòd eam duxit vxorem; licèt futurus sit irregularis.

§. 198. *Resp.* Respondeo, nullum teneri ad adulterum redire (nisi certas ob caussas accidētarias, de quibus non agimus:) teneri autem ad iam conversum. Quòd adulterium est iniuria facta alteri coniugi; & quamvis non possumus vindictam quærere; sed tenemur animo condonare iniurias; ita vt Deus illis remittat, sibique reconciliet eos, à quibus eas accepimus: at non tenemur ad non exigendas à iudice pœnas temporarias, quas nobis debent iniurij; separatio autem à coniuge adultero, est pœna debita alteri coniugi: in cuius potestate est eam condonare, aut exigere: ac propterea cogi non potest ad reditum; infidelitas verò non est iniuria coniugis alterius: qui in nullam pœnam acquirit ius; separatioque est licita propter pericula coniugis fidelis; & vt infidelis resipiscat: at eo converso hæc omnia cessant. Quibus fa-
§. Greg. vet S. Gregorius adductus distinct. 50. cap. *ferrum*: quod enim ibi de prædicatione dicit, huc quadrat, quando Ecclesia superstitem servat hæreticum iam conversum ad fidem.

SVBSECTIO V.

Separatus iudicio Ecclesiæ non cogitur redire.

§. 199. 9. Concl. DICO nonò: coniux separatus ab alio ob infidelitatem, non potest illo invito religionem inire, si propria authoritate, & non per sententiam Ecclesiæ, separatus fuit; si verò separatio fuit per Ecclesiæ iudiciū; potest altero invito religionem inire, etiam post cōversionē. Hæc conclusio est in cap. *mulier* de conversione coniugat. *Mulier, quæ in fide remāsit, potest, nolente viro, qui ab infidelitate revertitur, propter quā ab eo fuerat iudicio Ecclesiæ separata, ad religionē liberè cōvolare.* Vbi glossa observat argumentū à contrario: quia, si ad convolandum ad religionē, mulier est separata authoritate Ecclesiæ; quæ hac authoritate nō est separata, non potest convolare: & quidem huic facit sententiæ cap. *de illa* de divortijs, quia, quæ separata est authoritate privatâ, compellenda est ad reditum; secùs quæ authoritate Ecclesiæ: quia hæc non est compellenda absolutè, sicut illa: nam hæc permittitur religionem inire; non verò illa: vnde altera compellitur absolutè, secùs altera. Quæ est optima duorum textuum conciliatio: in cap. *quanto* de divortijs, dicitur absolutè cogendum esse ad reditum cōiugem fidelem. Quod glossa eius capitis in fine intelligendum vult; nisi velit religionem intrare ille, qui authoritate Ecclesiæ fuit separatus ob alterius infidelitatem.

§. 200. Greg. 9. Itaq; Gregorius Nonus in cap. *mulier* declarat facultatem coniugis authoritate Ecclesiæ separati, ad ingressū religionis. Hanc eamdem facultatem indicat Vrbanus Ter-
Vrban. tius cap. *de illa*: non quòd velit illum coniugem non esse cōpellendum, si manere velit in sæculo; sed quia si vult religioni dare nomen, potest: ob quod non est compellendus absolutè; vt est compellendus, qui authoritate privata secessit ab altero: qui absolutè est ad reditum compellendus; tametsi velit religiosus esse. At Innocentius Tertius, non
Inn. faciens verbum de ingressu religionis; sed ponens sententiam Gregorij Noni, dicit cōiugem compellendum ad reditum: subintellige autem cum glossa; nisi velit esse religiosus, vt vxoratus dicitur teneri ad cōsummationem matrimonij; subintellige; nisi velit religionem inire.

§. 201. 10. Concl. Dico decimò: qui authoritate Ecclesiæ discessit à coniuge hæretico, non est compellēdus ad reditū, aut ad religionē; sed liberum est illi manere in sæculo abiunctum ab altero coniuge, aut religionem inire, aut initiari sacris. Quæ doctrina est P. Th. Sanch.
Th. Sanch. lib. 10. disp. 15. nu. 19. estq; communior, & Doctorū complurium, quos ibidē adducit. Ac primū est expressa lex Vrbani III. cap.
Vrban. 3. *de illa* de divortijs. *Si verò (inquit) iudicio Ecclesiæ ab eo recessit, ad recipiendum eum nullatenus dicimus cōpellendā.* Hæc autē lex nullibi abrogatur: etenim Innocētius III. cap. *quāto*
Innoc. 3. de divortijs, non egit de cōiugē separato authoritate Ecclesiæ; sed indistinctè dixit colligi ex suis principijs, eum esse cogēdum ad reditū; quia eam quæstionē, & aliā priorem dirimit, ne coniuges aliorū infidelitate abvtantur ad separationē perpetuā, quæ illis nō permittitur absq; Ecclesiæ authoritate: at vbi hęc aliquid statuit, nō est abusion, &

S.Tho. q. 10. Art. 9. & malitiæ locus: & quemadmodum ipse Innocentius eodem cap. dixit, se definire contra Cœlestini decretum; idem diceret de lege Vrbani; si contra eam definiret: ergò Pōtifex Vrbanus egit de coniuge separato authoritate Ecclesiæ: Innocētius autē de separato confusè, & indeterminatè: Gregorius verò expressit eo cap. *mulier* facultatem intrandi religionem, cętera non excludens.

§. 202. Hâc autem opinione multa componuntur faciliùs, quàm in oppositâ: primùm non est quærendum discrimē inter adulterium carneum, & spirituale: quia ante sententiam Ecclesiæ in neutro potest separatus initiari sacris, religionem suscipere, nec gaudere separatione per se perpetuâ: at post sententiam Ecclesiæ, in vtroque potest separatus liberè efficere, quod libuerit; & vti iure, & sententiâ separationis latâ pro ipso contra alterum.

§. 203. Secundò constat, cur ante sententiam neutri liceat, aut intrare religionem, aut initiari sacris, aut aliquid efficere, ex quo perpetua separatio sequatur. Quia separatio & eius effectus sunt pœna delicti, quæ infligenda est authoritate publica: quā nullus sustinere cogitur nisi per iudicis authoritatem: ad quam infligendam nullus privatus habet ius; sed tantùm ad eam à iudice petendam. Item infideli infamiâ publicâ punito, non cogitur eius cōiux cum illo invita degere: esset enim infœlicissima sors teneri ad cohabitandum cum hæretico, qui se, totamque familiam deturpavit, & quidem alia crimina, & eorum infamia non est satis ad separationem; est autem infidelitas, cap. *quæsivit* de divortijs.

§. 204. Tertiò, optima redditur ratio à priori huius sententiæ: quia ante iudicium Ecclesiæ, non est decreta pœna hæretico hìc & nūc infligēda; sed in cōmuni est decreta hæretico pœna: qua autē ratione hic hæreticus sit puniēdus, non est decretum; ac propterea ante iudicium Ecclesiæ nō tenetur hęreticus pati suæ coniugis in religionē ingressum, qui est gravissima pęna: at post Ecclesiæ iudicium iam est applicata pęna huic hæretico; cui infligitur suppliciū hæreticorū, at pęnā iure patitur reus post sententiam: quia illi subjicitur à iudice; pęnā autem illā, cùm iusta sit, non solvit hæreticus per conversionem; vt non solvit insigni Sancti Andreæ, quo ab Hispanis in ignominiam publicam induitur.

§. 205. Hinc etiam deduces: cur mulieri liceat fugere verum hæreticum ante iudicium Ecclesiæ: quia vtitur iure naturali fugiendi periculum deceptionis. Hoc autem frequentissimum est fęminæ à viro, ideoque timendum. Recognosce §. 191. cessante autē hoc periculo per conversionē coniugis; tenetur altera ad eum redire. Quod rectè probatur ex S. Gregorio adducto §. 198. Itaque ante iudicium Ecclesiæ separatio non est perpetua, sed dum periculum durat; nec est in pęnam: secùs post iudicium. S.Greg.

SVBSECTIO VI.

Duo dubia.

SVBORIVNTVR nonnulla dubia: primū, quod sit Ecclesiæ iudiciū, sententia, & authoritas expectanda ante separationem perpetuam? Hac de re disputat P. Thom. Sanchez lib. 10. disputat. 15. à num. 20. omissus aliorum sententijs, hæc ipsius mihi probatur, sufficere ad divortiū sententiam iudicis Ecclesiastici, quâ declaratur coniux esse hæreticus: hanc enim sententiam sequuntur hæreticorum pęnæ, inter quas hæc est vna. Nec opus est, vt coniux petat à iudice divortium. Sivè ergò hæreticus in publicum adducatur theatrum; sivè in occulto reconcilietur indutus habitu, & more pęnitentium; potest coniux ab eo divertere. Si verò hæreticus sine accusatore adit iudicium, & ab eo recōciliatur more paterno absque strepitu iudiciali, non potest deseri ab alio coniuge: quia illa non est sententia, nec eā sequitur vlla pęna forēsis. §. 206. 1. Dubiū. Th. Sanch.

P. Rebellus 2. part. de obligationibus iustitiæ lib. 2. q. 18. nu. 10. opinatur necessariā esse ad divortiū, vel sententiam ad petitionē partis, directè privantē hæreticū cohabitatione; vel sententiā declarantem, illū esse cōtumacem: si autem declaretur, eū fuisse hæreticum, nunc verò non esse; sed potiùs reconciliari, censet, eum non privari cohabitatione. Eius rationes nō vrgent: nec propter eas discedendum est ab hac sententia: ibi asserit Alexandrum III. fuisse authorē capitis *quanto* de divortijs, cū non fuerit, sed Innocentius III. vndè argumentum inde petitū non vrget. Quod ait hæreticū sic recōciliatum nullā sequi pęnā eiusmodi, est falsum: vt enim sequitur infamia publica, inhabilitas ad munera, & alia, ita & divortiū. Quod ait multos hæreticos occultādos, est falsum: habent enim quæsitores tàm provisa media hæreticos detegendi, vt, nisi rarissimè, id timeri non debeat. §. 207. Rebell.

Secundum dubium est, cur vnus actus adulterij sufficiat, vt alter coniux discedat, & non vnus actus hæresis; sed opus est vel pluribus casibus; vel vno tam vehementer expresso, vt non sit spes melioris frugis? Pater §. 208. 2. Dubiū.

ter Thomas Sanchez, lib. 10. dist. 15. nu. 11. censet rationem esse; quia hæresi maculatur anima sola; adulterio etiam corpus, pugnatque hoc magis è diametro cũ coniugio. Itẽ, quia adulterij pœna est perpetua, affertque alias rationes parum efficaces. Prima non vrget: quia vt vna macula corporis & animi sufficit; quid ni & vna hæresis multò gravior? deinde cur plures hereses sufficiunt, & non vna? aut cur vnum adulteriũ affert perpetuam pœnam, & non hæresis vna? maximè cùm post sentẽtiam per vnam hæresim liceat divortium.

§. 209. Rationem à priori reddidi §. 198. quia separatio ante sententiam non est pœna; sed est ad vitãdum periculum deceptionis: quod ferè numquã apparet in vno actu: nec ex hæresi oritur ius in coniuge ad petendã pœnã sibi debitam iure matrimonij. Adulterium autem est iniustitia in alterum coniugem: qui inde acquirit ius ad divortium ipso iure matrimonij; ob eiusdem violatas leges: ac propterea ex vno adulterio accepit iniuriam, & ius eam vindicandi apud iudices: at si sententiã plectatur hæreticus ob vnum actum; potest à coniuge deseri: quia sententiam sequitur pœna: in quam fit divortium; non vero ob periculum, vt fit ante sententiam.

SVBSECTIO VII.

Vtrùm per copulam condonetur ius separationis?

§. 210. 3. Dub. TERTIVM dubium est: vtrùm si coniux sciens hæresim alterius, corpus cum illo misceat; postea possit ab illo post sententiam separari. Maria est conscia hæresis Antonij viri sui: & cum eã scientia sine vlla vi, se ei permittit vtendam: deinceps Antonius publicè punitur. Rogo; vtrùm Maria possit ab illo discedere? Non posse probatur primùm ab exemplo adulterij: si enim Maria conscia adulterij, sine vi, & coactione corpus præbet Antonio; nec potest ei litem intendere de adulterio; nec post sententiam potest ab eo disiungi, nisi ob novum adulterium: ergò idẽ erit in nostro casu. Probo consequentiam: quia vt in primo casu Maria corpore permixto reconciliata fuit Antonio: & ei condonavit iniuriam; cessitque iuri exigendi pœnam: ita & in secundo casu.

§. 211. 2. Arg. Secundò probatur: quia pęnam meretur quis per peccatum; non formaliter per sententiam: ergò si cõiux conscius peccati dat corpus illud demerenti; iam non vult eam pœnam; sed cedit iuri eã vtendi: quia per sententiã non datur novum ius; sed antiquum declaratur. Confirmatur: si post sententiam latam coniugem admittat ad torum; non potest deinceps illum dimittere ob illud delictum: ergò nec si illum admittat ante sententiam. Confirm.

§. 212. Præmitto coniugem fidelem non posse ab infideli disiungi, nisi expectato tempore melioris frugis. Hoc tẽpore tenetur reddere debitum: quia non habet ius illud negandi. Hæc debiti redditio non efficit coniugem impotem separationis, quia non est voluntaria cessio iuris vtendi pœnã; sed est moraliter actio necessaria; quia peccaret eã detrectans absque aliã causã, in quo differt hæresis ab adulterio: hoc enim è vestigiõ dat alteri coniugi ius ad divortium; quod si coniux conscius adulterij miscetur cum adultero; iam efficitur vna caro cum illo, & totam condonat iniuriam. Item, qui ignorans crimen, dat coniugi corpus; non propterea remittit iniuriam, nec pœnam: eâdem ratione nec qui coactus; tametsi sciat coniugis crimen: est ergo difficultas de coniuge miscente corpus cum infideli, quando leges illi divortia permittunt: & potest absque gravi damno ab altero coniuge divertere.

§. 213. Concl. Probat. Censeo, latã sententiã posse coniugem fidelem discedere ab infideli; tametsi conscius criminis, potensque ab eo divertere, ei dederit corpus. Probatur: quia divortium est pœna; cui nec infidelis ante sententiam subjicitur, nec datur in favorem alterius coniugis; sed sequitur sententiam ipsam: ergò ante sententiam nullus remittit eam pœnam, nec condonat, nec cedit suo iuri de illa non exigenda. Probo consequentiam: quia nullus cedit iuri, quod non habet; nec mihi condonat, quod non debeo. Confirmatur, si coniux sit emendatus; tenetur altera ad illum reverti: hoc autem eam non privat potestate eum dimittendi post sententiam: vt constat ex §. 212. ergò nec si non emendatus admittatur ante sententiam. Probo consequentiam; quia emendatio non privat coniugem fidelem potestate discedendi post sententiam. Confirm.

§. 214. Ad 1. arg. Ad primum è §. 210. Nego consequentiam: ad probationem respondeo: divortiũ oriri ex ipso adulterio, vt iniuria Mariæ; ex hac iniuria oritur per se ius in Maria ad divortium: per corpus mixtum Maria condonat iniuriam: quã condonata non habet ius ad exigẽdum divortium: quia per vsum corporis sui mariti eidem est reconciliata;

S.Tho. q. 10. Art. 9. & effecta cum illo vna caro: quæ ergo iam iterum coniuncta est cum viro à Deo; non potest nisi à solo Deo separari. Itaque divisio viri ab vxore aufertur per sequentē coniunctionem: ac propterea non est locus separationi propter illam primam abiunctionem, quæ per coniunctionem sequentem est abolita. At divortium ab hæretico oritur ex sententia; & non ex iniuria: vnde auditâ sententiâ potest discedere coniux alter.

§. 215. Suntque absimilia hæc: quia coniux non tenetur reddere debitum adultero semel adulteranti; sed potest separari, & litem intendere: at tenetur reddere infideli, qui semel tantùm defecit à Fide: ergò non est vtrobique idem. Item si postea damnetur; potest ab eo discedere: quod non contingit in adulterio.

§. 216. Ad 2. arg. Ad secundùm ex §. 211. Nego consequētiam: quia tametsi sententia non est novum demeritū; est tamen effectus demeriti prioris: hunc autem effectum sequitur alius, nēpe separatio. Itaque isti effectus sunt subordinati: secundus enim sequitur caussam remotam, quæ est crimen, medio primo. Nec cessit coniux potestati vtendi secundo effectu, dum non extitit primus, à quo essentialiter dependet secundus: quare expectanda est sententia iudicis, quam per se separatio sequitur.

§. 217. Ad conf. Confirmatio ex eodem §. 211. Non habet consequentiam: quia ante sententiam nulla est pœna; & in multis occasionibus tenetur coniux reddere debitum, cum tamen post sententiam possit divertere: at post sententiam iam est pœna: & potest coniux eâ vti, si velit: quòd si semel cōiugem admittit ad torum; iam videtur factus vna caro cum illo inseparabilis, nisi ob delictum novum.

§. 218. Addo, posse post sententiam coniugē fidelem copulari infideli coniugi semel, atq; pluries; quin propterea teneatur ad torum, nec ad cohabitandū, quia separatio est pura pœna: quæ plures partes includit: at potest coniux vti eâ pœnâ in parte, & integrè, absque animo reconciliationis, quia illa non oritur ex iniuria matrimonij; sed ex lege illi extrinseca, nec ex divisione carnis; quæ aboletur per novam coniunctionem; sed ex crimine læsæ Maiestatis divinæ: ob quod possum ego in parte vti eâ pœnâ. Vide P. Thom. Sanchez, lib. 10. disputat. 15. ante finem. Th.Sanch.

§. 219. Immò, si fidelis cognoscat coniugem suā vrgeri periculo incontinentiæ; tenetur se illi præbere, si absque gravi damno potest; quia lex charitatis coniugalis ad id obligat, & cùm hæretico dicitur nullam deberi fidē, intellige ex iustitia; at non solvimur lege charitatis: si enim absque gravi damno possumus eius animæ subvenire, tenemur. Hoc non contingit in innocēte separato ob adulterium: quia tunc ipsa copula est grave damnum, eum privans iure religionis, ordinum, & separationis. Non disputo nunc, Vtrùm possit innocens misceri coniugi adultero absque obligatione cohabitandi: est enim quæstio ab hoc instituto aliena: si autem dicamus posse innocētem adultero copulari, absque animo reconciliationis, & eâ copulâ non amitti ius divortij; tunc tenebitur innocens lege charitatis copulari adultero, cùm eius continentia periclitatur.

SECTIO VIII.

Cætera dubia.

§. 220. 4. Dubiū. QVARTVM dubium est. Vtrùm si vterque coniux sit hæreticus; possit vterq; altero invito separari?

Resp. Respondeo posse, quia separatio est pœna, qua vti potest vnusquisque; ad quem spectat executio: nec enim executoris delictum levat reum dignitate, & executione pœnæ. Objicis hæretico non favere ius: secundò compensari adulteria: ergò & hæc debita. Obiectio. Ad primum, lex separationis tota est in odiū hæretici: ex hoc odio emolumentū oriri alij hæretico est per accidēs. Ad secundum nego consequentiam: quia adulterium est iniuria alterius; mutua autē iniuriâ tollitur vtrique in hoc genere iniurio ius ad vindictā. Vide P. Thom. Sanch. lib. 10. disp. 16. Th.Sanch.

§. 221. 5. Dubiū. Resp. Quintum dubium, vtrum hæreticus possit absque facultate coniugis religionem inire? Distinguo, si innocens sit initiatus sacris; aut in statu, in quo non possit redire ad cohabitationem; sed ab illa possit per iudices separari; potest infidelis sine facultate innocentis dare nomen religioni, aut clericatui (ex vi matrimonij loquor) vel abire, quò libuerit: si verò innocens sit in statu, vt possit redire ad cohabitationem, nec per iudices impediri; tunc non potest hæreticus ità discedere, vt revocari non possit; nec eius professio esset valida: & si esset initiatus, cōpelli posset ad reditū. Ratio à priori: quia per sententiā datur innocenti ius ad divortiū; non verò nocenti. Quòd si hic posset pro libito discedere, esset sētētia in ei⁹ favorē: vnde liberū est innocēti divertere, & permanere; nocēti autē est necessariū subjici alterius arbitrio in reditu, aut divortio: ac propterea nō potest reddi incapax reversionis, cum

cùm verò innocens iam non possit reverti; nec per iudices permittatur; potest alter facere, quod libuerit; quia nō irrogat iniuriã innocenti. Hic manens in sæculo potest dare nocenti facultatem vt initietur, aut profiteatur sine cautione de continentia servanda: quia iure divortij potest perpetuò carere cohabitatione coniugis.

§. 222. Sextum dubiũ: vtrùm si infidelis per vim impediat coniugem, ne iudicẽ adeat, & sententiam obtineat; possit absque sententia initiari; aut religionem inire? Respondeo affirmativè. Quia hæreticus re ipsa est dignus divortio; ad quod habet ius innocens coniux: quod si nõ obtinet, est propter infidelis malitiam, quæ illi non est profutura: si ergò innocens iudicem adiret, impetraret divortium: quia pono hæresim esse notoriam, & facilem probatu (alioquin nō liceret initiari, aut profiteri:) & iure interpretamur Ecclesiam laturam sententiam; eamque minimè favere infideli per vim impedienti iudicium. Vndè, si vis tādiu duraret, quamdiu innocens obtinuisset divortium; licet hæreticus resipiscat, non tenetur, nec est cogendus vt revertatur: secùs, si tam brevi tempore resipuisset; vt nō potuisset obtineri sententia: cùm autem iura volunt expectari sententiam; est cùm sine vi agitur inter vtrumque.

§. 223. Tandem adverte: hæretico accusanti cōiugem adulterij non esse favendum, si coniux ei probet hæresim, vt est certum. Hoc tamen est in provincijs, in quibus lege publica non permittitur conscientiæ libertas: in ijs enim nullâ ratione hæretico favetur; at in provincijs, in quibus viget conscientiæ libertas; audiendus est hæreticus coniugem adulterij accusans, quia hæresis in foro externo ei non nocet: libertas enim conscientiæ secum affert immunitatem à pœnis non spiritualibus: quamvis enim hæretici in excommunicationem, & alias Ecclesiasticas labuntur pœnas; non tamen in civiles: vndè nec muneribus fungendis privantur: nec honore, nec dominio fortunarum; alioquin nō esset publica conscientiæ libertas: at propter hæresis exceptionem non audiri in accusatione coniugis adulteri, est pœna civilis; & non Ecclesiastica censura. Itẽ, qui matrimonio iungitur hæretico coniugi sciens eius hæresim, non potest ab illo divortium petere (nisi inducatur ad errorem:) quia cū matrimonium contrahitur, est voluntas cohabitandi cum coniuge cum illis conditionibus, aut defectibus, in quibus esse cognoscitur. Vnde est quædam condonatio pœnæ inferendæ per sententiam.

***

SVBSECTIO IX.

Quando Catholicus teneatur discedere ab infideli?

DICO vndecimò, nullo iure humano tenetur coniux fidelis discedere ab hæretico. Quia id ius nullibi reperitur; sed sola permissio separationis ab hæretico contumaci. Nec videtur expedire eiusmodi præceptum: tùm quia frequenter illo nō tenerētur cōiuges: quia legi humanæ nō tenetur quis parere cum gravi dãno proportionato, in materia intrinsecè non mala; sed separatio frequenter esset grave damnum: ergò frequenter non tenerentur coniuges eo præcepto. Probo minorẽ quia coniuges iuvenes paterentur graves tẽtationes contra castitatẽ; & vitam degerent gravẽ absque voluptatibus matrimonij: itẽ quia fœminæ frequentissimè pendent à viris in victu, & potu: à quibus suspensam frequenter habent vivẽdi rationem: tùm etiã; quia separatio à filiorum contubernio est gravissimum damnum; & eorum parum accurata educatio. Vide §. 289. — §. 224. 11. Concl. Probat.

Secundò probatur conclusio: quia sæpè esset illicita separatio, v. g. si suscepti sint liberi in matrimonio; neuter parens eos posset permittere educationi hæretici: tenetur enim vterque illis providere: & vt non possunt pacisci aliquem in hæresi educandum; ita nec possunt eos exponere hæreticæ educationi. — §. 225.

Dico duodecimò, tenetur coniux ab hæretico discedere, quando metu probabili cadente in virum constantem, timet subversionem: tunc enim consulendum est priùs propriæ spiritali saluti; deinde filiorū, alijsque rebus. Nec hoc est speciale ius fidei; sed lege charitatis tenemur nobis consulere; & cuiusvis virtutis legibus adstringimur ad vitanda probabilia pericula eam violandi. — §. 226. 12. Concl.

SVBSECTIO X.

Matrimonium fidelis cum hæretico valet; sed non semper licet.

CONCLVSIO decimatertia: matrimonium fidelis cū coniuge baptizato, quantūvis hæretico, & apostata, est validum. S. Th. in 4. dist. 39. q. vnica, art. 1. ad 5. id asserit expressè. Bonav. ibi dem art. 1. quæst. 1. glossa cap. *non oportet* 28 quæst. 1. quod ex eodem capite rectè deducit, & alij, quos sequitur P. Thom. Sanchez tom. 2. lib. 7. disp. 72. nu. 2. Probatur: quia — §. 227. 13. Concl. *S. Thom. Bonav. Glossa. Th. Sanch.*

S.Tho. q. 10.Art.9. quia ratione baptismi vterq; est capax matrimonij in ratione Sacramenti; item & in ratione cõtractus. Vterque item est solutus omni alio nexu dirimente matrimoniũ; v. g. voto solẽni: at Ecclesia non reddidit eas personas incapaces, irritatione contractus, aut rationẽ aliã. Canon. 72. sextę synodi dirimũtur hæc matrimonia P. Sanchez cẽset eã synodum esse illegitimã. Ego disp. 21. ostendi ex Baronio fuisse synodum legitimam; in multis tamen fuisse falsatam. Quod de ijs canonibus ostendit P. Turrianus, tract. de canonibus eius synodi. quẽ sequitur Valentia tom. 4. disp. 10. q. 5. punct. 3. cap. *cultus disparitas*, versu *cũ infideli*, concl. 14. Matrimoniũ fidelis cum baptizato infideli est peccatum mortale. Probatur ex multis legibus, & decretis, vel Ecclesiæ, vel Sanctorum Patrum; cap. *cave*, & cap. *non oportet* 28. q. 1. & tom. 2. in Cõcil. Generali Chalcedonẽsi action. 15 can. 14. id præcipitur: quamvis enim agitur de clerico ordinum Minorum; est quia ibi sermo est de ijs, quibus privilegio donatur matrimonium, vt eo vtantur, sicut cæteri, qui illud ineunt: ratio est optima à periculo subversionis.

Baron. Turrian. Valent.

§. 228. Sa. Th. Sanch. P. Sa, verbo *matrimoniũ*, agens de impedimentis dirimentibus, nu. 8. fine; ait non esse peccatum inire matrimoniũ cum hæretico, quando est certa spes de conversione coniugis. P. Sanchez ea disp. 72. nu. 4. id impugnat: quia tamdiu durat præceptum, quãdiu hæresis. Confirmatur, quia cessante fine legis in particulari non cessat obligatio legis.

§. 229. Placet tamen opinio P. Sà. Primùm, quia ea exceptio est in eodem iure, quo hæc matrimonia interdicuntur: eo enim can. 14. Chalcedonensi hæc verba comperio. *Nec in matrimonio iungi hæretico, Iudæo, vel pagano: nisi fortè spoponderit se venire ad orthodoxã fidem, dum coniungitur persona orthodoxa.* Quãvis autem Iudæi, & pagani matrimoniũ est nullum, dum non baptizantur, & Conciliũ ibi de sponsalibus est accipiendum; at de hęretico est diversâ ratione exponendũ; quia diversa etiam ratione est illicitũ cum vtroque, & cap. *non oportet* 28. q. 1. id dicitur de solis hæreticis; quorũ filiæ possunt accipi, si spondeant, se professuras orthodoxam fidem. Neque est sermo de solis sponsalibus; sed de vxoris adductione ad cohabitandũ, vt ex eodem §. 230. ostendam.

§. 230. Secundò optimâ ratione probatur: quia cessante contrariè fine legis, cessat eius obligatio; vt ostendi ex eodem P. Thoma: sed hic cessat contrariè finis legis generalis: ergò & eius obligatio. Minor probatur: quia finis legis est, ne hæresi minuatur fidelium numerus; cuius contrarium est eiusdem numeri cremẽtum cum eiusdem coniugis perseverantia; sed tunc est certa spes decremento fidelium, & perseverantia coniugis; & nullus probabilis timor de decremento: ergò cessat contrariè finis legis.

Argumentum ex §. 228. non vrget: durat enim præceptum, quamdiu hæresis, & incertitudo de conversione coniugis; non tamen quãdiu sola hæresis cum spe melioris frugis. Confirmatio est accipienda quando finis legis in singulari cessat privativè; non tamen quando contrariè cessat. §. 231.

Vndè deduco, licere matrimonium, quãdo hæreticus spe moraliter certa spondet, se nec per vim, nec ratione vlla suasurum hæresim coniugi; sed eam, & cæteros Catholicos permissuros in Catholicæ fidei professione exẽpli gratia Rex hæreticus fideles divexans, optat nuptias cũ Principe fœmina, pollicens conscientiæ libertatem; hoc matrimonium est vtile: in provincijs autem, in quibus non est consuetudo matrimonij inter hæreticum, & fidelem; opus est Pontificiá dispensatione. §. 232.

Idem P. Sanchez ea disp. 72. nu. 5. meritò censet, non esse necessariam dispensationem in Germania, Gallia, Polonia, & alijs provincijs infectis hæresi. Quod priùs docuerant P. Azor, lib. 8. q. 5. Navarrus, & alij: duas rationes reddunt; alteram antiquam cõsuetudinem ab Ecclesia permissam impunem; alteram cõservationem amicitiarum, familiarum necessitudinis; idq; genus alia. Hoc non accipio de Regibus: necesse enim est in quavis provincia cõpetere inter Principes: quia illorum connubia maioris sunt momenti, vt Christianissimus Rex Galliæ eam petivit ad dandam sororem Carolo Angliæ Regi: quamvis in Gallia frequẽtia sunt cõnubia inter hæreticũ & fidelẽ: ea ergo cõsuetudo populi non excusat Principes supremos à petenda dispensatione. §. 233. Th. Sanch. Azor. Navar.

Hìc dubium occurrit: vtrùm peccaverint graviter primi, qui ea matrimonia cœperunt inire? si authores adducti solam redderent consuetudinem pro ratione, non dubium, quin peccaverint: nec in alijs provincijs posset nova ea consuetudo induci: at secunda ratio ab ipsis reddita illos excusat à peccato: quia crescente hæreticorum multitudine ob illorum impunitatem; vix suppeterent Catholicis coniuges, quos ducerent honestè. Quapropter civilis communicatio: familiarum in honore, & fortunis conservatio, excusasse videtur eos, qui has nuptias inierunt primi; vt videtur excusatura eos, qui in eiusmodi provincijs ea matrimonia contraxerint deinceps. Videtur enim moraliter impossibile, eam legem servari posse absque gravi damno, vbi plures sunt hæretici, quàm Catholici. §. 234.

tholici. At non possunt primi ea matrimonia contrahere, si absque gravi damno ea vitare possunt; vbi autem consuetudo viget, cessat obligatio legis: & solùm exigitur ad licitum matrimonium, vt non sit periculum deceptionis; & ne paciscantur educandum filium aliquem hæretico ritu. Tenentur autem omnes filios baptizare, quia vterque parens baptismo ad id fuit adstrictus.

SECTIO VII.

De communicatione in matrimonio cum non baptizato.

SVBSECTIO I.

Matrimonium inter non baptizatos quale?

§. 235. 1. Concl. DICO primò: matrimonium inter duos inbaptizatos est legitimum, non solùm iuxta ipsorum legem, sed absolutè, & ex iure naturæ. *Legitimum est iuxta leges.* Lex autem civilis non omnibus vna, secus naturalis. Polygamia est legitima in aliquibus provincijs iuxta illarum leges; suntque legitimi liberi sic suscepti. At absolutè, iureque naturæ non est legitima Polygamia; nec sunt legitimi, nisi filij suscepti ex prima vxore. Ita iuxta leges civiles non dubium matrimonium inbaptizatorum esse legitimum: idem probo absolutè de iure naturæ.

§. 236. Innoc. 3. Primùm, cap. *quanto* de divortijs id asserit expressè Innocentius III. ijs verbis. *Nã etsi matrimonium verum inter infideles existat, non tamen est ratũ.* Pontifex infideles appellat nõ quoscumque, sed solos inbaptizatos; quorum matrimonium asserit verũ, sed non ratum; quia potest religionis caussâ dissolvi; secùs asserit in matrimonio hæretici, quod nec per hæresim dissolvi posse testatur: est ergò sermo in testimonio adducto de solis inbaptizatis. Idẽ Pontifex cap. *gaudemus* eodem titulo, idem asserit ex Apostolo. *Super quo* (inquit) *taliter respondemus; quòd cùm Sacramentum coniugij apud fideles & infideles existat; quemadmodum ostendit Apostolus dicens; si quis fratrem infidelem habet vxorem; & hæc consentit habitare cum illo, non illam dimittat*: Sacramẽtum dixit existere inter infideles; non quidem formaliter Sacramentum; sed materialiter, id est, contractus coniugij; quia apud nos est Sacramentũ: apud illos valet; non tamen est apud illos Sacramentum, nec hac de re nos oportet morari. Hanc controversiam vide apud Gratianum 28. q. 1. initio: quam ex Patribus ita componit; & exponit aliquorum testimonia primo impetu belligerantia. Recognosce item P. Thom. Sanchez, tom. 2. lib. 7. disp. 73. nu. 2. ratio est manifesta, quia cõtractus ille est validus, & necessarius iure naturali ad honestam filiorum susceptionem: qui contractus per se nec á Fide pendet; nec apud infideles potest ab Ecclesia rescindi; nec est à Deo rescissus. Gratian. Th. Sanch.

§. 237. 2. Concl. Dico secundò: matrimonium contractũ legitimè cum prima vxore est licitum, & validum; eâ autẽ vivente, cætera cõnubia sunt illicita iure naturæ, & nulla, cap. *gaudemus* de divortijs: vbi hæc disputantur ab Innocẽtio III. Vide glossam litera G. & H. maximè litera R. Præsto est ratio: quia matrimonium est contractus, quo coniux suo corpore, quasi emit coniugis corpus: ita vt vsus cõiugalis fœminæ interdicatur cum alio viro, superstite priori; sed huius contractus iustitia vendicat ex natura sua æqualitatem in vtroq; coniuge: ergò superstite altero, neuter potest aliud matrimonium inire. Probo minorem; tùm quia paria sunt fœminæ & maris corpora: tùm etiã, quia matrimonio ex duobus coniugibus fit vna caro: at multitudo vxorũ officit huic vnitati; quia maritus per affectum in plures, est divisus à singulis: tùm tertiò: quia vxorum multitudo est per se occasio rixarum ob æmulationẽs & invidiã: vt sæpè cotingit in familijs veterum Patrum. Tandem, quia in debito coniugali reddendo est tanta diversitas, vt non possit ex iustitia componi contractus. Vir enim in multis distractus non posset singulis satisfacere; tunc autem multis esset occasio ruinæ; quia cum viro suo non possent libidinis faces restinguere.

§. 238. Obiectio. Objicies primò: multos veteres Patres vsos Polygamiâ, tàm in lege veteri, quàm naturali: Lamech enim multas habuit vxores: Abraham, & Iacob: in lege autem Mosaica David, Salomon, Helcana, & alij. Respondet Innocentius III. eo cap. *gaudemus* id factum speciali revelatione; & permissione Dei, cuius arbitratũ suppletur inæqualitas contractuum. Vide Gratianum 32. q. 4. ad caput *dixit Sara*. Resp. Gratian.

§. 239. Obiectio. Objicies secundò: pluris æstimari virile corpus fœmineo: ergo vir potest plures vxores ducere. Nego consequentiam: tùm quia plurium fœminarũ corpora sunt æstimatu digniora; & tamen nõ possunt plures habere maritos: tùm etiam, quia deberemus

S. Tho. q. 10. Art. 9. expendere; quæsitum valeret maritus coërcendas plures, pauciores ve vxores; & equorum more deberent taxari. Tandem; quia æqualitas iustitiæ expenditur ex debito coniugali, quod esset maximè inæquale, si viro fieret facultas plurium vxorum.

§. 240. 3. Obiectio Objicies tertiò: ad suscipiendos liberos expedire pluralitatem vxorum. Respondeo: & maritorum pluralitatem; quæ enim cum vno generare non potest; potest cum alio, & vno absente, aut ægro: præsto esset alius valens. Ob illam rationem permisit olim Deus plures vxores: quæ ratio iam non vrget; & Deus vult, vt agatur ex iure naturæ: vt Iob, alijque Patres egerunt.

§. 241. 4. Obiectio Dico tertiò: Matrimonium inter inbaptizatos non est ratum. Id est, non tàm est firmum, vt nulla ratione solvi non queat: cap. *gaudemus*, de divortijs; quod constabit ex §. 250. vbi ostendetur facultas facta baptizato discedendi à coniuge inbaptizato.

SVBSECTIO II.

Quid agendum vtroq; coniuge baptizato?

§. 242. 4. Concl. DICO quartò: vtroque coniuge baptizato matrimonium, quod prius erat legitimum, fit ratum, & sola morte dirimendum. Quod clarè docuit Innocentius Tertius, cap. *gaudemus* de divortijs asserens baptismo peccata dimitti, nec coniugia minimè solvi; inferius autem id clarius affirmat. *Quod si* (inquit) *conversum ad fidem, & illa conversa sequatur, antequàm propter caussas prædictas legitimam ille ducat vxorem, eam recipere compellitur.* E quibus rectè deducitur integrum post baptismum manere matrimonium; donec fidelis iustas ob caussas ineat novum matrimonium. Huius conclusionis ratio petitur; quia matrimonium est naturâ sua firmum, & ob solam caussam, & favorem Religionis illud voluit Deus dirimendum, sed vtroque converso ad fidem, matrimonij diremptio non spectat ad Religionis favorem: ergò.

§. 243. Hic primùm observa, non posse baptizatum abnuere connubia vxoris legitimæ, quam in infidelitate repudiavit, tametsi ea alij nupserit, verbi gratia, inter Iaponos licitum est repudium: Ethnicus repudiat legitimam vxorem: hæc post repudium alium maritum ducit; si hæc convertitur antequã primus maritus iam baptizatus aliam ducat; non solùm matrimonium fit ratum; verùm maritus baptizatus non potest detrectare cohabitationem cum illa, quia licèt re ipsa fuerit adultera; at lege Iaponorum id minimè fuit: egit enim cum marito legitimo apud illos. Quod si inter nos, qui vxorem permittit sciens, & prudens, sine vlla vi, vt fornicetur: non potest illi intendere divortij litem, quia totam cõdonat iniuriam; multò minùs eam intendere licet in nostro argumento. Quam doctrinam perspicuè tradit Innocentius Tertius cap. *gaudemus* de divortijs.

Si tamen ante baptismum vxor fuit adultera etiam ex ipsorum lege, qua potuit accusari adulterij, potest baptizatus petere divortium à baptizatâ, nisi ei priùs condonârit iniuriam. Probatur ex eodem cap. *gaudemus* fine, his verbis: *Nisi aliàs fuerit fornicata*: id est, propter mæchiam post divortium commissam cum alio viro, qui fuit maritus apud illos, separari nõ potest fidelis ab vxore conversa post mæchiam; potest autem propter aliam fornicationem: quia baptismus non tollit pœnas civiles crimini ante baptismum commisso debitas; sed tantùm culpam, & æternam, temporalemque pœnam purgatorij, vt patet in Sodomitico Mahometano, quem etiam post baptismum cõburimus ob delictum in Hispania commissum ante baptismum. Hic enim non abrogat civiles leges: cùm ergo ex adulterio ius habeat maritus ad divortium, & bona illud insequentia, non privatur hoc iure baptismo vxoris: vt nec iure repetendi æs à debitore baptizato post illud contractum. Vide glossam eius cap. *gaudemus* litera B. §. 244.

Vndè deduces maritum, probato adulterio, posse authoritate Ecclesiæ ab vxore divertere, vtroque baptizato: religionem profiteri, aut initiari sacris. Item & mulierem probato adulterio mariti admisso ante baptismum: ac se gerere possunt non aliter, ac si adulterium esset commissum post baptismum. Quia Pontifex ait, non esse compellendum virum ad recipiendam vxorem fornicatam contra antiquas suas leges; qui autem ita non compellitur, habet perpetuum divortium, quod hæc privilegia sequuntur: at matrimonium nullo pacto dirimitur. §. 245.

Dubium enascitur: an baptizatus teneatur recipere baptizatam, quæ cùm esset infidelis, post repudium corpus dedit homini more meretricio, non verò coniugali? Respondeo, supponendo illud fuisse verum matrimonium, neque re ipsa potuisse repudio dissolvi matrimonium: ergò minimè solvitur: item nec vir potest ex lege agere contra vxorem, quia hæc in illorum lege non censebatur coniux eius viri, nec illi irrogavit iniuriam §. 246. Dubiũ. Resp.

iniutiam in ea lege. Vndè non potest ab eâ divertere, si est emendata post baptismum; non secus, ac si eam duxisset primùm postquàm cognovit eam fuisse meretricē. Quod si est durum, cogi reverti ad impudicam, ortum traxit ex prava ipsorum lege. Huic doctrinæ Pater Thomas acquiescit tom. 3. lib. 10. d. 5. num. 8. sic accipio anacephaleosim; seu summam capitis *gaudemus*: fornicatio enim vxoris, dùm iuxta leges civiles est vxor, est caussa divortij, quia est adulterium ex eâ lege; non verò post repudium, quia non est adulterium apud eos.

Th. Sanch.

§. 247. 5. Concl.

Dico quintò: si converso marito, legitima coniux non convertitur, nec vult cohabitare, &c. vir non potest cogi ad recipiendam aliam vxorem, tametsi conversam: verbi gratia, Iaponus conversus habet tres vxores; sola prima est legitima, duæ sunt illegitimæ: cùm neutra tenetur inire matrimonium. Quia cum vxore legitima conversa tenetur perseverare ratione matrimonij, quod est natura sua firmius contractus, solubilis sola religionis caussâ: at cum duabus nullum inierat matrimonium; sed contractum illicitum, quem absolutè tenebatur rescindere ante baptismum: ergo non potest compelli ad eam ducendam. Nec enim baptismus concubinatus confirmat; sed contractus absolutè licitos. Secùs si revelante Deo essent inita plura matrimonia: v. g. si Iacob fuissent permissæ à Deo multæ vxores, baptizato Iacob non liceret, nisi vna, quia Deus noluisset cum illo dispensare in lege gratiæ: tunc eo baptizato liceret habere primam conversam: si autem prima conversionem recusaret, teneretur ducere secundam: deinde cęteras suo ordine, quia iure antelationis esset agendum. Quòd si cum duabus contraxisset simul, posset eligere, quam liberet.

§. 248.

Indè concludo compellendum cōiugem fidelem ad perseverandum in matrimonio priori, quando coniux statim conversa fuit, aut obtulit conversionem: ita vt matrimonium contractum post baptismum cum aliâ baptizatâ, sit nullum, si prior coniux non recusavit conversionem; nec cum illâ adhibita fuit diligentia iure debita. Item professio religionis est nulla, & debet compelli vir ad habitandum cum vxore, etiam si sacros susceperit ordines. Probatur tùm, quia Pontifex cap. *gaudemus* de divortijs tres caussas reddit ad prius matrimonium dirimendum; prima est, si mulier cōverti noluerit; secūda, si noluerit cohabitare; tertia, si noluerit absque contumeliâ creatoris, vel pertractione ad peccatum; sed hìc nulla est ex his causis: ergo non potest dirimi hoc matrimonium. Probatur minor: quia coniux fuit conversa, & habitare vult cum viro absque vllo incōmodo spiritali: tùm etiam, quia idem Pontifex eodem capite *gaudemus* asserit vxorem conversam ad fidem, recipiendam à marito converso, nisi hic ob prædictas caussas duxerit aliam vxorem: ergo si eam duxerit absque prædictis caussis, compellendus est ad recipiēdam prædictam vxorem; alioquin exceptio esset inutilis, & manca doctrina; sed in nostro argumento nulla ex prædictis caussis præivit: ergo secundum matrimonium est nullum, & revocandus est vir ad prius. Ratio à priori; quia matrimonij diremptio est in gratiam religionis; hìc autem nulla est religionis gratia: ergo nec diremptio: alioquin ipso facto baptismi solveretur matrimonium contra Innocentium Tertiū, cap. *quanto*, & cap. *gaudemus*: quamobrem apud Romanos quadraginta dies præscribuntur coniugi Iudæo ad deliberandum de conversione. Quæ doctrina est Sancti Thomæ in 4. dist. 39. quæst. vnica art. 5. Gratian. 28. quæst. 2. in fine, Gregor. XIII.

S. Thom. Gratian.

Dico sextò: si Petrus, verbi gratia, conversus ad fidem, & adhibita diligentiâ debita cum vxore, vt convertatur, illa recuset, nec habitare velit, &c. Petrus potest aliam vxorem ducere, & non potest, secundâ vxore fideli superstite, redire ad primam ductam in infidelitate, quantumvis cōversam. Ita statuitur in capite *gaudemus* ab Innocentio Tertio, asserente vxorem conversam recipiendam à viro converso, nisi hic ob caussas prædictas aliam duxerit. Ratio est, quia baptismus dat ius baptizato ad dirimendum matrimonium cum muliere pertinaci, quo iure licitè vtitur, postquàm eam satis admonuit; semel autem eo dirempto non est ius in fœmina ad repetendum virū; estque validum secundum. Quod dixi de muliere pertinaci post monita sufficientia; dico de illa quæ ob moralem impotentiam moneri non potuit; nec eius sperari conversio, de qua agendum §. 261. quæ per matrimonium mariti cum Christiana soluta est iugo coniugij, non aliter, ac si occubuisset, poteritque alia inire matrimonia: est enim tàm integrè sui iuris; ac si numquàm maritata, quia viro contrahente novum matrimonium, dissolutum est antiquum; eo autē soluto non obligant eius leges. Quam doctrinam sequitur Pater Thomas Sanchez cum multis tom. 2. lib. 7. disp. 7. num. 6. quam impugnat aliquis; nullum tamen novum fundamentum adducit: Sanctus enim Ambrosius tantùm dicit, non solvi ius matrimonij in eo, qui relinquitur: quod intellige ante secundum matrimonium: tunc enim is, qui relinquitur, non habet ius

Thom. Sanchez. Ambros.

 solven-

S. Tho. q. 10. Art. 9. S. Thom. solvendi matrimonium; at eo soluto per novas baptizati nuptias, vterque manet solutus. Sanctus Thom. in 4. dist 39. quæst. 2. art. 5. ad 3. asserit matrimonium esse solutum quoad vinculum, non quoad effectum. At certè cùm contractus novi matrimonij sit per se caussa alius solvēdi; cùm iam contractus prior sit vndique rescissus, nullos deinde habet effectus. Adverte non solvi coniugium conversorum quamvis in infidelitate contractum in gradu dirimente apud nos v.g. si inter Ethnicos est legitimum matrimonium in secundò gradu, quando convertuntur, matrimonium perseverat capite *gaudemus* de divortijs, quia lex Ecclesiastica non tenet infideles.

SVBSECTIO III.

Matrimonium infidelium potest dirimi religionis ergò.

§. 250. 7. Conclus. DICO septimò. Matrimonium legitimè initum inter duos in baptizatos, dirimi potest post baptismū alterius, altero discedente. Hæc, cōclusio est tàm certa, vt oppositam sententiam manifesti erroris in fidem Pater Thomas Sanchez insimulet lib. 7. disp. 74. num. 4. contra Arboreum, & Caietanum, quamvis is pedē retulerit. Probatur ex 1. ad Corinth. 7. 15. *quòd si infidelis discedit, discedat: non enim servituti subiectus est frater, aut soror in huiusmodi:* id est, si è duobus coniugibus infidelibus, alter baptizatur; alter autem ab eo discedit propter infidelitatem; is, qui baptizatus est, non est subiectus legibus matrimonij; sed illis solutus potest liberè agere, & novum inire connubium.

Th. Sanch. Arbor. Caiet. 1. Corint. 7

§. 251. Innocen. 3. Quod testimonium sic explicuit Innocētius Tertius, cap. *quanto* de divortijs. Rogatus enim ab Episcopo Ferrariensi de coniugio infidelium, respondit, hæresi non solvi matrimonium; at baptizato coniuge altero, alteroque nolente cohabitare, solvi cōiugium. *Qui relinquitur* (inquit) *ad secundā, si voluerit, vota transibit: & in hoc casu intelligimus, quod ait Apostolus, si infidelis discedit, discedat: frater enim, vel soror non est servituti subiect[u]s in huiusmodi: & canonem etiam, in quo dicitur, contumelia creatoris solvit ius matrimonij circa eum, qui relinquitur.* Eādē ratione Paulum exponit S. Ambrosius adductus à Gratiano 28. quæst. 2. cap. *si infidelis* Sanctus Thom. in id caput Luc. 3. Lyra, & alij quāplures apud P. Thom. tom. 2. lib. 7. disp. 74. numero quarto: recognosce Patres Iustinianum, Cornelium, & Salmeronem disputatione 12. Nec hac de re potest vlli esse dubium.

S. Ambros. S. Thom. Lyra. P. Thom.

Paullus enim vult fratrem, & sororem, id est, baptizatos non esse subiectos iugo discedentium infidelium. Quod non potest intelligi de sola cohabitatione: illâ enim solutus est coniux infidelis, discedente altero etiam infideli: & inter fideles is, qui relinquitur ab alio, dū relinquitur, solutus est lege cohabitationis; quia dū alter cohabitationem recusat, non tenetur alter cohabitare: est ergo alia libertas fideli: nempè posse novas inire nuptias: alioquin nullum ei privilegium accrevisset ex baptismo. §. 252.

§. 253. Obiectio. Refel. Dices: fidelem solvi lege cohabitationis, revertente infideli, quem non tenetur admittere. Contrà: quia hoc privilegium non est baptismi: multas enim ob caussas potest quis fugere coniugem revertentem. Nec verò id probatur ex textu: ex fuga enim infidelis, si manet fidelis mancipatus lege matrimonij, non colligitur speciale ius fidelium, vt possint infideles refugere magis, quàm inter duos fideles, aut infideles duos. Cùm ergo hic agnoscamus privilegiū speciale, est de facultate ad novas nuptias, quæ fit à Deo in favorem fidei. Quos enim coniūxit Deus, Deus potest separare, quamvis homo non potest.

SVBSECTIO IIII.

Quas ob caussas dirimatur matrimonium fidelis cum in baptizato?

§. 254. 1. Corin. 7 APOSTOLVS 1. ad Corinth. 7. 15. caussam dirimendi matrimonij reddit discessum infidelis à fideli. Hic discessus est recusatio cohabitationis. Quod clarè colligitur; quia paullò antē consuluerat Apostolus, ne quis discederet à coniuge infideli consentiente in habitatione pacifica cum fideli: quòd si infidelis discedere voluerit, id est, fugere cohabitationem, discedat. Hic discessus potest esse integer, quia domus, torusque fugitur; vel in parte: quia licèt non fugiatur domus, aut mensa, fugitur tamen torus coniugalis: quivis discessus est satis ad dirimendum matrimonium: quia est grave damnum, odiumque susceptæ fidei, ob quod dignus est infidelis, cui non servetur matrimonij fides.

§. 255. Inno. 3. Innocentius Tertius, cap. *quanto*, & cap. *gaude-*

gaudemus de divortijs, asserit matrimonium dirimi, quando infidelis nullo modo cohabitare vult, aut non sine contumelia, aut cum pertractione coniugis ad peccatum. Itaque, licèt infidelis non blasphemet; si tamen ad peccatum trahit coniugem; est dignus diremptione matrimonij. Idque confirmat ex canone asserente: *Contumeliâ creatoris solvi* Ambros. *matrimonij ius.* Hic canon est ex S. Ambrosio Glossa. 1. ad Corinth. 7. adducitur 28. quæst. 2. cap. *si infidelis*: Glossa capitis *quanto*, hæc adducit ex Vincentio.

Desere spernentem, vel blasphemare volentem,
Vel te credentem scelus ad mortale trahentem.
Nam sunt absq; morâ sic vincula rupta priora.

§. 256. Suboritur difficultas: num sola pertinacia sit caussâ dirimendi matrimonium? v. g. Petrus convertitur ad fidem, eius vxor non convertitur; at vult habitare pacificè cum Petro absque contumelia creatoris, & pertractione ad peccatum: quæritur vtrùm hoc S. Thom. matrimonium dirimi possit? S. Thom. & alij plerique censuerunt matrimonium non posse dissolvi. Quorum fundamenta gravia sunt, redduntque sententiam probabilissimam, vt constat ex P. Thoma lib. 7. disput. 74. num. 8. ipse tamen num. 9. cum alijs pluribus censuit oppositum.

§. 257. Et quidem quando fidelis potest licitè habitare cum infideli, matrimonium dirimi non posse fatentur omnes: quia servitutis depulsio non est, nisi ob discessum infidelis; sed tunc nullus est discessus: ergò fidelis non solvitur servitute matrimonij. Quando verò non licet fideli habitare cum infideli: censeo cum Patre Thoma & P. Cornelio in Th. Sanch. cap. 7. epistolæ 1. ad Corinth. versu 15. posse P. Cornel. dirimi matrimonium. Quia tunc infidelis ipsa cohabitatione pertrahit coniugem ad peccatum; sed pertractio ad peccatum solvit ius matrimonij: ergo & voluntas illa cohabitandi. Maior est certa: quia qui cohabitare vult coniugem se cum infideli, vult coniugem esse in peccato mortali inobedientiæ contra legem inter dicentem id contubernium, & contra religionem, cuius gratiâ est ea lex.

§. 258. Secundò: quia Ecclesia non interdiceret (nec fortè posset) contubernium cum huiusmodi infideli; si fidelis esset servituti subiectus: quia sine vlla eius culpa eum privaret ingenti bono: si enim est speciale periculum subversionis, solutus est fidelis servitute: ob crimen infidelis, è quo nascitur periculum; si verò non est probabile periculum subversionis; cur, obsecro, cogeret Ecclesia adolescentē, vt perpetuo absque culpa abstineret à fœmina? Quāvis enim cap. *quāto*, de divortijs statuatur sæpè absq; culpâ alterū cōiugē altero privari; est quādo ob delictum punitur alter, vel ob periculum subversionis vitandum omnia sunt perferenda; at hic nullum est delictum, quod Ecclesia puniat: quia baptizatos non punit ob pertinaciam; nec est periculum: ergo non esset innocens coniux absque culpâ privandus tanto commodo; nec Ecclesia satis provideret gentilium conversioni, si charas coniuges essent dimissuri cum perpetuo cœlibatu. Qui ergo non vult converti, quādo ei constat de coniugis peccato in cohabitatione; iam discedit à coniuge; qui non vult, vt oportet, cohabitare: quādo autem non liceat cohabitare cum infideli ostendam à §. 277.

Animadvertit Pater Thom. lib. 7. disput. §. 259. 74. num. 5. ex Abulensi, & alijs non licere Thom. fideli novum coniugium discedēte infideli, Sanchez. ob adulterium fidelis commissum ante baptismum. Quod observaverant Lyra in cap. Abulen. 7. 1. ad Corinth. S. Ambrosius 28. quæst. 2. Lyra. cap. *si infidelis*, asserens: *si infidelis discedit odio* S. Ambros. *fidei*, & alij. Ratio à priori; quia vir non discedit culpatè, sed inculpatè, vt poterat discedere in matrimonio inito post baptismum; quia illa pœna est debita adultero lege civili, qua non solvimur baptismo, vt ostendi §. 244. etenim vir posset capite plectere vxorē ob adulteriū cōmissum ante baptismū: si verò illa post sententiam converteretur ad fidem, non propterea esset absolvenda supplicio: vt ergo vir eam potest obtruncare ob adulterium; ita & dimittere. Idem dixerim, quando fidelis post baptismum obstringitur adulterio; potest enim infidelis coniux contra fidelem agere ad pœnam capitis; & ad divortium: quia, dùm non initur à fideli secundum matrimonium, est coniux viri infidelis; in quam peccatur iniustitiâ. Hæreticus non auditur contra coniugem; quia in eius apostasiam permittitur exceptio.

Dubitari posset: an necessarius sit cōsensus §. 260. coniugis infidelis ad matrimoniū dirimendum? an verò eo inconsulto novum possit Dub. iniri? Respondeo: opus esse cognoscere eius Resp. pertinaciam. Vndè explorandus est eius animus, vt constat ex §. 248. Nec ad id expectanda est iudicis sententia; sed cognita à fideli infidelis pertinaciâ, potest ipse secundas nuptias inire, vt docet P. Thom. lib. 7. Th. Sanch. disput. 74. num. 11. nec est necessaria monitio, quando moraliter constat de eius pertinacia: verbi gratiâ, si vir vxorem quærit ad supplicium propter susceptam fidem, vel alio argumento moraliter certo, constat: quia rectè ait P. Thom. num. 18. monitionem exigi ad explorandam coniugis voluntatem; quæ satis est explorata ex coniecturis reddentibus pertinaciam moraliter evidentem. S. Thomas adducendus §. sequenti S. Thom. expo-

S. Tho. q. 10. Art. 9. exponendus est, quando desperatio non est moraliter evidens.

§. 261. *Henriq.* *Th. Sanch.* *Panorm.* *Ricard.* *Gabriel.* Si verò nulla ratione possit coniux moneri: censeo posse fidelem connubium secundum inire. Quæ sententia est P. Henriquez, & aliorum apud P. Thomam lib. 7. disput. 74. num. 14. quam ipse sequitur: item Panormitani in cap. *quanto* de divortijs, Richardi in 4. dist. 39. art. 2. quæst. 2. & Gabrielis. Quia coniux tantùm distans, prudenter censetur non deserturus suos, nec suscepturus longum iter ob fidei susceptionem. Vndè moraliter est certa eius pertinacia, quia in fidem nulla cognoscitur eius pietas: at amor in coniugem non est frequenter tantus, vt superet amorem religionis, patriæ, parentum, & aliarum rerum, quibus allicitur animus.

§. 262. *Ledesma.* *Vega.* Plures, & graves authores habemus adversarios, Bartholomæum Ledesmã, & Vegam apud P. Thomam num. 14. novissimè item & alium; qui asserit authores nostræ sententiæ nulli iuris fundamento nixos: verùm, nec ipse in iure altius effodit vllum. *S. Thom.* Adducit S. Thom. in 4. distinct. 39. art. 5. ad 4. vbi asserit posse virum suscipere sacros ordines *prius requisita vxore, si cõvertatur*. Respõdeo intelligi Sanctũ de vxore, quæ possit requiri; nõ verò, quę nõ potest: agit enim de eâ, quæ, si posteà convertitur, non potest repetere virum: at in nostro casu hæc locum non habent: quia moraliter est impossibilis eius reditus, & conversio. S. Thomas loquitur de his, quæ frequenter eveniunt. *Gratian.* Adducit etiam Gratianum 28. quæst. 2. in fine: eum legi; nec vidi verbum vllum eâ de re. Fortè est allegatio mendosa; poterit autem eâdem ratione explicari Gratianus. Ex cap. autem *gaudemus* nihil adducit è re: nec ex interpretibus, quos eâdem ratione interpretor. *Obiectio.* Ratione arguitur, quia iniquum esset aliquem sine culpâ privare coniugio. *Respond.* Respondeo: hîc esse culpam morali evidentiâ coniectam, & (vt aiunt) præsumptam. Quòd si id est intrinsecè iniquum, non potest à Pontifice dispensari, quia nulli iniuriam potest facere.

§. 263. *Obiectio.* Affert Gregoriũ XIII. qui sequutus Piũ Quintum, dispensavit cum Indis, vt possent post baptismum nubere, inconsultis eorum coniugibus: quia vel vbi esse ignorabantur; vel tam longo intervallo, vt non possent commodè moneri. Ait autem Pontifex, à se facultatem fieri presbyteris ordinarijs, & Iesuitis, vt possent dispensare in matrimonijs ineundis, minimè requisito coniuge infideli. Vndè arguit, si ea monitio necessaria non est; quid ergo Pontifex dispensavit? *Respond.* Respondeo: argumentum hoc non esse firmum: tùm quia Põtifices ad scrupulos evellendos illis verbis vtuntur, non vt propriè dispensent, vel sit necessaria dispensatio; sed vt securiùs res peragatur, vt in bullis Cruciatæ datur facultas eam accipienti, vt feria sexta carnibus vescatur, consultis spirituali & corporali medico. At si medicus doctus mihi consulit, vt carnibus vescar sanitatis ergo: non egeo bullâ ad illarum esum, quia Pontifices volunt authoritate suâ publicum vitare scandalum, & scrupulos. Multi enim sunt Æthiopes, & Indi ad fidem conversi; possetque parere suspicionem matrimoniorum multitudo: an omnes ea contrahentes satis explorassent infidelium coniugum voluntates. Exposuit Pontifex ea iniri posse absque incommodo, ipso ita dispensante, id est, exponente non esse, cur aliquis offendatur; quia ipse supplet, quod deesse posset, non in substantia diremptionis veterum coniugiorum; sed in adhibenda diligentiâ explorandi infidelium voluntates.

Adverte: eâ in re esse nonnulla, quæ pendent ex Pontificis voluntate; nempe tantum tempus præscribi ad commonendos, aut conquirendos coniuges: vt Romæ statui dicuntur dies quadraginta: item vt iuridicè constet, aut comperiri coniugem non posse, aut nolle convenire: in his Pontifex dispensare potest, vt Romæ possent præscribi dies triginta, aut quinquaginta: ita voluerunt Pius atq; Gregorius, vt informatione summaria præmissa de diligentia conquirendi coniuges, aut impossibilitate illos conveniendi, posset cum illis dispensari in secundis nuptijs: dispensari (inquam) in his diligentijs. Vndè in substantia non dispensat, (quia fortè non potest, si matrimonium fuit consummatum; esto posset dispensare in matrimonio rato, non consummato). P. Vazquez tom. 1. in 1. 2. disput. 66. num. 26. cùm meminisset bullæ Pij Quinti pro Indis Mexicanis, ait, Pontificem statuisse, posse Indos nova inire connubia: quia prudenter censetur vxor nolle habitare, vt oportet, cum marito fideli: eâdem ratione Gregorium exponit P. Thom. Sanchez. Itaque illa dispensatio est in genere adhibendi diligentiam; præstito autem eo, quod Pontifex per dispensationem vult esse satis, meritò coniux absens censetur nolle cohabitare. §. 264. *Animad.* *P. Vazq.* *Th. Sanch.*

Quo differt hic casus à coniuge fideli absente: nisi enim constet de interitu coniugis, non potest alter nubere; quia licèt nolit cohabitare, non potest matrimonium solvi. Potest autem cum infideli, ad cuius diremptionem sufficiunt argumenta moraliter certa; licèt ipse non inveniatur: quia faciliùs contra infideles præsumitur pertinacia, quàm mors coniugis fidelis. Verum quidem est nõ posse fidelem nubere, quoties prudenter dubitat §. 265.

dubitat de conversione coniugis. Si enim prudenter sperat illam deserturam suos, vt cohabitet cum viro fideli, non potest vir aliam ducere; nec valet matrimonium: quia eius diremptio est in pœnam infidelis, & ne sit impedimento fidei. Tunc autem non est culpa coniugis: vndè nec sacris initiari poterit, nec ingredi religionem; sed expectare coniugis interitum, aut facultatem cohabitandi, aut est monendus per nuntium. Denique dùm censetur velle, quod in se est, baptizari, non potest alius matrimonium solvi. Quod rectè monuit Pater Thom. ea disputat. 74. num. 16.

Thom. Sanchez.

SVBSECTIO V.

Quando dirimatur matrimonium cum infideli?

§. 265. CONSTAT de caussis sufficientibus ad matrimonium dirimẽdum; restat explicare id, quo tempore dirimatur? Dico ergo 8. non dirimitur ipso facto baptismi. Quæ conclusio est de fide; quia Apostol. 1. ad Corinth. 7. monet baptizatos, ne discedant ab inbaptizatis: quia filij sunt legitimi. Quod Apostolus nõ moneret, si ipso baptismo solutum esset matrimonium; quia iam esset concubinatus, & filij illegitimi. Idem constat ex cap. *Quanto*, & cap. *Gaudemus* de divortijs, ex consuetudine Romana præscribente Iudæo quadraginta dies, & ex bulla Gregorij XIII. dispensante in adhibenda diligentia in conquirendo coniuge.

8. Conclus.

1. Corin. 7.

§. 266. Vndè quoties infidelis convertitur antequam fidelis novum inierit matrimonium, efficitur ratum, & insolubile, quod fuerat in infidelitate contractum; & cõiux, qui prius fuerat conversus, est compellendus ad recens conversum recipiendum; nisi iustas ob caussas excusetur à receptione. Hæc constant ex cap. *Gaudemus* de divortijs. Quia iam non est periculum subversionis. Item matrimonium antiquum non solvitur, nisi per novũ. *Contumelia creatoris solvit ius matrimonij ei, qui relinquitur*, id est, ei dat iustam caussam diremptionis; diremptio autem ipsa non fit ante novas nuptias. Quod doctè probat P. Thom. lib. 7. disp. 75. num. 4. ex quo id mutuatus Pontius, cap. 21. de impedimentis versu *mihi longè*.

P. Thom.

§. 267. Est difficultas, vtrùm solis novis nuptijs dirimatur matrimonium; an etiam sacris ordinibus, professione religionis, & voto simplici castitatis?

§. 268. 9. Conclus. Dico nonò, ordine sacro dirimente matrimonium, aut professione religiosa illud etiã dirimente, dirimi matrimonium contractum in infidelitate, altero renuente converti, aut habitare absque contumeliã creatoris: ita vt coniux infidelis iam non sit absolutè cõiux; nec eius impudicicia erit deinceps adulterium. Probatur, quia contumacia infidelis dat fideli ius ad matrimonium dirimendum per aliud: ergo multo meliùs per statum perfectiorem: probo consequentiam, quia qui habet ius ad dirimendum matrimonium per statum imperfectiorem, habet idem ius per statum perfectum: ius enim illud datur in favorẽ religionis Christianæ, & in salutem spiritualem alterius coniugis conversi, non verò in favorem matrimonij sequendi. Plus enim favisse Christum statui religioso, quàm coniugali, negavit Erasmus, & post eum Lutherus, & alij eiusdem fæcis homines bruti. Cùm ergo tota Christiana perfectio meliùs observetur in statu religioso, & clericali; quàm in laico (quantum est ex illorum conceptu) privilegium favens matrimonio, strictiùs amplectitur statum perfectiorem.

§. 269. Asserit quidam recens, hæc minùs considerate, & sine fundamento iuris dicta à nõnullis: esset enim matrimonium antiquum minime dirimi, nisi per subsequens cum fideli. Primùm: quia matrimonium ratum consummatum nõ dissolvitur ordine sacro, aut religione: ergo nec matrimonium infidelium. Secundò: quia matrimonium ratum non consummatum non dirimitur ordine sacro; sed solã professione; ergo nec matrimonium infidelium. Tertiò: quia cap. *Gaudemus* solùm agitur de secundo matrimonio, nec adducitur aliud tempus diremptionis. Cùm ergo hæc caussa adstruatur in iure, & aliæ reticeantur; hæc sola sufficit, quia *exceptio facit regulam in contrarium*.

§. 270. Authores, quos hic carpit sunt, Bonavẽt. in 4. distinct. 39. art. 2. quæst. 2. Richardus Maior, Sotus, Palacios, Celaya, Angles. P. Henriquez, P. Sa, Petrus Ledesma, Ludovicus Lopez, & Vega apud Patrem Thomam lib. 7. disput. 76. num. 9. quos ipse sequitur; item & P. Salmer. in eum locum disput. 12. versu *solvitur ergo*: omnes hi accusantur inconsiderationis in iure. Tertium autem argumentum, adductum §. 269. est ex Abulensi, nec firmum: sibi enim nulla fit exceptio; sed explicatur particularis occasio, quã dirimitur matrimonium. Innocentius enim dirimit quæstionem de coniuge, cum qua cohabitaturus erat fidelis conversus ad fidem. At ex puris particularibus haud rectè arguitur; quid ex vno solo à virtute autem ibi continentur hi nostri casus: argumento (vt

Bonavent. Richard. Maior. Sot. Palac. Celay. Angles. Henriq. Sa. Ledesm. Lud. Lop. Vega. Th. Sanch. Salmer.

S.Tho. q. 10. Art. 9. (vt aiunt) à minori: quia si status minùs perfectus dirimit matrimonium, perfectus illud dirimet à fortiori. Primum, autem argumentum è §. 269. malam habet consequentiam: quia matrimonium consummatum fidelium, non dirimitur novo matrimonio: ergo nec infidelium. En argumenti consequentiam eodem filo textam, cum absurdo consequente: ratio est, quia coniugi fideli semper est ius ad retinendum coniugium; secùs infideli: & quod viro non licet cum coniuge fideli, licet cum infideli, propter vtriusque ius inæquale. Secundum argumentum non habet meliorem consequentiam: quia matrimonium ratum fidelium dirimi non potest alio matrimonio; potest autem infidelium. Ergo poterit etiam dirimi ordine sacro matrimonium infidelium; licèt non possit ratum fidelium: quia infidelis non habet ius ad retinendum coniugium, vt habet fidelis. Hic autem sola professione Religionis potest eo privari iure: infidelis verò potest matrimonio solvi tribus illis rationibus.

§. 271. *Obiectio.* Obijcies: in favorem religionis non exigi solutionem matrimonij prioris: omnes enim conveniunt posse fidelem sacris initiari, & esse religiosum, perseverante infideli pertinaciter in infidelitate. *Resp.* Respondeo: id non futurum speciale privilegium baptismi: etenim ob hæresim, & adulterium coniugis baptizati idem poterit evenire; immò & infidelis potest divertere à baptizato adultero: est ergo speciale ius baptismi, vt solvat ius matrimonij discedente infideli à fideli in odiũ fidei. Fidelis autẽ potest eo iure vti, iniens eam vivendi rationẽ, quæ secũdùm se dirimat matrimonium, & reddat impotem licitè reddendi debitum: quia tunc vtitur iure suo, estque maius hoc privilegiũ, tùm quia est ereptio è servitute; tùm quia impudicitia carebit adulterij malitiâ; tùm tertiò, quia est maius privilegium fidei. Etenim fideli ornato sacris, aut religioso, esset difficilior conversio alteri coniugi: quia in lege Christi non permitterentur ei secundæ nuptiæ, vt in alijs sectis: videns autem sibi esse integras secundas nuptias, non revocabitur à baptismo desperatione secundi connubij.

§. 272. Si tamen tempore tyrocinij, aut novitiatus alter coniux convertatur, non solvitur matrimonium, & tenetur novitius ad coniugem iam conversam reverti, vt contra Abulensem rectè probat P. Thomas lib. 7. disp. 76. num. 7. *Th. Sanch.* Quia infidelitas non est divortium perpetuum; sed solum dum perseverat: at coniuge infideli iam converso non est infidelitas: ergo nec divortij ratio; sed sine vlla divortij ratione non potest legitimus coniux discedere à matrimonio consummato: ergo. Immò licèt ab Ecclesia lata sit sententia, & infidelis prætermitti permiserit tempus ab Ecclesia præscriptum; si tamen revertitur; tenetur fidelis ad eum redire. Idẽ dico de eo, qui suscipit Ordines minores; non verò Subdiaconatum.

Dico decimò: voto simplici non solvitur matrimonium. Ita P. Thomas Sanchez lib. 7. disputatione 76. num. 12. §. 273. 10. *Concl.* *Th. Sanch.* Quia hoc votum ex natura sua non repugnat cum valore matrimonij: si enim quis voto simplici nuncupato ineat matrimonium, peccat; sed manet coniugatus: vnde coniux infidelis, si convertitur; non potest coniugari vivente coniuge priori. Dixi *ex natura voti*, non esse oppositionem cum matrimonio: quia vota simplicia Societatis Iesu pugnant cum valore matrimonij, non ex natura sua, sed ob speciale decretum Gregorius XIII. irritans matrimonia inita ab eo, qui in Societate expleto novitiatu vota simplicia nuncupavit.

Est autem quæstio, si quis fuit aliquandiu pertinax: ita vt fidelis coniux licitè potuerit nuncupare votum simplex castitatis extra religionem, aut in illa, in quâ vota sunt validè compossibilia cum matrimonio, §. 274. si postea coniux pertinax convertatur, an possit repetere coniugem, qui vota nuncupaverat? an verò necessariò sit illo caritura? S. Thom. in 4. dist. 39. art. 5. ad 4. respondet: nõ debere ei reddi coniugem, *S. Thom.* quod de voto castitatis extra religionem censet P. Thom. lib. 7. disp. 76. num. 6. *Th. Sanch.* quia votum est emissum tempore, quo absolutè poterat & obligabat: cuius vis non adimitur per feram alterius coniugis conversionem.

SVBSECTIO VII.

Cohabitatio fidelis cum infideli est licita secundum se.

DICO vndecimò: cohabitatio fidelis cum infideli secundum se, non est illicita, sed potest esse tàm licita, §. 275. 11. *Concl.* vt consuli possit, & præcipi. Doctrina est de fide tradita cap. *Gaudemus* de divortijs, & 1. ad Corinth. 7. 12. vbi Apostolus hortatur *1. Corin. 7.* fideles recèns conversos, ne discedant à cõiugibus infidelibus, consentientibus habitare cum fidelibus. Quę verba esse præceptum censuerunt S. Ambrosius, & alij graves Patres apud P. Thomam lib. 7. disp. 63. num. 7. *S. Ambros.* quos sequutus Poncius cap. 31. de impedimentis versu *deinde primis*. *Poncius.* At verè id esse

consi-

consilium, integrumque fuisse fideli cohabitare, & discedere: testes sũt S. Augustinus, Sanctus Thomas, & plerique Patres apud Thom. eodem num. 7. quos ipse sequitur: item & P. Cornelius P. Iustinianus asserũt hunc esse ferè omnium Theologorum sensum, in quem P. Salmerõ inclinatur. Si autẽ discessus esset cũ damno fidei, posset interdici præcepto. Ratio huius doctrinæ insinuata est ab Apostolo: quia sperari potest infidelis conversio, nec timeri fidelis deceptio.

August. S. Thom. Th. Sanch. Cornel. Iustinian. Salmer.

§. 276. Ego quidem existimo consilium Apostoli non esse legem; quia fidelis carens liberis, & non speratus certò, & proximè coniugis cõversionẽ, potest licitè discedere, quia est grave onus ferre infidelium mores. At verò qui liberos habet, eosque est desertturus per discessum, & illi sunt educandi ritu infideli, tenetur lege charitatis in liberos nõ discedere, quia tunc nullum est probabile discrimen deceptionis propriæ, & est evidens infidelitatis liberorum, quorum saluti providere tenetur: ergo non potest discedere. Idem dixerim, quando proxima est spes convertendi alterum coniugem: lex enim charitatis obligat ad providendum coniugis saluti spirituali, quando sine gravi incommodo potest. Ita compono Sanctũ Ambrosium, Chrysostomum, OEcumenium, Theophilactum, esse præceptum illa Apostoli verba, non generale, sed illis, qui sinẽ detrimento spirituali filiorum, & coniugis, discedere non possunt: cùm Sancto Augustino, Thoma, & alijs, esse consilium, non generale; sed his, qui absque eo detrimento possunt discedere. Accipienda enim sunt Apostoli verba accommodatè personis, cum quibus agitur: quia verò illæ non habent eamdem rationem permanendi cum infideli cõiuge, non debuerunt eâdem lege teneri, nec eodem consilio.

S. Ambros. Chrysost. OEcum. Theophil. August. S. Thom.

§. 277. Animad. Adverte non licere coniugi fideli manere cum infideli blasphemante creatorem, aut pertrahente ad peccatum; sed teneri fidelem ab eo divertere. Hæc doctrina est certissima. Rogatus enim Apostolus à Corinthijs: quid agendum sit fideli coniugi? respondit, eum posse manere cum infideli, si hic consentiat habitare pacificè cum fideli. Infero inde, infideli nolente habitare pacificè, non posse licitè fidelem cum eo manere, in quo nulla est cõtroversia. S. Thom. in 4. dist. 39. art. 3. docet non posse fidelem manere cum infideli, cuius conversio desperatur: multò ergo minùs cum blasphemante. Hoc intelligo per se; per accidẽs autẽ poterit aliquandiù manere: quia aliud non potest absque gravissimo incommodo: v. g. quia sine vitæ discrimine non potest divertere; aut gravi morbo laborans, non potest alibi curari, aut ali: aut si ex eius fuga grave damnum sequatur in fidem: quia Princeps infidelis fideles patitur prædicatores fidei; quos tamen arcebit è regno, si à coniuge deseratur. Dico ergo sola incommoda carendi vita coniugali non sufficere ad excusandam perseverantiam cum coniuge blasphemo; si verò præter hæc alia sequantur, qualia retuli, excusatur ea permanentia. Quia perseverantia est illicita propter periculum subversionis: & quia videtur coniux consentire in blasphemiam, vt ait Sanctus Thomas de perseverante cum adultera, & cum ea, cuius conversio desperatur. Sed tunc pono nullũ esse probabile periculum subversionis, & gravissima damna imminentia testari perseverantiam non oriri ex consensu in blasphemia: ergo.

S. Thom.

Ratio huius exceptionis est: quia cohabitatio non est intrinsecè mala, & quamvis sit prohibita à Deo, non est quòd intrinsecè mala sit: &, vt potest Pontifex declarare posse fidelem aliquando inire matrimoniũ cum infideli, ob graves caussas in favorem fidei, licèt sit prohibitum à Deo: ita Pontifex dispensare poterit in hac cohabitatione, ipseque coniux, vrgente aliqua ex his caussis, prudenter interpretatur, se non vrgeri eo præcepto, dùm commodiùs illud exequi non potest. Ecquis existimet se obstringi à Deo, aut Ecclesia, ad vitandam rem indifferentem cum vitæ dispendio? Quòd si filios educat vxor ritu Christiano, dum vivit cũ marito blasphemo; eos autem arbitratur à fide defecturos, si deserantur à matre, cur hæc piè non faciet in retinendo contubernio, cùm indè augeatur fides sine sui periculo? immò tunc tenetur non discedere, dùm est sui secura: aut cur Regina fidelis cogetur Regẽ deserere, apud quem degens occasioni est crescendæ fidei. §. 278.

Item adverte, licuisse quondam discessum ab infideli pertinaci volente cohabitare pacificè, & absque cõtumelia creatoris, & pertractione ad peccatum: licuisse item & cum illo permanere. Tunc autem qui discederet non poterat infideli coniuge superstite novas inire nuptias. Ita frequenter Doctores. Quia Paullus solum discessum viri dixit esse ius excutiendæ servitutis coniugiorum. Cùm enim consuluisset, vt fideles degerent cum infidelibus pacificè consentientibus, adiecit. Quòd *si infidelis discedit, discedat: non enim servituti subiectus est frater, vel soror in huiusmodi*, id est, illo non discedente, servitituti subiectus est frater; at discedente servituti subiectus non est: indè ortum traxit, *contumelia creatoris solvit ius matrimonij*: ergo vbi non est contumelia creatoris, non solvitur matrimonij ius: Quam doctrinam expressit §. 279.

Sanctus

S.Tho.q. 10.Art.9. S.Thom. Innoc.3. Sanctus Thom. in 4. distinct. 39. art. 5. nec ab eâ potest aliquis dissidere. Satis enim clarè insinuatur ab Innocentio Tertio, cap. *quanto* de divortijs: in hoc enim casu interpretatur Apostolum. Potest tamen hic fidelis, monito infideli, & recusante conversionem, sacris initiari, & religionem profiteri; at non dirimitur matrimonium, vt cõtingit in divortio ob adulterium.

§.280. Ostendi non esse secundùm se illicitam cohabitationem cum infideli non blasphemante, nec trahente cõiugem ad peccatum; sed volente cohabitare pacificè. Quod cõcedit Sanctus Thom. in 4. distinct. 39. art. 3. quando est aliqua spes de eius conversione: si verò desperetur conversio, non potest fidelis licitè cohabitare cum infideli: primùm à simili: quia tenetur coniux dimittere sociũ adulterum, quando eius emendatio desperatur. Secundò: quia, qui ita cohabitat consentire videtur in peccato coniugis. Quam sententiam sequitur P. Thom. lib. 7. disput. 73 num. 10. cùm Turrecremata, Viguerio, & P. Henriquez: cui quidem non acquiesco cum Durando in 4. dist. 39. quæst. 2. num. 10. Soto, Veracruce, Bartholomęo Ledesma, & alijs apud P. Thomam eodem num. 10. Quia Paullus consuluit ne fideles discederent ab infidelibus; volentibus pacificè consentire; sed licèt desperetur conversio infidelis, potest pacificè cõsentire: quia, nec Deum blasphemat, nec pertrahit ad peccatum, nec coniugi adimit facultatem exercendi Christianismi: ergo non tenetur ab eo discedere.

(S.Thom. Arg. — Th.Sanch. Turrecr. Viguer. Henriq. Durand. Sot. Veracruz. Ledesma.)

§.281. Ad arg. Ad 1. Sancti Thomæ, nego antecedens de vxore, quæ nunquam tenetur ob adulterium viri ab eo divertere: vt rectè probat Pater Thomas tomo 3. lib. 10. disput. 13. num. 29. Vir autem raro tenetur dimittere adulteram, vt docet idem num. 25. obligatio autem oritur ex scandalo: sic cùm datur iusta scandali occasio, tenebitur fidelis ab infideli discedere; secùs quando non est. Ad secundum respondetur, posse fidelem ostendere se non consentire, & efficere vt clarè constet. Qui ergo tacet consentire videtur, quando non loquitur cùm potest; secùs cùm aut loquitur, aut loqui non potest. Adverte cum Sancto Augustino nullius correctionem esse desperandam omninò, dùm superest halitus; sed desperare dicimur dùm non affulget spes; sed hominem semper intuemur pertinacem. At, vt non tenetur coniux à coniuge discedere ob pertinaciam in furto, aut homicidio; cur tenebitur ob infidelitatem, si non recusat pacificam cohabitationem?

SVBSECTIO VIII.

Vtrùm cohabitatio cum infideli sit iam illicita ab extrinseco præcepto, aut consuetudine?

DICO duodecimò: ab extrinseco præcepto, & consuetudine est illicita nũc, & pluribus ab hinc annis, cohabitatio fidelis cum infideli coniuge. Quod liquidò constabit recensis legibus, quibus ea cohabitatio interdicitur. Quod docuit Sanctus Thomas in 4. distinct. 39. art. 3. ad 2. & plures alij, cum quibus Pater Thom. lib. 7. disp. 74. num. 12. Pater Cornelius in 1. ad Corinth. cap. 7. vers. 15. Pater Paullus Comitolus, lib. 1. quæst. 124. num. 4. Ratio est, quia tàm Gentiles, quàm Iudæi sunt pervicacissimi, qui suis coniugibus occasioni sunt lapsui, ob quod Ecclesiæ consuetudo providit discessum à coniuge infideli, in sensu explicando. §.282. 12. Concl. S.Thom. Th.Sanch. Cornel. Comitolus.

Dico decimotertiò. Hæc obligatio nititur præsumptioni, qua frequenter inbaptizati laqueum tendunt fidelibus coniugibus, vt discedant à fide. Ita decernitur in Concilio Toletano 4. cap. 62. Refertur cap. Iudæi 28. quæst. 1. Gratianus subiecit. *Verùm hoc statutum est, ne dùm fidelis salutem quærit infidelis, potiùs ipse cum ea infidelitatis perditionem inveniat.* Glossa litera A. *Quod dicitur hic, separandos esse, intelligas in illis casibus, quando in contumeliam creatoris vult habitare cum eo, vel vt trahat eum ad aliquod mortale peccatum.* Censet eadem Glossa hoc caput revocatum in cap. *Quanto* de divortijs ab Innocentio Tertio, multò recentiore Theodoro Primo, cuius ætate Concilium coactum est. Immò Pater Cornelius in 1. ad Corinth. 7. 15. declinat eius obligationem, quòd fuerit Provinciale Concilium, nec confirmatum fuerit à Pontifice, neque toti Ecclesiæ propositum. Denique Canõ ille est contra Iudæos, qui non porrigitur ad Paganos. Item cap. 61. agit de ijsdem, non verò de omni inbaptizato: nec sermo est de coniugibus; sed de Hebræis conversis, vt vitent non conversos. Deinde nullum affertur ius ad probandum illicitam esse cohabitationem cum infideli; sed tantùm Ecclesiæ consuetudo, quæ innititur eidem præsumptioni. S.Thom. in 4. distinct. 39. art. 3. ad 2. movetur, quia iam nulla est spes, vt coniux infidelis convertatur. §.283. 13. Concl. Concil. Tolet. Gratian. Glossa. S.Thom.

§.284. Dico decimoquartò: fidelis: qui certus est sibi nõ imminere probabile deceptionis pericu-

Glossa. Monald. Abulens. Veracruz. Navar. Th. Sanch. P. Cornel. P. Rebell. S. Bonav. Antonin. Covarr.

periculum, non tenetur fugere cõiugem infidelem. Hæc doctrina est Glossæ capitis, *Iudæi* 28. quæst. 1. Monaldi, Abulensis, Veracrucis, & Navarri apud P. Thomam lib. 7. disput. 73. num. 11. Patris Cornelij in 1. ad Corinth. 7. 15. & Patris Rebelli 2. part. lib. 3. quæst. 10. sect. 1. num. 2. pro qua adducit SS. Bonaventuram, & Antoninũ, Covarruviam, & alios. Omnes hi censent nullâ lege, aut consuetudine generali teneri fideles ad deserendos coniuges infideles, volentes cohâbitare pacificè, & absque periculo deceptionis. Ratio est, quia non satis cõstat de hoc præcepto, & consuetudine: etenim Sanctus Thomas & S. Bonaventura fuerunt Synchorni, & Sanctus Thomas affirmat tunc illicitam esse cohabitationem. S. Bonaventur. in 4. dist. 35. art. 2. quæst. 1. id negat; temporibus autem posterioribus divisi sunt hac in parte Doctores. Ergo non satis constat de eâ consuetudine.

S. Thom. S. Bonav.

§. 285. Secundò probatur ex cap. *si quis gentilis* 28. quæstione secunda, vbi Euthichianus Papa, qui obijt anno 283. statuit liberum esse gentili baptizato discedere, aut non discedere ab vxore gentili, dimissâ ante baptismum ipsius viri. Nec verò Euthichianus agit de dimissâ solùm ob adulterium, vt vult aliquis; sed dimissâ ob fornicationem licitam, aut illicitam in gentilium lege, vt clarè docet glossa eius capitis initio; immò & dimissam ob solam facultatem repudij: vt docet eadem glossa, his verbis. *Dicitur, quod si gentilis antè baptismum vxorem gentilem dimiserit, causâ fornicationis, vel secundum consuetudinem gentilium, vel ex alia iustâ causâ*; illa autem consuetudo erat repudij: inferiùs ait glossa. *Quocumque modo eam dimiserit, sive quia dedit libellum repudij, &c.* Nec ex Euthichiani decreto colligi potest, eum loquutum de dimissâ ob solum adulterium; sed agit vniversim de omni legitima vxore dimissâ, vt constat ex eodem decreto Pontificis, post eius epistolam secundam, tomo primo Conciliorum: quod decretum adduxit Gratianus in suo, qui floruit anno 1149.

§. 286. Tertiò probatur ex capite *gaudemus* de divortijs. Vbi Innocent. Tertius (qui obijt anno 1216.) asserit posse fidelem habitare cum coniuge infideli habitante pacificè. Quod de Paganis dubitari non potest. De Iudæis idem arbitror. Immò Concilium Toletanũ 4. vel abrogatum, vel mitigatum. Quod censuerunt glossa capitis *Iudæi* 28. quæst. 1. & Pater Rebellus adductus §. 284.

P. Rebell. Poncius.

Poncius cap. 21. versu *neque obest*, duos lapsus notat in Rebello. Primum, quia Pontifex non agit de Iudæis; sed de Paganis: quia loquitur de his, qui ante baptismum vxorem duxerant legitimè in gradu sanguinis ab Ecclesia prohibito; at dici non potest in lege Mosayca ea matrimonia esse legitima, quia interdicta sunt à Mose. Secundum, quia Pontificis institutum non est decernere de cohabitatione fidelis cum infideli; sed tantùm de non dissolvendo coniugio inter infideles contracto in gradu ab Ecclesia interdicto. Tertiò asserit, eo decreto nihil concludi, quia licèt gentili sit licita ea cohabitatio; non tamen Iudæo, & licèt omnibus tunc fuerit licita; iam non est, quia authores multò posteriores Innocentio id affirmant.

Illa interpretatio Rebelli est Glossæ eiusdem capitis, quod observat ipse Rebellus: §. 287. cur eam in solo Rebello flagellat Poncius, & non in primo authore? & quidem fateor ibi sermonem institutum de Paganis, quia quæstio erat proposita de Paganis ab Episcopo Tyberiadensi, & verba Innocentij sunt clara: agit enim de Pagano Poligamo: *& quæritur vtrùm Pagani vxores.* At licèt de Pagano sit controversia, eius diremptio est etiam communis Iudæo. Vndè glossa ait: *Pagani, sive infideles*: accipitur ergo species pro genere. Responsum autem est bipartitũ: in prima parte agitur vniversim de omni fideli: eum posse licitè vivere cum coniuge qualibet habitare volente: quod confirmat Apostoli testimonio, & quidẽ Apostoli verba cõmunia sunt omni infideli: itẽ quod ait Innocentius baptismo peccata dimitti, & nõ dissolvi coniugia, quis dicat non convenire Iudæo? Item Ecclesiæ lege non teneri qui foris sunt, ad Iudæos apertè porrigitur. Si quis enim dubitet, vtrũ Iudęi teneantur legibus Ecclesiæ? ei possumus negativè respondere hoc testimonio Innocentij? ergo diremptio quæstionis communis est etiam Iudæo. §. 288.

Quę ille obijcit §. 286. non vrgent. Primũ enim iam est dilutum, quæstionem institutam de Paganis; diremptionẽ fuisse communem Coniectura illa non est firma: licèt enim Moses vetuerit nuptias inter consanguineos & affines Levit. 18. at non inter omnes. Levit. 18. Vetuit enim secundum gradum in parte, id est, inter sobrinum, & amitam, aut materteram; non tamen inter avunculum, aut Patruelem cum sobrina; nec inter duos consobrinos filios duorum fratrum: in tertio gradu nulla fuit prohibitio. Quod legenti caput 18. Levitici constabit, de quo disserit P. Thom. lib. 7. disputat. 57. num. 1. P. Thom. Sanchez. Item consanguineus propior ducturus erat viduam consanguinei filijs carentem. Demus propinquiorem esse in secundo, aut tertio gradu: hic legitimè poterat inire connubium illud: (de quo satis vulgata est historia Booz, & Ruth); quod tamen

S.Tho. q. 10. Art. 9. S. Bonav. tamen interdictum est in Ecclesia. Ergo habent Iudæi aliqua connubia legitima, illegitima apud nostros. Quod observat Sanctus Bonaventura in tertio, distinctione 39. articulo secundo, quæstione vltima. Illa ergo doctrina communis est Iudæis, de quibus, si eadem instituatur quæstio, est eadem ratione solvendus nodus. Magis displicet, quod secundò ait, Pontificem non egisse de licità cohabitatione coniugum, cum Pontifex asserat, *fideles huiusmodi matrimonialiter collocati, liberè possunt, & licitè manere coniuncti.* Hæc autem doctrina pluribus à Pontifice confirmatur. Quod ait tertiò, non tàm absonat; sed nec admodum ipse probat, vt constat ex §. 284. Nec potuit Sanctus Thomas eâ consuetudine niti: S.Thom. obijt enim anno 1274. annis 48. post Innocentium authorem eius decreti; cùm tamen Innocentius, qui decem & novem annis functus est summo Sacerdotio, non statuerit eam legem vltimo die; nec Sanctus Thomas eam sententiam docuerit, nisi iuvenis. Commentarios enim in libros sententiarum dedit luci primo iuventæ flore, vt communiter fertur; quamvis dubitat aliquis. Sed Sanctus Thomas innititur exiguæ, aut nulli spei de conversione infidelis. Nec tàm brevi ius Pontificium contraria consuetudine potuit abrogari.

§. 289. 4. Probat. Quartò probatur, quia infideles si necessariò essent abducendi à coniugibus, deterrerentur, à conversione: quam rationem tradit Innocentius eo capite *gaudemus.* Immò ea lege infiniti non tenerentur, quia eam servare non possent sine gravissimo damno. Multæ enim fœminæ carerent honesta vivendi ratione, nec haberent vnde alerent & curarent corpora. Nec possent filios educare Catholicis institutis. Sæpe autem lege charitatis tenerentur ei legi non parere, propter filiorum spirituale damnum. Recognosce §. ducentesimū vigesimum quartum.

Rogas, cur à me fuerit assertum §. 282. interdictam esse eam cohabitationem? Res- §. 290. pondeo: propter consuetudinem Romanorum abducentium coniuges conversos à pertinacibus Iudæis, nisi intra quadraginta dies resipiscant. Ea tamen consuetudo est, quia in Vrbe obstinatissimi sunt Iudæi, & adeo infensi conversis, vt in illorum vico nullus securè degat, nec vult vllus, nec audet, propter metum aliorum Iudæorum, securitatem paci sci de pacifica cohabitatione cum coniuge converso. Quia ergo desperatur cohabitatio, qualis exigitur ab Apostolo, est illicita conversis: eaque propter consuetudine etiam publicâ est interdicta. Item in Provincijs Catholicis ob eam consuetudinem non licet coniugi fideli habitare cum infideli; nisi publicè, & apud Iudicem infidelis securitatem præstet de pacifica cohabitatione sine contumelia Creatoris, & pertractione ad peccatum. Ad hoc enim obligat consuetudo in his Provincijs, vbi Magistratus & Principes sunt Christiani.

At verò in Provincijs infidelium ea consuetudo non obligat; sed existimo in §. 291. Iaponia, Sina, Mogore, & alijs, hâc in parte, revocatum esse statum primitivæ Ecclesiæ, & vtendum consilio, aut præcepto Apostoli: quia Ethnici ingenti prosequerentur odio ministros Christi, si coniuges ab illis se vocarēt. Quod rectè observarunt Pater Rebellus 2.p. lib. 3. q. 10. sect. 1. nu. 2. Rebellus. Cornelius adducens Speculum, & P. Cornelius in 1. ad Corinth. cap. 7. vers. 15. Aliquis hoc adscribit Pontificis dispensationi; eam tamen nusquam vidi; expedirique potuit, non quòd esset necessaria ad licitam cohabitationem; sed ad evellendos scrupulos. Et quidē satis constat noluisse Pontifices, Ethnicos Oriētales obligari multis legib⁹, quæ observari non possent absque gravi detrimento illius Ecclesiæ. Hac in parte securissima est sententia proposita §. 284.

SVBSECTIO IX.

De matrimonio baptizati cū inbaptizato.

HAC de re me breviter expediam. Matrimonium fidelis cum infide- §. 292. li interdictum fuit Iudæis. E qua prohibitione colligunt non pauci, id esse omnibus fidelibus interdictum, quia lex illa est in parte moralis. Quæ ratio communis est cuivis fideli, nempè, periculum deserendæ fidei, quod & experientia testatur, & indicat ratio; id tamē intelligitur, quando infidelis pertinax est in errore; si autem ad veram emigret religionem, licitum est cū eo coniugium. Hoc tamen ius non reddit nullum matrimonium, & potest Pontifex iusta de caussa illud interpretari, facultatēque facere, vt baptizatus ducat inbaptizatum, vt annis superioribus id fecisse dicitur Paullus V. cum Sinis. Si autem ea interpretatio expectari non possit absque gravi Ecclesiæ dāno; videtur fidelis posse interpretari Pontificis voluntatē, & nubere cū infideli. v.g. Siquis Hispanus placeat Ethnicorū Reginæ in Oriēte; & illa eū velit sibi matrimonio adiūgere, pollicēs se permissuram prædicatores Evāgelij, & libertatē baptismi hic

hîc cessat contraria[illegible]nis legis, quia coniux periculo vacat; fides autem potest disseminari: ergo tunc non obligat lex. Quare
Th.Sanch. Sot. Pater Thomas lib. 7. disputatione 71. num. 5. adducens Sotum, & alios, asserit hoc matrimonium esse illicitum, nisi vrgens aliqua excuset caussa, quæ dictet prudenter illud iniri posse. Quæ autem potest esse gravior, quàm ea, quæ favet legis fini? Ratio est, quia hoc coniugium non ideò interdicitur, quia est intrinsecè malum; est enim intrinsecè indifferens; interdicitur autem ob coniugis periculum. Quod si cessat, & aliundè ex ommissione connubij detrimentum patitur fides; planè concluditur eâ lege tunc non teneri fidelem.

§.293. Immò non omninò improbabile alicui videbitur cessante deceptionis periculo, & instante periculo mortis, posse celebrari coniugium, quia ij authores dicunt posse honestari vrgente caussa. An ne vrgens caussa non erit intenta mors præsens? & quidem lex Ecclesiastica, aut consuetudo non habet vim in simili eventu, nisi cùm est in communem vtilitatem, & ex eius violatione in aliquo singulari casu potest emergere grave damnum, vt emergeret ex matrimonio Sacerdotis; & ex clandestino: quia multi fingerentur eventus, quibus hæc matrimonia speciem haberent timoris cadentis in virum constantem. At ex hac legis exceptione nihil incommodi sequitur: quia ij eventus sunt perrari. Nihil audeo statuere de probabilitate huius sententiæ: quia in morali doctrina consideranda est communior, & quæ magis favet honestati morum; quàm, quæ Methaphysicis argutijs magis arridet.

§.294. Apud antiquos nonnulla connubia inita fuerunt cum infidelibus, vt Hesther cum Assuero Ethnico, & in novo testamento S. Monicæ cum Patricio. Illa tàmen, aut cum ignorantia excusante à crimine, aut divina revelatione inita fuere: de Sancta Monica, ait Bellarminus, aut ignorasse ius, quia consuetudine satis generali ea connubia erant frequentia; vel si peccavit, eam flevisse peccatum. Fortè tunc dispensatio erat Episcopo commissa. Magis inclinor in fœminæ iuvenis ignorantiam: ea autem matrimonia multis abhinc sæculis sunt invalida. Prohibentur autem in Concilio Illiberitano Canon. 15. & 16. cap. *caæve*, & sequentibus 28. quæstione prima. Maximè autem interdicuntur nuptiæ fœminæ Catholicæ cum hæretico, aut inbaptizato propter maius periculum: non solùm cum infideli; sed etiam cum Cathecumeno, nullum est matrimonium. Item hæ-

Bellarm.

Concil. Illiber.

reticus & Apostata nullum efficiunt matrimonium cum inbaptizato: quia tenentur legibus Ecclesiæ. Recognosce Bellar. tom. 3. lib. 1. de matrimonio cap. 63. P. Valent. tom. 4. disput. 10. quæst. 5. p. 3. versu *cultus disparitas*. P. Thom. Sanchez tom. 3. lib. 7. disputat. 71. Hic animadverte in Provincijs Ethnicorum, in quibus denuò statuitur fides, difficilem esse huius consuetudinis valorem: quia ea excepta est in Provincijs abundantibus multitudine fidelium, inter quos possent esse coniugia; at non est cœpta in ipso prædicationis exordio. Pone virum Principem apud Iaponos esse primum, qui cõvertatur ad fidem. Si hæc cõsuetudo apud illos valeret, non haberet ille spem vxoris ducendæ: quia tunc nulla erat Christiana: nec ille poterat scire, vtrùm aliqua esset cõvertenda digna suo connubio. Hoc autem maximo esset impedimento ad suscipiendã fidem. Igitur ea connubia ibi sunt licita, donec crescat multitudo fideliũ: vel quia consuetudo ibi non obligat ex se, quia ibi non sunt circumstantiæ, quibuscum ipsa percrebruit: vel quia si cõsuetudo secundũ se valet, Pontifex in eâ dispensat expressè, vt Paullus V. cum Sinis: vel ex præsumpta, & interpretativâ dispensatione, fiunt licita: quia per epicheiam exponimus prudenter Pontificem velle amovere eiusmodi impedimenta: vt cũ illis dispensatur in ieiunijs, ne cõiuges offendantur. Constat ex P. Ludovico Guzmano tom. 2. historiæ Iaponicæ lib. 12. c. 5. Regem Omuræ Bartholomæum virum prudentissimum, & maximè pium filiã Manciã iam baptizatam matrimonio dedisse Grandono Ethnico, hæredi Regis Firandensis.

Bellar. P. Valent. Sanchez.

Ludov. Guzman.

SECTIO VIII.

De communicatione cum infideli in libris.

SVBSECTIO I.

Qui libri sint probibiti?

§.295. *2.Concl.* DICO primò: in bulla *In Cœna Domini*, sunt prohibiti omnes libri hereticorum cõtinentes hæresim, vel de religione tractantes. Vndè sunt etiã prohibiti in Hispania iure quæsitorio, vt constat ex Indice Cardinalis Bernardi Sandovalis anno 1612. Regulâ prima. Hæc conclusio est certa ex ipsa bulla excommunicat. 1. vbi anathemate feriuntur, qui legunt *libros hereticorum heresim continentes, vel de religione tra-*

 ctantes,

S.Tho.q. 10.Art.9. stantes, ex præcepto huius bullæ non interdicuntur libri authoris non hæretici, quamvis hæresim contineant; sed solùm libri authoris hæretici agentis de religione, vel hæresim continentes. Duo igitur exiguntur: alterum, vt author sit hæreticus; alterum vt contineat hæresim, vel de religione tractet: in libro alterutrum satis est; nec opus vtroque. Quamvis enim hæresim non contineat liber, si de religione tractet, est prohibitus: item si hæresim contineat, licet de religione non agat: damnatus igitur author damnationi est libro suo altera parte infecto: & quidē iure, quia si hæretici de religione tractāt quāvis hæreticū virus non effundant: at certè tàm male & abiectè agunt, vt timeri possit audientium animos infrigidandos; nec decet religionem docere, qui eam abnegant, neque noverunt.

§.296. Et quamvis in bulla Cœnæ soli præstringuntur hæretici; at in fide quoque suspectus interdicitur liber, vt constat ex constitutione Paulli V. anno 1612. in qua refert à prædecessoribus suis interdictos libros hæreticorum, & suspectos de hæresi, & abrogat privilegium nonnullis in Hispania concessum ad eosdem legendos, qua constitutione vsi quæsitores nulli facultatem faciunt eos legendi libros, nisi gravissima, & vtilissima ex causâ.

§.297. Hæreticorum aliqui libri permittuntur in bulla Cœnæ; non tamen, nisi qui hæresim non continent, neque agunt de religione. Historici autem, & de alijs argumentis à religione alienis non interdicuntur à iure.
Paulli V. At verò ex eâdem Paulli V. constitutione omnes hæreticorum libri sunt interdicti, his verbis. *Cùm (sicut accepimus) licentia legendi libros hæreticorum, vel de hæresi suspectos, aut aliàs reprobatos*, & infrà excommunicat *legentes libros huiusmodi*.

§.328. Hæc autem prohibitio librorum authoris hæretici non continentium hæresim, nec de religione tractantium, non est absoluta, sed præcipitur, ne quis eis vtatur, nisi priùs sint recogniti, & approbati à Theologis pijs ex præscripto quæsitorum, vt constat ex indice Cardin. Bernardi Regula 2. cùm enim constitutio illa sit promulgata petente quæsitore Maximo, non porrigitur eius prohibitio vltra mentem postulantis. Video cap. *fraternitatis* 3.q.4. asseri à Gregorio Primo, damnato authore, eius scripta
Greg. 1. damnari; id autem intelligo de scriptis damnabilibus, qualia sunt, quæ hæresim continent, aut agunt de religione; rectè enim dicitur, non posse de religione disserere, qui religionem ignorant. Itaque iure communi nō sunt prohibiti omnes hæreticorum libri. Vbi autem vrgeant leges Inquisitionis Hispanæ, omnes sunt interdicti, donec approbentur à Theologis ij, qui nec hæresim continent, nec de religione tractant. P. Azor, to- P. Azor.
mo 1. lib. 8. cap. 16. quæst. 5. ait eamdē prohibitionem esse generalem in indice librorum prohibitorum, etiam si libri non contineant hæresim, nec de religione tractent; id autem accipio, vt exponitur indice quæsitorum Hispaniæ, nisi priùs ex præscripto Pontificis approbentur à Theologis pijs: nullibi enim strictiùs hæc iura servantur, quàm in Hispania.

At omnium Hæresiarcharum libri sunt §.299.
interdicti in Hispania, de quocumque argumento sint, qui nullâ ratione permittentur, nec eos arbitror posse permitti: excipe quæsitorem generalem Hispaniæ, vt constat ex eâdem constitutione Paulli V. Hæresiarchæ verò sunt Arius, & omnes antiqui primi hæresum inventores, & recentiores alij: Lutherus, Bucerus, Calvinus, & alij præfixi in indice Cardinalis Bernardi post primum indicem ante indicem secundum. Quæ prohibitio est etiam generalis, vt constat ex P. Azore tom. 1. lib. 8. cap. 18. versu *In Regula* 2.

Item sunt interdicti à quæsitoribus Re- §.300.
gulâ 3. Thalmud cum glossis Cabillisticorum, alijque impij, & nefandi Hebræorum libri. Quod interdictum generale est, & à pluribus Pontificibus ortum, vt ibidem refertur. Item Alcoranum, & omnes libri, in quibus docetur lex Mosis, aut Mahometi: at fiet facultas à quæsitoribus, vt viri pij, & docti vti possint Rabbinorū libris in Scripturis alienis ab impugnatione Christianæ fidei; non tamen ad vsum Thalmud, & eius glossarum: alij libri prohibentur eodem indice, maximè in regulis, quorum esset longa recensio.

Hæreticorum scripta inserta verbum pro §.301.
verbo in libris Catholicorum ad eadē confutanda, vt fit à Ioanne Roffensi, Cardinali Bellarmino, & alijs, non prohibentur; vt cōstat ex eodem indice Regulâ secunda, nec continentur in bulla Cœnæ, quia illa non sunt hæreticorum libri: liber enim est Catholici, qui prodire non potuit, nec Catholicis prodesse, quin verba referret hæretica ad confutandum.

Sunt nonnulli Catholicorū libri, cū expla- §.302.
natione hæreticorū, & cōmentarijs. Quæritur an ij libri sint prohibiti? P. Suar. tom 5. P. Suar.
in 3. p. disp. 21. sect. 2. num. 10. & disput. 20. de fide, sect. 2. num. 13. ait librum hunc non esse prohibitum, quia est authoris Catholici, si scholia hæreticorum sint exigua; secùs si magna sint. Primū quia eiusmodi libri appellari cōsueuerunt à commētatoribus, vt commentaria S. Thomæ, & S. Bonaventuræ in

Mag. in Magistrum sententiarum, denominantur ab ijs authoribus. Secundò: quia considerandum est præcipuè, quid contineat ipse liber, non qui appelletur. Pater Thomas Sanchez libro secundo, cap. 20. numero 25. ait cum alijs, eum librum non esse prohibitum, quantumvis hæreticorum excreverint scholia, quia liber est ab authore Catholico. Th. Sanch.

§. 303. Existimo vtramque sententiam in parte esse veram. Bifariam scribitur in alicuius authoris librum. Primùm, vt nihil scribatur, nisi faciens explanationi textus, à quo non possit, nisi incommodè Commentarius abiungi, vt commentaria Caietani, non possunt abiungi à textu Thomistico: quia tota sunt ad explanandam argumentorum vim, oppugnanda adversantium dicta, & methodum explicandam. Hi libri non sunt prohibiti, quia absolutè sunt, & dicuntur Sancti Thomæ, & non Caietani, sive commentaria sint prolixa, sive minuta: parum enim interest moles. Quòd si considerandum est præcipuè, quid contineant, quid interest magnitudo, aut parvitas, cùm in parvo libello possint plures hæreses doceri, quàm in alio magno volumine. Si autem præter explanationē alia disputet hæreticus, nō facientia textui explanando; sed quæ abiungi commodè possunt liber est interdictus, quantumvis sit exiguus, quia verè est ab hæretico authore. Sic ipsius P. Suarez Commentaria, ab ipso, & non à Sancto Thoma denominantur; complura enim disputat, quæ iam non spectant ad explicationem. Itaque Scripta illa, à quibus non pendent authoris Catholici explicatus, sunt prohibita; & liber ob illa. Alioquin occasione explanandi textum possent hæretici omnia sua dogmata disputare, vt Scholastici Doctores sua disputant, cùm Magistrum, aut S. Thomam explicant.

§. 304. At si liber sit hæretici, & explanatur à Catholico, est prohibitus absolutè: quia absolutè est liber hæretici; nec permittenda sunt commentaria, quia commentariorum quasi primus fons est author libri: ob quod nec hæreticorum commentaria sunt hâc lege prohibita. At disputationes independentes à textu, quæque ab eo possunt avelli, non sunt prohibitæ. Item prohibetur liber duorum authorum, quorum alter sit hæreticus, & qui vnam tantummodò continet hæresim, quia bulla loquitur in singulari de libris hæresim continentibus: si autem de religione tractent obiter, & perfunctoriè, sine hæresi, non sunt libri prohibiti. De religione autem tractant, qui de moribus, de ritibus Ecclesiæ Catholicæ, de Theologia Scholastica, de interpretatione Bibliorum, Conciliorum, Epistolarum Papæ, iurisque Canonici, atque Civilis: quia hoc multum spectat ad mores: libri autem sunt omnia scripta, sive evulgata typis, sive manuscripta. Epistola autem brevis non est liber, at non potest evulgari: si autem epistola agat ex instituto de probando aliquo errore, nec evulgari potest, nec legi: quia re ipsa tàm est liber, quàm quilibet tractatus, aut disputatio: epistola ergo, quæ obiter, aut non disputando tangit errorem, non est liber. Sic accipio Patrem Suarez & Sanchez; secùs si disputet, quantumvis breviter, quia idem damnum est in epistola, ac in libro. Libri Tertulliani, & aliorum antiquorum, vt Origenis, qui frequenter Patribus adnumerantur, permittuntur; non verò Biblia vulgari aliquo idiomate: si verò aliqua eius pars explicetur, permittitur, vt epistolæ, & Evangelia, quæ frequenter à concionatoribus explicantur, si cum illis feratur concio, & explicatio, vt constat ex Regula quarta Indicis Cardinalis Bernardi. Suarez. Sanchez.

SECTIO II.

Quibus sint interdicti libri?

SVNT interdicti Bullâ Cœnæ, libri hæreticorum hæresim continentes, aut de religione tractantes, omnibus baptizatis: non enim eo anathemate plectuntur soli Catholici; sed ipsi etiam hæretici: qui quoties suos libros relegunt, peccant contra hanc legem. Item capite *Fraternitatis* 3. quæstione quarta, damnata agnoscuntur scripta Authoris dānati. Item Summi Pontifices omnibus eos interdixere libros. Paullus V. adductus §. 298. excipit maximum quæsitorem Hispaniæ: itaque illorum librorum lectio illi soli est permissa; quæsitores autem summi Consilij videntur habere facultatem legendi eos libros, quos legendos permittere alijs possunt; si autem privilegio aliqui sunt donati, ipsi id scient. §. 305.

Controversia est, vtrùm in Provincijs hæreticis, aut vtentibus conscientiæ libertate, sit licita eorum lectio librorum? Pater Azor tomo 1. libro 8. cap. 16. quæst. 6. §. 306. Azor.

S. Tho. q. 10. Art. 9. censet illicitam esse hanc lectionem, etiam in ijs Provincijs, illis, qui studio defendendi fidem legunt eos libros; si in illis recepta est bulla Cænæ: & quidem alia Pontificum decreta admitti debent. Vnde quæstio instituitur ex hypothesi legis per se obligantis omnes baptizatos. Ac propterea in sententia P. Azoris omnibus est ea lectio interdicta; eam sentētiā tuētur P. Th. libro 2. cap. 10. num. 24. & Pater Suarez disp. 20. sect. 2. num. 27. & P. Becanus de fide cap. 15. num. 5. idem asserit vbi bulla recepta est. *Azor. Th. Sanch. P. Suar. Becan.*

§. 307. Medium iter ineundum à me censetur. Illi, ad quos non spectat tueri fidem publica disputatione, aut de scripto; non possunt eos libros legere, vt aiunt hi authores: quāvis sit cum animo errores confutandi: possunt tamen illi; immò & debent, quibus incumbit fidei propugnatio. Ratio à priori, quia lex non obligat cessante contrariè eius fine, vt ipsi cum cæteris admittunt; sed hîc contrariè cessat finis legis: ergo non obligat. Probo minorem: quia Doctori fidei propugnatori non est periculum deceptionis (vt pono), & ab eius abstinentia à libris hæreticorum, ipsa fides patitur damnum: quia libris, & scriptis non inspectis, non possunt illorum errores oppugnari: ergo. Secundò, quia in illis Provincijs scripta hæreticorum sunt in plebe communia: ergo opus est, vt Catholicorū oppugnationes sint etiam communes: vbi enim grassatur pestis, egetur medicamento, & quidem periret populus hæreticorum veneno, nisi antidoto Catholicorum ei mederetur Ecclesia. In Academijs autem, vbi Scholastici frequentes audiunt hæreticorum deliramēta; non posset fides conservari; nisi Catholici Doctores eos minutatim impugnarent. Memini me audisse Pratrem Gregorium de Valentia hæreticorum malleum; summo studio, ac sumptibus accipere solitum è prælo hæreticorum scripta nundinis divendenda, & dùm hæretici suspicarentur suos libros sine damno in lucem prodire, eos ijsdem nundinis conspicabantur oppugnatos, & elūbatos Gregoriana diligētiā. Nec hæc doctrina est ijs authoribus adversa, quā clarè tuetur P. Becanus de fide cap. 15. q. 8. num. 1. quam benè probat ex Concilio Carthaginēsi 4. cap. 16. itaque prohibitio non vrget in hac occasione. *Valent. Becanus. Concil. Carthag.*

(?)

SVBSECTIO III.

Quæ interdicantur actiones?

PRIMVM præcipitur, ne quis eos legat. Quod sonat oculis eos lustrare: si quis absque verborum prolatione libros oculis cernat, & ex visu callet: si verò verba recitet absque eorum inspectatione, aut repetat memoriter, non peccat in hanc legem, quia recitare non est legere: item opus est, vt verborum sensa percipiat: si enim quis recognoscens latinos characteres; grammaticæ autē latinæ ignarus, legat hæreticorum libros; non tenetur hâc lege, quia illa non est lectio formaliter, sed instrumentaliter; instrumentalis autem lectio interdicitur ad vitandam formalem. Item quia lex fertur, ne quis mente concipiat hæreticorum somnia; latinitatis autem ignarus ea non percipit, magis quàm Psytachus. Vide P. Suarez disp. 20. sect. 2. num. 18. & P. Thom. lib. 2. cap. 10. numero 47. & 51. §. 308. *Suarez. P. Thom.*

Si quis legentem audiat, non tenetur hac lege, quia audire non est legere: lectio enim est actus externus oculorum; audire aurium, de quarum actibus non agitur hâc lege. Ita sentit Pater Azor libro octavo capite decimo sexto, quæstione quarta, & Pater Sāchez numero quadragesimo octavo. Oppositum censet Pater Suarez disputatione vigesima, sectione secunda, nu. 19. Primùm: quia idem periculum est in audiente, ac in legente. Immò maius in audiente. Secundò auditus est sensus disciplinæ, non minùs quàm visus. Tertiò: quia lectio partim constat ex prolatione, partim ex perceptione; & re vera talis actio in perceptione consummatur. Ad primum, respondeo, probari interdici potuisse auditum; non verò interdictum: potuit verò ratio suppetere, quia lectio in actione externa consistit, auditus autem plus habet passionis, nec nobis est tàm liber, quàm visus: suntque perpauci, qui aliorum lectione student. Denique eius actionis non meminit lex. Ad secundum eâdem ratione respondetur. Ad tertium consideranda est perceptio ipsius, qui rem oculis lustrat: lectio formaliter est intellectio rei scriptæ accepta per visionem characterum; perceptio autem audientis non est lectio; sed auditio: hæc formaliter est actus intellectus, quo percipitur obiectum auditum, & in eo consummatur, quandò audiuntur verba significantia ad placitum: & vt non peccat, qui legit, dum non potest lecta percipere mente; ita §. 309. *Azor. P. Thom. P. Suar. Argum. Respond.*

ità neque qui audit, dùm non percipit. At lectio formalis est mihi interdicta, & instrumentalis comparatione illius; non tamen auditio.

§. 10. Si autem quis alicui præcipiat, aut consulat, vt legat librum hæreticorum; peccat contra hanc legem, & eius censurâ obstringitur, non quòd legentem audiat; sed quia est caussa legendi moralis. Quod censuerunt Patres Azor & Sanchez. Quod verum censeo, tametsi ipse legentem non audiat: quia lectio est actio, quæ & physicè, & moraliter potest ab aliquo exerceri. Quàvis autem ratione est interdicta: est enim interdicta omnis lectio; lectio autem moralis, sive moraliter facta, est lectio: est ergo prohibita: sic obstringitur irregularitate, qui hominem ab alio curat occidendum.

Azor. Sanchez.

§. 11. Pone hominem latinitatis ignarum legere libros hæreticorũ, scientem eos esse prohibitos, & considerantem eos percipi ab auditoribus. Rogo, vtrùm hic legendo peccet contra hanc legem? Respondeo, eum peccare contra legem charitatis, si legat libri partem, in qua prava dogmata continentur, si quod sit probabile periculum, vt auditores decipiantur; si verò nullum sit periculum auditori; non videtur peccare. Non enim ipse peccat ratione suæ lectionis, vt constat ex §. 308. nec ratione scandali, quia audiens non peccat audiendo; nec fidei, aut auditori aliquod periculum creatur: si verò quis præcipiat puero ignaro, vt legat, non peccat; secùs si gnaro. Hic quoque peccat, nisi excusetur duabus rationibus: prima, vt periculo vacet deceptionis: secunda, vt sit illi metus cadens in virum constantem; lex enim humana de actione indifferenti non obligat cum maximo damno, nisi adsit contemptus aut periculum peccati proprij. Brevis autem lectio vnius aut alterius lineæ, non est peccatum grave, vt docent P. Azor quæst. 3. P. Sanchez lib. 2. cap. 10. num. 31. & Pater Suarez num. 20. Toletus & alij oppositum censent, non probant.

Azor. Sanchez. Suarez. Tolet.

§. 12. Secundò peccant contra hanc legem, qui libros retinent: sive enim liber sit proprius, sive alienus, sive eum calleat, sive ignoret omninò; labitur in hanc pœnam, nisi exiguo tempore id faciat. Si enim decernat post breve tempus librum tradere, non est peccatum mortale: secus si vno instanti habeat actum retinendi librum longo tempore. Tenetur autem omnes libros tradere Quæsitoribus, aut Commissario, vel Episcopo, vbi non est inquisitio. Libri autem permisi expurgati sunt à quovis viro docto, debetque iam expurgatus habere subscriptionem Cõmissarij, aut alicuius Superioris, vt cõstat ex Regula 12. appendicis in indice Cardinalis Bernardi. Fit verò frequentissimè facultas, vt vnusquisque expurget suos libros. Hanc legem violant hæretici, dùm suos retinent libros.

§. 13. Tertiò prohibetur librorum impressio: quo præcepto tenentur omnes, qui moraliter concurrunt, aut physicè: Author libri, Typographus, Excussor, Corrector, & alij ministri: omnes enim isti imprimunt: Impressio enim omnibus his continetur actionibus. Quartò prohibetur defensio. Scholastici hæreticorum auditores peccant, & tenentur censurâ; tùm quia scribendo legunt hæreticorum scripta; tùm quia illa defendunt. Excipe qui gymnasium adit, non vt discat; sed vt scripta fideliter deferantur ad iudices, vel ad Doctores, de quibus egi §. 306. Scholasticus autem vt excusetur, adeat iussu eorum, & scandalo vitato.

DISPVT. LXXVII.

Vtrùm infideles possint habere dominium in fideles?

SECTIO I.

Nonnulla præmitto.

§. 1. DISPVTATIONE superiori §. 30. ostendi Iudæum, aut Paganum subiectum Principi Christiano, non posse habere dominium servitutis in Christianum, nec posse vllum Christianum esse illorum servum. Item ibidem ostendi posse aliquando Catholicum esse mancipium hæretici §. 35. De Apostata oppositum probavi ibidem §. 36. Item omnis iurisdictio adempta est Iudæis & Paganis subiectis Principi baptizato, vt ostendi eodem loco §. 37.

§. 2. Nec hic quæstionem instituo de hæretico, aut Apostata; sed de inbaptizato; de illis enim agendum disput. 85. Pono item Principem fidelem habere legitimam iurisdictionem, & imperium in infideles, vt rectè probat Pater Suarez libro tertio, defensionis, capite primo, & præcipuè 4. numero 10.

§. 4. Præmitto denique inbaptizatos posse habere dominium, & iurisdictionẽ temporalẽ in baptizatos; tùm quia bello iusto possunt

.Tho. q.).Ar. 1 1 capere Christianum, & mancipare, de quo egi disputatione 76. § 3 2. Tùm quia Scriptura millies id repetit. Multa testimonia adducit Pater Suarez in defensione fidei, lib. 3. cap. 1. à num. 3. & cap. 3. à num. 4. & de fide disputat. 18. sect. 5. num. 4. Lorca in Commentario art. 1 2. quæst. 10. oppositum censet adversari clarissimis Scripturæ testimoniis, & quidem adversatur prætereà communi sensui Doctorum cum Sancto Thoma quæst. 10 art. 10. & Magistro in 2. distinctione 44. Ratio est manifesta, quia dominium & iurisdictio est ex iure naturæ, quod non abrogatur legibus fidei: hæc enim non est contra naturam, vt illam destruat; sed supra, vt illam perficiat. Nec baptismus facit hominem immunem servitute civili; sed diabolicâ. Nec in oppositum aliquid potest adduci consideratione dignum. Quapropter Pater Suarez libro 3. cap. 4. num. 4. oppositam sententiam censet hæreticam, rectèque probat.

Suar. Lorca. S.Thom. Magist. P.Suarez.

§.4. Confir. Confirmatur: sententia opinantium infideles amittere dominium in fideles est gravi impedimento propagationi fidei, quia Pagani Principes ferro & igni exterminabunt Evangelij satores, si persuadeant sibi se amittere ius Regni in Christianos: ex qua persuasione originem trahit immanis persequutio Imperatorum Iaponiæ, quæ multa hominum centena absumpsit, quòd nescio quis miles insanus dixerit in more esse Christianis, contra Ethnicos dominos rebellare. Altè occupat mortalium animos imperium in mortales; & non paterentur in Regno hominem vnum immunem imperio.

SECTIO II.

Utrùm infideles ob solam pertinaciam privari possint dominio temporali?

§. 5. CONSTAT ex disput. 75. posse Principem infidelem debellari à fideli propter impeditam prædicationem fidei, propter innocentes iniustè vexatos, propter blasphemias in Christum, aliaque crimina non absimilia. Indè probavi non posse Principem infidelem à fideli puniri propter alia crimina, quia fidelis nullam habet iurisdictionem in infidelem: vterque enim est supremus in temporalis, nec fides ius dedit fideli in infidelem.

§. 6. Vndè deduco huiusmodi Principes ob solam pertinaciam in infidelitate non posse privari dominio temporali. Quæ sententia est omnium Doctorum, excepto Ioanne Maiore & Ginesio de Sepulveda, parum probabiliter oppositum censentibus. Quos meritò mordet Magister Bañez in artic. hunc 10. dubio quarto, sub initium. Vide Aragonem conclusione vltima, & Patrē Suarez lib. 3. defensionis, cap. 4. num. 8. Ratio à priori est, quia in Ecclesia non est ius spirituale, nec temporarium directum in eos Principes. Non spirituale, quia hoc ius est ratione baptismi: qui enim foris sunt, non spectant ad nos. Quam ob caussam quamvis Catholici amburunt hæreticos; Saracenos nec tangunt ob pertinaciam. Nec item est ius temporarium, quia ipsi sunt tàm supremi Principes, quàm fideles. Non ergo est in Ecclesia directum ius in eos Principes. At ratione peccati in Deum cur infidelis esset magis subiectus fideli, quàm fidelis infideli? Et quemadmodum fidelis potest tueri innocentes oppugnans infidelem; ita hic potest tueri innocentem oppugnans fidelem tyrannum: ergo eâdem ratione posset infidelis punire fidelem. Recognosce Sanctum Thomam, & alios Authores disput. 75. à §. 29. probantes non posse infidelem ad fidem cogi. Recognosce item argumēta §. 24. hæc autem esset maxima coactio.

Maior. Ginef.Sep. Bañez. Aragon. Suarez. S.Thom.

§. 7. Deduco prætereà Principem infidelem non habentem subditos fideles, nullâ ratione posse Regno privari ob solam pertinaciam: hæc illatio est per se nota ex superiori. Authores autem insinuantes posse Ecclesiæ authoritate privari regno infideles, agunt de Principe habente subiectos fideles. Confirmantur hæc ex §. 4. Quia si infideles id sibi persuaderent commune esse Christianis, in illos conspirarent; omnesque nos non Dei cultores arbitrarentur, sed latrones, atque tyrannos.

§. 8. 2. Concl. Dico secundò: Princeps infidelis non impediens Christi prædicationem, nec Christianos ob Christianitatem divexans, nec efficiens aliud in Christum, aut Ecclesiam, quàm non converti ad fidem, nulla ratione privari potest ab Ecclesia iure Regni, quamvis Christianos habeat subiectos. Hæc conclusio primâ fronte pugnare videtur cum Sancto Thoma; sed non pugnat. Eam docet Bellarminus tomo primo lib. quinto de Roman. Pontific. cap. septimo, versu *Probatur huius*. Pater Lessius disput. 4. dub. 1. cum Victoria, Soto, & Thomistis: Aragon conclusione vltima, Pater Suarez loco §. 6. & disput. 18. de fide, sect. 5. 3. Lorca, & alij: estque communis. Proba-

S.Thom. Bellarm. Torres. Victor. Sot. Aragon. P. Suarez. Lorca.

Probat. Probatur apertè: quia Ecclesia habet ius, ne impediatur Euangelij prædicatio, ne vexentur fideles, ne blasfemetur in Christum; siquis autem infidelis Princeps nihil horum efficiat, nullum ius in illum habet Ecclesia, vt constat ex §. 5. & 6. at illum habere Principem subiectos Christianos, non efficit illos immunes servitute civili; nec Principi adimit dominium temporarium, quod est diversæ rationis.

§. 9. Confir. Confirmatur: Princeps infidelis non potest privari dominio in Christianum captum bello iusto, quia Chistianus ob iniustitiam belli amisit ius libertatis, & vitæ: ergo: nec privari potest iure hæreditario, quo dominium habet in eos homines, qui convertuntur. Quòd si Ecclesia posset eos eo dominio privare, sequerentur incommoda illata, §. 4.

§. 10. Obiectio. S. Thom. Obijcies, S. Thomam hoc art. 10. esse ab opposita sententia: ait enim infideles ob suam pertinaciam esse dignos, qui priventur dominio in fideles, quia hi translati sūt in statum filiorum Dei. *Bellarm.* Bellarminus adductus § 8. censet, eam esse sententiam S. Thomæ: *Valent.* idem opinatur P. Valentia tom. 3. dicta quæst. 10. pūct. 8. eamque in vtramque partem, vt probabilem tuetur. *Resp.* Respondeo, Sanct. Thomam non id vniuersim dixisse de omni infideli, nec eius ratione id probari; alioquin Princeps Christianus publicus concubinarius posset Regno privari, quia ob scandalum est dignus eâ pœnâ; & quia habet multos subditos in statu filiorū Dei: ergo aliò tendit ea ratio. Agit ergò S. Thomas de Principe aliquâ ratione impediente prædicationem, aut committente aliquid contra Christum, aut Ecclesiam: ob quod sententiâ Ecclesiæ damnari posit amisionis Regni: quia ob infidelitatem huic crimini adiunctam est eo supplicio dignus; & indignus, vt blasfemans in Christum sit dominus Christianorum. Ab hac autem damnatione abstinuit Ecclesia scandali vitandi gratiâ. Hanc esse mentem Sancti Thomæ constat ex disputatione 75. §. 29. vbi ex eodem ostendi, non posse infidelem ad fidem compelli. Hæc autem esset vehemens compulsio. S. Thomā in hunc sensum exponūt Thomistici, Caietan. Lorca, & alij.

§. 11. 3. Concl. Dico tertio: non potest Ecclesia privare iure Regni Principem infidelem ob solum timorem de impedimento fidei, aut fideliū divexatione. Itaque si Princeps pacatè permittit fideles, ne eis, aut Christo, est iniurius, non est potestas in Ecclesia ad eum regno privandum. *Durand. Aragon. Bellarm. Torres.* Hæc conclusio est plurium Theologorum, Durandi in 2. dist. 44. quæst. 3. Aragonis in hunc art. conclusione vltima, Bellarmini, Luisij, & aliorum, quos adduxi §. 8. & omnium asserentium, non posse Principem privari dominio, nisi indirectè ob impedimentum fidei. *Probat.* Probatur, quia nullus potest suis privari bonis, absque iusto titulo; sed nullus hic est titulus iustus: ergo. Probo minorem, quia iustitia tituli est ob impedimentum fidei, blasfemiam, & similia; sed hæc nondum existunt: ergo. Et quidem cùm omnes admittant, nō posse Principem privari, nisi ob eâ delicta; hanc tuentur doctrinam: quia alioquin ipso baptismo subditorum acquireret Ecclesia ius ad eos Regno privandos; immò eos posset armis impetere: quia timeri posset impedimentum prædicationis: vt iam probo.

§. 12. P. Suar. Hac in parte adversarium habere videmur P. Suarez opinantem posse eos Principes Regno privari ante experimentum divexationis subditorum. Quod docuit disput. 18. de fide sect. 5. à num. 6. & in defensione lib. 3. cap. 4. num. 9. & cap. 30. num. 6. *S. Thom.* Primùm adducit S. Thomam quæstione 10. art. 10. Qui tamen eâ de re non agit; sed præcisè ait esse in Ecclesia potestatem ad infideles privandos dominio; nusquam autem ibi asseruit hoc esse ob periculum persequutionis movendæ.

§. 13. Obiectio. Arguit: quia est periculum vt fideles vexentur ab infideli Principe; sed Ecclesia potest id periculum cavere, ergo. Maior probatur, tùm quia sæpiùs id fecerunt Ethnici; quod autem accidit frequenter, est moraliter certum; tùm quia diversitas religionum est ingens occasio dissidij. *Respond.* Respondeo, eodem argumento probari, posse infidelem Principem peti exercitu, aut classi: quia multi restiterunt prædicatoribus, & singuli sunt suæ addicti religioni. Vnde conijci potest singulos restituros, quod meritò ipse P. Suarez cum cæteris Theologis negat. Item potest Ecclesia cavere periculum prædicationis intercludendæ, aut vexandorum fidelium. Vnde fiet evidenter, iure, baptismi esse per se in Ecclesia potestatem privandi Principis Regno ob solam contumaciam: quia hæc est per se occasio divexandi fideles; immò per se Ecclesiam posse armis invadere omnes infideles, siquidem periculum cernitur.

§. 14. Ad Arg. Ad argumentum ergò distinguo maiorem: est periculum remotum, concedo maiorem; est periculum proximum cum metu cadente in virum constantem, nego maiorem. Periculum remotum innititur diversitati morum; hoc autem periculum non excusat incursum: quia vix est periculum. Ad primam probationem respondeo, non accidisse frequenter persequutionem ex hominum naturâ, & religione; sed quia multi Principes fuerūt scelestissimi, vt Herodes,

Claudius, Diocletianus, & alij: qui autem fuerunt natura meliori, Christianis favere, vt Marcus Antonius, Constantius Florus, & alij. In Iaponia experimur multos Principes Paganos nullâ ratione adversantes fidei; & quod caput est, idem experimur in Sina. Ad secundam probationem respondeo, apud Principes non immanes; sed naturâ, & ingenio mansueto, plurimùm valere fidei Christianæ moralia præcepta, quibus abstinent à persequutione; immò si Ethnici cognoscerent opinari Christianos, licere sibi invadere Regna infidelium, esset occasio detrimento fidei, vt ostendi §. 4. & 7.

§. 15. P. Suarez. Pater Suarez loquitur de Principe, ex cuius natura, & gestis timetur periculum proximum, metu cadente in virum constantem: in quo etiam impetendo non est opus experiri impedimentum actuale: in alio sensu, nec loquitur, nec potest: quia agit de periculo imminenti: at absq; periculo probabili nullus potest suo iure privari. Quę interpretatio est ipsius P. Suarez disput. 18. sect. 5. num. 8. in fine.

§. 16. Valent. Pater Valentia tom. 3. quæst. 10. part. 8. ait posse Ecclesiam tueri dignitatem filiorum Dei. Sed hæc ratio parum vrget ad sententiam parum firmam. Non adimitur dignitas filiorum Dei subiectione ad legitimos Principes; alioquin Rex peccator non posset in regno permitti, ne filius diaboli dominaretur in filios Dei: vt nonnulli parum tutò dixere, quibus ea ratio adstipulari videtur. Si ergo persequutio immineat, dedecet filios Dei esse sub Principe Pagano; non verò si non immineat.

§. 17. Lorca. De infidelibus subiectis Principi fideli egi §. 1. Lorca in explicatione articuli num. 3. asserit posse infidelem eiusmodi privari dominio in fideles. Movetur ex sua disp. 36. vbi probaverat eum posse ad fidem compelli ex opinione Scoti. Verùm, quamvis id daremus (quod negavi disput. 75. à §. 4.) non est licita quævis coactio. Nec enim possunt capite plecti, nec omnibus spoliari fortunis: quod vsu communi cernitur: ergo nec privari iurisdictione in vassallos. Non possunt habere Christiana mancipia; vassallos autē non video cur non posint? Itaque si Regi Hispano subdantur Pagani Principes, permittentes prædicationem fidei; tametsi plurimi in eorem terris convertantur ad fidem; non possunt ipsi Principatu privari, quòd infideles persistant, licet non possunt habere Christiana mancipia.

§. 18. De principatu de novo occupando, est controversia. Censeo non posse Ethnicum Principem eo privari, si iusto titulo antiquo, aut novo in illum intret: v.g. iure hæreditario, aut iusto bello: est enim eadem ratio de hoc iure, ac de iure possessionis. Quod docuit P. Suarez lib. 3. defensionis cap. 4. num. 6. & 7. quia sine iusta caussâ nullus potest spoliari iure suo; at non est illa iusta caussa comparatione hominum, qui non sunt iudices temporales supremi Principis, nec infidelitas illis permissa est ad punitionem, nec Ecclesia habet iurisdictionem spiritualem, nisi in baptizatos; si verò sit probabile periculum despiciendæ fidei, tunc poterit Princeps contumax privari Regno; at electione non licet donare Principatum infideli. Quod rectè probat ratio Sancti Thomæ. P. Suarez.

§. 18. Secùs, si Princeps infidelis sine periculo avertendi fideles à fide, posset eos tueri ab alijs infidelibus, à quibus avertendi essent à fide; immò si tyrannus fidelis vellet eos opprimere, essetque periculum immanitatis in illos exercendæ, possent se dedere Principi Pagano, eis securitatem præstante de conservanda in eo regno fide, nec esset periculum ab ea deficiendi: quia id non cederet in fidei dedecus; hæc autem sunt per accidens. Sanct. Thom. loquitur per se, quando absque necessitate extremâ eligendus est Princeps. Si autem sit periculum, debent eligere Principem, à quo minus timeatur: at si tyrannus fidelis illis non sit grave illaturus damnum, non possunt eligere infidelem, quia verè iam amittunt libertatem supremam, fiuntque vassalli alicuius exteri Principis: minusque damnum est subijci vi Principi Catholico, quàm Ethnino sponte, quia securiùs servabunt fidem. S. Thom.

DISPVT. LXXVIII.

Vtrùm infidelium ritus sint tolerandi?

§. 19. S. Thom. SANCTVS Thom. art. 11. egregiè monstrat licere Iudæorum cæremonias dissimulare, tametsi nullum immineat periculum Reipublicæ turbandæ. Quia maius bonum percipimus ex earum permissione, quàm ex interdicto, quia in Iudæis perennat testamentū vetus, quo Christus adumbratur: ex figura autem diligenter apud Christi hostes conservata rectè concludimus veritatem, quam illa significat. Quapropter Sanctus Augustinus sibi persuasit providente numine Iudæos dispersos vbique gentium, vt nullibi desideraretur testimonium veteris testamenti, quo Christus iam venisse dignoscitur. Recognosce Patrem August.

trem Valentiam d. 1. quæst. 1. punct. 8.

§. 8. Nulli Principi sæculari licet Sinagogas permittere inconsulto Romano Pontifice, quia spiritualis iurisdictio directè pertinet ad Sacrorum Antistitem, cui Deus oves pascendas commisit; ipse autem est expensurus, vtrùm in hoc Regno, aut vrbe expediat Iudaismi professionis permissio, an profutura sit saluti fidelium, an verò obfutura? Nec Princeps potest vel latum vnguẽ à Pontificio præscripto discedere.

§. 9. Paganismus permitti non potest, nisi vrgente gravi necessitate vitandi per illum gravioris mali, quod alia ratione vitari non potest sine gravissimo Reipublicæ incommodo: v. g. quia Paganorum multitudo coerceri non potest, si semel tumultuetur: etenim ex Paganismo nihil emolumenti Christianismus accipit, vt ex Iudaismo, quo significabatur. Est item Paganismus contra rectæ dictamen rationis: ergo eius permissio honestari non potest, nisi ad vitandum gravius damnum alia ratione non vitandũ. De hæresi, & ratione à priori huius sententię, disputatio longa texetur.

DISPVT. LXXIX.

De permissione libertatis conscientiæ.

SECTIO I.

Duplex conscientiæ libertas.

§. 1.
CONSCIENTIÆ libertas potest accipi in partem vtramque, benè & malè. Benè quidem ex Apostolo ad Galat. 4. 31. *Non sumus filij ancillæ; sed liberæ, quâ libertate Christus nos liberavit*: id est, non habemus spiritum servilem, qualis fuit olim Hebræis; sed spiritum ingenuum, quem concitat charitatis ardor, nec pungunt stimuli serviles. Malè autem ex primæ Petr. cap. 2. 16. *Non quasi velamen habentes malitiæ libertatem*: id est, liberi sumus à iugo peccati, libertate quidem honesta, nos Deo eiusque legi subijciente, nõ libertate obvelante malitiã, vt arbitremur illâ nos immunes ab obsequijs, tributisque debitis. Nec est phrasis ab vsu aliena communi, liberos appellare homines effrænes. Non agimus de hac conscientiæ libertate, qua vel asserti sumus à Christo in filiorum Dei numerum; aut malè abvtimur ipsa Christi ingenua libertate.

Ad Galat. 4. 31.

1. Petr. 2. 16.

§. 2. Percrebruit alia cõscientiæ libertas, nempè facultas, aut permissio à Principe facta, vt ei subiecti liberè eligant professionem religionis, quæ libuerit: itaque in his Provincijs, in quibus à Principe temporali nullus punitur ob religionem, quam publicè profitetur, sive Catholica sit, sive hæretica; dicitur esse conscientiæ libertas. *Libertas* quidẽ, quia libera est vnicuique religionis electio, atque professio. *Conscientiæ* autem, quia religio est pravæ, probæque conscientiæ principium. Fides enim Catholica est iustificationis initium; infidelitas verò ingenti crimine conscientias fædat.

§. 3. Est ergò libertas conscientiæ, *immunitas subiectorum à pœna & supplicio temporali, in falsa religionis professione*. Dixi *subiectorum*, quia Ecclesiasticæ, civilesque leges supplicia minantur cultoribus religionis hæreticæ, quæ infligi non possunt, nisi à Principe, eiusve administris. Vnde Rex hæreticus non habet conscientiæ libertatem: quia nullus Princeps temporalis ei immunitatem præstat à pœnis, quam ipse habet; ab Ecclesia autem non habet immunitatem: semper enim hæc districto censurarum gladio insequitur quemlibet desciscentem à fide.

§. 4. *Obiectio.* Dices, Principem posse ab Ecclesia mulctari subiectorum à iuramento solutione, & proscriptione Regni, quod potest ab alio Rege occupari: ergo dum id Pontifex non facit, dat aliquam conscientiæ libertatem.

Resp. Nego consequentiam, quia libertas conscientiæ non est condonatio omnium suppliciorum, quæ possunt infligi; sed eorum, quæ lege præscripta sunt, & quæ proximè meretur hæreticus, quales sunt censuræ, & alia id genus, à quibus Ecclesia numquam abstinet. At iure communi hæreticis est decreta exustio, infamia, bonorum proscriptio, hisque similia: à quibus exequendis abstinet Princeps laicus, eaque propter ipse præstat subiectis libertatem conscientiæ, eis cõdonans pœnas temporales illis ob hæresim debitas ipso iure.

§. 5. Conscientiæ libertas primùm significavit immunitatem à pœnis hæretico debitis ob hæresim, quia Catholicis ob fidem nullæ debentur pœnæ. At verò iam significat etiã immunitatem à pœnis decretis in Catholicum ob fidem. V. g. Rex Angliæ statuit acerba supplicia Catholicis; si abstineat ab ijs infligendis supplicijs, dicetur permittere libertatem conscientiæ. Vnde libertas conscientiæ est immunitas à pœna temporali decreta legibus publicis in cultores alicuius religionis.

§. 6. Hæc conscientiæ libertas, seu immunitas à pœna temporali est duplex: altera per tacitam

S.Tho. q. 10. Art. 5. tacitam permissionem; altera per facultatem (vt aiũt) expressam. Prima est, quando Princeps, cognita suorum religione, in illos non animadvertit, quæ immunitas vocatur *per conniventiam*, sive *per dissimulationem*. Dissimulat enim Princeps suorum crimina ob fines, quos ipse assequendos dissimulatione curat: alia est promissio Principis de non infligenda pœna vlli religionis caussâ.

§. 7. Vtraque libertas potest esse, aut particularis, aut vniversalis: quia vna, aut duæ sectæ permittuntur, & non plures. V. g. in Gallia permittitur Lutheranismus, & Calvinismus; non tamen Iudaismus, aut Paganismus: alibi autem permittuntur omnes sectæ. Animad. Animadverte libertate expressâ non permitti, nisi sectam illam, aut sectas, quæ exprimuntur in facultate. V. g. si nunc Rex Angliæ permittat Catholicis professionem fidei, non propterea permittitur Arianismus, quia cùm hic sit legibus publicis interdictus; non cedit Rex iuri ob illum puniendi suos, nisi aut in singulari, aut vniversali illius meminerit. Item si nunc in Gallia expressè permittit Rex hæresim Lutheri, atque Calvini; non propterea permittit novos, aut vetustos errores alienos á Luthero, & Calvino: quia cùm leges animadvertant in omnes hæreticos, potuit Princeps ex eis non agere cum hoc, aut cum illo: dùm autem vnũ excipit, aut alterum; cæteri eâdem tenetur lege, qua ante aliorum exceptionem.

§. 8. Vndè deduco: si promissio non sit vniversalis de quacumque religione, non posse Iudæum, aut Paganum eâ vti facultate. Item nisi promissio sit de omni hæresi, seu religione sub nomine Christiano; eos tantùm hæreticos immunes permitti, in quorum gratiam immunitas donatur à pœnis: v. g. tumultuatur in Gallia vulgus Lutheranum, & Calvinianum, conscientiæ flagitans libertatem: Rex ad vitanda graviora damna eis condonat libertatem, quæ solùm est ad non puniendos Lutheranos, & Calvinianos ob illas hæreses: at nullus alius hæreticus ea libertate gaudet. Ratio à priori est Principis voluntas, quæ non porrigitur vltra tumultuantium postulata; illi autem de solo Lutheranismo, & Calvinismo postularunt, de quibus sectis spopondit Rex immunitatem: quia cùm ille invitus eam spoponderit ad vitanda damna imminentia à tumultuante plebe, noluit, nisi ipsam placare, permissa ipsius plebis religione. Vndè animadvertere tenetur Rex in invehentes in Regnum aliam hæresim distinctam à Luteranis, & Calvinisticis.

§. 9. Colliges indè teneri Principem eodem edicto, quo permittit conscientiæ libertatem, proponere quam hæresum impunitatem spondeat; ne novi irrepant hæretici: nulla enim hæresis diù durat, sed omnes sensim veterascunt, atque rancescunt; novæ autem quotidie germinant: quâ ratione Princeps fidem & promissum non deferens, faciliùs hæresum resecabit ramos: si autem conscientiæ libertas ad omnes hæreses postuletur, non est opus in tabulas referre.

SECTIO II.

Vtraque conscientiæ libertas est illicita sine vrgentissima caussa.

AGENDVM hîc nobis est cum Politicis abvtentibus religione ad florentem Reipublicæ fortunam, & ostendendum animos priùs in Deum fixum iri: deindè in fortunas; cùm autem fortuna cum Deo contendit, illam iri victum, victoremque Deum. Dico ergo: augendæ Reipublicæ gratiâ non esse vlla ratione permittendam libertatē conscientiæ in Catholica Republica; sed tunc cũ gravius imminet religioni damnum: quod nulla alia ratione vitari potest, nisi permissa libertate. Itaque quidquid spectat ad Deum, finis est Principatus temporalis: & primo contuitu figendi sunt in Deum oculi, pro quo omnes divitiæ & fortunæ sunt profundendæ. §. 10. Conclus.

SVBSECTIO I.

Prima probatio ab Ethnicorum exemplo.

TAM altâ mortalium mente natura reposuit in Repulica, gerēdam in primis curam de sacro numinis cultu, vt ab ipsis Ethnicis probare possimus politicorum ignorantiam impolitam. Quis non miretur quæ suorum operum fronti maximus Valerius de Romanorum religione præfixit? Consules paruisse flaminibus; Senatum Augurum Collegio; vittis fasces submissos, cuius cap. 1 i. deservata religione lib. 1. hæc sunt, non tàm Valeriana, quàm Christiana verba. *Omnia namque post religionem ponenda semper nostra Civitas duxit: etiam in quibus summa maiestatis decus cōspici voluit. Quapropter non dubitaverunt sacris imperia servire: ita se humanarum rerum futura regimen existimantis,* §. 11. 1. Probat. Valer.

mantia, si Divinæ potentiæ benè & constanter fuissent famulata.

§. 12. Duo ex Valerio discenda nobis sunt: alterum, quàm dignè de cultu Deorum senserint Romani, qui omnia vni Religioni voluerunt esse subiecta; alterum, ea duntaxat ratione Imperatores atque Senatum opinatos se in vniversum dominaturos orbem. Hinc tàm portendentia exempla posteris reliquerunt: Posthumus enim cū Imperio petens Africam tentus fuit à Metello Pontifice Maximo, ne vrbe egrederetur Dijs inconsultis: *Religioniq; summum Imperium cessit: quo tutò se Phosthumus Martio certamini commissurum non videbatur, cæremonijs Martis desertis.* Caius Figulus se abdicavit Galliæ Consulatu, Scipio Nasica Corsirano, quòd per ignorantiam commissum fuerat vitium contra Sacras cęremonias in comitijs, quibus illis Consulibus decretæ fuerant Provinciæ: quia verò ex pileo cecidit Sulpitio summus apex, fuit motus Sacerdotio. Capite autem 10. acturus de Populi, ac Metelli Religione, ait. *Non mirum igitur si pro eo imperio augendo custodiendoq; pertinax indulgentia Deorum semper excubuit: quòd tàm scrupulosâ curâ parvula quoque momenta Religionis examinari videntur. Quia numquam remotos ab exactissimo cultu caremoniarum oculos habuisse nostra civitas existimanda est.*

§. 13. O vtinam Machiabellus, atque Bodinus hæc aliquandò Valerij verba oculis adspexissent, vt saltem eos puderet Christiano gloriatos nomine turpe lucellum cultui præferre Divino: cùm Romanum Imperium in cæca adhuc inanitate Deorum oculos numquam averterit à minutijs Religionis, vt pertinax Deorum solicitudo ad ipsius imperij fores excubias ageret diurnas, atque nocturnas. Hi verò aut Deum abnegāt, aut truncum vel dormientem effingunt, qui nec flecti possit obsequijs, nec iniurijs irasci.

§. 14. Nec mirum ab ipsis simulari præteritā Valerij doctrinam, ne ex ipso Respublicæ discant eorum libros donare flammis, senatum imitatę Romanum, de quo hæc Valerius cap. 13. de libris Latinis & Græcis, in quibus agebatur de religione. *Latinos magna diligentiâ asservandos curaverunt. Græcos, quia aliqua ex parte ad solvendam religionem pertinere existimabantur, Petilius Prætor Vrbanus ex authoritate senatus per victimarios facto igne, in conspectu populi cremavit. Noluerunt enim prisci viri quicquam in hac civitate asservari, quo animi hominum à Deorum cultu avocarentur.* Hæc Valerius: hi autem fuerant comburendi Atheniensium exemplo, qui Diagoram abiectè de Deo sentientem proscripserunt, ingenti pecunia eius interfectori desponsa. — *Idem.*

§. 15. Nec Poetarum nos deserit sententia. Horatius pęnitentiam videtur agere de Epicureorum errore, ne Numinis despecti mereatur iram, lib. 1. Carmin. Ode 34. — *Horat.*

Parcus Deorum cultor, & infrequens,
Insanientis dum sapientiæ
Consultus erro; nunc retrorsum
Vela dare, atque iterare cursus
Cogor relictos. Namque Diespiter, &c.

Rectè Politicorum insipientiam insanientem sapientiam appellat, à qua cogitur deficere effectibus providentis Dei. Lambinus censet præstringi à Poeta Epicureorum errorem, aut Cyrenaicum omnium religionum contemptorem, qualis est Porticus Atheista quidam & Divinorum irrisor. Virgilius autem 6. Æneidos fingit Plegiam ex Orco clamantem. — *Lambin.*

Discite iustitiam moniti, & non temnere Divos. — *Virgilius.*

Hæc Romani hauserunt è Numma, qui turbatam Rempublicam religiosa disciplinâ sedavit, de quo non semel sermo redibit. Lege, si placet, Principem P. Petri Ribadeneira lib. 1. cap. 1. 2. 3. & 4. vbi eruditè, eleganter; & piè rem hanc mirum illustrat in modum. — *Ribaden.*

SVBSECTIO II.

Secunda probatio à ratione politica.

§. 16. 1. Prob. PETENDI sunt Politici ipsorum armis; & inscitiæ accusandi, quòd Principem suum minimè ducant, quò volunt; nec possint Rempublicam incolumem, ne dùm florentem conservare. Rempublicam instituit Romulus oblitus numinis immemorem Religionis, à qua pœnas luit neglecti Dei, occumbens ijsdem suorum armis, quæ ipse verterat in vicinos: & qui ad potiendum Orbem de solis instruendis exercitibus cogitaverat, ab ipso exercitu non est permissus vitâ frui. Numma è contra effræni populo lupata iniecit vno Religionis studio. Hæc lege in Numma Plutarchi. *His ita ad gratiam, & benevolentiam populi constitutis, Numma confestim aggressus est Vrbem, tamquam ferream, ex rigida, & bellicosa, molliorem, iustioremq; efficere. Qualem enim Civitatem inflammatione tumentem Plato appellat, talis tùm Roma erat: quæ initio ex hominibus audacissimis, bellicosissimisque, eò temerario impetu confluentibus coaluerat: & (quemadmodum ea, quæ materie alicui infixa sunt, si concutiantur adhuc, altiùs desidūt) corro-* — *Plutarc.*

S.Tho. q. 10.Art.2. *corroborata periculis fuerat. Ita æstuantem exasperatumque populum tractare, & ad pacem traducere, intelligens negotij non parvi, nec vilis fore laboris, à religione auxilium petijt.*

§. 17. Hæc quanto sint Christianæ religioni accõmodatiora, cæci non viderint. Hæc enim hominum ingenia docet iustitiam servare concivi, Regi obedientiam, pietatem maiori, & animos adeò avertit à bellico iniusto furore, vt nè vindicare propria authoritate permittat iniurias, nec malè facientem odio habere, nec reconvitiari convitiatori; nec malum reddendum pro malo. Quos barbaros non cicuravit lex Christi? Qui seditiones concitant? aliena diripiunt, commovent plebem, ipsa lege ab incepto terrentur, minante inexplicandos cruciatus duraturos æternùm. Nec graviorem tortorem ferunt ipsa lege, conscientiam stimulis concidente. Ad ea verò, quæ docet, paratissimam habet, præsto ad manum gratiam Dei. Meritò ad componendos subiectorum animos Principes à religione petunt auxilium. Tunc enim Regnum est ab omni seditione tutum; cùm lex Christi in eo floret. Nec verò firmioribus configuntur clavis lascivientium iuvenum animi, quàm Christianæ legis observatione. At scelestissimorum hominum dogmata quàm sunt Reipublicæ exitialia! Primùm enim nata cum rebellione contra vniversæ Ecclesiæ authoritatem. Qui autem tumidè se proijcit totum Christianum despiciens orbem, quid non tentabit? quid non audebit? ea solùm prætermittet, quæ non potest.

§. 18. Nec arbitror vllo ariete magis ferreo Reipublicæ labefactari muros, quàm hac effronti doctrina, quæ animos instruit dolo, simulatione, vafritie. Principem volunt politici Religioso incumbere cultui, & illũ lege publica sancire, cùm expedit Reipublicæ commodis: sectam aliam permittere, cũ indè sperat opes auctum iri: ergo non absimili ratione subiectus Principi simulabit obsequium, & obedientiam; cùm sibi expedire censebit; meditabiturque inimicitias, inobedientiam, & rebellionem, cùm suorum commodorum interesse putabit: magis namque nos tenent catenæ beneficiorum Dei, strictioribus vinculis nos constringunt maiestas honorque divinus, quàm Principis. Illas autem catenas effringendas, rumpendaque vincula vult politicus à Principe: vult ergo hæc quoque solvenda, cùm mihi expedire constiterit. Qui enim docent Principem in Deum revelare, vt fęlicius regnet; eodẽ præcepto docẽt subiectos in Principem arma movere, vt regnent. Non ergo est alia securitas Regis, quàm subiecti impotentia. Si autem hic posit Regno potiri; quidni Regem è solio deturbet, vt regnet: vt Rex ipse religionem è Regno depellit, vt ipse regnet? Hæreticorum Principum stoliditatem in his hominibus ferendis miror: quî non animadvertant plebem rebelliones, & perduelliones doceri, animos creari audacissimos, nihil boni consulentes; sed inhiantes in sola lucra.

Hinc argumentor. Rex, conscientiæ permissâ libertate, Rempulicã exponit aperto ruinæ discrimini: ergo ratione temporalis administrationis peccat libertatem permittens, nisi ad vitanda graviora incommoda aliâ ratione non vitanda. Consequentiam probo: quia peccat Princeps exponens Rẽpublicã ruinæ discrimini. Antecedens probo: tùm quia cæteræ sectæ, aut doctrinam continent turbulentam, qua homines censent multa sibi licere in aliorum bona, fortunas, & vitam; tùm quia eorum professores sunt plerumque flagitiosissimi: ipsa enim in Ecclesiam rebellione fiunt audacissimi, & superbissimi: è quo flagitio, vt è primo fonte, scaturiunt flagitiorum rivuli: at hæresum lues totum occidentem devastavit, & bellis combussit intestinis ob immanem hęreticorum sævitiam: tandem, quia sibi hæretici facilè persuadent politicam doctrinam, nullusque abstinet ab incendijs, rapinis, alijsque sceleribus, nisi quia tutò ea non potest exercere; quæ autem potest; ea disciplina instruitur, vt exerceat. §. 19.

SVBSECTIO III.

Argumenta cætera.

REGES graviter peccare permissa libertate conscientiæ, probatur à priori. Principes tenentur vitare omnia publica peccata, quæ vitare possunt absque graviori damno: ergo tenentur ad vitandam conscientiæ libertatem, quando possunt absque graviori damno. Antecedẽs est certum: tùm quia *vnicuique mandavit Deus de proximo suo*, hominesque privati tenentur aliorum emendare peccata, quando possunt sine gravi damno, & sperant proximi meliorem frugem; tùm quia Principes lege Principatus obstringuntur ad consulendum suorum saluti; nec possunt in Republica mala permittere, nisi quæ absque graviori vitare non possunt. Ea ratione excusantur in permisione lupanarium, & comædorum (quamvis vehementer suspicor illis peccatis iam non vitari graviora, sed indè ad illa creari periculum) & quidem nõ possunt Prin- §. 20. Probat. Eccles. 17. 12.

Principes, impunitos relinquere fures, homicidas, assesinos, & alios homines flagitiosos.

§. 21. *Confir.* Quæ confirmari possunt exemplo Davidis graviter animadvertentis in legum violatores; Reges autem, qui non fuerunt demoliti Deorum delubra, graviter accusantur in sacris literis. Adimitur enim honor Deo falsâ religione: quod ipse fert per quã indignè. Hinc Israelitici Reges interiere ob desertum legitimum Dei cultum; veri autem cultores singulari Dei providentia regna cõservarunt inter ipsas hostium phalanges, locustarum more operientes terram.

§. 22. *Bozius.* Observat diligenter Bozius nullum Christianum Regnum amissum, nisi ob desertam religionem; cùm ipsa verò religione Regna crevisse. Salomoni idololatria Regnum divisit; Hieroboamo ademit: Græci schismate divisi ab Ecclesia, horrentes suave Christi iugum, Turcicum ferreum, cervices atterens ferunt. Hispani ob Vvitizæ inobedientiam in Romanum Pontificem, & alia flagitia, imperio privati seruiere Mauris: Pelagius in religione constans, excussa Maurorum servitute, imperium vindicavit maiori pietate, quàm manu. Hoc autem imperium, quia numquam à religione, nec latum discedit vnguem, orbem implevit, hæreticorum & politicorum fece illud arrodentium invidiâ. Pauci nobiles religionem colentes in Asturia, & Cantabria, nec eam deserentes, inter Maurorum acerbas iniurias; vsurpare potuerunt illud Valerianũ lib. 1. de servata religione cap. 16. expensâ enim Cannensi clade, quantumq; luctus attulisset Romanis vniversis, in quo luctu, mærorem senatus abigendum præcepit ad celebrandum Cereris ludos, hæc ait Valerius. *Quæ quidem constantiâ obtinendæ religionis magnus cœlestibus iniectus est rubor, vlteriùs adversus eam sæviendi gentem, quæ ne iniuriarum quidem acerbitate ab eorum cultu absterreri potuerit.* *Valerius.* Quia hac doctrina nihil est Scripturæ & Patribus familiarius, vt Christianismi fundamento; à longis allegationibus abstinendum censui.

SECTIO III.

Neutra conscientiæ libertas est intrinsecè mala.

§. 23. OBIECTVM intrinsecè malum est, quod ex suo conceptu absonat naturæ rationali, aut legi: bonum intrinsecè; quod assonat: indifferens autem; quod ex suo conceptu, nec absonat, nec adsonat; potest autem iam convenire legi; aut naturæ rationali; iam autem adversari: v. g. nex homini illata authoritate propria extra innocentem defensionem est intrinsecè malaritem vsus alienæ mulieris, furtum & mendacium, quæ nullo honesto fine possunt per se malitiam exuere: obiectum intrinsecè bonum est docere hominem quæ spectant ad salutem, levare inopis egestatem, religionẽ profiteri: quæ ideò sunt naturâ sua bona, quia consentiunt naturæ rationali, aut voluntati Dei: quæ propterea, actum, quo fiunt, reddunt bonum, nisi per accidens aliũdè vitietur. Quæ sunt natura bona, possunt amari actu malo, vitiato aliundè; quæ verò mala, non possunt amari benè; *bonum enim ex integra caussa; malum autem ex quocumque defectu.* Indifferentia sunt edere, ambulare, &c. quæ, nisi aliundè, nec benè, nec malè amantur.

Dico ergo, permissionem libertatis conscientiæ non esse intrinsecè malam; sed aliquando posse bono honestari fine. Quod censuit P. Petrus de Ribadeneyra lib. 1. de Principe cap. 26. nec ab ea dissentit vllus. Videmus item in Germania Imperatores Austriacos, quibus magis Catholicos non vidit Orbis, eam permittere; & in Gallia Reges Christianissimos: nec propterea censentur esse in peccato mortali, nec à Pontifice reprehenduntur, nec à doctissimis viris eis negatur absolutio: ergo conscientiæ libertas non est intrinsecè mala. §. 24. *Concius. Ribaden.*

Ratio à priori: quia hæc libertas non est actio positiva Principis aliquid directè efficiens in hæresim subiectorum: quæ hæresis non est effectus Principis; sed indirectè sequitur impunitatem: quæ autem ita comparantur, non sunt voluntaria physicè, nec directè, nec per se, ei, cuius actionem sequũtur, vt ostendi disputans de voluntario. Dicuntur autem voluntaria interpretativè & moraliter, non quidem semper; sed tunc solum, quando quis potest: & tenetur malum impedire, & non impedit: v. g. sunt hic duo homines intuentes vrbis incendium: alter tenetur restinguere vrbis incendium, alter non tenetur: Ille peccat; hic minimè: quia quamvis potest, non tamen tenetur: eâdem ratione Princeps non tenetur semper ad vitandam subiectorum infidelitatem, vt ostendo. §. 25. *Ratio à priori.*

§. 26. Etenim contingere potest, vt Princeps non possit infideles punire: v. g. quando ex eorum supplicio gravia imminent mala in ipsam religionem: si populus sit rebellaturus in Principem & religionem, si multi innocentes sint perituri, si spes sit religionem efficaciùs tuendi, omissis, aut dilatis hæreticorum

S. Tho. q. 10. Art. 5. corum supplicijs. Hæc omnia excusant ab obligatione puniendi: ergo tunc Principi non est physicè, aut moraliter voluntaria suorum hæresis. Multi enim nolunt, nisi immunitatem à pœnis decretis in hæreticos; qua obtenta, quietè degũt sub Principe Catholico: quòd si animadvertant se puniẽdos, concitato populo, in Catholicos sævient; nec Regem Catholicum patientur: hæc autem graviora damna sunt, quàm impunitas hæreticorum.

§ 27. *Obiectio. Refel.* Obijcis, libertatem permissivam tunc esse licitam; non verò libertatem expressam, de qua §. 6. Contrà: libertas permissiva est honesta: ergo & expressa. Probo consequentiam: quia expressa nihil est, nisi pactum, & sponsio de libertate permissiva, id est, de non puniendis hæreticis, quæ est honesta; sed sponsio rei honestæ non est inhonesta, vt ex se constat: ergo libertas expressa non est inhonesta.

§. 28. Hic animadvertendum, Regibus pro viribus esse curandum, vt excusetur libertas expressa, quia hæc plenissima est incommodis; tùm quia non potest subiectis invitis revocari; tùm quia confluet in Regnum tota hærteicorum colluvies: nec terreantur Principes; sed sperent se numinis ope adiutum iri: nec se flectant hæreticorum terroribus, aut precibus, nisi in maxima rerum desperatione: tunc enim Regnum Deus eo flagello diverberat. Meretur Philippus Secundus Hispanorum Rex, illustrissimum cognomentum *Catholici*, quòd numquam averterit oculos à religione: in qua numquam Hollandis libertatem permisit, ne illorum exemplo tumultuarentur aliæ Provinciæ sibi subiectæ; sed omnes sibi persuaderent, cum illis agendum à Rege, ferro & flammâ, si à religione averterentur: maluit Rex Catholicus imperium amittere in Hollandos, quàm in suis Regnis pati rebelles in Christum. Philippus Tertius cum Hollandis admisit cessationem ab armis per annos viginti: quia religionis status id videbatur exigere; at Philippus Quartus, cùm in ipsa pueritia regnum iniret; illud fœliciter est auspicatus, à bello Hollandis indicto, dilapsis cumprimùm inducijs.

SECTIO IIII.

Quædam animadversio.

§. 29. *Animad.* HIC oportet expendere duos esse Reipub. status: primus, cùm in Repub. clavum tenet Princeps hæreticus, aut non baptizatus, qui fideles divexat, quia fideles sunt, quibus interdicitur Catholicæ professio religionis: vt nunc in Anglia, Hollandia, & Africa: alter status, cùm Rempublicam moderatur Princeps Catholicus, potens hæreticos armis coercere. Hic Princeps non potest conscientiæ libertatem permittere, nisi desperatis iam rebus: quam ob caussam celeberrimus Pater Didacus Lainus Reges Galliæ in Blesensi Conventu absterruit ab ea libertatis permissione. Ratio à priori: quia tunc ea permissio vergit in perniciem fidei: quia datur locus hæreticis disputandi, persuadendi privatim, & publicè movendi pravis exemplis ad amorem in eam religionem, qua solvitur iustitia morum; item & hypocrisi ad decipiendum: quæ plurimum impetrant ab imperito vulgo, & hominibus ad voluptatem pronis.

At verò cùm Respublica est penes hæreticos, non est illicita; sed honestissima conscientiæ libertas: verbi gratia, si Rex Angliæ spondeat conscientiæ libertatem, aut Hollandi se dederent eo pacto; tunc Rex Hispaniæ deberet eam conditionem non detrectare, si non posset eos vi occupare: ratio item à priori: quia ea Respublica, tota est sub hæreticis magistratibus vexantibus fideles: nunc est interdicta disputatio pro fide, prædicatio verbi Dei, publica & privata persuasio, exempla fidelium, & sacræ cæremoniæ: quibus in illa Provincia plurimi profiterentur fidem, quam corde gestant; in pluribus eam sereret verbum Dei: hæc autem vtiliora sunt ipsi fidei, quàm cum ipsis hæreticis belligerari. Philippus Secundus eam conditionem recusavit tùm ob redditam rationem §. 28. tùm quia fuit fisus illos à se domandos. At ea conditio esset nunc admittenda, cùm experientia docuerit Hispano bellum esse in Belgio cum Europa vniversa: omnes enim hæretici Hollandos iuvant milite, & pecuniâ: è Catholicis autem Principibus plurimi, aut metu, aut invidentiâ opitulantur Hollandis: constat item cæteris Provincijs Hispano subiectis se nõ futuras impunes, si deserant religionem; si autem speretur eos debellandos ea reiecta spõsione, non est admittenda. §. 30.

Itaq; ad expẽdenda cõmoda & incõmoda libertatis conscientiæ, consideranda est religio, quæ viget, cùm agitur de ea libertate, quæ enim tunc in eo Regno floret, est quæ damna patitur: quia cùm ante libertatem ea sola exerceatur sine hoste publico; iam tentari incipit hostibus admissis. Vndè hæresis minuitur, cùm in Provincia hæretica permittitur veræ religionis professio: hæc autem labefactatur, quando hæretici de novo permittuntur impunes. Quapropter à §. 31.

Regno

Regno, & Principe hæretico admittenda est conscientiæ libertas: in Catholico autem Regno non est admittenda, nisi desperatis iam rebus. Quis enim dubitet gravissimum futurum scelus in Hispania permittere hanc libertatem? At quantum interesset Ecclesiæ eam impetrare ab Anglo? Quod si Marrozij se tradderent Hispano eâ lege, ne eos cogeret ad Christianismum; sed hunc esse liberum in ea Provincia, dubitabit aliquis eam conditionem vtilissimam Ecclesiæ futuram?

SECTIO V.

Quando exigatur facultas Papæ ad conscientiæ libertatem?

§. 32. DICO disputat. 78. §. 2. non licere Principi laico permittere Synagogas, nisi ex facultate Romani Pontificis. Idem dicendum est de conscientiæ libertate. Igitur quoties agitur de religione, consulendus est Pontifex, cui Deus adest speciali providentiâ Petro ob singularem fidem promissâ. Ad permittendum inbaptizatis conscientiæ libertatem, non est necessaria facultas Ecclesiæ, nihil iudicantis de his, qui foris sunt: cum enim omne ius Ecclesiasticum sit in baptismate tinctos, Pagani sunt extra illud ius. Itaque ad libertate conscientiæ Paganum donandum in Regno etiam Pagano, non est absolutè necessarius consensus Pontificius: quia Christus in Paganos nullum Ecclesiæ dedit ius. Cùm autem ipsis liber sit Paganismus, quin possint ob illum ab Ecclesia puniri; libera etiam est cuiusvis Paganismi, aut sectæ professio: ad profitendum autem, aut non impediendum religionem Christi, non pendent à consensu Pontificis. Vt autem Iudæi non sunt Synagogâ donandi in Catholica Provincia absque Pontificis facultate: ita nec Pagani in eâdem Catholica Provincia. At in suis Provincijs libera est vtrisque templorum vsus.

§. 33. Cùm hæreticis est diversa ratio: libertas permissiva non potest licitè permitti inconsulto Pontifice. Tùm quia laici tenentur severè agere cum hæreticis ab Ecclesia damnatis; cedit verò in fidei detrimentum eos non punire. Vnde iure pastoratus ad Pontificem spectat statuere, quâ ratione sit cum hæreticis agendum: tùm quia spiritualis administratio baptizatorum directè pertinet ad Pontificem; eâdemque ratione ad Principes laicos spectat parere Pontifici imploranti eorum opem in animadvertendo in hæreticos: si verò periculum sit in expectanda Pontificis voluntate, Principes per Epikeiam poterunt impunitos permittere hæreticos. Frequenter autem non est opus expectare Pontificis consensū, quia hæc permissio oritur ex populi seditione & multitudine tumultuante, quæ moras non substinet.

De libertate expressâ conscientiæ, asserendum est eam nullam habere vim, nisi ex Papæ consensu. Itaque hæretici omnibus pœnis subiacent, quæ ab Ecclesiâ sunt decretæ, & quas Principes tenentur infligere heretico relaxato; & ad cuius supplicium sæculare brachium (vt aiunt) petit Ecclesia. Quæ doctrina est de fide ex Concilio Constantiensi adducendo §. 46. vbi statuitur Principem laicum non posse præstare salvum conductum heretico cū damno Ecclesiasticæ iurisdictionis, ita vt nihil ille valeat, si solùm à Principe laico præstetur: at eadem est omninò & maior (vt ostendam §. 36.) ratio in conscientiæ libertate, quia salvus conductus est immunitas à pœnis debitis hæretico ob hæresim, & sponsio de non impediendâ reversione ad patriam: libertas autem conscientiæ est immunitas ab eisdem pœnis: vt ergo hæreticus non est immunis à pœnis salvo conductu Principis laici; ita nec libertate conscientiæ. §. 34. *Concil. Constant.*

§. 35. *Ratio à priori.* Ratio à priori: quia Ecclesia habet superiorem iurisdictionem in hæreticum, estque omninò independens à Principe laico: ergo hic suâ lege non reddit hæreticos immunes à Pontificiâ lege. Probo consequentiam: quia inferior Princeps non habet vim in iurisdictionem, & leges superioris. Quod si nullam habet in alios Principes sibi non subiectos: qui eam habebit in Principes superiores? Poterit Princeps laicus dare immunitatem ab ijs pœnis, quæ in suo Regno infliguntur solo iure civili: non verò ab ijs, quæ canonico decernuntur. Ita multi censent apud Magistrum Ioannem Marquez, quos ipse sequitur lib. 2. de Gubernatore Christiano cap. 24. Hieronymum de Praga, & Ioannem Hus exustos Constantiæ; quia salvusconductus Imperatoris Maximiliani non potuit eos tueri, qui absque Concilij facultate adventavere Constantiam. Idem autem Concilium definiens facultate Principis laici non esse hæreticos immunes à legibus Ecclesiæ, statuit, eosdem Principes teneri ad *Fr. Ioann. Marq.*

S. 1 ho. q. 10. Art. 5. servandam hæreticis fidem in ijs, quæ ad solos ipsos spectant; vt in salvoconductu, vt ab ipsis solis potuit præstari.

SECTIO VI.

Corollaria.

§. 36. EX QVIBVS deduco primùm, nõ teneri Principem ad permittendam libertatem conscientiæ, nisi confirmatam aut datam etiam à Pontifice, quia non potuit eam spondere inconsulto Papa, totaque libertas est nulla in ijs omnib⁹, quibus eget Ecclesiâ ad exequendas canonicas pœnas in hæreticos; immò tota libertatis facultas est abroganda, quia tota est nulla: est enim absque legitima iurisdictione. Nec Princeps tenetur ad abstinendum à supplicio civili: quia est hæc absimillima caussa à salvoconductu, cui Princeps laicus tenetur stare in ijs, quæ ab ipso solo pendent: quia salvusconductus non est perniciosus, nec spectat ad spiritualem iurisdictionem. Potest enim Princeps multis de caussis egere hæretici præsentiâ, cui non permittitur prædicare contra fidem in Regno Principis hæreticum accersentis. At verò conscientiæ libertas directè spectat ad spiritualem administrationem. Quapropter tota est nulla, nisi Papæ consensus accedat.

§. 37. Secundò deduco in ijs Provincijs, in quibus est conscientiæ expressa libertas, hæreticos non esse infames civiliter, id est, ineptos muneribus honestis Reipublicæ. Possunt enim Magistratus inire civiles. Nec amittunt iurisdictionem in vasallos; nec dominium suarum rerum, alioquin non vterentur conscientiæ libertate, quod ita geri cernimus in Gallia atque Germania. Ipsaque natura libertatis id exigit: hæretici enim eam efflagitant, vt possint cum honore suisque fortunis patrijsque privilegijs profiteri, quam velint religionem; at pro honore & fortunis non minùs æstuarent, quã pro vita.

§. 38. At verò vbi non est nisi libertas permissiva (de qua egi §. 3. sunt quidem hæretici obnoxij omnibus hæreticorum supplicijs: quia Princeps nullam eis dedit facultatem, nec immunitatem à pœnis; sed dissimulavit. Vnde poterunt accusari, atque puniri, si Princeps id commodè possit.

§. 39. Tertiò deduco, hæreticos adhuc post conscientiæ libertatem esse excommunicatos, & irregulares, ineptos beneficijs, & officijs Ecclesiasticis, & Ecclesiasticè infames: quia Ecclesia non eis præbet immunitatem à pœnis Ecclesiasticis. Quapropter si deprehendantur in alijs provincijs, puniri possunt à quæsitoribus, vel alijs Magistratibus Ecclesiasticis: quia Ecclesia numquam se abdicavit iure eos puniendi, quo iure vtitur vbicumque eos capit. Item Princeps laicus potest in eos animadvertere, quando in eius Regno aperitur illorum hæresis; quia libertas conscientiæ est in eo dumtaxat Regno, in quo petita est; non verò in alijs: v.g. in Germania est ea libertas. Si Germanus hæreticus Hispaniam petat, poterit ibi toto iure puniri: quia in Hispania non est conscientiæ libertas. At cùm Principes pacem inierunt, non agit Hispanus ex iure cum hæretico ob salvumconductum, dùm ipse illum non violet; nec Quæsitores de illorum religione explorant, dùm ipsi non disputant aut persuadent errorem, ne pax inter regna turbetur.

Deduco tandem ex dictis, teneri iudices Ecclesiasticos diligenter excubare, ne vllus sit hæreticus, nec hæresis vestigium, non modò in provincijs pacatis, vt Hispania, & Italia; sed inquietis: nec Princeps potest oscitari in exterminanda omni hæresis suspicione; observata tamen prudentiæ lege. Si enim ex publico hæretici supplicio turbandum sit regnum, & inde graviora immineant damna, quàm ex dissimulatione, dissimulandum est, vt constat ex §. 25. & 26. Quia verò Iustus Lypsius in Politicis asserit hæreticum occultum non esse perscrutãdum in provincijs inquietis; meritò eius propositio abrasa fuit iussu Cardinalis Bernardi de Sandoval Quæsitoris Hispaniæ. Si enim Reipublicæ tumultus non est religionis caussâ; sed belli, quid interest? Quia ex indagatione hæretici occulti nulla turbatio imminet magis, quàm ex furis, aut homicidæ; si verò ex ipso supplicio Respublica est turbanda; non solùm non sunt vestigandi occulti; sed cum manifestis est dissimulatione aliquâ agendum: eâ nempè, quæ necessaria prudenter iudicabitur ad vitanda graviora damna. §. 40.

Lypsius.

At nisi dissimulatione vitentur; non est eâ vtendum; quin lynceis oculis est perscrutandus hæreticus occultus, ne serpat vt cãcer. Vt enim pestis initia in prima domo, vbi cernuntur, sunt extinguenda; & domus ipsa occludenda cæmento, & calce, ne eius aerem hauriant mortales, & intereant; sic extrangulandi sunt hæretici, ne sonent hæresim, & ipso halitu draconum more vrbem inficiant. Nescio quî Lypsius vltra suam humaniorum literarum crisim §. 41

Theolo-

Theologicas metas attigerit saliens vltra crepidas.

SECTIO VII.

Utrùm servanda sit fides in libertate conscientiæ?

SUBSECTIO I.

Nonnulla præmitto.

§. 42. OSTENDI neutram conscientiæ libertatem esse licitam, nisi quando ob populi tumultum maiora timentur damna ex hæreticorum supplicio, quàm ex dissimulatione, aut expressa libertate: quia Princeps non est hæreticos debellando. Est igitur quæstio quid sit agendum quando Princeps Catholicus ita est viribus auctus, vt possit absque gravi damno hæreticos punire, ferroque & igne hæresis pestem abigere? Nec dubium est de libertate permissiva, de qua egi §. 3. certum est enim teneri Principem hæreticos punire, nec eos permittere vllâ ratione, quia permissio non potest honestari; nisi ex damno graviori, quod timetur, aut ex data fide; at hic nullum graviùs timetur damnum (vt pono), nec violatur fides: quia nulla est oppignorata: quia libertas permissiva non est, nisi tacita dissimulatio, quæ necessaria fuit ob temporis tumultus, nec quia hodie dissimulatur, dissimulandum est cras, nec ad id acquiritur ius: ergo nullo ex capite honestabitur permissio. Nec item proroganda est libertas expressa, nisi authoritate Papæ sit data: vt dixi §. 34. & 35.

§. 43. Nec item est difficultas cum inbaptizatis: quia hi nulla ratione compelli possunt ad fidē, quāvis nihil cū illis pactus sit Catholicus Princeps: multò ergo minus compellendi sunt sponsâ conscientiæ libertate. Si

§. 13. autem prætergressi conscientiæ libertatis leges aliquid contra fidem moliantur; tunc absque dubitatione sunt puniendi. De permissione templorum, sacrificiorum, & aliarum cæremoniarum; maximè verò de prędicatione, est eadem difficultas, quæ de hæreticis.

SUBSECTIO II.

Duæ conclusiones.

DICO primò: non sunt permittendi hæretici exteri, nec illorum permittendum domicilium: verbi gratia, est in Gallia conscientiæ libertas, Rex tenetur abigere ex Gallia Anglum hæreticum, aut Germanum non habentem in Gallia domicilium sufficiens ad naturalitatem Galliæ: quia permissio hæc solùm potest honestari ex maiori damno, quod timetur, vel ex sponsione facta, cùm libertas fuit permissa; sed nec timetur damnum, quia Princeps nullo, aut minori damno potest hæreticum abigere; nec violatur fides: quia non fuit data exteris; sed Gallis: ergo nullo ex capite potest hæreticus Anglus in Gallia permitti habitare, nisi fortè ad negotiationem, aut alia de caussa, de quibus egi sine §. 39. Cùm ergo Gallus non spoponderit libertatem hæreticis exteris, non potest eos donare domicilio, aut naturalitate, dùm hæretici sunt, quia si porta aperiatur exteris, eo confluente æternùm; nec extinguetur hæresis; quæ tamen delebitur Principe Catholico & potenti: *Regis enim ad exemplum totus componitur orbis.* Suppetunt autem Regi mille rationes, quibus integra fide sponsæ libertatis conscientiæ trahere vassallos possit ad fidem; exteri verò non demulcentur adeò facilè. §. 44. 1. Concl. Claudian.

Dico secundò: tenentur Princeps & Papa servare fidem hæreticis in permittenda conscientiæ libertate iuramento confirmatam. Hæc conclusio est omnium Doctorum, qui asserunt hæreticis servandam fidem: quod in singulari docent de salvoconductu. Item vniversi id affirmant de fide data hæreticis; hoc in negotio eam cum alijs docet Pater Becanus de fide capite 16. quæstione quarta, numero 11. Sanctus Thomas 22. quæst. 4. art. 3. ait semper esse illicitum non servare hosti promissum: quod ex doctrina eiusdem Sancti Thomæ est accipiendum, quando promisso potest satisfieri absque peccato, & res sunt in eodem statu: status ergo est idē quia ex parte hæreticorum nihil est novatum: item hæreticos non punire potest esse absque peccato. Pater Molina tom. 1. de iustitia, 2. tract. disputatione 111. propiùs accedit, opinatus teneri quempiam stare promissis iuramento firmatis, quamvis is, cui promittuntur, ea accipiat iniustè S. August. tom. 2. epist. 225. nullo periculo §. 45. 2. Concl. Becan. S. Thom. P. Mol. August.

S.Tho. q. 10. Art. 5. intentato voluit violari fidem. Magis è re. S. Ambros. 3. offic. cap. 10. laudat Iosue, S.Ambros. quòd servarit sponsam fidem Gabaonitis, ne fidem suam solveret; libro autem primo, capite 29. fusè probat etiam hostibus religionis servandam esse fidem exemplo Iosue, Elisæi, & aliorum: ait autem, *liquet igitur etiam in bello fidem, & iustitiam servari oportere; nec vllum decorum esse posse si violetur fides*: eaque propter Davidem laudat in prima pro eodem apologia, quòd docuerit etiam hostibus servandam fidem. Gratianus 23. quæstione prima cap. *Noli*, Gratian. ait ex S. Augustino, epistola 207. fidem servandam esse etiam hostibus. Vide alios M. Ioann. Marq. authores, quos adducit, & sequitur Magist. Ioannes Marquez in Gubernatore Christiano, libro 2. cap. 24.

SVBSECTIO III.

Prima probatio.

§. 46. 1.Prob. HÆC sententia mihi adeò est certa, vt arbitrer eam esse de fide. Quia Ecclesia censent servandum esse salvumconductum datum hæreticis; ita vt si illis promittatur securus reditus ad suos, sint securi dimittendi: ergo censet Ecclesia servandam esse fidem libertatis conscientiæ: quam consequentiam probabo §. 48. Antecedens probo ex Concilio Concil. Constant. Constantiensi, sessione 19. cap. *Quod non obstantibus*: vbi definitur, Principem laicum, à quo hæreticus salvumconductum accepit, in nullo manere obligatum, tametsi hæreticus ab Ecclesia puniatur; dùm tamen Princeps fecerit, quod in ipso est. *Nec sic promittentem* (inquit) *cùm fecerit, quod in ipso est, ex hoc in aliquo remansisse obligatum*: itaque obligatus est Princeps ad faciendum quod potest, ad servandam hæretico fidem: quòd si obligatione solvitur, est quia fecit quòd potuit: hæreticus autem non potest ab ipso puniri ob leges salviconductus; punitur autem ab Ecclesia, cuius iurisdictio non impeditur Principis salvoconductu, vt dixi §. trigesimo quarto, & trigesimo quinto, tunc sic: Princeps tenetur facere quod in ipso est ob legem iuramenti: ergo ob eamdem tenetur Ecclesia facere, quod in ipsa est ob leges easdem. Probo consequentiam: quia ex parte hæretici eadem est ratio: nec enim aliter se geret hæreticus: petit enim salvumconductum ad revertendum ad suos cum incolumitate: ex parte iuramenti est eadem ratio: vterque enim idem iurat obiectum: ex parte promittentium non est diversitas: nec enim Ecclesiæ turpius est eam incolumitatem spondere, quàm Principi: vterque item tenetur in hæreticos animadvertere. Liquet ergo Ecclesiam censere teneri legibus iuramenti, quo salvumconductum spondet hæretico: & quidem cùm Hieronymus Praga petijsset à Concilio salvumconductum, illum Concilium recusavit; & non tàm salvumconductum, quàm iudiciariam citationem illi remisit, apertè contestans nullam illi inferendam vim; salva tamen iustitiæ integritate. Quam citationem videre quivis poterit in eodem Concilio, sessione sexta, cap. *decernitur citatio contra Hieronymum de Praga*: in qua spondetur illi salvusconductus de illi non inferenda vi in accusatione, & defensione: itaque spopondit Concilium se auditurum hæreticum absque vi; at non spopondit immunitatem à pœna: adijcit enim, *iustitià semper salva*: ideò autem Concilium recusavit salvumconductum: quia censuit illo impeditam iri pœnam teterrimo debitam hæretico, quam remittere noluit. Nec opus erat tàm accurata consideratione Concilij: cùm enim absolutè datur salvusconductus, intelligitur dari contra vim iniustam, non contra iustam, nisi explicetur: vt ex Mynsingerio docet Pater Becanus de fide, capite decimo sexto, P.Becan. quæstione sexta, numero secundo; Concilium autem prævidens hæreticorum calumnias, negavit expressè immunitatem à vi iusta, & iudiciaria.

SVBSECTIO IIII.

Secunda probatio.

EFFICACIVS argumentum est ex Concilio Tridentino in fine §. 47. 2.Prob. sessionis decimæ quintæ, proponente singulis hominibus fidem publicam, & securitatem ad veniendum Tridentum, & pollicente se non acturum contra eos, qui deliquissent contra fidem. Quo salvumconductum dedit hæreticis, offerens omnem securitatem in itinere, & vrbe ipsa, expeditumque, & custoditum reditum ad suos; concludit autem quemlibet hominem, & Concilium ipsum, si eam fidem publicam violaverit, obnoxium futurum omnibus

bus

bus pœnis, quas iure naturali, & divino merentur omnes, qui violant fidem publicam: ergo Concilium censuit se teneri ad integritatem salvi conductus ipsa lege naturæ, & divina. Alioquin & Concilium esset deceptum, & inani verborum strepitu fallere vellet hæreticos. Nō ergo est dubium quin censeat Ecclesia se teneri ad non violandam fidem hæreticis datam.

§.48. Probo nunc consequentiam propositam §. 46. nempè ab Ecclesia censeri vim habere iuramentum in libertate conscientiæ, quia Concilium Tridentinum ideò movetur: quia salvusconductus est fides, & securitas publica, quam iure naturali, divino, & gentium servare tenemur; sed libertas conscientiæ est fides publica, & securitas: ergo tenemur ad illam servandam eodem iure. Antecedens legenti constabit, eaque propter dixi hanc sententiam opinione mea esse de fide: quia Cōciliū nititur huic vniversali propositioni: *Omnis fides publica servanda est iure divino*, qua continentur omnes fides publicæ; nisi verò Concilium ea propositione vteretur, nihil efficeret, quia hæretici non essent securi; vt autem ij securi redderentur, nec exceptionem esse in caussa religionis; vtitur Concilium generali doctrina de omni fide publica servanda.

§.49. Ratio item eiusdem consequentiæ est clara: quia salvus conductus est in specie de eodem obiecto: quia est immunitas à pœnis in hæreticos decretis: quarum pœnarum exactioni ceditur pro eo loco, & tempore, quæ continentur in fide publica. Item est de libertate redeundi ad suos, vbi poterit hæreticus religionem falsam profiteri, & prædicare: timentur item plura in religionem mala ex eorum reditu: ergo salvus conductus est in specie de eodem obiecto, ac fides publica de libertate conscientiæ, solùmque differt in diuturnitate, & brevitate: quæ non afferunt essentiale in obiecto discrimen.

SVBSECTIO V.

Argumentum à ratione.

§.50. 2.Prob. SECVNDO probo conclusionem eamdem: quia religio gravius patitur damnum ex violata fide publica, quàm ex servata hæreticis: ergo tenetur Ecclesia eam servare. Probo antecedens: quia si hæretici sibi persuadeant censeri à Catholico non debere servari fidem publicam, numquam ei credet; nec se credet Ecclesiæ: cùm ergo religioni expediat proponere tumultuanti turbæ conscientiæ libertatem, vt ea ratione in religionem graviora vitentur damna; non credent populi Principi, nec superest alia ratio religionis conservandæ: licèt ergo religio in aliquo vno regno maius emolumentum caperet ex debellatis hæreticis; at religio in communi, & absolutè, gravioribus affligeretur ærumnis: cùm enim non raró opus sit vim temperare legum: arbitrabuntur hæretici modum illum non duraturum diutiùs, quàm Principis infractas vires; ijs autem resumptis legum quoque acrimoniam revicturam, & quia Concilium Constantiense (quamvis inviolata fide publica) animadvertit in Ioannem Hus, & Hieronymum Pragam, nullus deinceps hæreticus in concilium vllum venit, quod gravissimo est religioni damno: eaque propter Concilium Tridentinum conspicatum primo suo Commeatu proposito sessione decima tertia, nullum hæreticum Tridentum venisse, secundum commeatum copiosirem proposuit; *conclamatum* tamen (vt aiunt) *fuit*, & nihil ab hæreticis impetratum.

Confirmatur: si Catholici sibi persuadeant illicitum esse servare fidem libertatis conscientiæ; hæretici, & inbaptizati idem sibi persuaderent: quia ipsi censent religionem suam esse veram; nostram autem errantem: ergo non posset Ecclesia petere ab infideli conscientiæ libertatem, nec esse eius iuramento secura: si Rex Angliæ nunc spondeat conscientiæ libertatem iuramento firmatam, quis dicat Anglum non teneri ad eam servandam, tametsi opinetur hæreticè se non deficere à vera fide? O quantùm esset optanda in eo regno libertas? ergo religio graviora damna patitur ex violata, quàm ex servata ea publica fide: & quidem ab infidelibus censenda esset Ecclesia perfida in servanda fide publica, & indigna, vt cum illa paciscantur, aut ei fidant: est ergo fides publica basis humanæ societatis: quâ diruta, nullus est fidei locus: ea ratione non credimus Turcis: quia censent cum hostibus non servandam fidem: quod non raró confirmarunt exemplo. §.51. Confir.

Hinc oritur argumentum à priori: tenemur stare iuramento, cùm id possumus absque peccato; nec res sunt graviter mutatæ: quam doctrinam ex Sancto Thoma, & Patre Molina tomo 1. de iustitia & tract. 2. disputatione 111. proposui §. 45. sed hìc possumus absq; peccato stare iuramēto: quia §.52.

S.Tho. q. 10. Art. 5. hæc fides publica, & libertas non est intrinsecè mala; sed bona in rebus desperatis: potuit ergo Princeps tunc stare licitè iuramẽto; at postea quamvis cessat desperatio status tẽporalis, nõ cessant rationes honestantes fidem publicam, vt constat ex §. 50. & 51. ergo absque peccato potest Princeps stare promissis: ex parte autem hæreticorum nulla est mutatio: quia nec nova occurrit ratio; nec ipsi violarunt oppignoratam à se fidem, solùmque est novitas in statu reipublicæ temporali: crevit enim Principis potentia; hæreticorum autem decrevit: quæ non est mutatio ex parte obiecti, sed ex parte subiecti. Hic enim status efficeret ne licitè permitteretur de novo conscientiæ libertas; at non officit fidelitati stãdi antiquo iuramento.

SVBSECTIO VI.

Tertia conclusio.

§. 53. DICO tertiò, nisi conscientiæ libertas iuretur, Princeps nec tenetur, nec debet stare promissis cùm potuerit hæreticos debellare. Quæ doctrina confirmanda est ex alia communi confirmata à P. Molina tom. 1. de iustitia tract. 2. disp. 3. nempè nullum teneri stare promissis iniuratis, quando vi, aut metu extorquetur à promittente aliquid, quod vergat in grave damnum promittentis: quam doctrinam hic pono alibi probandam; sed conscientiæ libertas est gravissima Principis Reipublicæ, & religionis ærumna: & semper extorquetur vi, & metu iniusto, cadente in virum constantem: ergo Princeps non tenetur illi stare promisso. Nec hinc solvitur gentium communicatio: qui enim aliquid vult à Principe egens iuramento; illud etiam exigat; alioquin ne sit securus; quòd si fuerit: id referat in suam inscitiam. Commeatus, sive salvi conductus, non egẽt iuramento expresso: tùm quia illud præstatur clausula generali, qua asseritur adiici illi fidei publicæ quidquid exigitur ad ei⁹ observationem, vt fecit Tridentina Synodus: tùm quia commeatus non extorquetur vi, aut metu iniusto; sed Principes sponte, aut sine vi rogati illum præbent.

P. Mol.

* * *

SVBSECTIO VII.

Respondetur argumentis.

§. 54. IOANNES Marquez libro 2. de Gubernatore Christiano, refert à Bodino censeri Bartholum opinatum fidem non esse servandam hosti privato; benè tamen Imperatori seu Capitaneo Generali; & ita censum constantiæ, vbi Abbas Panormitanus, & Ludovicus de Ponte affirmarunt non esse servandam fidem hæretico: quia is eam Deo non servavit: cui sententiæ adhæsisse videtur Ioannes Echius, postulans enixè à Carolo Quinto, vt exemplo Maximiliani sui avi permitteret Lutherum comburendum, vt Constantiæ exusti sunt Hus & Praga, quod fieri posse contẽdit cum admiratione Procerum degentium apud Cæsarem: idem censuisse videtur Gõsalus Illescas libro 6. Historiæ Pontificalis ad annum 1521. vbi ait fuisse consentaneum rationi Luthero non servare fidem, quam ipse violavit Deo, & hominibus. Aliique censuerunt debuisse Carolum vtilitatem Ecclesiæ præferre sponsionis suæ fidei, ne monstrum illud terram corrumperet. Alij autem aiunt Imperatorem desertum à Dominico Soto, quòd noluerit Lutherum cremare. Adduntinsuper, Imperatori dolorem infixum cordi de Luthero impunito, idque crimini obiectum à Dœmone ipsi Carolo iam moribundo, idque confirmant exemplo Concilij Constantiensis, quod inservata fide publica Ioannem Hus & Hieronymum Pragam ambussit.

Marquez. Barthol. Abbas. *Ioannes. Echius.* *Illescas*

§. 55. Multa hìc sunt præstringenda, & examinanda multa. Bartholus adducitur libro 5. *conventionum*, ff. de pactis. Vbi ait servandam fidem soli Capitaneo Generali his verbis. *Solutio: non est servanda fides data privato, vt ibi; sed à Duce belli data, sicut hic.* Itaque non distinguit inter privatum, & Capitaneum accipientes salvum conductum; sed inter dantes: opponit enim Capitaneum privato, quòd hic non habet authoritatem ad salvum conductum præstandum; secùs ille: vnde Capitanei fides est servanda; non privati. Quòd si alicui erat violanda iure hostili, erat Capitaneo, qui caput est hostium; non verò privato, qui suum sequitur caput Video Grammaticam esse inconcinnam: dicendum enim erat, *data à privato*, non verò *data privato*. Sic enim tota periodus congrueret & sibi, & sensui. Sibi, quia verba à Duce belli melius respon-

Barthol.

respondent verbis *data à privato*, quàm *data privato* sensui: quia subijcit immediatè. *Potest ergo Capitaneus guerræ dare securitatem hæretico, vel alij hosti*: at vnde id intulit; nisi quia privatus homo eam non potest dare; sed tantùm Capitaneus generalis? quam autem iste dat, omnibus servandam docet Bartholus; qui totus est in

Barthol. disquirenda potestate ad dandam fidem publicam, & paciscendum inducias. Vndè ergo mentitus Bodinus calumniam imponit Bartholo? Nec mirum: complures enim alij hæretici eam Catholicis imponunt, vt

Becan. elegantes expendit P. Becanus de fide, cap. 16. quæst. 6. num. 6.

§. 56. *Echius.* Echius agendum voluit cum Luthero more Constantiensi: quia salvus conductus Caroli fuit absque facultate Ecclesiæ, vt commeatus Maximiliani: in ea ergo opinione voluit Echius authoritate Ecclesiæ, non Cæsaris, combustum Lutherum: admiratio autem Procerum orta fuit ex ignorantia iuris Ecclesiæ, cui derogare non potest

Gonçalus Illescas. ius Cæsareum. Gonçalus Illescas est in eodem sensu; vterque tamen movetur alia efficaciori ratione: quia Lutherus contra leges commeatus garrierat, & prædicaverat; hosti autem non servanti fidem in ipso pacto non est servanda fides. At absolutè non esse servandam fidem hosti ab eo, qui eam dedit, nec ij authores dicunt, nec Catholicè possunt: vt §. 47. ostendi ex Tridentino.

§. 57. *Sot.* Quæ autem dicuntur de Dominico Soto, sunt aniles fabulæ: ipse enim lib. 7. de iustit. quæst. 2. art. 1. sensit vniversim servandam esse omnem promissionem. Quæ de diabolo dicuntur, non habent plus ponderis. Nisi velis, Carolum conscium de Lutherana violatione legum commeatus, ommisisse supplicium timore Protestantium; ob idque & à Soto desertum & accusatum à diabolo: non verò quia servaveri imperatoriam fidem: ijs ergo fabellis ommissis Carolus rectè se gessit stans promissis: vt enim

Cochlæus. cõstat ex Cochlęo, ignoravit quid in itinere Lutherus egisset, & quamvis eius rei conscius, illum remisisset; fecisset prudenter: non enim posset sedare rebelles Germanos multitudine infinita tumultuantes pro Luthero: nec enim eos tunc domuerat; nec erat domando: quod postea fecit duce Deo cum exercitu Hispanorum.

§. 58. Qui autem censent præferendam vtilitatem Ecclesiæ Imperatoriæ fidei; non ideò id dicunt, quòd censeant fidem esse violandam; sed explicant quantùm doleant de vita Lutheri. Plures (nec tàm abs re) Caietanum accusant, quòd cum Luthero pactus fuerit disputationem in diem insequentem; eâdem autem noctè delapsus fuit Lutherus, quem ipse Caietanus capere posset nulla violata fide. Quæ dicuntur de Abbate, & Ponte, existimanda sunt non carere calumnia; cùm referantur à calumniatore, & mentiente Bodino. Fortè illi dixerunt non teneri Ecclesiam stare commeatui Imperatorio dato absque authoritate Ecclesiæ: quod deindè in ius transijt, vt ostendi §. 34. & 46. & decreto Constantiensi: cùm ergo Bodinus dicat in ius transisse Abbatis & Ludovici sententiam, & in ius non transierit, nisi in hoc sensu; in eo loquuti sunt illi authores & non in Bodiniano, adversante ipsi Concilij iuri, ostendenti teneri Principem facere quod in se est, vt ostendi §. 46. vt autem Bodinus impiè agit in Deum, ità & mendaciter in Ecclesiam & Catholicos Doctores.

De Concilio Constantiensi amburente Husium & Pragam, quàm multa hæretici garriunt! nec est apud Catholicos vna responsio. Ac primum Concilium illis non remisit commeatum, vt ostendi §. 46. Aliqui censent vtrumque ex Bohæmia venisse cum fide publica Maximiliani; non verò Concilij. Hoc autem eos combussisse, Imperatore invito, & faciente quod in se erat, ne punirentur. Vlricus Reichentel apud Cochlæum libro secundo de gestis Hussitarum id asseverat, & confirmari videtur ex Concilij decreto adducto §. 46. quod ea ratione videtur editum, vt satisfieret tùm ipsi Imperatori, tùm vniversæ Ecclesiæ, quæ cognosceret ab eo non violatam fidem; sed authoritatem conservatam; nec Maximilianum potuisse commeatum præstare cum præiudicio Ecclesiasticæ libertatis. §. 59. *Cochlæus.*

Fateor id esse Ecclesiæ ius; at minimè mihi persuadeo Concilium Imperatore invito flammas admoturum hæretico; tùm quia plurimùm valet in Imperio Imperatoris voluntas maximè autem Maximiliani, qui tunc mille beneficijs Ecclesiam obstrinxit ad sedandum flebile schisma; tùm etiam, quia quamvis Concilium traderet sæculari Curiæ hæreticos, eos ipse non cremaret; sed remitteret ad ipsorum Regem, qui exequeretur sententiam Ecclesiasticam. Quis enim Imperatorem cogeret ad necandos homines, qui Imperatoria sacra fide venerant in Imperium, cùm id præstari posset per ipsorum Regem hæreticorum, vel per ministros Papæ Romæ? Mittamus coniecturas: ex ipso Concilio constat Imperatorem lubenter acquievisse damnationi hæreticorum: etenim session. 15. versu *petitione ipsius* §. 60.

S.Tho. q. 10. Art. 9. Concil. Constant. refertur Hussium remissum Curiæ sæculari; deindè ait Concilium, *Quibus factis Curia sæcularis recepit eum, & abduxit eum ad locum iustitiæ: super quibus omnibus Henricus de Piro petijt approbationem & exequutionem, fuitque responsum per Dominos deputatos omnium nationum prædictos, ac Dominum præsidem; Regemque Romanum: Placet.* Hæc autem qua ratione componit Vlricus cum renitentia Imperatoris in defendendo Ioanne Hussio? sessione autem 21. initio, Hieronymus traditus est Curiæ sæculari, cui sententiæ omnes acclamaverunt: *Placet.* Imperator verò aberat in Aragoniam profectus ad agendum cum Petro Luna, & Rege Aragoniæ de schismate abolendo. An Concilium tunc damnaret hæreticum invito Imperatore? aut eius ministri non eum consulendum censerent?

§. 61. Obiectio. Dicunt alij, datum commeatum remittentem pœnas meritas ob hæresim jam admissam; non verò ob novas; quia constat ex iure non condonari pœnam peccati futuri. Contrà: isti commeatus præstantur, vt agi posit cum hæreticis; hi autem minimè venirent fine fide publicâ de reditu incolumi ad suos, tametsi hæresim non abiurent: leges verò loquuntur de absoluta condonatione pœnæ; hæc autem non continetur saluoconductu: etenim elapso tempore statuto, obnoxius est hæreticus omnibus pœnis.

Resol.

§. 62. Non video cur asseratur hæreticos Constantiam ivisse cum Imperatorio commeatu, de Ioanne Hus nihil invenio. Hieronymus petijt fidem publicam Concilij; ipsum autem citationem misit: vndè statim fuit carceratus, vt constat ex sessione 19. initio. Nec verbum vidi de salvoconductu Maximiliani, nec de eius intercessione: at hæc non fuissent omittenda; sed Hieronymus fortè citatione Concilij malè fretus existimavit se fore securum: Ioannes Hus præ arrogantia existimavit Concilium à se convertendum; aut voluit hæresiarchicâ temeritate videri martyr. Quod clarè Concilium refert sessione 15. versu *petitione ipsius. Reperto demum Ioannem permanere in perversitate sua, & dicentem quòd propter homines, quos docuit de opposito, non vellet abiurare; sed millesies comburi, quia per eius abiurationem generaretur scandalum illis, quos docuit.* Cur ergo Ioannes non implorat Imperatoris opem? Cur non clamitat se ab Imperatore deceptum? Cur non postulat servari sibi publicâ Imperatoris fidem? nisi quia sine illa, optans sanguine confirmare doctrinam, & suos certiores de illa reddere, venerat in Concilium. Hieronymum idem fecisse constat §. sequenti. Concilium autem edidit decretum de salvoconductu: quia eâ de re incidit disputandi occasio, quam præterire noluit, tempore doctrinam eam exigente; non verò ex occasione commeatus Imperatoris.

Esto: præstiterit Maximilianus fidem publicam: Hieronymus illâ inviolata meritò fuit crematus: ipse enim abiuravit errores Ioannis Hus., vt constat ex sessione decima sexta, initio: in qua abiuratione cessit iuri impunitatis ijs verbis in fine abiurationis. *Etsi ego ipse aliquando (quod absit) aliquid contra sentire, aut prædicare præsumpsero; Canonum severitati subiaceam.* Quid ergo mirum hominem ambustum tàm impudentem, vt ipse vltrò fit in Concilium ingressus, ad contestandum se implè gessisse in damnandis hæreticis erroribus? Qua temeritate confirmo, quæ dixi §. superiori: hos hæreticos vltrò voluisse se offerre occasioni pro hæresi occumbendi. Ioannes Hus aliqua faceret contra leges salvi conductus, vt fecit Praga tàm impudenter non vocatus intrans in Concilium; vt fecit Lutherus, & plerique faciunt hæretici. Nec Husitica temeritas adeò erat levis, vt non effutiret contra eas leges, qui millesies voluit cremari pro doctrina discipulorum. Quid? vtrumque fuisse contra edictum comminans mortem multi referunt? & quidem in tota Bohemia, vndè illi fuerant evocati, nihil censum actum contra salvumconductum; nec Lutherum habuisse quid hac in parte obijceret, rectè docet Pater Becanus de fide cap. 6. quæst. 6. à num. 7. §. 63. Becan.

§. 64. 2. Arg. Secundum argumentum est, quia Concilium Tridentinum in commeatu sessionis 15. cedit omnibus privilegijs, quibus frui potest, etiam Senensis Concilij & Constantiensis: ergo non tenetur Ecclesia servare fidem hæreticis. E contra ego inferrem teneri Ecclesiam post cessionem servare fidem: quia privilegia nihil iuvant illis renunciantem. Ostendi §. 47. ex ipso Concilo servare fidem publicam esse de iure naturali, & divino, vt non mentiri: quo iure nullis privilegijs solvitur Ecclesia; hæretici autem exemplo illorum Conciliorum terrentur; ad evellendum autem hunc timorem Concilium pollicetur se nullâ ratione acturum contra adventantes suo salvoconductu. Non est ergo cessio iuris; sed explicatius voluntatis argumentum. Respond.

§. 65. 3. Arg. Tertiò: quia violanti fidem fides non est servanda; sed hæreticus negat fidem: ergo. Sic possemus arguere, non restituenti aliena nō est restituēdus honor. Respōdeo ego nos nō futuros fidefragos, quia perfidi sunt hęretici. Distinguo maiorē: non est servanda Resp.

da fides in eodem contractu, concedo maiorem; in diverso, nego: v.g. paciscor cum Petro, vt pertranseat per meum Regnum, nullo damno illato: si damnum inferat, solutus sum servanda fide illius pacti; non verò si Petrus in alio negotio me fefellerit. Distinguo minorem: hæreticus violavit fidem salviconductus, nego; si autem violat, non tenetur Ecclesia eius legibus; violavit fidem in baptismo desponsam, concedo minorem, & nego consequentiam.

§. 66. 4. Arg. Resp. Quartò, non debetur fides coniugi inbaptizato, quando alter baptizatur: ergo nec hæretico. Nego consequentiam, quia in primo casu res graviter mutantur: mutat enim alter religionem, & ad vitandum periculum, solvitur baptizatus lege cohabitationis; in secundo casu non mutantur, nec agnoscitur novum periculum. Item in primo casu cōditio est vtrique æqualis, si baptizetur alter, sivè mulier sit, aut vir: hìc non est æqualis conditio.

§. 67. 5. arg. Respond. Tandem: quia libertas conscientiæ extorquetur per vim & metum, quæ faciunt involuntarium: ergo non obligat. Distinguo consequens; non obligat in iurata: concedo consequentiam, iurata, nego consequentiam: est enim absolutè voluntaria, quamvis cum admixto involuntario, vt dixi disputans de volūtario, & involuntario. Vide P. Molin. tom. 1. de iust. tract. 2. disp. 3. P. Molin.

DISPVT. LXXX.

De Hæresi obiectiva.

SECTIO I.

Hæresis quid significet?

§. 1. ÆRESIS græcè, electio latine: à verbo circum flexo *hæreo, hæreis*; vel, *hæro hæris* significat propriè actum voluntatis eligentem medium ad consequendum finem. Frequenter accipitur à benè latinis pro doctrina, quam liberè elegimus ad assentiendum. Vnde Tullius hæresi, & sectâ vtitur in significatu eodem: sectamur enim doctrinam, quā liberè elegimus: est enim *secta à sectando*; *sectare* autem *à seco*, quod est *divido*: religione enim liberè electa dividimur, sivè discriminamur ab aliius religionis professoribus. Vnde scientiæ & doctrinæ evidentes, nec sunt hæresis: nec sectæ: quia nec electione illis assentimur, nec dividimur: cogitur enim intellectus ad evidentem assensum: in opinionibus probabilibus eligimus &, sectamur divisi: quibus dixit Aristoteles nos ex hæresi assentiri. Aristot.

§. 2. Dubium. Hinc leve enascitur dubium: an Christiana religio sit hæresis appellanda? P. Suarez disp. 19. sect. 1. num. 1. asserit negativam partem cum Tertulliano, S. Hieronymo, S. Thom. & alijs; consentiunt Bañez, quæst. 11. art. 2. sub initium, Lorca: P. Valentia & alij. Cùm autem hæc sit quæstio de nomine; eo est vtendum in communi significatione, ad quam sufficiunt tàm multi, & tanti authores. At verò propriè posset etiam religio Christiana *hæresis* appellari: tùm quia Apostolus Actorum 5. 25. & 26. doctrinam Pharisæcam *hæresim* appellat, & in hoc ipse servire se Deo testatur: ratio à priori, quia hæresis formalis est electio libera in assensu alicuius doctrinæ; quāvis autem nostræ fidei actus sit supernaturalis, negari ei non potest simpliciter electionis ratio: nec opus est ad hæresim, vt sit ex sola natura, vt nec ad electionem: nec item requiritur vt hæreticus sibi præscribat obiectum; alioquin soli hæresiarchæ essent hæretici; sed satis est obiectum habere vim ad terminandum liberum assensum; est ergo hæresis in bonam malamque partem. P. Suar. Tertul. Hieron. S. Thom. Bañez. Lorca. Valentia. Acto. 5.

§. 4. Galat. 5. 1. Cor. 11. Vsus tamen Ecclesiæ in partem deteriorem nomen inflexit: est enim hæreticus electo r pravi dogmatis contra fidem Christi. Paullus vitandum præcipit hominem hæreticum. Ad Galat. 5. vitijs accenset sectam (Hæresin græce) & 1. ad Corinth 11. inter peccata permissa à Deo recenset hæreses. Vnde *hæresis* & secta sunt iam in partem deteriorem, alienam à doctrinâ verâ. Quamobrem decretæ sunt vtroque iure pœnæ in hæreticos, & hæresis absolutè vsurpata significat infidelitatis speciem.

SECTIO II.

Quæ sit propositio fidei?

§. 5. FIDEM dividi in formalem, & obiectivam, ostendi disp. 56. Propositio de fide eâdem ratione dividitur in formalem, & obiectivam: vt in Logica ex vsu omnium Dialecticorum modū sciendi divisi in formalem, & obiectivum. Propositio fidei formalis est *actus intellectus aliquid afirmans, aut negans naturaliter effectus à fide Divina*. Itaque fides habitualis est ha-

S. Tho. q. 10. Art. 5. de Fide. bitus per se infusus assentiens dictis Dei ob eius authoritatem, & testimonium. Propositio fidei est actus ortus ab hoc habitu, vel ab auxilio loco illius; actus autem, qui non fiunt ab hoc habitu, vel ab auxilio loco illius (quod semper intellige) non est actus fidei: quia verò obiectum formale fidei sunt authoritas & revelatio Dei, materiale verò sunt omnia revelata, omnis fides formalis est circa ea obiecta, vel aliquod illorum cum connexione obiecti formalis, & materialis: omnes autem actus, qui non sunt de his obiectis, nec habitu, non sunt fidei.

§. 5. Obiectio. Resp. Obijcis, actum Theologicum non esse fidei, & tamen oritur ab habitu fidei, ergo. Distinguo minorem: oritur ab habitu fidei adæquatè excitato suo obiecto formali, nego minorem, oritur ab habitu fidei adiuto alio obiecto formali, sine quo obiectum fidei nō posset actum producere, do minorē, vt ostendi disp. 11. debet ergo actus fidei ita oriri ex Dei testimonio, & authoritate, vt non egeatur alio obiecto formali; eiusmodi actus sunt absolutè actus fidei.

§. 6. Quia verò disput. 9. latè probavi revelationes privatas posse credi fidei Catholicæ actu; addendū est omnes huiusmodi assensus esse Metaphysicè fidei: quia oriuntur à fide ex eius adæquato obiecto; at non sunt fidei Catholicæ formaliter, quia *Catholica* addit vniversalitatem propositionis ex Ecclesiæ authoritate; privatus autem assensus non pendet ab ea propositione. Quapropter non dicitur absolutè *actus fidei*: quia frequens eius nominis vsurpatio est pro fide Catholica formaliter; nō verò materialiter: immò absolutè non sunt actus fidei Catholicæ formaliter in vsu communi, qui oriuntur ex miraculorum applicatione; sed ex Ecclesiæ, vel ostendentis revelationem, vel scripturas, aut traditionem: vt ergo actus vocetur fidei Catholicæ formaliter, opus est, vt oriatur ab habitu fidei, & pendeat ab humana authoritate Ecclesiæ, vt ab applicatione.

§. 7. Alij actus non sunt fidei propriè & directè, sed impropriè: verbi gratia, conclusio Theologica nō est actus fidei; at verò aliquâ ratione pendet à fide: quia fides est partiale illius principium: & quemadmodum philosophia habet certa principia, & conclusiones legitimas, quæ omnia componūt philosophiam propriè, vt est scientia; ita fides habet sua certa principia, & conclusiones, quæ omnia componunt fidem, vt amplectitur obiectum formale, & materiale. Philosophia item nonnullas conclusiones habet minùs certas: ex principijs item minùs certis & nonnullas probabiles. Ita fides iūgitur principijs naturalibus, cum quibus conflat facultatem distinctam, nempè Theologiam; cuius conclusiones, si tantùm sint probabiles, nullo modo dicuntur de fide; si autem sint, aut physicè, aut moraliter evidentes, dicuntur aliqua ratione de fide: quia illis negatis vix poterit conservari fides. Idem dixerim de quovis alio actu, qui viam munit ad conservandam fidem, qui ad eam pertinet, vt dispositio, aut effectus.

Fidei obiectivæ propositio est obiectum cognoscibile proximè per formalem fidem: vt modus sciendi obiectivus est obiectum proximè modi sciendi formalis. Dixi *proximè*: quia potest res aliqua esse revelata à Deo, & non constare certò de revelatione; vel quia obscurè est in scriptura; vel quia nihil actum est in Concilio generali, aut traditione, aut à Pontifice. Hoc obiectum est remotè cognoscibile fide infusa; quia re ipsa caret conditione requisita ad eam exercendam. Vndè huiusmodi obiecta, dum nō proponuntur authoritate humana Ecclesiæ, vt applicatione, non spectant absolutè ad fidem Catholicam; at verò cùm obiectum est revelatum à Deo, & est propositio humana Ecclesiæ, qualem exigi ostendi disputat. 14. tunc obiectum illud est absolutè de fide, illâ proximè cognoscibile: quia existit ex eius parte quidquid exigitur ad terminandum supernaturalem assensum. Quòd si aliquis id ignoret, est per accidens ex defectu ipsius cognoscentis; non tamen ex defectu obiecti, cùm verè existant & revelatio & applicatio. §. 8.

Omnia ergo obiecta, quæ loquutus est Deus, sunt remotè obiectum fidei infusæ. Quæ autem ab Ecclesia sunt proposita; sunt propositio fidei obiectivæ, & sunt absolutè materia fidei Catholicæ, proximè credibilia. Quæ verò alijs argumentis proponuntur, sunt fides obiectiva credenda fide infusa; non tamen formaliter vt Catholica. Hæc obiecta sunt, quæ terminant revelationem Dei, nempè omnia, quæ Deus expressè revelat, & quæ ex revelatis inferuntur evidenter. Item authoritas & revelatio Dei sunt fides Catholica obiectiva: quia sunt obiectum formale terminans primos actus fidei. §. 9.

SECTIO III.

Quid sit hæresis obiectiva?

HÆRESIS accipitur etiam bifariam: pro formali, & obiectiva. De formali agendum disput. 82. Hæresis obiectiva est obiectum, circa quod versatur hæresis formalis: id est, obiectum oppositum §. 11.

situm obiecto fidei: v. g. hæc est fides obiectiva: *Deus est trinus*; hæc autem est hæresis obiectiva: *Deus non est trinus*. Obiectum ergo contrarium, aut contradictorium, sive oppositum in veritate obiecto fidei, est hæresis obiectiva.

§. 11. Vnde deduco ad rationem hæresis non exigi oppositionem cum articulis fidei, articulo accepto pro principe fidei parte ex quatuordecim, in quas secantur articuli fidei, sive mysteria. Probatur: quia quodvis obiectum revelatum creditur fide divina, & tenemur illi assentiri; ita vt pereat fides in dissentiente cum propositione Ecclesiæ; sed fides non amittitur, nisi per hæresim. Item est infidelitatis species dissentiri obiecto revelato proposito ab Ecclesia: ergo hæresis non exigit oppositionem cum articulis fidei; sed sufficit, cum quovis obiecto revelato: & quidem omnia ad hæresim necessaria reperiuntur in eo dissensu, & ab Ecclesia puniuntur vt hæretici.

§. 12. Secundò deduco, non esse hæresim obiectivam obiectum oppositum in veritate obiecto revelato privatim, & nondùm ab Ecclesia proposito. Quod docuit Lorca disput. 39. num 1. ex communi omnium consensu. Ratio à priori: quia hæresis formalis est ex pertinaci renitentia authoritatis Ecclesiæ: vt ostendam disputat. 82. sed circa hæc obiecta non potest esse hæc pertinacia: ergo nec hæresis formalis: ergo nec obiectiva: quia hæc est illius obiectum. Item hæresis est obiectum oppositum fidei Catholicæ obiectivæ; sed obiectum privatim revelatũ non est fides Catholica obiectiva: ergo id obiectum non est hæresis obiectiva. Minor est certa: quia illa obiectiva fides non est vniversalis; immò nec obiectum oppositum obiecto confirmato miraculis est hæresis obiectiva: quia non est obiectum actus pertinacis contra authoritatem Ecclesiæ. Quod exigi ad hæresim formalem ostendam disp. 82. vbi etiam ostendam ad quam speciem infidelitatis hæc peccata pertineant: est enim hæc quæstio difficilis: & magis inter Doctores dubia, quàm opinatus est Lorca. Vide disp. 82. §. 38.

Lorca.

§. 13. Tertiò deduco, obiectũ conclusioni Theologicæ oppositum non esse hæresim obiectivam: quia conclusio Theologica non est propriè de fide; obiectum autem oppositum conclusioni illatæ evidenter ex duabus præmissis revelatis est hæresis: quia ea conclusio est fides: & quamvis Pater Suarez & alij negant ad fidem pertinere propriè; at eius oppositum censendum est hæresis, vt asserit idem Pater Suarez disputat. 19. sect. 2. nu. 10. quia obiectum illud est immediatè saltem cõfusè revelatum à Deo; & qui negat conclusionem, cogitur negare alteram è præmissis; vtraque autem est fidei: ergo cogitur negare fidem; secùs in conclusione Theologica: qui enim eam negat, cogitur negare alteram è præmissis; non tamen eam, quæ est de fide: si quis enim neget Christum esse risivum, non cogitur negare hanc, *Christus est homo*; sed eam, aut hanc, *omnis homo est risivus*: quod in fide non est absurdum, quamvis est in Philosophia insanum; si tamen quis negaret conclusionem, quia eius deductionem non penetravit; hic non esset hæreticus: quia non negat aliquid ab ipso apprehensum vt revelatum & propositum ab Ecclesia. Quòd si ea de re constaret, non esset puniendus; sed pro asino relinquendus. Vide disputationem 81. §. vndecimo, & duodecimo.

P. Suar.

Obijcis à Sancto Thoma art. 2. affirmari hæresim esse, quæ versatur circa articulos fidei; vel ex qua sequitur corruptio alicuius articuli, sicut fides principaliter, & primario est circa articulos; secundariò autem circa ea, quæ ex articulis sequuntur. Dominicus Bañez versu *his constitutis*, nonnullas refert expositiones minùs accommodatas. Ipse hanc sequitur: fides versatur primariò, sive per se primò & per se ipsam eliciẽdo immediatè assensus, circa articulos fidei, id est, circa omnia obiecta revelata; at circa conclusiones Theologicas non versatur, nisi secundariò per habitum Theologicum: ita & hæresis; quæ autem sunt obiectum conclusionis Theologicæ, non sunt absolutè de fide; nec eis opposita sunt hæresis. §. 14. Obiectio.

Doctrina quidem vera; non tamen satis apta Sancto Thomæ, qui non agit ibi, nisi de fide & hæresi propria; non verò reductitia. Melius Sanctum Thomam Pater Suarez exponit disputatione decima nona, sectione secunda, numero decimo: quæ per se revelantur vt totum, aut principale obiectum, revelantur primariò & per se; quæ verò revelantur vt pars minùs principalis eiusdem obiecti; revelantur secundariò, & cum alijs. Pluries enim in Philosophia ostendi phrasim Thomisticam, nempè totum cognosci per se & primariò; partes verò vt sunt in toto, cognosci per aliud: ita fide Catholica cognoscuntur totum & partes revelata; totum per se, partes in alio: circa hæc obiecta versatur hæresis: per se primò circa totum; secundariò circa partes. Conclusio autem Theologica, nec partialiter versatur circa obiectum fidei. §. 15. S. Thom. P. Suarez.

§. 16. Quartò deduco inter hæreses obiectivas

vas

S. Tho. q. 10. Art. 5. de Fide. vas esse gradus vt communiter dicunt Authores: quæ enim opponitur obiecto formali præcipuo negans authoritatem Dei in dicendo, deterior est cæteris: tum quia est obiectum contradictoriè oppositũ Deo, tùm quia funditùs evertit fundamenta credendi catholicè; tertiò, quia irrogat Deo gravissimam iniuriam. Qui autem negant solùm revelationis existentiam, nõ desipiunt tàm insanè, nec tàm malè sentiunt de Deo: nec physicè destruunt totam credẽdi rationem: possunt enim miraculis, & alijs argumentis evinci.

§. 17. P. Suar. Obiectio. Pater Suarez disputatione decima nona, sectione secũnda, numero septimo, censet omnes hæreses esse in eodem gradu falsitatis: quia quælibet hæresis corrumpit totã fidem. Secundò: quia omnis propositio fidei est æquè vera & certa: quia innititur revelationi Dei, quæ in omni obiecto semper est æquè vera. Respond. Ad primum respondeo, qualibet hæresi fidem demeritoriè corrumpi, non physicè; at verò quæ negat authoritatem Dei, physicè impedit omnem assensum fidei: quia nisi ex authoritate Dei moveri non possumus: at negatio vnius articuli non impedit physicè assensus de alijs: vt ostendi disputatione 61. Ad secundum respondeo, constare ex libris de anima omnes actus veros esse æqualiter veros formaliter; non tamen fundamentaliter: vndè qui negat authoritatem Dei, destruit maiorem veritatem fundamentaliter, quàm qui negat existentiam revelationis: quia Deus est ens omninò necessarium; revelatio autem contingens: idem dico de obiectis revelatis: Trinitas enim magis vera est radicaliter, quàm Angelus: inæqualitatem ergo non conijcio ex maiori, aut minori veritate formali; sed radicali, nempè ex obiectis inæqualiter existentibus necessitate, aut contingentiã: item & ex maiori, aut minori turpitudine: qui enim asserunt Deum carere providentiã, deteriores sunt asserentibus Tobiam non habuisse canem; primum autem obiectum physicè peius est, quàm secundum.

§. 18. Quintò deduco, esse multas hæreses obiectivas novas, quia multa obiecta sunt noviter de fide: ergo eis opposita sunt de novo contra fidem. Antecedens probo: quia Deus multa revelavit successivè: etenim in novo testamento multa loquutus est Deus, quæ anteà numquam dixerat: at ante revelationem nihil est de fide: ergo multa sunt novè de fide: item ante propositionem Ecclesiæ nihil est credibile fide Catholica: quia illa est frequentior applicatio revelationis Dei; hæc autem applicatio est sæpè nova: ergo sunt novæ partes fidei obiectivæ; tunc autem incipit aliquid esse hæresis obiectiva, quando eius oppositum incipit esse fides.

Lorca disputatione 39. numero 20. asserit posse ab Ecclesia fieri, vt aliquod dogma sit hæreticum, quod priùs hæreticum nõ erat: quamvis fieri ab Ecclesia non possit, vt sit dogma fidei, vel error contra fidem, quod anteà non erat: quæ explicatione indigent: etenim si dogma non hæreticum potest ab Ecclesia hæreticum fieri: ergo potest fieri vt sit dogma contra fidem, quod anteà non erat. Probo consequentiam: quia esse hæreticum dogma essentialiter includit esse contra fidem, vt ex terminis patet: ergo qui facit dogma hæreticum, illud facit contra fidem: vt qui facit Embryonem hominem, illum facit animal. & quidem de novo potest fieri error in fidem, & dogma fidei: quia nunc Deus potest revelare numerum Angelorum à tota Ecclesia credendum. Hic numerus nunc non est dogma fidei, nec ad illam vlla ratione pertinet, nec contrarius numerus est error in fide; at facta & proposita revelatione, ille numerus esset fidei dogma, & oppositus esset error contra fidem: ergo de novo potest esse error in fide. Idem dico de obiecto revelato, & nondùm ab Ecclesia proposito: tunc enim obiectum oppositum non esset error in fidem: quia fides obiectiva petit, vt existant & revelatio & applicatio: recognosce 8. §. 19. Lorca.

Sexto deduco in sola verborum vsurpatione hæresim esse non posse. Quod Canus Bañesque docuerunt: quia hæresis est obiectum oppositum obiecto fidei; sed qui loquitur verbis diversis idem obiectum, quod Ecclesia alijs verbis, non asserit obiectum oppositum obiecto fidei: ergo non loquitur hæresim: dùm ergo mente retinetur sensus idem, iam cum Ecclesia sentitur, loquutionis autem vitium pertinet ad grammaticum, non ad fidem: si verò quis dicat Ecclesiam falli in præscribendis verbis, iam non est discrimen in vsurpatione vocis; sed in authoritate Ecclesiæ in ea materia. §. 20. Canus. Bañez.

(?)

SE-

SECTIO IIII.

Dubia tria.

§ 21. PRIMVM: vtrùm dubitatio in fide, (quæ est hæresis formalis quædam species) habeat hæresim obiectivam? id est: vtrùm omnis actus hæreticus habeat hæresim pro obiecto? Partem affirmantem sequor, quia dubitatio, vt est dubitatio, habet aliquod obiectum affirmatum, aut negatum. Pono enim dubitationem non esse omissionem puram actus intellectus, nec solam apprehensionem simplicem; sed iudicium: hoc autem necessariò est affirmatio, aut negatio: ideò ergo est contra fidem, quia aliquid contra illam affirmat, aut negat: ergo obiectum dubitationis est hæresis.

§ 22. Iam ostendi disp. 21. sect. 9. Ecclesiæ authoritatem humanam tantam esse, vt sit moraliter impossibilis falsu: ac propterea omnes teneri ad sibi persuadendum eam hic & nũc nõ falli, nec falli posse moraliter: dubitatio autẽ est iudiciũ, quo cẽsemus cõtingens esse vt res sit, & non sit. Qui enim dubitat de stellarum paritate, non asserit, neque negat eas esse pares; asserit tamen vtrumque esse contingens: ita dubius de Trinitate, eam neque affirmat, neque negat; affirmat autem contingens esse vt sit & nõ sit: vnde asserit contingens esse vt revelatio de illa non sit; contingensque esse Ecclesiã esse deceptã in ea revelatione proponenda. Hæc autẽ obiecta hæresis quidem sunt: hæc enim propositio est de fide. *Non est contingens Ecclesiam falli*: ergo hæc est hæretica: *contingens est Ecclesiam falli*: quæ est obiectum dubitationis, & suspicionis: ergo dubitatio, & suspicio versantur circa hæreses obiectivas: dubitationem formalem hæresim esse rectè probat P. Suarez disp. 19. sect. 4. cuius doctrinæ hæc est ratio à priori: vnde rectè concludes omnem hæresim in intellectu consummari, censente aliquid contra fidem. Vide disp. 82. à §. 65. — *Suarez.*

§. 23. Secundum dubium est: vtrùm hæresis abstractè sumpta sit hæresis appellanda? an verò nulla sit hæresis abstractè; sed comparatè ad hæreticum? in quæstione de nomine partiti sunt authores. Canus lib. 12. de locis cap. 8. Bañez artic. 2. in dubio *circa tertiam conclusionem* sequuti Caietanum quæst. 11. art. 1. Pater Valentia dist. 1. quæst. 11. punct. 2. ante finem, & alij censent non esse hæresim, nisi quæ hæreticum constituit. Quia hæresis in abstracto est quæ concretè hæreticum constituit; vt albedo album. Alij authores censent hæresim esse etiam, si hæreticum non constituat: ij sunt complures, quos sequitur Pater Suarez disp. 19. sect. 1. num. 3. quia etiam si à nullo proferatur hæc propositio, est hæresis: *Christus non est Deus*: quia non est consideranda circumstantia proferentis; sed obiecti prolati. — *Canus. Bañez. Caiet. Valentia. P. Suarez.*

§. 24. 1. Concl. Dico primò: omnis hæresis est comparatione asserentis. Quod de hæresi formali non est dubium; de obiectiva probo: quia hæresis obiectiva est quæ terminare potest formalem, vt fides obiectiva potest terminare fidem formalem: & omne obiectum in ratione obiecti est in ordine ad potentiam intentionalem, à cuius denominatione constituitur in ratione obiecti, vt sæpiùs in Philosophia dixi: item omne obiectum virtutis, aut vitij, accipit denominationem, vt terminare potest actum bonum, aut malum. Non enim res dicitur *furtum*, nisi vt terminare potest actum furandi. Nec enim comparatione iumenti depascentis fænum alieni domini dicitur furtum: vt dicitur comparatione hominis compotis rationis potatio alieni vini. *Hæresis* autem & fides connotant virtutem & vitium.

§. 25. 2. Concl. Dico secundò ad rationem hęresis formalis exiguntur omnia, quæ ad hæreticum, excepta vnione actus cum subiecto: quod rectè probatur argumento primæ sẽtentiæ: vt enim albedo in abstracto est forma constituẽs album, ad quem effectum sola eget vnione; ita & hęresis ad constituendum hæreticum. Argumenta pro secunda sententia non vrgent: non enim impugnant hæresim formalem; sed obiectivam. — *Ad arg.*

§. 26. 3. Dico tertiò: hæresis obiectiva non pendet à connotatione eam actu proferentis; sed à revelatione Dei, & propositione Ecclesiæ, cum quibus habet vim ad hæresim formalem terminandam, ita vt si perfectè noscantur, non possit quis illis dissentiri; nisi per formalem hæresim: si autem non terminent hæresim est ob ignorantiam errantis, quæ per accidens est obiecto revelato, & proposito. Vt enim mysteria fidei sunt obiectiva fides; licèt ab aliquo ob ignorantiam credantur cum formidine; ita & hæresis obiectiva potest cognosci per actũ non hæreticum. Hanc conclusionem probat secunda sententia. Argumenta primæ non premunt hanc doctrinam. Nam ab hæresi formali constituitur hæreticus formaliter, at ab obiectiva caussaliter; sufficit autem quòd sit apta ad terminandum hæresim. Ab his conclusionibus parum differt Lorca. — *Lorca.*

§. 27. 4. Concl. Dico quartò: hæresis absolutè non pendet ab actuali pertinacia. Quia quamvis hæresis formalis pendet; non tamen obiectiva: & quia hæc est etiã hæresis absoluta, ideò

S. Tho. q. 11. de Fide. ideò ad hæresim absolutè non exigitur actualis pertinacia. Constat autem ex symbolo fidem obiectivam esse absolute fidem: recensis tum credendis obiectis, asserit Athanasius: *Hæc est fides Catholica, quam nisi quisque fideliter, firmiterque crediderit, &c.*

§. 28. Tertium dubium est, vtrùm omne obiectum oppositum fidei obiectivæ sit hæresis? Respondeo, semper hæresim reperiri in baptizato dissentiente etiam Apostata, comparatione cuius in commune omne huiusmodi obiectum est hæresis; at comparatione inbaptizati non est hæresis. Item obiectum destruens Christum non est hæresis tā propriè: quia hęc retinet nomen Christianum, est autem, aut Iudaismus, aut Paganismus.

DISPVT. LXXXI.

De propositione damnabili.

§. 1. OMNIS propositio falsa est damnabilis, quia est imperfectio intellectus: eius item obiectum damnabile est: quia est negatio obiecti veri fundans actum falsum. At non agitur de hac damnatione; sed de quibusdam propositionibus, quæ tametsi non sunt hæresis, nec directè destruunt fidem; sunt tamen aliqua ratione contra illam: rectè dixit Canus illis non interire fidem; ægrotare tamen, quia illis sensim iaciuntur scalæ ad fidei arcem expugnandam: sunt ergo nonnullæ propositiones falsæ, quæ præter communem falsitatem, habent aliquid in fidem periculi.

SECTIO I.

De numero damnabilium propositionum.

§. 2. IN Concilio Constantiensi sessione 8. recēsitis articulis Ioānis Vvicleph, hæc asseruntur. *Quibus examinatis articulis, fuit repertum (prout in veritate est) aliquos, & plures ex ipsis fuisse, & esse notoriè hæreticos, & à Sanctis Patribus reprobatos: alios non Catholicos, sed erroneos: alios scandalosos, & blasphemos, quosdam piarum aurium offensivos: nonnullos eorum temerarios, & seditiosos.*

§. 3. Septem species damnabilis propositionis referuntur. Prima *hæresis notoria*; secunda *non Catholica doctrina, sed erronea*; tertia *scandalosa*; quarta *Blasphema*; quinta *piarum aurium offensiva*; sexta *temeraria*; septima *seditiosa*. Addatur octava ex Gregorio XIII. nempè *suspecta* in fidem. In eodem Concilio sessione 15. in damnatione Ioannis Hus eædem referuntur species, exceptâ quartâ.

Pius Quintus, & Gregorius in Bulla in Michaelem Baium ita eius errores damnant, *hæreticas, erroneas, suspectas, temerarias, scandalosas, immittentes offensionem in aures pias.* Vbi prætermittitur quarta species, & septima; additur autem alia nova, nempè *suspecta.* Sūt ergo absolutè octo species propositionis damnabilis, septem recensæ §. 3. & octava addita à Gregorio XIII. ad quas revocari potest *proxima hæresi.* §. 4. Greg. 13. Pius 5.

Omnes ferè hæ censuræ capiuntur in hęresi: nam ob dissensum ab Ecclesiæ authoritate, erratur, offenduntur aures piæ, creantur scandala, & seditiones concitantur, admittitur temeritas, estque blasphemia in totam Sanctam Ecclesiam. Suspicio abest ab hæresi, quia vbi cernitur oculis delictum, non potest de illo esse suspicio. §. 5.

SECTIO II.

De errore.

ERROR obiectivus est hic propriè disputandus: agitur enim de gradu, quo obiecta actuum falsorum opponutur obiectivæ fidei: error obiectivus est obiectum actus errantis: error autem formalis propriè est actus falsus: erratur enim à scopo: etenim intellectus naturâ suâ est institutus ad actus veros, quando exercet falsos deflectit à fide, & errat: errare enim est à via recta divertere. Pressius error accipitur à Patribus, & Concilijs pro hæresi, vt constat ex cap. *accusatus §. ille quoque*: de hæreticis in 6. & capite *excommunicamus secundo §. vltimò de, hæreticis* in decretalibus. Iam verò vsurpatur à Theologis pro actu errante circa fidem obiectivam, non attingentem hæresis malitiam. Hoc discrimen inter errorem & hæresim statuitur appertè in Cōcilio Constantiensi, discriminātè hęresim notoriā ab errore: cū enim dixisset aliquos articulos fuisse hæresim notoriam, alios asserit esse erroneos: prima ergo censura cadit in omnes errores hæreticos notoriè; secunda verò in alios, qui non sunt hęresis notoria; sunt tamen errores, alioquin illa errorum partitio §. 6.

fuisset

fuisset inepta. Idem patet ex bulla contra *Alfonſ. à Caſtro.* Baium. Nec audiendus est Alfonsus Castro Primo de iusta hæreticorum 6. petitione, capite tertio: vbi planè se inclinat ad non distinguendum errorem ab hæresi. Nec enim argumentum vllum adducit, nec Concilium exponi commodè potest: quia sententia temeraria non est hæretica: ergo non loquitur Concilium in eodem sensu de omnibus censuris. Cùm ergo Concilium dispares pareat hæresim ab errore, oportet hanc vestigare disparitatem.

§. 7. *Canus.* Magister Canus libro 12. de locis, cap. 11. tres assignat species erroris. Primam cùm propositio adversatur non fidei; sed doctrinæ Catholicæ. Est enim fides, quæ ab vniversa Ecclesia proponitur credenda, vt revelata à Deo: doctrina autem Catholica est, quæ ab omnibus admittitur, quamvis non revelata à Deo: verbi gratia, *oratio specialiter alicui applicata plus ei prodest, quàm generaliter applicata. Fratres possunt esse mendici.* Hæ autem propositiones erunt erroneæ. *Oratio specialiter applicata non prodest plus. Fratres non possunt esse mendici.* Verùm hæc species non explicatur satis, tùm quia spectat ad propositionem temerariam; tùm quia Catholica doctrina est doctrina fidei: est enim qua credita homo constituitur Catholicus.

§. 8. Secunda species erroris assignatur à Cano adversari doctrinæ, quæ vehementi opinione sapientum est de fide; sed non demonstratur eam esse de fide. Nec arbitror hunc esse errorem; sed doctrinam hæresi proximam, vt ostendam §. 17. Tertiam adijcit, quæ non manifestè; sed vehementi suspicione adversatur doctrinæ notoriè de fide. Censeo autem ego & hanc esse hæresi proximam; non errorem.

§. 9. *Caſtro.* Castro appellat errorem eum, qui adversatur doctrinæ fidei demonstrabili ratione naturali, vt hæc propositio. *Non est Deus. Deus non est vnus.* Hæresim autem quæ adversatur doctrinæ fidei indemonstrabili, vt hæc: *Deus non est trinus.* Si & demonstrari possit, & sit definita doctrina; illi adversari erit simul error, & hæresis. Nec placet tùm quia errare in obiecto demonstrabili, non est censura Theologica, nisi adsit Ecclesiæ authoritas, aut Doctorum, quibus refragetur, qui errat, vt qui in Mathematicis errat: tùm quia ex sententia Castri adversari authoritati totius Ecclesię est hæresis: ergo hæresis distinguitur ab errore, non ob materiam; sed ob pertinaciam in Ecclesiam: ergo pro gradu authoritatis Ecclesiasticæ, cui adversamur; dignoscendæ sunt censurę: item & pro gradu, quo adversamur.

Censeo errorem esse eum, ex quo per legitimam consequentiam cogitur errans, vt neget propositionem aliquam fidei, quam Deum revelasse fatetur & errans ipse. Hæc doctrina est plurium authorum. Magistri Bañez quæstione 11. articulo secundo, in quæstione incipiente, *circa hos articulos,* versu *nihilominus.* Patris Suarez disputatione 19. sect. 2. num. 14. P. Luisij disput. 55. dub. 3. versu, *Heretica dici solet*, & sequenti. Bañez ait hanc esse mentem omnium Theologorum: P. Suarez eam confirmat ex Gersone, & Sancto Thoma: P. Luisius asserit eam esse frequentem recentioribus, & quidem oportet pedem figere in aliqua definitione ad constituendum certum canonem in censuris dignoscendis; & ratione, quam servari oportet à Quæsitoribus, alijsve iudicibus hæreticæ pravitatis. §. 10. *Bañez.* *Suarez.* *Torres.* *Gerſon.* *S. Thom.*

Pater Luisius censet in hoc gradu collocari doctrinam adversantem conclusioni Theologicæ evidenter illatæ ex vtraque præmissa de fide: ipse enim censuit conclusionem ita deductam esse Theologicam, non de fide: vt autem propositio sit hæretica, oportet vt sit eius opposita de fide: suamque sententiam ait esse eorum, qui asserunt eam conclusionem Theologicam nō esse de fide: indè enim hæc controversia dependet. Huic sententię non acquiesco, qui enim aiunt eam conclusionem non esse de fide, adhùc censent oppositam esse hæreticam: vt Pater Suarez disputat. 19. sectione 2. numero 10. Hic enim eam conclusionem dixit non esse formaliter de fide propter discursum; at absolutè ait eam esse de fide, quia re ipsa est revelata. Vndè arguo: illa conclusio est realiter dicta à Deo, & proponitur sufficienter: ergo illa propositio saltem materialiter est de fide. Antecedens probo: quia conclusio est realiter idem cum vtraque præmissa, vt ostendi disputat. 11. Logicæ: vndè non potest vnum realiter revelari; quin aliud reveletur. Consequentiam probo: quia omnia, quæ sciuntur esse revelata, spectant ad fidem. §. 11. *Torres.*

Confirmatur: qui scit vtramque præmissam esse revelatam, scit conclusionem legitimam negari non posse, quin negetur id, quod revelatum est à Deo: ergo est hæreticus eam negans: probo antecedens: quia scit conclusionem esse idem cum pręmissis revelatis. Quod si hęc ignorat, est impos rationis, & ignarus ratiocinationis, vt dixi disputatione 80. §. decimo tertio. Vndè negari non potest conclusio apprehensa ab homine vtente discursu, & vtramque præmissam admisit, & illationem penetra- §. 12. *Confir.*

S. Tho. q. 11. netravit. Argumentum Patris Luisij non vrget; quia vt sit propositio hæretica sufficit oppositam esse materialiter de fide, idque apprehendi, quia obiectum illud iam cernitur esse revelatũ, & non posse esse falsum, quin aliqua propositio expressa de fide sit falsa.

§. 13. Est igitur error in fidem, obiectum oppositum conclusioni Theologicæ evidenter illatæ ex præmissa altera de fide, altera evidenti naturali, vt si quis diceret *Christus non est risivus.* Moveor primùm authoritate maioris Theologorum partis ita opinantium de errore. Secundò: quia hoc obiectum est contra fidem obiectivam; & non est alia species commodior: ergo. Maior est certa, quia illa conclusio cogit negare alteram præmissam; at negari nisi ab insano non potest naturalis propter evidentiam: ergo cogimur negare obscurã, quæ est de fide. Tertiò hic gradus est post hæresim gravissimus: quia per consequentias cogimur negare fidem.

§. 14. P. Suar. Cùm errante agendum esse, ac cum hæretico satis indicat Pater Suarez disputatione 19. sectione 2. num. 15. Idem ego dixerim quando errans est mediocriter doctus Philosophiam; tunc enim non creditur errare ob ignorantiam doctrinæ evidentis; sed ob negatam fidem: si autem sit homo ignarus non est censendus hæreticus; sed instruendus, quòd si satis instructus non capiat argumentorum vim; est cogendus, vt aquiescat Doctoribus illa proponentibus, alioquin in illum est animadvertendum, vt dixit Canus, lib. 12. cap. 7, propè finem. Recognosce quæ dixi disput. 12. §. 27. Canus.

SECTIO III.

De propositione hæresi proxima.

§. 15. De propositione hæresi proximâ reticent Doctores nonnulli eã non discriminantes ab hæresim sapiẽte: alij nõ eâdem ratione sentiunt, Petrus Lorca disput. 40. num. 11. hanc censuram arbitratur quadrare in propositionem oppositam conclusioni Theologicæ. Vbi observa à Lorca eâdem disputatione 40. numero 7. existimari errorem esse, qui opponitur propositioni, quam Patres frequenter admittunt esse de fide, quod ex Cano proposui §. 7. Est mihi cum Lorca hic parva dissensio: quem enim ipse appellat errorem, ego §. 17. proximum hæresi dicam; & quod à me dicitur error, dicitur à Lorca proximum hæresi: est tamen advertendum, quem ego errorem appello, & Lorca proximum hæresi esse deteriorem, quam quod à Lorca dicitur error, vt dicam §. duodecimo, & docet Pater Suarez disputatione 19. sectione secunda, numero 11. At verò fidei Quæsitores parũ different in iudicio vtriusque: vterque enim opinione iuris, & præsumptione est hæreticus: gravior tamen qui negat evidentem conclusionem Theologiæ: quia faciliùs flectitur iudicium ad sentiendum non negari mente principium evidens naturale. Lorca.

Pater Suarez disputatione 19. sect. 2. numero 16. fine non distinguit propositionem hæresi proximam ab errore: quem admisit numero 14. esse oppositum conclusioni Theologicæ. Convenio in re cum Patre Suarez in partem huius opinionis, ipse enim numero 13. & 14. duas adstruxit erroris species. Alteram cum Cano de propositione falsâ oppositâ doctrinæ censæ cõmuniter esse de fide. Sic enim definiam §. 17. hæresi proximam propositionem. At Pater Suarez non dicit propositionem oppositam conclusioni evidenti Theologicæ esse proximam hæresi; id enim non esse contendo. Quid ergo est hæresi proxima propositio? §. 16. P. Suar.

§. 17. P. Suarez. Censeo igitur propositionem hæresi proximam esse illam, quæ opponitur doctrinæ tàm certæ, vt ferè à plerisque censeatur esse de fide. Secundò esse propositionem multùm repugnantem doctrinæ fidei; non tamen apertè. Itaq; propositio hæresi proxima est, vel apertè pugnans cum obiecto non claré de fide; vel pugnans; sed non apertè cum obiecto fidei; verbi gratia, propositio hæc *parvuli non habent iustitiam inhærentem* est hæresi proxima: quia Tridenti est definitum adultos baptismo iustificari iustitiâ inhærenti; vndè inferunt omnes Theologi parvulos inhærenter esse iustos; idque intelligi à Concilio; quia iustificatio eiusdẽ generis est in omnibus. At Concilium expressè non egit de parvulis; sed de adultis, asserens *hanc dispositionem iustificatio ipsa consequitur*: parvuli autem non habent dispositionem propriam; igitur hæc propositio. *Parvulo non hæret iustitia*; apertè opponitur propositioni, quam omnes Doctores cẽsent esse definitam. Definitio Concilij vim & rationem eandẽ habet in pueris, ac in adultis; meritò ergo est hæresi proxima. Item si quis dicat *non sunt habitus per se infusi*, est hæretico proximus; quia adversatur huic doctrinæ: *est in homine adulto charitas, & fides inhærens* Trident.

vbi

vbi censent communiter Doctores intelligi habitus per se infusos: quia absque illis incōgruè componitur inhærens iustitia. Primi generis sit exemplum: ***Lumen habituale gloriæ est æquale in omnibus beatis***, adversatur huic: *In cælo est inæqualitas gloriæ*; non tamen adversatur clarè, & absque tergiversatione, quia Paullus de gloria actuali potest exponi; quia verò actualis gloria in statu connaturaliori est ab habitu infuso, & nō ab auxilio extrinseco, aut qualitate per se fluente; ideò adversatur doctrinæ fidei, sed non clarè.

§. 18. *Prob.* Moveor ad hanc opinionem: quia hic gradus errandi à fidei synceritate opponitur directè, & immediatè obiecto fidei proximo: ergò est hæresi proximus: quia qua ratione obiectum attingit gradum fidei; eius oppositum hæresim attingit. Probo antecedēs: quia hoc obiectum exempli gratia: ***Lumen habituale est inæquale in beatis***, parum abfuit à revelatione: dùm enim Apostolus dixit stellam à stella in claritate differre; & Christus, esse in domo Patris mansiones multas; loquuti sunt de gratia sanctificante, & actuali gloria: cùm ergò inæqualitas actus oriatur (in principijs agentibus absque libertate) ex inæqualitate principij; & hæc inæqualitas accipiatur ex principio supernaturali; parum abfuit, quin principij inæqualitas esset definita. Itaque sunt nonnullæ caussæ, & obiecta tam nexa cum effectu, aut alio obiecto; vt qui effectū affirmat, intelligatur & affirmare caussam; à qua in eo statu iuxta leges communes fieri consuevit effectus: ita quando Theologorum & Patrum ingens pars aliquam doctrinam adstruunt pro de fide; quāvis id non probent apertè, negare non solū gradum certitudinis; sed etiam doctrinam ipsam; tàm propè est hæresim, vt suspicio pariatur de contemnenda authoritate Ecclesiæ in revelationibus proponendis: quia eam, de qua agitur, ferè tota proponit Ecclesia, obiectumque ipsum non multū distat à fide propter fundamenta, quibus Doctores moventur ad illud proponendum vt revelatum. Itaque ferè negatur Dei revelatio in secundo genere huius censuræ; in primo autem ferè negatur authoritas Ecclesiæ.

§. 19. Vndè patet huius censuræ discrimen ab errore: error proximè & immediatè non versatur circa obiectum materiale fidei, nec circa revelationem, nec circa applicationem; sed circa aliquod obiectum illatum ex vna propositione de fide, & altera naturali. Vnde obiectum est distinctum ab obiecto fidei: vt *Christus est risivus*, distinctum obiectum est ab hoc, *Christus est homo*: error est oppositus primæ propositioni; hæresis autem secundæ: per consequentias verò infertur evidenter ex hoc errore, *Christus non est risivus*, hæc hæresis, *Christus non est homo*. At verò obiectum hæresi proximum est fidei oppositum: tùm quia est immediatè oppositum obiecto proximo fidei; tùm quia negatur revelatio applicata ferè per Ecclesiam; vel opponitur obscurè obiecto, de cuius revelatione constat. Non est ergò opus vlla consequentiâ ad oppositionem cum obiecto fidei: quia cum illo, cum revelatione, aut eius applicatione opponitur immediatè propositio hæresi proxima.

Nec tamen propterea est in gradu deteriori, quàm error: quia huius oppositio cum fide, licèt mediata, est tam evidens, vt naturaliter neganda sit necessariò fides ab errante mediocriter docto: at verò hæretico proximus, licèt immediatè opponitur obiecto fidei; non tamen ita clarè, vt necessariò sit neganda fides: quia non evincitur contemnere totam Ecclesiam, Concilia generalia, aut Papā, aut negare mysteria revelata: eaque propter dixi §. 15. mitiùs agendum esse cum hæreticis proximo, quàm cum errante mediocriter docto. §. 20.

Hic adverte in propositione hæresi proxima duo reperiri: alterum negare gradum certitudinis; alterum negare rem ipsam: v. g. *Pueri sunt inhærenter iusti*: dicat aliquis: *sunt quidem inhærenter iusti; at Concilium de illis non egit*. Hic quidem est temerarius dumtaxat; nō tamen hæretico proximus: quia non asserit obiectum ipsum; sed tantùm gradum certitudinis cōtra Doctores absq; fundamēto; si autem dicat: *Nec Concilium de illis egit, nec sunt inhærenter iusti*, est quidem hæretico proximus; quia non multùm distat à iustitia extrinseca, & forensi, quam Concilium damnavit contra Lutherum. §. 21.

SECTIO IIII.

De propositione hæresim sapiēte, atq; suspecta.

PROPOSITIO sapiens hæresim relabitur in suspectam: error & propositio hæresi proxima sunt etiam suspecta, & sapiunt hæresim; sunt tamen in gradu deteriori. Hæresim dicitur sapere methaphoricè: gustu enim acuto discernimus saporem; suspecta autem est comparatione intellectus hæresim in propositione suspicantis. Itaque odore dicimur vestigare aliquid latens; gustu præsentire: vndè redolere, & sapere hæresim dicuntur aliqua, quæ nobis eâdem ratione suspicionem pariunt. Non ergo distinguo propositionem §. 22.

S.Tho. q. 11. de fid. Lorca. Suar. suspectam à sapiente, aut redolente hæresim, cum Lorca disp. 40. num. 12. & alijs apud P. Suar. disp. 19. num. 16.

§.23. Castro. Castro lib. 1. de iustâ hæret. punit. cap. 3. ait propositionem hæresim sapientem esse, quæ primo aspectu videtur hæretica; si tamen accipiatur piè, verum habet sensum. Non placet: quia rectè potest propositio hæresim sapere absque sensu vero: si enim sit falsa in omni sensu; & non sit hæresis; nec error, nec hæresi, aut errori proxima, poterit hæresim sapere, & esse suspecta multò meliùs, quàm si vera sit, de quo agendum §. 28.

§.24. Suar. Pater Suarez disputat. 19. sect. 2. num. 17. censet hæresim sapere propositionem ex quâ coassumptis alijs principijs sequitur hæresis, quando vel illa principia nón sunt omninò certa, licèt in Ecclesiâ sint valdè recepta, vel ferè certa, vel etiam illatio non est evidens, cùm tamen probabilissima sit, & communiter probata. Nec huic definitioni acquiesco: tùm quia convenit propositioni proximæ hæresi, vel proximæ errori: tùm quia multæ propositiones hæresim sapiunt, quin per consequentias aliquid deducatur contra fidem: quia immediatè habent saporem contra fidei dogmata; vt hoc exemplum communiter circumfertur; *Christus minor est Patre*: sapit hæresim in Ariano; quam non sapit in Catholico: item hæc propositio: *Fide salutem assequitur homo*: in Lutherano sapit hæresim, non verò in aliquo Patre.

§.25. Dupliciter propositio sapit hæresim: primùm ex ipso obiecto, & natura propositionis, non cōsideratâ circumstantiâ loquentis: v. g. *Christus peccat*, aut *cōmisit peccata*. Rationem optimam reddit Pater Suarez: quia propositio primo pulsu, & prolatione nos movet ad sensum proprium, & literalem; non verò ad metaphoricum, qui congruit literali non adæquatè, sed in parte; sensus autem literalis eius propositionis est, personam Christi propriâ voluntate admisisse peccata. At mysticè significat in Ecclesiâ, quæ dicitur metaphoricè esse Christum; esse peccata. Itaque hoc suspicionis genus oritur ex æquivocâ significatione: sunt ergo vitanda verba quæ accepta in rigore sunt hæretica, quamvis in alio sensu sint Catholica. Huc alluserunt Castro, & alij §. 23. si tamen sermo [illegible] vel totus allegoricus, vel ex alijs adiun[illegible]s allegoria dignoscatur: nulla ibi est

Ps. 12. 2. censura: vt cum dixit David alludens etiam ad Christum: *Longe à salute mea verba delictorum meorum*: & ipse Christus dixit Sancto Petro Alexandrino, tunicam sibi discissam ab Ario, qui discidit Ecclesiam, Paullusque dixit Christum iterum haberi ostentui à peccatoribus.

Hinc deduces, cur Gregorius Decimus tertius & Pius Quintus damnaverint omnes propositiones Baianas; quamvis aliquæ illarum possent habere bonum sensum: quia omnes illæ in sensu rigoroso, & ab ipso Baio intento, sunt damnabiles: ideò sunt damnatæ. Quia Michael Baius more scholarū scripsit, in quibus verba absolutè facta, accipiuntur in sensu proprio: in metaphorico autem non vsurpantur absque tropi aut allegoriæ explicatione; ideò meritò & damnantur, & dicuntur acceptæ ab authore in sensu rigoroso: huius generis est hæc propositio 28. *Liberum arbitrium sine gratia, & Dei adiutorio, non nisi ad peccandum valet*: sensus enim rigorosus est, extinctas esse physicè vires naturales ad bonum opus naturalis ordinis: at de impotentia morali, ea propositio non est digna eâ censurâ. Idem dixerim de propositione 29. *Pelagianus est error dicere, quòd liberum arbitrium valet ad vllum peccatum vitandum*: quæ est damnabilis de valore physico: hic enim mansit; non de morali, de quo sub lite res est. §.26. Greg. 13. Pius 5.

Quando verò propositio habet duos sensus literales proprios, alterum hæreticum, alterum Cathol[illegible]cum; non potest secundum se vocari suspecta, aut hæresim redolens; sed æquivoca, vt rectè dixit Pater Suarez: quia cùm in vtroque sensu possit vsurpari; cur potiùs flectetur in pravum, quàm in probum? est enim sensus præcipitis damnare aliquem ob actionem aut verba æquè indifferentia in bonum ac malum: tunc enim odorari tenemur animum ex alijs vestigijs, ac circumstantijs: vt hæc propositio, *fide iustificatur homo*: est indifferens vt accipiatur vel solùm in sensu dispositivo significante salutis initium; vel in sensu formali & adæquato, excludente charitatem: vterque autem est proprius, & communis: idem esto iudicium quando propositio duos sensus habet allegoricos: alterum rectum, improbum alterum. §.27. Suar.

Potest item propositio carens omnino sensu vero esse suspecta, & hæresim redolere, verbi gratia, *plures religiosi, quàm vxorati damnantur*. Quæ quidem est falsa; quia nec numerus religiosorum est par vxoratorum multitudini; nec tàm frequētes sunt religiosis intereundi occasiones. Sapit item Lutheranismum damnantem statum religiosum, & aliorum hæresim præferentem matrimonium virginitati. Hinc enim videntur oriri temerariæ illæ propositiones, & scandalosæ, quæ redolent & sapiunt animum hæreticum: quāvis nullo testimonio illius propositionis falsitas possit ostendi. §.28.

Est ergò propositio suspecta, hæresim redolens, & sapiens, quæ ob aliquem sensum falsum §.29.

falsum, argumento nobis est animi hæretici. Hæc est bipartita: altera secundùm se est suspecta; altera ex circumstantijs. Quia verò cõiecturæ possunt esse infinitæ, iam ex moribus, iam ex regione, iam ex institutione; nõ potest certa præscribi ratio eas dignoscendi; sed permittendum est id sagacitati Doctorum, & iudicum eiusmodi caussarum. Hæc autem censura minus est gravis, quàm error, & proxima hæresi propositio; nisi in casu, de quo §.32.

SECTIO V.

Duæ animadversiones.

§.30. PRIMA; cùm quæsitores efficiunt vt aliquis abiuret hęresi ob suspicionem; eos non agere de solo hoc tertio gradu doctrinæ hæresim redolentis; sed etiam de errore & proxima hæresi propositione; immò qui in primis duobus gradibus errant, obiurare debent de vehementi: præbent enim argumenta vehementissima eos esse hæreticos; si autem non sint mediocriter docti, sed ineruditi, & facilè resipiscunt, non est cur obiurent, nisi fortè de levi: error enim ex ignorantia potius oritur, quàm ex pravitate.

§.31. Qui autem errant in hoc tertio gradu, examinandi sunt diligenter. Si enim sint docti & educati inter hæreticos; & propositio sit clarè suspecta; isti sunt vehementer suspecti: exempli gratia: in Germania familiaris est Lutheranismus, hominesq; docti cognoscũt apertè, nec homines iustificari sola fide; & eum errorem esse in Germania frequentem: hi si sæpius inculcent, homines iustificari fide, nihilque addant, quo explicent Catholicum sensum, hi sunt obiuraturi de vehementi. Cùm enim quis scit apertè illam phrasim esse apud hæreticos vsitatam in sensu hæretico; & scit se teneri nec verbo cum hæreticis convenire, idque sciens omittit; indicat sanè non leviter se esse hæreticum; si autem nec vnquam fuit hæreticus, nec est ingenio, aut doctrinâ præditus, nec aliàs suspectus de hæresi; hic nullam præbet suspicionem; eam tamen levem præbebit, si indicio aliquo deprehendatur eum potuisse periculum phrasis cognoscere; cùm autẽ Catholicus in libro aut disputatione explicuit fide homines iustificari dispositivè; & non illâ sola; si quando dicat hominem iustificari fide; nullã præbet suspicandi occasionem: quia in Catholico ipsius sensu est accipiendum.

§.32. Secunda animadversio est; suspicionem in materia morali esse pro hæresi habendam; quando suspectus aliquid perpetrat contra ius, prætexens revelationem Dei sibi privatim factam: verbi gratia, si sacerdos asserat sibi licere matrimonium, aut aliquis dicat sibi esse licitam pollutionem, aut concubitum cum muliere non sua: ij enim vtuntur his principijs. *Deus potest præcipere matrimonium sacerdoti, quod tunc est licitum; sed illud mihi præcipit: ergo est mihi licitum.* Hæ propositiones non sunt hæreticæ: nec enim minor damnata est in Ecclesiâ. At isti sunt homines scelestissimi, qui habenas libidini immittunt, censentes licitum esse absolutè matrimonium sacerdotibus; nec pollutionem esse peccatum. Quorum calliditas eo est perniciosior, quo viam sternit omnem evertendi pietatem: potest enim dicere sibi à Deo præcipi regicidium, rapinam, vsurpationem Regni, virginum violationem, & alia innumera flagitia: isti vehementer ostendunt se esse de hæreticis illuminatis, qui omnem libidinem sibi asseruerunt esse præceptam: quos Hispanus ignis absumpsit. Ostendunt se esse Lutheranos rem constituentes in proprio spiritu cuiusque: sapiunt aliorum hæresim, nullum esse peccatum. Sunt præterea funestissimæ reipublicę pestes, omnem virtutem depopulãtes. At quia nos Deus in lege gratiæ spiritui Ecclesiæ tradidit gubernandos; nihil pręcipit contra ius: si autem præciperet, id reijceret ad Ecclesiæ Principes, quibus ipse in mentem inijceret rationem, qua eius exequamur iussa: isti autem spiritus singulares, fugientes Ecclesiæ iudicium non sunt Dei; sed credendi ipsius Dæmonis esse delusus: qui eos spiritus prædicat, citius est comburẽdus hæretico notorio; qui verò illis assentiuntur, eâdem ratione sunt puniendi; nisi fortè ignorantia & fatuitas illos excusset.

SECTIO VI.

Propositio malè sonans & pias offendens aures.

§.33. HÆ duæ propositiones à plerisque nec inter se, nec ab hæresim sapientib⁹ distinguũtur: inter se, quia quæ absonant, aures offendunt, quæ absonante qualitate diverberantur: ideò ergò offenduntur aures, quia illis absonat propositio. Vnde *malè sonans* dicitur, vt caussa offensionis; *offensiva* autem, vt effectus: aurium

S.Tho. q. 11. de fid. aurium enim offensio effectus est absonantiæ: ab hæresim autem sapiente; quia vtrumque dicitur methaphoricè: vt enim intellectus ex sapore obiecta discernit: ita ex sono: vt ergò sapiens hæresim pium palatum offendit, ita & auditum pium absonans verbũ, quæ quidem sic exposita satis probabilia videntur.

§.34. *Suar.* Pater Suarez disputat. 19. sect. 2. num. 18. constituit malè sonantem hæresim sapiente inferiorem: etenim propositio æquivoca cẽsetur à Patre Suarez malè sonans; præsertim si hæreticus sensus est frequẽtior. Cùm enim proferens sit eius significatus conscius, meritò aures offendit, & parit suspicionem in fidem; dùm Catholicum sensum non explanat. Verùm si sensus vterque est proprius, & vsitatus melius erit opinari ab authore vsurpari in sensu Catholico, quia, nisi suppetat argumentum aliud, ex solo æquivoco sensu non licet malè de aliquo existimare: cùm Christiana pietas nos inclinet ad benè opinandum de aliquo, dùm non præbet fundamentum malæ opinionis: vt autem actiones indifferentes non sunt fundamenta malæ opinionis; ita nec verba indifferentia. Quod ipse Pater Suarez observaverat disputation. 19. section. 2. numer. 17. si autem sit vestigium aliud malæ opinionis, tunc æquivoca propositio sapit hæresim; aut est proxima hæresim sapienti. Omnes enim, quæ possunt habere Catholicum explicatum, & tamen indicio sunt hæresis internæ, revoco ad hæresim sapientes, atque suspectas.

§.35. *Lorca.* *Cano.* *Cordub.* Lorca disputat. 40. num. 14. sic hanc propositionem definit: malè sonans aut piarum aurium offensiva est, quæ potest admittere sensum Catholicum, sed plùs sonat, & exhibet non Catholicum, quam mutuatus est ex Cano, Corduba, & alijs, à quâ parùm absunt Pater Suarez, & alij. Verùm ego existimo eam definitionem quadrare in sapientem hæresim, vt ex dictis patet. *Suar.*

§.36. *Conclusio.* Existimo prositionem malè sonantem illam esse, quæ sensum habet congruentem fidei, verba autem incongrua. Itaque malitia huius censuræ non est in sensu verborum; nec est argumentum animi infidelis; sed est in solis verbis, quia sunt in eâ significatione parùm, aut nihil vsitata: ob quod absonant auribus, & offensionem afferunt. Moveor; quia sæpe inter Catholicos res eadem sentitur; at potest aliquis eundem sensum sequutus vti aliquo verbo alieno aliquantum ab eodem sensu, eiusmodi propositio est malè sonans. Huc facit adagium *Prob.* *ex verbis inordinatè prolatis enascitur hæresis.* At iam ostendi solo verbo nullum esse hæreticum, & qu[illegible] facilè deprehenditur absonantem verbis ignorare significationem; vel antiqua verba imponere ad significandum alium sensum; ideo in solo sermone cognoscitur habere vitium, non in mente: hæresis autem committitur verbis, quandò apertè vsurpantur in sensu contrario communi: tunc enim est hæresis vocalis: cum autem sæpè commitatur vitium solo sermone, ad quam censuram hoc vitium revocabimus, nisi ad absonantiam? quia illi sono non sunt assuetæ aures Catholicæ.

Exemplo nobis sunt hæ voces *hypostasis*, *vsia*. Nonnulli enim tres *vsias* asserebant in Deo, idest, tres subsistentias; alij tres hypostases formidabant; quia hypostasis pro substantiâ, & naturâ vsurpari videbatur: omnes erant Catholici; alij tamen malè sonabant alijs; invalescere cœperunt tres *hypostases*, & vna *vsia*: siquis autem ignarus eius consuetudinis in Ecclesiâ percrebescentis tres *vsias* admitteret cum antiquis, malè quidem sonaret; non tamen esset hæreticus, nec suspectus de hæresi, nisi cognitâ Ecclesiæ consuetudine censeret illam esse deceptam. Siquis autem diceret esse in Deo tres essentias relativas: malè quidem sonaret; quia incongruè iunguntur hæc verba: *Essentia relativa.* Si tamen vellet quis significare conceptum, quem primùm formamus de relationibus, vt virtute distinctis ab essentia, & realitèr interse, illumque vocaret essentiam, aut quidditatem relativam; esset malè sonas; non tamen suspectus. Possetque tempore defluente non malè sonare; vt iam nõ malè sonant tres hypostases; & sonant malè *tres vsiæ*: quia vocum significatio pendet ex hominum voluntate: qui diversis temporibus vtuntur eâdem voce in significatu non eodem: est autem hæc censura omnium levissima inter eas, quæ mediatè, vel immediatè opponuntur fidei Catholicæ; nisi aliundè esset argumentum erroris plusquam in voce. §.37. *Confirm.*

§.38. Pias aures offendẽs distinguitur à me à malè sonante; quòd illa indecorũ aliquid Sãctis, aut Deo indecorum asserit. Non dico de blasphemia, & iniuria illata Deo, verbo significante aliquid falsò in Deo, aut Sanctis: sed cũ aliquid effutitur verbo obsceno, aut ridiculo: vt si actiones humanæ Christi, & omni homini necessariæ explicentur nominibus obscænis. Hæc nomina, quæ inter cives sunt spurca in Deum, & Sanctos sunt offensiva piarũ aurium simul & blasphema. Item & humani corporis Christi, aut Sanctorum membra nominibus cõpellare turpibus: qualibus ganeones vtuntur: est offensio piarum aurium; non quòd hæresim redoleant, sed quòd minus casta, & syncera de Deo audiuntur verba: si autem aliqua turpitudo affirmetur falsò de Deo, iam non est in hâc censurâ, sed in hæresi

in hæresi, & blasphemia completa, & gravissima. Huc faciunt, quæ de cæremonijs sacris, statu Ecclesiastico, Sanctisq; viris, dicuntur ridicula; & quibus modestus auditor rubore suffundatur: in hanc doctrinam inclinatur
Suar. P. Suar. disp. 19. sect. 2. & quamvis hic gradus inferior sit malè sonāte, quod attinet ad falsitatē, quia sine falsitate potest propositio offēdere, & sine incongruâ significatione; at in genere moris hæc est gravior, quia est ab animo procaci, & effrænata lingua. Hi autem meritò puniuntur blasphemorum in morem. Tota hæc doctrina probatur, quia eiusmodi verba sunt mala in vsum, & consuetudinem loquentium de Deo: spectant ergò ad aliquem gradum propositionis damnabilis, qui meritò statuitur *offendens aures pias*: quāvis enim semper offenduntur quovis errore, aut eius gradu audito; at ratione virtutis pietatis in Deum, ac Sanctos, offenduntur, cùm aliquid illos dedecens audiunt.

SECTIO VII.

De propositione temeraria, & improbabili.

§. 39. TEMERE aliquid fieri perinde est ac imprudenter, cùm se quis præcipitem agit. Hinc temeritatis vitium est aliquid aggredi contra prudentiæ leges: in quavis facultate sunt propositiones temerariæ, quia in singulis potest esse proiectio: quia verò sæpe proijcimur ad malè de alijs opinandum absque fundamento, dicimur admittere iudicium temerarium. Temeritas propriè non est iudicium falsum: multæ enim assertiones temerariæ sunt veræ, nec prudentia est veritas prudentis actus: multi enim sunt prudentes falsi. Omnis enim probabilis opinio est prudens; nec tamen omnis vera. Est ergò temeritas proiecta contra prudentiam assertio.

§. 40. At Theologi temerariam propositionem appellant assertionem in Theologia absque gravi fundamento repugnantem communi Patrum, aut Theologorum sensui; ex qua tamen nihil absurdi sequitur in fidem, nec reipsa, nec phrasi. Hac vltima definitionis parte discriminatur hæc censura ab alijs, quæ aliquid continent mediatè, vel immediatè contra fidem, re i[illegible], vel phrasi.

§. 41. P. Suar. Pater Suarez [illegible]putat. 19. sect. 2. num. 20. distinguit duas temerarias propositiones, positivā & privativam: illa est, quæ cōtraria est sensui Doctorum absq; fundamēto; hæc quæ non est contraria sensui Doctorum, nec pro illis; est autem absq; fundamento. Hanc tamen ostendam non esse temerariam, sed improbabilem: prima autem est, quæ temeraria appellatur, estq; hoc genus censuræ levissimū inter Theologicas; eâ verò de caussâ dānabile, quia compescenda licentia contēnendi Patres, atq; Doctores in materiâ Theologicâ: quia enim in Theologia præcipuum argumentum est auctoritas, opponi tantæ auctoritati absq; fundamento, non debet impunè permitti.

Duo hic observo: alterum multos homines esse proclives ad damnandas propositiones novas, in quorum ore creberrimè sonat: *Novitas est, non veritas*; quod tamen ipsi faciunt: quia postquam multùm sudarunt; nihil novi invenēre: ideò enim student, vt vetera dogmata nova ratione defendant, cùmque nihil occurrat novi, ad vetusta verborum arma rem deferunt: debent perlegi authores antiqui omnium scholarum, in quibus sæpiùs comperies doctrinam quæ te novitate offendit: libranda sunt item fundamenta sententiæ: quòd si de eadē re obiter Doctores egerunt, non agēntes ex instituto; non est ita illorum sententiæ standum, vt non liceat discedere gravi fundamento: alijs enim disputationibus distracti non applicuerunt animum illi difficultati examinandæ. Posteri autem acceptis ijs, quæ maiores disseruerunt ex instituto, perscrutantur diligenter, quæ illi omiserunt. Quid autem mirum si homines acres ingenio seriò difficultati incumbentes aliquod novum fundamentum effodiant, quod primi non aperuerunt? §. 42.

Si autem antiqui re ex instituto disputata, aliquid affirmarunt omnes; hic opus est fundamento tàm forti, vt nullus ei satisfaciat; sed integrum perseveret: talem arbitrantur aliqui opinionem Hieronymi Angesti non peccare graviter furem, qui compilat argenti vim furtis levibus contra cuiusque bona: si enim Petro auferat duos regales, totidem Ioanni, alios duos Antonio; hunc ait Angestus nō peccare graviter. Quæ doctrina apertè repugnat communi sensui Doctorum; ipsi tamen fatentur fundamentum Angesti esse gravissimum, cui nullus satisfecit. Homo igitur doctus, ingenio acris potest aliqua ratione moveri contra communem sensum Doctorum, cui nec ipsi faciant satis, nec inurenda sit temeritatis nota. §. 43.

Observo secundò, authores multos conspirare in aliquem sensum; ita vt non rapiantur antesignani alicuius authoritate: vt Durandus, Scotus, Henricus, OKamus, Gabriel, §. 43.

quævis hæresis est scandalosa etiam in provincia libera.

§.49. Scandalum Theologicum est occasio ruinæ spiritualis proximorum: omnis hæresis est speculativè scandalosa, quia aperit ianuam infidelitati: qui enim eam crediderit, ruit quidem spiritualiter per infidelitatem. Aliâ ratione sunt hæreses scandalosæ ex obiecto, verbi gratia, fornicationem non esse peccatum, in alterâ vitâ non lui scelerũ pœnas, & aliæ similes de obiecto factibili contra legem Dei.

§.50. In mitiori sensu accipitur hîc propositio scandalosa, quæ non continet hæresim, aut errorem; avertit tamen animos à bonis moribus, qua ratione spiritalis imminet ruina: verbi gratia, cùm quis multùm dubitat de legitimâ consecratione huius hostiæ, quo arcemur à cultu Sacramenti: cùm persuadetur periculum frequentis Sacramentorum vsus, cùm de religioso statu, & cælibatu, de erogan da stipe, & alijs obiectis honestis ita agitur, vt infrigidentur audientium animi. Seditiosa propositio est, quæ movet ad seditionem; verbi gratia, Regem tyrannum posse à quocumque occidi, &c.

SECTIO VIIII.

Recensentur damnabiles propositiones?

§.51. EXPLICVI decem species damnabilium propositionum, quas claritatis ergò libet per anacephaleosim explicare.

Prima propositio est hæretica, quæ apertè opponitur doctrinæ fidei.

Secunda erronea, quæ immediatè non opponitur fidei, sed conclusioni Theologicæ ex quo errore evidenti consequentia deducitur hæretica propositio. Ad hanc speciem accedit proxima errori: quando consequentia non est certa Physicè, est tamen certa moraliter.

Tertia proxima hæresi, quæ immediatè opponitur obiecto fidei; quod tamen non est apertè de fide, sed est de fide frequenti Catholicorum sensu: vel quæ obscurè opponitur obiecto, quod est clarè de fide.

Quarta, sapiens hæresim, vel suspecta de hæresi: quæ sensum proprium habet hæreticum, metaphoricum autem Catholicum; vel quæ ex circumstantijs argumento est homini prudenti eam oriri ab animo hæretico. Potest autem esse suspicio levis, & gravis.

Quinta, malè sonans, quæ sensu congruit fidei, verbis absonat.

Sexta, offendens pias aures, quæ absurdè loquitur de Deo, & eius Sanctis.

Septima, temeraria, quæ sine gravi fundamento opponitur communi Doctorum assensui in obiecto non spectante ad fidem.

Octava, improbabilis, quæ nulli innititur fundamento rationi congruenti. Hæc censura non est Theologica.

Nona, scandalosa, quæ vel concitat pravam de loquente opinionem prę̨ter communem expectationem; vel animos avertit à pietate.

Decima, seditiosa; quæ concitat rixas ex obiecto, & seditiones. Ad has cęteræ revocantur.

DISPVT. LXXXII.

De hæresi formali, & hæretico.



§. 1 AB hæresi formali dicitur *Hæreticus*: perinde ergò est de hæresi formali, ac de hæretico disputare. Hæresis formalis est duplex: altera mentalis, sive intrinseca; altera vocalis & extrinseca: ad vocalem autem scriptam revoco.

SECTIO I.

Hæresis definita.

§. 2 *Augus.* SANCTVS Augustinus, tom. 6. lib. de vtilitate credendi, cap. 1. ait: *Hæreticus est, qui alicuius temporalis commodi, & maximè gloriæ, principatusq; sui gratiâ, falsas, ac novas opiniones vel gignit, vel sequitur.* In hac definitione statuitur communis hæresum caussa, ex qua effectuum dignitatem expende. Sanct. Hieron. tom. 2. in Hierem. cap. 4. versu 13. *Omnis* (inquit) *hæreticus habitat in Aquilone, & calorem fidei perdidit; nec audire potest illud Apostoli: spiritu ferventes; & quia se voluptatibus credidit, recessit à Domino, & dispersit vias suas alienis dogmatibus, & voluptatem sequutus est. Nulla enim hæresis nisi propter gulam, ventremq; construitur, vt seducat mulierculas oneratas peccatis.* Sanct. Irenæus lib. 3. cap. 3. asserit authoritate Romanæ Sedis argui omnes, qui sapiunt præterquam oportet, vel per sui placentiam vanam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem: est autem hoc fidei naufragium, quod homines faciunt in æstuanti vitiorum freto. Iam item ostendi *Hieron.*

S.Tho. q. 11. de fid. quàm sint arrogantes hæretici, cùm & ipso Christo nobiliores aliqui se somniarint; Paullo superiorem Calvinũ asseruerint Calviniani; Lutherusque ipse se fecerit Angelis superiorem. At vero quamvis hæc sint hæresium semina; non est id necessarium ad conceptum hæresis: quivis enim, qui contemptâ Ecclesiæ authoritate eius oppugnat dogmata, hæreticus est quâcumque ex caussâ id efficiat. Rectè autem à Sancto Augustino id asseritur, quia raro, vel numquam sine vicio alio concipitur hæresis: est autem ingentis superbiæ argumentum opponi Ecclesiæ vniversæ.

§. 3. Falsas opiniones non censuit Augustinus, nisi quæ sunt contra totius Ecclesiæ consensum, vt constabit ex hoc §. & 24. ibidem amplectitur Augustiniana definitio tàm hæresiarcam, quàm discipulum. Genitor enim heresis, est hæresiarcha: qui autem eâ sequitur, est hæreticus discipulus. Vnde liquet omnẽ assensum contra cognitam propositionem Ecclesiæ totius esse hæresim, sive sit in præceptore, sivè in auditore. Hæc autem opinionum falsarum genera esse contra Ecclesiæ dogmata idem Augustinus explicuit tom. 5. lib. 18. de Civitate, cap. 51. *Qui sub vocabulo Christiano doctrinæ resistunt Christianæ.*

§. 4. S.Thom. Sanctus Thomas, quæst. 11. art. 1. hæreticum censet esse, qui intendit assentire Christo, sed deficit in eligendo ea, quibus Christo assentiat: quia non eligit ea, quæ sunt verè à Christo tradita, sed ea, quæ sibi propria mens suggerit, & ideò hæresis est infidelitatis species pertinens ad eos, qui fidem Christi profitentur, sed eius dogmata corrumpunt. Hæc definitio latior est, quàm hæresis videtur exigere: multi enim Christo conantur credere, & aberrant; nec sibi eligunt doctrinam, sed ab alijs accipiunt. Multi item Catholici dogmata Christi corrumpũt absque hæresi; quia ignorant illa esse ab Ecclesia proposita. Idem Sanctus Thom. se ipsum explanat in 4. dist. 13. quæst. 2. art. 2. corpore hæreticum secundum nos dici, qui à communi fide, quæ Catholica est, discedit: ad 6. autem ait hæreticum esse, qui pertinacitèr abscedit ab Ecclesiæ doctrinâ. Item hoc art. 2. ad 3. loquitur apertè de doctrinâ pertinaci contra authoritatem Ecclesiæ. Qua propter Thomistica definitio relabitur in Augustinianam. Vide aliam non absimilem apud S. Bonaventuram in 4. dist. 13. dub. 4. ante articulos atque quæstiones.

§. 5. Valent. Pater Valentia tom. 3. disp. 1. quæst. 11. punct. 1. hæc ait ex Turrecremata, & communi consensu: *Hæresis est error fidei Catholicæ contrarius, cui pertinaci animo inhæreat is, qui est fidem in baptismo professus.* Definitio quidem satis accommodata ad vsum scholarum. Pater Suarez disputat. 19. sect. 5. num. 13. hæc ait: *Hæresis est voluntarius, & pertinax error in materiâ fidei Catholicæ contrariâ in homine, qui se Christianum esse profitetur.*

Hanc autem definitionem censeo Scholasticæ methodo vtiliorem: *Hæreticus est, qui retento Christiano nomine post acceptam fidẽ asserit, quod censet esse contrarium Ecclesiæ Catholicæ.* Prima pars discriminat hæreticum ab apostata: quam mutuor ex Sancto Augustino. Secunda communis est omnibus fere Doctoribus; estque communis baptizatis, & inbaptizatis credentibus, qui fide infusâ sunt aliquando donati: vt autem sit hæreticus in foro externo, opus est charactere baptismali. Nec vero opus est re ipsâ sentire contra Ecclesiæ doctrinam, sed satis est opinari propositionem assertam esse oppositam Ecclesiæ consensui. Quæ omnia fusiùs erunt explicanda. §. 6.

SECTIO II.

Quæ requirantur ex parte subiecti ad hæresim constituendam.

PRIMVM exigi rationis perfectũ vsum est absque controversia. Hæresis enim est inter gravissima flagitia; ad quæ non sunt apti rationis impotes. Nec hæresis admittitur cum solo peccato veniali, assensus enim de obiecto repugnante fidei non est absolutè hæresis, nisi plene sit deliberatus; poterit tamen appellari *peccatum leve contra fidem*: hæresis enim grave peccatum est. Qua propter merito Pater Suarez hæresim *voluntariam* appellat *errorem*: voluntarium autem perfectum est liberum in via. §. 7.

Item exigitur, vt aliquando fidem habuerit hæreticus. Quod ex Sancto Thoma, Tertuliano, & alijs docet Pater Suarez disputat. 19. sect. 5. num. 1. etenim paganismus non spectat ad hæresim, quamvis hæreticus ac paganus eidem obiecto assentiantur. Nec sufficit quævis fides, nisi aliquando fuerit hæreticus ac paganus sub nomine Christiano: etenim Iudæi habuerunt fidem infusam: quã nonnulli amiserunt non credentes fidei mysteriá ab Apostolis proposita, nec tamen eorum infidelitas fuit hæresis; sed Iudaismus. Item nonnulli Ethnici imperfectè crediderunt in Christum, arbitrati illum esse Deum, aut Prophetam: Tertulianus enim Tiberium appellat in sua conscietia Christianum: quia tamen illa fides non fuit perfecta, nec attigit certam §. 8. S.Thom. Tert. Suar. Tertul.

certam voluntatem præferendi fidem cuivis aliȩ sectæ; nec expulit errores de Divinitate Idolorum, nec fuit absolutè professio Christianæ Religionis; non potuit, qui eam iterum abiecit, hæreticus esse.

§. 9. 1. Dub. Controversia est inter authores vtrùm labatur in hæresim Cathecumenus; qui fide infusâ credidit in Christum; eam autem abiecit ante baptismum? Item vtrum hæreticus esse possit, qui professus aliquando Christianismum, numquam habuit fidem supernaturalem? **Caiet.** Caietanus artic. 2. & 3. **Arag.** Aragon, & alij quos refert, & sequitur **Sanch.** Pater Thomas, lib. 2. cap. 7. num. 34. censent Cathecumenũ **Valent.** non esse hæreticum: qui nondum solemniter **Suar.** Christum professus est; quod colligitur ex **Bañez.** definitione à Patre Valentia proposita §. 5. **Castro.** Pater Suarez, disputat. 17. sect. 5. num. 3. & 4. cum Bañez, Castro, & alijs censet Cathecumenum posse esse hæreticum. Quia post acceptam fidem, est infidelis; non Iudæus, nec paganus: ergò hæreticus.

§ 10. Quæstio hæc est parvi momenti: ille quidem Metaphysicè est hæreticus: quia sub nomine Christiano resistit doctrinæ Christi; nomen autem Christianum est acceptio fidei infusȩ aut in baptismo, aut extra per assensus supernaturales: est enim hæreticus desertor fidei Christi; ea autem fides obiectiva est obiectum ab omnibus credendum; formalis verò est fides infusa, aut eius actus; character baptismi est argumentum professionis Christianæ: at fides est ipsa professio vnde character non aboletur infidelitate, vt fides aboletur: ergò infidelitas fidei repugnat magis, quàm characteri.

§. 11. At verò nisi quis baptizetur non est hæreticus in foro externo; nec præstringitur anathemate, aut alijs in hæreticum supplicijs: quod præter innumeros asseruerunt Pater **Suar.** Suarez disputat. 19. sect. 5. num. 6. & Pater **Sanch.** Thom. lib. 2. cap. 7. num. 34. Pater Suarez im probabilitatis Castrum accusat oppositum opinantem, nec immeritò: quia dixit Apostolus ad Ecclesiam non pertinere, qui foris sunt: extra illam autem & foris sunt omnes imbaptizati; est enim baptismus limen primum Ecclesiæ; quod attingunt, quotquot intrant in Ecclesiam. Nec enim excommunicatio ligat imbaptizatum; nec privandus est dominio civili; nec alijs affligendus pœnis: eiusque error in foro exteriori aut est paganismus, aut Iudaismus.

§. 12. 2. Dub. Secunda quæstio est difficilior; an necessaria sit fides supernaturalis, vt eius desertor sit hæreticus? an verò sit satis professio nominis Christiani omninò naturalis? Caieta- **Caiet.** nus, & frequenter Thomistæ in articulum 5. asserunt non esse hæreticum, nisi qui fide Catholica fuit aliquando donatus, quibus à fortiori consentient authores adducti §. 9. pro primâ sententiâ; si enim Cathecumenus instructus fide infusâ ob solum baptismi defectum non est hæreticus; multo minùs qui nec illam habuit fidem. Horum fundamentũ est; quia hæreticus sub nomine, & professione Christianis resistit doctrinæ Christi: sed ille non habuit nomen verè Christianũ, nec professionem: ergò. Minor probatur: quia nomen verè Christianum est supernaturale, etenim quæ naturalia sunt ad naturam pertinent, non ad gratiam: item ille non deserit fidem Christi: hæc enim initium est iustificationis: at fides non supernaturalis non est salutis initium: ergò non est fides Christi.

Pater Suarez, disputat. 19. sect. 5. num. 1. **§. 13.**
censet satis esse hominem habuisse fidem, & **P. Suar.**
professionem Christi, quamvis non supernaturalem, quod docuerat disputat. 16. sect. 4. num. 5. & 6. & sect. 5. & lib. 1. defensionis fidei cap. 24. num. 3. Probat primùm, quia **Prob. 1.**
ille est infidelis, non paganus, nec Iudæus: ergò hæreticus. Respondeo, illum ad paganismũ revocari. Arguit secundum; quia potest aliquis fictè baptizari; ita vt nec characterẽ accipiat, qui tamen si à fide deficiat, erit hæreticus. Respondeo: illum fore paganum re ipsa: in foro autem externo erit hæreticus, dum non probaverit baptismi nullitatem. Arguit tertiò, ad iudaismum non exigi fidem infusam, ergò nec ad hæresim. Nego consequentiam: quia iudaismus est sola professio legis Mosaicæ: hæresis autem est desertio fidei Christianæ: quæ supernaturalis est.

In hac quæstione censeo primùm necessariam esse ad hæresim eam Christi professio- **§. 14.**
nem, per quam homo sit moraliter certus de omni doctrinâ fidei; & paratus actu, vel habitu ad eam sequendam ex authoritate Ecclesiȩ alioquin numquam ille homo fuit in professione Christianâ. Hæc autem fides in adulto numquam separatur ab infusâ. Secundò censeo: ex hypothesi quòd aliquis erret, quin habuerit fidem supernaturalem; eum minimè esse hæreticum.

Est alia quæstio: vtrùm professio baptis- **§. 15.**
mi sit satis ad constituendum hæreticum eũ, **3. Dub.**
qui post baptismum errat; tametsi baptismus fuerit nullus? Pater Suarez, disputat. 19. **Suar.**
sect. 5. num. 7. & lib. 1. defens. cap. 24. num. 3. & 4. testatur sufficere baptismum invalidũ. Primùm: quia ille qui numquam credidit fide supernaturali potest esse hæreticus: ergò **1. Prob.**
& fictè baptizatus. Respondeo: circulum insinuari hoc argumento: quia antecedens huius entimematis probatur §. 13. consequenti eiusdem entimematis: nunc autem idem consequens probatur eodem antecedenti, quod iterum nego.

Secundò movetur; quia Patres, & antiqui **§. 16.**
Con- **2. Prob.**

SECTIO IIII.

De pertinacia in Ecclesiam.

§. 23. EX parte modi, quo quis labitur in hæresim est disputandum, quæ in hæresim concurrant. Præcipua est pertinacia in Ecclesiam. Pertinacia est tenacitas opinionis absque fundamento, de quo vitio agit S. Thom. 2. 2. quæst. 138. artic. 2. & Aristoteles 7. Ethic. cap. 9. pertinaces appellans *fortis sententiæ*, vel *propriæ sententiæ*. Hæretici ergò vehementer hærescunt errori; suntque sententiæ propriæ, à vero abducti proprio ac pravo ingenio contra communem Ecclesiæ sensum. S. Thom. Arist.

§ 24. Hæreticum constitui pertinaciâ contra cõmunem Ecclesiæ doctrinam tàm certum est, vt & hæretici ipsi id fateantur: Lutherus enim, Calvinus, & alij ab Ecclesia Romana appellantes ad spiritum propriũ, iactitat Ecclesiam Romanam non esse nisi synagogam Sathanæ: suorum autem conventus Ecclesiã Christi compellant: sufficere ad hæresim discessum ab Ecclesia, Patres: & iura conclamãt S. August. tom. 5. lib. 18. de Civit. c. 51. *Qui in Ecclesia Dei morbidum aliquid, pravumq; sapiunt, si correpti vt sanum rectumq; sapiant, resistunt contumaciter, suaq; pestifera, & mortifera dogmata emendare nolunt; sed defensare persistunt, hæretici fiunt & foras exeuntes habetur in exercitibus inimicis.* Quæ doctè cõfirmat Leonardus Coquæus in commentario eiusdẽ capitis. S. Hieron. tom. 3. in epist. ad Titũ c. 3. in id, *hæreticum hominem*, ait: *Hæretici autè in semetipsos sententi m ferunt suo arbitrio, de Ecclesia recedentes: quæ necessio propriæ conscientiæ videtur esse damnatio.* Quia verò hac in parte nulla est controversiæ caussa, ad difficilia faciamus gressum. August. Leon. Coq. Hieron.

SECTIO V.

Vtrùm absque pertinacia contra totam Ecclesiam possit quis hæreticus esse?

§. 25. TOTIVS Ecclesiæ nomine intelligo veram Ecclesiam Christi, cuius applicatio sufficiens est, certaque mortaliter, extorquens indubitatum assensum de existentia revelationis, aut de veritate Dei: constat ex sect. 4. sufficere ad hæresim pertinaciam contra vniversam Ecclesiã: nunc disquiro, vtrum pertinacia eadem sit tota ratio hæreticum constituendi? an verò hæresis admittatur non credendo revelationi privatæ, aut publicæ propositæ per miracula.

SVBSECTIO I.

Nullus est hæreticus absque pertinacia in totam Ecclesiam.

CENSEO nequaquam admitti hæresis peccatum, nisi quis apertè repugnet authoritati totius Ecclesiæ. Huius sententiæ multos adducam authores §. 38. opinantes hæresim non admitti dissensu privatæ revelationis; immò Pater Suar. (cum quo agemus ab eodem §.) disputat. 19. sect. 3. num. 10. huic doctrinæ favet aperte ijs verbis. *Quamdiu voluntas perseverat in proposito subijciendi iudicium suum iudicio Ecclesiæ, non potest homo errare pertinaciter, nec esse hæreticus.* Primum eam sententiam expresit S. August. tom. 2. epist. 162. *Qui sententiam suã, quamvis falsam atq; perversam, nulla pertinaci animositate defendunt; quærunt autem cautâ sollicitudine veritatem, corrigi parati, cùm invenerint, nequaquam sunt inter hæreticos deputandi.* Itaque Augustinus vindicat ab hæresi errantes absque pertinacia & paratos ad correctionem. Hæc autẽ correctio à nullo est, nisi ab Ecclesia, in quã non est pertinax, qui corrigi est paratus. Quantumcumque igitur absurdè, & stultè erretur; si desit pertinacia, nõ est hæresis. Recognosce Augustinum §. 32. §. 26. Conclusio. Suar. August.

§. 27. Secundò, S. Hieronymus in expositione symboli ad Damasum fine, quem S. Thomas adducit art. 2. ad 3. asserit se subijcere doctrinam suam iudicio Damasi tenentis fidem Petri: quo asserit se à nullo posse hæreticum appellari. Objicis tamen Hieronymũ ipsum tom. 3. in cap. 6. ad Galatas in id, *iræ, dissensiones, hæreses*, hæc asserentem. *Quicũq; igitur aliter scripturam intelligit, quàm sensus Spiritus Sancti flagitat, quo conscripta est, licet de Ecclesia non recesserit, tamen hæreticus appellari potest, & de carnis operibus est, quæ peiora sunt eligens*: ergò manens aliquis in Ecclesia potest hæreticus appellari pravâ scripturarum interpretatione. Hieron. S. Thom. Obiect.

§. 28. Respondeo primùm, ibi à Hieronymo non agi de hæresi in hac significatione stricta, Resp.

S.Tho. q. 11. de fid. cta, qua à nobis; sed in minus metaphoricâ & ampliori, qua hæresis significat omnem electionem doctrinæ pravæ: vt constat paulo superius, agit enim de significatione vocis. Secundò respondeo, Hieronymum non loquutum de homine errante sine aliqua pertinacia; sed errante sine iudicio absoluto de opposito sensu Ecclesiæ: at habet ille obstinatam voluntatem persistendi in errante expositione, tametsi aliter interpretaretur Ecclesia: tales enim sunt qui scripturas tàm aperto exponunt errore: hic non discedet ab Ecclesia iudicio absoluto; discedit tamen animo obstinato, ob quem est hæreticus.

§.29. Tertiò faciliùs respondeo, illum appellari hæreticum, quòd asserat hæresim; non verò quòd assensu sit hæreticus: qui quidem peccatum est, quia est satis apertè contra mentem scripturæ, estque de operibus carnis, & ab hoc vitio homo est hæreticus: non per se primò, & complete; sed secundariò & incompletè; quia est hæresi proximus, quia non consideravit authoritatem Ecclesiæ: ex qua inconsideratione asseruit aliquid contra fidem: ideo non dixit Sanct. Hieronymus illum esse, sed posse hæreticum appellari: ad quod satis est circa fidem obiectivam habere assensum errantem cum peccatò; at verò hæreticum proprio iudicio damnari, quia recedit ab Ecclesia, ostendi §. 24. ex eodem S. Hieronymo.

§.30. Innoc. 3. Tertiò, id apertè constat ex Innocentio III. in Concilio generali Lateranensi relato cap. *damnamus* de summa Trinitate: cùm enim Ioachimus Abbas nonnullas sententias apertè hæreticas effutivisset invectus in Petrum Lombardum; eas hæresis Innocentius damnat; authorem autem vindicat à crimine hæresis ijs verbis: *Maximè cùm ipse Ioachim omnia scripta sua nobis assignari mandaverit, Apostolicæ sedis iudicio approbanda, seu etiam corrigenda, dictans epistolam, quam propria manu subscripsit, in qua firmiter confitetur, se illam fidem tenere, quam Romana tenet Ecclesia, quæ (disponente Domino) cunctorum fidelium mater est, & magistra.* Vbi diligenter expende solâ subiectione ad Ecclesiam vindicari ab hæresi hominem apertas hæreses affirmantem: dùm ergò non discedit aliquis ab Ecclesiæ iudicio, non est hæreticus; alioquin manca esset Innocentij ratio, si alio ex capite Ioachimus fuisset hæreticus: vnica ergò nota hæresis est ab Ecclesiæ sensu discessus.

§.31. S.Thom. Sanct. Thom. in 4. dist. 13. quæst. 6. art. 1. ad 6. doctrinam expressit eamdem ijs verbis. *Vnde si in his aliquis errat, infidelis reputatur, & hæreticus, si pertinaciam adiungat: si autem sunt aliqua, ad quæ explicitè credenda homo non tenetur, non efficitur hæreticus in his errans, vt si aliquis simplex credat Iacob Patrem fuisse Abrahæ, quod est contra veritatem Scripturæ, quam fides profitetur, quo vsq; hoc sibi innotescat, quòd fides Ecclesiæ contrarium habet: quia non discedit per se loquendo à fide Ecclesiæ, nisi ille qui scit hoc; à quo recedit, de fide Ecclesiæ esse:* Quæ verba satis ostendunt, nullum esse hæreticum, nisi discedat à sententia, quam scit esse totius Ecclesiæ.

Scholastici omnes conspirant. P. Valent. tom. 3. disp. 1. q. 11. p. 1. à §. *quarta difficultas* id apertè testatur ex S. August. id asserēte ijsdem, quibus nos, verbis lib. 4. contra Donatistas, c. 6. rem ibi ex instituto disserendo: & ex cōmuni authorum assensu, Caietani, Cani, & aliorū. Dominicus Bañez art. 2. dub. 1. versu *alia particula*, pertinaciam asserit esse contra Ecclesiā: sic enim exponit pertinaciā statutam in hæresis definitione. Arag. art. 1. versu *secunda conclusio, de ratione*, & versu *secūda conclusio pertinacia*, vbi pertinaciam, sine quâ non est hæresis, asserit esse, quâ opponitur quis doctrinæ, quā esse cognoscit Ecclesiæ. P. Luisius disp. 55. dub. 1. versu *ex cōditionibus*. Lorca disp. 39. nu. 1. & frequenter Doctores omnes. §.32. Valent. Caiet. Cano. Bañez. Arag. P. Luisius. Lorca.

Ratio à priori est; quia hæreticus est, qui elegit opinionem: cum ergo tota Ecclesia Catholica censeat Christū fuisse hominem; qui id negat, iam se opinione ab Ecclesia sequestrat: estq; sententiæ tenax mordicùs; cū cæteris non se subijciat, & quævis sit etiam damnanda tenacitas, qua culpatè dessentimur revelationibus alia ratione propositis; tamē id non efficit in Ecclesia sectam, nec hæresim: dū enim omnes eadē credūt, nō est in religione secta, nec hæresis: voluit enim Deus Ecclesiam vno cōmuni sensu teneri, vt sit vna: qui ab hoc sensu discedit, non manet in vnitate; qui verò non discedit, manet in vnitate: item hac ratione cōmodiùs, atq; securiùs homines diriguntur, quia non potest esse dubia totius Ecclesiæ propositio; at miracula non possunt tam certò probari: revelationes privatæ multis sunt expositæ periculis: vndè miracula, prophetiæ, scripturaq; ipsa revocantur ad propositionem Ecclesiæ indicantis, quæ sint Canonicæ, quæ miracula vera, quæ revelatio boni spiritus. Quapropter dùm aliquis nō se seiungit ab hoc Ecclesiæ cōsensu, paratus est ad emendandos errores, viam aperit sanæ doctrinæ; insanis autem occludit. Quapropter huic Ecclesiæ rebelles tàm multis pœnis vrgentur à Deo, & eâdem Ecclesiā: quia se ipsos præcipites agunt cum ingenti periculo æternùm pereundi. §.33. §.22.

(∴)

SVB-

SVBSECTIO II.

Nonnullæ obiectiones.

§. 34. 1. Obiect. PRIMA obiectio: qui dissentiũt revelationibus propositis per miracula, aut prophetiam: sunt hæretici, quamvis non discedant ab Ecclesiæ consensu: ergò pertinacia non est in solam Ecclesiam. Antecedẽs probo: tùm quia fides æquè pendet à quàvis aliâ propositione afferente evidentem credulitatem, ac ab Ecclesiæ propositione: cur ergo erit hæreticus dissensus contra authoritatem Ecclesiæ, & non contra miracula? Tum etiam quia graviora peccata sunt contra miracula, quàm contra Ecclesiam.

§. 35. Resp. Nego antecedens, ad primam probationem concedo antecedens quo ad præstandum assensum: qui secundum se indifferens est ad hanc & illam applicationem: nego tamen antecedens de lege extrinsecâ Dei, atque communi: quia raro exercetur fides infusa iam nisi prælucente Ecclesiæ pharo: ad interrogationem respondeo ex §. 33. quia discessu ab Ecclesiâ statuitur secta, disrumpitur vnitas Ecclesiæ, &c. Ad secundam probationem nego antecedens saltem de gravitate quoad effectus: hæreticus enim vix emẽdatur, occluditque cæmento viam ad salutem. Antecedens item non est ad modum certum.

§. 36. 2. Obiect. Secunda obiectio: quia etiam absque dissensu Ecclesiæ amittitur fides: ergò & admittitur hæresis. Consequentia patet; quia fides non admittitur nisi infidelitate: sed ille dissensus non est Iudaismi, nec paganismi: ergò est hæresis. Antecedens probo: quia Zacharias fidem amisit non credens Angelo, & ab Ambrosio vocatur incredulus: item opponitur fidei: ergò illam expellit. Antecedens est

Solut. falsum: ad primã probationẽ respõdeo nõ cõstare de amissâ Zachariæ fide: fuit autem incredulus: nec vero quovis incredulitatis peccato amittitur fides, vt constabit in errante cum ignorantiâ culpatâ: deinde tunc Sacerdotibus frequens erat sermo Dei; dignèque puniebantur amissione fidei: nunc verò illa familiaritas non est, nec illâ voluit Deus Ecclesiam administrari, sed totius authoritate, vnde fidem amittunt, qui huic, non qui illi adversantur.

§. 37. Ad secundam probationem, non opponitur physicè fides, & peccatum contra illam: immò disputat. 60. §. 3. & 45. ostendi non esse hanc physicam oppositionem; quia ratio infidelitatis est extrinseca dissensio: & quia dissensus multi culpati non destruunt fidem. Qui autem physicam oppositionem agnoscunt; dicent amitti fidem dissensu revelationis confirmatæ miraculo, non tamen hæresim admitti, quod quidem est durum.

SVBSECTIO III.

De revelatione privata.

§. 38. Coral. 1. E Quibus deduco primùm non esse hæreticum, qui dissentitur revelationi privatæ sibi factæ, aut alijs; dum ab Ecclesiâ non proponitur credenda. Quã sententiam docent omnes qui negant eam credi fide Catholicâ; sed alio habitu infuso, aut acquisito, quos adduxi disp. 9. sect. 2. item

Lorca. Lorca disp. 39. nu. 1. quod censet ab omnibus affirmari, etiam opinantibus eas revelationes eodem habitu infuso credi, quo publicæ.

August. 1. Prob. Innoc. 3. Argumentum sumitur ex S. August. & Innocentio III. adductis §. 26. & 30. Nullus assensus compossibilis cum præparatione animi ad correctionem per Ecclesiam, & subiectione ad sedem Romanam est hæreticus; vt illi Patres dixere; sic enim Ioachimus ab Innocentio vindicatur ab hæresi: & ab animositate vindicatur ab Augustino; sed omnis dissensus privatæ revelationis est compossibilis cũ animi præparatione ad correctionem per Ecclesiam; & cum subiectione ad Romanam sedem: ergò nullus dissensus privatę revelationis est hæreticus. Minor probatur: quia motiva ad assensum revelationis privatę sunt independentia ab authoritate Ecclesiæ; & hæc ab alijs: sunt enim (vt aiunt) disparata. Quæ enim Deus agit tacitus cum amico nec nocent authoritati communi; nec prosunt, nisi forte ex obiecto revelationis factæ de ipsâ Ecclesiâ, vt obiecto: rectè ergò componi possunt dissensus ille privatus, & animi præparatio ad correctionẽ, & carentia pertinaciæ.

§. 39. 2. Prob. Secundò probatur: quia ita dissentiens est verè Catholicus: ergò non hæreticus. Probo antecedens: quia ille habet obiectivè totã Catholicam fidem: nec enim vel vnguem latum ab Ecclesiæ cõmuni sensu discedit: immò potest habere hos duos actus, *Ego credo quidquid à Romana Ecclesia credi intelligo, & intellexero & non credo hanc revelationem privatam esse Dei.* Primo actu tã Catholicus est, vt ab Augustino, & Innocentio vindicetur ab omni hæresi: habet enim vniversalem fidem.

P. Suarez disp. 19. sect. 5. nu. 11. asserit in opinione asserente eam revelationem credi fide divinâ certum esse, hæreticum esse illius dissensum: quam opinionem ipse docuerat disp. 3. sect. 10. P. Azor tom. 1. lib. 8. cap. 9. q. 4. dixit absolutè, hæreticum esse illum hominem

S. Tho. q. 11. de fid. Vega. Catherin. Sanchez. nem coram Deo: quod itidem sensit Vega lib. 9. de iustific. cap. 3. probans eas revelationes credi fide divina, quia qui illis dissentitur, est hæreticus: Catharinus in apologia de incertitudine gratiæ, cap. vltimo, & Pater Thom. lib. 1. c. 8. nu. 32. Quapropter non satis miror cur dixerit Lorca sententiam suam certam omnibus esse, qui censent has revelationes credi habitu fidei Catholicæ, cũ illius opinionis authores certum existiment in ea sententia hæreticum esse, qui eiusmodi revelationi negat assensum. Lorca.

§. 41. 1. Arg. Primum fundamentum est, quia contrariorum eadem est ratio: ergo si revelatio privata proposita sufficienter obligat ad assensum fidei infusæ, eius dissensus est hæreticus. Resp. Nego consequentiam: quia assensus hæreticus præter oppositionem cum assensu fidei infusæ oritur ex pertinacia in Ecclesiam: est quidem peccatum ille dissensus, & contra leges fidei infusæ; at non hæresis: quia hæc significat peccatum contra fidem, & Ecclesiæ authoritatem: est quidem contrariorum eadẽ ratio, quia vt obligat assensus; ita & est dissensus malus: at sicut assensus non pendet ab authoritate Ecclesiæ; ita nec dissensus est contra illam, nec hæresis.

§. 42. 2. Arg. Secundum fundamentum: quia dissensus opponitur habitui infuso: ergo est infidelitas corrumpens fidem. Respond. Sepius ostẽdi infidelitatem non opponi fidei physicè, sed moraliter tantùm. At Deus nõ privat semel infusa fide, nisi discedentes ab Ecclesiâ. Quod ait P. Thomas, ab Ecclesiâ proponi Deum, cui credendum est, cùm loquitur; est quidem verum: & qui eã propositionẽ negaret, esset hæreticus; at non proponitur hæc revelatio credenda. Sanchez.

§. 43. Addit P. Thom. dissentientem revelationi privatæ, & esse reipsa hæreticum, & esse obnoxium cẽsuris, & supplicijs ab Ecclesiâ decretis. Quæ sententia nullam habet probabilitatem, nisi ab authoritate Doctoris (quæ maxima est:) eique reclamant etiam asserentes hæreticum esse dissensum privatę revelationis sufficienter applicatæ; negant tamen in eum agere Ecclesiam supplicijs, atque censuris: vt constat ex P. Azor lib. 8. cap. 9. q. 4. P. Suarez disp. 19. sect. 5. nu. 12. Primùm; quia nullus author eam sententiam adstruxit. Secundo; quia nusquam fidei quæsitores eâ de re curant. Tertiò; quia Ecclesiâ non animadvertit tam gravi supplicio in eos, qui confessi crimen; adhuc à pluribus viris doctis vindicantur ab hæresi. Itaque nisi crimen sit notoria hæresis, non decernuntur hæreticorũ pęnæ in eius authorem; at complures viri docti censent non esse hæresim dissensum illum; quia assensus oppositus nec spectat ad obiectivam fidem Catholicam, nec ad habitum fidei Catholicæ: ergo in eos non agit Ecclesiâ Azor. Suar. vt in hæreticos: hæresis ergò talis est naturæ, vt ab omnibus viris doctis, & Catholicis censeatur hæresis post diligentem criminis cognitionem. Nec enim hæreses apertæ in opinione positæ sunt; sed certis præceptis internotæ: at rectè cõsiderato dissensu privatæ revelationis; multi dicunt non esse hæreticum illum; ideoque est valdè probabile, & multo probabilius, quàm oppositum: quo ergò iure puniendi sunt hæreticorum severitate? Quartò; quia Ecclesia ijs pœnis compescit suos rebelles, quales non sunt ij, de quibus agimus.

SVBSECTIO IIII.

De dissensu revelationis publicæ, sed non propositæ ab Ecclesiâ.

MAIOR difficultas est: vtrùm sit hæreticus, qui dissentitur publicæ revelationi propositæ aliquo miraculo, v. g. in Scriptura est revelatio de aliquo obiecto; Tobiam videlicet canẽ habuisse: hanc propositionem accipi in sensu literali contendat aliquis, idque probet aut miraculo, aut alio argumento afferente evidẽtem credibilitatem; at non agatur de authoritate Ecclesiæ: siquis dicat eam propositionem nõ accipi nisi allegoricè, nec miraculo moveatur; rogo, vtrùm sit hæreticus? Affirmabunt Doctores adducti §. 40. ijsdem omninò argumentis: quibus adde ab eo negari in parte obiectivam fidem; censeo tamen nullũ esse hæreticum ob solũ illum dissensum. Quod probo eâdem ratione, qua §. 38. vsus fui: quia teste Augustino, & Innocentio, nullus assensus compossibilis cũ præparatione animi ad correctionem per Ecclesiam, & subiectione ad Romanam sedem, est hæreticus; sed ille dissẽsus est ita composibilis: ergo. Deinde nõ discedit ab Ecclesiæ vnitate; nec sectã invehit. Argumentum non vrget: quia fides obiectiva Catholica includit & revelationem publicam, & authoritatem Ecclesiæ; nullus autem est contra hæc, dũm ea non cognoscit. §. 44. 1. Dub. Solutio.

§. 45. 2. Dub. Rogas, vtrùm huiusmodi homines sint infideles? Respondeo; esse eos infideles, vt hæc vox sonat incredulitatis peccatum: peccant enim in leges fidei. At non sunt infideles, vt hæc vox significat incredulitatem, qua destruitur fides infusa: hæc spectant ad quæstionem de re; absolutè autem non sunt vocandi *infideles*, quia non carent fide; sed vocentur *increduli*, vel *infideles secundum quid*. Solutio.

SECTIO

SECTIO VI.

Vtrùm errans cum ignorantia culpata sit hæreticus?

SVBSECTIO I.

Nonnulla præmoneo.

§.46. PRIMVM ponendum est non esse necessariam diuturnitatem temporis ad hæresim; sed hanc vno instanti cõmitti, quando aliquis cognoscit obiectum ab Ecclesiâ proponi, illudque negat. Bañez & alij asserunt à Sylvestro affirmari omnem errorem cum ignorantiâ culpatâ excusari ab hæresi: item & qui oritur ex cognitione propositionis per Ecclesiam; non tamen diù perseverat: quia pertinacia non est absque cognitione de revelatione, & propositione Ecclesiæ; item nec sine diuturnitate. Sylvestrũ accusatum à Bañez suo gentico Pater Suarez excusat disputat. 19. sect. 3. num. 7. Sylvestrum nec accuso, nec excuso: secundã partem eius sententiæ probare non possum. Rectè enim dixit S. Hieronymus adductus §. 24. hæreticum proprio iudicio damnari ipso ab Ecclesiâ recessu: tunc enim eligit sectam, & sese toti opponit Ecclesiæ, sciens (vt aiũt) & prudens: hæc autem est pertinacia.

Bañez. Suar. Sylvest. Hieron.

§.47. Nec hic disputo de ignorantiâ comitante hæresim; sed de antecedenti. Comitans ignorantia est, quæ nec est caussa, nec effectus rei, cum quâ est ignorantia: antecedens est, quæ est caussa eiusdem rei, cũ quâ est; ita vt ignorãtiâ deficiente deficeret etiam res illa; vt deficiente caussa deficit effectus: sequens autem ignorantia est, quæ est effectus rei, cum quâ est: comitans ignorantia non excusat ab hæresi, sicut nec à peccato vllo: res enim, quam comitatur, fieret, tametsi ignorantia non esset. Qui ergò negat aliquod obiectum fidei ignorans comitanter illud ab Ecclesiâ proponi, est hæreticus: quia habet errorem, quem etiam haberet, tametsi sciret oppositum ab Ecclesiâ censeri: ita vt error ille non sit compossibilis cum animi preparatione ad correctionem per Ecclesiam, nec cùm subiectione sedi Romanæ: quia ille error, aut formaliter, aut virtualiter est hic actus: *hoc credo quamtumvis reclamet Ecclesiâ*: agitur ergo de errore qui oppositâ scientiâ impediretur. Vide Patrem Suarez disputat. 19. sect. 3. nu. 16. Bonacinam disputat. 2. de censuris q. 5. part. 1. nu. 5. & 6.

Suar. Bonacin.

(∴)

SVBSECTIO II.

Prima sententia.

DE ignorantiâ antecedẽte varia sunt hominum cerebra. Sotus, Ludovicus Lopez, & Palacios apud Patrẽ Suarez disputat. 19. sect. 3. num. 3. censent hæreticum esse, qui habet errorem apertè cum fide pugnantem cum ignorantiâ vincibili. Sayrus & alij asserunt ignorantiam facilè vincibilem sufficere ad hæresim; quia hæc æquivalet scientiæ: secùs verò ignorantiam vincibilẽ difficilè: cuius potest esse discrimen, quia error potiùs est tunc adscribendus difficultati vincendi ignorantiam, quàm rebellioni in Ecclesiam. Hæc tamen ratio nõ vrget: quia ignorantia facilè vincibilis ideò constitueret hæresim, quia error contra Ecclesiam esset absolutè voluntarius, quia tenetur & potest illum vitare, qui errat; sed etiam est absolutè voluntarius error cum ignorantiâ difficilè vincibili: ergo. Canus & alij opinantur ignorantiam affectatam sufficere ad hæresim; non verò ignorantias alias. §.48. Sotus. Lud. Lope. Palac. Suar. Sayr. Cano.

§.49. Petrus Lorca disp. 14. n. 41. testatur ignorantiâ vincibili reddi hæreticum errorẽ: vbi ait se discedere ab oppositâ sententiâ, quam docuerat in 1. 2. sect. 4. disputat. 33. membro 2. & 3. quia eam sic à maioribus acceperat, eratque communis suæ scholæ: quam non tàm disputans ex instituto, quàm obiter asseruerat. Viri quidem docti esse arbitror mutare sententiam interdùm; hâc autem excusatione de disputatione ex instituto facilè quis poterit se expedire. Nescio tamen cur hisce quęstionibus de fide asseruerit eamdem sententiam, quam retractat, vt constat ex disputat. 33. num. 5. Lorca.

SVBSECTIO III.

Conclusio.

§.50. CENSEO nulla ignorantiâ antecedenti quamtumvis crassa, & affectatâ constitui hæreticum eum, qui errat in materiâ fidei; dum paratus sit ad consentiendum Ecclesiæ cùm cognoverit quid ipsa sentiat. Quæ sententia est Cani lib. 12. cap. 9. Castri, Navarri, Cordubæ, P. Azoris, P. Vazquez, Henriquez, Toleti, Bañez, & aliorum quos refert, & sequitur P. Thom. lib. 2. cap. 7. num. 20. quibus adde Aragonem, quæst. 11. 4. 1 versu *sed dubium est*. P. Valentiam dist. 1. quæst. 11. part. 1. prope finem. P. Suarez

Conclusio. Cano. Castro. Navar. Cordub. Azor. Vazq. Henriq. Tolet. Bañez. Sanch. Arag. Valent. Suar.

S.Tho. q. 11. de fid. Torres. Bonacin. Ægid. rez disp. 19. sect. 3. nu. 17. & 18. & P. Luisius disp. 55. dub. 2. Quam ipse Lorca ait esse communem scholæ Thomisticæ: consentit Bonacina adductus §. 48. P. Ægidius disput. 18. num. 97.

§. 51. Probationi præmitto, primùm, ab homine posse considerari obiectum aliquod definitum, revelatumque à Deo: item & authoritatem infallibilem Ecclesiæ, in quæ obiecta sic considerata potest simul absimiliter affici voluntate, & intellectu: nam in obiectum revelatum potest esse pravè affectus; & illi dissentiri, & velle fugere argumenta, quibus cogendus sit ad assensum: verbi gratia, velle non videre librum, vbi exponatur obiectum, vt propositum ab Ecclesiâ; nolle audire Theologum, à quo instruatur authoritate Ecclesiæ: itaque ob pravum affectum in obiectum vult nescire quid dixerit Ecclesia: quia scit se futurum hæreticum, si Ecclesiæ dissẽtiatur; hoc tamen ipse fugit, vt qui equũ solvit ex equili ad fugiendum, nolens audire eum esse Regis; ne cogatur eum relinquere, & vt ignorantiã prętexere posit ad se excusandum.

§. 52. Cum hoc affectu ignorandi existentiam definitionis Ecclesiæ facilè componitur probus affectus in authoritatem ipsius Ecclesiæ; & assensus certus illam falli non posse. Hic enim actus: *Nolo scire quid Ecclesia definiat*, rectè componitur cum hoc: *Ecclesia falli non potest in definitione*: sunt enim obiecta realitèr distincta, & separabilia: infallibilitas enim est independens à definitione actuali: vt de authoritate & revelatione Dei dixi disp. 5. sect. 4. item alter actus est voluntatis renuens cognitionem de existentia definitionis; alter verò est intellectus adsentiens infallibilitati Ecclesiæ. Hæc obversentur ante oculos ad quæstionem dirimendam.

§. 53. Secundò præmitto, voluntarium indirectum ortum ex ignorantia culpata pertinere ad speciem obiectivam, ad quam voluntarium directum. Occidit quis Patrem ignorans culpatè eum esse Patrem: hic est parricida: quod late probavi disputans de voluntario & involuntario: at in specie intrinseca est difficultas, vtrùm voluntarium directum & indirectum differant specie: arbitror etiam differre physicè & moraliter. Qui enim sciẽs ac prudens patrem occidit, habet cognitionẽ & affectum specie distincta ab occidentis culpatè actibus: moraliter autem differunt, quia cognitio expressa reddit actum magis voluntarium.

§. 54. Hinc argumentor: ignorans culpatè est cum animi præparatione ad correctionem per Ecclesiam, & subiectionem Romanæ sedis: ergo non est hæreticus. Consequentia patet ex §. 38. & 44. Antecedens probo ex §. 47. vbi dixi sermonem esse de ignorantia antecedenti, qua deficiente deficeret error: ergo status ignorantis culpatè, & antecedenter est cum præparatione ad correctionẽ. Quod ex terminis liquet: item hi duo actus sunt cõpossibiles: *Nolo scire quid dicat Ecclesia*: &, *habeo affectum credendi, quæ scivero ab Ecclesiâ dici*: vt ostendi §. 52. quæ est animi præparatio.

Secundò probatur à priori: errans ex ignorantiâ culpatâ, non est pertinax in Ecclesiam: ergo nec hæreticus. Probo antecedens: non sentit malè de Ecclesiæ authoritate, non enim asserit: *Ecclesia fallitur, aut falli potest*; sed tantùm ait: *Nolo scire quid dicat Ecclesia*. Hic autem actus non est mala existimatio de authoritate Ecclesiæ? Quin potiùs intellectum habet apprimè affectum in Ecclesiam: quia ideò refugit scire definitionem Ecclesiæ, quia scit illam esse infallibilem: qui negat existentiam revelationis Dei est hæreticus, quando proponitur ab Ecclesia, non præcisè quia existentiam negat; sed quia negat infallibilitatem Ecclesiæ: hanc autem non negat qui culpatè ignorat; sed solam negat existentiam. Vnde qui revelationis existentiam propositæ sufficienter, negat, non est paratus ad correctionem; secus qui negat solum existentiam definitionis. §. 55. Prob.

SVBSECTIO IIII.

Respondetur ad argumenta.

EST tamen argumentum haud facile: voluntarium indirectum est in eâdem specie, qua directum; sed directum est in specie hæresis: ergo & indirectũ. Minor probatur: quia siquis ageret contra definitionem Ecclesiæ cognitæ, esset hæreticus: quia non posset obiecto revelato dissentiri, nisi dissentiretur Ecclesiæ authoritati; alioquin fateretur simul duas propositiones contradicentes mutuò? Confirmatur: qui patrem occidit cum ignorantia culpata, est parricida: quia nex paterna est illi absolutè voluntaria: ergò negare obiectum propositum ab Ecclesia est perinde ac si negaretur cum cognitione eiusdem propositionis. §. 56. Obiect. Confirm.

P. Luisius respondet ad homicidiũ, & alia crimina non exigi cognitionem ex parte obiecti; exigi tamen ad hæresim: quia sine cognitione non fit iniuria authoritati Ecclesiæ. Contrà: ad homicidium est necessaria cognitio obiecti, pro qua sufficitur ignoran- §. 57. P. Luisius. Impug.

ignorantia culpatâ; quæ reddit voluntariam hominis necem: cur idem non erit in Ecclesiæ propositione? & quemadmodum agitur contra authoritatem Dei cùm non creditur existentia revelationis, cùm potest credi: idem erit de authoritate Ecclesiæ.

58. *Suarez.* Patet Suarez disputatione 19. sectione tertia, numero 24. respondet hæresim esse peccatum contra authoritatem Ecclesiæ; non verò contra studiositatem: contra quam, peccat qui errat ex ignorantiâ culpatâ: vndè respondet argumento; voluntarium indirectum, ac directum esse eiusdem speciei, quando indirectum non occultat obiectum; secùs quando occultat: in præsenti autem voluntario indirecto occulitur obiectum hæresis, quod est authoritas Ecclesiæ: & quemadmodum peccatum omissionis non est hæresis: quia non reclamatur doctrinæ fidei: ita nec negligentia sciendi definitionem Ecclesiæ.

§. 59. *Refel.* Non quiescit animus: nam parricida indirectus etiam peccat contra studiositatem; tenetur enim diligentiam adhibere ad sciendum num, quem occidit, sit Pater? & ex lege pietatis oritur tunc obligatio inquirendi de Patre; vndè culpatè occulitur eum esse Patrem; ob quod committitur parricidium: ita culpatè occulitur authoritas Ecclesiæ; ob quod dissensus, erit hæreticus. Nec hoc peccatum est solius omissionis; sed mixtum ex omissione studendi propositioni Ecclesiæ, & ex commissione erratur positivè contra obiectivam fidem: vt homicidium indirectum habet rationem vtramque.

§. 60. *Aliorum. Solutio.* Alij respondent voluntarium directum, & indirectum esse absolutè eiusdem speciei; ac differre secundùm perfectum & imperfectum. Vndè illa peccata sunt absolutè eiusdem speciei; hæresis autem significat errorem in statu perfecto. Contrà; *Impug.* ex §. quinquagesimo tertio: constat speciem intrinsecam esse diversam in vtroque voluntario. Quod in præsenti est clarum, quia ad diversas species attinet nolle scire definitionem Ecclesiæ, & negare eius authoritatem; primus enim actus habet pro obiecto negationem studij, & diligentiæ: secundus verò negationem authoritatis; hæc autem specie differre quis non animadvertat? vt negare existentiam revelationis divinæ, pertinet ad diversam speciem, ac negare eius authoritatem: qui enim hanc negant; censent Deum posse mentiri; secus qui solam negant revelationem; possunt enim hæc coniungi. *Deus mentiri non potest. Deus mortem Christi non revelavit*: in homicidio autem diversa ratio monstrabitur.

§. 61. *Ad arg. e §. 56.* Ad argumentum ex §. quinquagesimo sexto, distinguo maiorem: voluntarium directum & indirectum sunt eiusdem speciei, quando directum non est contra novum obiectum, quod non læditur voluntario indirecto; transeat maior: quandò est contra novum obiectum, nego maiorem, & consequentiam: quia hæresis est voluntarium afferens novum obiectum, quod non læditur voluntario indirecto. Nam ignorantâ propositione Ecclesiæ possumus dissentiri obiectivæ fidei, existimantes Ecclesiam falli non posse: quo dissensu nihil derogatur authoritati Ecclesiæ. Si verò cognitâ Ecclesiæ propositione dissentiremur obiecto; esset, quia censeremus Ecclesiam fuisse deceptam. Vndè novum obiectum læderetur, nempè authoritas Ecclesiæ. Vt qui negaret obiectum revelatum cognita revelatione, sibi persuaderet Deum esse mentitum. Cùm ergo voluntarium directum afferat necessariò cognitionem de authoritate Ecclesiæ; quam necesse est negari à negante obiectum: quod cernit esse propositum; ideò hoc voluntarium non est in eâdem specie, ac indirectum, quod nunc penitùs explano.

§. 62. *Ad confir.* Ad confirmationem ex eodem §. quinquagesimo sexto: nego consequentiam, præsto est discrimen: parricida enim directus idem omninò lædit, & cognoscit obiectum, ac indirectus: estque discrimen in solo modo cognoscendi obiectum idem: qui verò cognoscit propositionem Ecclesiæ, habet assensum circa novum omninò obiectum; nempè authoritatem Ecclesiæ, quam lædit. Priùs enim solùm negabat obiectum revelatum; & nolebat scire propositionem Ecclesiæ: at posteà negaret duo, nempè & obiectum revelatum, & authoritatem Ecclesiæ: quo vltimò assensu constituitur hæreticus. Quod explico: si quis esset indirectus homicida; non committeret parricidium, si inculpatè nesciret eam circumstantiam: si verò cognitum Patrem interficeret esset parricida: quia homicidium directum ortum fuit ex cognitione novi obiecti: quod non contingeret indirecto. Quod ergo hic contingeret, dico evenire necessariò in nostro casu: quia dissensus directus contra obiectum cognitum, vt propositum ab Ecclesia, oritur essentialiter ab assensu de Ecclesiæ fallibilitate: voluntarium ergo indirectum & directum circa idem obiectum, do esse obiectum speciei eiusdem: non verò quando directum oritur à cognitione obiecti in parte diversi.

§. 63. *2. Obiect.* Secundùm argumentum est Lorcæ ex cap.

S.Tho.q. 11. art.3. capi dixit Apostolus 24. quæst. 3. Vbi S. Augustinus solùm excusat ab hæresi errantem inculpatè; qui tota solicitudine quærit veritatem. Respondeo inde etiam iri probatum hæreticum esse, qui errat cum peccato veniali; quia non tota solicitudine quærit veritatem: immò & qui solicitudine quærit; sed non tota, potest enim quis prudenti diligentiâ abhibitâ ignorare inculpatè propositionem Ecclesiæ; at si totos nervos contenderet, eam sciret, non tamen est hæreticus. Illa ergo verba non sunt necessaria, nisi vt indicant animi præparationem ad correctionem; est enim ad eam necessaria tota solicitudo, id est, ea, quæ satis sit ab bonam existimationem de Ecclesiæ authoritate. Glossa eius capitis tantùm exigit ad hæresim vitandam, vt sit quis paratus ad correctionem in hunc sensum explanans Augustinum. Cum autem Innocentius Tertius excusavit Ioachimum; non id fecit ob totam Ioachimi solicitudinem: mediocri enim posset veritatem agnoscere; sed id dixit, quia ille se subiecit Romanæ sedi.

Resp.

§. 64. 3. Obiect. Tertium argumentum: quia errans culpatè non est benè affectus, nec in fidem obiectivam, nec in Ecclesiæ authoritatem. Respondeo: illum esse benè affectum in fidem, vt propositam ab Ecclesia. Item & in authoritatem Ecclesiæ, non vero in cognitionem de existentiâ propositionis Ecclesiæ: nec in fidem obiectivam materialiter. At licet hoc peccatum sit contra fidem, cuius leges obligant & ad assensum authoritatis Ecclesiæ, & ad disquirendam eius propositionem; at non est hæresis, quæ est dissensus contra infallibilitatem Ecclesiæ: alia argumēta prætereo, quia minus sunt firma.

Resp.

SECTIO VII.

Vtrùm hæresis consummetur in sola voluntate?

§.65. 1. Concl. Probat. DICO primò: peccatum hæresis est in voluntate formaliter: obiectivè autem in intellectu. Probatur primò, quia virtus credendi est formaliter in voluntate; in intellectu autem obiectivè: ergo & peccatum infidelitatis est eâdem ratione. Consequentia est clara: quia virtus & eius oppositum vitium habent obiecta opposita, vt iustitia & iniustitia versantur in bona aliena, ea aut diripiēdo, aut redendo. Antecedens probatur; pia affectio est voluntas credendi. Secundò; quia peccatum infidelitatis est voluntas nō credendi; ergo habet pro obiecto dissensum.

§. Obiect. Canus. Th.Sanct. P.Suarez. Obijcis: dubium formale est hæresis, & non consummatur in intellectu: ergo hæresis non consummatur in intellectu. Magister Canus & P. Thomas apud Patrem Suarez disp. 19. sect. 4. num. 8. negāt maiorem, quam rectè probat P. Suarez ex capite 1. de hæreticis; vbi dubius in fide dicitur esse infidelis. Rationem à priori reddidi disp. 80. §. 23. quia dubius in fide negat aliquod obiectum ipsius fidei: ergo est hæreticus. Probo antecedens; quia dubium de aliquo obiecto, aut est, aut sequitur iudicium de contingentiâ illius obiecti: sed asserere contingentiam obiecti, quod fide credi debet: est negare aliquod obiectum fidei: ergo. Minor est certa; ideò enim dubitamus, quia rem concipimus ancipitem, & ad vtrumque paratam. Minor probatur: quia non possumus asserere contingentiam obiecti revelati, quin asseramus vel Deum indifferentem esse ad mentiendum & non mentiendum, (quod planè est contra fidem): vel revelationem esse contingentem: hoc autem asseri non potest, quin aliquid fidei negemus: ergo. Minor probatur: quia non possumus revelationem opinari contingentem, quin sentiamus Ecclesiam decipi potuisse: si enim infallibilitati Ecclesiæ simus defixi, nullo modo possumus de eius dicto nutare: nutamus autem, quia in nostrâ mente authoritas Ecclesiæ non est firma. Loquor de dubio positivo, non de purâ omissione assensuum. Hæc autem hæresis in ratione peccati est formaliter in voluntate, in intellectu autem est obiectivè, sicut dissensus hæreticus: quia dubium pertinet ad intellectum vt dissensus.

Dico secūdò. Quando aliquis assentitur obiecto revelato opinans illud esse contra authoritatem Ecclesiæ; non solùm est hæreticus affectu; sed est etiam hæreticus consūmatus. Prima pars est certa; quia ille affectu & voluntate ab Ecclesia discedit: vt est parricida, qui porcum occidit opinans illum esse suum parentem. Secundò probatur: quia quamvis circa mysterium revelatum actum verum exerceat: item & circa revelationem; at in authoritatem Ecclesiæ errat: censet enim eam fuisse deceptam in revelatione proponendâ: si enim sibi persuaderet Ecclesiam non potuisse decipi, non posset dissentiri obiecto, quod opinaretur ab illâ esse propositum. §. 67. 2. Concl.

Dico tertiò, potest aliquis esse actu hereticus affectu; quin actu hæresis consūmetur in intellectu. Probatur: demus hominē nunc §. 68. 3. Concl.

nunc dicere. *Ego liberè credo Ecclesiæ: eiusque infallibilitatem moraliter: at si opus esset ad aliquod commodum, ego non crederem.* Hic est hæreticus affectu: quia actus ille hypotheticus est contra fidem, vt contra pietatem hic: *ego nolo occidere parentem; si tamen me reprehenderet, eum occiderem.* Nec hi duo actus repugnant: quia non sunt de obiecto opposito: at extra voluntatem non consummatur actu hæresis: quia dissensus non est actu: sicut nec consummatur actu impietas; semper tamen illi actus sunt exterius consummati, non actu, sed obiectivè: quia habent obiectum pravum spectans ad exequutionem alius potentiæ.

DISPVT. LXXXIII.

De excommunicatione in hæreticos.

§. 1. IAM incipimus disputare quibus hæretici obstringuntur pœnis: inter quas prima est excommunicatio. Ne autem eorum fautorum pœnas in locum minùs commodum reiciamus, eodem nunc texentur filo. S. Thom. quæst. 11. art. 3. huic quæstioni porrigit ansam quęrens vtrũ hæretici sint tolerandi? *S.Thom.*

SECTIO I.

Excommunicati hæretici: & quo iure.

§. 2. EXCOMMVNICATI sunt omnes hæretici ab Innocentio Tertio, in Concilio Generali Lateranensi, & transijt in ius commune cap. *excommunicamus* primo de hæreticis, & capite *excommunicamus* secundò, ibidem à Gregorio Nono, & à Lucio Tertio, cap. *ad abolendam* ibidem, & cap. *quicumque* de hæreticis in sexto, ab Alexandro Quarto, hæretici ponuntur apertè excommunicati. Item & in Bulla in Cœna, excomunicatione prima.

§. 3. *Azor.* Hæc autem excommunicatio rectè asseritur à P. Azore lib. 8. cap. 10. quæstione prima, esse omnium antiquissima. Gelasius cap. *Achatius* 1. 24. quæst. 1. & Felix cap. *Achatius* 2. ibidem apertè testantur actum à Gelasio cum Achatio iure antiquo, quo omnes hæretici sunt excommunicati in Concilijs, vt Sabellius & alij: quod deprehendes ex c. *didicimus*: ex Cypriano id ostendente ex antiquo iure. Item & ex Ambrosio cap. *quæ dignior*, & ex Alexand. II. cap. *audivimus* ibidem.

Quo autem iure, humano, an ne divino hæc excommunicatio sit lata? est quæstio. §. 4. Driedus, Latomus, Echius, Almainus, & alij apud P. Suarez disput. 21. sect. 1. num. 1. censent iure divino impositam esse hanc censuram. Longè tamen rationi est consonantius eam impositam à Pontificibus Romanis in Concilijs Generalibus, & in Bulla Cœnæ, alijsque in occasionibus: ex recentibus eam docent P. Azor eo cap. 10. quæst. 2. P. Suarez disput. 21. sect. 1. num. 4. cum Soto, P. Valentia, P. Henriquez & Castro: consentit P. Thom. lib. 2. cap. 9. num. 2. & Lorca disp. 54 num. 4. estque vera sententia: tùm quia ex cap. *Achatius*, & cap. *ad abolendam* adductis §. 3. constat apertè Sabellium excommunicatum à Concilijs & vniversa Ecclesia: vt constat ex ipso Pelagio Primo, decreto habito cum 70. Episcopis de Scripturis apocryphis, in quo, hæc ait. *Quorum nomina ab omni Romana, Catholica, & Apostolica Ecclesia sub anathematis indissolubili vinculo in æternum confitemur esse damnata.* Achatium verò non excommunicatum à Gelasio, sed à Concilijs, in quibus hæretici sunt excommunicati. Item ex cap. *excommunicamus*, id constat apertè: non enim dicit Pontifex se exequi pœnas impositas ab alijs, vt dixit Gelasius in Achatium. Tùm quia nullo ex capite constat eam pœnam impositam à Christo immediatè. *Dried. Latom. Echius. Almain. Azor. P. Suarez. Sot. Valentia. Henriq. Castro. Sanchez. Lorca. Pelagius.*

Sunt quidem iure divino nobis interdictæ actiones aliquæ, quibus in sacris communicare possemus cum hæreticis, vt ostendi disput. 48. at ipsis non est interdicta eo iure communicatio nobiscum in sacris actionibus interdictis excommunicato. Nonnulla argumenta, quæ addunt P. Suarez & P. Azor pro opposita sententia satis ipsi refellunt. Sanctus Hermenegildus egit præclarè cum Episcopo Ariano; tùm quia tunc omnes excommunicati notorij etiam non nominati erant vitandi; tùm quia imminebat scandalum: Leovigildus enim ad tentandam filij fidem, & explorandam voluntatem mutandi religionem, miserat Arianum Episcopum: debuit ergo martyr obire mortem, potiùs quàm Eucharistiam recipere ab hęretico. Vitandi autem sunt hæretici more aliorum excommunicatorum, vt dixi disp. 76. sect. 1. §. 5. *P. Suar. Azor.*

S.Tho.q. 11. art. 3.

SECTIO II.

Utrùm ob hæresim mentalem labatur quis in excommunicationem?

§. 6. Conclus. CENSEO nullam pœnam externam ab Ecclesiâ infligi ob hæresim purè mentalem, & quę nullo externo signo explicata est ab errante: est hæc sententia omnium Theologorum vno excepto Adriano; quos è nostris sequuntur P. Thom. lib. 2. c. 8. à nu. 1. P. Azor, lib. 8. cap. 10. q. 3. P. Suar. disp. 21. sect. 2. num. 4. quam prius docuerat in libro de legibus, & de censuris, P. Luisius disp. 56. dub. 2. & alij omnes, qui hac de re disputant, & de censuris & legibus. Adde Lorcam disp. 55. num. 5. ex Cõsultis iuris infiniti ei subscribunt, quos longè refert P. Thom. Tantùm autem hæc sententia authoritate, vsuque percrebuit, vt apud P. Suarez asseruerint Peña, & Rojas eam prævaluisse, & in praxi esse servandam. Immò opposita vix est probabilis; quia à solis nõnullis Canonistis asseritur, & ab vno dũtaxat Theologo, & sine fundamẽto gravi.

Th. Sanch. Azor. P. Suar. Torres. Lorca.

§. 7. 1. Prob. Innocenti. Primum fundamentum est ex Innocentio III. cap. *tua nos* de simonia. *Nobis datum est* (inquit) *de manifestis tantummodo iudicare*: at impositio pœnę spectat ad iudicium: nullus enim pœnam infligit, nisi iudicet culpam: & quidem Pontifex ostendit pœnam in simoniacos non deberi, nisi ob crimen manifestum; nam ob occultum, coram solo Deo est quis pœnis obnoxius. Item idem Innocent. cap. *sicut tuis* de simonia hæc ait: *Quòd si excessus eorum esset Ecclesiæ manifestus (quæ non iudicat de occultis) pœnâ essent Canonicâ feriendi*. Vndè arguo. Pœna Canonica non potest infligi, nisi ob Ecclesiæ manifestũ crimẽ; sed excommunicatio est pœna Canonica: ergo. Maior probatur ex testimonio adducto: quia Innocentius ad feriendum hâc pœnâ exigit pro conditione, vt crimen sit manifestum, illa particula. *Quòd si*: addens per parenthesim de occultis non ferri pœnam; idem est ac de occultis non iudicare: alioquin inepta esset exceptio.

§. 8. Vrban. 2. Arg. Secundum ex Vrbano Secundo 32. distinctio. cap. *erubescãt*, vbi pœnas decernit incontinentibus ministris altaris: explicat autem id de manifestis; ostendens se in occultè intemperantes non habere ius, his verbis: *De manifestis quidem loquimur: secretorum autem & cognitor Deus, & iudex est*. Quam doctrinam amplectitur Glossa; pro quâ alia item citat Canonici Iuris testimonia.

§. 9. 3. Arg. Tertiũ fundamentũ est; quia Ecclesia excõmunicationem infligit delictis, quæ sunt aliquo pacto externa, quia cum eius iudiciũ, & pœnę sint quoque externa; debent esse cõgruentia delictis. Item; quia finis Ecclesiæ est totum corpus in pace tenere, & vnitate, ne quis alterius exemplo patiatur scandalũ: esset item prædurum cogere hominem abstinere à sacris ob solum mentale peccatum.

Dices: Ecclesiam habere ius in peccata mortalia vindicanda: ergo ob illa decernit pœnas. Antecedens probo: quia habet ius ad imponendam pœnitentiam confitenti peccata mentalia. Item & ad ea reservanda. Respondeo: Pontifices adductos apertè docuisse, sibi non esse datum iudicium in cogitationes hominum. Ad primam probationem respondeo: illud Ius esse directũ ad delenda peccata, & homines Deo reconciliandos: & consequenter ad media ad id vtilia: at verò externum forum est ad externa peccata, & componendum Ecclesiæ corpus. Ad secundam probationem respondeo: reservationem peccatorũ non esse pœnam; sed iurisdictio emanat à superiore, & pastore ad vicarios; quibus eam partitur, vt vult. Secundò respondeo: admisso antecedente argumenti non probari Ecclesiam vti ea iurisdictione; quia eius vsus, si frequens esset, esset perniciosus, vt ait P. Thom. cap. 8. nu. 2. & 4. vbi ait, reservationem peccati occulti fore culpabilem: quod intelligo, si frequens esset. Nec Ecclesia mentalia peccata reservat, quãvis potest. Vndè nisi verbis apertis reservẽtur, nõ sunt cẽsenda reservari.

§. 10. Obiectio. Impug. Th. Sanch.

SECTIO III.

De hæretico externo.

§. 11. HÆRETICVM manifestũ teneri excommunicatione, & cæteris in hæreticos pœnis nulli potest esse dubium: cùm enim illæ pœnæ aliquos constringant hæreticos, nullum apertius & clarius, quam manifestum. Manifestus hæreticus est, qui errat pertinaciter contra propositionem, quam cognoscit ab Ecclesiâ admissam: & suum errorem ita aperuit, vt alij cognoverint eum tunc errare, quando aperuit errorem: qui verò illum signis explicuit, nullo tamen mortalium audiente; ita vt ipse solus sui sit cõscius erroris: qui humanitùs nõ potest ad forũ exteri' deduci: hic vocatur hęreticus occultus: ille verò manifestus. Hâc sectione miscebo vtriusque signa, & exteriores notas; quibus error internus fiat externus, observato semper discrimine inter manifestum, & occultũ: quòd signum & per illud hæresis, sint alij nota & igno-

& ignota sectione autem sequenti agemus vtrum hæreticus occultus excommunicatione ligetur?

§. 12. Primùm dubitari non potest, esse hæreticum externum qui integra propositione asserit aliquid contra fidem, illudque credit: vt qui dicit: *Deus non est trinus*, vel qui asserit se id sentire, vt: *ego credo Deum non esse trinum*: nisi enim id sentiret, illud non crederet, nec diceret se non credere: item qui asserit se esse dubium: quia indicat contingens esse, vt Ecclesia decipiatur. Itaque quoties signum exterius est expressè significativum obiectivæ hæresis, & formalis actu existens in dante signum, est hæresis exterior: sive illud signum sit commune, vt verba vulgata; sive privatum inter duos, vt apud nostros *Gerigonza* vocantur verba non significantia, nisi inter amicos. Ratio à priori, quia illa signa hic & nunc absolutè significant hæresim præsentem, quam potest cognoscere, qui ea videt. Idemque dixerim quando scripto, nutu, digitorum motu, vel alio quovis signo significante ex se, vel ex circumstantijs, potest aliquis percipere loquẽtis præsentem errorem. Ea enim omnia signa dixi disput. 13. esse speciem loquutionis: vide P. Thom. cap. 8. num. 7.

§. 13. Secundò est hæreticus exterior, qui verbis æquivocis explicat errorem præsentem: verbi gratia, aliqua verba habent duos significatus: alterum non hæreticum; hæreticum alterum. Si hæreticus animo hæretico illa verba faciat, est hæreticus exterior: quam conclusionem docent P. Thomas lib. 2. cap. 9. num. 26. P. Suarez disputat. 21. sect. 2. num. 10. *Th.Sanch.* *P.Suarez.* Quia illa verba explicant hæresim præsentem: quia in sensu communi sunt ad illam accepta: item & oriuntur ex animo hæretico. Quid ergo eis deest? Hic tamen observa duo, alterum, vt vterque sensus sit literalis; si enim in sensu allegorico sit hæretica propositio, & in literali Catholica, non committitur hæresis externa: quia licèt sit ex animo hæretico; tamen absolutè nullus potest prudenter censere à loquente vsurpari sermonem allegoricè; sed propriè. Debet ergo aliundè constare de pravo loquentis assensu: vt è contra, si literalis sensus sit hæreticus, allegoricus autem Catholicus, quando hæreticus loquitur, nisi se alia ratione explanet; hæreticus externus est: quia in sensu literali accipitur à prudente auditore, in quo sensu est conclusio hæcerta.

§. 14. Alterum observatu dignum est, vt loquens propositionem duorum literalium sensuum, sit aliquâ aliâ ratione suspectus. Alioquin nullus potest absque peccato gravi illius mentem hæreticam interpretari: vt ergo facta indifferentia non possumus licitè censere hic & nunc esse peccata, nisi aliundè manuducti; ita nec verba: vndè si loquens non sit admodum doctus, qui ob doctrinam teneatur ambiguitatem abigere, vel audientes non egeant per se eâ explicatione; non est hæreticus externus. Homo doctus, ita loquens auditoribus, apud quos posset valere ad persuadendam hæresim, censetur, & est hæreticus: exempli gratia, in Germania inter Academicos, quibus impunis est religionum electio; dicat hæreticus mediocriter doctus æquivocam propositionem: hic censendus est hæreticus: quia id dixit animo hæretico ad tentandam auditorum fidem, vt se excusaret, si acciperetur malè; & persuaderet, si benè. At verò in Hispaniâ, vbi igne absumuntur hæretici, non est idem fundamentum: quia in sensu Catholico tenentur auditores id accipere; vel saltem cohibere assensum: quia non apparet prudens ratio ad mentem loquentis interpretandam hæreticam. Debet ergo hæreticus signo externo se aperire, ex quo absque peccato temeritatis, posset auditor prudenter censere illum hominem esse hæreticum. Recognosce quæ dixi disputatione 81. §. 26. & 27. De absolutione autem hæretici per se occulti, vt in hoc sensu, vide disputatione 84. §. 3.

Tertiò: si quis characteribus sibi tantùm notis hæresim scribat, est quæstio, vtrùm sit hæreticus externus? Pater Thomas capite octavo, num. 10. negat: quia illa hæresis per se est occulta omnibus; & moraliter purè mentalis. §. 15. *Sanchez.* Dico primò, si quis paucis characteribus sibi soli notis hæresim scribat, eum non esse hæreticum externum: quia illi characteres non possunt humanitùs alicui mortali significare mentalem hæresim: vndè per se omninò, & non per accidens est occulta. *1. Concl.* Dico secundò, si pluribus characteribus scribatur hæresis, quos homo gnarus interpretandi illud scribendi genus, possit exponere, est hæreticus externus: quia illa hæresis est per accidens occulta; si enim eos characteres quis illius facultatis peritus offendat, deprehendet apertè mentalem hæresim: esse autem huius facultatis homines peritos quotidiana experientiâ monstratur: habent enim Reges secretarios, quos nostri appellant *de cifra*. *2. Concl.* Dico tertiò, licet pluribus characteribus ignotis scribatur; si tamen tàm incoòcinnè, & contra regulas scribendi characteribus ignotis, scribatur, vt nõ possint expo- *3. Concl.*

S. Tho. q. 11. art. 3. ni, non est hæreticus externus, qui eos scripsit. Quia tota ratio exterioritatis est potentia, vt alius percipiat præsentem scribentis errorem.

§. 16. Vt hæc percipiantur, observa primùm: non posse Characteres exponi (apud nostros *descifrarse*) si admodum sint pauci: quia ex varia illorum coniunctione dignoscuntur elementa. Huic fundamento innititur conclusio prima. Deinde cùm plures sunt characteres inter se quidem distincti punctis, incisis, alijsque notulis; omnes possunt exponi. Quo moveor ad conclusionem secundam. Si verò notulæ & puncta non appingantur accomodatè; non possunt characteres exponi. Quod est fundamentum conclusionis tertiæ. Scio equidem cuiusdam nobilis puellæ cognatos incidisse in epistolam ab eâdem puella scriptam huiusmodi characteribus; illi verò levitatem aliquam suspicati detulerunt chartam cuidam eius facultatis perito, qui rem totam calluit, monuitque puellam, vt bono animo esset; notulas autem ita confudit, vt vix priorum superessent vestigia. Respondit puellæ cognatis chartam illam esse nugacem, eosque ad alium interpretem reiecit, qui nec verbum potuit percipere: est ergo opus ad vitandam externam hæresim, ita scribere, vt nulla humanâ arte interpretari quis possit scripturam.

§. 17. Quartò, est hæreticus externus, qui ob hæresim mentalē aliquid efficit, quod possimus adscribere prudenter ipsi hæresi. Ita Aragō, Pater Thomas, Suarez & alij. Quia factum illud est signum, quo hæresis ab alijs prudenter potest dignosci: ergo illo signo hæresis fit externa. Huiusmodi signa sunt, quæ frequenter videntur apud hæreticos, non ob voluptatem, aliaque id genus bona, quæ pellicere solent & Catholicos; sed quæ ob solam hæresim dantur: v.g. absque necessitate vesci carnibus interdictis ab Ecclesia certis diebus, imagines percutere, Sanctorum reliquias conculcare, eucharistiam proijcere, idque genus alia. Vbi considerandum est diligenter, vtrùm vehemens aliqua vrgeat occasio, cui hæc facta possint adscribi: vt siquis vescatur carnibus in monte post exercitam venationem, quia omnes fame torquentur: tunc possunt ad famem sedandam & Catholici carnibus vesci, illicitè quidem; sed non ob hæresim: tunc siquis hæreticus mentalis arreptâ occasione ob hæresim eis vtatur, est hæreticus exterior quoad culpam, quâ apud Deum obstringitur: omnis enim actio externa orta à peccato peccatum est eiusdem speciei cum interno; at comparatione fori externi & eius pœnarum (in quo sensu tota hac sectione loquor) non est hæreticus exterior: quia nullus prudenter potest hæresim suspicari. Vrgente enim occasione fami adscribitur peccatum; non hæresi: vt siquis hæreticus aliquandò ieiunium violet: quod & Catholici præstare solent. Item si quis in blasfemias pronus, excitatâ bili sit iniuriosus sacris imaginibus, quod efficere etiam solet Catholicus cholericus; tametsi ille hæreticus sit mentalis, non tamen externus, quia furori debet factum adscribi, aut temulentiæ. Si verò nulla vrgente occasione, carnibus quis vescatur animo hæretico de observatione ieiunij; aut eodem animo sacra contumelijs afficiat, est hæreticus: si vero de ieiunij lege & veneratione Sanctorum rectè sentiat, & sine gravi occasione eas leges infringat, quamvis in alijs articulis mentaliter erret; non est hæreticus externus: quia illæ actiones nec oriuntur ab hæresi, nec eam re ipsa existentem ostendunt; quamvis puniendus est ob præsumptionem (vt aiunt).

Aragon. Th. Sanch. P. Suar.

Quintò, est hæreticus exterior, qui vitiosè factum aliquod ommittit absque vrgenti aliquâ occasione; quod ob solam hæresim solet omitti. Ergo si in templo levetur corpus Christi, pulsatoque cymbalo aliquis sedeat operto capite, nullo dato signo cultus, aut honoris in Sacramentum, hic est apertè hæreticus exterior, quia fundamenta iecit, vt quivis prudenter existimet illum esse hæreticum, quia ea cultus ommissio nulli alij caussæ potest prudenter adscribi: quo hæresis mentalis fit exterior; si verò aliæ sint occasiones, quibus prudenter factum possit adscribi, non est hæreticus exterior, quamvis occasionem ille arripuerit ad ommissonem cultus ex animo hæretico: exempli gratia: si sit æger, nec potuerit nisi ægrè assurgere, & caput aperire: si turba sit frequens in templo, quæ distrahit mentes ab altari: si multitudine sit pressus, vt non possit brachia facilè movere: si intentè cum alio fabuletur, vel oculos vehementer in puellam defigat. Denique considerandum est, vtrùm absque peccato temeritatis possimus prudenter ex facto aut intentione interpretari mentem hæreticam; aut vehementer suspicari illum esse hæreticum: si enim id possumus absque peccato, ille est hæreticus exterior; si autē in iudicio & suspicione peccatur cōtra virtutē de alijs benè sētiēdi; nō est ille hæreticus, §. 18.

cus; quia hæresim non satis explicuit externè.

§. 19. Sextò, non est hæreticus exterior, qui ieiunia violat: quia vitium illud est etiam frequens apud Catholicos. Ieiunium enim est perdifficile; cui difficultati eius violationem adscribimus. Quamobrem prudenter quæsitores edictis publicis agunt in vescentes carnibus interdictis; non verò in violatores ieiuniorum: quia facilis est abstinentia à carnibus; illarumque vsus magno argumento est violatæ fidei; debetque superari suspicio alijs extrinsecis argumentis, vt dixi §. decimo septimo. At verò violatio ieiunij excusatur à suspicione infidelitatis intrinseca ipsa difficultate, cui prudenter potest adscribi, nec absque peccato temeritatis potest verti infidelitati, nisi alijs ex caussis: si quis numquam ieiunet, nec sexta feria hebdomadæ sacræ, suspicionem parit hæresis occultæ, nisi ex alijs circumstantijs excusetur; tamen vt multi etiam tunc pertinaces sunt in peccato; sic & in eo genere ob difficultatem: & quidem Patrem Azorem libro octavo, capite nono, quæstione 12. sic interpretor de factis indifferentibus, quæ possunt alijs caussis adscribi; maximè si violator ieiunij asserat se peccare; tunc enim se à suspicione hæresis purgat; quamvis animus sit re ipsa hæreticus. Item qui ex errore de fornicatione simplici, eam exercet, non est hæreticus exterior: quia factum illud voluptati adscribitur, non infidelitati: expectandæ ergo sunt aliæ circumstantiæ indicantes animum hæreticum: ex quo alia facilè solves, quæ tractant Pater Azor eo capite nono, Pater Thom. capite 8. & Pater Suarez disp. 21. sect. 2.

Azor.

P. Azor. Sanchez. P. Suarez.

§. 20. Septimò, non est hæreticus exterior, qui assentiens errori, externum efficit motum, aut signum erroris concepti, nisi signum sit sufficiens, vel ex se, vel ex circumstantijs ad persuadendam prudenter conceptam hæresim. Nonnulli oppositum sensisse dicuntur à Patre Azor capite nono, quæstione 12. quos meritò ipse confutat. Cui sententiæ adhærent ferè omnes: nonnullos adductos à se sequitur Pater Thomas, capite octavo, numero octavo. Consentiunt Pater Suarez disput. 21. sectione 2. num. 9. Pater Luisius disputat. 56. dub. 2. versu *illud placet*, & Lorca disputatione 55. num. 6. ita si quis apprehendens Trinitatem dicat externè: *est chimæra, non est ita*, aut dicat, *ne*, aut pluteū percutiat; aut asserat *cōclusum est*; non est hæreticus externus: quia hæresis adhùc manet inexplicata: ergo. Probo antecedens: quia nullus prudenter potest, nec absque temeritate opinari illum hominem esse hæreticum: quia omnia ea signa sunt indifferentia ad multa obiecta; & nisi ex alijs circumstantijs, nequimus ex illis pravam interpretari mentem: si verò quis audiret concionantem, aut quempiam alium asserentem: *Trinitas est*, & hæreticus diceret, *non est: chimæra est*, aut agitans caput renueret; esset hæreticus externus: quia clarè negat propositionem Catholicam: ex consuetudine enim ad negandum aliquid affirmatum à colloquente mihi, non est opus repetere integram propositionem; sed audita ea respondere, *est*, *non est*; immò solemus dicere hæc tantùm verba, *mendacium, falsum*; hæc autem intelliguntur, quando ita loquens imperfectas propositiones, cernitur loqui cum alio Catholico asserente articulos fidei, vel ad illius mentem respondere. Si verò concionante Catholico Trinitatem; alius aliud agens, & non quasi correspondens concionanti dicat, *est chimæra*; non est hæreticus externus, quia casu potuerunt illa concurrere: quamvis ergo animo id dixerit hæretico; tamen quia omnes prudenter ob circumstantias potuerunt conijcere illum non concionanti; sed alij alia de re loquenti respondisse, non est hæreticus externus, nisi prudenter aliundè censeretur re ipsa concionanti respondisse; compositamque fuisse confabulationem cum alio: exempli gratia. Si priùs in eam, aut similem hæresim lapsus esset deprehensus: tunc enim prudenter censetur hæreticus: hos dico non esse hæreticos externos, vt hîc disputatur de hæresi externâ ducente nos probabiliter in internam hæresim loquentis: quamvis ipse sit peccator externus contra fidei confessione: ad quod satis est quævis actio externa imperata affectu hæretico.

Azor.

Th. Sanch. P. Suar. Torres. Lorca.

Octavò, non est hæreticus exterior, qui signa dat hæresis internæ in quantitate tam levi, vt non sit ex se peccatum mortale. Itaque si vsus carnium in magna quantitate censeri posset contra fidem; si quantitas non sufficiat ad peccatum mortale contra legem ieiunij; nec erit hæreticus exterior, qui eis in ea quantitate vescatur. Ita Pater Thomas, capite octavo, numero 17. & rectè eam colligit ex alijs authoribus adductis à se numero septimo. Quia excommunicatio, & reservatio est de peccato mortali interno, vt coniuncto cum mortali explicante internum; sed hæresis interna non explicatur in exiguâ quantitate: ergo non reservatur, nec est hæreticus externus. Minor probatur: quia exiguâ materiâ vesci solet homo Catholicus ob solam gulam, §. 21.

Sanchez.

S.Tho. q. 11. Art. 3. aut libitum gustandi carnes, licèt nulla alia subsit caussa.

§. 22. Hinc suboritur dubium non leve. An qui hæresim internam ostendit verbis, factis non deliberatè, vel cum peccato veniali; vel omninò cùm in consideratione, sit hæreticus externus? Primùm dico, nec internè, neque externè esse hæreticum, qui assentitur heresi obiectivæ cum solo peccato veniali: quia hæreticus fidem amittit, quę non perit, nisi peccato mortali: ita nec peccatum veniale reservatur; nec tám graves pœnas ab homine per illud meretur homo: est ergo questio de homine, qui peccat graviter hæretico assensu: at verò in eius manifestatione non admittit peccatum novum grave; vel fortè nec leve, quia simul assentitur, & loquitur non considerans se loqui.

§. 23. Dico illum hominem esse hæreticum externum, quia habet hæresim manifestam: ergo est hæreticus externus. Consequentia patet, quia illa hæresis non manet intra mentem hæretici; sed iam est extra illam. Qui enim secum loquitur, quæ intra se cogitat; illa quidem exponit audienti. Ad quod per accidens est novum peccatum: etenim illo carere non est argumentum, vt censeamus eum non esse hæreticum: tota ergò ratio heresis externæ completur in assensu hæretico cum peccato mortali, & in eius signo, quo sufficienter ab audiente cognosci posit præsens heresis.

§. 24. Que ita confirmo: ostendi disputatione 48. §. 24. & 25. Principes posse præcipere infidelibus subiectis, vt certò vtantur signo suę sectæ: plectentur autem alioquin: possunt infideles hoc signo vti absque novo peccato: alioquin non liceret Papæ id præcipere Iudæis: actionem enim pravam nulli licet præcipere: ergo signa hec externa possunt non esse peccata. Si quis autem Christianus transiret ad Iudaismum, & degeret in vrbe, vbi libera esset religionis electio; deberet vti eo signo: ex quo Apostasia hominis esset externa, & obnoxia censuræ: ergo non est opus novo peccato, nisi vt signum sit sufficiens ad internum dissensum explicandum.

§. 25. 1. Solutio. Dices primò: non reservari peccatum interius luxuriæ, quamvis ex illo sequatur peccatum exterius, si nec interius est per se caussa illius, nec illud voluit: exempli gratia: admittit quis delectationem morosam, & nihil de pollutione cogitans polluitur tàm derepente, vt non potuerit semen tenere: hoc peccatum non est reservatum; quia pollutio non fuit voluntaria formaliter in se; nec in caussâ; quia non fuit previsa, ergo nec heresis interna est reservata, quando inculpatè coniungitur externę. Respondeo: antecedens egere examine longiori, quàm nos egemus nunc: eo autem pretermisso, nego consequentiam: quia hæresis externa per se non habet malitiam intrinsecam, & inseparabilem ab ipso signo; sed per se precisè est manifestatio hæresis formalis; ita vt ex vtraque fiat hæresis externa, & manifesta audienti eam. Non habere malitiam inseparabilem probo: quia ioco, & in fabula, seu comędia, vel aliâ ratione excusante à peccato, potest proferri hæresis externa, in quâ prolatione non reperitur malitia contra fidem, aut eius confessionem? at pollutio habet intrinsecam malitiam, & inseparabilem: comparatione cuius reservatur peccatum interius: & vbi hæc non est voluntaria per actum expressum, aut virtualem; non reservatur: reservatur autem heresis vt externa per se primò: reservatur etiam hæresis interna habens pro conditione externam. Quòd patet: quia cum quis cum peccato mortali profert hæresim externam sine internâ; non illaqueatur excommunicatione in foro conscientiæ: ergo reservatio non est directè de hæresi externa, vt est de pollutione: sed de heresi manifestâ. Hic autem reperitur hæresis manifesta: ergo reservatur excommunicatione. Impug.

§. 26. 2. Solutio. Dices secundò. Hæreticum dormientem non fieri externum, licet in somnijs hæresim manifestet: ergo non quevis hæresis exterior facit hæreticum externum; sed illa dùmtaxat, quæ cum novo peccato manifestatur, distincto à voluntate de consensu heretico. Censebit fortasse quis hæreticum illum fieri externum, si precavit se in somnijs heresim probaturum: vt homo est irregularis, si timens homicidium in crapula bibit ad ebrietatem. Quod probabile censet Bonacina distinct. 2. de censuris, quest. 5. part. 2. num. 7. Non est tamen eadem ratio; quia homicidium in ebrietate est verè homicidium, & culpatum: quod sufficit ad irregularitatem: at hæresis externa nō est verè hæresis, nisi vt coniungitur internæ; tunc autem non est hæresis interna: ergo absolutè non est heresis. Ita probabiliter respondet P. Thomas cap. 8. num. 24. Bonacin. Th. Sanch.

§. 27. Impug. Quod tamen impugno: quia nisi hæreticus retractet errorem, eius hæresis fit externa: ergo. Probo antecedens: quia hæresis ante somnum concepta, fuit caussa, vt hæreticus in somno loqueretur errorem: & illa hæresis est moraliter præsens; ergo est hæresis

resis externæ moraliter coniuncta internæ. Maior est certa: quemadmodum consueta cogitato de obiecto obscæno est caussa pollutionis; species enim relictæ ex vehementi cogitatione excitant phantasiam dormientium. Minor est etiam certa: quia dum actus non retractatur, & est caussa, vt fiat effectus per virtutem ab ipso relictam, est moraliter præsens, vt cum sacerdos volens celebrare Sacrum in consecratione distrahitur, voluntas celebrandi est moraliter præsens.

§. 28. *Respond. ad Obiect. Sanchez. Bonacina.* Respondeo ergo, illum non esse hæreticum externum: quod docent Pater Thomas, & Bonacina adducti; estque communis sententia. Ad argumentum ex §. 26. nego consequentiam, quia loquutio in somno non coniungitur hæresi, nec eam manifestat; quia non est prudens argumentum hæresis internæ. Multis enim alijs in occasionibus tenemur non interpretari peccata interna ex actionibus externis exercitis in somno, luet extra somniũ ducerét in iudicium de peccato interno loquentis: exempli gratia: si quis dicat in somno se esse furem non propterea est credendus fur; quia sæpissimè hæc dicuntur in somno, quin vnquam de his cogitaverimus; sepè ex sola aprehensione vehementi, & suggestione Dœmonis, cui resistimus, relinquũtur species, quæ cum somno efficiunt motus illos externos. Vndè concludo loquutionem inter somnia non esse signum sufficiens peccati interni.

§. 29. *Difficult.* Hinc emergere videtur difficultas: demus hominem non dormire, sed simulare somnum, ita vt omnes sibi persuadeant eum dormire: & cum hâc simulatione loquatur hæresim, quam tunc verè conceptam habet: pono fictionem illam somni esse per se occultam, & purè mentalem: non explicatam signo vllo eam indicante probabiliter. Rogas vtrùm hic sit hæretitus externus?

Solvitur. Quæstionem hanc numquam audivi; videtur autem dirimi posse ex principijs adductis in partem negantem: quia tunc nullus absque peccato temeritatis potest loquentis mentem hæreticam interpretari: persuasi enim illum dormire, non habent fundamentum ad eum damnandũ hæresis. Quod

Confir. confirmo primò: siquis simulet amentiam tàm aptè, vt eam omnibus persuadeat, si verè sit hæreticus, & hæresim loquatur à nullo censeri potest hæreticus, vt à nullo censetur iniuriosus, aut blasfemus, aut latro; tametsi multa efficiat, quæ in homine sano essent evidenti argumento illorum vitiorum. Secundò confirmatur: si comædus sit hæreticus purè mentalis, agens autem fabulam, suscipiat personam hæretici, hæresesque proferat, illas quidem sentiens animo hæretico, hic non est hæreticus externus in hoc sensu: quamvis committit peccatum externum contra fidei cõfessionem: licèt enim ab ipsis Quæsitoribus, & Papa audiatur, nullam parit hæresis suspitionem; quia ex circumstantijs comædiæ debent illa verba adscribi non hæresi; sed tragico muneri: est ergo illa hæresis purè mentalis, quòd attinet ad eius coniecturam faciendam ex eo signo: ex quo non potest fieri magis, quàm si non esset, quo differt ab hæretico externo, qui est occultus per accidens; qui si non cognoscitur ab alijs, est ex defectu audientium, non ex defectu sui. At comædus si non cognoscitur esse hæreticus non ex deffectu audientium, auditur enim ab ipso Papa, sed ex defectu sui, quia loquitur in circumstantijs, in quibus non manifestatur hæresis eius; sed illius, cuius suscepit personam. Ratio est, quia, vt signa imperfecta solent ex circumstantijs perfectè significare hæresim, & animum occultum: sic perfecta signa possunt ob circunstantias illam occulere. A posteriori autem est argumentum, quod nullus, quamvis ardenti studio fidei flagret, suspicatur hæresim in loquente, quem dormire credit; sed verba accipit cum risu, vt in amente, atque comædo in theatro. Est ergo opus, vt ex signo possimus prudenter credere rem significatam: si autem non per accidens, sed per se, nõ possimus mentẽ loquentis hæreticam interpretari, hęresis est per se occulta & interna. Si vero humanitꝰ posset quis prudenter credere illos homines nec dormire, nec esse in amẽtia, sed eã simulari, tũc absque cõtroversia essent hæretici externi, quia tũc hæresis esset occulta per accidẽs, & nõ per se: in foro autẽ conscientæ illæ actiones sunt peccata externa, & explicanda in confessione. Absolutè non audeo asserere illos non esse hæreticos externos, quia hæretici sunt qui exprimũt verbis suam hæresim, quam occultant per accidens, & non per se. *Ratio à pr.* *Ratio à posteriori.* §. 30.

P. Vazq. Th. Sanch. Nonò non est hæreticus externus, qui asserit se olim hæresim tenuisse. Quę doctrina est P. Thomę cap. 8. num 25. & P. Vazq. tomo. 2. disp. 106. num. 22. quia illa verba non ostendunt hęresim pręsentem; quę Catholicè, & absque peccato profiteri possunt. Censentur ergo hæretici, non qui olim habuerunt hæresim internã: sed qui sunt hæretici, cùm loquuntur, & hæresim ipsam loquuntur. Adverte tamen diligenter versipelles hæreticorum sagacitates: si loquens hęresim suam pręteritam, ita se gerat vt nõ explicet aliquo modo, aut circunstantia se ab hęresi conversum ad fidem: est hæreticus, si tunc eamdem hæresim sentit: quia *Animad.*

S. Thō. q. 11. Art. 3. præsens hæresis sit satis aperta: dicit enim eam animo eam persuadendi; malitiosè tamen, ne capiatur ab audiente, si eam fortè malè accipiat. Idemque dixerimus si numquam hæresim revocarit. Quia licèt cùm loquitur, non sit hæresis physicè præsens; est tamen moraliter, & est in statu hæretico, quem satis illis verbis ostendit. Si verò seriò ostendat se ab eâ discessisse, quamvis mentiatur; non est tamen hæreticus externus, vt qui eam fateretur quæsitori.

§. 31. Addo eum non fore hæreticum externum, licèt eam tunc sentiat, & dicat animo hæretico; si tamen seriò testatur se iam illam deposuisse: exempli gratia. Quæsitor ob indicia roget iuridicè hominem, & cum iuramento: vtrùm fuerit hæreticus? & ipse hæreticus quidem fuerit, & sit tunc, & ex affectu in hæresim, gaudeat illius prolatione: hic non propterea est hæreticus exterior, quia per illa signa non aperitur hæresis præsens, sed præterita; præsens autem occulta tenetur. Nullus enim, nec ipse quæsitor potest absque temeritate sentire illum adhuc esse hæreticum; secùs si alio ex capite haberet sufficiens argumentum ad persuadendum sibi illum durare in hæresi; tunc ipsâ prolatione redderetur hæreticus exterior.

§. 32. Hinc deduces, nullum esse hæreticum externum, quando hæresi deposita eam in cōfessione sacramentali exponit. Præter argumenta est aliud, ingenti laqueo Sacramentum Pœnitentiæ futurum, si ob eius observationem tanto incommodo pœnitens foret obnoxius, quantæ sunt pœnæ in hæreticos externos: idem iudicium est, quando hæreticus depositâ hæresi, saltem cessatione ab errore, tunc sibi de cætero consulendi gratiâ adit quæsitorem, vt ab ipso informetur fidei præceptis, vel imbuendum ipsum tradat viro docto: & coram eo comparet secretò, & extraiudicialiter petendi consilij gratiâ ab homine potente illud dare prudenter. Nec tunc quæsitor ius habet ad hæreticum accensendū hæreticis in eorum nomenclaturâ, quam suis habet in libris: quia peccatum mentale non subijcitur foro iudiciario: at per eam confessionem non fit externum in ratione peccati: quia illa oritur ab actu honesto humilitatis, & affectus pij: etenim à pio affectu credendi oritur illa confessio, electa, vt medium ad discendam fidem. Quamvis enim §. 22. dixi committi extrinsecùs hæresim, licèt externa fiat sine novo peccato in eius prolatione; at semper prolatio est vitiosa, vel immediatè à pravâ voluntate loquendi errorem, vel ab affectu impio assentiendi, ex quo per sympathiam naturalem verba fiunt: quando verò prolatio externa oritur ab affectu pio credendi; nullâ ratione fit exterior hæreticus; sed potiùs est actus honestus, & maximâ in laude ponendus.

Maius dubium est in exponente errorem actualem amico, aut quæsitori; aut viro docto: non dubito eum esse hæreticum externum, si absolutè dicat se tunc dissentiri mysterijs revelatis; velle tamen se scire, an sit aliqua ratio sufficiens ad persuadendum oppositum: hic enim nullo honesto fine movetur; sed illa est arrogantia ad tentandam Catholicorum eruditionem, & energiam in disputando. Qui autem consilij petendi animo syncero accedit; vt minimū cohibet assensionem de obiectiva hæresi, & dubitat. Qui autem dubitat; potest licitè adire quæsitorem affectu pio discendi mysteria fidei, & dubitationē depellendi. Postquam enim dubium se experitur, licèt re ipsa hæreticus est; tamen scrupulis potest agitari à Deo, & urgeri, vt animo syncero assentiendi fidei obiectivæ discere velit argumenta, quibus dubitationem expellat. §. 33.

Hic actus laudabilis est, & ortus ex aliquo affectu pio credendi, licèt minùs perfecto. At propterea non est hæreticus exterior, vt cum Aragone rectè docet Pater Thomas, lib. 2. cap. 8. num. 20. Audito autem doctore, si pertinax est in dubitatione; si id dicit, est hæreticus exterior: quia illa loquutio est hæretica orta ab impio affectu, quia id nō dicit, vt Doctor calidius argumentetur ad eū convincendum Catholica doctrinā: (si enim id vellet, esset eadē ratio ac de prima vice); sed id dicit, quia tandem nōn fuit permotus ad deponendam hæresim ob pertinaciā. Qui autem consilium petit ex animo syncero discendi verum, non est hæreticus exterior; secùs si simulet velle se consilium capere, aut si fingat se velle confessione sacramentali, se expiare; re tamen ipsâ, nec hæresim deposuit, nec sacramenta voluit. At si ipse cum verâ pœnitentiâ se exponat Sacerdoti; & ab ipso non absolvatur, non fit externus hæreticus; sicut, nec qui hæresim mentalem explanat honestum ob finem, vt contra Patrē Azorem ostendit Pater Thomas eodem num. 20. §. 34. Aragon. Sanchez. Azor.

SECTIO IIII.

Vtrùm hæreticus externus occultus teneatur excommunicatione in hæreticos?

HÆRETICVS exterior est, qui hæresim internam cōiunxit alicui signo externo, quod humanitùs perci- §. 35.

percipi potuit, & prudenter ducere auditorem, aut inspectorem in cognitionem hæresis physice aut moraliter præsentis. Nisi enim motus exterior hæretici sit humana potentiâ perceptibilis; hæresis manet per se tàm occulta, quàm si nullum daretur signum. Exempli gratia: si quis hæreticus moveat labia sine vllo sono perceptibili per aures humanas quantumvis acutas, & arrectas; item nec motu ipso viso possit homo vllus discernere, vtrùm loquatur hoc aut illud obiectum; hic est hæreticus purè mentalis, quod attinet ad censuras.

§. 35. Qui verò signum dedit exteriùs de hæresi interna, quod percipi potuit humano sensu, & ex eo prudenter colligi hæresis interna; si tamen nullus adfuit, qui rem posset, vel audire, vel percipere; est hæreticus exterior occultus: etenim hæreticus purè mentalis non est occultus in communi significatione; quamvis appellari consuevit *occultus per se*; qui verò signum dedit appellatur *occultus per accidens*. At frequenter dividitur hæreticus in mentalem, occultum, & manifestum. Primus nullum signum dedit hæresis; dedit secundus, sed nemine percipiente; tertius autem dedit aliquo percipiente.

§. 36. Dico, hæreticum occultum ipso facto, quo signum dedit exterius, significans hæresim; teneri eadem excommunicatione, qua hæreticus manifestus. Alfonsus Castro lib. 1. de lege pœnali, cap. 15. conclusione 3. censens nullum suspensione præstringi ob crimen occultum; censet cōclusione 2. præstringi omnes excommunicatione ob idem occultum crimen. Nullus Theologus ab hac secunda parte sententiæ discedit, nec Canonista teste Patr. Azore lib. 8. cap. 10. quæst. 4. P. Thom. lib. 2. cap. 8. num. 6. P. Suarez disput. 21. sect. 2. num. 6. Quam sententiam docuerat vniversim de omni crimine, ob quod contrahitur censura. tom. 5. in 3. part. disput. 40. sect. 3. num. 21. & disp. 31. sect. 1. num. 67. num. autem 68. asserit non esse securam Castri sentētiam de suspensione: adde Lorcam disput. 65. num. 7. Nec potest de ea dubitari.

Castro. Azor. Th. Sanch. Suarez. Lorca.

§. 37. Probat. Probatur, quia Ecclesia habet iurisdictionem ad puniendos suos ob crimina occulta, pœnis, quibus possint frenari ab eis admittēdis; sed id hac in parte eam fecisse constat ex §. 2. quia excommunicatio lata est in omnes hæreticos, excepto nullo, qui sit in iurisdictione fori externi: ergo. Maior probatur: quia illa delicta sunt verè sensilia & externa, contingereque potuit, vt aliquis adesset. Secundò: quia aliàs, nec occultus percussor Clerici ignotus ipsi Clerico; vel etiam notus, excommunicatione teneretur; immò & occultus homicida non esset irregularis, aliaque id genus sequuntur absurda.

Dices primò, hæresim mentalem esse tàm per accidens occultam, quàm externam; & tamen quia est occulta non meretur excommunicationem: ergo nec occulta per accidens. Probo maiorem: quia hæresis mentalis est per se cognoscibilis à iudice; quia per se potest hæreticus eam assenere: & potuit adesse testis hæresis externæ. Nego maiorem. Ad probationem respondeo, hæresim mentalem per se nec posse percipi à Iudice; nec hæreticus potest eam per se ostendere; sed per signum exterius: quod per se est obiectum sensus, ex cuius sensione mens percipit hæresim, à nullo autem signum esse perceptum, est, non ob defectum signi; sed audientium: mentalem verò hæresim non percipi, non est ob testium absentiam; sed ex defectu ipsius hæresis, quæ nòn est obiectū sensus: est ergo discrimen apertum. §. 38. 1. Obiectio. Resp.

Dices secundò, hęresim occultā esse physicè cognoscibilem; non tamen civiliter, & more forensi: in foro enim, quæ testibus carent, perindè sunt ac si non essent externa. Quid enim interest eorum exterioritas, nisi possint in iudicio aut probari, aut saltem iudicari? Respondeo, eo argumento probari non posse in foro pœnam vllam infligi ob testium defectum: omnis enim iudex pœnam infligit in iudicio per sententiam, quæ ferri debet secundum allegata, & probata. At verò excommunicatio lata à iure, vel homine ob delictum futurum; non servat omnes leges fori; non est more iudiciario; sed præcavet ius ne peccata patrentur. Ac propterea mitiùs agitur cum hæretico occulto, quàm cum manifesto. Medicina autem illa æquè curat vtrumque. §. 39. 2. Obiectio. Resp.

SECTIO V.

Utrùm teneatur excommunicatione hæreticus ignarus excommunicationis eiusdem?

HAC in parte abstinebo à sentētiâ propria explicanda, quia hæc cōtroversia est communis omni excommunicationi, atque censuræ: aliorum opiniones breviter indicabo. P. Thom. lib. 2. cap. 8. num. 5. fine, satis indicat hæreticum ignorantem censuram, illâ non teneri. Quod de omni excommunicatione ob quodvis delictum confirmaverat tom. 3. de matrimonio §. 40. Sanch.

Tho. q. 1. Art. 3. monio lib. 9. dist. 32. num. 13. ex multis authoribus. P. Suarez tom. 5. in 3. part. disput. 4. sect. 9. num. 19. vniversim affirmat nulla censurâ, vt est censura, teneri, qui eam ignorat. Pro qua sententia num. 2. adduxerat ex Covarruvia communem Canonistarum assensum: eidem opinioni subscribit P. Azor cum multis Theologis, atq; Consultis tom. 1. lib. 1. cap. 15. quæst. 3. quamvis hic author sententiam dicere videatur de ignorante ius Canonicum, non verò de ignorante solam pœnam; si tamen consulitur quæst. 2. agit de ignorante pœnam: nam opponit ius civile Canonico hac in parte. Fundamenta nô iacio; quia hic quæstionem non disputo: oppositam sententiam esse Scoti, Gabrielis, Covarruviæ, & aliorum tàm Theologorum quàm Canonistarum, constat ex authoribus adductis; maximè ex P. Azore.

Suar. P. Azor.

§. 41. Hic adverte hanc ignorantiam non futuram culpatam in sententia P. Suarez: ignorantiâ enim culpata etiam non crassa, nec supina, excusari peccantem à censura, hic author non dicit: dixerunt id aliqui recentes, quos tacitè refert P. Suarez, tom. 5. 3. part. disput. 4. sect. 10. num. 10. quam non audet asserere practicè, aut moraliter probabilem. At verò de ignorantia culpatâ non crassa, neque supina idem dicit P. Thom. ea disput. 32. num. 31. cum alijs.

Suarez. Sanch.

§. 42. Adverte secundò: eamdem omninò esse rationem de actuali inconsideratione inculpata: exempli gratia, si quis hæresim profert, quam numquam cognovit esse excommunicatione prohibitam: hic ex authoribus adductis non præstringitur excommunicatione: quia absque culpa eam ignorat; si autem eam aliquando cognovit, deindè quando hæresim loquitur est omninò, & inculpatè oblitus excommunicationis, in eâ non cadit. Quia tota ratio malitiæ, & contumaciæ consistit in actuali peccato, vt oritur ab actuali cognitione, vel culpata carentia cognitionis: cognitio enim, vel eius carentia iam præterita, & nullo modo manentes nô sunt caussa actus voluntatis existentis illis posterius; sed actuale peccatum, nec oritur cum cognitione censuræ, nec cum eius culpata carentia: ergo eadem ratio est ac si numquam cognitio fuisset: & quidem de naturali inconsideratione, & inculpatâ excusante á peccato mortali, & censura; idem ac de ignorantia, asserit P. Suarez ea disp. 4. sect. 8. num. 11. Hoc autem corollarium tantæ considerationis est in hac materia, vt propter illud solum egeat magnâ consideratione opinio proposita §. 40. Quia non rarò hæreticus aget hæreticè inculpata inconsideratione censurarum: considerent ergo quid ex eorum doctrina sequatur.

P. Suar.

§. 43. In Græcia, alijsque iam barbaris Provincijs, tàm exulat ex communium hominum memoria excommunicationis Romanæ nomen, vt vix pauci eam, vel agnoverint, vel ignorent culpatè. Quis vnquam Genizarus audivit excommunicationem? item in Anglia, Scotia, & Germania multi hæretici peccantes contra fidem ignorant absque culpa excommunicationem latam contra illos: quia ministri hæretici datâ operâ ea de re silent, ne suos excitent ad investigandam censuræ rationem. Hæc autem observanda sunt in disput. sequentem §. 8. vbi agetur, vtrùm qui excommunicationem ignorant, possint absque facultate Papæ, aut quæsitorum, absolvi.

SECTIO VI.

Vtrùm Catholicus asserens externè hæresim absq; consensu interno, teneatur excommunicatione in hæreticos?

§. 44. POTEST homo Catholicus asserere voce, aut scripto hereticam propositionem, sentiens tamen Catholicè cum Ecclesia oppositum eius quod asseruit. Quæritur, vtrùm ob hoc peccatum contra fidei confessionem anathemate plectatur ab Ecclesia; an verò in foro conscientiæ sit immunis ab excommunicatione?

§. 45. Respondeo, eum hominem non teneri excommunicatione. Quæ sententia est communis: Angeli, Sylvestri, Toleti, Navarri, Sayri, Lessij & aliorum, apud Patrem Thomam, quos ipse sequitur lib. 2. capite 7. num. 8. Eiusdem sententiæ sunt P. Azor tomo 1. lib. 8. cap. 9. quæst. 10. P. Suarez disp. 19. sect. 4. num. 6 & alibi Aragon quæst. 11. art. 3. conclusione 6. versu qui incipit, *sed dubium est*, Bañez art. 3. dub. 2. conclusione 3. & Lorca, disp. 65. num. 4. vix autem vnus aut alter oppositum censet.

Angel. Sylvest. Tolet. Navar. Sayr. Less. Sanchez. Azor. P. Suarez. Aragon. Bañez. Lorca.

§. 46. Præsto est ratio: quia hæc pœna decernitur soli hæretico; sed ille non est hæreticus: ergo illi non decernitur hæc pœna. Minor probatur: quia hæresis interna consummatur voluntate & intellectu, in quibus formaliter consistit in ratione assensus, & in ratione peccati; exteriùs autem non admittitur hæresis, nisi vt est signum hæresis veræ; at tunc nulla est verè hæresis; nec peccatum exterius oritur ab hæresi: ergo hæreticus

ticus externus non est verè, sed simulatè hæreticus.

§. 47. *Obiectio.* Dices, idololatram teneri excōmunicatione, tametsi non credat mente idolum Divinitate gaudere. Item homicida est irregularis; & excommunicatur percussor Clerici, quamvis ea crimina directè non velint, nisi compulsi timore: ergo & hæreticus purè externus tenebitur excommunicatione. Respondeo antecedens esse verum, *Solutio.* *Ioan. 22.* vt constat ex extravaganti Ioan. 22. adductâ in directorio Inquisitorum 2. part. quæstione 43. post numerum 9. Consequentia autem est mala, quia Idololatria nihil aliud est præter voluntatem colēdi PseudoDeū, quod tunc verè fit. Item irregularitas est in homicidas, & excommunicatio in Clericidas. Hæc autem peccata consumantur actione externâ ortâ ab intrinsecâ voluntate ad illam terminatâ. At hæreticus non est, nisi qui mēte errat: esset quidem argumentum par, si hæreticus mente daret signum erroris non sponte, sed coactus: tunc enim valeret argumentum ab Idololatrâ, ab homicidâ & Clericidâ ad hæreticum: at nunc petitur argumentum ab homicida & Idololatra ad non hæreticum.

§. 48. *2. Obiect.* Dices secundò, externam confessionem erroris esse grave peccatum: & Ecclesiam potuisse pro illo decernere excommunicationem. Resp. eam potuisse: non tamen decrevisse: quia nunc tantùm agit in hæreticos, qui discedunt ab Ecclesiæ vnitate, & in eam sunt pertinaces.

§. 49. *3. Obiect.* Dices tertiò. Ecclesiam decrevisse excōmunicationem; quia erroris confessio est etiam contra leges fidei. Ecclesia vero non iudicat de occulta intentione. Resp. externam confessionem erroris esse contra leges fidei, qua parte obligant ad confessionem externam fidei: non vero quâ parte obligāt ad credendum. Ecclesia autem non iudicat, qua intentione hic homo loquatur nunc, sed pœnâ afficit eum, qui loquitur animo hæretico, non verò animo fingente hæresim. Quo tamen animo quisque loquatur permittit conscientiæ loquentis, qui in foro externo punietur, nisi satis probet se ioco loquutum; tunc enim in eum mitiùs agetur: si autem metum probet, severiùs, quàm si ioco in eum animadvertet iudex.

§. 50. *Caiet.* Caietanus 2. 2. quæst. 12. art. 1. fine indicare videtur solâ externâ erroris confessione absque animo hæretico contrahi excommunicationem. Tamen ibi potest exponi de solo idololatra; non enim dixit id de infideli externo vtcumque; sed de sacrificante, vt de S. Marcellino. Verum ipse q. 64. art. 1. fine se ipsum, & sententiam explanat: ait autem qui ioco profert hæresim esse excusatum excommunicatione; gravissimè tamen peccare. Quod non probo: aut enim iocus tàm manifestus est, vt illum sibi persuadeāt audiētes; vel est occultus. Si primū non videtur tàm grave peccatum. Si secundum, tenebitur eâdem excommunicatione, iureque potiori: qui enim ex metu id facit, minuit culpā involuntario admixto: qui autem occulto ioco, illam auget: quia violat leges confessionis fidei ex solâ malitiâ; neuter ergo, aut vterque excommunicatione tenetur.

DISPVT. LXXXIIII.

De absolutione ab hæresi.

§. 1. EXcommunicationem latā in hæreticos esse reservatā sūmo Pontifici constat ex Bulla in Cœnâ, excommunicationis culpam item esse eidē Pontifici reservatā existimo cū P. Thoma lib. 2. cap. 8. num. 5. & P. Suarez disp. 21. sect. 4. num. 2. Quis autem, & qua ratione posit à culpa, & censura absolvere disputo.

SECTIO I.

In quibus occasionibus nō sit per se reservata culpa hæresis.

DICO primò: hæresis mentalis potest dimitti confessione Sacramentali, à quovis sacerdote habente iurisdictionem ordinariam. Exēpli gratia: si quis sacerdos Salmanticæ potest absolvere pœnitentes mortali peccato furti; potest eosdem hæresi mentali solvere: constat ex communi omnium consensu negantium vllum crimen internum esse reservatum. Huic faciunt quæ dixi disp. 83. sect. 2. hoc crimen non esse reservatum, nec affectum excommunicatione; & quamvis mētalia peccata posint prælati reservare; at non faciunt; sed peccatum non reservatum potest dimitti ab habente iurisdictionem ordinariam: ergo peccatum hæresis purè mentalis potest ab eodē Sacerdote dimitti: hæresis autē purè mētalis est, (quod spectat ad absolutionem) quæ nullo signo externo potuit cognosci prudēter ab aliquo homine. Quapropter absolvi possunt omnes, quos disp. 83. sect. 3. in sensu singulis in locis indicato dixi non esse hæreticos externos, quod attinet ad hoc munus, quamvis peccant contra fidei professionem. §. 3.

§. 2. *1. Concl.*

Duas

S.Tho. q. 11. Art. 3. §. 3. Duas ob caussas hæc peccata dimitti possunt à quovis ordinario Sacerdote: prima; quia illa peccata hæresis sunt quidem mentalia: quia licèt in externam materiam prodierint; non tamen in materiam sufficiētem ad explicandam hæresim, quæ dùm non explicatur signo ducente satis eum, qui illud videre posset, in hæreticum animum loquentis, vel ob materiæ parvitatem, adhuc censetur occulta per se. Etenim si Prælatus sibi reservaret peccatum luxuriæ prodiens in materiam externam, si quis affectu intẽperato quærendi fœminam, imponat humeris pallium, & gressus faciat, licèt hæ actiones externæ sunt peccatū mortale luxuriæ; non tamen reservātur: quia illæ actiones per se sunt indifferentes; nec sunt externè peccatum, nisi vt per accidens diriguntur in finem turpem.

§. 4. Secunda ratio, ob quam hæc peccata non sunt reservata, est, quia non habent annexā excommunicationem. Pontifici enim, vt est caput Ecclesię, nulla culpa reservatur, nisi simul ob eā cadatur in excommunicationē ipsi Pontifici reservatā. Quę doctrina cōmunis est; vt constat ex P. Thom. lib. 2. c. 7. nu. 8. & c. 8. nu. 5. & c. 55. nu. 1. P. Suar. disp. 21. sect. 4. num. 2. quam communem ait esse. P. Azor tom. 1. lib. 8. cap. 19. quæst. 4. asserit ab hęresi mentali absolutionem posse dare quemvis approbatum Sacerdotem: quia nō habet excommunicationē annexam. Quod ex instituto dixerat P. Suarez tom. 4. in 3. p. disp. 29. sect. 2. n. 5. sed in eos hęreticos nō est lata excommunicatio: quia sunt per se occulti, vt constat ex disput. 83. sect. 3. ergo omnes illi possunt absolvi ab ordinario Sacerdote.

Th. Sanch. P. Suar. P. Azor. P. Suar.

§. 5. Vndè deduces omnes illos hæreticos, qui ob aliquā rationē non pręstriguntur anathemate, posse absolvi ab ordinario Sacerdote in foro conscientiæ. Quales sunt hæretici purè externi, qui cùm Catholici sint, loquuntur tamen hæresim, quos excommunicatos nequaquam esse probavi disp. 83. sect. 6. Quod expresse dixerunt multi ex authoribus allegatis ibidem agentes de absolutione ab hæresi.

§. 6. Itē non habent hęresim reservatam (consequenter ad multorū opinionem) qui ignorant inculpatè Ecclesię leges prohibentes cū anathemate hæresim: quia excōmunicatio apud illos non contrahitur, nisi à contumaci in Ecclesiā: at qui eius legē inculpatè ignorat; quamvis peccet contra ius divinum, non tamen est rebellis in Ecclesiam. Quo differt lex excommunicans à lege civili: quòd hâc pœna decernatur in violatores legis naturalis; quas pœnas luunt etiā ignari iuris civilis: quia non exigit rebellionē in leges suas. At excōmunicatio exigit obstinationem in Ecclesiæ legislatores, à qua obstinatione sunt alieni, qui leges ignorant inculpatè, in quo sensu loquitur P. Azor tom. 1. lib. 1. c. 15. q. 3. in quo etiā loquuntur, qui ab excōmunicatione excusant ignorantes inculpatè excommunicationem ipsam: quia qui legē ignorant, nesciunt eius pœnam. Ignaros legum excommunicantium non vinciri excommunicatione apertè docent P. Suarez tom. 5. d. 4. sect. 8. num. 6. id adstruens, vt certū apud omnes, & P. Thom. tom. 3. de Matrimonio lib. 9. disp. 32. num. 9. & alij.

Azor. Suarez. Sanch. t. 7.

Disputatione 83. §. 40. retuli multorum opinionem asserentem ad contrahendam excōmunicationem requiri scientiam eius pœnæ, vel ignorantiam culpatam: ex quo deducitur evidenter, non esse reservatam culpam illam hæresis: quod ipsi authores fatentur ingenuè: & idem dicendum est (consequenter ad eam opinionem) de incōsideratione naturali: vt observavi ea disput. 83. §. 42. Denique qui censent excusari excommunicationem ob ignorantiam vincibilem; non tamen crassam, aut supinam, idē dicent. Quorum sententia non habet tantum fundamentum, quantum prior. Quia ignoratio legis excusat à contumacia: non verò ignoratio solius pœnæ, si lex cognoscitur.

§. 8. Hic observa authores nonnullos opinari, non reservari peccatum illius, qui reservationem ignorat, quos sequitur P. Thom. ea disp. 32. num. 18. At improbabilis est ea opinio; quando reservatio non est in odium delinquentis; sed ob prudentem administrationem Ecclesiæ: vt rectè ipse Thom. observat: cùm ergò reservatio non tàm sit in hæreticum pœna, quàm limitatio iurisdictionis Prælatorum inferiorum per se vtilis, & moraliter necessaria ad prudens Ecclesiæ moderamen, non potest ob solam ignorantiam reservationis hæreticus excusari à reservatione: in hoc sensu loquitur P. Thomas, non verò in alio generali, in quo improbabilem opinionem dixi.

§. 9. Item observa: in Hispania moraliter esse imposibilem ignorantiam legis Ecclesiasticæ excommunicantis hæreticos: quia Quæsitorius pharus totum Regnum illustrat; nec angulus nō torretur eius igne: tota item Provincia est plena Quęsitorum ministris: quorum edicta de concione frequenter personant. Quapropter nullus potest ad absolutionem ignorantiam prætexere, nisi crassissimam. In consideratio actualis faciliùs cōtingeret, si hæreticus sit solus: potest enim raptus in contemplationem erroris, legum Ecclesiasticarum oblitus, censere falli vniversam Ecclesiam, idque voce proferre: sæpè enim

enim ardor studij mentem avocat ab aliarum rerum consideratione: nec sinit præverti ratione actus externos. Hac in re arbitror apud nostrates id esse moraliter impossibile: est enim tanta mutatio de Catholico in hæreticum: vt non crediderim eam fieri, quin rectè expendantur Quæsitoriæ leges. Si verò testis adsit, magis impossibilis est moraliter ea hæresis externa cum inconsideratione: tantus enim est metus, ne ad Quæsitores deferatur eius nomen, vt fit attentissimus actionibus externis: prudentiores enim nos reddit metus iniectus, quàm obliviosos studium. Idem dixerim de Provincijs, in quibus more Hispaniensi Quæsitores vigent, nisi fortè apud barbaros Indos & parum cultos nonnullos eiusmodi invenias, distantes à ministris Quæsitorijs. Quod item est impossibile propter diligentiã Magistrorum. Quapropter existimo, apud nos non posse probabiliter aliquem excusari á censura, nec reservatione.

SECTIO II.

De potestate Episcopi in hæresim occultam.

SVBSECTIO I.

Vtrũ Episcopus absolvere possit à censura contracta hæresi occulta?

§. 10. Trident. DIfficultas oritur ex Concilio Tridentino sess. 24. cap. 6. de reformatione: cũ enim data esset Episcopis facultas absolvendi ab omni delicto occulto, addit. *Itẽ & in hæresis crimine in eodem foro cõscientiæ eis tantũ, non eorum Vicarijs sit permissũ.* At verò Bulla in Cœna Domini hoc privilegium abrogare videtur: quia vult crimina ibi recensa reservari Sũmo Pontifici, abrogatis facultatibus, concessis etiam à Cõcilio Generali. Hoc vtrumq; argumentum authores Cõcilio noviores in duas classes abiũxit. Multi censent facultatem Tridenti datam Episcopis abrogatam Cœnæ processu, quos referunt, & sequuntur Patres Suarez & Thomas Sanchez adducendi n. 1. Bonacina disput. 2. de censuris q. 5. punct. 2. num. 8. *Suar. Sanchez. Bonacin.*

11. Ego in illorum sum, qui censent posse sãt Episcopum ab hæresi occulta absolvere; nec hanc facultatem abrogatam in Bulla Cœnæ. Quam sententiam dicit esse probabilem P. Suarez tom. 5. in 3. p. disp. 21. sect. 3. num. 5. & disputat. 21. de fide sect. 4. num. 13. dicit idem, si præcisè considerentur verba Bullæ Episcopos posse vti illa opinione probabili; nisi certitudo facti obsit. Eandem sententiam P. Thom. lib. 2. cap. 11. fine, censet probabilissimam authorum rationumque pondere. *Th. Sanch.* Parum autem consequenter eam dixit valdè dubiam, & parum tutam: etenim si opinio est probabilissima; & ex ea formari potest dictamen practicum & probabilissimum: ergo non est dubia: quia dubitatio nõ habet assensum; nec est parũ tuta, cùm nullũ sit periculum in sequendo dictamine practico probabilissimo: cur autem ipse tàm accuratus fuit in disquirendis casibus, & occasionibus, quibus Episcopus potest absolvere, si res est parum tuta? Opinor ea verba non esse authoris, qui tàm minutatim ideò testimonium Concilij expenderat, vt opinionem hanc nostram probabilissimam ab illo censam, securius Episcopi exequi possint; alioquin totus ille labor in explicandis circumstantijs omnibus esset inanis. Vide n. 55. Quare Pater Azor tom. 1. lib. 8. cap. 10. quæst. 10. & 11. vtramque refert opinionem, vtramque vt cõmunem, & in qua nulla est offensio: & pro sententia, quam ego sequor, quamque ipse non sequitur, novam quæstionem instituit capite 11. *Azor.* Absolute autem sententiam hanc docent P. Emmanuel Sà verbo *Episcopus* num. 37. *Sà.* Emmanuel Rodriguez in explicatione Bullæ §. 9. num. 70. *Emman. Rodrig.* Quam item ait se accepisse à multis viris doctis, & in Synodo Toletana, anno 1583. ab Illustrissimo Cardinali, & Archiepiscopo Gaspare Quiroga monitos Episcopos Hispaniæ, eos ea facultate gaudere (quod ex ipso Emmanuele refert P. Henriquez mox allegandus) & tom. 1. quæstionum regularium quæst. 20. art. 9. mordicùs defendit non esse abrogatam hanc facultatem: cui adiunge articulum 10. Idem repetit tomo 1. summ. cap. 131. numero 3. & consentit Pater Henriquez tom. 1. lib. 6. de Pœnitentia cap. 14. numero 7. cum multis ibidem adductis. *Henriq.* Idem censet Alfonsus de Vega in summ. lib. 5. casu 64. & lib. 6. casu 236. Navarrus, Gutierrez, Vela, Palacios, Petrus Ledesma, & alij complurimi apud Patrem Thomam lib. 2. capite 11. numero 7. & ex Theologis recentioribus Bañez 2. 2. quæst. 11. art. 4. dub. 2. versu *tertiò arguitur.* Aragon artic. 3. versu, *sed dubium est quis*: novissime autem Petrus Lorca disput. 55. num. 9. & 10. cum Corduba, & alijs. *Vega. Navar. Gutier. Vela. Palacios. Petrus de Ledesm. Bañez. Aragon. Lorca. Corduba.* Quod ex Pio Quinto probabo apertè n. 13. & ex Gregorio XI. n. 24. Quos duos Pontifices oppositæ sententiæ authores adducunt. Tandem anno 1627. huic sententiæ subscribit Doctor Antonius Fernan- *Antonius Fernan. Moure.*

dez de Moure in examine Theologiæ moralis p.3.cap.19.§.16.

§.12. Nonnulla fundamenta authores adducunt, præsertim ex Sixto V. qui clausulâ Bullæ in Cœna aliquantisper mutatâ, favet apertè huic sententiæ: illis omissis, de quibus agendum §. 219. hoc mihi est satis, *Lorca.* quod Lorca proponit. Quando Pontifex censuerit singulis annis Bullam expedire, anno sequenti illa Bulla non revocat privilegia data contra Bullam eamdem; sed facultas restituta Episcopis est contra Bullam in Cœna, quæ singulis expeditur annis: ergo ea facultas non abrogatur in Bulla in Cœna anno sequenti. Minor est absque controversia: quia Cœnæ processus est longè vetustior Concilio Tridentino, & singulis expeditur annis. Maior probatur: quia Bulla anni sequentis est tenoris eiusdem, ac anni superioris. Vndè nisi in Bulla noviori derogetur expressæ facultati concessæ contra eamdem Bullam, semper viget.

§.13. *Confir.* Quam maiorem propositionem ita confirmo: primò non est suspicanda levitas animi, & inconstantia in Principe; sed si abrogata esset hæc facultas, Pius IIII. esset levitatis arguendus: ergo. Probo minorem: quia intra annũ, quo confirmavit Concilũ Tridẽtinũ, & hanc facultatem contra Cœnæ processum illã abrogasset sine vllâ causâ novâ, quæ non fuisset in Concilio prævisa; immò & ab ipso Pontifice. Quod est argumentum levitatis insignis: cùm ergo Concilium, & ipse Pontifex tàm maturâ deliberatione, & examine censuissent expedire Ecclesiæ moderamini, vt Episcopis redderetur communis ipsorum iurisdictio ad vitanda incommoda animorum, & laqueos diaboli: quid potuit movere Pontificem, vt eodem anno vniversos Ecclesiæ Episcopos eâdem iurisdictione, & facultate privaret? & quidem si post multos annos monstrantes eius facultatis incommoda, Pontifex ferret legem novam, mirum non esset: at verò cum ille Pontifex tantam impenderit diligentiam, vt vniversus Christianus Orbis susciperet Concilium Tridentinum, & illius legibus ageretur; esset quidem malo exemplo illud eodem anno abrogare in vno apice: quid dicam in detrimentum vniversorum Episcoporum? & illis abrogasset privilegia non ablatis oneribus Concilijs.

§.14. *2.Confir.* Confirmatur secundo: Bulla Cruciata expeditur, aut singulis annis, aut quinquenijs singulis: in qua contra Cœnæ processum fit facultas, vt Sacerdos approbatus posit absolvere Cruciatum à delictis in Bulla Cœnę reservatis: expeditâ autem Bulla Cruciatæ, expeditur iterum Cœnæ processus: post quem iterum datur Cruciata; postquam iterum processus abrogans omnes facultates: an ne vicissitudine abrogationum perpetuò iocantur Põtifices? esset enim hic lusus puerilis. Pone in nocte Cœnæ legi processum, deindè ineunte Quadragesima anni sequentis expediri Cruciatam derogantem Cœnæ processui: at verò nocte Cœnæ in eadem Quadragesima iterum legi processum. Quis dicat cruciatos potuisse absolvi à reservato crimine ab initio Quadragesimæ vsque ad meridiem Iovis Sancti: à vespere autem eius diei non posse absolvi: quia processus tunc renunciatas abrogat omnia privilegia? Manet ergo integrum privilegium Bullæ, nihil impediente novo processu. Rectè probat Emmanuel Rodriguez, hęc esse videnda incommoda, tomo 1. Regularium quæst. 20. art.9. *Rodriguez.* Vnde argumentum efficax capitur ad valorem Concilij Tridentini.

§.15. *3.Confi.* Confirmatur tertiò: quia olim fuit controversia, vtrùm virtute Cruciatæ possent hæretici absolvi, vt cæteri delinquentes cõtra processum. Gregorius Decimus tertius *Greg. 13.* prudenter arbitratus rem illam fore perniciosam Ecclesię decrevit, nequis virtute Bullæ solveretur hæresi. Post hoc decretũ expeditę sunt aliæ Bullę abrogantes omnẽ facultatem, non aliter ac priùs; nullus tamen censuit iam licere de cætero absolutionem ab hæresi, etiam antequam exciperetur expressè. Lorca ait tunc etiam fuisse probabile *Lorca.* licitam fuisse absolutionem ab hæresi antè exceptionem, quod dixit: quia non videbat Breve Gregorij: quod ego vidi, vt enim ait nunc non abrogari religionum privilegia: idem diceret de hæresi: immò interdum Quæsitores illi, Gregoriano nixi scipioni de concione monuerunt populum, nullum posse ab hæresi solvi virtute Iubilei Magni, quo non abrogatur Gregorii Breve: ergo insequens promulgatio antiquæ Bullæ non abrogat facultates contra ipsam cõcessas, nisi per clausulã diversam à priori: idem dico de privilegijs Quæsitorum, quæ non abrogantur Cœnæ processu, cum quotannis legatur post ea privilegia concessa.

§.16. Hinc est omnium sentententia, inte[illegible]a manere privilegia religionum de absolu[illegible] ne à reservatis, quia data sunt contra [illegible]uciatam: quæ non abrogantur, nisi per clausulam. Quia Gregorius Decimus[illegible] *Greg. 13.* Leo Decimus, Clemens Octavus, Pa[illegible] *Leo 10.* Quintus, & Gregorius XV. id expr[illegible]runt, vt latè probavi in disputatione [illegible] *Clem. 8.* tra quemdam authorem novum. Quod [illegible] *Paullus 5* firmo: quia Paullus V. interdixit or[illegible] *Greg. 15* privatã ad faciendũ sacrum, quod erat [illegible]ra Cruciatam: & tamen, quamvis expe[illegible]ur Bulla quotannis, nullus audet in orat[illegible]io

priv[illegible]o

privato sacrum facere absque licentiâ; quãvis sit cruciatus: ergo non revocatur, quod factum fuerat contra bullam, nisi per clausulam novam: quam arbitror moralem demonstrationem: cùm ergo facultas Tridentina sit post Cœnæ processum; & hic non habeat clausulam diversam, quæ faveat derogationi Concilij; semper viget ea facultas, quod clarius patebit §§. sequentibus.

§. 17. Pater Suarez, Pater Azor, & alij plurimi oppositæ hærent sententiæ; quam probat primùm Pater Suarez tomo 5. disputatione 21. sectione 3. numero 3. Quia Pontifex non potuit clariùs revocare facultatem Episcoporum: immò videtur id fecisse propter solum Concilium Tridentinum; quia nisi in illo nulli conceditur hæc facultas. Respondeo negato antecedenti: clarius enim potuit revocari facultas. Primùm enim ea authoris probatio est contra ipsum: per te in nullo Concilio antiquiore hæc facultas conceditur: ergo non agunt Pontifices de Tridentino. Probo consequentiam: hæc clausula Bullæ est longè antiquior Tridentino Concilio: ergò tunc de eo nõ agebat; sed post Tridentinum clausula retinetur eodem modo: ergo nunc non agit de hoc Concilio: cur autem sic de Concilijs agatur, dicam §. 23. fine. Nec dubitat vllus vivente eodem Pontifice, qui privilegia religioni concesit, integra illa manere, quamvis deinceps expediatur Cruciata: quia ille Põtifex declarat se illa privilegia donare contra cruciatam. Quod adeò certum est, vt id etiã affirment, qui plus omnibus contendunt nervos pro Bulla Cruciatæ; sed idem Pius Quartus concesit hanc Episcopis facultatem, & deinceps intra annũ expidivit iterum processum: ergo ille Pontifex non revocavit hanc facultatem. Miror autem Patrem Suarez non recordatum Breve Pij Quinti, concedentis in perpetuũ Provinciali Dominicano facultatem suos absolvendi ab omnibus criminibus eo modo, quo conceditur Episcopis in Concilio Tridentino. Miror item eum non meminisse Bullæ Gregorij XIII. qui asserit mentem suam non esse, neque suorum successorum futuram revocare Bullâ Cruciatæ privilegia Societatis circa confessarium eligendum: idemque dixit idem Pontifex de absolutione ab hæresi; vbi formari potest argumentum idem Patris Suarez: non potuit Pontifex clarius abrogare privilegium Inquisitionis de hæresi, & Societatis de reservatis. Antecedens ergò est falsum: quia potuit Pontifex clausulâ aliquantò mutatâ abrogare privilegia: dum ergo non vtitur nova clausulâ, non revocat nova privilegia.

Suar. Azor. 1. Arg.

Solvit.

§. 18. At vero hoc argumentum in adversarios intorqueo. Duo Pontifices clausulam mutarunt in favorem Cruciatæ, & Tridentini, quâ mutatione ostenderunt clarè; non abrogare eorum privilegia: idem ergo censendum est de cæteris. Consequentia patet: quia illi Pontifices non sunt credendi nova privilegia dedisse contra præcessorum consuetudinem absque novâ supplicatione Principum, aut Ecclesiæ: at declarare obscuram aliorum mentem solent. Antecedens probo: quia Sixtus Quintus, & Clemens Octavus post abrogationem Conciliorum facultatis, & aliorum aiunt. *Nisi in eis etiam casus præsentibus literis expressi comprehendantur*. Sed in Tridentino comprehenditur expresè crimen hæresis occultæ: ergo hoc privilegium non abrogatur; sicut nec privilegia Cruciatæ.

§. 19. Solutio. Huic argumento responderi potest deletam esse à Paulo Quinto clausulam illam Bullæ: ergo est abrogata facultas. Nego consequentiam: non enim ea est deleta abrogationis ergo; sed quia non erat necessaria: quia satis apertum est in stylo Curiæ integra manere privilegia contra Bullas antiquiores, dum clausula revocatoria non mutatur: vt nunc integra manent Cruciata: nec enim post Cœnæ processum invalida sunt Cruciatæ privilegia vsque ad novam eiusdem evulgationem: esset enim ridenda abrogationum vicissitudo, vt ostendi §. 14. vt ergò hæc extant privilegia; ita & Concilij. Paullus ergo clausulam revocatoriam antiquiorem restituit: quia noluit processum esse mutatum; sed permanere cum antiquâ suâ formâ. Quod patet: quia Episcopi possunt nunc dispensare in occultâ irregularitate ex delicto (non ex homicidio voluntario; vt constat ex Trident. sesion. 24. capit. 6.) ergò illa facultas non est abrogata. Antecedens latè docetur à Patre Suarez tomo 5. disputatione 41. sectione 2. à numer. 6. Consequentia liquet: quia Episcopi eâ facultate gaudent ob solum privilegium hoc Tridentinum.

Impugn.

Suar.

§. 20. Pater Suarez ibidem & disputat. 21. de fide, sect. 4. num. 13. fatetur hanc nostram opinionem esse probabilem, si præcisse considerentur verba iuris in Cœna: & Episcopos eâ posse vti, dum non constet aliunde de facto, nempe nisi quis sciat Papam asseruisse à se revocatam Tridentini facultatem. Ait item dixisse Navarrum, dictum à Pio Quinto se Cœnæ processu abrogasse Tridentinam facultatem: item & Gregorium Decimum tertium: item & ait Penna Generalem Inquisitionem Roma-

Suar.

Penna.

S. Tho. q. 11. de fid. Romanam id sæpe declarasse: & esse duo responsa congregationis Cardinalium.

§. 21. 1. Solutio. Fateor hoc argumento probabilem reddi sententiam oppositam, vnde qui sibi persuadet Pontificem id dixisse: non potest tutò hac nostrâ opinione vti vivente eodem Pontifice. At absentes id non tenentur credere: quia Pontifex potest edicto publico aperire mentem suam, vt fecerunt Leo Decimus, Gregorius Decimus tertius, Clemens Octavus, Paullus Quintus, & Gregorius Decimus quintus, dùm explicuerunt bullis publicis se bullâ Cruciatâ non abrogare privilegia Religionum: & Gregorius Decimustertius idem dixit de absolutione ab hæresi adhuc antequam in bullâ exciperetur expressè. Addo tempore Xisti Quinti, & Clementis Octavi, non valere explicationem Pij, & Gregorij: quia Xistus, & Clemens mutaverunt clausulam in favorem Cruciatæ, & Tridentini: à quorum tempore valet eorum mens: quia Paullus Quintus, eam non revocavit; sed explicatam mentem Pontificum retinuit cum clausulâ vetustâ.

§. 22. 2. Solutio. Respondeo secundo: mihi non persuaderi Pium Quintum id dixisse vnquam ob argumentum factum §. 13: Quamvis enim Pius Quartus Concilium hoc confirmaverit, supervixit tamen vix sesquiannum, cui continuò successit Pius Quintus in diligentia, & pietate de observando, & honore habendo Concilio: nec credendus est tàm citò mutasse totius Ecclesiæ decreta, quin id nos moneret: taceant autem coniecturæ; loquatur ipse Pontifex. Cùm enim Provincialis Hispaniæ Ordinis Prædicatorum petijsset à Pio Quinto, vt sibi faceret facultatem absolvendi suos fratres, & sanctimoniales ab omnibus delictis occultis: vt conceditur Episcopis respectu laicorum, & clericorum, ne sui religiosi hâc in parte sint deterioris conditionis: annuit Pontifex, & dat eam facultatem absolvendi ab omni delicto occulto, vt in Concilio dat Episcopis: idque ait in perpetuum se velle manere. Quod breve à Patre Suarez affertur tomo quarto disputatione trigesima, sectione secundâ numero septimo, vt constet à Pio hanc facultatem non obrogatam Episcopis; sed prorogatam Provinciali Dominicano, ne eius subditi essent conditionis deterioris, quàm sæculares; sed nisi Episcopus posset absolvere sæculares à criminibus in Concilio descriptis, non essent Dominicani deterioris conditionis, vt ex se constat. Evidens ergò est Pium conservasse hanc Episcopis facultatem. Quid autem Provincialis posit in hæresim. Vide §. 44.

Suarez.

§. 23. Idem dico de Gregorio Decimotertio, cuius vidi duas bullas; alteram in gratiam Quæsitorum de absolutione ab hæresi: alteram in gratiam Societatis Iesu, de absolutione à reservatis, quibus ait nec se, nec successores per clausulam generalem Cruziatæ derogaturos his privilegijs: novit ergò Pontifex, rectè componi privilegia contra bullam antiquam, cum clausulâ antiquâ eius bullæ: opusque esse clausulam mutare ad revocanda ea privilegia: dixit enim successores suos non revocaturos nostra privilegia concessa contra Cruciatam, nisi factâ eorum mentione, quod non aliundè conijcere potuit, nisi quia ad eam revocationem opus est mutare clausulam antiquam: vnde illa non fuit Prophetia de eventu futuro voluntatum Pontificum; sed fuit explicatio clausulæ antiquæ, quæ etsi quotannis repetatur, non abrogat nova contra bullam antiquam privilegia. Hæc autem explicatio Pontificis præferenda est vni, aut alteri garrienti ea privilegia revocari. Pontifex ait ea non revocari, isti aiunt revocari, cui credendum? Quâ igitur ratione ego credam tantum Pontificem, tàm insignem sanctitate, & prudentiâ legum, privatis suis responsis contradixisse doctrinæ, quam proposuerat in bullis concessis inquisitioni, & Societati Iesu. Nec hoc moveor duntaxat: literæ processus etiam derogare videntur privilegijs Cruciatæ: illarum enim clausula, vt agit de generali Concilio, agit etiam de quibuscũque privilegijs, & indultis concessis cuivis personæ regali, aut imperiali dignitate fulgenti: quod directè de bulla Cruciata videtur esse: at non potest probabiliter asseri, quotannis expirare privilegia Cruciatorum à Iove sancto ad novam evulgationem bullæ: ergo nec abolentur Tridentina privilegia: licet antiquorum Conciliorum sint abolita Cœnæ processu, qui non abrogat ea dumtaxat, quæ certò sciuntur esse; sed si quæ sunt, eâ abrogat, vt fortè nullæ sunt literæ in favorem Imperatorum; sed, si fortè sunt revocantur.

§. 24. Quod affertur de inquisitione generali non vrget: quia opposita sententia est probabilis, & in favorem tribunalis eiusdem: prudenter ergo ibi ita agitur, dùm non constet de oppositâ voluntate Pontificis: tempore Xisti Quinti, & Clementis Octavi inquisitionem eâ ratione egisse, non mihi persuadeo ob ea, quæ dixi §. 19. de clausulâ ab his Papis mutatâ: & quidem Cardinalis Gaspar Quiroga, quãvis erat in Hispania Quæsitor Generalis, ita consulente Toletano Cõcilio, monuit Hispaniæ Episcopos ipsorum valore privilegij: etenim in Concilio Archiepiscopum Primatem agebat, non Quæsitorẽ

gene-

generalem: eaque ratione egit pro Episcopis, non pro Inquisitione: quis enim contra se intorqueat legem, quam probabiliter potest pro se accipere? si generalis Inquisitio Romana, Hispaniensis, aut Lusitana evulgaret apud se esse instrumentum Pontificium ea de re, illis esset standum absque controversia: at verò id non dicunt; sed ratiocinantur probabiliter & communibus principijs: alij verò probabiliter etiam censent oppositum.

§. 25. Henriq. Rodri. Lorca. Quod affertur de Congregatione Cardinalium, est etiam dubium: quia Pater Henriquez, Emanuel Rodriguez, & Petrus Lorca, aiunt sententiam nostram declaratam ab eâdem Congregatione: ita petente nobilissimo, Doctissimo, Sanctissimoque viro Don Christophoro Vela Archiepiscopo Burgensi (quem in Sanctorum nomenclaturam ab Ecclesia describendum spero): hoc est longè probabilius: quia allegantur personæ: illud minùs probatum. Tandem respondeo vtramque opinionem esse probabilem, & vtramque probatam illustrissimis Cardinalibus; alteram quidem nonnullis; alijs alteram: etenim *sæpe premente Deo, fert Deus alter opem.* (Ovid.) Non possum prætermittere testimonium Patris Suarez (Suar.) tomo 4. disputatione 30. sectione 2. numero 3. asserentis esse in praxi absolvi ab hæresi occulta ab Episcopo religiosos existentes in eius diœcesi. Videatur testimonium illud, quo clarè cernitur vigere apud Episcopos opinionem hanc, eiusque vsum. Hæc omnia intelligo de Cœnæ processu, & de Pio Quinto, & Gregorio Decimotertio. Quæ affert Bonacina (Bonacin.) minimè vrgent: fateor à Pontifice posse derogari facultati Tridentinæ; esto sine speciali mentione: at non eadem omnino clausulâ, quæ erat ante Concilium: vetus enim clausula processus iam est abrogata Tridenti; vnde deinceps illa non valet: at novis alijs decretis derogare potest Pontifex Tridentino Concilio: si autem extat alicuius Pontificis rescriptum, & satis de eo constet: illi erit standũ: adhuc nec affertur ab oppositæ sententiæ authoribus; nec quid de eo audivi.

SVBSECTIO II.

Quænam sit hæresis occulta, qua Episcopus solvere potest?

DIXI disputatione 83. §. 10. hæresim externam esse, quæ coniuncta est signo externo; quo prudenter censere possent audientes, hæreticum esse qui signum fecit. Hæc autem potest esse ignota cuivis mortalium; & nota soli hæretico, qui signum fecit: hac posse hæreticum solvi ab Episcopo, est certum, ex suppositione, quòd Episcopus, possit absolvere ab hæresi occulta: illa enim est omnium occultissima. Præterea potest hæresis esse nota vni, aut pluribus, de qua est maior controversia. §. 26.

Non possum hac in re morari: est enim argumentum commune omni censuræ & impedimento Pontifici reservatis. Breviter perstringam authores. Pater Thomas (Sanchez) tom. 1. de matrimonio lib. 2. disputatione 87. num. 11. latè probat ex multis authoribus in hac disputatione, & similibus, *occultum accipi*, vt opponitur *publico*: & tom. 3. lib. 8. disputat. 34. num. 55. & 56. idem ex eisdem repetit de hoc privilegio Tridentino: quod iterum confirmat in decalogum lib. 2. cap. 11. num. 19. idẽ affirmans de hæresi, ac de cæteris casibus occultis: idem asserit Pater Suarez (Suar.) tom. 5. disputatione 41. sectione 2. num. 6. qui duo aiunt occultum crimen non solùm esse quod à nemine scitur, sed etiam quod aliquibus est notum: quam doctrinam in hæresi intelligendã esse, & ad illam se reijcere docet Pater Suarez disput. 21. de fide, sectione 4. nu. 4. probatq; totam explicationem P. Thomæ lib. 2. c. 11. P. Azor (Azor.) tom. 1. lib. 8. cap. 10. quæst. 9. hæresim occultam appellat, vt opponitur publicæ, idemque est de omni delicto occulto, de quo hic agit Concilium: idem censuit P. Emanuel Sa (Sa.), verbo *Episcopus*, num. 35. è contra verò reclamãt Emanuel Rodriguez (Mã. Rodi.), Gutierrez (Gutier.), & Angles (Angles.) apud P. Thom. eo c. 11. nu. 19. §. 27.

Adhuc tamen non est liquidum quo gradu censeant hæresim esse occultam aut publicam, vt ab eâ possit Episcopus absolvere. Certum est eam, quæ vni dumtaxat testi est nota, posse ab Episcopo dimitti in opinione admittente hanc in Episcopo facultatem ad occultam hæresim: Quia ij authores dicunt *occultum* accipi nõ solũ pro ignoto penitùs; sed etiã pro nõ publico: at minimꝰ gradus huius sententiæ est, si hæresis vni dũtaxat est nota: ergò: & quidẽ Conciliũ apertè loquitur de hæresi alicui manifesta: ait enim ea sess. 24. c. 6. de (Trid.) §. 28.

S.Tho. q. 11. de fid. Trid. 6. de reformatione. *Licet Episcopis in irregularitatibus omnibus, & suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, exceptâ eâ, quæ est ex homicidio voluntario, & exceptis alijs deductis ad forum contentiosum: dispensare.* Rectè Pater Suarez expendit exceptionem de foro contentioso adiectam esse, non otiosè: at si non posset dimitti ab Episcopo delictum vni dumtaxat notum: quid opus esset agere de foro contentioso? Vt ergo exceptione ex homicidio voluntario, firmatur potestas dispensandi in irregularitate contracta ex quovis alio delicto occulto: ita exceptione fori contentiosi firmatur potestas absolvendi ab hæresi alicui nota non deducta ad forum. Adde idem Concilium capite octavo explicuisse delictum publicum ijs verbis: *Apostolus monet publicè peccantes palàm esse corripiendos. Quando igitur ab aliquo publicè, & in multorum conspectu crimen commissum fuerit, &c.* Delictum ergò, quod non fuerit commissum in multorum conspectu, non est publicum; sed occultum. Quod autem committitur coram vno dumtaxat non est in multorum conspectu: non est ergo publicum; sed occultum: poteritque ab Episcopo dimitti.

§. 29. *Conclusio. Azor.* Vltra hunc eventum nihil assero certi: variant enim authores: Pater Azor asserit hæresim occultam esse, quæ testibus probari non potest: vnde colligo ex hoc authore non esse hæresim occultam, quæ committitur coram duobus testibus: quia testibus probari potest. Quæ quidem sententia mihi placet. Non enim protrahenda est hæc facultas; sed, quod fieri potest, contrahenda. Argumento autem facto §. superiori capit. 8. Concilij. Respondeo vocem *publicam* in diversis materijs significare plus, aut minus, vt aliquis publici arguatur peccati, & eius vindicta sit ad Episcopum remittenda, opus est, vt peccatum fiat coram multitudine: quiâ coram illâ est imponenda pœnitentia: at vero ad crimen tam flagitiosum reservandum Pontifici, non est opus tam publicâ infamiâ: quia reservatio non est pœna publica; sed occulta (si quid habet pœnæ) & limitatio iurisdictionis.

§. 30. *Sanch.* Pater Thomas lib. 2. capite 11. numer. 19. asserit: crimen esse occultum, dùm non est notum maiori vicinorum numero, aut maiori parti Collegij, aut monasterij: dummodò decem personæ sint in eâ vicinitate, Collegio, aut monasterio; itaque opus est ad publicum delictum, vt sit notum sex personis: quia numerus senarius est maior pars deceni personarum numeri: consentit Pater Suarez tomo quarto, disputatione trigesima, sectione secunda, numero *Suar.* secundo, explicans enim hanc facultatem Tridenti datam Episcopo: ait crimen esse occultum, quandiu peccator non laborat publicâ infamiâ, quamvis crimen pluribus sit notum; quod ex Navarro confirmat. Si autem crimen est evulgatum, ait esse publicum. Quod difficultate non caret, quia si ei interfuit vnus dumtaxat testis, & hic crimen evulgat, non est fama sufficiens: debet ergo fama esse cum satis firmo fundamento. Ibi authores in hæresi hæc non dicunt, nec expediunt: quia expectare, vt hæresis sit nota sex personis, nec quinque, nec quatuor, nec tribus, est ingenti incommodo in fidem.

Crimen potest esse publicum in vno oppido, & occultum in alio: est quæstio vtrùm in oppido criminis ignaro posit hæreticus absolvi? De criminibus occultis in commune affirmat Pater Thomas eo capite 11. numero 20. cum Pat. Avila de censuris parte 2. capite 7. & alijs. Quod docet, quando creditur certò criminis rumores illuc non spargendos: primùm, quia rectè dicit Durandus excommunicatum publicum in vno loco, non esse publicum in alio, nec vitandum: ergò nec hæreticus hîc publicus, est publicus in alio loco: Secundò, quia qui manifestat crimen publicum in vno oppido, non tenetur honorem restituere: si illuc sit sparsus, aut spargendus rumor: secùs vbi non est opinio illum numquam perventurum: ergo idem est de absolutione. §. 31. *Suar. Avila.*

Assentior Patri Suarez adducto §. trigesimo asserenti crimen esse absolutè publicum, nec esse in Episcopi iurisdictione virtute huius facultatis. Quia Concilium agit de crimine non publico, sive occulto; sed crimen illud non est occultum, aut non publicum: ergo. Minor probatur: quia occultum, & non publicum sunt termini negativi, & vniversales, quorum veritas exigit, vt nullibi crimen sit notum; vt cum dicitur *Petrus non currit*; eius veritas petit, vt Petrus currat nullibi. Ad hominem confirmatur: quia ipse Pater Thomas numero vigesimo septimo censet crimen in vno oppido deductum ad forum contentiosum, non cadere in Episcopi facultatem, licet in alio oppido non sit deductum ad idem forum: quia iam est absolutè deductum; sed quod est alicubi publicum, est iam absolutè publicum: ergo non cadit in Episcopi facultatem. §. 32.

Ad primum prætermisso antecedenti, nego consequentiam: quia hominem vitare non possumus absque infamiâ eius publicâ: quâ illum afficere non possumus, nisi illuc volet rumor: si verò possumus eũ vitare §. 33.

absque

absque infamiæ labe, tenemur: quia nobis est interdicta cum eo communicatio: cui præcepto parere tenemur, nisi infamia nobis obsit: at vero absolutionem negare potest Episcopus absque infamia publicâ, eamque tenetur negare. Ad secundum respondetur similiter prætermisso antecedente, negata consequentiâ propter eandem rationem.

§.34. De hæresi deducta ad forum contentiosum, dicendum breviter ex adductis authoribus, sufficere eam alicubi esse delatam ad id forum: item licet delata testibus falsis. Pone enim Kemnitium esse hæreticum externum, & accusari de hæresi à falsis testibus, iurantibus eum esse hæreticum; id tamen opinantibus esse falsum. Nõ potest Episcopus hoc privilegio illum absolvere, quia Conciliũ lite pendẽte nihil voluit innovandum. Absolutus tamen hæreticus à crimine, vel instantia in tribunali, potest deinceps ab Episcopo absolvi: quia eius hæresis manet occulta. Si autem hæreticus sit damnatus aliqua pœnâ, eum posse iam ab Episcopo absolvi, docet Pater Thomas capite 11. numer. 21. Quod in Hispania locum non videtur habere: quia Quæsitores nullum puniunt, quin obiuret hæresi de vehementi, aut de levi: post obiurationem illum vel reconciliant Ecclesiæ, vel solvunt censuris occultè: quòd si hoc non faciunt, dicit Pater Thomas idem, quod de cæteris; quia crimen manet occultum: hoc enim dicit de omni crimine reservato deducto in forum externum. Alia apud ipsum lege, præsertim quod dicit opus esse, vt accusatio sit intimata hæretico, & non sufficere ad reservandam hæresim Kemnitij esse delatam hæresim Melancthonis socij Kemnitij in crimine: quia delatio socij non præiudicat socio criminis. Hæc in suis authoribus satis sit indicare, quæ definire non est huius instituti.

Sanchez.

SVBSECTIO III.

Quis sit Episcopus, qui possit hâc solvere censurâ?

§.35. EPISCOPVS necessariò est futurus alicuius diœcesis: si enim sit titularis, quem nostri appellant *Episcopum annuli*, nullum potest absolvere: quia Concilium dicit, *in sua diœcesi*. Quòd si hæreticus ex diœcesi illa titulari, se Episcopo sisteret, est eadem ratio, ac de cæteris Episcopis diœcesanis: quia terminus ille, cuius titulus datus est Episcopo annuli; est verè eius diœcesis: quia verò illa vrbs est apud hostes fidei, non potest illam administrare: eâdem ratione non potest quilibet Episcopus diœcesanus quemlibet absolvere; sed subditos suos in sua diœcesi. Sufficit autem Episcopum esse electum, & confirmatum, licet non sit consecratus: potest enim tunc possessionem Episcopatus inire: ad committendam autem iurisdictionem hanc non eget ordine sacro, vt nunc Serenissimus Infans Ferdinandus est Archiepiscopus Toletanus absque ordine sacro: dùm ergo quis inita possessione gaudet Episcopali iurisdictione, est absolutè Episcopus quo adhoc munus.

Est difficultas, vtrùm Episcopus ipse sit soluturus hæreticum censurâ? an possit eum solvendum reijcere ad vicarium? & quidem hoc faciendum per se ipsum, & non per vicarium, in solvendo hæretico dixit Concilium. *Idem & in hæresis crimine in eodem foro conscientiæ eis tantùm, non eorum vicarijs sit permissum*. Qua verò ratione id fit accipiendum non omnibus convenit. Pater Suarez tom. 4. disputatione 30. sectione 2. num. 9. & 15. censet solum Episcopum posse solvere hæreticos hac censura. Quia Concilium cæteros casus Episcopo remisit dimittendos per se, vel per vicarium ab ipso ad id specialiter deputatum: at hoc non permisit in hæresi; quia vicario noluit licere hanc absolutionem: ergo. Minor probatur tum ex Concilij verbis: tùm quia absolutio ab alio crimine permittitur vicario ad id specialiter deputato: hoc autem interdicitur in hæresi: ergo. §.36. Tridi Suar.

Oppositam sententiam verum censeo cum Navarro, Patre Emanuele Sà: Patre Hẽriquez, Patre Azore, Emanuele Rodriguez, & alijs: quos refert, & sequitur Pater Thomas capit. 11. numer. 23. tum propter eius fundamenta, quæ sunt firma: tùm quia illa facultas esset ferè invtilis, nulliusque momenti. Persona enim Episcopi à paucis potest adiri. Pone Archiepiscopum Toletanum adeundum fore ab omnibus subiectis vbivis in ea diœcesi peccantibus: est hoc moraliter impossibile. Dico igitur posse Episcopum specialiter designare vicarium ad omnes casus in eo decreto contentos (*præter hæresim*) qui vicarius vel in vno crimine cum vna persona, vel in omnibus cum omnibus possit dispensare: ita vt sine novo recursu possit eâ vti facultate: vt provisor solet cæteris in rebus fungi vicibus Episcopi: est autẽ ei dãda §.37. Navar. Sa. Henriq. Azor. Mã. Rodr. Sanch.

 facultas

S.Tho. q. 11. de fid. facultas in speciali ad hos casus: quia delegatio communis ad hoc non est satis: at verò ad hæresim non potest Episcopus ita designare vicarium; qui possit absolvere, nec facultatem ad id dare; sed opus est, vt de hæresi occultâ Episcopus moneatur; qui potest per ministrum absolvere: itaque non potest facultatem committere ministro, nisi monitus de eâ hæresi. Hoc autem non est specialiter deputare; nec est licere vicario absolvere: id enim vicario licet, quando absque novo recursu, & sine Episcopi admonitione, potest absolvere. At quoties opus est Episcopum monere, iam non est licere vicario. Quo responsum est ad argumentum Patris Suarez.

§.38. De ipso Episcopo absolvendo, si teneatur hæresi occultâ, est quæstio: cui breviter respondeo: potuisse Episcopo fieri facultatem, vt absolverit ipsi subiectos: ipsum autem reservari absolvendum à Papa, vt in nostra Societate; Rector Collegij potest subiectos sibi absolvere: eius tamen absolutio à reservatis pertinet ad Provincialem; in quā sententiam non leviter inclinatur Pater Suarez tomo 4. disputatione 30. numer. 15. si præcisè considerentur verba Concilij. *Suar.*

§.39. *Concl.* Dico tamen, Episcopum habere facultatem eligendi confessariū; à quo potest eo crimine solvi. Quod docet Pater Suarez nunc adductus: quia ita id explicuit Congregatio Cardinalium. Consentit Pater Thomas cap. 11. num. 11. Ratio est: quia Concilium totum negotium de criminibus occultis commisit Episcopo; & vt eius prudentiæ permisit aliorum absolutionem; sic & suam, nec futurus ipse erat conditionis deterioris: ipsi enim tàm incommoda est facultatis à Pontifice petendæ via, quàm multis subditis: ergò dum non excipitur expresè, intelligitur ibi concessa facultas: quia crimen illud non est absolutè reservatum Papæ; sed ipsi Episcopo, vt multa alia. *Suar. Sanchez.*

§.40. *Dub.* Dubitari potest, an Capitulum sede vacante possit absolvere ab hæresi occulta? Qui dicunt nomine Episcopi intelligi etiam Capitulum sedevacante; dicent Capitulum tunc posse in hæresim idem, quod Episcopus. Vndè vel neuter, vel vtrique gaudent eâ facultate. At nomine Episcopi comprehendi Capitulum sedevacante docent Pater Suarez tom. 4. disputatione 30. sectione 2. num. 4. & Pater Thomas cap. 11. num. 4. cum alijs multis. Video Patrem Suarez continere non intelligi Capitulum, quando Episcopus nō potest rem committere vicario: quia Capitulū per se non potest quem absolvere. At iam ostendi §. 37. posse absolutionem hanc committi vicario. Deinde Decanus Capituli potest rem toti Capitulo proponere: si autē maior pars in absolutionem cōsentiat, Decanus ipse potest absolvere nomine Capituli. Vt Quæsitor antiquior facit, cū maior pars Quæsitorum consentit. Vt rectè docet Pater Thomas. Hoc autem non est rem committi vicario: quia totum Capitulum facit, quod totius nomine facit eius pars: vt in physicis totus homo facit, quod efficit vna pars: vt ibidem ostendi: itaq; vicarius nec est Episcopus, nec Capitulum, nec Capituli pars; sed est à Capitulo adæquatè distinctus: Decanus verò est inadæquatè distinctus. *Suar. Sanch.*

§.41. De Prælatis inferioribus maior est difficultas. Exempli gratia, Abbates gaudentes iurisdictione quasi Episcopali in proprio territorio; quod est eius quasi diœcesis. Non ago de Abbatibus Religiosorum Monachalium; nec Canonicorum Regularium comparatione eorumdem; sed de Abbatibus sæcularium, ob quos Abbates sæculares sunt extra Episcoporum curam. Exempli gratia. Abbas Covarrubiensis: qui præest Capitulo Canonicorum sæcularium: & toti oppido exempto ab Archiepiscopo Burgensi: item & Lermensis Abbas. Pater Thomas c. 11. nu. 5. censet eos Abbates comprehendi nomine Episcopi cū Petro Ledesma, Emanuel Rodriguez, Sayro, P. Avila, & alijs. Magis assentior Patri Suarez id neganti tom. 4. disput. 30. sect. 2. num. 6. vbi refert explicationem Cardinalium, asserentium hanc absolutionem non licere Abbatibus. Et quidem cùm hæc facultas derogat iuri communi, literarū processus est accipiēdus in significatione propriā, maximè cū Cōcilium dicat eos absolvi oportere in sua diœcesi: at Abbates non habent diœcesim: ergò de illis non agit Concilium: subditi autem horum Abbatum subijci possunt Episcopo, in cuius diœcesi est territorium Abbatiale. Nec est contemnenda Emanuelis Rodriguez ratio tom. 1. Reg. quæst. 20. art. 10. Episcopos esse Quæsitores contra hæreticos: secùs Abbates. Vndè si quis Episcopus habeat Abbatiam in aliûs Episcopi diœcesi, non potest subditos Abbatiæ absolvere: quia eorum cōparatione est materialiter Episcopus, & per accidens. *Sanchez. Ledes. Rodri. Sayr. Avila.*

§.42. Prælatos Religiosos hoc privilegio gaudere sensit Panormitanus cum Federico, & Benedicto apud Emanuelē eo to. 1. q. 20. ar. 10. A quibus ipse meritò discedit, cui consentit P. Suar. tom. 4. disp. 30. sect. 2. num. 7. Pater Thom. cap. 11. num. 7. quia hi nec sunt Episcopi, nec quasi Episcopi; quia nec diœcesim habent, nec territorium: item ita censuisse Dominicanam familiam constat Pij Quinti brevi: vbi refert à Provinciali Hispaniæ petitam facultatem in fratres, & sanctimoniales Dominicanos, vt eam habent Episcopi in sæculares à Concilio Tridentino *Panor. Federic. Benedict. Suar. Sanch.*

dentino sessione 24. cap. 6. ne sui deterioris essent conditionis, quàm sæculares, qui à suo Episcopo possunt absolvi. Pontifex autem eam facultatem concessit, non explicuit eâ comprehendi religiosorum Prælatos; sed illi Provinciali eam concessit: ergò tam Provincialis, quàm Pius censuerant Prælatos eâ facultate non pollere: alioquin religiosi non essent deterioris conditionis.

§.43. Dubium. Pij 5. Est autem dubium, vtrum Prælati eiusmodi possint ob breve Pij Quinti absolvere subiectos ab hæresi occultâ? Oritur dubitatio ex eo brevi adducto verbum pro verbo à Patre Suarez ea disputatione 30. sectione 7. numer. 7. ijs verbis: *Et insuper, quia sacrum Æcumenicum Concilium Generale Tridentinum concessit Episcopis, vt absolvere possint in foro animæ, seu conscientiæ ab omnibus peccatis, & dispensare in irregularitatibus, pro vt sessione 24. cap. 6. habetur, ne Prior Provincialis, & superiores Prælati dicti Ordinis tam in dictâ Provinciâ, quàm extra eam vbilibet, in hac parte deterioris conditionis, quàm clerici, aut sæculares existant; eisdem Priori Provinciali, & superioribus Prælatis, vt ipsi per seipsos idem omninò possint in fratres, & moniales dicti Ordinis, &c.* E quibus rectè deduci videtur hæresim occultam ibi comprehensam: tùm quia Provincialis eam quoque comprehendit: alioquin manerent deterioris conditionis, quàm sæculares: tùm quia Pontifex mentione factâ eius capitis sexti, omnia ibidem contenta concessit, æqualemque fecit Provincialem Episcopo comparatione suorum: alioquin adhuc manerent conditionis deterioris. Quapropter Pater Suarez eo num. 7. ait ex vi huius brevis, si satis de eo constet, posse tàm Prælatos Dominicanos, quàm alios, qui cum eis communicant in privilegijs: vti facultate Tridentinâ, non aliter, ac Episcopos. *Suar.*

§.44. Sanchez. Pater Thomas cap. 11. numer. 7. idem censet de omni crimine occulto præter hæresim; quia, nisi hæc exprimatur, non intelligitur comprehensa privilegio generali concedente etiam crimina Bullæ in Cœna, vt patet in Cruciata & alijs Iubileis. Cui responderi potest primùm ante declarationem Gregorij Decimitertij probabile fuisse hæresim comprehensam fuisse Cruciata, vt constabit §. 89. Secundò aliud est excipere hæresim à concessione generali, aliud concedere Provinciali ius Episcopale, vt conceditur in eo capite sexto Tridentini: hæc non est exceptio huius, aut illius casus; sed prorogatio iuris Episcopalis in omnibus ibidem contentis: & quidem nisi hæresis concederetur, adhuc manerent Dominicani conditionis deterioris, & maximè autem moniales, quæ non labuntur in Irregularitates, quibus nisi in hæresi vix datur privilegium. Tertiò tandem, hoc casus iam non esse Bullæ Cœnæ, quæ hac in parte est abrogata: nec hæc hæresis est Papæ reservata: regula autem Patris Thomæ valet in casibus Pontificijs, non tamen in alijs. Quapropter Emanuel Rodriguez tom. 1. quæst. 20. artic. 10. fine ait, Prælatos Religiosorum non posse ab hæresi absolvere ex vi decreti Tridentini: non autem agit de alijs privilegijs, hæc vtramque partem vrgere videntur. At certè vsu, & consuetudine certum est nihil Provincialem posse in hæresim, vt dico §. sequenti. *Mã. Rod.*

§.45. Dub. 1. Ledes. Duo supersunt dubiola: alterum cur Provincialis dixerit, suos fore deterioris conditionis? Petrus Ledesma censet: quia non possent ab Episcopo absolvi, quod iam impugnavi. Dico: eos futuros cõditionis deterioris: quia non possent proprium, & immediatum adire pastorem. *Respond.* Secundum dubium, quid significent ea verba, *& alijs superioribus Prælatis?* *Dub. 2.* Respondeo: significare Generalem Priorem: & si qui sunt alij superiores Provinciali. *Resp.* Nec enim ea facultas datur cuivis conventuali Priori; sed Provinciali: quia, vt hæc facultas non datur Parocho; sed Episcopo; ita nec Priori conventuali respondenti Parochis; sed Provinciali similiori Episcopis: at certus debet esse Prælatus hanc facultatem esse sibi concessam, nec deinceps revocatam. Absolutè probo hanc Patris Thomæ sententiam: quia existimo in eâ familiâ id privilegium non esse in vsu; quòd spectat ad absolutionem ab hæresi. Quod confirmo ex Patre Suarez tom. 4. disputatione 30. sectione 2. numer. 7. asserente esse in praxi religiosos absolvi ab hæresi occultâ ab Episcopo: rationemque colligo ex ipso ibidem: quia à suis Prælatis non possunt absolvi. *Suar.* Nec sententiam oppositam censeo probabilem, nec in conscientiâ tutam. Quia cum Societas eo privilegio esset à Romanâ sede donata: illi tandē cessum est à Præposito Generali Claudio Aquaviva pro Hispaniensibus Provincijs, ita flagitante Inquisitione, quod eã non petijsset, si Dominicani eo privilegio gauderent; quod non vsu, alijsque de caussis est abrogatum, vel numquam concessum: vt autem clariùs constet hac de re, adverto Societati concessam esse facultatē, vt Socij absolvi possint etiam à relapsu in hæresim à Prælatis, quibus committeretur à Præposito Generali: vt constat ex cõpendio privilegiorũ §. 7. etiã in Hispania: at vero flagitante sic Philippo II. Præpositus Generalis, id confirmante Cle-

S.Tho. q. 11. de fid. mète Octavo, fe eo privilegio abdicavit pro regionibus, in quibus more Hispaniensi floret Inquisitio: vt constat ex congregatione 5. generali canone 21. moriente Socios privilegium perinde non valere, acsi nunquam fuisset concessum. At verò extra eas provincias eo privilegio fruitur Societas, vt constat ex compendio §. 8. ob privilegium Minorum de observantia Vltramontanorum. Immò extra Hispaniensis Inquisitionis ditionem potest Præpositus Generalis per se vel per alium absolvere quoscumque ab hæresi in foro conscientiæ, non verò in Hispania, vt constat ex compendio §. 3. referente concessiones Iulij Tertij, & Gregorij XIII. in Hispania ergò nulla religio eo privilegio gaudet.

§.46. Rogas, an religiosorum Prælati possint absolvere ab hæresi per concessionem omnium casuum Episcopalium? Non possunt: quia hæresis occulta non est casus Episcopalis propriè: quia casus Episcopalis ita sunt Episcoporum, vt eos possint delegare vicario absque novo recursu ad se: at non ita possunt hæresim.

§.47. Archiepiscopus, dùm visitat diœcesim suffraganeam, potest subditos eius diœcesis absolvere: ex P. Suarez, & P. Thoma cap. 11 num. 6. item & Episcopos suffraganeos extra tempus visitationis posse absolvi ab Archiepiscopo, vt à proprio Pastore, vt probabilissimum docet lib. 4. cap. 38. num. 16. quia lib. 2. cap. 11. num. 6. agens de absolutione ab hæresi se allegat in lib. 4. cap. 38. nu. 15. & 16.

Suar. Sanchez.

SVBSECTIO IIII.

Cætera de potestate Episcoporum expediuntur.

§.48. VAGABVNDOS potest vt subditos absolvere Episcopus, dũ sunt in eius diœcesi, quia nullum habẽt domicilium. Sic Pater Suarez tom. 4. disput. 30. sect. 2. num. 3. & Pater Thomas cap. 11. num. 8. idem ex eodem dico de habente duplex domiciliũ: potest enim dùm est in vno Episcopatu absolvi ab Episco vtroque: quia verè est eius subditus, & Episcopus est in sua diœcesi. Mercatores, scholasticos, & alios id genus agentes negotia posse absolvi ab Episcopo, in cuius diœcesi sunt, rectè docet Pater Suarez tom. 4. disputat. 30. sect. 2. num. 3. & tom. 5. disputat. 41. sect. 2. num. 10. & 12. & Pater Thomas cap. 11. num. 8. tùm quia Ecclesiæ consuetudine id cernitur; cùm quia eiusmodi homines ad Sacramenta pœnitentiæ, & Eucharistiæ, subiecti sunt Episcopo diœcesis, in qua degunt: at non essent satis subiecti, nisi essent ab illo absolvendi ab hoc crimine: ergo. Si igitur vrgente præcepto confessionis annuæ propter Eucharistiam accipiendam, existeret quis in aliena diœcesi, etsi per dies paucos commoraturus, tenetur ibi satisfacere legi: ergo potest tunc tolli impedimentum. Adverte tamen, non licere absolvi ab Episcopo alieno, quando illius diœcesis petitur ab hæretico solùm absolutionis obtinendæ gratia; tunc enim est fraus. Vnde si quis in Hispania degens, Galliam petat, vt ab Episcopo absolvatur, cui Papa privilegiũ donavit absolvendi ab hæresi publica: is non potest apud Gallos absolvi: quia lex non favet dolosis, & fraudulentis: item religiosi possunt ab Episcopo absolvi, vt dixi §. 42. & docent Pater Suarez tom. 4. disputat. 30. sect. 2. num. 3. & P. Thomas cap. 11. num. 11.

Suar. Sanchez.

Dubium est, quid sentiat Concilium, cùm dicit *in sua diœcesi*. Ac primum dico cum Patre Suarez tom. 5. disputat. 41. sect. 2. num. 11. & Patre Thoma cap. 11. num. 16. non esse opus ad hanc absolutionem, vt vterque sit in eadem diœcesi: si enim hæreticus est diœcesis Moguntinæ, potest absolvi à Moguntino Episcopo, licèt non sit vterque intra eamdẽ. Censeo item cum eisdem, & alijs Episcopum absentem à diœcesi sua posse absolvere hæreticos occultos existentes in ea diœcesi: quia hæc absolutio non eget præsentia corporali; & ille subditus est sub Episcopi iurisdictione sacramentali: ad quam vbique habet ius. Item censeo cum Patre Thoma contra Patrem Suarez, non esse opus, vt subditus sit in diœcesi: quia Concilium dixit *in sua diœcesi*: at subditus non habet diœcesim suã, sed Episcopus. Itẽ quia hanc iurisdictionẽ Sacramẽti habet Episcopus in subditos vbicũq; existentes, dum ad suam diœcesim spectant: est ergo hic sensus: Episcopus potest absolvere sibi subditos in sua diœcesi; id est, in quos ratione diœcesis ius habet Sacramenti. Hi aliqui sunt diœcesani: hos versantes extra diœcesim potest absolvere: quia sunt in sua diœcesi moraliter, licèt non physicè: quia in ea diœcesi habent domicilium: alij sunt peregrini: hos non potest absolvere, nisi, dùm in sua diœcesi degunt: quia ad illam non spectant, nisi præcise ob existentiam physicam localem: qua sublata non habet Episcopus ius in eos: nec modo vllo sunt in eius diœcesi. Itaque in diœcesi Episcopi absolventis debent omnes esse physicè, aut moraliter: alio autem titulo non §.49.

potest

potest quem absolvere, etiam si sit subditus; Si enim habent dominium temporale in oppido aliûs diœcesis, non potest propterea eũ absolvere: quia non est in eius diœcesi: nec subditos alicuius Abbatiæ, si eam possidet existentem in territorio alterius diœcesis, vt dixi §.41. id ergo significat *in sua diœcesi*, vt ad eum spectent ratione diœcesis, in qua sunt physicè, aut moraliter.

§.50. Dixit item Concilium hanc absolutionẽ valere in foro conscientiæ tantùm: quod per inde est, ac hæreticum iam coram Deo non manere excommunicatum; nec peccare in Sacramentorum vsu, & assistentia sacrorum: & si pœnitentiâ se purgavit, eum pro tunc immunem a æterno cruciatu, & irâ Dei: ipsumque se gerere posse in foro conscientiæ suæ, ac si hæreticus non fuisset, quod attinet ad effectus excommunicationis. Dixi *per se*: quia per accidens ratione scandali tenetur ad abstinendum à sacris coram conscio suæ hæresis, donec eum doceat se iam esse absolutũ. At vero hæc absolutio eum non reddit immunem foro contentioso; ad quod si deferatur, agetur cum eo non aliter, ac si absolutus non fuisset. Nisi forte ob maturam pœnitentiam mitiùs cum illo agâtur: vt agitur cum quolibet de cuius dolore maturo constiterit: quia minùs pervicax fuit eius pertinacia.

SECTIO III.

Vtrùm Quæsitores posint absolvere hæreticum in foro conscientiæ?

§.51. NON est dubium hæreticum deductum ad forum contentiosum posse à Quæsitoribus solvi censurâ in foro externo; qua solutus hæreticus potest à crimine absolvi à quovis in illa diœcesi ordinario confessario: est autem difficultas de hæretico externo occulto, qui hæresim revelat confessario, vt facultatem impetret à Quæsitoribus ad eum absolvendum directè crimine, & censurâ in foro conscientiæ: vel qui à tribunali petit per se, vel per alium facultatem eamdem. Rogo vtrùm Quæsitores posint hunc in foro conscientiæ solvere directè; aut eam facultatem alicui dare? in qua quæstione duas adversas video opiniones, gravium Doctorum vtramque.

(·.·)

SVBSECTIO I.

Pars affirmans.

EXISTIMO Inquisitioni Hispaniensi, esse facultatem ad absolvendũ hæreticum in foro conscientiæ, & eam absolutionem remittendam confessario approbato, si enim hæreticus nolit comparere extra sacramentaliter, nec suam hæresim coram Quæsitore, & Secretario aperire, hic potest à Quæsitoribus in foro conscientiæ per ipsos, vel per alios absolvi. Si huic tribunali est ab aliquo Pontifice expressè data hæc facultas, res erit sine cõtroversia; quòd si ea data esset, non censerent authores graves id tribunal hoc privilegio carere. Hanc conclusionem docent Bañez quæst. 11. art. 4. dub. 2. versu *præterea advertendum*. Pater Henriquez lib. 6. de pœnit. cap. 7. num. 3. P. Azor tom. 1. lib. 8. cap. 19. quæst. 5. & alij apud Patrem Thomam Sanchez lib. 2. cap. 12. num. 1. quam num. 3. censet esse probabilem compulsus sola authoritate multorum. §.52. *Bañez. Henriq. Azor. Sanch.*

Probari potest conclusio ex Clemente Septimo, qui eam facultatem donavit Quæsitoribus, eorumque commissarijs: quam Bullam refert Peña inter Bullas Apostolicas in fine directorij. Hoc tamen argumentum nihil probat: tum quia illa Bulla fuit ad tempus pro Italiæ Quæsitoribus, & non pro Hispaniæ: tùm quia inde sequeretur commissarios Quæsitorum in Hispania eâdem facultate donari, quod est improbabile: quæ rectè Pater Thomas observat num. 3. & illo prior Pater Suarez tom. 5. disp. 43. sect. 1. nu. 5. §.53. *1. Prob. Sanchez. Suar.*

Huius igitur doctrinæ probatio petenda est ex ipsorum Quæsitorum vsu: à quibus interdum petitur facultas, & conceditur ad absolvendum hæreticum occultum per confessarium aditum ab ipso pœnitente. Itẽ mihi constat ex Illustrissimi Principis Dñ Andreæ Pacheco Episcopi Conchensis, & Quæsitoris Generalis scripto (quod ego vidi) hæreticum quemdam occultum remissum esse cuidam Senatori supremi Quæsitorum Concilij, vt eum occultè crimen fassum, occultè in foro conscientiæ absolveret à censura. At verosimile non est tam pium, doctum, nobilemque virum falcem in messem missurum alienam, & velle invalidâ absolutione vti. Video posse dici Pachecum vsum opinione probabili adducta §.52. ob quod ille vsus non facit rem certam: & quidem potest tribunal vti ea opinione probabili, licet careat expressâ privilegij concessione. §.54.

Hinc oritur difficultas, vtrùm quilibet Quæsitor habeat potestatem absolvendi ab hæresi §.55.

S.Tho. q. 11. de fid. *Sanchez.* hæresi in foro conscientiæ? An verò solum tribunal? Pater Thomas cap. 12. num. 4. existimat cuilibet esse eam facultatem: quia Bulla Clemētis Septimi eam facultatem dat etiā Commissarijs Quæsitorum; qui tamen nō habent tribunal. Secundò; quia hæc est natura fori conscientiæ, vt res transigatur sine testibus. Verùm hęc duo fundamenta sunt inefficacia. Ad primum respondeo, inde sequi posse Commissarios inconsultis Quæsitoribus absolvere in Hispaniâ ab occultâ hæresi; quod plane improbabile est, & contra eorū vsum: idem censet hanc facultatem Episcopis negatam: qui credam eam datam Commissarijs? Quorum complures homines sunt illiterati, & pęne agrestes: quia sunt in oppidis exiguis educati impolite? & vt abrogata est per te facultas Tridentina Episcopis: quid ni & hæc Bulla Clementis? Deniq; illa Bulla est pro solâ Italiâ, & ad tempus, vt dixi §. 53. si autem omnia privilegia etiam si sunt ad tempus, sunt perpetuò data Quęsitoribus hęc ratio nihil valet nec hic, nec superius. Ad secundum respondeo, illud non tenere consequentiam cum eiusdem doctrinâ cap. 11. nu. 4. Capitulum sedevacante habere facultatem absolvendi, quam exercere potest per Decanum: vt contingit in Inquisitione; sed in Capitulo res transigitur tacita persona hæretica, cognita hęresi, quin persona cognoscatur: & sine testibus; cur idem non erit in tribunali? in quo persona est absolutè incognita, vt in Capitulo.

1. Arg.

2. Arg.

§.56. Vnde existimo Quæsitori Generali hanc facultatem concessam vtendam in tribunali, & extra illud: tùm quia id confirmat, quod §. 54. dixi: tùm quia Quæsitor Generalis non præest illi Senatui more cæterorum Præsidum: qui necessariò sequuntur maiorem suffragiorum numerum; sed ipse suo arbitratu omnia administrat. Potest ergo se solo, quidquid cum toto tribunali: at totum tribunal potest hæreticum absolvere in foro consciētiæ: ergo.

§.57. *Conclusio.* Deinde existimo eumdem Quæsitorem posse committere hanc facultatem cuivis Quæsitori vtendam extra tribunal, & sine recursu ad ipsum: quia ostendam §. sequenti quemlibet Quæsitorem posse vti eâ facultate gerentem vicem tribunalis; sed quidquid tribunal potest, potest & Quæsitor Generalis: quia pęnes ipsum est tota iurisdictio: à quo derivatur in cæteros Quæsitores, ergò: an verò possit hanc facultatē concedere cuivis Ecclesiasticæ personæ vtendam absque recursu ad ipsum, vt eam potest committere Quæsitori: non vidi privilegia ipsius, ex quibus in alterutram partem incliner. At mihi videtur satis probabilis pars affirmans: tùm quia ipse pro suo arbitratu eligit Quæsitores privatorum tribunalium; potest autem ad tēpus caussasque certas in locis certis dare homini privato ius Quæsitorium: qui homo nō vt privatus vicarius, sed vere, vt Quæsitor eā vtatur facultate: tum etiam, quia incolumitas fidei in Hispania huic Principi est commissa: si ergo ipse iudicaverit expedire ad fidei conservationem subdelegare hanc potestatē alijs distinctis à Quæsitoribus, poterit quidē; Quod etiam dico de supremo Senatu Quæsitorum: quia huius tribunalis providētiæ omnes fidei caussæ permittuntur: tribunalia verò privata id facere nequeunt, nisi ex speciali supremi Senatus facultate, aut Quæsitoris Generalis.

Censeo prætereà, quemlibet Quæsitorem tribunalis privati posse eâ vti facultate, dùm Provinciam visitat nomine tribunalis cū Secretario, alijsque ministris. Probatur primū ab illorum vsu. Secundò, quia tribunal in ratione tribunalis potest id facere; sed ille Quęsitor habet tunc authoritatem tribunalis: ergo. Probo minorem, quia ille non vtitur authoritate privata; sed tribunalitiâ: edicta enim promulgarē; Secretario vti, provisiones, seu mandata publica expedire; publicè nonnulla crimina punire: & alia id genus munera non pertinent ad authoritatem privatam, sed publicam iudicis: quia enim totum tribunal non potest moraliter visitare Provinciam, ideò eam visitat pars tribunalis. Tādem, quia Quæsitor Generalis in ijs casibus partitur facultatem suam cum Quæsitoribus privatis. Ad quam absolutionē non est opus, vt Quæsitor sit sacerdos: quia non absolvit, nisi à censura extra sacramentaliter: quâ dimissâ iam culpa non manet reservata; & hæreticus dirigitur à Quæsitore ad certum sacerdotem. §.58.

1. Probo

Vltimo censeo, hanc facultatem non esse Quæsitori privato; quod docet P. Henriquez lib. 6. de pœnitentia c. 7. n. 3. Vivaldus in candelabro, & alij apud P. Thom. c. 12. n. 2. Quia hæc facultas non est Quæsitoribus solo iure Quæsitorio: quia hoc ius non est, nisi ad forū contentiosum: at nullum cernitur privilegiū privatum. Quòd si habetur, non potest esse dubia ea facultas. Vndè deduces Episcopos, quâ ratione Quæsitores esse dicuntur, nō posse nisi nomine tribunalis quidquam. At si Quæsitores privati eo fruuntur privilegio: item & Episcopi, si sunt Quæsitores, gaudent privilegio eodem, nisi excipiantur. Quia si absque exceptione datur tribunali, eiusque iudicibus privatim; si Episcopus est iudex hæreticorum suæ diœcesis, illum quoque attingit privilegium, secùs si Quæsitor non est. §. 59. *Vlt. Concl. Henriq. Vivald. Sanch.*

SVBSECTIO II.

Sentenția negans.

§. 60. *Sanchez. Suar. Farin. Covar. Peña.* QVÆSITORES gaudere privilegio ad solvendum hæreticum per se, vel per alios in foro conscientiæ negant Pater Thomas Sanchez lib. 2. cap. 12. num. 3. Pater Suarez disputatione 21. de fide sect. 4. à num. 15. item num. 24. cum Farinacio de hæres. quæst. 192. num. 54. quam ipse & Pater Thomas adscribunt Covarrubiæ, Peñæ, & alijs paucis. Vnicum fundamentum est: quia Quæsitores sunt iudices in foro externo: ergo ex vi institutionis non habent hoc privilegium. Nec itē constat ex aliqua Bulla. Illa enim Clementis exponitur ab his authoribus de absolutione in foro externo occulto, sivè non Sacramentali audito crimine à persona coram Secretario: item asserunt datam ad tempus, quod iam præterijt. Tandem eam esse revocatam Cœnæ processu.

§. 61. *Corol. Suar.* Vnde deduces, non esse opus à Quæsitoribus petere facultatem ad absolutionem hæretici in foro conscientiæ. Quod corolarium admittit apertè Pater Suarez disputat. 21. sect. 4. num. 24. affirmans enim in articulo mortis recurrendum esse ad habentem iurisdictionem directam, si commodè possit: asserit in crimine hæresis non esse tunc recurrendum ad Episcopum, nec ad Quæsitores: quia nullam habent iurisdictionem in foro conscientiæ: at eadem est ratio extra illum articulum. Probatur autem apertè: quia non est petenda facultas ab eo, qui eam non habet: nemo enim dare potest, quod non habet; sed ex hâc sententiâ Quæsitores nullam habent facultatem in foro conscientiæ: ergo nō est ab eis petenda; & quidem Peña apud Patrem Thomam lib. 2. c. 12. n. 1. dubitat, vtrùm Quæsitores possint absolvere in foro conscientiæ per alium? quamvis per se possint. Quod nu. 5. ex Simanca, & Campegio confirmat.

§. 62. Ad hæc: in ea opinione nec Episcopus est adeundus eamdem ob caussam: existimant enim eius facultatem revocatam Cœnæ processu. Hinc infero in eâdē opinione hæreticū distantem à Papa, quem aut physicè, aut moraliter non potest adire, se gesturum non aliter, quàm qui carent copiâ confessoris. Probatur: præter Papā nullus habet iurisdictionem ad hanc absolutionem in foro conscientiæ; non Quæsitores, vt ipsi dicunt, nec Episcopus, vt etiam ijdem affirmant, nec alius vllus: ergò non est copia confessarij habentis iurisdictionem directam: ergò potest hæreticus se gerere, vt qui non habent copiam confessarij. Quid autem hi possint constat ex communibus principijs de pœnitentia.

Dices, hæreticum posse impetrare iurisdictionē directam fatens hæresim coram Quæsitore, & Secretario. Contra, ostendum à §. 97. ad 100. nullum per se ad id teneri, nec absolutionē directam obligare se solâ ad id efficiēdū: ergo perinde se habet, ac qui caret copiâ confessarij, vt ex Beato Thoma ostendam §. 85. Quibus in locis de hac obligatione comparendi extra Sacramentaliter agendum. Quæ ibi dicuntur sunt de comparendo coram habente iurisdictionem in foro conscientiæ simul & externo. Hic autem agitur de habente ius solum forense, quod in foro conscientiæ nihil habet. Videtur autem hic clarior ea doctrina: ob quod numquam probavi sententiam, ex quâ sequitur. §. 63. *Solutio. Impug.*

Hoc corolarium sequutum ex ea opinione, me ab eâ deterret existimantem esse grave incommodum persuadere hæreticis non valentibus Papam adire, vt se gerant, vt illi, qui carent copiâ confessarij. Quod si dixissent ij authores posse ab Episcopo absolvi hæreticos occultos; non esset hoc tantum incommodum: quia iam admitterent Pastorem, à quo posset hæreticus pasci Catholicè, & curari: at nullum omninò remedium relinquunt, nisi vt vel se exponant extra Sacramētaliter, vel adeant Pontificem, quorum vtrūque illis erit difficilius, quàm per confessarium facultatem petere. §. 64.

Obijciunt, Quæsitores esse iudices, ad quos pertinet forum exterius. Respondeo: ex solo munere eos nihil posse in foro conscientiæ; secùs ex alio capite. Quod si hoc recusant, admittant eam facultatem in Episcopo. Forte eā ob caussam Pater Suarez dixit esse in praxi hanc absolutionem ab Episcopo; & Pater Thomas eam esse in praxi securam. §. 65. *Obiect.*

SECTIO IIII.

De absolutione hæretici in foro externo nonnulla.

HÆRETICVS in foro contentioso absolvi posse à Quæsitoribus est luce clarius, illud enim tribunal institutum est: vt hæretici, aut reconcilientur Ecclesiæ, aut tradantur curiæ laicæ examinatâ eorum caussâ: item hæreticus fassus extra Sacramentaliter crimen coram Quæsitore, & Secretario potest absolvi in foro externo, §. 66.

S. Tho. q. 11. de fid. terno, & consequenter in foro conscientiæ: absolutus enim hæreticus à censura in foro externo, potest recipere Sacramentum pœnitentiæ à confessario ordinario, & alia à suis ministris. Hic autem breviter dico absolutiones has nullas esse in foro conscientiæ, nisi hæretici verè, & syncerè ad fidem revertantur. Quia id dicitur in ipsa absolutione, quæ alioquin est involuntaria simpliciter: quia ignoratur inculpatè substantia obiecti moventis ad absolutionem. Ratio enim movens Quæsitores ad absolutionem, est hæretici vera conversio: licet enim falsâ relatione impetrat absolutio valet aliquando, est cùm falsitas versatur circa aliquam circumstantiam accidentalem, ex cuius defectu non negaretur absolutio: at quando falsitas est circa substantiam obiecti moventis, nulla est absolutio.

§. 67. Tunc autem hæreticus tenetur iterum cōparere, aut absolutionem aliâ ratione quærere ab ipso tribunali, aut Pontifice: quia nihil validum actum est, & tota caussa ad initia devolvitur, quod attinet ad absolutionem in foro conscientiæ. Fateor tamen si illa fictio fuit purè mentalis, Quæsitores iterum eum absoluturos absq; novo ordine, & strepitu iudiciali: quia hic strepitus est ob hæresim externā, quam iam aut condonarunt, aut supplicio compensaverunt: pertinacia autem fuit impedimentum, ne in foro conscientiæ valeret absolutio: at non fuit novum peccatum externum, eâque ratione non punitur externè: si autem pertinaciam ostendit externè, tunc considerandum est, vtrùm sit de Episcopi facultate, aut reservata Papæ. Si pertinacia fuit externè monstrata alicui testi, non est agendum cum pertinaci mitiùs; sed acriùs: si verò aliqua crimina fuerunt tacita non ex pertinacia; sed ex pudore, aut timore, faciliùs Quæsitores dabunt facultatem confessario ab ipsis exposito: si enim in domo pœnitentiæ sit aliquis hæreticus conversus, & publico supplicio affectus, cuius confessionibus audiendis Quæsitores aliquem designant; æquitas petit, vt huic detur facultas ad eum absolvendum à crimine ita tacito, quia non serpet vt cancer: siquidem hæreticus est in custodia, & territus supplicio, quod patitur, & verè conversus: de alijs autem ignotis etiam punitis est ratio diversa: est enim opus vt detegantur, ne serpant.

§. 68. Quæsitoribus, aut Papæ, aut cuivis legitimè daturo absolutionem per se, vel per aliū, exponendæ sunt omnes hæresum species; immò & earumdem numerus, si fuerunt coram alijs: quia Quæsitores duo contendunt, & hæretico infidelitate saucio mederi; & providere, ne hæresis serpat, vt cancer: cuius multum interest geminata hæresum repetitio; quod intellige, quandò repetitio gravat notabiliter hæreticum: si enim apud se solum hæresim repetijt, id parum interest: item etsi apud eosdem: satis enim est affirmare se pluries apud eosdem hæreticè egisse. Nec enim illa confessio est sacramentalis, exigens ad vnguem peccatorum numerum; sed est forensis: quæ tantùm exigit cognitionem status hæreticorum. In Germania autem, alijsque Provincijs infectis non agitur tam minutatim, quàm in Provincijs omninò Catholicis: si aliquæ taceantur hæreses, aliæ vero dicantur, manet absolutus hæreticus à dictis, non tamen à tacitis; quod attinet ad excommunicationem, & reservationem: apud Deum autem non manet reconciliatus per gratiam. Si autem per oblivionem, aut aliam ob caussam, aliquam tacuit inculpatè, manet omnibus solutus. Recognosce Patrē Thomā lib. 2. cap. 12.

SECTIO V.

Vtrùm sit licita consuetudo negandi facultatem ad absolvendum hæreticum, nisi compareat in tribunali?

PONTIFEX, aut Quæsitores possunt negare facultatem, vt hæreticus absolvatur, nisi ipse crimen suum aperiat extrasacramentaliter coram Secretario, & Quęsitore aliquo, quæ confessio describatur in libro tribunalis. Hæc possunt fieri à Papa, præcipiente, ne hæreticus absolvatur, nisi ea confessione facta, vel possunt fieri à tribunali Quæsitorum; quia ita censent expedire ad suum munus rectè obeundum: est ergò hæc controversia, vtrùm id licitè fieri possit? an vero absque eo onere concedenda sit facultas ad eam absolutionem. §. 69.

SVBSECTIO I.

Nonnulla præmitto.

PRÆMITTO Episcopū non posse eo onere hæreticum cogere ad absolutionem: quia facultas ei in Tridentino concessa, solùm est in foro conscientiæ: §. 70.

tiæ:

tiæ: at ista descriptio pertinet ad forum externum: ergò eâ non potest Episcopus vti. Item ea absolutio ab Episcopo solùm est in ordine ad confessionem sacramentalem, nō vero ad forensem; sed eâ consuetudine læderetur lex secreti confessionis sacramentalis: quia præter superiorem, & confessarium, alij scirent hæretici crimen: ergò Episcopus non potest id efficere. Hoc accipio per se, per accidens autem ob periculum aliorum, vel ob imminens, vel actuale: poterit Episcopus hæreticum cogere ad comparendum in tribunali Quæsitorum. Debet ergò Episcopus segerere cum hæretico occulto, ac cum cæteris peccatoribus; cum discrimine tamen, vt certior reddatur de hæretici resipiscentia, sunt enim difficiliores curatu.

§. 71. 2. *Notatio* Deinde præmitto licitum esse Quæsitoribus negare eam facultatem, nisi hæreticus fateatur hæresim alicui Quæsitori, tàm secreto, vt nec Quæsitor ipse possit hæreticum agnoscere. Potest enim tribunal iudicare prudenter, hæreticū à Quæsitore meliùs imbuendum doctrinâ catholicâ, & monendum graviùs de turpitudine hæresum, cuius præceptis hæreticus meliùs resipiscet. Hæc honestissima caussa est. Hæreticus item nō potest licitè id recusare: quia si quâ ratione excusaretur, maximè ne detegatur eius crimen extrasacramentaliter; sed absque incommodo eo hæc fieri possunt: quia pono à Quæsitore hereti[c]um, nec cognoscendum, nec posse. Quod facillimè fieri potest, si ad eum accedat cratibus interiectis, aut velata facie, aut aliâ ratione. Idem potest Episcopus facere.

§. 72. 3. *Notatio* Tertiò præmitto eam facultatem posse, & debere negari, si prudenter censeatur id esse moraliter medium vnicum, vt resipiscat hæreticus: quia eius relapsus sunt frequentes, & aliàs ob caussas prudenter tunc id persuadētes, tunc autem ipse hæreticus tenetur se revelare: quia tenetur ad medium moraliter vnicum ad suam salutem. Cumque pertinacia relapsuum sit in eius vitio, sibi imputet eam infamiam, quam tenetur postponere æternæ saluti, quam nisi per infamiam non potest moraliter procurare. Nec Episcopus potest eum absolvere, nisi prius se detexerit, non quidem ob hæresis absolutionem; sed quia nec confessarius potest peccatorem vllum absolvere, nisi ipse faciat id, quod censetur esse moraliter medium vnicum ad suam salutem: dum medium illud non sit per se illicitum (vt ex terminis patet.) Quod autem communiter circumfertur ex sancto Chrysostomo: *Nemo tenetur prodere se ipsum*: accipitur, quando superest aliud medium probabile ad emergendum à peccato.

§. 73. [4.] *Notatio* Quartò præmitto posse tribunal negare hanc facultatem, nisi hæreticus sacramentaliter hæresim confiteatur alicui Quæsitori, aut ministro designato à tribunali. Quod in communi de omni casu reservato docuit P. Suarez tom. 4. disp. 30. sect. 4. num. 4. Probatur: quia hæc facultas est permissa Quæsitoribus ad providendum saluti hæreticorum, & Regni: at hæc aliquando exigit, vt hæreticus se exponat sacramentaliter Quæsitori, aut certo ministro: tùm quia nimia facilitas multoties esset pernitiosa, tùm quia tribunal est certum non posse hæreticum ab alijs tàm aptè curari: horret enim hæreticus Quæsitorios ministros, quos si compellitur adire, acriùs frœnatur: immò sæpe non licebit tribunali hanc facultatem dare: nisi alicui Quæsitori, aut viro ab ipsis probatæ virtutis, prudentiæ, atque doctrinæ. Hæretici enim non sunt reijciendi nisi ad viros doctos, atque prudentes, & minimè suspectos. Idem dico de Episcopis, cum ab eis petitur facultas ad absolvendum hæreticum occultum: & de prælatis cùm petitur ad absolutionem à casibus ipsis reservatis. Tenentur enim examinare qualis sit sacerdos, cui delegant facultatem. Quæsitores reijciunt hæreticum ad ministrum probatum: ipsi autem abstinent perpetuò ab audiendâ hæreticorum confessione sacramentali, & meritò: quia timeri potest ab hæretico eam sacrilegè faciendam tacitis multis circunstantijs spectantibus ad eius integritatem, tùm quia si quando crimen deducitur ad forum contentiosum, ne prætexat hæreticus crimen à Quæsitore revelatum, reumque tractari ex cognitione acquisitâ in sacramento. Propter hæc prudēter faciunt Quæsitores in abstinendo ab his confessionibus audiendis. *Suarez.*

SUBSECTIO II.

Licita est ea consuetudo.

DICO: licitam esse eam consuetudinem, licitè ergò potest tribunal negare facultatem, vt hæreticus in foro conscientiæ absolvatur ab hæresi, nisi ipse extrasacramentaliter fateatur crimen suum coram Quæsitoribus, & secretario, vt describatur in libro. Huius rei primum argumentum sit opinio adducta §. 60. negans Quæsitoribus hanc facultatem, quam si concedere non possunt, rectè negant. Quod argumentum vnicum est, & evidens in eâ opinione P. Suarez & Thomæ. Quia vero ego ab illâ dissentio aliud est quoerendum. Secūdum argumentum, sit eos non posse eam facul- §. 74. *Conclusio.*

S. Tho. q. 11. de fid. Prob. Sanchez. cultatem delegare, est magis probabile: vt constat ex Simanca, & Campegio adductis à Patre Thoma Sanchez lib. 2. cap. 12. num. 5. igitur eam rectè negant. Efficacius argumentum est, non tamen efficax; quia eam delegare potest tribunal, vt Episcopus vsus tribunalis ipsius; cuius administri, vt providerent aliorum saluti, non erant propriam expposituri periculo: neque quid acturi inconsultis viris gravissimis; qui cognita integrè eâ consuetudine, & omnibus eius circumstantijs assererent eam esse licitam. De quorum probitate, & animo syncero tribunal administrandi ex lege Christi, non dubitabit, nisi hæreticus: qui vt Spiritui Sancto non credit; ita convitijs hoc tribunal exagitat, vt latro prætorem, à quo timet patibulum.

§. 75. Tertiò probatur: quia hæc consuetudo nihil continet intrinsecè turpe: quod evidenter ostendam, dùm ad argumenta respondebo: in hæretico enim non est peccatum, criminis confessio; sed pertinet ad insignem humilitatem, pietatem, & pœnitentiã: ad quos actus eum exhortari quis poterit, dùm nihil agatur violenter, vt non agitur in tribunali: item ex parte tribunalis suppetunt inter alias duæ rationes; altera, quòd ipsum est erectum præcipuè ad fori externi servandas leges: forum enim internũ est vtile ipsi hæretico soli: regno autem, & incremento fidei, nisi per extra sacramentalem notitiam; item & per minas, & supplicia, parum vtile est forum illud. Altera: quia hæretici sunt rebelles, & facilè timẽtur relapsuri, qui nullo vehementiori fræno tenentur, quã si crimen sit Quæsitoribus notum: rectè igitur ipsi faciunt, dum reos compellunt ad revelationem hæresum: sic enim non serpunt vt cancer; quia vruntur: huc accedit antiqua Græcorum consuetudo, qua publici pœnitentes coram Ecclesia totâ crimina fatebantur; maximè autem hæresim. Quæ erunt clariora ex argumentorum responso.

SVBSECTIO III.

Primum argumentum diluo.

§. 76. IN hanc consuetudinem vomunt totum stomachum hæretici, illorumque in moribus vicini, tribunal hoc appellantes hominum carnificinam. Nec mirum: eo enim infami nomine, & Sacramentum pœnitentiæ compellant. Primum autem argu-

1. Arg. Trid. mentum fit: quia ea consuetudo damnata videtur Tridenti, sesion. 17. cap. 5. ijs verbis. *Cæterum quoad modum confitendi secretò apud solum sacerdotem, & si Christus nõ vetuerit, quin aliquis in vindictam suorum scelerum, & sui humiliationem, cùm ob aliorum exemplum, tum ob Ecclesiæ offensæ ædificationem delicta sua publicè confiteri posset; non tamen hoc divino præcepto mãdatum, nec satis consultè humana aliqua lege præciperetur, vt delicta, præsertim secreta, publica essent confessione aperienda.*

His hæc Quæsitorum consuetudo videtur esse damnata, tùm quia Concilium agere videtur de hæresi: quia per illam offenditur Ecclesia, cuius authoritas nihili fit ab hæretico: quod rectè Pater Vazquez observat tom. 4. in 3. part. quæst. 90. art. 1. dub. 3. nu. 22. Concilium enim præstringit Græcorum vsum cogentium pœnitentem, vt peccata secreta, præsertim hæresim, publicè fateretur ad tẽplorum fores. Vocantur à Concilio delicta occulta, non quòd sint omnibus ignota; sed quod licèt aliquibus sint nota; non tamen famâ publica: nam si penitus essent occulta omnibus, non diceret Concilium *ob Ecclesiæ offensæ ædificationem.* At Quæsitores hunc morem Tridenti damnatum servare videntur: quia hæresim occultam volunt aperiendam confessione publica coram tribunali, & secretario. Ille item mos acriter reprehenditur à S. Leone in Episcopis Campanis, illum iam antiquatum instaurantibus. §. 77. Vazq. S. Leo.

Respondeo, hanc consuetudinem minimè hoc testimonio damnari: sunt enim omnia absimilia, vt ostendo. De Græcorum more non est eadem mens authoribus. Nonnulli eum negant, arbitrati illum à Sozomeno cõfictum cum multis alijs mendacijs. Alij eum fatentur: moderantur alij, quibus acquiesco, existimans illum initio fuisse laudabilem: quia publici peccatores publicam agebant pœnitentiam: vt nunc quoque Concilium Tridentinum eam vult fieri sess. 24. cap. 8. de reformatione. Vnde, exigitur in publico peccatore aliqua publica confessio, qua ea pœnitentiâ se dignum esse fateatur. Deinde ille mos paulatim videtur fuisse errore corruptus: quia censebantur ea peccata non satis exponi, si soli sacerdoti fieret confessio. Quem morem cum hoc errore invexisse videntur Episcopi Campani tempore Sancti Leonis: vt constat ex eius epistola 78. cap. 2. ijs verbis: *Cùm reatus conscientiarum sufficiat solis sacerdotibus indicari.* §. 78. Solutio. S. Leo.

§. 79. Dico ergò hanc apud Quæsitores confessionem non esse publicam more antiquo: tunc enim fiebat coram populo vniverso, recitatis de scripto peccatis: multi autem peccatis auditis offendebantur: multi insultabant pœnitenti: nunc autem fit in tribunali, stupendo secreto, illi perfamiliari. Deinde tunc Sacramentali confessioni censebatur necessaria ea confessio, vt indicant verba

verba Leonis: at hunc id minimè censetur. Item tunc inconsultè erat lata ea lex, quæ nunc minimè est. Nullâ enim lege cogitur hæreticus ad eam confessionem: etenim hæreticum non obligari per se in conscientia ad comparendum extra sacramentaliter ostendam à §. 76. maximè 86. & 87. hoc dico præcisè ratione absolutionis sacramentalis. Ratione autem periculi est alia ratio. Pactum initur inter tribunal, & hæreticum, vt se exponat, si vult ab ipso tribunali absolutionem. Si hæreticus vult se exponere extrasacramentaliter, illi non fit iniuria: si non vult, sibi provideat, quâ ratione potuerit consulto docto Theologo. Nullaque lex est in tribunali, nec censetur per se admittere novum peccatum, qui non vult extra sacramentaliter comparere. Nulla ergò lex fertur inconsultè: quia vbi lex non est, non est lex inconsulta. Itaque non dubitatur de sufficientiâ confessionis factæ sacerdoti: nec sacerdos evulgat peccata audita in confessione: nec fit in publico, nec aliqua lex fertur, quâ in conscientia quæsitores velint hæreticum per se obligare. Quibus plane satis fit Concilio: Sancto Leoni, alijsque Patribus, quos leget, qui voluerit apud Patrem Vazquez tomo 4. in 3. part. quæst. 90. art. 1. dub. 3. vtrùm autem ratione periculi sit lex, est alia ratio: de quâ infra. *Vazq.*

SVBSECTIO IIII.

Alia argumenta diluo.

§. 80. 2. *Obiect.* SECVNDVM argumentū est: quia superior graviter peccat, quandò invito pœnitente ita se gerit cum confessario petente facultatem ad absolvendum à reservatis; vt conijcere possint, quis fuerit pœnitens, ad quem absolvendum petitur facultas: ergò & quæsitores peccant hâc consuetudine. *Solutio.* Respondeo, Prælatos, Quæsitores, & Papam posse hâc in parte peccare: & posse prudenter agere: peccarent, si directè, aut indirectè conarentur scire personam pœnitentis, pro quo absolvendo petitur à confessore facultas, vt ex cæteris doctoribus Pater Suarez affirmat tomo 4. disputatione 30. sectione 5. num. 2. *Suar.* quia id vergeret in sacramentalis damna secreti; & à Sacramento subiectos arceret: constat autem Quæsitores nihil omninò agere vnde conijcere possint personam hæreticam ipsâ invitâ; sed tantum ei per confessarium persuadent, vt compareat: & dum ipse sponte non comparet, nihil de illa possunt conijcere; prudenter autem se gerunt: primùm cognoscendo criminis naturam circumstantiasque graves, dum non possunt inde in suspitionem personæ venire: secundò suadendo confessori, vt ipse procuret persuadere pœnitenti, vt compareat coram Prælato, aut tribunali: etenim sacerdos ipse id tenetur præstare, vt constat ex Concilio sess. 14. cap. 7. nec tamen propterea violat ipse secretum: ergo nec Quæsitores dum persuadent confessori, vt se gerat cum pœnitente eâ ratione, quâ præcipit Concilium. Vnde nego consequentiam: quia tribunal non vult invitum pœnitentem cognoscere ex confessore. Si quis autem id faceret, peccaret: vt peccaret, siquem occideret: id tamen non faceret ex præscripto tribunalis:

Tertium argumentum: quia hæc consuetudo est illa carnificina, quam hæretici horrent: quia ea confessio erit in caussâ, vt hæreticus exuratur. *Resp.* Id nego: quia nullus exuritur nisi ob hæresim publico testimonio probatam: & servatis legibus tribunalis, quæ moderatissimæ sunt; & quæ hæreticos (non dogmatizantes, nec hæresiarchas) moderatiùs puniunt, antequam veniatur ad ignem. Ea autem confessio tantùm abest, vt sit vstionis caussa, vt potiùs multùm leniat legum severitatem: est ergò lenimentum legum, non hominum carnificina: mitiùs enim agetur probato iam crimine cum hæretico illud fasso ante quam publicè probaretur, quàm si illud confessus non fuisset: immò qui timens crimen evulgandum se priùs deferunt spontè; vt effugiant legum vim: id multo meliùs experiuntur, qui ob solam absolutionem se exponunt tribunali: quæ confessio non solùm animo est salutaris; sed etiam corpori, honorique & fortunis tuendis apta. §. 81. 3. *Obiect.*

Quartum argumentum: quia hæc consuetudo multis est occasio ruinæ: hæreticus enim sæpè desperans absolutionem, iacet in peccato, surgere non valens absque absolutione. Quapropter Clemens Octavus cum nonnulla Religiosorum crimina suis Prælatis reservasset, eos graviter monet, vt sint faciles in eâ facultate concedendâ confessori, per quem à peccatore petitur absolutio. Immo Pater Suarez tomo 4. disputatione 30. sectione 4. num. 8. asserit Prælatos non posse licitè esse difficiles in eâ facultatis concessione. *Suar.* Quod prius docuerat Sanctus Thomas in 4. distinctione 17. quæstione 3. artic. 3. quæstiunc. 4. ad sextum. *S. Thom.* *Solut.* Respondeo: teneri Prælatos interdum ad negandam eam facultatem; quandò peccator est sæpe relapsus, & in illius vergit perniciem concessio facultatis, vel in perniciem communitatis, vt monet Pater Suarez disputatione illa §. 82. 4 *Obiect.*

30.

S.Tho. q. 11. de fid. 30. sectione 4. numer. 4. Hoc melius cernitur in hæretico relapso; cuius relapsus argumento est animi admodum pertinacis, vniversim autem hæc difficultas, & ægritudo in facultate dandâ est ipsis hæreticis salutaris: quia frequenter sunt pervicaces, & procaces, effrenes in Ecclesiam, in quam omnis hæreticus est iniuriosus. Hoc genus dæmoniorum raro eijcitur nisi fumantis iecoris odore: est ergo opus illis monstrare prunas: nec eos amburere tàm citò; sed vt flammas conspicati, timeant æternas. Vndè meritò difficilis est ea concessio. Omnia humana sunt errandi occasioni obnoxia: quia pendent ab administrorum prudentiâ, quæ non est omnibus eadem. Cum hæreticus est aut rudis, aut tàm parum doctus, vt fatuitate potius, quàm arrogantia deliquerit; facilior est aditus ad hanc facultatem impetrandam: cùm verò hæreticus calliditate potiùs quàm fatuitate peccavit, difficilior est aditus, idque meritò. Providit enim tribunal & illius, & Reipublicæ saluti. Vndè ea consuetudo & laudabilis est, & ipsi hæretico apprimè necessaria, cuius meminere Magister Bañez quæst. 11. art. 4. q. 2. versu *præterea*, & Pater Azor tom. 1. lib. 8. cap. 19. quæst. 8. asserens mitius hâc in parte agi cum hæreticis in Italia, quàm in Hispania. Bañez. Azor.

§.83. Notat. Hic adverte; aliquandò per accidens, & in aliquo eventu metaphysicè potiùs quàm moraliter possibili non posse licitè negari hanc facultatem. Exempli gratiâ, quando ex eius concessione nullum imminet Reipublicæ damnum, & est spes de futurâ meliore hæretici fruge; & tantam in eo difficultate n experiuntur Quæsitores, vt prudenter arbitrentur, illum periturum æternum, prius quã se expositurum. Tunc enim lege charitatis tenentur miserrimo illius animo opitulari concessâ facultate, vel si confessor sit indoctus, aut tam timidus, vt nesciat, vel non audeat monere pœnitentem, vt sibi provideat aliâ ratione; si (inquam) talis cernatur esse cõfessor, tenentur Quæsitores lege charitatis cõfessorem ipsum instruere, quid eum agere oporteat iuxta Theologicam doctrinã: *Vnicuiq; enim mandavit Deus de proximo suo*. Et quamvis tunc hæreticus suâ pereat pravitate, lex tamen charitatis obligat, vt tunc singuli efficiant, quæ absque gravi incommodo possunt, ne ille pereat. Quę doctrina graviter ari commune datur à P. Suarez tom. 4. disput. 30. sect. 4. num. 8. Possunt tamen tales concurrere difficultates ad concedendam eam facultatẽ, vt Quæsitores prudenter existiment minus malum esse confessorem monere quid agere debeat; quàm ab ipsis facultatem concedi: quid autem confessarius agere debeat, dicã §. 100. Item in Provincijs Catholicis difficilior meritò est hæc concessio; secùs in illis, vbi hęretici permittũtur impunes: etenim vbi morbi sunt frequentęs, non expedit medicinam esse difficilem: est hic casus tam de rarò contingenti, vt moraliter sit impossibilis, si tamen aliquando eveniat ad alterum è duobus obligat lex charitatis, vel ad dandam facultatem, vel ad instruendum confessarium. Eccles. 17. 12. Suar.

SVBSECTIO V.

Vltimum argumentum.

VLTIMO tandem arguitur contra eam Quæsitorum consuetudinem. Quia Prælati graviter peccant, quandò negant confessori facultatem ad absolvendum peccatorem, quem vehementer timent non egressurum è peccato, si cogatur ipsum adire Prælatum, vt apud eum crimen fateatur sacramentaliter, vt docet Pater Suarez ea disp. 30. sect. 4. num. 8. ergo etiã peccabunt Quæsitores negatâ facultate ad absolvendum hæreticum. Probo consequentiam: quia gravius onus est comparere in Tribunali, quàm coram Prælato in confessione sacramentali: ergo si propter difficultatẽ illã peccant Prælati, peccabunt Quæsitores propter difficultatem maiorem. Huic argumento respondebo §. 96. §.84. Suar.

Confirmatur: hæreticus non tenetur extrasacramentaliter se exponere: ergo Quæsitores non possunt eum cogere, vt se exponat. Consequentia patet: quia in his, in quibus subditi non tenentur parere, non potest lex fieri à Prælato, vt pareat. Antecedẽs probo: primùm, quia nullus tenetur ad materialem integritatem confessionis cum gravi dãno vitæ, vel honoris imminente sibi, sacerdoti, aut alicui alij; sed hæc extrasacramentalis confessio est grave damnum hæretici: ergo ad illam non tenetur ob materialem integritatem confessionis sacramentalis. Maior probatur ex Sanct. Thoma in 4. distinct. 17. quæst. 3. art. 3. quæstiuncula 4. ad 1. *Dicendum* (inquit) *quod in casibus illis, in quibus probabiliter timet pœnitens periculum sibi, vel sacerdoti ex confessione ei factâ; debet recurrere ad superiorem, vel ab eodem petere licentiam alteri confitendi. Quod si licentiam habere non possit, idem est iudicium, quod de eo, qui non habet copiam confessoris*. Hæc Sanct. Thomas. Pro qua sententia sunt Caietanus, Canus, Sotus, & Ioannes Medina, quos adducit, & se- §.85. Confirm. S. Thom. Caiet. Cano. Sotus. Medin.

Valent. *Suar.* *Alexand.* *Paludan.* *Maior.* *Altisiod.* *Adrian.* *Sot.* *Navar.* *P.Vazq.* *Bonacin.* & sequitur P. Valentia tom. 4. disp. 7. quæst. 11. p. 1. versu. *Hac autem assertio.* Pater Suarez tom. 4. d. 13. sectione 2. num. 1. idem censet cum Alexandro, Paludano, Maiore, Altisiodorense, Adriano, vtroque Soto, atque Navarro: consentit Pater Vazquez tomo 4. quæst. 91. art. 3. dub. 1. Bonacina tomo 1. disputatione 5. de pœnitentia quæst. 5. sect. 2. punct. 2. §. 4. num. 11. cum alijs multis: de quo dubitare non licet. Ratio est: quia Christus noluit hoc sacramentum instituere cum tanta difficultate, vt esset moraliter impossibile multis: cùm enim in lapsis in peccatum mortale post Baptismum, sit medium vnicum ad salutem in re, vel in voto, noluit salutem tàm difficilem reddere. Hęc pro maiori propositione.

§. 86. Probo autem minorem: nempè hanc extrasacramentalem confessionem esse grave damnum pęnitentis. *P.Thom.* S. Thomas censet revelationem confessionis à Sacerdote esse tàm grave damnum, vt eius probabilis timor pœnitentem excuset ab obligatione de materiali integritate confessionis. In 4. enim dist. 17. quæst. 3. quæstiuncula 4. argumento 5. proponens non debere pœnitentem illud peccatum confiteri, ex cuius confessione grave damnũ ipsi, aut alij immineat, hæc ait: *vel si revelator confessionis probabiliter existimaretur.* Respondet autem ad 5. *Quòd si licentiam habere non possit, idem est indicandum, quod de eo, qui non habet copiam Sacerdotis.* Atque infamia sequuta revelationem confessionis excusat ab integritate materiali confessionis. Idem censent cæteri Theologi: *Valent.* P. Valentia tomo 4. disp. 7. quæst. 11. punct. 1. versu *tertius casus*, *P.Suar.* P. Suarez tomo 4. disput. 13. sect. 2. num. 1. & 2. vbi reserationem sigilli censet grave damnum sufficiens ad dimidiandã cõfessionẽ. *Bonacina.* Cõsentit Bonacina adductus §. 85. p. vltimo, num. 3. estque sine controversia.

§. 87. Vndè arguitur: infamia à confessore revelante crimen, est grave damnũ in S. Thomæ, aliorumque sententia: ergo infamia orta ex confessione hac extrasacramentali est grave damnũ. Probo consequentiã: quia tres, aut quatuor viri graves sunt testes oculati eius criminis: quia duo aut tres Quæsitores intersunt cum secretario: item eorum successores possunt in libro legere crimen, atque relegere: ergo tàm grave damnum est hæc extrasacramentalis confessio, quàm revelatio confessionis; immò maius: quia Sacerdoti revelanti confessionem omnes tenentur non credere: & censendus est peccare mendacio, vt peccat irreligione estque gravibus obnoxius suppliciis, cum quo pœnitẽs potest agere ex legum severitate: at de crimine scripto ex pœnitentis confessione nullus potest ambigere.

§. 88. *Obiectio.* Dices; id non esse tàm grave damnum: quia ipsa reseratio sigilli est gravius damnum: quia est irreligio: ergo non est argumentũ ab hac extrasacramentali confessione ad revelationem secreti. *Resp.* Respondeo distincto antecedenti: reseratio sigilli est in genere moris gravius damnum, quàm extrasacramentalis confessio, concedo antecedens: quia altera est ex se mala, altera bona: est gravius damnum ipsius pœnitentis, nego antecedens: quia huius damnum non æstimatur ex confessoris maiori peccato; sed ex maiore pęnitentis infamia, quæ non est minor in hac extrasacramentali confessione, quàm ex revelatione. Pone Sacerdotem revelaturum confessionem hæretici toti Tribunali, vel ipsi Papæ: hæreticus (quamvis occultè habeat facultatem ad confitendum hæresim illi Sacerdoti, & ab eo obtinendi absolutionem) non tenetur ad integritatem materialem confessionis, & potest hæresim reticere, cæteris peccatis explicatis; vt probavi §. 85. ex Sancto Thoma; sed idem omninò damnum imminet hæretico ex sua extrasacramentali confessione: quia apud eosdem manet infamis, apud quos maneret ex revelatione confessionis; immò illi manerent certi de hæresi explicata ab ipso hæretico; secùs de revelato à Sacerdote: ergo maius malum est hæretico sua extrasacramentalis confessio, quàm revelatio criminis à Sacerdote. *Bonac.* Bonacina adductus §. 85. numero duodecimo, agit apertè de incommodo honoris extrasacramẽtali.

§. 89. *Confirm.* Confirmatur: est Theologorum opinio certa, nullum teneri ad inscribenda sua peccata, licèt sit moraliter certus aliquod è memoria casurum, nisi ea confiteatur de scripto: rationemque reddunt, ne fortè amittatur scheda, & eius crimina sciantur ab aliquo extrasacramentaliter. Quod inter alios docuerunt *Sa.* Pater Sa verbo *confessio*, numero 13. *Valent.* P. Valentia tomo quarto, disputatione septima, quæstione 11. puncto primo, versu *Præterea asserimus*: cum *Caiet.* Caietano, *Vict.* Victoria, *Sotus.* & Soto. Qua de re *Sanchez.* Pater Thomas libro 1. cap. 13. num. 14. propè finem, hæc ait. *Et nullatenus placet, vt per literas eam facultatem petat: quia exponeret se periculo sui criminis detegendi, si vel literæ amitterentur, vel ab alio aperirentur: atque ob id periculum Doctores non obligant ad peccata scribenda, ne memoriã excidant, neque ad fatendum in scriptis, quando voce nequit confessio fieri.* Bonacina adductus *Bonac.*

S.Tho.q. 11. art.3. adductus §. 45. huic opinioni hæret, quando ex scriptura timetur periculum: ita punct. vltimo num 6. ratione autem memoriæ non tenetur ex ipso num. 7. Vnde arguitur: periculum, ne crimina legantur extrasacramentaliter, æstimatur tanti, vt excuset ab integritate materiali cõfessionis propter infamiam contingentem, & incertam: sed in hac consuetudine est infamia certa: ergo non tenetur hæreticus ob integritatem confessionis se exponere extra sacramentaliter.

§. 90. Confirmatur alio exemplo communi: si quis præstò habeat interpretem, per quem possit integrè confiteri peccata, & sine quo non potest confiteri nisi vnum aut per signa potest materiam absolutioni præbere, non tamen omnia aperire peccata, hic non tenetur vti interprete, nec tenetur se aperire extrasacramentaliter, nec vni duntaxat homini præter confessorem; & potest hic & nunc dimidiare confessionem: ergo ob integritatem materialem confessionis nullus tenetur se extrasacramentaliter prodere. Antecedens est omnium fere: Sylvestri, Sayri, Nugni, Valentiæ, Reginaldi, Suarez, Vazquez Henrici, Coninchi, quos sequitur Bonacina adductus §. 85. punct. vltim. num. 5. nisi timeatur æterna damnatio ob carentiam contritionis in articulo mortis: immò qui non potest confiteri peccatum, quin ab alio audiatur, potest dimidiare confessionem ex Bonacina nunc adducto num. 4. cum Suarez, & alijs. Vnde concluditur hanc infamiam tanti esse momenti, quanti scriptionem peccatorum, & eorum confessionem per interpretem: & consequenter ob eam hęreticum excusari ab extrasacramentali confessione. Nec Papam posse ferre legem, obligantem peccatores; vt extrasacramentaliter crimen fateantur apud ipsum, aut eius legatos, ob solam directam obsolutionem Sacramentalem.

Sylvest. Sayr. Nugn. Valent. Reginald. P.Suar. P.Vazq. Henriq. Coninc. Bonacina.

§. 91. Secunda probatio antecedentis propositi §. 85. nempè, non teneri pœnitentem ad se aperiendum extrasacramentaliter, petitur ab ipsa institutione Sacramenti pęnitentiæ, ad cuius integritatem nullus potuit de potentia ordinaria Christi obligari, nisi in audiente peccata esset obligatio sigilli Sacramentalis, qualis est in confessore. Sed Quęsitores, & Secretarius non tenētur sigillo sacramẽtali, quia liber est scriptus, & expositus successorum oculis, & Quęsitores possunt eâ de re certiorem facere Quæsitorem Generalem. Denique crimen extrasacramentum auditur. Maior autem propositio probatur: quia necessitas huius Sacramenti petit, ne reddatur tàm difficile, vt multi propter eius difficultatem perirent. At quam multi tunc eligerent priùs apud inferos cruciari, quàm se homini aperire, de cuius secreto non essent certissimi; & cum tàm severis legibus nunc præcipiatur sacerdoti secretum, vt pro illo teneatur acervissimos ferre cruciatus; adhùc nonnullis obstruit os serpens ille vectis.

§. 92. P. Suar. Claudat agmē P. Frãciscus Suar. à Pōtifice Paul. Quinto *Doctor* appellatus *eximius*, qui revocat in controversiam, vtrùm Christus potentiâ humanitatis absolutâ potuerit hoc sacramentum instituere absque obligatione secreti inviolabilis in audiente crimina. Hæc autem ait tom. 4. disp. 33. sectione 1. nu. 10. & 11. *Dices aliquis Christum Dominum potuisse hoc sacramentum instituere quoad totam substantiam, & effectum eius, non imponendo confessori totam hanc obligationem. Respondeo: quamvis hoc admittamus, fortasse non potuisse instituere illud cum totà necessitate, & obligatione, quam nunc imposuit pœnitentibus ad integrè, & omninò aperiendum conscientiam suam confessori, quin ex illa resultaret hoc sigillum. Vel certè si id absolutâ potentiâ potuit, non tamen secundum convenientem modum providentiæ. Et ideò de facto ita fecit hanc institutionem, vt haberet hanc obligationem coniunctam.* Hæc P. Suarez: infrà verò hæc subijcit. *Ratio denique, quæ ex omnibus dictis colligitur, id satis declarat, quia cùm hic concurrant duo, integritas confessionis, & manifestatio totius status pœnitentis, & secretum ex parte confessoris; non poterat convenienter obligari pœnitens per se, & quantum est ex parte sacramenti in omni casu, & sine vlla exceptione ad totam suam conscientiam prodendam confessori, nisi ipse confessor simili modo obligaretur ad illam tacendam.* Hæc tanti Doctoris gravia verba apertè concludunt neminem obligari, conscientiam suam aperire, nisi is, cui eam aperit, tantâ obligatione teneatur ad tacendum, quanta ad loquendum ipse; cùm igitur nec Quæsitores, nec Papa tantâ obligatione teneantur ad tacendam hæresim auditam extrasacramentaliter: concluditur hæreticum non teneri eam aperire extra sacramentum.

§. 93. Vt gravissimæ huic difficultati fiat satis; & Papa, ac Quæsitores vindicentur ab omni vel levissimâ suspitione administrandi fidei caussas contra leges sacramenti pœnitentiæ: considera eos posse se gerere bifariam. Primùm si nolint ei tradere facultatem, vt absolvatur ab alio; sed

sed velint ipsum audire in confessione sacramentali: exempli gratia, asserat Papa, aut Quæsitores. *Ego mihi reservo hoc crimen; veniat hæreticus, & confiteatur mihi sua crimina sacramentaliter: ego eum absolvam.* Quemadmodum Parochus potest cogere Parochianos, vt apud ipsum crimina expient: si id velit Papa, aut Quæsitores, non dubium quin pœnitens per se teneatur obedire. Quia tunc superiores vtuntur iure suo, & est vtrimque æqualis obligatio confessionis integræ in pœnitente; & in confessore secreti, in quo superior non peccat; sed sæpiùs id expedit ad prudentem administrationem communitatis, & pœnitentis vtilitatem. Quod de omni Prælato id interdum licitè potente facere docuit P. Suarez tomo 4. disput. 30. sect. 4. num. 4. Quòd si cum alijs peccatoribus id expedit, multò meliùs cum hæretico egente confessoris manu perstringente vulnus, & sanguinem emungente. Recognosce §. 73. vrgente autem præcepto confessionis annuæ, hæreticus peccat denuò contra illud, nisi se expiet apud Papam, aut Quæsitorem: quia potest, & tenetur confiteri peccata sacramentaliter Sacerdoti habenti in illa iurisdictionem directam. Hic autem Sacerdos est Papa, aut Quæsitor, aut Episcopus in hæresi occulta.

P. Suarez.

Confirm. Confirmatur: Episcopus licitè potest negare sacramentalem absolutionem hæretico occulto, nisi apud ipsum illam exponat sacramentaliter, nolentem alij rem committere. Nullus id negare potest: cùm potiùs aliqui censeant, non posse aliter dari ab Episcopo facultatem: ergo idem poterit Papa, aut Quæsitor.

§. 94. Si verò Papa, aut Quæsitores tantam in hæretico experiantur difficultatem ipsos in eo foro adeundi, vt censeant moraliter id impossibile ob difficultatem, & prudenter arbitrentur, hæreticum tandem non confessurum crimen, tenentur lege charitatis eum non obligare ad faciendam apud ipsos confessionem sacramentalem: vt in simili dixi §. 83. Quam doctrinam rectè probat Pater Suarez tomo quarto, disputatione 30. sectione quarta, numero octavo: quamvis enim pœnitens sua culpâ peribit; tamen lex charitatis obligat, ne illum exponamus interitui: maximè cùm hoc sacramentum sit institutum per se ad vtilitatem pœnitentis: non verò ad aliorum administrationem, quæ cum spiritali damno pœnitentis non est procuranda per hoc sacramentum. Ratio autem, ob quam hæc reservatio esset tunc illicita, est, quia pœnitens per se obligatur ad eam confessionem, nec habet iustam excusationem: at tunc nulla illi superest via se Deo reconciliandi, nisi ea confessione sacramentali: at non licet occludere illi viam salutis, quando prudenter timetur futurum, vt ille nolit confiteri. Quamvis enim pœnitens tunc statuat facere, quod viderit expedire; vt nullum peccatum committat in ea facultate vrgenter petenda: at timetur ab illo peccatum, priusquam re ipsa confitendum crimen. Hoc genere confessionis numquam Quæsitores vtuntur: quia suo foro illud vident parum vtile, & multis expositum incommodis, vt dixi §. 73. vndè hæc non spectant ad illorum vsum; sed ad potentiam ipsorum absolutam, in quo eventu de potentia ipsorum ordinaria, vt est in vsu impossibili, possibili autem absolutè, hæc sunt ex charitatis lege servanda. Quòd si prudenter timetur, hæreticum nullo alio pacto egressurum peccato, nec à relapsu esse securum, tenentur Quæsitores illum cogore ad eam confessionem: quod in simili probavi §. 72. & quia hæretici sunt difficillimi curatu, maximè autem relapsi; ideò faciliùs potest ita cum illis agi.

P. Suarez.

Alio modo possunt Papa & Quæsitores exigere ab hæretico confessionem hæresis, nempè extrasacramentalem, qualis fit in Tribunali coram secretario. Dico posse eam facultatem licitè negari, nisi hæreticus extrasacramentaliter compareat: quamvis timeatur prudenter illum non compariturum, & frequenter expedire illam facultatem negare: maximè si hæreticus est relapsus, & ob illius emendationem, & ob aliorum exemplum. Discrimen huius doctrinæ ab ea, quam tradidi §. 94. dicit aliquis esse clarum: quia hæreticus non obligatur per se in conscientia ad comparendum extrasacramentaliter, vt probatur à §. 85. obligatur autem ad comparendum sacramentaliter. Vndè qui iubetur comparere extrasacramentaliter, potest salutem consequi non comparendo: cùm enim per se non peccet non comparendo, potest habere actum contritionis, quo iustificetur extra sacramentum: qui actus est votum Sacramenti Pœnitentiæ, cùm teneatur, & possit illud recipere: nec illi desunt aliæ rationes, quibus se Deo reconciliet iuxta principia apud Theologos certa: qui autem cogitur comparere sacramentaliter, non potest contritionē habere, nisi cum proposito sacramentalis confessionis, cùm eam possit & debeat; sed tenetur, & potest tunc confiteri: (pono enim vrgere præceptū confessionis) itē qui cogitur cōparere sacramētaliter, §. 95.

S. Tho. q. 11 art. 3. non potest ad salutem aliam viam inire: qui autem cogitur comparere extrasacramentaliter potest ad salutem inire viam aliam, de qua edoceri poterit à Theologo docto. Vndè Quæsitores per se possunt facultatem negare. Primùm: quia hæretici minùs sperantur reversuri ad Deum, quàm cæteri peccatores, nisi duriore compescantur fræno. Qui timor excusat Quæsitores à peccato in difficultate huius licentiæ; quamvis alij Prælati peccarent: secundò quia nullum indè oritur incommodum, non pœnitenti; cui non occludunt viam salutis aliquâ morali impossibilitate: non Reipublicæ: quæ potiùs conservatur illæsa legum observationibus, & difficultate absolvendi hæreticum non comparentem extrasacramentaliter.

§ 96. Ad arg. Ad argumentum ex §. 84. negabit aliquis consequentiam antecedente concesso. Ad probationem respondebit; peccatum non enasci ex onere maiori, aut minori: graviùs enim est extrasacramentaliter, quam sacramētaliter comparere: enascitur autem peccatum ex periculo interitus æterni, in quod pœnitens adduceretur à Prælato illū cogente cum tàm vehementi difficultate ad comparendum sacramentaliter, quia illi occluderet viam salutis, illum cogendo ad minus illud onus: at verò in nullum discrimen adducitur, qui cogitur comparere extrasacramentaliter: quia licet onus gravius sit, non obligat tamen; vt illud prius, nec vt illud occludit viam salutis. Qui enim non comparet extrasacramentaliter, non peccat per se ex defectu comparendi.

§. 97. Ad confir. Ad confirmationem vno verbo respondeo: totum argumentum esse abs re: summum enim probat nullum per se teneri ad integritatem materialē confessionis exponere suum crimen extrasacramentaliter: vt ex S. Thoma, & alijs probatur à §. 85. nec enim committitur novum peccatum ab eo, qui vult aliâ ratione querere absolutionem, adeundo Episcopum, aut Papam. Hæc ad summum probant illæ rationes: at non probant, nec leviter, eā consuetudinem esse illicitam. Hęreticus, vt absolvatur, non cogitur sub novo peccato cōparere extrasacramentaliter, nisi fortè per accidens, vt dixi §. 72. nec enim illud de novo committit, non cōparendo; sed est quidam contractus inter Quæsitores & hæreticum, vt compareat ille extrasacramentaliter coram Quæsitore, & secretario: ipsi autē ei dent absolutionem directā à censuris; post quam possint à crimine directè absolvi ab ordinario confessario: itē illi favent immunitate pœnarū, nisi ab alio deferatur, & probetur crimen: si verò deferatur, & probetur, mitiùs multò agent cū illo, quàm si non comparuisset; si ille comparet, solvitur ingenti onere adeundi Papam, & Episcopum; solvitur item metu imminentiū pœnarum, si ab alio deferatur, & probetur crimen: docebitur meliùs à Quæsitoribus, eorumque ministris: quę omnia satis compensant ruborem in aperiendo peccato extra confessionem. Quod pactum accipiunt hæretici, qui postea prudenter resipiscunt: qui verò illud detrectant, imprudentes sunt; nec tàm benè ostendunt se esse ad fidem perfectè conversos: si verò eligant exponi se illis periculis, nec volūt frui commodis ab Inquisitione oblatis, nō committunt novum peccatum, nec possunt in conscientiâ obligari ad comparendum extrasacramentaliter, per se loquendo.

§. 98. Navar. Quam doctrinam affirmat Navarrus tomo 1. 4. *Non tibi dico vt te prodas*; quod ex Sanct. Chrysostomo, tom. 3. in epistola ad Hebræos accipit Gratianus de pœnitentia: Gratian. hæc autem sunt verba Navarri numero 7. *Quibus tamen non obstantibus hoc dictum D. Ioannis Chrysostomi est tenendum, & reverendum*; in cuius confirmatione, hæc ait numero 3. *Lege naturali, & divina sumus omnes liberi, & immunes ab onere prodendi crimina nostra secreta in foro exteriori, vt probat Augustinus relatus in cap. si peccaverit iuxta hoc elogium D. Ioannis Chrysostomi hic: non dico tibi, vt te prodas: id est, peccatum tuum secretum publices secundum glossam hic: at privilegium Dei, vtpotè superioris non potest tolli ab homine vt inferiori: ergo nemo potest ab vllo iudice humano cogi ad publicanda sua secreta delicta.* Hæc Navarrus agens non delicto mentali; sed de externo occulto, id est, non probato, vt constat ex num. 7. vbi iudices reprehenduntur, quod absque probatis indicijs cogant homines ad confessionem, his verbis. *Neminem de suis criminibus sine indicijs eiusmodi pravijs interrogari possit: quod in præscriptis argumētis adeò aliàs munivimus, vt etiamsi præfati, & alij pleriq. contradicant à quovis tamen Christiano asserendum esset.* Hæc ille: agit ergo de delictis externis non probatis: testimonium autem Augustini, quòd allegat est tomo 10. serm. 16. de verbis Domini. Vbi Sanctus Augustinus à cap. 7. fundamenta iacit doctrinæ Navarri. Hæc autem extrasacramentalis confessio est in foro exteriori; quamvis in secreto Inquisitionis: fit enim in Tribunali coram Quæsitoribus, & secretario; inscribitur nomen hæretici, crimen, & absolutio à censura; ita vt postea possit fidem facere: quod observat P. Suarez disputat. 21. de fide sect. 4. num. 18. ergo ex Navarro benè colligitur ad illam nullum per se teneri, quamvis possit per accidens. August.

Hære-

§.99. Hæreticum non posse in conscientia cogi ad confessionem extrasacramentalẽ docuit item P. Thomas Sanchez lib.2.cap.12. num.4. vbi si admittatur posse Quæsitores in foro conscientiæ hęreticos absolvere, ait, eos audiendos ab vno tantùm Quæsitore secretò sine testibus: quia ea est natura fori conscientiæ. Vndè & sine secretario, & inscriptione, peragenda sunt: quia secretarius iam esset testis irrefragabilis, & inscriptio est maximum testimonium: verba sunt hæc. *Deindè quia hac est natura fori conscientia, vt secretò, & absque testibus in eo præmissa exercenda sunt. Non ergo hæreticus occultus in foro cõsciẽtia absolvẽdus, cogendus est toti consistorio se præsentare: eo vel maximè quod ea facultas concessa videatur in favorem animarum, ne haretici occulti ad fidem redeuntes remedio facili destituti sint. Quippè difficillimum remedium esset crimen suum occultum coram toto Tribunali detegere, & huic opinioni favent Gutierrez, & Graffis, &c.* Hæc ille, quibus satis clarè docet pro absolutione in foro conscientiæ hæreticum non esse cogendum ad exponendum crimen occultum coram testibus, nec in Tribunali; sed secreto pertinente ad solum conscientiæ forum: cùm autem dicit eos non esse cogendos, accipe in conscientia, & sub peccato: nam difficultate concessionis, & rationibus, ita possunt vrgeri hæretici, vt possint dici cogi: quia rationes, & media vrgentia species sunt coactionis in phrasi vulgari. Favet item Pater Suarez disp.21. sect.4. n.16. quamvis minus clarè.

Sanchez.

P.Suar.

§.100. Dixi §.83. monendum esse confessariũ, quid sit acturus. Hæc est acturus: primùm seriò hortari hæreticum; vt compareat extrasacramentaliter, si ei aliter negatur facultas: & ei persuadere quanta cum vtilitate animi, & fortunæ, id sit acturus. Deindè illi persuadere, vt Papam adeat facultatem impetraturus. Quod si nolit, vt adeat Episcopum in hæresi occulta. Tandem dum non potest accedere ad iudicem habentem directam iurisdictionem, vt se convertat in Deum actu contritiõnis: vel si qua est alia ratio iuxta sanam Theologorum doctrinam. Tota hæc doctrina vera est, si præcisè consideretur absolutio sacramentalis per se & directè á legitimo Sacerdote. Quæ directa absolutio, se solâ, nullum obligat ad aperiendum crimen extrasacramẽtaliter. At ratione periculi proprij & alieni est oppositum asserendum. Cũ enim aliquis prudenter existimat sibi non esse moraliter aliud medium efficax ad resipiscendum, nisi ita se exponere Quæsitoribus, tenetur illud adhibere. Tales existimo esse Hæresiarchas, Dogmatizantes, & alios homines inquietos, sciolos, garrulos, & superbos. Quibus non solùm licitè negatur ea facultas; sed neque illis potest concedi. Item in Hispania rarus est hæreticus, cui possit sine incommodo ea facultas concedi, non solũ quia rebellis est toti Ecclesiæ; sed quia est signum animi procacissimi hæresim externam admittere in ea Provincia, vbi tanta cũ solicitudine contra hæreticos invigilatur. Quem ergò non terruerunt Hispanienses ignes, cur credendus est revertendus ad meliorẽ frugem; nisi monitus ab ipsis iudicibus, & quasi data cautione de perseverantia in fide? Ob quod censeo, omnes in ea Provincia teneri per accidens ad se sistendum coram Quæsitoribus extrasacramentaliter. Quia verò Quæsitores in Hispania innituntur huic prudentissimæ coniecturę, ideò non solũ licitè; sed maxima cum laude se difficiles præstant in ea facultate concedenda: quã facilè concedere, esset perniciosum toti Reip. Quo differt hoc crimen in hac Provincia, non solũ ab alijs criminibus; sed etiã ab eodem crimine in Provincijs alijs, in quibus minor est solicitudo Quæsitorũ, & minor timor in subditis. Ob quod dixit P. Azor in Italia mitiùs agi cũ hæreticis, quã in Hispania. Qui ergò noluerit cõparere, sibi consulat, adeundo Papã, aut qua ratione potuerit: nullã enim inibit tàm facilem, nec tàm securam, quàm hanc. Nec proptereà Quæsitores accuset rectè fungentes suo munere; sed accuset animum suum proiectum, ausum hæresim proferre in Provincia tàm Catholica. Quæ in materia de pœnitẽtia docẽtur à Theologis in cõmune: nec verò omnia hic possũt exponi, ne libros farciamus pręceptis ab instituto alienis.

Azor.

SECTIO VI.

Utrùm Bulla, aut Iubileo hæreticus possit absolvi?

§.101. 1.Concl. DICO primò: nonnullis abhinc annis nullus hæreticus in foro cõscientię potest hæresi solvi ob Bullã Cruciatam. Quia cum in illa permittitur absolutio criminum in Cœnæ processu reservatorum, excipitur expressè crimen hæresis.

§.102. 2.Concl. Dico secundò: antequam Pontifices hoc crimen exciperent; aliqui viri docti dixere virtute Bullæ hæreticũ absolvi potuisse in foro consciẽtię. Quia id ita censuisse Sylvestrũ excom. 7. casu 39. dicitur à Lorca disp. 45. numero 12. sed fortè per Mendum allegatus est Sylvester: id tamẽ Sotus docuit

Sot.

apertè

S.Tho.q. 11. art.3. apertè tom. 1. in 4. disp. 22. q. 2. art. 3. paulò ante versum *secunda excommunicatio*. Consentit Corduba in summa quęst. 3. in fine, & alij apud Patrem Suarez disputatione 21. de fide sect. 4. num. 20. quod ipse probabile censuerat, antequam hunc librum edidisset: idéq; censet Lorca, dùm oppositam sententiam censet probabilem.

§. 103. 3. *Concl.* Dico tertiò. Probabile non fuit post declarationem Gregorij 13. potuisse hæreticum absolvi per Bullam, quia ipse Pontifex cavens oppositæ sententiæ damna, explicuit sibi numquam in animo fuisse, nec futurum ipsi, aut suis successoribus, dare facultatem, vt hæretici absolverentur Bullæ virtute. Quæ verba continent doctrinam generalem, quam tradidi ego à §. duodecimo, nempè non abrogari privilegia per clausulam generalem antiquam, quando eadem clausula reperitur eodem modo: sed ad revocationē privilegiorum contra eamdem clausulam, opus esse eam mutare. Vnde licèt tempore Gregorij 13. non excipiebatur crimen hæresis; tamen non erat probabile eâ potuisse hæreticum absolvi: immò ante hanc declarationem Gregorij idem censuerant Sanctus Antoninus, & Covarruvias, Simancas, Pater Henriquez Pater Azor, & alij, quos refert Pater Thomas libro secundo capite duodecimo, & sequitur; cui Lorca consentit nūm. 13. Non enim expedit tanta in hoc crimine facilitas. *Atoninus. Covar. Simancas. Hēriq. Azor. Lorca.*

§. 104. *Obiectio.* Obijcis: eâdem ratione expositum à Gregorio 13. se, & successores non abrogaturos Bullâ cruciatâ privilegia Societatis Iesu de non eligendo confessario ab eius ordinis professoribus ad absolutionem à criminibus in eo reservatis: & tamen probabile est mortuo Pontifice, & per successorem prorogatâ Bulla, posse socios confessarium eligere, à quo ijs criminibus posśint absolvi: ergo. Nego minorem: etenim Bulla ad hoc valet in eo ordine, in quo superiorum permissu renuntiatur huic privilegio: at vbi Prælati pro eo privilegio invigilant, non valet cruciata, cui religionis privilegium derogat expresśè: ostendi autem in quâdam disputatione his privilegijs non derogari per cruciatam ex Leone Decimo, Gregorio 13. Clemente 8. Paullo Quinto; qui id dixit de omnibus religionibus in quodam Brevi expedito ad Illustrisśimum Don Luisium Fernandes de Cordova Episcopum tunc Salmanticensem, nunc Archiepiscopum Hispalensem. Quod anno 1622. Gregorius 15. instauravit alio Brevi dato Societati Iesu; idque confirmant trecenta vivæ vocis oracula, quibus id omnes Pontifices singulis obtestantur annis, ita precante Præposito Generali Societatis Iesu. Tandem hoc eodem anno 1629. id est apertè testatus Sanctisśimus Dominus noster Vrbanus 8. Itaque singuli Pontifices rogati eâ de re; respondent à se non derogari ijs privilegijs: quâ ergò fronte quis asserat, eos aut mentitos esse, aut deceptos? Ob quod multi viri docti censent hanc sententiam esse tàm firmam; vt opposita nec probabilis sit, sed periculosa, quia Gregorius 13. asseruit hanc esse futuram mentem omnium Pontificum, ne data eâ facultate solvantur religiosorum mores. Clemens 8. hæc ait. *Sanè cùm ratio doceat, & experientiâ compertum sit; religionibus valdè perniciosum existere, vt earum religiosis licitum sit confessarium sibi eligere*, & infra. *Nos pro nostri Pastoralis muneris debito, ea quæ ipsius Societatis quieto, & pacifico statui, ac debitæ superioribus obedientia conservandæ; &c.* Quî ergò credendum est ab ijs, & alijs Pontificibus per eam clausulam generalem abrogari privilegia, quæ ipsi dederunt pro observatione, & pace religiosi status. Quando verò aliqui Doctores affirmāt licere religioso per Cruciatam confessarium eligere ad crimina reservata; agunt de religiosis, quorum Prælati eâ de re nihil curant: vt constat ex P. Henriquez (cui falsò eam sententiam imponunt), tom. 1. lib. 6. de Pęnit. cap. 16. à litera *P.* & lib. 7. de indulgentijs cap. 22. & alibi: immò hæc sententia inde firmatur: quia post declarationem Gregorij 13. non fuit probabile hęreticum absolvi posse, tametsi hæresis non esset expressa: ergo nec religiosos eiusmodi. Consequentia autem est eadem vtrobique. *Clem. 8.* *Henriq.*

§. 105. *Lorca.* Addit insuper Loca disp. 49. num. 13. absolutionem ab hæresi de cætero permitti, si in Bulla, aut Iubileo generalis derogatio Bullæ Cænæ cernatur non excipiens hæresim. Quod consequenter asserent authores adducti §. 102. quia cùm ea absolutio & reservatio tāti momēti sint, vt Pontifices eā exceperint expresśè, ad cōpescendos eos, qui iactabāt posse hæreticos absolvi; si de cætero ea omitteretur exceptio, nō esset nisi quia Pontifex facultatē cōcedit in hæresim. At meritò P. Thomas lib. 2. cap. 12. num. 10. cum alijs opinatur, semper excipi crimen hæresis, nisi expresśè nominetur. Quod non malè probatur ex Gregorio 13. Si enim in Bulla non permittebatur hęresis absolutio, multò minùs in alijs Iubileis momenti minoris. Quod cum Covarruvia, Azore, Henriquez, & alijs. P. Suar. disp. 21. sect. 4. num. 21. ita tuetur, vt oppositam sententiam iudicet in praxi non esse securam. Nec immeritò, vt iam probo. *Sanchez.* *P. Suar.*

Hos tamē authores nō erit difficile cōponere.

Hæresis exceptio potest omitti, vel per oblivionem Pontificis, aut incuriam secretarij: tunc certissima est opinio P. Thomæ; nec ei adversatus est Lorca: qui opinionem suam asserit, quandò prudenter creditur Pontifex non aliam ob caussam tacuisse, nisi quia voluit hanc concedere facultatem; sed tunc est alia caussa tacendi, nempè oblivio Pontificis, aut incuria secretarij: ergo tunc non est facultas ad hereticum absolvendum. Potest secundò exceptio taceri datâ operâ, & de industriâ: in eo eventu accipiendus est Lorca: quia Pontifex nullam ob caussam tacuisse videtur in re tàm gravi, nisi quia eam facultatem concedit; alioquin eam exciperet. Nisi in hoc sensu non audeo sententiam Lorcæ esse securam.

§. 107. Vndè autem poterimus dignoscere exceptionem præterire per oblivionem, vel de industriâ? Respondebit Lorca, in Bullis communibus Cruciatis, si quando omitteretur, esset ex oblivione; quia illis Bullis est hâc in parte derogatum à Pontificibus, & cum nulla suppetat caussa nova innovandi; non est novitas credenda. Idem dixerim in alijs Iubileis frequentibus: quales dantur Ecclesijs pro certis diebus; & privilegia religionum; quibus non conceditur potestas in hæresim. Quando verò ob vniversalem Ecclesiæ caussam indicitur Iubileus duarum hebdomadarum; vt annis superioribus pro eventu belli Germanici; ex quo pendebat Ecclesiæ tranquillitas, aut perturbatio, aut cum Pontifex initio suæ creationis eumdem Iubileum indicit, pro Christianâ suâ, & fœlici totius Ecclesiæ administrationie, quam init, tunc si hæresis non excipitur, videtur esse ob solam voluntatem, vt ab eâ quoque absolvantur peccatores: tunc enim aperiuntur omnes Ecclesiæ thesauri, vt singuli baptizati reconciliati Deo fiducialiùs eius numen implorent, & placent Ecclesiæ suæ; cuius interest caussa publica, de quâ agitur: tunc autem tàm clarè datur generalis facultas in omnia crimina, vt non desit nisi singula indigitare. Hæc responderi posse videntur pro sententiâ Lorcæ: præter hunc eventum, in quo agitur de tota Ecclesiâ, non credo dari facultatem in hæresim ob incommoda; & quidem in ijs duarum hebdomadarum Iubileis vidi non paucos viros doctos sensisse idem, quod Lorca, & alij adducti §. 102.

§. 108. Hi Iubilei possunt esse vniversales de omnibus casibus reservatis, hæresi nec exceptâ, nec inclusâ verbis; in quibus locum habet opinio Lorcæ. A quâ tamen minimè sum cum Patre Suarez, & Patre Thoma Sanchez, Antonio Fernandez de Moure in examine Theologiæ moralis 3. par. cap. 9. §. 16. sect. 1. interrogatione 6. & alijs: quia ex Gregorio XIII. constat hæresim semper esse exceptam, nisi de eâ fiat mentio, quæ non fit per clausulam generalem: in quibus occasionibus, si hæresis non excipitur, est propter incuriam secretarij, aut oblivionem Pontificis.

P. Suar. Sanchez. Moure.

Idem censeo quando Pontifex delegat facultatem absolvendi à criminibus contētis in Bulla Cœnæ. Non intelligitur hæresis, nisi exprimatur. Ratio est omninò eadem. Huc spectat Quæsitores de concione monere non esse in his Iubileis facultatem absolvendi ab hæresi. Video præter Lorcam, & adductos §. 102. esse ab opposita sententia Patrem Filliucium, quam tàmen iam expono. §. 109. *Filliucius.*

Iubilei itē possunt revocare Cœnæ processum, non obstantibus constitutionibus, & privilegijs, etiam si habeant clausulam eas non revocari, nisi de illis fiat expressa mentio. Tunc existimo locum habere opinionem Lorcæ, si quandò eum habere potest: nempè hæresim etiam cadere in eam facultatem: non ob clausulam generalem; sed quia satis exponitur hęresis illis verbis, vt ostendam §. 111. Præter Lorcam, & adductos §. 102. docet hanc sententiam Pater Filliucius tomo primo, tract. octavo, capite decimo, numero 265. ait ita fuisse responsum Romæ anno 1617. in sacrâ Pœnitentiariæ occasione Iubilei concessi à Paullo Quinto; cui hac in parte debetur magna fides: quia ipse tunc erat Pœnitentiarius; & quidem ait ijs Iubileis excipi hæreticos denuntiatos: vndè infert non denuntiatos absolvi posse. §. 110. *Filliucius.*

Probatur ex clausula Iubilei anni 1628. concessi ab Vrbano Octavo; dans enim Pontifex facultatem ad eligendum approbatum confessarium, à quo absolvatur penitens ab omni crimine reservato, ait *sive nobis & Sedi Apostolicæ, etiam in literis die Cœnæ Domini legi solitis, contentis.* Deindè ait. *Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, præsertim quibus facultas absolvendi in certis tunc expressis casibus, ita Romano Pontifici pro tempore existenti reservatur, vt nec etiam similes, vel dissimiles Iubilei, indulgentiarum, ac facultatum huiusmodi concessiones, nisi de illis expressa mentio, aut specialis derogatio fiat, cuique suffragari queant, nec non regula nostra de non concedendis indulgentijs ad instar ac quorumcumque ordinum:* infrà verò. *Quibus omnibus, & singulis, etiam si de illis, eorumque totis tenoribus specifica, & individua, non autem per clausulas generales, idem importantes, mentio, aut expressio habenda,* §. 111.

S.Tho.q. 11. art.3. *vel quavis alia exquisita forma ad hoc servãda foret illorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis, ac formam eorum traditam pro servata habentes, hac vice specialiter, & nominatim, & expressè ad effectum præsentium derogamus, cæterisque contrarijs quibuscumque.*

§.112. Hæ clausulæ non sunt generales; sed speciales de quavis exquisita forma reservationis contentæ tàm in priuilegijs religionum, quàm in alijs constitutionibus Pontificijs: cùm ergò omnis exquisita reservatio derogetur nominatim, & habeatur pro expressa in individuo: derogatur hæresis reservatio, vt & omnes reservationes in favorem religionum. Alioquin opus esset nominatim agere non solùm de hæresi; sed de privilegijs Societatis, aliorumque ordinum, personarum, & locorum, quæ infinita sunt: omnia ergo abrogantur his clausulis.

§.113. 1. Obiectio At obijcis primò: interdum Quæsitores monere Sacerdotes de concione, eis non permitti eo Iubileo absolutionem ab hæresi. Respondebunt ij authores hanc opinionem ita esse probabilem, vt opposita quoque sit probabilis: cui Quæsitores hærentes, procurant quâ ratione possunt, nequid contra illam agatur: nolunt enim causâ cadere; sed significare se esse ab eâ opinione, quæ est Tribunali favori. Vide quæ dixi §. 24. idem posset dici: addo oppositæ opinioni multum addi probabilitatis ab authoritate Tribunalis.

§.114. 2. Obiectio Secundò obijcies, non valituram Bullam Cruciatam ad hanc absolutionem ab hæresi, tametsi præteriretur: quia nunc quoque præteritur exceptio de absolvendis religiosis à crimine reservato, & tamen non possunt absolvi, vt ipse Lorca fatetur ea disputat. 45. num. 10. Respondebit Lorca disparem esse rationem; quia privilegia religionum data sunt contra Bullam; cuius clausulæ generales non abrogantur: vt dixi à §. 2. At Pontifices ad componendam controversiam de absolutione ab hæresi, eam exceperunt in Bullis: post quam exceptionem, si præteritur exceptio, est, vt detur ea facultas. At absolutè respondeo, etiã si in Bullis præteriretur hæresis exceptio, eas non valituras in hæresim: quia omissio exceptionis alijs causis posset adscribi, vt dixi §. 106. in Iubileis autem duarum hebdomadarum, existimo abrogari priuilegia religionũ: quod respõderi vidi à multis viris doctis consultis in Iubileo à Paullo V. concesso, ineunte suo Pontificatũ. Vndè argumentum pro sententia Lorcę, non contra petendum esset. Rationem reddidi à §. 108. quia clausula generali non abrogantur facultates exquisita forma concessæ. Hac repetio pro vtraque sententia: & quidem negans magnum pondus habet ab authoritate Quæsitorum.

Lorca

Consequenter ad hanc sententiam duo sunt observanda in ijs Iubileis bihebdomadarijs; alterum est ex doctrina Patrum Suarez tomo 4. disput. 31. sect. 4. num. 5. & Vazq. tom. 4. quæst. 91. art. 3. dub. 6. nu. 6. valere absolutionem à reservatis datã initio hebdomadæ pœnitenti volenti tunc persequi diligentiam, integram ad impetrandã Iubilei gratiam: tametsi deinde aliquam partem ommitat, ob quam nõ impetret Iubilei gratiam; quia diligentia non finitur nisi cum hebdomada: confessio autem ex favore Iubilei permittitur intra eamdem hebdomadam. Vndè confessio fit cum privilegio Iubilei: immò omnibus est cõsulendum vt expient peccata ineunte hebdomada; vt efficaciùs placent Deũ eidem reconciliati, & quidem Iubileus quemlibet diem designat ad confessionem & communicationem corporis Christi. A qua sententia est expressè Pater Filucius tomo 1. tract. 8. cap. 10. num. 280. & Bonacina disp. 5. de pœnit. quæst. 7. p. 5. num. 6. 5. 16. §.115. P. Suarez. P. Vazq. Filucius. Bonacin.

Secundum est ex ijsdem à authoribus ea sect. 4. num. 20. & P. Vazq. dub. 5. num. 38. & Patre Thom. cap. 12. num. 13. nullum crimen eorum, ad quæ extenditur Iubileus manere reservatum post absolutionem per Iubileum, tametsi pœnitens per oblivionem inculpatam, aut aliam rationem etiam inculpatam illud tacuerit: quia tunc ab omni crimine reservato poterat confessarius absolvere directè, quia omnia crimina facta sunt simplicia pœnitenti se expianti ex ritu Iubilei; manet ergo illud peccatum simplex illi homini: & post confessionem non est facta nova ejusdẽ criminis præteriti reservatio: quia hæc nõ est de peccatis iam in confessione dimissis: ergo de cætero poterit à quolibet Sacerdote approbato dimitti. Quia Pontifex adhibenti diligẽtiam fecit ea omnia crimina simplicia. Vndè si Iubileus dat facultatẽ in hæresim hæc manet simplex, licet non sit confessa (inculpatè intellige, vt dixi: nã si culpatè taceatur, nec indirectè est dimissa; sed potiùs denuo sacrilegium admissum.) Doctrinam eamdem in commune docet P. Thom. non solũ quãdo pœnitens consequutus est gratiam Iubilei; sed etiam quando post legitimam confessionem ex ritu Iubilei, pœnitens non impetravit Iubilei indulgentiã. Cuius ratio sumitur à simili: quia tota illa hebdomadâ potest quilibet cõfiteri sacramẽtaliter cuilibet approbato: ita vt sint simplicia omnia peccata, ad quę extẽditur Iubileus, sunt (inquã) simplicia volenti tũc persequi cęteras diligẽtias §.116. Vazq. Sanchez.

tias: & peccatũ tacitũ inculpatè, iã est remis sum: doctrinã hãc cõperies apud P. Filuciũ tom. 1. tract. 8. cap. 10. num 279. & Bonacina adductus §. superiori, num. 1. & 6.

Filucius. Bonacina.

SECTIO VII.

§. 117. Quædam appendix difficultas.

HIC occurrit dubium nõ absimile: cuius expositioni non video commodiorem occasionem. Ponamus hæreticum confiteri sua peccata sacramentaliter Papæ; aut eius Legato, & in confessione cum oblitum hæresim. Item confessarium petere facultatem ad absolvẽdum hæreticum; qui confessus hæresis vnam speciem, oblitus est aliam inculpatè. Quæstio est: vtrùm hæresis in confessione tacita maneat simplex & sine onere comparendi? an vero reservata, & cum eo onere? est autem dirimenda quæstio ex communibus principijs.

§. 118. P. Vazq. Pater Vazquez tom. 4. in 3. part. q. 91. art. 3. dub. 5. num. 18. asserit peccatum illud manere reservatum; & cum onere comparendi. P. Suar. P. Suarez tom. 4. disp. 30. sect. 4. num. 12. nonnullos adducit opinatos peccatum manere simplex, & absque onere comparendi; ipse vero num. 15. censet peccatum manere simplex, quando pœnitens expressit peccatum aliquod reservatum, & animus tàm pœnitentis, quàm Legati aut Papæ fuit, vt confessus peccator maneret absolutus à reservatis, & absque onere comparendi: si vero confessio fuit de solis peccatis simplicibus; nec quid cogitatum est de reservatis, censet peccatum manere reservatum.

§. 119. Existimo nunc opinionem P. Suarez esse veram, quando hæreticus Papæ aut Legato confitetur crimen aliquod reservatum: & cùm subiectus suo prælato. Quia superiores præcisè volunt suarum oviũ vultum agnoscere ad eis medendum. Cùm autem coram eis comparent, nolunt eas manere gravatas onere iterum comparendi: sed tunc eo onere eas solvunt: cùm autem confessio est de solo peccato simplici; nihil agitur novi; ac propterea nihil cogitatur de peccatoris statu extraordinario: qualis est in casibus reservatis. Et quidem secũda pars huius sententiæ est per se satis clara: prima autem confirmari potest ex §. 116.

§. 120. Cùm vero confessarius facultatem petit à Papa aut Legato ad absolvendum hæreticum; tunc peti potest facultas ad vnam speciem determinatè, vel indeterminatè ad absolvendum hæreticum. Si primum; illa hæresis manet simplex etiam si fuerit in confessione tacita per oblivionem, exemp. grat. Confessarius & pœnitens obliviscuntur heresim; & in confessione aperiuntur alia crimina; illa hæresis manet simplex; quia Põtifex abstulit reservationem: & pœnitens absolutus fuit indirectè à confessario potente illum absolvere directè: quod de omni crimine reservato cõtingere in Iubileo hebdomadario ostendi §. 116. ex P. Suarez & Vazquez. Cęteræ autem hæreses manent reservatæ, vt de omni crimine dixit Pater Vazquez: cuius opinio est hac in parte securior, & ratione firmior: quia prælatus illud tantùm concedit quod petitur; petitur autem facultas ad vnam speciem determinatam, & non ad aliam; ergo facultas ad illam datur, & non ad aliam.

Si vltro facultas petitur confusè ad absolvendum hæreticum; vel à prælato petitur ad absolvendum peccatorem egentẽ facultate auferente reservationem: tunc facultas est generalis, si datur absque alio examine: in quo consẽtio P. Suarez: quia illa petitio est indifferens ad omnium criminum species: quia sub hæretico comprehenduntur omnes hæreses: sivè enim vnam habeat, sivè plures; hæreticus est: ergo si facultas ita detur indifferenter, datur ad omnes. Qui enim cõfusè aliquid vult; vult indifferẽter omnia, quæ prævidet ea confusione contineri; vt qui vult occidere hominem, quicumque ille sit; est parricida, si apprehendit eum posse esse suum parentem. Nec huic parti adversatur P. Vazquez. Confirmatur: in virtute eius facultatis potest peccator absolvi ab vna hæresi, quæcũque illa sit; alioquin nullâ posset absolvi: ergo potest à duabus: quia vt nomine *hæretici* continetur quælibet hæresis species; ita & duæ species, & tres, & quatuor. Quòd si superior ad certas species voluisset dare facultatem, & non indifferẽter ad omnes; id ipse explicuisset, videns explicationem esse necessariam: si vero facultas petatur ad absolvendum hæreticum, non valet ad absolvendum apostatam. §. 122. Confirm.

SECTIO VIII.

De absolutione in artic. mortis.

SVBSECTIO I.

De articulo mortis.

MORTIS articulus, & periculum mortis idem sunt in præsenti: in ægris ille est mortis articulus, §. 123.

S.Tho. q. 11.Art.3. lus, cùm aliquis ita ægrotat, vt viatico possit licitè muniri in viam: cùm ergo ex ægritudine timetur prudenter mors; est mortis articulus: viaticum enim homini in ieiuno dari non potest, nisi eius mors prudenter timeatur; cùm autem ita timetur, imminet periculum vitæ, & mortis articulus. Nec verò expectanda est extrema invnctio; tùm quia hæc non datur, nisi vitâ desperatâ, tùm quia ægri invnguntur iam torpescentibus sensibus, & frequenter mente parùm sanâ: tùm tertiò, quia invnctio supponit hominem munitum viatico; tunc autem reconciliandus fuit Deo: quia instante vitæ periculo viaticum accipit.

§.123. Deindè mortis articulus est omnis occasio, in quâ frequenter homines pereunt, quamque non possunt homines commodè vitare: P. Valentia tom.4. disp.7. quæst.9. punct.4. cum Victoria, Navarro, Soto & alijs, ait, mortis periculum esse quoties moraliter moriuntur homines: id est, consueverunt mori, qualis est pugna campalis, aut navalis: quando signa sunt ita conferenda, vt moraliter sit impossibile, quin multi sint perituri: tunc enim singuli præliatores; & illorum in certamine ministri sunt in aperto mortis discrimine: licet enim non sint omnes perituri; at nullus est securus, & tenentur omnes lege charitatis se reconciliare Deo, si eos pungat stimulus peccati gravis, quæ dicuntur apertè à doctoribus nunc adductis. Hæc intellige instante certamine, non verò non instante: vt dicam §. 126. idem esto iudicium de singulari certamine: quod posse aliquando licitè iniri ostendo dist.170. sect.17.

Valentia. Victor. Navar. Sot.

§.124. Dixi hanc occasionem futuram talem, vt eam non posit quis commodè vitare. Si enim potest; tenetur ad alterum è duobus; aut occasionem fugere, siquidem commodè potest; aut adire legitimum superiorem, à quo posit absolvi, vt rectè monuit Pater Thom. lib.2. cap.13. num.3. Præstò est ratio: quia ille non est in mortis articulo: quia ad id periculum minimè cogitur vllâ ratione. Qui verò militat, aut vitam alit marinis artibus; mercaturam exercet; traijcit in patriam; aut honestâ & gravi occasione iter agit prædonibus infame; vbi frequenter homines occiduntur; est in vitæ discrimine: quia illud non potest fugere absque gravi incommodo; ob quod ad illud periculum est moraliter coactus. Si verò culpatè se coniecit in periculum non petitâ priùs facultate ad absolutionem: si posteà iam sit in mortis articulo, quem iam vitare non potest; tàm est reservatione immunis, quàm cæteris. Exempli gratia: si quis in duello vulnus accepit læthale: si absque causâ periculosam inijt navigationem; orta tempestate, vel classe iam in altum vectâ; vndè ipse non potest portum repetere, est in mortis articulo, non aliter ac cæteri, & vt illi potest absolvi. At antè ascensum in navim, non erat in periculo: quia nulla cogente causâ ad illud erat adactus, postea verò iam est in illo.

Sanch.

§.125. Carcerati afficiendi vltimo supplicio, sunt in mortis articulo: latâ igitur sententiâ, & instante exequutione sunt in eo mortis articulo, in quo nulla est reservatio. Nec tenentur mittere confessarium, vt petat à superiore facultatem: quia rectè monet Pater Thomas illud futurum oneri ipsi confessario, potiùs quam pœnitenti: qui quidem adire non potest. Addo eum non teneri eum superiorem adire, quamvis posset; exẽpli gratia, sint simul in eâdem domo Prælatus & subiectus: hic autem habeat crimina reservata prælato; non tenetur illum adire, magis quàm si esset ex morbo moribundus. Ad hoc autem eum non teneri ostendam §. 149. Ratio est, quia ex sententiâ iustâ, aut iniustâ violentiâ hic est in mortis articulo, non secùs ac qui ex morbo. Hæc autem immunitas à reservatis non oritur ex hac, aut illâ occasione periculi; sed ex ipso mortis articulo, vt in eo homo sine vllâ difficultate sit expeditus ad se reconciliandum Deo, & cum iam sit excessurus è vivis non eget eo reservationis fræno; nec cum illo agitur more cæterorum.

Sanchez.

§.126. De remigibus est controversia sint nè in mortis articulo. P. Sa verbo *absolutio*, num. 4. censet eos esse in vitæ discrimine: Pater Thom. eo cap.13. censet oppositum: ego modò componam vtrumque. Quando agredienda est longa, ac birremibus periculosa navigatio, remiges sunt in mortis articulo, vt de ceteris cum simili periculo navigaturis dixit rectè ipse P. Thom. num.1. & P. Suarez disput.21. sect.4. num.23. Ratio est, quia homines frequenter pereunt in eâ occasione, & est omnibus periculum pereundi: licet enim non sint omnes simul perituri; at certè omnes simul sunt in periculo, nec scitur, quis sit evasurus. Nec expectãdum est, vt suboriatur procella; tũc enim & confessarij sunt pauci, & multa pœnitentium turba: & postponuntur remiges cæteris navigantibus: quia sunt fex birremiũ. Nec confessio tunc fit integra: tutiùs ergo est confessione integrâ præire periculo, quã eam intempestate dimidiare, vbi totum animum occupat præsens mors intenta procellis. Ego quidem existimo; qui eiusmodi ineunt navigationes, teneri per se lege charitatis ad se Deo reconciliandos: excusari autem nonnullos ex ignorantiâ, aut in

Sa. Sanchez. Th.Sanch. Suar.

confide-

consideratione. Item cùm imminet pugna navalis remiges, sunt in periculo mortis. In his occasionibus accipiendus est Pater Sa, in quibus Pater Thomas, non adversatur. Extra hos casus non sunt remiges in mortis articulo, sicut nec quivis miles presidiarius est in eo; sed illi dumtaxat, qui sunt prælio vicini: longè enim absente occasione certaminis non sunt in vitæ periculo. De ijs loquitur Pater Thomas, de quibus non est accipiendus Pater Sa.

Sa.

§. 127. De prægnantibus est etiam quæstio. Sylvester verbo *absolutio* 1. num. 10. censet omnem prægnantem esse in mortis articulo. Quæ doctrina accepta tàm latè non placet. P. Sanchez num. 4. censet eas esse in vitæ discrimine, quæ difficilem partum sunt expertæ, & quę eum timent infœlicem ob naturalem temperaturam; vel quia illo anno periclitantur plures. Bonacina disput. 5. de pœnitentia quæst. 5. sect. 2. punct. 4. nu. 14. censet fœminam in primo partu teneri ad confessionem ratione periculi; item & in alijs partubus, quando alium est difficilem experta: consentit P. Paullus Layman tomo 2. lib. 5. tract. 6. cap. 12. num. 13. versu *his adde.* Dico, primis gestationis mensibus prægnantes non esse in articulo mortis ob præcisam rationem prægnationis: quia tūc per se nullum imminet periculum: gestatio enim non minatur periculum, nisi in partu. Vt ergo qui lethali morbo premuntur, lento tamen, eos non interempturo tàm citò, non possunt absolvi à privato Sacerdote antè tempus morti vicinum; ita nec prægnantes ante tempus partui vicinum, qui est mensis octavus completus, ineunte iam nono: partus enim septimestris est rarus. Quapropter si antè id tempus vrgeat confessionis præceptum, aut velit ipsa accipere Eucharistiam, est confessio facienda, ac si non prægnaret, nisi per accidens esset in aperto vitę discrimine. At omnes prægnātes esse in mortis articulo est probabile, dū sūt iā pariture: nec est discrimē inter expertas & inexpertas; immò inexpertæ sunt apertius in periculo: ob quod plures pereunt primo partu, quàm secundo, aut tertio. His diebus in hac vrbe primo partu interiere duæ repentè criminibus inexpiatis confessione: & quæ multos partus fęlices sunt expertæ, tandem in officio moriuntur. Partus enim multas ob caussas æquivalet gravi morbo: & dùm minùs de morte cogitatur, repentè eam minatur. Opinor item omnem mulierem parituram, teneri per se ad expianda crimina antequam partu periclitetur; excusari autem per accidēs ex ignorantia, aut inconsideratione. Quia cùm multæ quotidie pereant, nesciunt an ea sors eas

Sylvest.
Th. Sanch.
Bonacina.
Layman.
Conclus.

continget: & quidem nulla prudens & timens Deum, nō se comparat ad moriendū, antequam se partui committat. Quam sententiam docet Emmanuel Rodriguez in explicatione Bullæ; non tamen admodùm clarè: agit enim de partu periculoso; at non explicat vtrùm partus sit semper periculosus? Hùc faciunt quæ dixi §. 123. ex Patre Valentia de occasione, in qua moraliter moriuntur homines.

Rodrig.
P. Valent.

Hùc incidit quæstio. Pone ab homine prævideri periculum vitæ, diù antequam contingat: vt Pthysicus cognoscit se intra tres menses moriturum; & fœmina se parituram, & miles se initurum certamen. Si hi, cùm pericula prævident, aliquo reservato crimine sunt commaculati; rogo, vtrùm teneantur petere facultatem à legitimo Sacerdote, vt absolvantur? an verò possint se tempori sinere, & eius occasione frui? Respondeo eos qui spontè, & nulla iusta occasione se sunt periculo exposituri (de quibus egi §. 124.) teneri ad eam facultatem petendam, vt ibidem dixi: qui verò ob solum privilegium absolutionis se eidem dant periculo: tenentur eam facultatem petere: leges enim non fovent dolum. Item qui non possunt absolutè, vel sine gravi damno declinare periculum, tenentur ad eamdem facultatem petendam, si antè periculum vrgeat præceptum confessionis, aut obligatio ex voto, aliave de caussa: tunc enim tenentur ad confessionem validam, & ad omnia ad eius valorem necessaria: in primis autem est necessaria iurisdictio in confessario; ac propterea eam tenentur procurare. Idem dico si velint Eucharistiâ cibari, quia periculum futurum nihil eos iuvat, dùm non imminet: tunc enim ipsi in nullo sunt periculo: at si non vrget obligatio confessionis, nec Eucharistia sit accipienda; non tenentur ad petendam eam facultatem: quia ad id non tenentur, nisi quando tenentur ad confessionem: quando verò ratione periculi tenentur ad confessionem; tunc nullum habent crimen reservatum: ac propterea non egent ea facultate. Emmanuel Rodriguez & alij rectè monent esse in articulo mortis eos, qui student curandis peste correptis. Adde & eos, qui sunt intra oppidum, vbi pestis sęva grassatur: nullus enim est periculo immunis, teneanturque omnes lege confessionis: vniversim igitur est mortis articulus, quoties est obligatio iure divino confitendi peccata ratione periculi: id autem est quando periculum est probabile: nec enim possumus nos exponere probabili periculo damnationis æternæ. Rectè monet Bonacina articulum mortis hìc sumi pro probabili periculo mortis; in quo hac in parte licent omnia

§. 128.
Rodrig.
Bonacina.

nia

nia, quæ in articulo mortis d. 5. de pœnitentia, quæst. 7. p. 1. num. 10. consentit P. Layman tom. 2. lib. 5. tract. 6. cap. 12. num. 13. versu *his adde*.

Layman.

SVBSECTIO II.

In eo articulo quid agendum?

§. 129. IN articulo mortis nullum crimen, nec censuram esse reservatam dictum est Tridenti sess. 14. cap. 7. his verbis: *Veruntamen piè admodum, ne hac occasione aliquis pereat, in eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit, vt nulla sit reservatio in articulo mortis: atque ideò omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes, à quibusvis peccatis, & censuris absolvere possunt.* Hæresim non excipi exprimunt ea verba: *Nulla reservatio*: vt docent P. Thom. cap. 13. num. 1. & P. Suarez disp. 21. sect. 4. num. 22. eas censuras aliqui dixerunt esse etiam irregularitatem; sed immeritò; nã tantùm eas voluit Concilium, quæ officiunt Sacramentorum vsui & Ecclesiasticæ sepulturæ: qualis est excommunicatio, & interdictum personale; similiter & suspensio quæ apertè officere potest Sacramentis recipiendis.

Trident. Sanchez. P. Suarez.

§. 130. In hoc articulo duo manent absque reservatione: primùm culpa; secundùm censura: qui absolvitur à culpa, absolvitur quidem directè: quia absolvitur à peccato simplici à Sacerdote habente in illud iurisdictionẽ: quæ absolutio est directè omnium criminũ in confessione expositorum. Vndè ratione absolutionis non tenetur pœnitens comparere coram iudice: quia ratione absolutionis nullus tenetur comparere coram superiore, nisi quia absolutio fuit indirecta à Sacerdote in illud crimen non habente iurisdictionem; sed ea absolutio fuit directa: ergo ratione illius nullus tenetur coram Papa comparere. Quod P. Thom. observat lib. 2. cap. 13. num. 27. & colligitur ex Corduba, P. Suarez, & alijs ab ipso adductis num. 24. asserentibus non esse imponendum id onus, quando crimini reservato non fuit annexa excommunicatio. In quem sensum interpretor P. Suarez disput. 21. de fide cap. 4. num. 25. asserentem teneri Sacerdotem exigere à pœnitente cautionem iuratoriam de comparendo: scilicet, quando crimen coniunctum fuit excommunicationi reservatæ.

Sanchez. Cordub. P. Suarez. P. Suar.

§. 131. Absolutio ergo ab excommunicatione hæresi coniunctâ petit, vt imponatur hæretico onus comparendi: & quidem in Cœnæ processu præcipitur, ne quis ab ibi relatis criminibus absolvatur, nisi in articulo mortis, nec tunc quidem, *nisi de stando Ecclesiæ mandatis, & satisfaciendo, cautione præstita*: vbi non præcipitur cautio de comparendo; sed de obediendo Ecclesiæ, & satisfaciendo. At verò id præcipitur à Bonifacio Octavo cap. *eos qui*, de sententia excommunicationis in 6. vbi absoluti in eo articulo monentur, vt cùm primùm commodè possint, compareant coram superiore, ad quem ea excommunicationis absolutio per se spectat: sin minùs, eos in eamdem relapsuros: id est, eam ommissionem comparendi esse novum peccatum mortale, ob quod ligabuntur excommunicatione nova eiusdem qualitatis, cuius prior.

Bonifac.

§. 132. Vndè hæreticus absolvendus in hoc articulo est præstiturus iuramentum de obediendo Ecclesiæ in non deserenda fide; in quod relapsus post iuramẽtum, erit in specie hæresis, & in specie irreligionis contra iuramentum. Nec verò tenetur iurare de obediendo Ecclesiæ in omnibus; sed in his, in quibus fuit rebellis: vt observat P. Thom. cap. 13. num. 22. Quod iuramentum à quocumque hæretico etiam fœminâ est exigendum, vt docet P. Thom. à num. 19. de pueris docet oppositum; sed pendere ex arbitrio Episcopi, aut confessarij examinantis an puer satis æstimet iuramentum. Hoc iuramentum quamvis non imperatur cap. *eos qui* de sententia excommunicationis in 6. at præcipitur eodem tit. cap. *quamvis*, & cap. *ea noscitur*. Decretalium lib. 5. in capite *quamvis*, agitur de inijciente violentas manus in Clericos. At in cap. *ea noscitur* agi videtur de absolutione ab omni excommunicatione reservata; quamvis summarium capitis de Clerici percussore illud accipiat. Ego tamen moveor; primùm: quia textus nihil agit de Clerici percussore; secundò: quia capite præcedente actum etiam fuerat de omni excommunicato: deindè capite sequenti excipiuntur nonnulli. Adde eamdem esse iuris dispositionem, vbi est eadem ratio: mulieres autem, senes, &c. solvuntur obligatione Romam adeundi propter moralem impossibilitatem ob incõmoda, quibus exponeretur fœmina in tàm longa via; & quia vix rarò posset id absque infamia præstare. At eadẽ est ratio in quavis excõmunicatione Papæ reservata. Propterea prudẽter providetur, vt eiusmodi personæ proprium adeant Episcopum, à quo curentur in foro conscientiæ. Item in Cœnæ processu iubetur hæc cautio; nulla autem exigi potest ab hæretico præter iuramẽtum: quia fideiussor non potest exigi: satisfactio autem exigitur; quando tenetur pœnitens resarcire

resarcire illata damna: sive spiritualia, sive corporea; aut si tenetur aliquâ pęnâ pecuniaria. Si hæreticus nulli persuasit hæresim, non tenetur ad aliam satisfactionē, quàm ad penitentiæ Sacramentum. Si autem alicui hæresim persuasit de facto; tenetur diligentiam abhibere ad eam disuadendam si possit; idque est iuraturus ante absolutionem: est autem compariturus coram Papa, aut Quæsitoribus, aut Episcopo, si absolutio ad eum, vel ad illos pertineat: item vltramontanis è Sotietate Iesu est præceptum, vt post absolutionem compareant Romæ coram Generali, vt constat ex compendio Privilegiorum §. 8. vel vt de totâ re moneatur ipse Generalis, quâ ratione commodè possit servatâ integritate sigilli.

§. 133. *Th.Sanch.* Non tenetur hæreticus comparere vt absoluatur à censura; iam enim eâ est absolutus directè; vt monet rectè P. Thomas cap. 13. num. 27. Quod probari potest ex §. 117. & ostendit aperte Bonifacius 8. cap. *Quamvis* de sent. excommunicationis in sexto: solùm enim exigitur, vt curetur à proprio Prælato, & acceptet ab eo pœnitentiam. *Bonifac.*

§. 134. Tenetur autem comparere cùm primum commodè potest; vt asserit Bonifacius idē. Dùm ergo aut in carcere detinetur; aut si est Sanctimonialis; aut si non valet corpore; nec habet fortunas, quibus possit commodè Romam petere, aut vrbem, vbi est Tribunal, aut Episcopus: si sit mulier maritata, quæ impetrare facultatem non potest in sensu explicando §. 137. Denique dùm commodè non potest, non tenetur comparere. Et præter Bonifacij textum, est hoc principium commune de censuris rem persuadens. Hic hæreticus non tenetur adire ad impetrandam absolutionem; quam iam obtinuit directam: sed precisè tenetur cōparere, quia id ita præcipitur sub excommunicatione in partem pœnæ delicti: sed excommunicatio sola non obligat cū gravissimo damno: ergo. Nec verò quævis incommoditas est satis excusationi; sed illa, quæ comparere reddit gravissimè incommodum. Si tamen Quæsitor visitans Provinciam reddat accessum sine gravissimo incommodo, tenetur hæreticus coram illo comparere, si potest absque alijs gravissimis damnis in meâ sententiâ admittente in Quæsitoribus ius ad absolutionem in foro conscientiæ; secùs in opposita, vt constabit §. 135. fine: idem dico de Episcopo, quādo absolutio ad eum spectat. At per procuratorem non tenetur vllus comparere; quia illud onus esse personale docet P. Thomas num. 28. item id asserit num. 14. & 33. fine. Ratio est, quia textus ipsum iubet comparere; dum ergo ipse non potest, non tenetur mittere procuratorem. Item cùm hæresis est occulta, non posset procurator mitti absque infamia: nec enim tenetur hæreticus crimen pandere cuivis mortalium. *Th.Sanch.*

Hic adverte cum P. Thoma num. 31. eū, qui virtute Bullæ absolvitur in mortis articulo à casibus in Bulla Cænæ reservatis, nō teneri ad comparendum, nec posse illi id onus imponi; quia Bulla aliquod ei privilegium donat distinctum ab his, quæ habet ipso mortis articulo; alioquin quâ gratiâ donatur per Bullam? sed in eo articulo nullâ aliâ gratiâ donari potest, nisi obligatione comparendi solvi; quia absolutio directa iam ei erat licita ipso mortis articulo: ergo solvitur onere comparendi. Quod si in mortis articulo fuit absolutus cum onere comparendi, quia non habebat Bullam; potest ea habita iterùm absolvi in eodem, vel alio mortis articulo & eo onere solvi; vt docet P. Thomas num. 32. cum P. Henrico. Si hæresis absolutio esset permissa in Bulla, aut Iubileo; idem esse dicendum. At verò quia hæresis excipitur in Bulla, & alijs communibus Iubileis, vel excipitur exprêssè, vel subintelligitur excepta: ideò nullus solvitur eo onere comparendi coram eo, cui reservatur id crimen. P. Suarez disp. 21. sect. 4. num. 24. censet non esse in articulo mortis recurrendum ad Quæsitores, quia non habent iurisdictionem in foro conscientiæ, oppositum ego dixi. Atque idem quod P. Suarez dicent, qui censent Quæsitores non posse in foro conscientiæ absolvere ab hæresi. §. 135. *Animadv. Th.Sanch.* *Sanch. Henriq.* *Suar.*

Animadverte item ex eodem P. Thoma num. 30. in mortis articulo non esse id onus imponendum habenti impedimentum per se perpetuum: quia capite *Quamvis* adducto §. 132. asseritur hoc onus imponendum habenti impedimentum temporale, non vero perpetuum: quod cum Sylvestro & Patre Suarez ostendit Sylvester item & Pater Thomas servitutem non censent impndimentum perpetuum: ac propterea servus ereptus servitute teneretur comparere: quia servitus est voluntate dominis ac propterea non est per se perpetua: mancipium enim potest manumitti, aut pedibus fugere; aut redimi. Nescio sane an idem essent dicturi de matrimonio, & quidem mulier obeunte viro, aut per divortium ab eo separata tenetur comparere: quia matrimonium est per se perfectum in ratione contractus & Sacramenti; quia dissolvi non potest nisi altero vita functo: at in ratione impedimenti nō est per se perpetuum; quia ex naturâ rei potest obire maritus prius quā vxor, & potest iniri divortiū item §. 136. 2. *Anim.* *Sylvester. P. Suar. Th.Sanch.*

S.Tho. q. 11. Art. 3. item si mancipium occasione aliqua potest adire iudicem; tenetur, vt etiam mulier. Qui autem perpetuo morbo laborant, tametsi miraculo sanentur, non tenentur adire Papam ex sententia P. Thomæ num. 30. quæ locum non habet in morbis curabilibus naturaliter: qui non sunt impedimentum per se perpetuum.

§. 137. Caput *ea noscitur* adductum solvit obligatione comparendi Romæ mulieres, senes, membris captos, & valetudinarios. Quod commune est cuivis excommunicato cum reservatione ad Papam, vt dixi §. 121. qui omnes tenentur Episcopum Clemēs 3. adire, vt ibidem præcipit Clemens Tertius. Hi non tenentur adire Quæsitores, in sententia Patris Suarez: quia Quæsitores non possunt absolvere in foro conscientiæ; absolutè autem, quia caput illud distinguit inter ea quatuor genera pœnitentium & alios; illa quatuor solvit obligatione cōparendi coram Papa; nihil agens de legato: cæteris autem præcipit Papa, vt compareant coram ipso, aut ipsius legato. Quod si mulieres cogerentur comparere coram legato, nullo privilegio donarentur. Quæsitores autem sunt legati Romanæ Sedis, quamvis illorum iurisdictio non expirat mortuo Pontifice, vt communiter expirat in alijs. Quæ dixi de muliere maritata, accipienda sunt de comparendo coram Episcopo, cùm primum commodè possit. Pauperes non excipiuntur ibi, excipiuntur autem cap. *quamvis*, & capite *quod de his*. Quod cum glossa expone. Inopes excusantur, quando tanta est inopia, vt non possint Romam petere absque gravissimo incommodo consideratis omnibus adiunctis personæ in ætate, honesto genere, & alijs: pauperes autem non excusantur quando eorum egestas non reddit iter valdè incommodum iuxta illorum salutem, honorem, &c. Quæ enim honesto & nobili viro sunt perincommoda, non sunt abiecto.

§. 138. Dixi §. 123. non teneri hæreticum comparere per procuratorem: nunc autem inquiro, vtrùm satisfaciat si per illum compareat? Negant & benè nonnulli authores Sanchez. apud Patrē Thomam, capite 13. num. 33. Moventur: quia Clemens Tertius, capite *quod de his*, præcipit ex antiqua consuetudine, vt excommunicatus sic absolutus Romam petat personaliter, & quamvis agitur de iniiciente manus in Clericum; accipitur à fortiori de hæretico: qui est deterior, & in Ecclesiam contumeliosior. Item hæretici in propria persona sunt curandi à rebellione in Ecclesiam, & à Summo Pastore monita audituri salutis. Pater Thomas, eo num. 33. cum alijs asserit id sufficere extra casum publicæ percussionis Clerici: quia iura non præcipiunt, nisi vt compareat pœnitens; satis autem comparet qui per procuratorem comparet. Respondeo, ex cap. *Quod de his* apertè colligi eam comparendi rationem esse personalem: item isti comparere iubentur in pœnam sui delicti, & vt corripiantur ab Ecclesia, & audiant vtilia documenta: quæ incommodè præstantur per procuratorem, & quidem ad lites comparetur satis per procuratorem; at non ad correptionem. Immò cùm Pontifex aliquem Romam accersit ad reddendam sui rationem, ait vt compareat per se, vel per procuratorem; secùs quando illum accersit erudiendum. Vndè *comparere* absolutè significat personale onus. Hæc cū ita sint, existimo praxim pendere à voluntate Prælati, aut eius legati: qui consulti per interiectam personam respondebunt quod libuerit in Domino: aut enim per procuratorem admonendum curabunt eum, qui fuit absolutus, aut ipsum præsentem volent corripere, provt in Domino expediri censebunt. Nullus autem tenebitur comparere ante responsum acceptum.

SVBSECTIO III.

Ratio eligendi confessarium in mortis articulo.

SI in mortis articulo nullus adsit confessarius, nisi hæreticus; apud hunc §. 139. est facienda confessio de quocumque crimine reservato etiam hæresi; quia hæc nullibi est reservata pro eo articulo: dixit enim Concilium nullam esse reservationem in articulo mortis. Item in Cœnę processu exprimitur ab omnibus censuris latis ibidem posse pœnitentes absolvi in mortis articulo, & cap. *si presbyter* 26. quæstione 6. animarum dicitur esse reus, & magnę impietatis Sacerdos negans pœnitentiam moribundo eam petenti; & cap. *presbyter* eadem quæstione præcipitur Sacerdoti, vt in extrema necessitate morientem absolvat absente etiam Episcopo; quantumvis crimen publicum sit. Ratio est eadem, quam Concilium reddit; ne salus æterna pęnitentis periclitetur. Hæreticus autē ratione Sacerdotij habet radicalem iurisdictionem in peccata; proximè autem illi est concessa, vel à Pontifice immediatè, vel alia ratione, (de quo non est quæstio,) vt in eo articulo

pœni-

pœnitens posſit abſolvi. Nec enim poteſtas data eſt Eccleſiæ in perniciem animorum; ſed in ſalutem: at tunc iuriſdictionis ademptio eſſet in animorum perniciem, & graviſsimè peccaret Papa, qui eam conaretur adimere. Ex parte autem pœnitentis ipſa neceſsitas ſe purgandi ſacramento eſt ſatis excuſationis. Hæreticus enim tenetur ſanctè tractare ſancta: ſi aliter agit, eſt eius vitio: quod pœnitens cum tanto diſcrimine non tenetur vitare.

§. 140. Hic primùm obſerva fugiendum eſſe periculum deceptionis. Quapropter ego monerem pœnitentem, ne hæretico permitteret verba facere de fide, aut errore; ſed eum cogat ad audienda & ſolvenda crimina. Si verò ille nolit pœnitentem abſolvere, niſi priùs verbis de ſuis erroribus factis; illũ audiat, quâ potuerit diſtractione. Quod ſi prudenter timeat imminere ſibi periculum deceptionis; tenetur illum non audire, nec adhibere, niſi certus ab hæretico nulla de fide verba facienda. Tunc autem det operam contritioni: aderit enim præſtò Deus fugienti ſacramentum eo dumtaxat animo, ne Deum offendat: at periculum deceptionis debet cadere in virũ conſtantem; alioquin facienda eſt confeſsio ob imminens vitæ diſcrimen. Si autem Sacerdos erret in forma, aut intentione ſacramenti, non eſt adhibendus ad confeſsionem, niſi priùs conteſtetur ſe vſurum intentione & forma legitima: de quo debet ægro eſſe prudens perſuaſio.

§. 141. Satis eſt omnibus nota obligatio ad integritatem materialem confeſsionis: quia exponenda ſunt omnia peccata interna, & externa cum omnibus circumſtantijs ſpeciem mutantibus; & (in multorum opinione) aggravantibus notabiliter intra eamdem: eſt item ſatis notum multoties pœnitentem excuſari ab hac integritate materiali. Arbitror in hoc caſu eſſe hæriticum pœnitentem excuſatum à confeſsione ſuæ hæreſis, quando nullum in hoc articulo habet confeſſarium, niſi hæreticũ. Quod ſic probo: quando confeſſarius eâdẽ eſt hæreſi infectus, quã pœnitens delere pœnitẽtia conatur: tunc confeſſor, quamvis culpatè, non cenſet illam eſſe hæreſim, nec peccatum: ergo non habebit intentionem eam dimittendi abſolutione: opus enim eſt ad abſolvendum, vt confeſſarius credat pœnitentem eſſe ligatum. Quem igitur ob finem exponendum eſt illud peccatum? Quod ſi iuret Sacerdos à ſe dimittendum peccatũ illud ſub conditione, quod peccatum ſit, non eſt credendus; ſed exiſtimandus illudere.

§. 142. Si verò pœnitens ſit in peccato alius hæreſis diſtinctæ ab ea, quam ſentit confeſſarius, opinor: eam non eſſe tunc formaliter aperiendam, vt eſt hæreſis; ſed materialiter. Hæreſis formaliter eſt pertinacia contra totius Eccleſiæ authoritatem: hæreſis autem materialiter eſt error ille, ſive materia, circa quam homo eſt pertinax in Eccleſiam; & quamvis culpatè non cenſebit illam eſſe peccatum; ac propterea non habebit intentionem illo ſolvendi pœnitentem; ſed potius illum & Eccleſiam irridebit, vt in ſimili dixi §. 141. At verò pœnitens eſt explicaturus errorem, aſſerens ſe accuſare de hoc errore pertinaciter aſſerto, non explicando pertinaciam in Eccleſiam. Hoc probo: quia illæ ſolæ circumſtantiæ poſſunt omitti, quæ ſine gravi incommodo dici non poſſunt: ſic enim confeſsio eſt integrior; quia habet totam integritatem materialem tunc moraliter poſsibilem; ſed ille error illâ ratione explicari poteſt ſine incommodo: quia confeſſarius opinans illum eſſe peccatum, habebit intentionem illo ſolvendi pœnitentem: ergo ſic eſt explicandus: ſi verò confeſſarius erret in ſacramenti pœnitentiæ valore, aut eſſentiâ rogandus eſt, vt abſolvat pœnitentem, ſi valet abſolutio, aut ſi eſt verè ſacramentum: ſi autem hoc impetrari non poſſet, Dominus providebit, qui invenitur à quærentibus ſe. Hæc autem tàm fuſè diſputo ob eluviem hæreticorum inundantem totum Septentrionem.

Præſente Sacerdote Catholico etiam ſpeciatim denunciato; etiam degradato non eſt adhibendus confeſſarius hæreticus, quãvis nõ ſit ſpecialiter denunciatus: tùm quia §. 148. oſtendam præſente Sacerdote approbato non habere tunc Sacerdotem ſimplicem iuriſdictionem: ergo neque hæreticus præſente Catholico: tùm quia hæreticus non eſt Eccleſiæ membrum: at in munere Eccleſiaſtico præferendi ſunt Eccleſiæ filij deſertoribus eiuſdem Eccleſiæ: tùm quia timendum eſt, ne hæreticus etiam erret in hoc ſacramento. §. 143.

Dices: poſſe pœnitentem adhibere hæreticum confeſſarium toleratum: exempli gratia, ſit Parochus hæreticus: nec ſit ſpeciatim excommunicatus: nec ſit alius Sacerdos, niſi aut irregularis, aut degradatus, at nominatim denunciatus, aut ſimplex, tunc non poteſt adhiberi, niſi Parochus: ergo interdum præferri poteſt hæreticus Catholico. Hæc difficultas non eſt levis: non quòd difficultatem habeat in articulo mortis; ſed quòd in cæteris occaſionibus non eſt admodum facilè explicatu, an Eccleſia interdixit degradato, aut nominatim excommunicato vſum activum ſacramenti, §. 144. *Obiectio.*

S. Tho. q. 11. Art. 3. menti, quando fideles non possunt aliter ex peccato emergere: vt si Princeps hæreticus Parochum ab Ecclesia creatum, dùm esset Catholicus, vi teneret iam hæreticum, nec permitteret ibi, nisi degradatum: vtrùm hic esset à fidelibus preferendus ob interpretationem voluntatis Pontificiæ? Si enim Ecclesiæ constaret de hæresi cõfessarij, illum, si posset, denunciaret, & vivum exuri pateretur potiùs quã inter oves illum permittere mactantem lupũ: vndè ex præsumpta volũtate Ecclesiæ interpretari fideles posset adhiberi posse Catholicum quemvis Sacerdotem, dùm Ecclesia, aut Deus alium non excommunicatum provideret? Quod mihi ob hæreticorum dignũ odium simpliciter videtur verum. Quî enim credenda est Ecclesia creditura oves Christi ministris dæmonum suisque rebellibus? Igitur si Parochus sit hæreticus notorius, videtur postponendus cuivis Catholico Sacerdoti, quicumque ille sit, & quibuscumque censuris irretitus: est enim Ecclesiæ filius præferendus hostibus in munere Ecclesiastico, nec tunc potest esse scandalum vllum, quòd degradatus Catholicus id munus exerceat; sed potiùs est laudandum. Quod à simili confirmo de mortis articulo. Nam tunc est moralis necessitas vniversæ plebi Catholicæ, similis articulo mortis: quia non possunt peccata purgari apud Catholicum alia ratione: ergo rectè dixit Pater Suarez mortis articulum censeri quando quis habet copiam confessarij, quam deinceps multo tempore nõ est habiturus; sed in hoc discrimine plebs non est habitura multo tempore copiam confessoris Catholici: ergo se habet vt in articulo mortis, estque Catholicus præferendus hæretico. Si autem Parochus non sit hæreticus notorius; sed occultus, tunc per accidens est eligendus; tùm ad vitandum eius infamiam; tùm ad vitandum scandalũ de degradato exercẽte publicè munera ipsi interdicta. Quidquid autem de alijs sit occasionibus, articulus mortis has habet leges: quia tunc quilibet Sacerdos potest directè absolvere à censuris omnibus, & peccatis: quod non est extra eum articulum. Extra quem peccata mortalia dimitterentur indirectè; essentque repetenda, cùm adesset confessarius approbatus: quia præcisè tunc absolverentur indirectè à Sacerdote simplici, aut excommunicato, maneretq; onus ad repetenda peccata mortalia: cùm autẽ in mortis articulo omnes habeant per se iurisdictionem, omnes possunt absolvere; inter eos tamen servandus est ordo antelationis.

Suar.

§. 145. Oritur controversia in concursu simplicis Sacerdotis, & excommunicati nominatim; aut publici Clerici percussoris, vter sit preferendus? Respondeo, simplicem præferendũ: quia excommunicatus, dùm excõmunicatione tenetur, est simplex Sacerdos; & alia ex parte est vitandus, cùm commodè potest: ergo simplex est præferendus: tùm quia ipse excõmunicatus tenetur neminem absolvere, nisi in necessitate extremâ: quia illi interdictus est sacramentorũ vsus: tunc autem nulla est extrema necessitas: simplici verò Sacerdoti, non est interdicta confessionis exceptio de peccatis venialibus: vndè in vsu sacramenti est melioris conditionis excõmunicato: itẽ illi est privativè negata facultas, id est, non est cõcessa; sed nec negata contrariè ob delicta; excõmunicato autem est negata contrariè. Quapropter deterioris est conditionis simplici Sacerdote.

Concurrente excommunicato cum irregulari non excommunicato; præferendus est irregularis excommunicato vitando. Suspensus autem, aut interdictus carens excommunicatione vitandorum, est præferendus irregulari: & ij omnes degradato; & hic hæretico: igitur vltimum locum habet hæreticus: cui præferendi sunt omnes Catholici, inter quos locum vltimum tenet degradatus, cui præponendi sunt cæteri Catholici: suspensus, aut interdictus meliorem locum obtinet irregulari; & hic excommunicato nominatim, qui solis hæretico & degradato præponitur; cæteris postponitur: omnibus autem aliqua censurâ ligatis præponitur Sacerdos simplex omni censurâ solutus: de quo vide P. Suarez tom. 4. disput. 26. sect. 4. P. Thom. lib. 2. capite 13. num. 10. & alios. §. 146. *P. Suar. Sanchez.*

Concurrente Sacerdote simplici cum approbato in alia Diœcesi dumtaxat; est quæstio, vter sit præferendus? Qui dicunt omnes esse æquales, non dant huic quæstioni locum. Quia verò ego censeo non esse æquales omnes, hoc disputo. Pater Suarez & P. Thom. asserunt præferendũ extra-Diœcesanũ approbatum: quia ad id munus approbatus est in Ecclesia. Quod esse valdè probabile negabit nullus. At non probatur argumẽto efficaci: quia approbatus extra-Diœcesanus, est simplex in aliena Diœcesi, est igitur ille concursus duorum Sacerdotũ hic & nunc simplicium: cur ergo præferendus est extraDiœcesanus? etenim ab Ecclesia est approbatus in alia Diœcesi, non in hac: in qua nullâ penitùs iurisdictione gaudet magis quàm simplex: si autem ob approbationem id dicunt: quia illa est argumentum scientiæ in approbato; potest illa coniectura superari, si pœnitens sciat simplicem esse doctiorem, & dexteriorem: item dùm satis noscatur esse suffi- §. 147. *P. Suarez. Sanchez.*

sufficiens, non videtur esse cur alter sit necessario præferendus.

§.148. Maior difficultas occurrit in concursu sacerdotis simplicis cũ approbato diœcesano; vel cùm hic concurrit cum superiore, aut iudice, cui reservatum est crimen: vtrùm adeũdus sit superior? an vero absque eius licentia possit moribundus absolvi à sacerdote simplici? an ab approbato non petita tunc facultate? an vero ea sit petenda? Ac primùm pono nõ esse opus accersere Quæsitorē: quia hic numquam confessione Sacramentali excipit crimina: & in sententia Patrum Suarez & Thomæ, non habet ius in foro consciẽtiæ: Tùm tertio: quia sine vehementi suspicione de hæresi id fieri non potest nisi raro, quando æger & Quæsitor in eadẽ essent domo. Idem dico de Episcopo; qui sine gravi suspicione vocari non potest nisi perrarò. Nec moribũdus tenetur confessariũ mittere facultatẽ impetraturum, vt dixi §.125. & cum alijs sentit

Sanch. P.Thom.lib.2.c.13.nu.14. est ergò quæstio de hæretico religioso, v. g. qui domi habet Prælatum, à quo possit absolvi directè: vt si in Societate IESV Romæ quis egeret absolutione ab hæresi, an tenetur in mortis articulo adhibere ad confessionem Præpositum Generalem? vel ab eo facultatem petere? quæ controversia communis est omni pænitenti habenti crimina reservata; & cui præsto est superior, ad quem spectat directa absolutio extra mortis articulum.

§.149. Prima sententia docet adhibendũ esse Prę latum ad confessionem; vel ab eo petendã facultatẽ. Quam docent P.Suar.tom.4.disp.26.

Suar. Sanchez. Ægid. Laym. sect.4.nu.4.& tom.5.disp.22.sect.1.nu.62.& disp.21.de fide sect.4.nu.22.cum multis, gravissimisque Doctoribus; quos refert & sequitur P.Thom.lib.2.c.13.nu.7.quibus acquiescit P.Ægidius Koninc. disput. 8. de pœnitentia num. 16.& 90. & Pater Paullus Layman tom. 2. lib. 5. tractatu 6. capite 12. numer. 14. quamvis id limitat; vt dicam §. 166. cuius doctrinæ fundamenta libet expendere. Primum est: quia finis auferendi reser-

1. Arg. vationem in mortis articulo fuit, ne cui reservatio esset caussa æternæ ruinæ; sed prǽsente superiore, aut proprio sacerdote, nulla est occasio ruinæ; quia adest copia confessoris: ergo tũc non potest quilibet adhiberi. Respõ

Respond. deo ex ipsis authoribus, cessante privativè fine legis in particulari, nõ cessare vim legis ipsius; cessante verò contrariè, cessare vim legis; sed in eo casu cessat finis legis privativè, non vero cõtrariè: cessat enim occasio ruinę; nõ tamen imminet ruina, si cõfessio fiat apud alium præter propriũ sacerdotem: ergo non cessat vis legis. Deinde non cessat omnino finis legis: occasio enim æternæ ruinæ non solum oritur ex inopia confessoris; sed ex difficultate, quam cõmuniter homines sentiunt in adeundo Prælato: Ecclesia vero omnẽ difficultatem voluit in eo articulo removendã; vt quam maximà facilitate moribũdus anteactæ vitę rationem cũ Deo componat. Quod si quando hominibus volentibus aperit Ecclesia benignitatis thesauros ablata criminũ reservatione; quid agendum est à pia matre cum filio vltimum spiritum exhalante? an cum illo duriùs aget, quàm cum valentibus agendum censet interdum? Ad hæc; nec opus erat reservationem auferre: posset enim æger indirectè absolvi à quovis sacerdote in absentia Prælati: tunc autem nulla esset occasio ruinæ: quia æger Deo reconciliaretur. Voluit ergo Ecclesia omni benignitate tractare morti vicinos, illorũ supremos miserata dolores. Ad argumentum in forma distinguo maiorem: finis fuit vt nulla esset caussa ruinæ præcisè, nego maiorem; ne esset caussa ruinæ, nec occasio, nec difficultas ad salutem, concedo: sic distinguo minorem: nõ est caussa absolutè, concedo minorem; non est occasio orta ex difficultate, nego minorem & consequentiam: item ille est finis, quo privativè cessante non cessat legis vis.

Secundum fundamentum est; quia æger, si convaleat, tenetur cum primum possit adire Prælatum: ergo si ante absolutionem illũ potest adire, tenetur. Miror hoc argumento §.150. 2. Arg. vsos Patrem Thomam, & Patrem Suarez; cum quibus §.130. ostendi illam obligationẽ esse ratione censuræ, non vero ratione delicti: vnde qui absolvitur à reservato non coniuncto excõmunicationi nõ tenetur comparere: ergo vniversim non propterea est adeũdus Prælatus, nisi quando est dimittenda excõmunicatio ipsi reservata. Distinguo igitur antecedens: tenetur adire Prælatum ratione absolutionis, nego antecedẽs; tenetur adire in pœnam & satisfactionem delicti: itẽ & ad audiendam ipsius consilia, quibus in meliorem frugem se recipiat; cõcedo antecedẽs: & nego consequentiã; quia ad satisfactionem non cogitur à cõfessario ante absolutionem; nec tunc est periculum relabendi in vitia; quæ tunc deplorat: periculum autem in eadem relabendi imminet recuperatis iam viribus; quando mortis obliti pulsamur prioribus vitiorum occasionibus: tunc autem sunt opportuniora Prælati consilia; in mortis verò discrimine mors ipsa imminens est satis bona consiliatrix: illorum argumentum esset bonum; si convalescens esset superiorẽ aditurus absolutionis ergò: tũc enim esset efficax consequentia: at nulla est nunc, cùm constet non adiri Prælatum ob absolutionem: item gravior esset hac in parte mortis articulus: qui enim valet, potest superiorem adire per confessarium, quin ipse

S. Tho. q. 11. art. 3. se noscatur; at in mortis articulo vix id posset: quia videret prælatus quę audiret in cõfessione confessarius, & cõijceret nõ imprudẽter ęgrũ eguisse facultate ad crimina reservata purgãda; nec integrũ esset sacramẽti sigillum; vel certè cogeretur æger ipsum prælatum determinatè adhibere, quod durũ semper indicavit Ecclesia. Quamob rem Clemẽs 8. seriò monuit prælatos religiosorum, vt essent perquàm faciles in facultatibus eiusmodi concedendis. Quod Põtificis exẽplo suos idem monuit R. P. Claudius Aquaviva Præpositus Generalis nostræ Societatis. Vnde arguo: alterũ è duobus concluditur, aut enim sigillum non erit integrum, aut cõpellendus est æger ipsum adhibere prælatum: primum est contra sacramenti leges; secundum verò contra præceptum Clementis 8. ergo tunc non est obligatio adeundi prælatum. Quod arbitror esse demonstrationem moralem.

§. 151. 3. *Ratio.* Tertium fundamentum est, in Concilio Tridentino non esse institutam legem novam hâc in parte; sed declaratam antiquam Ecclesiæ consuetudinem; sed hæc consuetudo semper viguit in Ecclesia, vt præsente Episcopo nullus presbyter absolveret moribundos: ergo idem est nunc. *Solvitur.* Primùm respõderi posset aliquid additum veteri consuetudini, nempè explicationem facultatis absolvendi directè ab omni culpâ & censurâ; idque competere cuilibet sacerdoti. Quamvis enim in Ecclesia Dei semper custoditũ fuit, vt nulla esset reservatio in mortis articulo, adhuc non erat tàm expressum in Ecclesia, vt quilibet sacerdos id faceret: vt enim hi authores censent non obstante eâ declaratione Concilij, adhuc adhibendum esse prælatum; sic potuit antiquitùs censeri: Concilium autem addidit explicationem ablationis reservationis: ex qua sequitur posse moribundum à quolibet sacerdote absolvi à quovis crimine, & dum nihil addidit distinguens inter absentiam præsentiamque prælati, explicuit noviter ius antiquum.

§. 152. Adhuc tamen nec antiquo iure fuit adeundus necessariò prælatus ad absolutionem sacramentalem, & in foro conscientiæ: in quo solùm, & non in foro contentioso valet absolutio in eo articulo: hæreticus enim tũc absolutus obnoxius manet pœnis Quæsitoris, si crimen probetur: item quando æger fuerat publicus excommunicatus, debuit absolvi in foro externo quoad facultatem recipiendi sacramentum pœnitentiæ, Eucharistiæ, & Vnctionis extremæ: item & ad sepulturam, & publica suffragia. Expẽdamus ergo antiqua iura.

§. 153. *Concil. Arausica.* Primum testimonium est ex Concilio Arausicano, iubente hæreticum oleo cõsignari, si desit Episcopus. Respondeo ibi non agi de absolutione sacramentali; sed de recõciliatione solenni, quam ad solos Episcopos pertinere ostendam §. 157. verba autem Cõcilij cap. 1. Canone secundo hæc sunt: *Hæreticos in mortis discrimine positos, si chatholici esse desiderent, si desit Episcopus, à presbyteris cum chrismate & benedictione cõsignari placet.* Hæc autem nunquam fuerunt necessaria ad absolutionem in foro conscientiæ; sed ad externã atque solennem tunc adhiberi solitam. *Resp.*

§. 154. Secundum testimonium est ex cap. *Presbyter* 26. quęst. 6. vbi hæc asseruntur: *Presbyter inconsulto Episcopo non reconciliet pœnitẽtes, nisi absente Episcopo vltima necessitas cogat,* vbi reconciliatio permittitur sacerdoti in vltima necessitate absente Episcopo: ergo eo præsente non permittitur absolutio presbytero. *Obiect.* Respondeo non esse sermonem de absolutione sacramentali, & in foro conscientiæ; sed de absolutione solenni, quæ certis ceræmonijs, & loco peragi consueverat, vt patet ex eodem capite ijs verbis. *Cuiusc unq; pœnitentis publicum, & vulgatissimum crimen est, quod vniversam commoverit vrbem, ante absidiam* (id est atrium Ecclesiæ) *manus ei imponatur.* Itaque ob notoria crimina imponebatur publica pœnitentia, cum quâ & impositione manus dimittebatur scandalum. Hæc autem non erat manus presbyterorum: vt constat ex capit. *Ministrare* eâdem quæst. 6. ijs verbis: *Consecrare altare presbyter nõ præsumat, benedictionem quoque super plebem in Ecclesia fundere, aut pœnitentem in Ecclesia benedicere presbytero penitùs non licebit.* Illa ergo benedictio pœnitentis est per manus impositionem, quæ interdicitur sacerdoti: absente ergo Episcopo tales pœnitentes non erant reconciliaturi presbyteri, nisi vrgente necessitate. Episcopo autem præsente publicus peccator erat reconciliandus. *Respond.*

§. 155. Quia verò ij textus hos authores in eã impulere sententiã: libet eos exponere nõ aliũde, quã ex ipsis. Duas recõciliationes invenio in ea q. 6. alterã publicã & solẽnẽ, quæ fiebat stante pœnitẽte ante ingressum in Ecclesiã, cui petenti veniã scandali publici, cõcedebatur, & recõciliabatur Ecclesiæ per impositionẽ manuũ, & benedictionẽ. Huius recõciliationis meminit allegatũ cap. *presbyter,* vbi præcipitur, vt manus imponatur pœnitenti ante *absidiã,* quæ significat atriũ Ecclesiæ, vt in vetustis codicibus explicat Gratianus, vt à me adducitur §. superiori: eiusdẽ recõciliationis meminere ca. *qui recedũt,* & glos. in exordiũ Gratiani, & ipse Gratia. post c. *ministrare* ijs verbis. *Sed notãdũ est quod reconciliatio alia est publica, alia privata. Publica recõciliatio est, quãdo pœnitẽtes ante Ecclesiã ingressũ publicè repræsentantur, & per impositionẽ manus Episcopalis, & Ecclesiæ publice recõciliãtur.* Hęc *Grat.*

Gra-

Gratianus: è quibus constat de secunda reconciliatione privata.

§. 156. Reconciliatio solennis nō semper permittebatur ægroto; privata verò semper: vt cōstat ex cap. *Qui recedunt*, ijs verbis: *Qui recedunt de corpore pœnitentiâ accepta, placuit sine reconciliatori manus impositione eos communicare: quod morientis sufficit reconciliationi secundum definitiones Patrum; qui huiusmodi communionem congruè viaticum nominaverunt. Quòd si supervixerint, stent in ordine pœnitentiū, vt ostensis necessarijs pœnitentiæ fructibus, legitimam communionem cum reconciliatori manus impositione recipiant.* E quibus constat etiam publicos peccatores tunc ad Christi corpus admitti solitos; & ad id ablatam excommunicationem; non tamen absolutione solenni, quam deinceps impetrabant ante in Ecclesiam ingressum, & per manus impositionem.

§. 157. Glossa. Hanc solennem absolutionem præstare presbyter non poterat, vt constat èx §. 155. & ex glossa in exordium Gratiani, verbo *ab Episcopo*, ijs: *Dicas ergo quod est reconciliatio quadam publica, quadam privata: publica solus Episcopus potest reconciliare, vt infra c. 1. & 50. distinctione in cap. illa non sit: non sit nisi in crimine, quando totam vrbem commovet vt infra cap. vltimo. Privatâ autem potest sacerdos recōciliare Ecclesiæ.* Gratian. Gratianus autem post caput *ministrare*, hæc ait: *Hæc sacerdotibus videtur esse prohibita. Vnde circa finem illius capituli non simpliciter prohibentur pœnitentes recōciliare, sed in publica Missa. Privata vero reconciliatio est quādo de occultis peccatis pœnitētes, vel in extremis agentes, ad gratiam reconciliationis accedunt. Hæc reconciliatio potest fieri per sacerdotem.*

§. 158. Obiect. Sed vrges: in cap. *Presbyter* præcipitur sacerdoti, vt recōciliet ægrotū Episcopo absente; sed ibi non præcipitur reconciliatio solēnis: quia hæc erat ab Episcopo præstāda: ergo reconciliatio privata non potest donari à sacerdote, præsente Episcopo: ergo nullus sacerdos potest absolvere à crimine reservato, si adsit is, cui reservatur: Confirm. Cōfirmatur ex c. *Presbyteri* vbi hæc asseruntur. *Presbyteri de occultis peccatis iussione Episcopi pœnitentes reconcilient: & sicut supra præmisimus infirmantes absolvant, & communicent.* Confirmatur secūdo ex cap. *Aurelius*. Resp. Respondeo in eo cap. *Presbyter* agi de pœnitente publico, cuius peccatum cōmovit vrbem vniversam. Qui sine vlla nova aut infamia, aut illius specie deferri posset ad Episcopum: cum ergo eius crimen sit omnibus notum, & excommunicatio publica, æquum est vt præsens Episcopus eum solvat infamiâ & publica censurâ, quæ licet in foro conscientiæ non est reservata; est tamen in foro Ecclesiastico publico. Quapropter non poterat præstari in foro conscientiæ, quin etiam in publico foro valeret in parte: quia viaticū publicè datur ægrotis: si ergo ægrotus ille erat excōmunicatus tota vrbe conscia, iā eius absolutio pertinet ad forū externū. Vnde nego secundam consequentiam: quia peccator occultus non est cogendus tunc, vt cōpareat coram iudice propter difficultatē; nec habet vllam publicā infamiam, ob quā egeat præsentis Episcopi authoritate. Ad consirm. Ad primam confirmationem respondeo primū cum glossa, iussionē idem esse quod facultatem generalē, sive approbationem: itaq; agitur ibi de sacerdote approbato, cui prius cōpetit absolutio quā simplici; vt ostendā §. 158. Secundo respondeo: ibi distingui pœnitentes communes ab infirmantibus. Cōmunes sunt absolvēdi ab excōmunicatione Episcopali, Episcopali iussione: infirmantibus non dixit absolutionem conferendā iussione Episcopi, vel si de illa agitur, accipiendus est Evaristus de absolutione in foro externo: quæ in eo tēpore non præbetur sine superioris facultate. Ad secundā cōfirmationē respondeo, sermonē ibi esse de reconciliatione ad altaria sacra, id est, in foro exteriori; vt possit pœnitens licite, & sine scandalo altaria frequentare.

§. 159. Benedict. 9. Obiect. Tertiū testimonium est ex Benedicto IX. extravag. *inter cūctas* de privilegijs §. *incendiarios*. Resp. Respondeo Benedictū à nobis esse: cum enim præcepisset ne Dominicani, nec Frācis canos absolverent excōmunicatos ab Episcopo, ait: *Quòd si forsan antequā ab eo, qui potestatē habet, absolvi possunt, mors talium cōfiteri volētiū verisimiliter timeatur, etiā in prædictis casibus sæpe fati fratres eos confiteri volētes audiant, ipsisq; beneficium absolutionis impendant; sed præbeant iuramentum, &c.* Hinc autem quid?

§. 160. Benedict. 8. Obiect. Quartū testimoniū est ex Bonifacio VIII. lib. 5. extravagantiū cōmuniū. Extravag. *excōmunicamus*, c. 1. de sentent. excōmunicat. §. *decernimus*, cujus hæc sunt verba: *Absq; speciali mādato nostro absolutionis beneficiū nō valeat obtinere; nisi forsan ad nos habere accessum non posset in mortis articulo constitutus*: vnde arguo, agitur si in mortis articulo possit ad Pontificē aditus patere; non poterit moribundus absolvi ab inferiori sacerdote. Respond. Respōdeo primū: nō esse cōiungēda ea verba *nō possit*, & *in mortis articulo*, quasi etiā in eo articulo spectetur potētia aut impotētia Papā adeūdi; sed sic sunt exponēda: *qui ante mortis articulū* nō potuit Papā adire, *in mortis articulo* possit absolvi. Etenim in mortis articulo vix raro vllus potest Papā adire. Pone Romę morti esse vicinū mendicantē, qui per se nō potest Papā adire, vt liquet, nec tenetur mittere confessariū, aut procuratorē, vt ex P. Th. & Suar. ostēdi §. 120 Sanchez. Suar. nec Papa potest accersi sine publica infamia: ergo Papa nō agit de potestate eum adeūdi in ipso mortis articulo. Secūdo respōdeo ibi esse sermonē de absolutione in foro externo,

S.Tho. q. 11. art. 3. si enim moribundus est publicè denunciatus, & notorius excommunicatus non potest absolvi in foro conscientiæ, quin in parte in foro absolvatur externo; ob viaticum publicè accipiendum; & sepulturam, si moriatur: tunc si mortis angustiæ id patiantur recurrēdum est ad iudicem; quia sacerdos privatus in solo foro conscientiæ potest, cū iudex potest adiri, vt dixi §. 153. At si excommunicatus non sit notorius, absolvi potest in foro conscientiæ etiam præsente iudice; cum onere tamen coram illo comparendi. In eodem sensu interpretor quæ adduci solent de Cardinalium declaratione; etiam si de illa nobis legitimè constaret. Hæc pro prima sentētia: expendamus secundam.

SVBSECTIO IIII.

Sententia vera.

§. 161. SECVNDA sententia est in mortis articulo quemlibet sacerdotem etiam simplicem posse absolutionē dare moribundo, præsente etiā proprio Parocho, aut superiore, cui facta est reservatio criminis, & censuræ. Authores Navarrus, P. Sa, P. Henriquez, Petrus Ledesma, Emanuel Rodriguez, Conradus, & Vega apud P. Thom. lib. 2. c. 13. nu. 6. Vnicum fundamentum est: quia ex Cōcilio constat nullam esse in eo casu reservationem: ergo quilibet sacerdos etiā simplex potest per se absolvere ab eo crimine, tamen etsi adsint sacerdos approbatus & Episcopus. Hanc consequentiam esse malam iam ostendo: quidque sentiam de hac sententia.

Navar. Sa. Henriq. Ledes. Rodrig. Conrad. Vega.

§. 162. Cui tamen præmitto; qui est in articulo mortis cum crimine reservato, esse omnino similē ei, qui est in peccato mortali simplici, eum esse in peccato mortali non dimisso directè, res est clara: agimus enim de habente crimen reservatum à quo numquam fuit directè pœnitentiæ sacramento purgatus; esto contritione, aut absolutione indirecta fuerit remissum. Illud peccatū esse simplex liquet ex Concilio sess. 14. c. 7. Quia omne peccatū nulli superiori reservatum est simplex; sed in eo articulo omne peccatum, & censura impediens vsum Sacramentorum, & publicæ sepulturæ est nulli superiori reservatum: ergo omne peccatū est simplex in eo articulo. Minor est definita Trident. Maior est ipsissima definitio peccati simplicis; omne enim peccatum dividitur in simplex, & reservatum.

Trid.

§. 163. 1. *Concl.* Dico ergo primò: simplex sacerdos præsente approbato diœcesano non habet iurisdictionē ad absolvendum moribundum. Hoc est cōtra Navarrum, & alios adductos §. 161. Quam docet Bonacina disp. 5. de pœnitentia q. 7. p. 1. n. 10. item P. Paullus Layman tom. 2. lib. 5. tract. 6. c. 12. nu. 14. Probatur primum, quia si qua ratione haberet iurisdictionē simplex sacerdos ea præcipuè, quòd asseruerit Concilium, nullam esse tunc reservationem, & quemlibet sacerdotem posse tunc absolutionem dare; sed hæc ratio non probat à simplici sacerdote eā posse dare: ergo. Probo minorem: quia nec hæreticus, nec nominatim excōmunicatus, nec degradatus possunt absolutionem dare validè præsente simplici sacerdote, vt ipsi fatentur authores, estque necessariò fatendum: ergo carentia reservationis & potestas data cuilibet sacerdoti eam facultatem non dat omnibus æqualiter; sed cū antelatione: vt ergo illi non includuntur ea voce *omnes sacerdotes*. Quando alij sunt præsentes: vnde ij authores colligunt includi sacerdotem simplicem: quando adest approbatus? ex ipso Concilio eadem sess. 14. eodem c. 7. id colligitur apertè, vbi asseritur: *Visum est vt atrociora quædam & graviora crimina non à quibusvis, sed à summis dumtaxat sacerdotibus absolverentur*: vbi expende vocem *quibusvis*: non significantem sacerdotes simplices; sed approbatos: licèt enim atrociora crimina non reservarentur Papæ: at non posset simplex ab eis absolvere; *quivis* ergo *sacerdos* significat quemvis approbatum. Igitur ex argumento, de quo agitur, colligitur vniversalitas illius vocis *quivis enim sacerdos*, & *omnis sacerdos* in hac materia significat approbatum, nisi aliud addatur. Quia verò Cōcilium dixit cautum esse in Ecclesia, nequis pereat; ideò concludimus hæreticum posse absolutionem dare: non vero id colligitur ex illo solo verbo *omnes sacerdotes*: sicut ex hoc *quivis sacerdotes*, non colligitur ibi agi de sacerdote simplici. Igitur ex ratione Concilij nequis pereat; periret autem, nisi absolveretur ab hæretico; ex hac igitur ratione adiuncta alijs vocibus: colligitur potestas etiā hæreticorū: nō tamē absolutè, sed absente Catholico. Idē dico de simplici comparatione approbati.

Bonacin. Laym. Trid.

Ratio optima est: quia moribundus est in peccato mortali simplici, seu non reservato; sed simplex sacerdos nihil potest directè in peccatū mortale simplex: ergo. Probo minorē: quia simplices sacerdotes nō possunt aures admovere pœnitenti infecto criminibus capitalibus simplicibus. Vnde arguo: præter carentiā reservationis exigitur approbatio, cū qua cōfertur iurisdictio; sed simplex sacerdos caret approbatione illa & iurisdictione: ergo. Itaq; ob defectū approbati ministri Ecclesia exponit simplicē ad reconciliandum moribundum: non tamen absolutè, & per se, concurrente approbato: vt exponit hæreticum, non absolutè, sed ob absentiam Catholici. §. 164.

Huic

Solutio. Huic tam apertæ rationi responderi potest, crimina capitalia esse communiter reservata sacerdotibus approbatis, & negatam simplicibus in ea potestatem; hæc autem reservatio tollitur articulo mortis. Contra primùm: Impug. ergo etiam hæreticus, & degradatus possunt absolutè, & validè absolvere moribundum præsente Catholico nõ excommunicato. Probo consequentiam, quia vt per te negatio facultatis, ne simplex absolvat à capitalibus, est reservatio; ita erit reservatio negatio eiusdem facultatis, ne hæreticus aut degradatus absolvant: & vt per te ea reservatio tollitur simplici; ita tollitur hæretico & degradato. Vnde validè absolvent præsente Catholico.

§.165. Contra secundò, estque ratio à priori: reservantur peccata, quando aliquis approbatur ad absolvendum à peccatis capitalibus, & exponitur confessionibus audiendis; ei tamen negatur facultas ad absolvendum à peccatis quibusdam: omnis ergo sacerdos cùm approbatur exponitur absolutè ad excipiendas confessiones; & accipit authoritatem in omnia peccata mortalia, quæ numquam reservantur. Quod clarè colligitur ex eodem cap. 7. Concilij, vbi non permittuntur graviora quædam crimina sacerdoti cuivis; scilicet ex approbatis; sed ea remittenda sibi retinent Prælati. Cum ergo nec simplex, nec degradatus & similes sint expositi, nec habeant iurisdictionem ordinariam nec delegatam; non possunt per se absolvere à peccatis capitalibus nisi ob defectum approbati in necessitate extremâ.

§.166. 2. Conclus. Dico secundo: omnis sacerdos diœcesanus approbatus, etiam præsente Prælato potest facultate non petitâ absolvere moribundum à quovis crimine, & censura in foro conscientiæ. Hæc est contra adductos §. 154. sed est eorũ quos adduxi §. 161. Bonacin. cui etiã favet Bonac. adductus §. 163. dum solùm excludit simplicem sacerdotem præsente parocho, aut approbato: hunc autem Laym. non excludit præsente Prelato P. Laymã adductus §. 159. favet in parte, admittens in aliquibus diœcesibus facile oppositum introduci, quia absolvitur pœnitens sine recursu ad Episcopum. Numquam vidi, aut audivi talem recursum: ob quod vbique est id licitum. Quod probo argumento satis aperto. Moribundus est quoad forum conscientiæ cum peccato mortali simplici; vt constat ex §. 162. sed in peccatum mortale simplex potestatem habet diœcesanus approbatus etiam præsente Prælato; ergo idem est in mortis articulo. Et quidem postquam Concilium dixit: nullam in eo articulo esse Trid. reservationem subiecit; *atq; ideo omnes sacerdotes quoslibet pœnitentes, à quibuslibet peccatis & censuris absolvere possint.* Si enim definias peccatum non reservatum, dices illud esse à quo per se absolvere possit omnis sacerdos approbatus; sed omnia peccata sunt tunc non reservata: ergo per se omnis sacerdos approbatus habet ius in illa.

Pone, nullum esse crimen reservatum in Ecclesia; an tunc egeretur nisi approbatione? §.167. vt enim tunc simplex sacerdos nihil directè posset in capitalia; ita neque approbatus egeret nisi approbatione, etenim nunc ad crimina non reservata non egemus nisi approbatione: item pone nunc asseri à Pontifice se pro tota Quadragesima auferre omnium criminum reservationem nullo excepto, etiam hæresi; an pro tota Quadragesima egeremus nisi approbatione? Nullus sacerdos simplex posset quidquam in mortalia; at approbatus in suâ diœcesi nulla aliâ egeret facultate; sed in mortis articulo omnia peccata sunt tàm sine reservatione, quàm essent in his duabus occasionibus: quia asserit Concilium nullam esse reservationem: ergo sacerdos simplex nihil per se potest in illa nisi absente approbato: hic autem ea per se potest dimittere superiore inconsulto: & quidem cum hæc sit natura carentiæ reservationis; nec lege illa probetur oppositum, non sunt in eas angustias conijciendi morientium animi. Et quemadmodum ex non reservatione colligunt ij authores non teneri sic absolutum ad comparendum repetitâ confessione, neque petitâ de novo absolutione directâ; ita colligere tenentur; non teneri Prælatum adire ad confessionem: quia non reservatio vtrique est coniuncta. Si tamen oportet priùs satisfacere Prælato, id faciendum est; non observationem: vt interdum priùs oportet restituere, quàm detur absolutio.

Quæ communiter dicuntur de sacerdote approbato in diœcesi, accipienda sunt de religiosis comparatione confessariorum, quos Prælatus exposuit ad audiendas suorum confessiones. §.168. Igitur si Generalis, aut Provincialis, aut privatæ domus Prælatus aliquos exposuerunt aut pro toto Ordine, aut Provincia, aut domo; poterit moribundus ex ipsis eligere quem libuerit. Qui autem expositi sunt pro sola vna domo, comparatione aliarum sunt simplices sacerdotes, nisi à Provinciali habeãt approbationem: quia vt Episcopus non potest quem exponere pro aliena diœcesi; ita neq; vnius domus Prælatus pro alia domo.

(∴)

S. Tho. q. 11. art. 3.

SECTIO IX.

Vtrùm præter mortis articulum possit hæreticus solvi directè crimine nisi à Papa aut eius legatis?

§. 169. MVLTI gravesque Doctores censuerunt posse ab Episcopo absolvi directè omnes, qui habent impedimentum perpetuum adeundi Romanũ Pontificem, aut eius legatum. Hos omnes refert Sanchez. P. Thom. lib. 2. cap. 13. num. 36. Moventur, quia vniversim possunt absolvi ab omni cẽsura Papæ reservata mulieres, pueri, senes, & impediti perpetuò. Nec excipitur hæresis crimen; & aliunde est eadem ratio illius cæterorumque criminum. Etenim mulierem maritatã, nec solutam, sanctimonialem, aut innuptã virginem, senes, pueros, & claudos, quis coget Romam adire? esset absque dubio perpetuæ occasio ruinæ: facultas item ad absolutionem parùm minùs difficilis est: quis enim eam petit? Nec verò omnes confessarij habent Romæ ad quem scribant, qui facultatem solicitè petat, qui rescribat, &c. Sunt enim perrari, qui eos habent correspõsales. Item sex aut septem mensibus nõ redit responsum, est igitur hæc facultas perdifficilis.

1. Concl. Dico primò, & in Hispania, & vbicũq; more Hispaniensi viget Inquisitio, nullus potest directè solvi crimine hæresis, vt est Papæ reservata: itaque quando hæresis non est occulta, non potest Episcopus personam vllam eã solvere, sed necessariò est adeundus Papa, aut Quæsitores; quin hoc liberẽtur onere mulieres, etiam sanctimoniales, senes, aut mẽbrorũ destitutionibus impediti. Hanc conclusionẽ arbitror negari non posse etiã ab authoribus adductis §. superiori. Quia textus hoc onere excõmunicatũ solvẽtes nõ aguht de hæresi; sed de clerici percussore, nec est eadẽ ratio huius aliorũque criminũ: ergo non valet cõsequẽtia à clerici percussore ad hæreticũ nõ occultũ. Minor probatur: quia clerici percussor haberet moraliter impossibilẽ aditũ ad Papam, & ad legatũ: ergo esset illi moraliter impossibilis absolutio directa: antecedens patet in Hispanis, alijsq; longè Româ absentibus: (nã Romæ vicinos voluit Clemens 8. cõparere Romæ) nisi verò hæc facultas data esset Episcopo in mulieres, pueros, senes, & ęgros; nunquam possent absolvi directè: quod magno est incommodo. At vbi Inquisitio viget Hispaniẽsi more; nulli moraliter est difficilis aditus ad legatum: quia ministri Quæsitorum præsto sunt vbique gentium: confessarius item facilè potest scribere Quæsitoribus: denique Quæsitores frequentes sunt in visitanda Provincia: ergo non est eadem ratio in hæretico non occulto, ac in clerici percussore. Doctrinã hanc cum multis sentiunt P. Tho. lib. 2. cap. 13. num. 37. & P. Suarez disp. 21. sect. 4. num. 26. Sanchez. Suarez.

§. 171. 2. Concl. Dico secũdò, vbi nec Inquisitio viget, sed nullus est Quæsitor; vel tàm lõgè, vt moraliter eius aditus sit impossibilis, vel cum tanta ministrorum paucitate, vt nec illi possint adiri: Episcopus potest directè absolvere in foro conscientiæ mulieres, pueros, senes, ægros, & omnes illos, quibus aditus ad Pontificem, aut legatum est moraliter impossibilis vel ob itinerum periculum, vel ob perpetuam clausuram, vel aliam ob caussam. Hanc sententiam docent authores insinuati §. 164. nec illi adversatur P. Thom. aut P. Suarez, qui aiunt, adeundum esse Pontificem, aut Quæsitores. Si ergo Quæsitor non sit, aut tàm difficilis aditu quàm Pontifex, quid agẽdum? aut quid Pontifex *farinas exiget à statuis*? id est, diligentiam impossibilem adhibitu? An mulier sanctimonialis Romam adibit? aut scribet ad Pontificem? immò P. Suarez tomo 4. disput. 30. sect. 3. num. 8. hæc ait: *Excipiuntur cassus Pontificij, in quibus generalis regula iuris est, quoties non patet aditus ad Pontificem, vel legatum, aut delegatum eius nisi cum magna difficultate & mora, posse peccatorem absolvi ab inferiore sacerdote cum onere comparendi coram Pontifice.* Hæc ille de absolutione directa; de qua agit totâ eâ conclusione: nam ab indirẽcta nõ excipiuntur casus Pontificij; sed omnes casus possunt interdum indirectè dimitti. Suar.

§. 172. Ratio prima est ex eodem Patre Suarez numero nono: quia quod fit pro bono charitatis, non est contra charitatem vertendum; sed hæc reservatio instituta est in salutem animorum, quæ in personis impotentibus Papam adire, verteretur in perniciem animorum: exigeretur enim ab illis pro absolutione directa, quod minimè gentium præstare possent: ergo hæc reservatio non viget in huiusmodi personas. Secundò: quia qui perpetuò impeditur ab adeundo Pontifice, aut legato, est ei similis, qui est morti vicinus, aut cui deest copia confessarij: si enim confessarius nunc occurrat, & ego sim certus me non habiturum alium: tum versor quasi in articulo mortis; vt cum Patre Suarez dixi §. 144. etenim Pontifex, nec præsto est, nec est futurus vmquam, nec mihi est moraliter possibile cum illo agere per literas, aut procuratorem: ergo sum quasi non haberem Pontificis copiam. Tertiò ex eodem Patre Suarez: quia capite *mulieres*, & capite *ea noscitur*, & capite *quamvis*,

de

de sententia excõmunicationis, & alibi permittuntur Episcopo mulieres, senes, pueri, & alij clerici percussores. Vnde est communis interpretum opinio argumentum sumi ab hac excommunicatione omniũ celeberrimâ ad alias propter eamdem rationem, quæ Pontificem movit: ergo.

§.173. *Obiect. Suar.* Objicies cum Patre Suarez disputatione 21. de fide, sectione 4. numer. 26. non valere argumentum ab alijs excommunicationibus ad hanc ob hæresim; quia hæc est specialiter reservata, & ex iure nihil de ea habemus: ergo nullus potest ab eâ directè solvi extra mortis articulum nisi à Pontifice, aut eius Legato. *Resp.* Respondeo, ab ipso Patre Suarez tomo 4. disputatione 30. sectione 3. numer. 9. hoc argumentum adductum ex Sylvestro volente à casibus Cœnæ absolvi nullum posse. Respondet tamen ipse Pater Suarez nullam esse in illis specialem reservationem. Ego tamen facile respondeo primum, esse specialem reservationem huius censuræ vbi Inquisitio viget more Hispaniensi, vt constat ex Brevi Gregorij Decimitertij in eius favorem à me sæpe adducto: item non est in illis Provincijs eadem ratio ac cæterarum excommunicationum: quia ad directam absolutionem huius sunt in Hispania iudices potentes absolvere directè, & faciles aditu: hi sunt Quæsitores. At verò ad absolvendum ab alijs non habemus tam præsto ministros Papæ, qui directè posśint absolvere. Si autem essent, non possent mulieres nisi ab illis absolvi: illa ergo facultas Episcopum adeundi est ob absentiam potentis absolvere directè: at in illis Provincijs, in quibus nullus est Quæsitor, aut tàm difficilis aditu; non est diversa reservatio hæresis à criminum in Bullæ processu, vt publicæ clerici percusśionis. Vnde Pater Suarez egit apertè de Provincijs, in quibus viget Inquisitio, vt constat ex fine section. 4. disputation. 21. de fide.

SECTIO X.

Vtrùm aliquando sacerdos privatus posśit indirectè absolvere hæreticum?

SVBSECTIO I.

Quid sit absolutio directa & indirecta?

§.174. SACRAMENTO pœnitentiæ peccata purgantur per infusionem gratiæ, quæ est physicè incomposśibilis cum peccato mortali, vt abundè ostendi disputans de iustificatione. Sæpe contingit pœnitentem non exponere integrè omnia peccata, vel quia inculpatè ea est oblitus, vel quia honesta de caussà non potuit illa exponere: quia carens copiâ alius confessoris timuit prudenter crimen revelatum iri à Sacerdote, vel alias ob caussas. Tunc sacerdos absolvit directè peccata omnia ritè explicata, indirectè verò omnia peccata mortalia tacita inculpatè.

Absolvit directè: quia dimittit Ecclesiastico iudicio & iurisdictione crimina, quæ iudicis more audivit: pro quibus pœnam decernit satisfactoriam, reumque Deo reconciliavit: itaque, quia voluit peccata à se cognita dimittere, ea directè dimisit: id est, ex intentione expressa, illa, vt cognita fuerunt, abigendi cum iurisdictione in illa. Quia verò hæc remisśio fit in genere caussæ formalis per gratiam sanctificantem; & hæc esse non potest cum peccato mortali: ideò consequenter delentur, & abiguntur omnia peccata mortalia: quia ob iurisdictionem sacerdotis & intentionem tollendi peccata confessa datur gratia, vt pono ex materia de pœnitentia: & quia illa gratia pugnat cum omni crimine mortali; ideò omnia dimittuntur: confessa quidem ex prima intentione; tacita verò consequenter ex conceptu ipso gratiæ remisśivę peccatorum. §.175.

Habent hæ absolutiones leges admodum diversas. Crimen directè remissum, iam de cætero non est materia necessaria confesśionis; sed sufficiens tantùm more peccati venialis: nulla enim est obligatio illud in confesśione repetendi; est tamen facultas ad repetitionem. At peccatum indirectè remissum, est etiam de cætero materia necessaria confesśionis: ita vt sit necessariò exponendum cùm vel in memoriam redeat, vel cum sine gravi posśit incommodo: non secus ac si ab illo pœnitens numquam fuisset absolutus indirectè. Quia Deus peccatores post baptismum voluit sisti in tribunali sacerdotali, vt cognitâ eorum conscientiâ posśit sentẽtia ferri. §.176.

Contingit interdum peccatorem maculari crimine reservato suo Prælato: & instante obligatione confesśionis, non habere sacerdotem, à quo posśit absolvi directè: hîc breviter disquiro quid agendum. §.177.

(·.·)

S. Tho. q. 11. art. 3.

SVBSECTIO II.

Quid agendum quando sacerdos non habet iurisdictionem in aliquod peccatum?

§.178. Duran. Ricard. Adrian. PATER Suarez tomo 4. disputatione 31. sectione 3. numero 1. asserit opinatos Durandum, Ricardum, & Adrianum non posse aliquem absolvi directè à crimine simplici, & indirectè à reservato: locos autem vbi id asseruerunt allegat sectione 2. numero 3. quos ego prætereo: quia rem præstringo, vix disputo: item asseruere, posse pœnitentem edere Christi corpus cum peccatorum contritione, non aliter, ac si non haberet copiam confessarij.

§.179. Quæ sententia acriter pungitur à Patre Suarez cum multis authoribus, & argumentis. Et quidem meritò: primùm, quia reservatio non est in ruinam; sed in salutem animorum: hæc autem esset in ruinam: quia vrgente occasione annuæ communionis, si peccator se sentiret difficillimum in exercenda contritione perfecta, ad quam egeret longiore meditatione, quàm tempus permitteret; hic quid ageret? Accedere ad Eucharistiam cum attritione existimatâ non licet absque Sacramento pœnitentiæ: contritio est illi tunc difficillima: omnissio communionis esset infamis. Certè hic magno exponeretur periculo communicandi cum peccato mortali.

§.180. Secunda ratio: quia confessio dimidiata est licita, in qua peccatum, quod tacetur, dimittitur indirectè: ergo est etiam licita hæc absolutio indirecta: quia eadem est in vtraque ratio. Quæ à priori est: quia sacerdos habet iurisdictionem directam in peccata simplicia; per quam directè pœnitens reconciliatur Deo: consequenter verò reconciliatur à peccatis reservatis: & aliundè est necessitas confitendi vel ob præceptum, vel ob communionem. Adde multos homines diutissimè futuros in peccato propter difficultatem adeundi Prælatos: nec integritas materialis obligat cum tanto discrimine.

§.181. Rogas vtrùm sacerdoti carenti iurisdictione directa in peccatum reservatum, sit illud confitendum? in verò possit taceri? Exēpli gratia. Homicida est simul sortilegus. Sacerdos, quem præsto habet, potest directè absolvere ab homicidio, non tamen à sortilegio? Quæro vtrùm huic sacerdoti possit exponi solum homicidium? Censent aliqui vtrumque peccatum esse necessariò confitendum: quia confessio debet esse integra, quoad possit; sed in eo casu nulla ratio excusat ab integritate: ergo. Oppositam censeo probabiliorem, nempe non esse opus confiteri peccatum reservatum sacerdoti non habenti in illud ius directum: quia in peccatum reservatum nihil potest ille sacerdos: vt dixit Concilium. Nec per rationem iurisdictionis, aut iudicij, de illo agit; sed præcisè, quia agens directè de permissis sibi peccatis confert gratiam auferentem etiam reservata: quid ergo opus est illud exponere, cùm absolutio indirecta id non exigat, vt patet in alijs occasionibus, in quibus aliquod crimen tacetur inculpatè? Ad argumentum: confessio debet esse integra coram habente iurisdictionem; secùs coram eâ carente: tunc autem carentia iurisdictionis in sacerdote excusat pœnitentem ab integritate materiali. Hanc meam sententiam cum Caietano docet Pater Valentia tomo 4. disputatione 7. quæstione 11. punct. 1. versu *sextus casus*, quam ait confirmari vsu Romanæ Ecclesiæ: in eamdē se vehementer inclinat Pater Suarez tomo 4. disputatione 13. sectione 3. à numer. 8. ad 11. pro qua Alexandrum, & alios adducit: quamque probabilem censent Ioannes Maior Petrusque de Soto.

Arg.

Ad arg.

Caiet. Valent. Suar. Alexand. Maior. Soto.

§.182. Ast alia quæstio, vtrùm qui habet peccata mortalia reservata, & nullum aliud simplex, teneatur confiteri peccata venialia? Pater Suarez tomo 4. disputatione 23. sectione 2. numer. 6. censet nullum teneri ad confessionem in ea occasione: quia nullus tenetur confiteri peccata venialia. Huic doctrinæ non acquiesco: qui enim est Eucharistiam accepturus, tenetur se purgare à peccato mortali, qua potuerit securiore ratione; ita vt habeat moralem satisfactionem, quam potuerit; sed de contritione non possumus tàm moraliter esse certi, quàm de confessione: quia contritio est peccatori difficilior, & cognitu difficillima: ergo non est satis contritionem procurare, quando adest confessarius. Ad argumentum respondeo, non esse obligationem per se confitendi venialia; per accidens autem potest esse propter peccatum mortale, quod tunc dimittendum est: est tamen obligatio se Deo reconciliandi ante Eucharistiam, quod tunc non fit tàm securè, quàm per confessionem.

Suar.

(?)

SVB-

SVBSECTIO III.

Quando possit hæreticus indirectè absolvi?

§. 183. HÆRETICVM posse interdum indirectè absolvi dimidiata cõfessione, vel explicata hæresi (pro varietate opinionum quas proposui §. 181.) est certum: quia omnes ferè authores aiunt licere interdum ita à reservatis absolvi, nulla exceptione facta vllius criminis. Multi videntur sentire licitam esse à sacerdote privato absolutionem directam omnium criminum cum onere comparendi: quos refert P. Suarez tomo 4. dis. 31. sect. 2. num. 1. quibus nequaquam acquiesco, quos in casu honestæ necessitatis loquutos exponit P. Suarez nu. 5. & de absolutione directa à peccato simplici; indirecta verò à reservato. In quo sensu ipse tuetur conclusionem hanc sect. 3. num. 2. cum multis, & P. Ægidius Coninck disp. 8. de pœnitent. num. 105. & quidem eadem est omninò ratio de hoc crimine, ac de alijs: itẽ & de absolutione indirecta à reservatis, ac de eadem à simplicibus, quæ consultò tacet homo ad grave damnum vitandum; de quo agit P. Suarez tomo 4. disp. 23. sect. 2. Adverte P. Suarez disp. 21. de fide sect. 4. num. 26. & P. Thom. lib. 2. cap. 13 num. 36. & 37. negasse facultatem absolvendi extra mortis articulum extendi posse. At quidem agunt de absolutione directâ, & in sensu à me explicato sect. 9. quibus ibi cõsensi in Provincijs, in quibus est aditus facilis ad Quæsitores: at non negant absolutionem indirectam vrgẽte necessitate. Huius autem sententiæ fundamenta iacta sunt subsectione 2. Nunc disquirendæ sunt occasiones, in quibus licet ita cõfiteri peccata, & absolutione donari. Dico igitur non posse vllo pacto hæreticum absolvi directè, nisi à Papa, aut legato eius ad id munus, vt sunt Quæsitores; aut ab Episcopo in hæresi occulta, aut in articulo mortis: in alijs eventibus, si vult absolvi directè, debet se sistere suo iudici, si non est impossibilis aditu, & impetrare absolutionem ab excommunicatione, vel etiam à crimine, si illud apud eos sacramẽtaliter exponit; indirectè autem & cum onere cùm primùm possit comparere, potest absolvi aliquando.

Suarez. *Conin.* *Sanchez.* *Conclusio.*

§. 184. Primam occasionem constituit P. Suarez tomo 4. disp. 23. sect. 2. num. 4. articulũ mortis: at verò hanc occasionem admittit ad dimidiandam materialiter confessionem, non verò ad absolutionem indirectam. Itaque tunc pœnitens directè potest absolvi à quovis sacerdote; si tamen hæreticus existimet se non absolvendum si hæresim fateatur, tenetur reticere hæresim, aut circunstantiam, quam credit probabiliter futuram in caussa ne absolvatur. De cætero autem iam peccatũ illud manet simplex, vt dixi §. 115.

Secunda necessitas constituitur à P. Suarez num. 5. necessitas servandi præceptum annuę confessionis: itaque si vrgente extremo tempore, pro quo obligat ea lex, non sit copia confessoris, qui possit directè hæresim dimittere, nec Quæsitor, aut alius iudex, qui per se, vel per delegatum possit directè absolvere ab hæresi; tenetur hæreticus, vel dimidiare confessionem tacendo hæresim, vel illam exponere confessori approbato, qui directè possit absolvere à peccato simplici, & indirectè ab hæresi: tunc enim potest impleri præceptum quoad substantiam. Eique est imponendum onus comparendi ante aliã confessionem sacramentalem. Quòd si culpatè non comparet, committit peccatum novum; vrgente autem præcepto secunda vice, est maior cautio exigenda. Quòd si pertinax sit in comparendo, est ei neganda absolutio, vt alijs, de quorum emendatione desperatur. Hic autem casus & sequẽs est moraliter impossibilis in Hispaniâ, vbi ministri Quæsitoris præsto sunt cuivis mortalium, quibus se possit sistere hæreticus. §. 185.

Tertia necessitas constituitur, quãdo quis est accessurus ad Eucharistiam, vel sacrum facturus: & quidem vrgente præcepto annuę communionis, est eadem ratio, ac de confessionis lege. Pone post confessionem annuam relapsum quem in grave peccatum ante cõmunionem annuam: hic adhuc tenetur lege communionis, communio autem obligat ad confitenda peccata mortalia: ergò. §. 186.

Huc revoco, quando sacrum, vel communio præteriri non possunt absque gravi scandalo: tunc enim licita est communio, nec tenetur quis illam vitare cum tàm gravi damno: & si vult Eucharistiã cibari, tenetur præmittere sacramentalem confessionem, qua detergeantur omnes maculæ graves. Ergò tunc tenetur indirectam absolutionem procurare. Quapropter Parochus carens in suo pago alio sacerdote, & facturus sacrum, tenetur procurare contritionem cum Domini gratiâ; si verò præsto sit alius sacerdos approbatus, tenetur ab illo exigere absolutionem directam à crimine simplici, & indirectã à reservato. Item Monachus Carthusianus, fœmina sanctimonialis, religiosus, & si qui sunt alij, qui communionem statutam certis diebus, aut sacrum præterire non possunt absq; gravi infamia, possunt hâc ratione confiteri, eorumque confessarius tenetur illos absolvere, monendo illos teneri cùm primùm pos- §. 187.

S.Tho. q. 11. art. 3. sint comparere coram iudice legitimo, & statim adhibere quam possint diligentiam. Ratio est; quia integritas materialis huius Sacramenti non obligat cum tanto dispendio: & quemadmodum ad vitãdam infamiam ex revelatione confessionis, potest quis eam dimidiare, & indirecte absolvi à peccato tacito; ita potest in nostro casu eam dimidiare, vel absolvi indirectè confessa hæresi: quia absolutio directa non obligat ad tam grave damnum, & quidem se abstinere à communione, vel sacro, esset cymbalo evulgare eum aliquo crimine capitali teneri, quo arceatur à communione. Si verò absque gravi nota potest vitare communionem, aut sacrum, donec se sistat suo iudici; id tenetur præstare.

§.188. Suar. Bonacin. Hanc occasionem ad vitandam infamiam constituit Pater Suarez num. 7. & Bonacina disputat. 5. de pœnit. quæst. 7. part. 5. §. 3. nu. 8. Hæc autem occasio vix potest in Hispania contingere ob redditam rationem §. 185. Quarta occasio statuitur ab eodẽ Patre Suarez eo num. 7. cum Soto: quando nullum imminet periculum ex iam recensis; est tamen longa temporis mora interijcienda antequã legitimus iudex possit adiri; tunc esset gravissimo damno peccatori longa mora in cõfessione: tùm quia privatur pœnitens longo tempore gratia Sacramentali remissiva peccatorum, & auxilijs ad vitanda peccata de cætero, quæ ob illud Sacramentum dantur; maximè verò privaretur gratiâ Eucharisticâ; quæ maioris momenti sunt, quàm omnia incommoda temporalia: tũ etiam, quia est gravissimum damnum tamdiu esse in peccato mortali: contritio flagitiosis est plerumque difficilis, ad quam illi non animãtur frequenter, quos à peccatis arcet non tàm amor Dei, quàm suppliciorum minæ: attritio autem est facilior atque communior, est autem horrendum in peccato mortali diù versari. Huc etiã facit hac ratione breviùs compariturum peccatorem coram iudice: etenim si non confiteatur crimen; non tenetur adire Prælatum ante tempus pro quo obligat lex annua confessionis, aut communionis: at si indirectè absolvitur, tenetur adire Prælatum cum primùm posit; & è vestigio adhibere quam possit diligentiam. Hic existimo veram opinionem Soti: asserit qui per oblivionem tacuit peccatum, non teneri cùm primùm ad illud confitendum: secus qui scienter tacet iustas ob caussas. Ratio mihi videtur esse; quia lex eum solvens tunc ab integritate materiali, vel absolutione directa procuranda, eum obligat ad integritatem materialem, & absolutionem directam cùm primùm potest: quia illa solutio obligationis est ad vitanda tunc gravia damna: ergo cùm damna cessant, recurrit iterum obligatio. Nec in hoc sensu opinionem Soti impugnat Pater Suarez: ergo hac ratione hæreticus citiùs tenebitur cõparere.

Non tamen explicat Pater Suarez quantùm futurum sit tempus illud; sed præcisè ait duo: primum, consultius esse ita confiteri quàm multo tempore differre confessionem. Secundum, si post breve tempus futura sit occasio integræ confessionis, non licere eam dimidiare; quia sine rationabili caussa non licet eo confessionis genere vti. §.189.

Ego fateor non licere eam confessionem sine rationabili caussa. Vnde qui interdiu admittit reservatum crimen; si ante decubitum speret legitimum sacerdotem, non potest vti eo genere confessionis: sic autem accipio Patrẽ Suarez: est enim illud tempus nõ longum, sed breve: interim autem peccator se comparat ad expianda crimina diligenti examine, & dolore de peccatis. At optarem ego vt Pater Suarez, & alij exponerent an interiecta vna nox esset breve tempus? an longum? & vtrùm esset caussa sufficiens ad indirectam absolutionem, peccatorem ire cubitum Deo reconciliatum? Qui enim se sentiret difficilem in exercenda contritione; & cognosceret se satis esse paratum ad confessionem, habeatque presto sacerdotem; an infœlix hic homo iturus est ad somnum in peccato mortali? & forte ex illo somno rapiatur ad tartara? Author Libri de spiritualibus documentis cap. 53. tom. 4. operum Augustini, explanans testimonium Christi apud Lucam 12. 20. *Stulte, hac nocte repetunt animam tuam*: rectè hæc ait: *Heù! quare non timemus quod Evangelium terribiliter insonat dicens: stulte, hac nocte exposcent animam tuã?* Et August. ipse tom. 10. lib. Homil. homil. 48. *Nox ei vitam fugabat, & de crastino cogitabat. Quod in alijs expectabat, in se non sperabat.* Vnde concludo voluisse Christum omnes monitos non differendam pœnitentiam à nocte in diẽ sequentem: quia forte illum non adspicicimus; vt innumeris contingit. Ad rationem Patris Suarez responderi posset esse rationabilem caussam exemplum tot hominum ex lecto raptorum ad tumulum de repentè: & nullum nisi perinsanũ posse in mortali dormire peccato. At nihil audeo decernere: quia quæstionem hanc vidi nullibi; nec volo alicui in alterutram partem præire. §.190. Luc. 12. August.

Superest tamen morale dubium: demus peccatori sacrum facturo nullum adesse sacerdotem nisi simplicem: quæritur vtrũ apud illum posit fieri confessio; vt ille absolvens directè à venialibus confessis absolvat indirectè à mortalibus simplicibus, aut reservatis? Deinde quæritur, vtrùm ad id teneatur sacra facturus? §.191.

Ad primam quæstionem Pater Suarez tom. §.192.

Suar. tom. 4. disputatione 31. sectione 3. numer. 9. non respondet absolutè; ait tamen se inclinatum in partem affirmantem. Nec censet incommodum tunc adhiberi ad confessionem simplicem sacerdotem: quia omnia peccata mortalia sunt deinceps confitenda proprio sacerdoti, ac si simplex non fuisset adhibitus. Ad secundam autem quæstionem patet ex §. 182. His de rebus agit Pater Suarez locis adductis: præsertim tom. 4. disput. 23. sect. 2. & disputatione 31. sectione 3. Quæ quia communia sunt omni peccatori egenti confessione Sacramentali; & spectant ad materiam de pœnitentia; non disputantur hic latius; sed perstringuntur, vt singuli sciant quid agere possint, aut debeant.

DISPVT. LXXXV.

De confiscatione bonorum hæretici.

§. 1. ISCVS est saccus publicus, sive ærarium. Confiscatio est alicuius bona ærario publico adscribere: ærarium potest esse Principis; vel totius reipublicæ, Ecclesiasticum Papæ, Episcopi, Ecclesiæ, aut Inquisitionis. Agitur hic de hæreticorum pœna, qua fortunis spoliantur omnibus; quia vero hæ maiori ex parte cedunt in publicum ærarium; totam fortunarum amissionem disputo titulo confiscationis. Non mittam securim in sylvam iuristarum, exteriusque forum, nisi ad brevia nõnulla capita vtilia conscientiæ foro, ac Theologo: ijs de rebus mirè & prolixè disputat Pater Thomas Sanchez. lib. 2. à cap. 14. ad 24.

SECTIO I.

An sit licita bonorum hæretici confiscatio?

§. 2. OSTENDAM disputat. 86. sect. 1. licitum esse hæreticos punire etiã laqueo & igne. Vnde liquet, licere eosdem privare fortunis: tùm quia gravitas criminis est digna illo, maiorique supplicio: etenim rei læsæ Maiestatis humanæ fortunis privantur & vitâ: hæresis autem est crimen læsæ Maiestatis divinæ, cuius lex deseritur: est item crimen læsæ Maiestatis Ecclesiæ; cuius Regia potestas in præscribendis dogmatis abnegatur. Hæc pœna decernitur iure communi civili, & Hispano, item & canonico cap. *cùm secundum leges* de hæreticis in 6. vbi Bonifacius Octavus comparatione aliorum criminum, ob quæ bona confiscantur, confirmat hanc pœnam. Secunda ratio huius pœnæ benè insinuatur à Patre Suarez ne hæreticus fortunis armatus fidem oppugnet: tertia, vt alij in alieno capite sapiant.

Hinc oritur dubitatio; vtrùm filij hæreticorum privandi sint hæreditatẽ paterna? Primum respondeo, filios ereptos è patria potestate non privari bonis; quæ iam non sunt patris; sed ipsorum. Nec bonis castrensibus, aut quasi castrensibus; qualia sunt beneficia Ecclesiastica, publica salaria, & stipendia Regia, & si quæ sunt alia; quorum dominiũ non sit penes patrem; quamvis sit administratio: item nec bona, quæ hæreditate, aut legato, aut donatione sunt filij? Ratio à priori; quia hæretici bona confiscantur, non verò Catholici; sed illa bona non sunt hæretici alicuius; sed Catholici: ergo illa non confiscantur. Secundò, quia filius non est in culpâ hæresis; cur ergo punietur? Non confiscari peculia adventitia filiorum docet Pater Thom. cap. 16. num. 18. idem dicit de peculio profectitio num. 21. §. 3. Sanchez.

Deinde omnia bona paterna confiscantur filijs, nulla parte relicta earum fortunarum, quæ sunt patris hæretici: sic glossa cap. adducti §. 2. prope finem: & nova iura, quæ adducit Pater Suarez disputatione 22. sectione 1. numer. 3. estque in vsu, neque ea de parte dubitari iam licet. Ratio solet afferri, quia filij sunt aliquid Patris, qui acerbiùs punitur, quàm si bona deducerentur ad filium: de quo agendum disputatione 88. §. 5. Ratio à priori est: quia bona paterna non sunt filiorum; sed Patrum: qui ante mortem ea possunt dissipare citra filiorum iniustitiam: ergo filijs non fit iniuria, neque infligitur pœna: licèt enim ad eos deriventur incommoda; at nec sunt pœna, nec iniustitia. Per se enim punitur hæreticus; hunc autem habere liberos, quibus incommodo sit Patris egestas, est per accidens: non aliter ac cum homo vxoratus strangulatur ob furtum: quod ingenti incommodo est vxori, ac liberis. §. 4. Suar.

(?)

SVB-

S.Tho. q. 11. art. 3.

SECTIO II.

Quæ bona confiscanda sint?

§.5. VNO verbo confiscantur, omnia bona, in quæ hæreticus habet dominium absolutum, atque perpetuum: exemp. grat. pecuniæ, suppellex, prædia, domus, horti, pecora, & alia, quæ pro suo arbitratu potest destruere & alienare. De maioratibus & servis agendum sect. 3. & 4. Huiusmodi sunt annui census tàm perpetui, quàm pro vita (vt aiunt): perpetua Emphiteusis. Denique omnia, quæ plenę sunt in hæritici potestate: pereunt item omnia iura & actiones personales: vt docet Sanchez. P. Thomas lib. 2. cap. 14. num. 3. non tamen transeunt in fiscum num. 6.

§.6. Animadv. Hic adverte bona hæreticorum interdum esse cum onere, vt si va dimoniũ sit susceptũ, aut sint per hypothecam censui adscripta, aut ex eis alimenta sint pendenda fratri hæretici: aut pensio annua sit solvẽda: tunc enim bona hæreticorũ eo onere traijciuntur ad fiscum. Ratio à priori: quia fiscus non accipit hæretici bona liberiora, aut meliora, quàm sunt apud hæreticum: alioquin etiam confiscarentur bona Catholici, in cuius damna hæretici fortunæ fierent meliores. Sed hæreticus bona possidet cum eo onere: ergo cum eo traijciuntur ad fiscum. Vnde si bona sint pro indiviso apud Catholicum & hæreticũ: tunc non transmittuntur in fiscum bona in solidum; sed pro indiviso: ita vt Catholicus simul cum fisco teneat dominium idẽ, quod prius cum hæretico. Itẽ si cui hæreticus quid debet, id soluturus est fiscus.

§.7. Bona feudalia non confiscantur; sed redeunt ad eum, qui ea dedit in feudũ: quia dominium directum est in donante feudum: nõ in feudatario: pęnes quem tantum est dominium vtile cum onere personaliter serviendi donanti bona: at iam illa conditio exhiberi nõ potest: ergo repetit dominus directus sua bona. Item bona vxoris ipsi restituuntur, nisi ipsa matrimonium inierit iam conscia criminis sui mariti. Nec confiscantur vsusfructus peculij adventicij filiorum hæretici; sed redduntur filio: quia patri reddebantur ratione patriæ potestatis: qua tunc privantur. Nec confiscantur bona futura. Recognosce Patrẽ Thom. Pat. Suarez locis adductis, & Petrum Lorcam disputatione 46. à num. 3. Hæreticorum filij succedunt avo Catholico. Vnde bona avi transeunt ad nepotes patre mortuo, aut vivente. Pater Thom. cap. 4. num. 35. Filij familias quasi castrensia ad Patrem deferri rectè docet Pater Thom. cap. 15. num. 4. idem est de peculio adventitio: vt ibidem n. 9. idẽ est de peculio profectitio num. 17.

Suar. Sanch. Lorca.

SECTIO III.

De servis hæreticorum.

§.8. Sanch. DE servis hæreticorum disputat Pater Thom. cap. 24. à num. 9. ex quo hæc brevi deduco. Primò, servus Christianus acquisitus ante hæresim, manet liber: nec confiscatur: itaque si iudex sententiam ferat, considerandum est quo die fuerit hæresis admissa externè: si ante eum diem, aut horam mancipium erat viri, qui postea fuit hæreticus: amittit hęreticus ius in servũ: & hic fit sui iuris: quamtumvis hæreticus resipuerit. Si tamen post resipiscentiam acquisiverit servum non amittit ius in illum, sicut nec in cætera bona eâ ratione parta.

§.9. Mancipia infidelia, aut cathecumena non donantur libertate; sed applicantur. Fisco vt cætera bona: quia in honorem baptismi fideles non permittuntur servire infidelibus, vt ostendi disputatione 75. à §.70. Cathecumeni autem in foro externo censentur esse pagani. Si autem servus infidelis ob studiũ Religionis Dominos detulerint apud Quæsitores, non propterea sunt liberi: asserit autem Pater Thom. eos libertate donandos. Quod Sanch. præstare oportet prudentiâ illi tribunali donatâ à Deo: ne mancipia avida libertatis ansam arripiant ad calumniam. Cum verò Principis beneficio bona restituuntur hæretico: non tamen servus, qui non amittet libertatẽ iure semel assertam. Si vero post crimen & ante resipiscentiam mancipium acceperit legato, donatione, aut hæreditate; non acquisivit ius in illud; sed transit ad donatorem, legantem, aut alios hæredes. Si vero ludo aut emptione sit servus acquisitus post hæresim, pertinet servus ad fiscum. Ratio videtur esse: quia qui servum ludo amisit aut pertio alienavit, accipit de bonis fisci aut expositus fuit ad accipiendum. Vnde fiscus, cuius erant bona hæretici, est qui lucra percipit ludi, aut contractus: vt expositus fuit ad patienda damna.

§.10. Si alter coniux hæreticus ante matrimonium: attulit servum fidelem in dotem vel quacumque aliâ ratione: servus est sui iuris: quia cum fuit in matrimonium allatus iam erat liber ob crimen domini cum afferentis, & quamvis post matrimonium Dominus hæreticus non sit solvendo æri alieno doti vel arrhis, aut paraphernalibus; adhuc manet

net liber: quia illa debita sunt contracta quādo ille erat liber. Si verò post matrimonium commiserit hæresim, quando tenebatur dotis, aut arrharum debito: cui solvendo non est, servus non manet liber nisi ipse, aut alius pro eo solvat tantùm pecuniæ, quantùm ipse valet: quia servus fuit adstrictus hypothecæ saltim virtualiter: estque debitum anterius. Idem dico de alijs debitis: quia omnis creditor habet ius in omnia bona debitoris, quæ sunt subiecta debito, & solutioni. Item quod servi libertas est in pœnam solius hæretici, quæ non est cum periudicio iustitiæ aliorum; sed servi libertas esset cum periudicio iustitiæ creditoris: ergo. Multa alia prætereo, quæ non spectant ad Theologum.

SECTIO IIII.

De Maioratibus.

§. 11. MAIORATVS, & fideicōmissum habent difficultatem, quam attingam per quam brevi. Quando bona donantur alicui vtenda pro sua vita, postquam donantur alijs; considerandum est vtrum in illis bonis successores sint extincti? an supersit aliquis? Si primum, bona perpetuò publicantur: quia iam sunt hæretici in vsu, & proprietate. Si verò aliquis supersit hæres non publicantur nisi pro hæretici vita, pro qua sola habebat ius in bona.

§. 12. Adverte, non posse fideicommissum alienari pro vita possessoris: quia dominus voluit integrum manere pro fideicommissarij vita: postquam ipse fideicommissarius posit fideicommissum alienare. Si verò fideicommissarius sit hæreticus amittit perpetuò illa bona: quia negatio potestatis ad alienandum, fit in fideicommissarij favorem, quem amittit ob delictum. Eâdem ratione pupillus non valet alienare bona, quæ tamen publicantur ob delictum.

§. 13. Quando fideicommissum est apud hæreticum, publicatur perpetuò si est contra clausulam, aut legem exempli gratia: Sixtus Quintus plectendos voluit bannitos publicatione perpetua omnium bonorum. Si quis reliquerit amico fideicommissum: & hic esset bannitus statim erant eius bona perpetuo publicanda: quia qui ea legavit, ea subiecit legi. Item si in aliquo Regno sit lex vt maioratus perpetuò publicentur. Omnia eiusmodi bona publicantur fisco: quia ea bona relinquit institutor cognoscens legem, ipsi legi subiecta. Item illa bona si legato, aut hæreditate essent relicta, absque vinculo maioratus ea essent publicanda: quia illorum dominus absolutus esset hæreticus: ergo etiam si sint vinculata maioratus: quia lex præscripsit institutori conditionem, cum qua essent confiscanda, quam conditionem amplexus est ipse. Vnde nullus ex alijs ad maioratum vocatis habet ius ad ea bona magis quàm si essent absque vinculo maioratus. Maximè quia si in maioratum adductæ fuerunt tertia & quinta pars bonorum, quæ potuerunt absque vinculo legari successori: illa non erant spectatura ad alios; sed immediatus successor erat futurus illorum dominus absolutus: illisque privandus ob hæresim citra aliorum iniustitiam: ergo lex iustè potuit ea permittere vinculo cum conditione confiscationis ob hæresim. Quod si bona erant omninò libera, quæ etiam post obitum legare posset, cui vellet institutor: ea legat vocatis ad maioratum cum eo onere: in eius autem est potestate maioratum instituere: at si instituit, ex posuit bona illi periculo, in quo nulli facit iniuriam.

Etiam si bona vinculentur cum facultate Principis, & in ea adijcitur clausula de confiscatione perpetua ob crimen hæresis: confiscantur maioratus ob eam rationem ob quam §. 13. id ostendi de lege: quia ea clausula vim habet legis, significat enim Principis voluntatem, à qua lex vim habet; itaque tàm immediatus successor, quàm cæteri ad maioratum vocati fruuntur iure ad maioratum, cum hoc onere ne quis possessor sit hæreticus: vnius enim hæresi omnes amittēt ius ad ea bona, quæ cum ea conditione vinculantur ab institutore, & à Principe permittuntur. Immò ad hoc sufficit sola voluntas institutoris. Ratio est: quia ea bona nisi vincularētur, essent exposita perpetuæ confiscationi in successore hæretico, quo periculo solvuntur Principis facultate, hæc autem deest in hac occasione: ergo. §. 14.

Hic observat P. Thom. Sanchez numero 50. id esse verum quando petitur facultas Regi ad vinculanda bona, quæ absque Principis facultate vinculari non possunt: quæ autem possunt absque ea, maioratu vinciri, non subijciuntur perpetuæ confiscationi, exempli gratia instituit maioratum Pater ex tertia, & quinta parte bonorum, quam pro arbitratu potest legare cuilibuerit ex filijs: ad quam vinculandam non indiget facultate Principis: at simul cum ea bonorum parte vinculet aliam, ad quam eget ea facultate. Si Princeps det facultatem ad maioratum cum onere perpetuæ con- §. 15. Sanchez.

S.Tho.q. 11. art. 3. confiscationis; hæretici crimen efficit, vt perpetuò confiscetur pars illa, vltra tertiam & quintam; non vero hæc. Quod probabile est; at probabilior mihi videtur sententia Antonij Gomez opinantis totum maioratum confiscari perpetuò: quia institutor acceptavit facultatem cum onere in ea expresso: & ipse Princeps noluit dare facultatem ad bona indigentia facultate, nisi non indigentia tali facultate subijcerentur perpetuæ confiscationi: estque licitus contractus: dat enim Rex facultatem ad maioratum, vt institutor reliqua bona subijciat fisco, si sint in hæretico possessore. Institutor ergo quærit suorum bonorum securitatem, qua ratione potuerit; at eam non potest nisi cum eo onere. Quod si ad nihil erat necessaria facultas, tunc clausula non subijcit maioratum perpetuæ confiscationi: quia ibi onus illud non censetur imponi, nisi more contractus: qui nullus est tunc: quia Princeps nihil dat re ipsa: quod docet Pater Thomas cap. 18. num. 48.

Ant. Gom.

Sanchez.

§.16. Quod si maioratus sit institutus cum clausula eum extrahente à cõfiscatione perpetua; poterit nihilominus Princeps illum perpetuò confiscare ob hæresim possidentis: tum quia Carolus Quintus id effecit in rebelles (vt asserunt nonnulli): tum quia voluntas Principis prioris non ademit facultatem Principi successori ad administrandum Regnum, vt censuerit expedire; sed semper manet Princeps successor sui iuris ad mutandas clausulas, maioratum, & leges. Nec enim institutor facultate primi Principis acquisivit ius iustitiæ contra Principes successores (nisi ex contractu iustitiæ commutativæ clausula exceptoria sit empta: tunc enim non potest Princeps successor agere contra eam); sed præcisè ob bonam administrationem adiecta est clausula: quæ deleri poterit ob administrationem eandem. Tandem, quia dominium est in vltimo possessore; est tamen ligatum: quia non potest maioratus oppignorari, nec alienari absque facultate Principis, qui iustas ob caussas [illegible] eam dare: ergo ceteri vocati non [illegible], ne maioratus oppignoretur, aut alienetur nisi dependenter à voluntate successoris Principis: ergo vt hic potest efficere ne ad cæteros vocatos deveniat maioratus ob iustas caussas; poterit idem efficere ob crimen hæresis: quod non leviter confirmat Sixtus Quintus, qui bannitorũ bona perpetuò fisco subiecit, quin confiscationi obsint quæcumque clausulæ.

Sixt. 5.

§.17. Si vero nec lege cautum sit, vt maioratus hæreticorum perpetuò confiscentur; nec facultas Principis eam exigat conditionem: quia aut facultas non fuit necessaria; aut si fuit, data est absque eo onere; tunc non confiscantur perpetuò maioratus; sed transeunt ad alios vocatos: idque sive in eo Regno consuescat adhiberi clausula subijciens maioratus perpetuæ confiscationi; sive non consueverat. Ratio est: quia bonorum perpetua confiscatio non est de iure naturæ; sed est pœna liberè statuta in hæreticos; sed hæc pœna non est infligenda nisi ex lege, aut Principis potestate: ergo. At hæc lex nullibi est; nec item Principis voluntas: quia leges præcipientes confiscationem perpetuam bonorum, accipiendæ sunt de bonis, quorum hæreticus est perfectè dominus cum potestate ea alienandi, & distrahendi. Quæ doctrina est plurium authorum, quibus Pater Thomas subscribit capite 18. numer. 36. & Pater Suarez disputatione 22. sectione 5. numer. 12. & Petrus Lorca disputatione 40. numer. 13. Ratio est: quia perpetua confiscatio cedit per se & directè in damnum innocentum: quod admittendum non est absque expressa lege, aut voluntate Principis. Nec hoc damnum est quale fit filijs ob paternorũ confiscationem bonorum; sed directè: quia filij nullũ habent ius in bona vivente patre; qui ea potest distrahere, & alienare; secus vero maioratum. Nec admitto discrimen inter maioratum institutum à patre, aut à Principe. Item, si maioratus est adeò antiquus vt nesciatur clausula; semper est immunis à perpetua confiscatione: nisi lex sit expressa in eo Regno antiquior maioratu.

Sanch. *Suar.* *Lorca.*

§.18. De vsufructu maioratuum dico, pertinere ad fiscum omnes fructus, qui pertinebant ad dominum tempore hæresis: quia illorum erat tunc dominus perfectè: item omnes, qui ad eum spectabant toto tempore, quo fuit hæreticus, & qui tota eius vitâ decurrent: quia est eorum perfectè dominus. Si vero sit in maioratu clausula, qua in pœnam hæresis privatur iure maioratus, ipso facto fructus post hæresim commissam, & futuri pertinent ad immediatum successorem in eo maioratu: clausula autem non est dictura, vt possessor ante hæresim intelligatur privatus iure maioratus: nulla enim pœna est ante delictum; sed vt commissa hæresi externè, ipso facto intelligatur privatus iure maioratus: quod docent Pater Thomas, & Pater Suarez adducti §. 17.

Sanch. *Suar.*

(·.·)

SE-

SECTIO V.

A quo tempore hæreticus sit privatus bonis?

§.19. APPREHENSIO bonorũ nũquam fit à fisco, vel iudice ante crimen probatum, & sententiam vel declarantem crimen, vel bona publicantem: agitur nunc, à quo tempore hæreticus amittat ius ad sua bona? an à tempore criminis admissi? an verò à tempore sententiæ?

§.20. Communis est omnium sententia, bona publicari ipso facto: ita vt tunc hæreticus incipiat subiacere legi confiscationis, vt cum crimen probetur, non amittat dumtaxat bona, quæ habebat cum lis cæpit esse contestata; sed etiam quando crimen fuit commissum Sanchez. externè. Quam sententiam Pater Thom. cap. 14. num. 1. asserit esse omnibus communem.

§.21. Est tamen inter Doctores dissidium: vtrùm ipso facto hæreticus amittat domi- Suarez. nium? an verò apud illum maneat? Pater Suarez disputatione 22. sectione 3. pro vtraque parte multos adducit ac graves authores: ipse verò numer. 6. asserit quæstionem illam esse de nomine: quia de re ipsa constat. Quia fiscus post sententiam potest exigere ab hæredibus bona patris hæretici; item & à legatarijs, & alijs, apud quos extent: item sibi vendicat omnia bona, quorum hæreticus erat perfectè dominus, cùm primùm externè fuit hæreticus. Quæ arguunt dominium transijsse ad fiscum eo instanti. Aliunde verò hæreticus ante executionem iudicis potest vti suis bonis, illa consumere, & alienare. Quæ absque dominio fieri non possunt. Quapropter ait Pater Suarez dominium vtile manere apud hæreticũ ad sententiam vsque; directum autem dominium manet apud fiscum ab ipso externi criminis instanti. Pater Thomas ait fiscum ab ipso crimine habere dominium bonorum hæretici sub conditione, si crimen probetur, feraturque sententia: hæreticum autem tunc sub eadem conditione illud amittere. Vnde deduci videtur hæreticum ante sententiam manere dominum absolutè: quia dominium absolutè apud aliquem est; non apud fiscum: ergo apud hæreticum. Et quidem hæreticus est absolutè dominus; sed cum onere vt transeat ad fiscum dominium ab instanti criminis, quando feratur sententia.

§.22. Itaque lata sententiâ fiscus acquirit dominium bonorum omnium, quæ erant apud hæreticum cum facultate perfecta illa alienandi, & distrahendi: item & omnia, quæ acquisivit quovis titulo toto tempore, quo duravit in hæresi; at hæresi retractata, omnia bona fecit sua, quæ post retractationem acquisivit: quia non plectitur, nisi dùm est hæreticus: sive ergò exterius sit Ecclesiæ reconciliatus; sive interiùs tantùm retractarit hæresim; iam non est subiectus publicationi bonorum, quæ Catholicus iam acquirit, idque multo est clarius post sententiam, quâ mulctatur bonorum amissione; nõ tamen alia conquirendi iure. Recognosce Patrẽ Thomã lib. 2. cap. 14. num. 10. video Patrẽ Suarez disputatione 22. sect. 1. num. 15. censere probabilius confiscari bona acquisita etiam post hæresim retractatam toto tempore ante sententiam.

SECTIO VI.

Utrùm hæreticus posit distrahere bona, quæ confiscationi sunt subiecta?

DICO primò: nullus hæreticus etiã manifestus, & notorius tenetur ante sententiam tradere bona fisco; sed illis potest licitè vti. Quam sententiam docet Pater Suarez ea disputatione 22. sect. 2. num. 3. esse veram, communissimam, atque securam. Quam latè probat Pater Thom. cap. 22. num. 7. est enim pœna tam gravis, vt moraliter esset impossibile, vt illi starent delinquentes. Immò nec reus lata sententiâ tenetur se spoliare bonis; sed sufficit si paratus sit ad spolium patiendum: vt rectè docet Pater Thom. nu. 8. immò si fiscus ob negligentiam aliqua bona prætereat, nõ tenetur hæreticus ea prodere: satis enim est si ea habeat, vbi independenter à publicatione ea solitus est habere: & si ea occultat; tenetur ea manifestare interrogatus: si autem nec interrogatur; nec publico edicto conquiruntur bona confiscata; nõ est peccatum ea non tradere: si enim ipse paratus est ea tradere legitimè interrogatus; si nõ interrogatur, est ob negligentiam ministrorum fisci. Satis enim manifesta habet bona, qui paratus est ea exhibere rogatus. §.23. 1. Concl. Suar. Sanch.

Potest igitur hæreticus vti suis bonis licitè ante sententiam. Nunc oportet examinare an posit licitè contractus inire? & quidem liciti illi sunt omnes necessarij ad vitæ, & familiæ sustentationem; immò ante sententiam latam omnes contractus sunt liciti, §.24.

S.Tho. q. 11. art. 3. liciti, & validi sub conditione, si bona non proscribantur; invalidi autem sub conditione si proscribantur. Ita multi, gravesque Doctores, quos sequitur P. Vazq. tom. 2. in 1. 2. disp. 171. c. 2. nu. 2. & 3. quia hæreticus habet ius in sua bona; nec illi est interdicta eorum administratio ante sententiam. Vazq.

§. 25. Hic moneo; alienationes lucrativas, quales sunt donationes, esse licitas absolutè: quia donatarius nulli exponitur incommodo: si enim deinceps bona publicentur; nō tenetur restituere, nisi ea, quibus factus est ditior, aut quę mala fide distraxit: quę vero bona fide distraxit, & quibus non est ditior factus; non tenetur restituere. Si vero alienatio sit onerosa, est distinguendum: si hæreticus fundum emit, vel aliud apud ipsum existens tantum valiturum post sententiam, quantum ante illam; contractus est licitus: quia venditor nulli periculo exponitur: quia si fiscus velit cōtractum rescindere est redditurus fundum: quia illum acquirit cum eo onere, quòd iustè habet: item hæreticus fundum acquisivit cū venditoris damno cedente in vtilitatem fisci: ergo fiscus tenetur illud compensare, vt tenetur idem facere quoties contractum hæretici rescindit, si apud hæreticum inveniantur bona, quibus fieri posit compensatio.

§. 26. Si vero contractus sit cum periculo alterius contrahentis: quia hæreticus probabiliter timet se accusandum hæresis, & damnandum bonorum confiscationis; & ex contractu subiectus sit alter, vt fiscus repetat bona alienata; non est licitus hæretico ille contractus, exempli gratia: vendit hæreticus fundū, aut domum repetendam à fisco post sententiam: si bona hæretici talia sint, vt de illis possit fiscus emptoris damna compensare, non peccat hæreticus in venditione; peccat autē si in eius bonis non maneat vnde damna cōpensentur. Quia contractus ille est involuntarius emptori, qui inculpatè ignorat circumstantiam pertinentem ad substantiam contractus: quia prædium cum illo periculo minoris æstimatur, quàm sine illo; nullus autē vult emere cariori pretio quàm iusto: item vendens non init iustum contractum: quia plus accipit quàm dat: quia quod vendit, dum est cum eo periculo, non valet quantum ipse accipit. Duo ergo sunt necessaria, vel vt in bonis hæretici sit vnde posint emptori compensari damna, vel vt rem vendat hæreticus pretio iusto supputato, non de re secundum se; sed æstimato etiam periculo confiscationis, & manendi sine compensatione damnorum. Reliqua vide apud eos authores.

(∴)

DISPVT. LXXXVI.

De vltimo in hæreticos supplicio.

HÆRETICVS olim damnari solitos confiscatione bonorum testis est August. tom. 2. epist. 50. ad Bonifacium Comitem his verbis. *Ipsi* (Donatistæ) *certè dicunt, & invidiosissimè conqueri sibi videntur, quòd eos in nostram communionem violento legum imperio coarctamus.* Hic autē questus erat ob amissa bona legibus Imperatorijs. *Quidquid ergo nomine Ecclesiarum partis Donati possidebatur, Christiani Imperatores legibus religiosis cum ipsis Ecclesijs ad Catholicam transire iusserunt.* Nec vero hæc erant bona Ecclesiastica: in quæ nullum ius Imperatoribus erat; sed bona hominum sequentium errorem Donati. Constat ex eodem exemplo hæreticos legibus severis vrgeri tunc ab Imperatoribus eorumque ministris. §. 1. August.

SECTIO I.

Quid senserit S. Augustinus de supplicio capitali in hæreticos?

PRIMVM censebit aliquis ab Augustino probari leges Imperatorias de hæreticis necandis: quia in epistola 50. ad Bonifacium Comitem, hæc ait: *Sed si aliter non meruit habere pacem domus David, nisi Absalon filius eius in bello, quod contra Patrem gerebat, fuisset extinctus, &c.* Deinde ait de Ecclesia: *Iste in Africa ramusculus fractus est, cùm eos charitate parturiat, vt redeant ad radicem, sine qua veram vitam habere nō possunt, si aliquorum perditione cæteros tàm multos colligit, &c.* §. 2. August.

At certè nex illa non inferebatur à Magistratibus, sed Donatistæ sibi ipsis injiciebant manus pressi legibus Imperatorijs de bonorum confiscatione. Illis erat familiare vrgere alios, vt ab ipsis necarentur: quòd si quis eos non interficiebat, ipsi se agebant præcipites: vt ex multis Augustini locis est clarum: tùm maximè ex eâdem epist. 50. hi igitur hæretici seipsos perimebant sponte ob leges Imperatorias: vt constat ex his Augustini verbis. *Præsertim quia isti non sicut Absalon casu bellico, sed spōtaneo magis interitu pereunt, &c. Horū ergo populorū cōgregationes, per plurimas regiones ab illa perditione liberatorū, si sub vno cōspectu*

Hu videres: tunc diceres nimiæ fuisse crudelitatis: si dùm timeretur, ne homines desperati, & istorum innumerabili multitudini nulla æstimatione comparandi, suis & voluntarys ignibus cremarentur: isti in æternum perdendi, & sempiternis ignibus cruciandi relinquerētur. Quod clarè confirmat exemplo duorum in domo periturorum. *Porrò* (inquit) *si vnus illorum nobis diceret, quando intraveritis eruere nos, me ipsum continuò trucidabo, &c.* Itaque tunc solâ plectebantur bonorum proscriptione, non verò nece.

§. 4. Immò contendit aliquis ab Augustino damnatas leges de hæreticorum internecione; easque indignas lenitate Christiana. Quæ testimonia libet ex eodem Augustino interpretari, & ostendere eum oppositum censuisse. Primum testimonium est ex

1. Test. epist. 158. qua ad Marcellinum, ait: *Pœna sanè illorum quamvis de tantis sceleribus confessorum; rogo te, vt præter supplicium mortis sit, & propter conscientiam nostram, & propter Catholicam mansuetudinem commendandam.* Respondeo, minimè potuisse Au-

Resp. gustinum censere iniustam hæreticorum eā necem: non enim de sola hæresi vindicta petebatur, sed de alijs atrocibus criminibus: ob quæ alij Catholici hæreticos poscebāt ad necem, vt ibidem dicit Augustinus; sed hic partim ob scrupulum ne videretur inimicorum sanguinem sitire, & aliqua rapi specie propriæ vltionis: & ne Pontifex ad mortem posceret Christianos: partim quia Augustinus benignior erat, multoque mansuetior alijs: cuius animus frangebatur Christianorum supplicijs: qua in re illi multi Catholici adversabantur, vt ipse asserit. *Quod etsi modo quibusdam nostris illa atrocitate commotis videtur indignum, & quasi dissolutionis, & negligentiæ simile, &c.* Itaque nex ob alia atrocia crimina non poterat esse iniusta: cuius indulgentia dissolutio Catholicis videbatur.

§. 5. 2. Test. Secundum testimonium est ex epistola 159. qua iubet ipsum Marcellinum, ne quem necet, aut mutilet: *hoc magis sufficere volumus vt vivi, & nulla corporis parte truncati, &c.* Respondeo hæreticos, quo-

Resp. rum necem Augustinus deprecabatur, non solùm ob hæresim; sed etiam quod interfecissent Restitutum, & Innocentium Catholicos Presbyteros, & ob alia crimina in carcerem fuisse detrusos. Rogat igitur Augustinus ne illi pereant, non quod obijciat eos licitè non posse perire; sed ex sola mansuetudine, & lenitate. Idem est argumentum epistolæ 160. ad Apringium Africæ Proconsulem; cuius tribunus erat Marcellinus: itaque deprecatorem necis homicidarum hæreticorum agebat Augustinus nō accusatorem, & orat Apringium, vt sibi importunitatem ignoscat.

Tertium testimonium est ex epistola 60. ad Cæcilianum Præsidem, verùm potius eū hortatur, vt Hipponenses hæreticos, vt cęteros compescat: addit tamen pro sua humanitate, vt terrore potiùs, quàm supplicio hæreticos sanandos procuret. Minus malè arguerent ex epistola 61. ad Dulcitium Tribunum; quem arguit, his verbis. §. 6. 3. Test.

Non itaque reprehendimus, Domine eximiè, & honorabilis fili, quod tales homines apud Thamugadem priùs edicto admonendos existimasti; sed quod ibi dixisti, noveritis vos, debita neci dandos. Respondeo, non damnari ab Augustino leges de hæreticorum necibus; sed ministrorum audaciam capitis pœnam minantium authoritate propria absque legibus. Ait enim. *Non enim tu in eos ius gladij vllis legibus accepisti, aut imperialibus constitutis, quorum tibi iniuncta est executio, hoc præceptum est, vt necentur.* Resp.

Gravius testimonium est tom. 7. lib. 3. contra Cresconiū Gramm. c. 49. vbi asserit hæreticorum esse morem, cæde vexare homines Christianos appellatos, his verbis. *Nam de Marculo, quod se ipse præcipitaverit audivi: quod profectò est credibilius, quàm hoc aliquam potestatem Romanam iubere potuisse, Romanis legibus nimis insolitum: cum hoc malum inter tot hæreses Christiano vocabulo errantes, proprium sit hæresis vestræ*, cap. verò 50. hęc ait: *Nullis tamen bonis in Catholica hoc placet, si vsque ad mortem in quemquam, licèt hæreticum sæviatur.* §. 7. 4. Test.

Respondeo ab Augustino minimè damnari leges, aut statuta Romanorum Principum de necandis hæreticis; sed asserit nullum ministrum Romanorum Principū potuisse præcipere, vt aliquis præcipitio plecteretur: quia hoc suppliciū alienū est à Romanis legibus: *potestas Romana* accipitur ab Augustino pro iudice Romani authoritate Principis constituto: nullus ex his id genus mortis potuit licitè præcipere. Quæ clarè constant tom. 9. tract. 11. in Ioannē. propè finem, his verbis. *Proferunt nobis nescio quot in persequutione suos Martyres. Ecce Marculus de petra præcipitatus est: ecce Donatus Bagaiensis in puteum missus est. Quando potestates Romanæ talia supplicia decreverunt, vt præcipitarentur homines?* Hoc autem genus mortis inter Christianos numquam fuit auditum, nisi inter Donatistas, vt constat ex eodem tractatu vndecimo. *Quid autem* (inquit) *respondent nostri? Quid sit gestum nescio; tamen quid tradunt nostri? Quia ipsi se præcipitave-* §. 8. Resp.

verunt, & potestates infamarunt. Recordemur consuetudinem potestatum Romanorum, & videamus cui credendum sit? Dicunt nostri illos se præcipitasse: si non sunt ipsi discipuli ipsorum, qui se de saxis nullo præcipiente præcipitant, non credamus. Quid mirum si fuerunt illi quod solent? Nam potestates Romanæ numquam talibus supplicijs vsi sunt. Quisquis Marculum, aut Donatum præcipitarit; id damnatum est à bonis Christianis; & signum est vlciscendi iniurias; quod minimè licere censent boni: immò, cum laudet sæpius Augustinus legem Theodosianam de aurearia mulcta hæreticorum, reprehendit Catholicorum avaritiam; quia nonnulli hæreticis diripiebant bona: id enim minimè licet nisi authoritate publicâ. Hæc est Augustini mens; quē laudasse leges de hæreticorum cæde iam probo.

§. 9. Prius tamen permitto Augustinum præ humanitate nonnullis Catholicis, prudentibus viris visum dissolutum; sive remissum. Non enim tenera viscera in Christianos etiam solo nomine patiebantur homines excrutiari. Ab ipso id disco in Epistola quinquagesima post medium his verbis. *Verum tamen ante quam illæ leges, quibus ad convivium Sanctum coguntur intrare, in Africam mitterentur; nonnullis fratribus videbatur; in quibus & ego eram, quamvis Donatistarum rabies vsque quaque sæviret, non esse petendum ab Imperatoribus, vt ipsam hæresim iuberent omnino non esse, pœnam constituendo eis, qui in illa esse voluissent, sed hoc potius constituerent, vt eorum furiosas violentias non paterentur contra eos, qui veritatem Catholicam vel prædicarent loquendo, vel legerent constituendo.* En Augustini bonitas, censens in hæreticis tunc non expedire supplicium pro hæresi; sed pro sola furiosa violentia. Quod consilium alijs displicuisse ipse docet: *& quamvis alijs fratribus aliud videretur, iam ætate gravioribus, vel multarum civitatum, vel locarum exempla per currentibus; vbi firmam & veram Catholicam videbamus. Quæ tamen ibi talibus beneficijs Dei constituta esset atque firmata, dum per piorum Imperatorum leges ad communionem homines Catholicam cogerentur.* Deinde demonstrat alios Episcopos postulasse á Magistratibus severam Imperialium legum observationem. Itaque Augustinus aliquandò mansuetior iusto visus est: hinc eius solicitudo orandi Marcellinum, Dulcitium, & Apringium. Maximè vero Donatum Proconsulem Episto. 127. *illud quoque* (inquit) *prudentia tua cogitet; quòd caussas Ecclesiasticas insinuare vobis nemò præter Ecclesiasticos curat. Proinde si occidendos in ijs sceleribus homines putaveritis, deterrebitis nos, ne per operam nostram ad vestrum iudicium aliquid tale perveniat.* §. 10.

Cum autem Augustinus cerneret percrebescere Donatistarum audaciam, misit presbyteros, qui peterent legum observationem; vt constat ex eadem epistola 50. epistola vero 60. orat Cæcilium Præsidem, vt in campo Hiponnensi compescat hæreticos, vt alibi fecerat; excipit tamen mortis supplicium. Epistola vero centesima vigesima nona per quam enixè rogat Olimpium Comitem, vt leges exerat Imperiales: contra idololatras; & heṛeticos, qui in parte erāt capitales: idololatræ enim nex erat decreta; *videas* (inquit) *quā primū sua præstantissima pro Christi mēbris in tribulatione maxima constitutis vigilantia potuerit; accelerandum suggero, peto, flagito.* Sapuit ergo Augustinus non in alieno, sed in suo capite, hæreticos esse premendos; quod prius non censuerat; dum longè illi in Catholicos debachabantur.

Leges capitales in hæreticos ob solam religionis caussam, laudat non semel; etenim Epistola 50. ad Bonifacium Comitem piam appellat legem capitalem Nabuchodonosoris ijs verbis: *Idem tamen Rex divino correctus miraculo piam, & laudabilem legem pro veritate constituit; vt quicunque diceret blasphemiam in Deum verum, cum domo sua penitùs interiret.* Laudat ergo legem à pietate; non qua parte innocentes erant perituri; sed qua blasfemi. Ab exemplo autem Ethnici Regis voluit tractatu vndecimo in Ioannem, propè finem, Reges Catholicos discere eodem supplicio agendum cum hæreticis. *Si ergo* (inquit) *Nabuchodonosor Rex laudavit, & prædicavit, & gloriam dedit Deo, quia liberavit de igne tres pueros, & tantam gloriam dedit, vt decretum mitteret per Regnum suū; quicumque dixerint blasphemiam in interitum erunt, & domus eorum in perditionem: quo modo isti Reges non moveantur, &c.* Cùm vero Augustinus eorum deprecatur necem, non est quòd eâ non sint digni; vt constabit §. 12. sed vt Ecclesiæ ostendat lenitatem. §. 11.

Et quidem Magistratus accepisse ab Imperatoribus præceptum hæreticos capite plectendi, constat ex eodem Augustino epistola centesima vigesima septima ad Donatum. *Denique* (inquit) *vnum solum est quod in tua iustitia pertimescimus, ne fortè, quoniam quidquid mali contra Christianam Societatem ab hominibus impijs, ingratisq; cōmittitur, profectò gravius est & atrocius, quā si in alios talia committantur: tu quoq; pro immanitate facinorum, ac non potiùs pro lenitate Chris-* §. 12.

Christiana considerationi censeat coercendum. Quod te per Iesum Christum ne facias obsecramus. Corrigi eos cupimus, non necare; nec disciplinam circa eos negligi volumus, nec supplicijs, quibus digni sunt, exerceri. Quaesumus igitur, vt cum Ecclesiae caussas audis, quamlibet nefarijs appetitam, vel afflictam esse cognoveris potestatem occidendi te habere obliviscaris, & petitionem nostram non obliviscaris. Reprehendit Augustinus epistola 61. Dulcitium, quod mortem fuisset comminatus sine Romana authoritate: Donatum autem monet vt obliviscatur se habere mortis potestatem: ergo Donatus in caussis Ecclesiasticis rectè potuit hæreticos necare ex Augustino oppositum suadenti, non quod nex foret iniusta; sed quia intercessio est digna Sacerdote, & miseratio iudice Christiano: item tractatu illo 11. In Ioannē prope finem; clarè ostendit hæreticos tunc morte plecti solitos, idque laudat exemplo Regis iniqui, qui ea in parte pius fuit. *Talia (inquit) facere volunt, & saltem talia pati nolunt. Nam videte qualia faciunt, & qualia patiuntur: occidunt animos, affliguntur in corpore: sempiternas mortes faciunt, & temporales se perpeti conqueruntur?* inferius autem vt probet Marcellum, & Donatum non esse præcipitatos Imperio Magistratuum, rationem reddit: quia Magistratus poterant illos publicè occidere, his verbis: *Nam potestates Romanæ numquam talibus supplicijs vsæ sunt. Num enim non poterant occidere apertè?* Itaque sentit Augustinus licuisse Imperatoribus nece hæreticos coercere: quod dixit laudabile & pium in Rege, in quo eiusque tempore cœperunt Imperatores eo supplicio hæreticos exterminare.

SECTIO II.

Vtrùm hæretici sint afficiendi vltimo supplicio?

§. 13. Greg. NONNVLLI censent à Sancto Gregorio lib. primo, Dialogorum cap. 4. referri hæreticum olim Romæ combustum. At ibi tantum agitur de Basilio magiis pollente: quem non constat hæreticum fuisse, nec ob hæresim combustum. Bernard. Sanctus Bernardus sermone 66. in Cant. refert non paucos hæreticos à populo occisos: populum autem reprehendit: qui fidem persuadere potest: imponere supplicijs non potest: hoc autem à Principe consulit faciendum. *Approbamus (inquit) zelum; sed factum non suademus: quia fides suadenda est, non imponenda. Quamquam melius procuIdubio gladio coercerentur, illius videlicet qui non sine caussa gladium portat, quam in suum errorem multos traijcere permittantur.* Nicephorus lib. 18. historiæ Ecclesiasticæ, capite quarto, refert Anatolium desertorem fidei Theopoli ad necem petitum; deinde Constantinopolim accersitum ab Imperatore Tyberio, in crucem actum à populo, ferisque obiectum: quod factum divino ardori Nicephorus adscribit: Beatæque Virginis effigiem oculos avertisse ab eadem eius opem implorante, & cum Præfectus Palatij pro Anatolio intercederet, ab eadem Virgine fuit correptus. Anatolij verò socij vivi dati sunt igni. Niceph.

§. 14. Idem supplicium decreverunt in Manichæos Theodosius & Valentinianus lege *Arriani* Cod. de hæret. & Manich. Doctores hæresum vltimo supplicio afficiendos voluerunt Valentinianus, & Martianus l. *Quicumque* prope finem, eodem Codice. Imperator Fredericus eam legem tulit, vt ex directorio docet Pater Suarez disputatione vigesimatertia, sectione secunda, numero primo. Idem decrevit noster Alfonsus Sapiens Rex Castellæ part. 7. tit. 26. l. 2. vbi Gregorius Lopez rem probat eruditè ex iure communi civili, & Ecclesiastico.

§. 15. Non tamen cuivis hæretico decernitur nex; sed cum aliquibus adiunctis; primum Hæresiarcha cum primum probatur crimen, comburitur. Ita præcipitur iure Castellano ea lege secunda, non solum autem id statuit id ius in Hæresiarchas; sed etiam in prædicantes quos illa lex vocat *consolatores*; vulgo *dogmatizantes*. Quod præceperunt Valentinianus & Martianus l. *Quicumque* prope finem Cod. de hæreticis & Manich. De Hæresiarchis idem censuere Simanchas, Rojas, & repertorium apud Patrē Suarez disput. 23. sect. 2. num. 10. & sequitur num. 11. qui oppositum dixerant num. 9. accipiuntur de dogmatizantibus. Ratio est quia author mali, graviùs est puniendus, quam sectatores: vt enim qui bono præcellunt exemplo sunt digni maiori laude, ac præmio: ita & qui exēplo pravo alijs præcurrunt, sunt graviore digni supplicio. Quod in hoc argumēto vim habet acriorē: quia cū Ecclesia sit pacata in omnium dogmatum doctrina; nisi essent Hæresiarchæ nulla hæresi turbaretur: nec quis de eius authoritate dubitaret. Ad hæc longo & funesto experimento didicit Ecclesia nullum Hæresiarchā resipuisse. Arrius decepit Simanc.

S.Tho. q. 11. Art. 3. Constantinum, Alexandrum, & Achillam falsa abiuratione, & specie pœnitentiæ: Pelagius fraudulenter decepit multos Episcopos: Lutherus nec Caroli Imperio, nec Caietani doctrina conticuit. Est enim dœmoniacæ argumentum arrogantiæ: est enim dœmonia contra vniversæ Ecclesiæ agmina, levare signa, delectum habere, & aquilas conferre. Nullus ergo Hæresiarcha est admittendus ad vitam; sed è vestigio flammæ donandus. Hæresiarcha autem definitur ab Vrbano cap. *Qui aliorum* 24. quæst. 3. *Qui magister erroris est, Hæresiarcha dicendus est*. At opus est vt sit etiam erroris inventor. Vndè Vrbanus Hæresiarcham latius accepit pro eo, qui est plusquam hæreticus. Rogas cur ibi dixerit Vrbanus damnabiliorem esse eum, qui alius defendit errorē, quam qui errorem dixit? Respondeo; comparari inventorem hęresis, eam tamen non prędicantem, nec suadentem, cum illi errori assentiente; eumque prædicante. Qui autem & errorem invenit & prædicat peior est solo prædicante.

§. 16. Item sunt necandi dogmatizantes, vt constat ex l. *Quicumque* C. de hæreticis & ex partita 7. tit. 26. l. 2. consentiunt Simancas, Rojas repertorium & Pater Suarez disputatione 23. sectione 2. num. 10. & 11. Probatur tùm ex Vrbano cap. *Qui aliorum* 24. quæst. 3. asserente prædicatorem erroris alieni esse damnabiliorem ipso errante; sed omnis inventor erroris est necandus: ergo & omnis dogmatista. Secundò: quia inventor erroris parum noceret, nisi alij se eius discipulos profiterentur, & eorum dogmata evulganda curarent. Item isti sunt homines pertinacissimi, superbi supra modū: aliorum deceptores: qui vix rarò se recipiunt in frugem meliorem. Quod si author libelli famosi & eiusdem evulgator eadem pœnâ plectuntur: cur inventor hæresis & eius prædicator non erunt in supplicio pares, vt non sunt impares in malitia, & animis corrumpendis?

Simanc. *Rojas.* *P. Suar.*

§. 17. Quæ afferunt adversarij ex iure Canonico sunt explicatu facilia: omnes enim, qui convertuntur, sunt admittendi, dùm præbent specimen resipiscendi. At nihil ex his est credendum. Si verò aliquis minister ex Provincia hæreticâ se recipiat in Catholicam religionis ergo: cum hoc non agit hæc conclusio. Dogmatista autem est qui aliorum doctrinam suscipit: & velut Magister illos inducit errores, qui vel semel de concione, vel suggestu hæresim docet: est Dogmatista qui munere & loco prædicatoris & Doctoris abutitur ad hæresim edocendam. Item qui discipulis privatim more Magistri persuadere conatur. At si privatim & paucis id præstet, non more Magistri, non est Dogmatista. Vndè Pater liberos docens non est Dogmatista: quia vt sine munere, aut specie Doctoris illos instruit: ita & corrumpit. Neque item quando socius socio errorem aperit: hos non tàm facilè damus igni, nisi constet de illorum graviore malitia.

Potest enim hæreticus alijs hæresim persuadere sine nova superbia præter eam è qua errat, neque audet Doctoris in morem arguere, aut argumenta diluere. Iste non est Magister erroris: vt non est Magister doctrinæ Catholicæ qui eam syncerè dicit sine munere docendi, quod est arguere & respondere. De his rectè monet Pater Suarez eo numero vndecimo, posse spem resipiscendi esse. Qui autem arrepto munere docendi, hęresim dicit eam probans argumentis: & Catholicas rationes dissolvens: licet vni dumtaxat id dicat: Magister est erroris & Dogmatizans, in quem cadit definitio Hæresiarchæ ab Vrbano cap. *Qui aliorum* vigesimo quarto, quæstione tertia. Non enim ex paucitate eorum, quos decipere conatur hæreticus; sed ex ratione docendi sumitur Dogmatizatio. Si quis autem non more Magistri multis sit persuadere conatus, vt illis tantùm potuerit nocere, quantum si more Magistri id effecisset; hic aviditate hæresim persuadendi censendus est Dogmatista: ignique tradendus. §. 18.

Prętereà donantur flammis qui postquā satis instructi sunt ab Ecclesia, & non ignorant se toti Ecclesiæ Romanæ adversari; si adhuc pertinaces sunt non strangulantur; sed vivi conijciuntur in rogum. Eos necandos esse constat ex part. 7. tit. 26. l. 2. & l. *Quicumque* C. de hæreticis. Probatur ex Lucio Tertio cap. *Ad abolendam*, de hæreticis. *sæcularis* (inquit) *relinquatur arbitrio potestatis animadversione debita puniendus, nisi continuò post deprehensionem erroris ad fidei Catholicæ vnitatem spontè recurrere, & errorem suum ad arbitrium Episcopi regionis publicè consenserit abiurare*. Vide item cap. *excommunicamus*. Secundum. Præsto sunt duę rationes: altera quia hæreticis decreta est pœna capitalis; à cuius exequtione abstinent iudices ob pœnitentiam hæretici, & spem bonę frugis: ergo vbi nulla est penitentia, nec spes, non est cur ab infligenda pœna abstineatur. Secunda ratio: quia nisi pertinaces comburantur: erunt iudices malo Reipublicę exemplo. Adde tertiam quia relapsus datur ignibus: peius autem est perpetuò esse in crimine: relapsus enim illud intermittit quod est minus malum. §. 19.

Hic

Hic dubium occurrit: quis censeatur pertinax? Et quidem qui numquã convertitur est pertinax. Deinde est quæstio intra quod tempus sit futura conversio ad excusandam pertinaciam? Lucius Tertius, cap. *ad abolendam* §. *præsenti* de hæreticis præcipit, vt tradatur Curię sæculari, nisi post crimen deprehensum continuò sponte recurrat ad fidem. Glossa censet, etiam post sententiam esse locum pœnitentiæ, his verbis: *postquam condemnatus est hæreticus, non compellitur; sed si vult sponte redire, debet recipi abiurato errore.* Quod colligitur ex Gregorio Nono, cap. *excommunicamus* 2. eodem titulo, his verbis: *si qui autem de prædictis postquam fuerint deprehensi, redire voluerint ad agẽdam condignam pœnitentiam in perpetuo carcere detrudantur.* Illa vox: *postquam fuerint deprehensi*, dat locum condemnationi mortis quolibet tempore convertatur hæreticus, vt exponit Glossa: *Publicè (inquit) notorij, vel etiam condemnati: si verò postea redire voluerint, recipiendi sunt: quia Ecclesia non claudit gremium redeuntibus ad ipsam.*

Lucius 3.

Glossa.

Gregor. 9.

§. 21. Confir. Confirmatur quia Quæsitores in actibus generalibus præcipiunt vt Theologus aliquis sermonem faciat ad hæreticos damnatos, vt resipiscant antequam tradantur Curiæ sęculari: quod spatium vocant *tempus gratiæ*, quia si intra spatium id convertantur, non occiduntur; sed conijciuntur in perpetuum carcerem. Cuius consuetudinis meminit Gregor. Lopez, part. 7. tit. 26. l. 2. verbo *debelos perdonar.* Ex qua consuetudine colligo severam esse sententiam P. Suarez disputatione 23. sect. 7. numero 23. opinantis esse magis è iure, damnatos non esse immunes à morte, si post damnationem convertuntur, nisi in aliquo raro casu. Rectè monet idem Gregorius parum interesse conversionem esse ante, aut post sententiam; sed considerandum esse an vera sit? an verò simulata? Dico tamen conversionem post præfixum tempus à Quæsitoribus censendam esse simulatam ob flammas iam vicinas; quæ autem fit intra tempus gratiæ esse censendam veram, nisi aliundè constet de eius suspicione. Dixit autem Lucius Tertius hęreticum continuò esse convertendum, id est, infra tempus gratiæ, quod à iudice Ecclesiastico pręfigitur.

Greg. Lop.

P. Suar.

§. 21. Alex. 4. Lucius 3. Relapsi traduntur Curiæ sęculari: ita pręcepit Alexander Quartus, cap. *super eo* de hæreticis in 6. & Lucius Tertius, cap. *ad abolendam* de hæreticis. Quia cum post primum lapsum vindicatum relabitur; signo est hæresim altas in eius cor egisse radices. Deinde exigua est spes frugis melioris: tertiò: quia crimen dignum est extremo supplicio, quod misericorditer condonatur primo crimini, cùm iustè posset infligi. Crimine autem repetito misericordia cedit iustitię. Nec verò in alios criminosos ea lenitate iudices vtuntur, vt appareat Apostolica mansuetudo in Ecclesiæ Prælatis: qui neminem perire volunt, dum ipse crimine repetito mortem non accersit; & dùm superest probabilis spes resipiscentiæ, quæ per se vix est vlla; de perseverantia verò nulla. Denique vix esset timori supplicium, si toties condonaretur, quoties hæreticus ostenderet se conversum ad fidem: nugarentur hæretici, & detecti hæresim abiurarent; occulti verò fidem: & alterna abiurationum fidei & hæresis vicissitudine iocarentur.

Sunt autem relapsi qui damnati de vna hæresi eam repetunt post sententiam: vel post purgatum iuramento crimen coram antistite. Sic præcipit Quæsitoribus Alexander Quartus, cap. *super eo* de hæreticis in sexto, vbi componit duas Ecclesiæ leges mutuò pugnare censas. Ecclesiæ nulli redeunti ad fidem claudit gremium: quia omnes redeuntes sibi reconciliat absolutione in conscientia, & communicatione Sacramenti pœnitentiæ & Eucharistiæ, quia ad id sufficiunt argumenta probabilia interioris pœnitentiæ. At neminem relapsum permittit non tradi sæculari Curiæ. §. 23.

Difficultas est vtrùm sit relapsus, qui non repetit abiuratam iam hæresim; sed in aliam labitur? exempli gratia, abiurat quis errorem Lutheri de extincto libero arbitrio. Deinde deprehenditur negasse Sacramentum Baptismi: an hic erit relapsus? Non esse relapsum docuisse videtur Alexander Quartus, cap. *super eo* de hæreticis in sexto: *Si deprehensi fuerint in abiuratam hæresim recidisse, sæculari decernuntur iudicio sine vllâ penitùs audientia relinquendi.* Cùm ergo hæc lex sit pœnalis, accipienda est in sensu solo, quem sonat. Dico esse relapsum qui abiuratis in generali omnibus hæresibus relabitur in aliquam: quod rectè docet Pater Suarez disputatione vigesimatertia, sectione secunda, numero octavo, & exprimitur, cap. *accusatus* §. primo, de hæreticis in 6. vndè in praxi omnes sunt relapsi: quia generaliter abiurant omnem hæresim: si verò non abiurarentur omnes hæreses in generali, censet Pater Suarez, non esse relapsum, nisi qui repetit hæresim abiuratam: quæ est sententia Ioannis Andreæ, & Eymerici, quibus adijce Castrum de iusta hæreticorum punitione lib. secundo, capite 2. §. 24. Suar.

Ego existimo eum esse relapsum cum Archidiacono, Zanchino, & Villadiego. Quod probo: quia relapsus est qui secundo est in hæresi iam probata in iudicio, & abiurata ob probationem, aut ob vehementem suspicionem; sed in quacumque materia erretur, est iam hæreticus secundò in abiurata hæresi: ergo in quacumque materia est relapsus. Probo minorem: quia in quacumque materia erretur hæreticè, contemnitur authoritas Ecclesiæ; à quo contemptu homo est hæreticus; & errores omnes sunt hæreses, vt ostendi disp. 82. §. 26. ergo relabitur homo in eamdem hæresim. Itaque ratio hæresis semper reperitur; quia est contemptus Ecclesiæ, licèt error materialis sit diversus. Conf. ex capite *accusatus* de hæreticis in sexto, §. *ille quoque*, vbi convictus de hæresi abiurata censetur esse relapsus, si deinceps hæreticos receptet. Nec vero Pontifex loquitur de hæreticis tenentibus hæresim eamdem, quam receptator abiuravit, sed vniversim loquitur de hæreticis. Multò ergo melius censetur esse relapsus, qui expresse est hæreticus in errore alio, quia si solum signum alius hæresis illum facit esse relapsum; hæresis ipsa melius id faciet.

Archid. Zanchin. Villa dieg.

Confir.

§. 25. Ad textum in cap. *super eo* respondeo, semper hominem relabi in eamdem hæresim formaliter, nempe in contemptum Ecclesiæ, quamvis non in eamdem materialiter, quia authoritas Ecclesiæ potest contemni in diversis materijs de Trinitate, Incarnatione, &c. quæ sunt hæreses materialiter. Vnde textus accipitur in maximo rigore; id est, in sensu formali. Immò ea ratione abiuratio generalis est caussa, vt hæreticus censeatur relapsus, quia qui negat authoritatem Ecclesiæ, censetur omnia fidei dogmata negare: quia negat infallibilem eorum propositionem, alioquin quid interesset illa abiuratio generalis in homine, qui numquam negavit nisi vnum articulum? *Qui* ergo *in vno delinquit, factus est omnium reus.* Quia in negatione authoritatis Ecclesiæ censentur contineri negationes omnium articulorum: quia amittitur ratio, per quam Deus voluit dirigere fideles.

Iac. 2. 10.

§. 26. Relapsus etiam censetur, qui non probata apertè hæresi, cogitur illam abiurare de vehementi suspicione in fidem, & deinde in eam deprehenditur iterum incidisse. Quod præcipit Quæsitoribus Alexandri 4. cap. *accusatus* de hæreticis in 6. quia quadam fictione iuris censetur relapsus. Quia hæresis repetitio est argumentum moraliter certum, ideo crimen non esse probatum, quia testes defuerunt, non quòd ipse hæreticus non fuerit: si vero suspicio sit levis, non censetur relapsus, quamvis gravius sit puniendus. Est item relapsus ille qui hæresi abiurata, (de qua hæresi ante vel post abiurationem constet) de cætero hæreticos receptat, deducit, se eis associat, munera donat, præstatque honorem, quem excusare possit. Vbi tria observo: primum, non sufficere ad hanc speciem relapsorum abiurasse hæresim ob vehementem suspicionem; sed exigi, vt de hæresi constet ante vel post obiuratam hæresim. Secundò exigi cognitionem de illa hæresi: si enim probet se illam ignorasse, non est relapsus. Tertiò eum non compulsum aliqua alia necessitate: si enim compellitur, non est relapsus.

§. 27. Item externo supplicio agitur in eum, qui manifestè convincitur criminis, illudque negat. Exempli gratia: accusatur quis Lutheranismi: probatur crimen tribus contestibus: ille autem ait se numquam sensisse errores Lutheri; sed semper & nunc tenere doctrinam Romanæ Ecclesiæ. Hic in foro externo est hæreticus, & interficitur: & vocatur *hæreticus negativus*, sivè *impœnitens.* Quæ sententia est in praxi vsitatissima, quam cum multis authoribus probat Pater Suarez disputatione vigesima tertia, sectione secunda, numero quinto. Quod non malè colligitur ex cap. *ad abolendam* de hæreticis §. *præsenti*: vbi asseritur esse puniẽdos quotquot in hæresi fuerint manifestè deprehensi. Ratio est, quia Ecclesia iuridicè censet illum esse hæreticum pertinacem, & vt in alijs criminibus iudices moventur testium authoritate, ita & in hæresi.

Suar.

§. 28. Dices, Qui apertè sunt convicti, & confessi, si hæresim abiurent, & ostendant se cum Ecclesia sentire, vindicantur à morte, nisi sint relapsi: ergo & ij negativi debent ab ea vindicari, quia ostendunt se sentire cum Ecclesia. Nego consequentiam, quia convicti & confessi crimen, non habent argumentum contra suam pœnitentiam; sed potiùs pro illa. Ecclesia autem omnibus externis pœnitentiæ signis prudenter consideratis, censet prudenter illum ex animo pœnitere; at contra internum animi assensum Catholicum negativi habent argumentum civiliter & iuridicè evidens: testes enim probant negativi delictum; ipse autem solus est testis sui animi Catholici: & vt prudenter credit Ecclesia illum mentiri, dum negat delictum; ita idem credit dum affirmat animum Catholicum. Cùm autem iuridicè censeat, eum fictè esse Catholicum, illum

Obiectio. Resp.

illum habet pro impœnitente & pertinaci, illumque meritò tradit exurendum, non quidem vivum; sed priùs strangulandum, in quo mitiùs se gerit quàm cum apertè pertinaci: quia de eius salute æterna desperat; non verò de negativo, quia iudex illum iuridicè puniens ob allegata & probata censet contingens esse; vt ille sit innocens: & in infligendo supplicio non vult eum exponere desperationis periculo. Quod dico de absolutè negativo, dico de diminuto confitente.

§. 29. Dubium occurrit quid agendum sit cum hæretico negativo? an ei possint Sacramenta Pœnitentiæ & Eucharistiæ conferri? an ei sint neganda? Ego distinguo duas rationes ei Sacramenta conferendi: prima est ex authoritate iudicis accersentis Sacerdotem, vt ei ministret confessionem, eumque absolvat, & det Christi corpus: secunda est sine iudicis authoritate, vt si Sacerdos adhibitus à iudice velit iudice inconsulto audire peccata negativi, ex cuius Sacramentali confessione colligit prudenter eum esse innocentem; & ne falsum quid dicat esse paratum ad supplicium, Pater Suarez disputatione 23. sectione secunda, numero quinto, supponit eum non esse donandum Sacramentis; in quo est deterioris conditionis hæretico cōfesso. Ego hanc sententiam interpretor de prima ratione conferendi Sacramenta: idque probat ratio Patris Suarez eum non debere in Ecclesia tolerari: quia non est illi reconciliatus. Quæ clara sunt in toleratione & reconciliatione iuridica, sive forensi: quia leges fori illi sunt adversæ.

Suar.

§. 30. At non video cur Sacerdos privatim non possit illum absolvere; immò videtur ad id teneri: quia privatim leges fori non præiudicant legibus conscientiæ: potest enim quis innocens in conscientia, esse reus in foro. Demus Sacerdoti constare evidenter de innocentia negativi: vel quia testes confessi sunt crimen falsi testimonij: vel quia decepti sunt in persona accusata: vel aliam ob caussam. Hic tenetur negativum absolvere: quia omnia argumenta videt veræ pœnitentiæ, & alioquin exponeretur periculo damnationis. Idem dico etiam si Sacerdos non sit certus de falso crimine: quia in foro Sacramentali standum est confessioni ipsius pœnitentis, dùm non convincitur mendacij à ministro Sacramenti; tunc autem non convincitur: ergo tenetur stare illius confessioni. Igitur dùm prudenter credit negativum esse verè pœnitentem, tenetur illi dare Sacramentum Pœnitentiæ; privatim tamen & occultè, iudice vt iudice inconsulto: quia vt iudex tenetur id prohibere. Confirmatur: quia collatio Sacramenti nulli periculo tunc exponitur; negatio autem Sacramenti est exposita periculo damnationis æternæ negativi: ergo est administrandum id Sacramentum. Quod censeo de ipso iudice Ecclesiastico. Si enim præter illum nullus adesset Sacerdos, tenetur excipere confessionem Sacramentalem negativi, & illum absolvere; si prudenter senserit illum esse ritè confessum: nec licitè potest id prohibere Sacerdotibus; quamvis in foro agant cum negativo, more in pertinaces servato. Confir.

§. 31. Gregorius Lopez part. septima, titulo 26. lit. 2. verbo *debelos perdonar* fine: observat ex Barthol. hæreticum convictum non esse reijciendum in Curiam laicam, si dicat: *Ego non memini, me hæresim vmquam dixisse; si tamen sunt contra me testes, ego sto illorum testimonio, & omnem hæresim detestor*: quia hic non est negativus: non enim potest convinci illum memoriâ tenere, aut non tenere hæresim, quam testes probant; & cùm illorum testimonio se subijcit, satis censetur confiteri. Qui negat complices, non remittetur iudici sæculari, dùm non convincitur illos negare culpatè: si enim aliunde de illorum delicto constat, censetur negativus. Greg. Lop.

§. 32. Ratio autem ob quam leges decernunt hæretico supplicium extremum, est: quia crimen est illo dignum, vt ex Beato Augustino ostendi §. duodecimo. Item quia opus est cæteros terreri ne deficiant à fide: quod Augustino placuisse constat ex §. nono. Tertiò: quia hæretici sunt frequenter inquieti, seditiosi atque rebelles, vt lachrymabili damno cernit Ecclesia hac præsertim tempestate hæresum inter omnes ferocissima. Denique quia vt scabiosæ oves cæteras inficiunt: quod Bernardus dixit serm. 66. in Cantica adductus §. 1?. cui consentit Castellanus Salomon part. 7. tit. 26. lit. T. his verbis: *De los hereges, de qualquier manera que sean, viene muy grande daño à la tierra, ca so trabajan siempre de corromper las voluntades de los homes, è de los poner en error.* Ac si dicat: *Ab hæreticis, cuiuscumque conditionis sint, gravissimum damnum emanat in Regionem: quoniam semper laborant in corrumpendis hominum voluntatibus, & eis in errorem trahendis.* Recognosce Patrē Becanum de fide cap. 15. quæst. 6. id mirè disputantem. Bernard. Alfosn. Sapiens. Becan.

§. 33. Hoc supplicium decretum est iure civili. Ad Ecclesiam spectat examinare crimen vt constat ex cap. *vt inquisitioni* de hæreticis in

S.Tho.q. 11. art. 3. in 6. quia caussa inter omnes est maximè Ecclesiastica: inquirere enim de doctrina fidei pertinet ad fidei Magistros & Doctores. At crimine autē probo, si desperatur correctio, hæreticus traditur iudici laico, vt in eum animadvertat ex iure civili. Antiquitus hæretici non semper afficiebantur morte, vt constat ex capite *excommunicamus* secundo de hæreticis, vbi quædam glossa observat iam omnes hæreticos traditos Curiæ sæculari esse afficiendos morte. Allegat caput *vt inquisitioni* de hæreticis in sexto, vbi id non asseritur expresse: satis autem asseritur dùm leges Frederici in hæreticos præcipit observandas; & quamvis Ecclesia, nec leges ferat capitales, nec exequutioni mandet; at præcipit Principibus, vt latas observent, & ferant quas ipsa censet expedire. Tota hæc doctrina est Bonifacij Octavi, in eo cap. *vt inquisitioni* de hæreticis in 6.

§. 34. P. Suarez. Nonnulla argumenta contra hanc Ecclesiæ consuetudinem affert Pater Suarez disputat. 23. sect. 1. quæ optimè diluit, nec egent novo examine.

DISPVT. LXXXVII.

De alijs hæreticorum pœnis.

SECTIO I.

De irregularitate.

§. 1. ONO irregularitatē cōtrahi ob crimē enorme notoriū; (quæ tamen frequenter aboletur publicâ pœnitentia, & emendatione vitæ:) dedecet enim Ecclesiasticam dignitatem, vt homines publicè flagitiosi sacris assistant altaribus ad placandum Deum populo; aut ad altiores gradus ascendant. Hæc irregularitas non contrahitur crimine occulto, nisi homicidio. Consentiunt authores omnes esse irregulares omnes hæreticos notorios. Dubium autem est an hæresis secum afferat irregularitatem; ita vt in eam labatur hæreticus externus, quando ob hæresim contrahit excommunicationem?

§. 2. Sot. Sylvest. Henriq. P. Suar. Affirmant Sotus, Sylvester & alij apud Patrem Henriquez lib. 14. cap. 4. lit. 1. ijs consentiunt Pater Suarez tomo 5. disputatione 43. sect. 1. num. 4. & disputatione 21. de fide sect. 5. & P. Thomas lib. 2. c. 25. nu. 2. Quod magis adsonare iuri docet P. Azor tomo 1. lib. 8. cap. 11. quæst. 12. & quidem hæc sententia plures gravioresque habet authores, nec rationes leves: quas iam expendo. Sanchez. Azor.

§. 3. 1. Arg. Primum afferunt cap. *convenientibus* 1. quæst. 7. vbi ex sexta Synodo refertur hæreticos reversos ad fidem admitti in gradū pristinum. Respondeo primum, hunc textum esse de publicis hæreticis & notorijs, non verò de occultis; nec agi de hæresi secundùm se. Quod confirmo quia ibi dicitur Benedictus Papa crebrò misisse legatos ad Machariū hæreticum exilio damnatū à Concilio; vt eum acta pœnitentiâ restituerent in gradum pristinum. Hæc autem restitutio est propria admittentium enorme crimen notoriè. Secundò respondeo, ibi non agi de irregularitate propriè: quia non agitur de omni hæretico tàm laico quàm Ecclesiastico. Item distinguitur inter ordinatum ab hæretico, & non ordinatum: hunc admitti solitum constat ibi; secùs illum: quia erat propriè irregularis. Resp.

§. 4. 2. Arg. Secundò afferunt cap. *Saluberrimum* ibidem, vbi Clerici hæretici & non relapsi abiurata hæresi permittuntur in gradum pristinum redire; non tamen ad alium provehi. Respondeo, nec ibi agi de laicis, nec de irregularitate ob hæresim secundùm se; sed notoriam: quia hæretici describuntur ambire vt reconcilientur, & censeantur esse Catholici. Si autem ageretur de irregularitate propriè & non latè; non admitterentur in pristinum ordinem, nec ageretur de hæretico ambiente absolutionem; sed de hæretico sive occulto, sive ambiente. Resp.

§. 5. 3. Arg. Tertiò adducunt S. Gregorium, capite *noi consuetudinem* dist. 12. Qui ab opposita sententia videtur esse: tùm quia agitur de hæreticis notorijs, non verò de occultis: tùm quia illis iam conversis permittit Episcopatum, non tamen primatum. Non quidem ob irregularitatem, siquidem irregularis non potest Episcopatu fungi; sed quia iniquum videtur Principem Episcoporum fuisse hæreticum. Itaque Sanctus Gregorius non solùm permisit in Numidia hæreticos iam cōversos ad antiquum ordinem redire, sed etiam ad alium promoveri. Nec in hoc voluit mutare Numidarum consuetudinem. Quamvis eam nullam vim habere dicit adversus Catholicam fidem: quia quādo ex tali consuetudine aliquid sequeretur in fidem; ea esset abroganda. Resp.

§. 6. 4. Arg. Quartò adducunt Alexandrum Quartū, cap. *Quicumque* §. *hæretici* de hæreticis in 6. vbi præcipitur ne hæretici, aut illorum filij, fautores,

fautores, & receptatores admittantur ad vllum beneficium Ecclesiasticum, aut publicum officium. *Resp.* Respondeo primum, ibi agi de hæreticis notorijs; etenim promotio filiorum hæretici occulti non est irrita, nec inanis, nec præstringuntur hac pœna vsque ad secundam generationem: ergo id non infligitur ob hæresim secundum se; sed ob notoriam. Deinde non videtur esse sermo de irregularitate, nec de ordinibus sacris; sed de officijs publicis & beneficijs. Asserit enim Pontifex. *Quod si secus actum fuerit, decernimus irritum & inane.* At ordo Sacer factū teneret, nec posset irritus esse & inanis: egisse ergo videtur de collatione officij, aut beneficij: quā Pōtifex caussā reddit. Verū est ex cōsequēti nō posse eos licitè ordine initiari Sacro propter infamiā publicā; non verò ob hæresim paternam secundùm se, sed vt est notoria & infamiæ fundamētū.

§. 7. 5. Arg. Quintò adducunt Clementem 7. qui supponere videtur eam sententiam: etenim in directorio Inquisitorum eius refertur Bulla *cum sicut*, qua Quæsitoribus facit facultatem absolvendi ab hac irregularitate. *Resp.* Respondeo hic nihil evinci: tùm quia non satis constat Clementem egisse de hæretico occulto, an de solo illo, qui in tribunali est notorius: licèt eius delictum non evulgetur. Quamvis enim dat eam facultatem pro hæreticis occultis, at videtur explicare eos esse, qui extraiudicialiter comparent nō inquisiti: at licet non sint notorij inquisitione iuridica; possunt esse publici notorietate facti: *Clemēs 7.* vel certè omnes illos vocat occultos, qui non sunt delati ijs verbis. *Vobis enim ac Vicarijs præfatis extraiudicialiter Lutheranos occultos, & non inquisitos per ordinarium, sive alios iudices.* Respondeo secundò tametsi ageret de occulto, non sequi inde à Clemente censum hæreticos omnes esse irregulares. Quæsitores enim visa opinionum varietate, & pro irregularitate plures esse Doctores: voluerunt sine vllo scrupulo & dubitatione hæreticos iam conversos posse iuvare. Pontifex in eorum sensu respondet, datque facultatem, vt absque scrupulo hæretici censurâ credantur esse soluti, non quòd Pontifex supponat eos esse legatos: sed quia videt rem esse vtrinque probabilem, qui suâ facultate omnem evellit scrupulum. Quod confirmo ex Cruciata, qua datur facultas Cruciato ad vescendum carnibus cum confessarij ac medici consilio. At cum consilio medici non est opus privilegio: quod ergò datur à Pontifice privilegium? an censuit illicitum esse carnium vsum consultum à medico? Nequaquam; sed interdum caussa vescendi non est tàm aperta, vt absque scrupulo omni, & timore carnes possent adhiberi: cùm ergo & caussa suppetit; & aliquam ingerit scrupuli occasionem; hinc Pontifex omnem scrupulum summovit data facultate, vt in ea occasione carnes Cruciatus adhibeat: idem in præsenti contingit.

Sextò arguunt: quia vel requiritur sententia saltem declarans crimen; vel non requiritur? Primum dici non potest, vt patet ex vsu & consuetudine: si vero non requiritur, ergo ipso facto contrahitur irregularitas: quia quoties censura fertur à iure, non exigitur alia publicitas præter factum ipsum externum. Respondeo, securius esse non requiri sententiam iudicis, sed sufficere crimen ipsum prout in eius odium ipso iure decernitur censura. At non pro quacumque ratione hæresis censura contrahitur, sed pro notoria. Contingente igitur publicitate criminis, contrahitur ipso facto censura, vt patet in alio crimine enormi: quod ipso facto non est irregularitatis caussa; sed cùm fit publicum. Videndum igitur priùs est qualem criminis rationem iura præstringant; & vbi ea contigerit, censura contrahitur absque nova sententia. §. 8. 6. Arg. *Resp.*

Septimò arguunt, hæretici ipso facto privantur beneficio Ecclesiastico etiam ante iudicis sententiam crimen declarantem: ergo sunt ipso facto irregulares. Respondeo antecedens esse dubium; de quo §. 16. & consequentiam malam. Quia beneficijs ipso facto privantur, quia iura ita præcipiunt, & ratione optima; ne Ecclesiæ fortunis abutantur ad oppugnandam fidem. At nullo iure probatur imponi irregularitas ob hæresim occultam. Hinc etiam infertur hæreticum notorium actâ etiam pœnitentiâ nec promoveri posse, nec permitti in ordine suscepto: non præcisè, quia hæreticus est; sed quia notorius, & quamvis alij flagitiosè crimine enormi & notorio, acta pœnitentiâ & emendatis moribus possent absque facultate promoveri; & ministrare in ordine suscepto; non tamen hæreticus notorius: quia in odium rebellionis in Ecclesiam non solùm ipse, sed etiam eius filij eo beneficio communi privantur: quod non evenit in alio enormi crimine. §. 9. 7. Arg. *Resp.*

Magis assentior opinioni asserenti hæreticum occultum per accidens non esse irregularem. Quod docuit Pater Henriquez lib. 14. cap. 4. num. 6. & cap. 5. nu. 2. P. Sa, verbo irregularitas 8. censet probabile esse ob nullū delictum occultū cōtrahi irregularitatem; quod tamen ait non esse vsu receptum, quod accipio propter homicidium: quātumvis enim occultum est irregularitatis caussa: item rebaptizatio, & id genus alia: at de hæresi occulta sequitur §. 10. *Henriq. Sa.*

S. Tho. q. 11. Art. 3. sententiam hanc verbo *irregularitas ex defectu animæ* num. 2. cui etiam favet verbo
Avila. *hæresis* num. 3. P. Stephanus Avila 7. part. disput. 4. dubio 2. §. *sit tamen*: ab eadem est
Sayr. opinione Sayrus Thesaur. tomo 1. lib. 7. cap. 12. num. 16. ab eadem sententia sunt
Castr. Castrus & cæteri qui aiunt hæreticum non privari beneficio ipso facto: etenim irregularis non est beneficij Ecclesiastici capax.
Sanchez. Item P. Thom. eo cap. 25. num. 16. non parum favet, appellans sententiam oppositam valdè dubiam.

§. 11. Vnicum fundamentum huius sententiæ est: quia irregularitas non est admittenda nisi exprimatur in iure. Quod dixit Boni-
Bonif. 8. facius Octavus, cap. *is qui* de sentent. excommunicat. in 6. sed nullo iure est expressa irregularitas ob hæresim occultam: laudat Archiepiscopum Senonensem, quòd Decanum suum suspenderet ab officio & beneficio propter criminis immanitatem: quia publicam familiaritatem exercuerit cum hæreticis, quorum fautor visus est, & vehementer suspectus de hæresi: cui beneficiũ restituendum præcipit, si se purgaverit: non tamen officij vsum donec scandalum sopiatur. Itaque Decanus non fuit suspensus ob crimen, sed ob criminis publicam immanitatem: cui sententiæ favent opinantes nullo delicto occulto irregularitatem con-
Avila. trahi: quos refert P. Avila 7. p. disp. 2. versu *de qua est*. Horum sententiam vniversim non probo; qui tamen nobis hac favent in parte.

§. 12. Hæretici externi, & Apostatæ etiam ficti, qui metu ore tenus discedunt à fide,
Sanchez. sunt irregulares, vt rectè probat P. Thom. lib. 2. cap. 25. num. 6.

§. 13. Difficultas est, ad quem spectet absolutio ab hac censura. Respondeo de hæresi, aut apostasia occulta nullam esse controversiam: quia illis hæc censura non contrahitur: secundò, esto contraheretur, iã dixi disput. 84. §. 12. Episcopum posse absolvere ab hæresi occulta in foro conscientiæ: ex quo principio sequitur apertè eum posse in hac irregularitate dispensare: quod consequen-
Sanchez. Vivald. Perez. Henriq. Suar. ter asserendum censet P. Thom. cap. 25. nu. 18. sequutus Vivaldum, Perez, P. Henriquez, & alios: immò idem censeo, tametsi revocata sit ea facultas Tridentina, vt docet P. Thom. eodem num. 18. quod, quamvis est contra se ipsum, probabile censet Pater Suarez disput. 21. de fide, sect. 5. num. 2. ad-
Farinac. Garcia. ducens pro eadem sententia Farinacium, atque Garciam. Quæsitores in ea non posse dispensare docent P. Suarez & Thom. nu. 19. quod accipio de hæreticis notorijs, aut in foro externo. Nam in foro conscientiæ in hæreticum occultum fortè habent Episcopalem facultatem: vt ea disput. 84. §. 52. de qua re non potest nobis constare, nisi ex ipsorum testimonio.

Cum hæreticis & Apostatis notorijs, & fictis nullus præter Pontificem dispensare §. 14.
potest, vt promoveantur ad altiorem gradum, nec vt laicus ad ordines admittatur: vt rectè docent P. Suar. & P. Thom. num. P. Suarez. Sanchez.
21. at potest Episcopus dispensare cum Diacono & inferioribus, vt ministrent in ordine suscepto, ex gravi caussa: quod etiam de Sacerdote accepit P. Thom. si autem sponte defecerunt exteriùs à fide, à solo Pontifice dispensari potest in qualibet parte irregularitatis: qui autem internè & externè defecerunt à fide, censendi sunt vt cæteri hæretici.

SECTIO II.

De amissione Ecclesiastici beneficij.

HÆRETICVM externum à §. 15.
die commissi criminis quãtumvis per accidens occulti, obnoxiũ esse, vt beneficio privetur, & reddere cogatur fructus ab illo die perceptos, si crimen probetur, certius est quàm cogat longa cõtroversia. Vtrum autem ipso facto ante iudicis sententiam, ita sit beneficio privatus, vt fructus non faciat suos? multi affirmant; negant multi: quos videre quis poterit apud P. Thom. lib. 2. cap. 26. num. 5. & 6. quia verò magna ex parte potest esse quæstio de Sanchez.
nomine, eam dirimendam censeo, vt similem aliam diremi de confiscatione bonorum disput. 85. à §. 21.

Dico primò: hæreticus antè sententiam §. 16. 1. Concl.
iudicis retinet ius beneficij, ita vt si reconcilietur Ecclesiæ, nec vnquam iuridicè damnetur, non egeat nova collatione beneficij; sed antiqua illi sufficit ad illud retinendum: hæc conclusio est P. Suarez. disputat. 21. de fide sect. 5. num. 19. quæ necessariò consequitur ex opinione asserente fructus beneficij fieri hæretici, nisi damnetur iuridicè: de quo §. 18. etenim fructus non fiunt P. Suar.
alicuius sine titulo: eamdem docent Cas- Castr.
trus, Simancas, & alij apud Patrem Suarez Simanc.
num. 18.

Dico secundò: hæreticus antè sententiam §. 17.
facit fructus suos; quos potest distrahere, 2. Concl.
& alienare; ita P. Thom. eo cap. 26. num. Sanchez.
10. & P. Suarez, §. 19. cæterique omnes, qui P. Suarez.
exigunt sententiam iudicis ad amittendum beneficium: dum enim iustè retinetur pos-
sessio

fessio ea; proprietas (vt ita dicam) fructus cedit in vtilitatem possidentis: immò rectè ait P. Thom. num. 8. exigi executionem iudicis ad realem possessionem beneficij, quod licitè retinet hæreticus etiam lata sententiâ, dùm iudex eam non exequitur: nulli enim præcipitur executio tàm acerbæ pœnæ; sed sola eius perpessio.

Sanchez.

§. 18. 3. Conclus. Dico tertiò: à die criminis hæreticus amisit beneficium & fructus sub conditione, si probetur: id est, Ecclesia habet iustum titulum ad eum privandum beneficio, & fructibus, ab ipso instanti criminis perceptis; ita vt nullus fructus sit ipsius: in hoc cõveniunt omnes: existimo item cum P. Thoma, num. 11. etiam amitti fructus respondentes ministerio alicui exercito ratione beneficij.

§. 19. 4. Concl. Dico quartò: beneficium hæretici impetrari potest ante sententiam latam: ita docent cum multis. P. Thom. num. 12. & P. Suarez num. 20. cuius probatio est stylus Curiæ, qui est ex Pontificis præscripto. Secundò: quia illa ratione qui de hæresi accersitur, cogitur cõparere coram Papa; nec verò possessionem amittit antequam citatus respondeat: item quia à criminis die est obnoxius privationi; denuntiator autem præoccupat caussam, beneficiũ obtenturus si eâ hæreticus cadat.

Sanchez. Suar.

§. 20. 5. Concl. Alex. 4. Dico quintò: post hæresim nullum beneficium validè confertur hæretico: ita decrevit Alexander Quartus, cap. *Quicumque* de hæreticis in 6. §. *hæretici autem, credentes, receptatores, defensores, & fautores, ipsorumque filij vsque ad secundam generat onem: ad nullum Ecclesiasticum beneficium, seu officium publicum admittantur: quòd si secus actum fuerit, decernimus irritum, & inane.* Quæ verba sunt aperta de hæretico notorio, non tamen de occulto per accidens: vt dixit Lorca disput. 47. num. 5. quia filios occultorum hæreticorum non esse privatos beneficio ostendam disput. sequenti §. 19. At verò aliundè constat hæreticum externum quantumvis occultum esse incapacem beneficij: quia est excommunicatus; id tamen nihil concludit de hæretico occulto iam reconciliato, qui non est excommunicatus. Cùm ergo hæreticus occultus non sit irregularis; & post reconciliationem cum Ecclesia non sit excõmunicatus; est grave dubium vtrùm sit capax beneficij de novo conferendi? existimo illum non esse capacem, dùm est in hæresi, & non est absolutus à censura: quia ob excommunicationem non est valida beneficij collatio.

Lorca.

§. 21. Si verò sit hæreticus occultus, & acta verè pœnitentiâ sit reconciliatus Ecclesiæ; potest licitè acceptare beneficia. Hæc conclusio est clara in multorum opinione asserentium nullam irregularitatem contrahi ob hæresim occultam: quos refert P. Suarez tom. 5. sect. 1. num. 67. disput. 40. sect. 3. nu. 21. & ego allegavi §. 10. estque non obscurè P. Azoris, tom. 1. lib. 8. cap. 13. quæst. 8. prope finem: vbi hæc ait. *Ex dictis perspicitur hæreticum esse inhabilẽ multis ex caussis, ad dignitates, beneficia Ecclesiastica, honores, & officia public.: iam & est excommunicatus, est infamis, est irregul ris, est hæreticus, & proinde extra Ecclesiam.* Sed occultus iam reconciliatus nihil eorum habet: ergo in sententia huius authoris non est cur censeatur inhabilis ad beneficia: est item expressa Lorcæ d. 47. num. 44. dùm asserit non privari dominio hæreticos occultos: item Eymerici in directorio 3. p. quæst. 113. fine: recensis enim pœnis hæreticorum de privatione dignitatum, ait: *considerandum verò quòd hæc intelliguntur de prædictis, si impœnitentes extiterint; non autem si pœnitentes, &c.* Hæc autem dixit de hæreticis notorijs: multò ergo meliùs id censetur de occultis iam pœnitentibus. Consentit Peña Comment. 162. vbi relatis varijs opinionibus, quibus multi censent hæreticos etiam publicos, si pœniteant, non esse beneficijs privandos, ipse à §. *Nos verò*, asserit restituenda beneficia, & dignitates ijs, qui nec alios corruperunt errore, & se sponte detulerunt: ergo qui omninò sunt incogniti, & pœnitentiam egerunt; nulla publica pœnâ sunt afficiendi. Consentiunt item Alfonsus Castrus, & alij, qui censent non amitti titulum beneficij ante sententiam.

P. Suar. Azor. Lorca. Emeyr. Peña. Castro.

Deinde nulla pœna est admittenda sine iure; sed nullum ius hanc decernit in hæreticum occultum iam reconciliatum: immò iura hanc pœnam infligentia loquuntur de publicis hæreticis, vt cap. *Quicumque* de hæret. in 6. item quia alia iura præcipiunt, vt priventur hæretici beneficijs de consilio Episcopi, cap. *vt commissi* de hæret. in 6. & cap. vltimo de hæreticis absolvuntur debito fidelitatis, qui illo tenebantur hæreticis notorijs: itẽ Vrbanus IIII & Clemens IIII. in Bulla *præ cunctis*, quæ est in 2. part. directorij post Comment. 22. ratio præterea est ex cap. *Quicumque* vbi etiam hæreticorum filij, & nepotes privantur beneficijs, quod non accipitur de occultis, essetque occasio gravissimæ ruinæ, si ob occultum crimen non posset quis beneficium & dignitatem tuta conscientiâ acceptare, nec facere suos fructus: in excommunicato id est iustum, vt resipiscat; at in iam pœnitente esset prædurum. Quod ex §. sequenti erit apertius. P. Suarez disp. 21. de fide sect. 5. nu. 3. & tom. 5. d. 48. sect. 1. à num. 15. ad 17 censet hæreticum occultum esse infamẽ, & incapacem benefi-

§. 22. P. Suar.

S.Tho.q. 11. art.3. beneficijs Respondeo eum exponendum de hæretico, dùm non reconciliatur Ecclesiæ: si verò reconcilietur, vt acquirit dominium rerum temporalium; ita & famam quoad hanc partem.

§. 24. *Arg.* Difficilis est compositio duorum textuum visorum iurgari: quia Alexander Quartus cap. *Quicumque* de hæret. in 6. privat hæreticos omni officio, & beneficio. At Bonifacius Octavus, cap *statutum* 2. eodem titulo id præcipit de hæreticis, qui decedunt impœnitentes, & quamvis Bonifacius id explicasse videtur, non de pœna debita ipsi hæretico; sed de pœna filiorum: at *Eymer.* Eymericus 3.p. direct. quæst. 113. id etiam exponit de ipso hæretico. *Resp.* Respondeo, ab Eymerico rectè accipi verba Bonifacij, non solum de pœnis filiorum hæretici, vt facit quæst. 115. sed etiam de ipsa persona hæretici. At *Peña.* verò Peña Comment. 162. à §. *iam tandem* refert gravium consultorum varia placita. Mihi probatur ipsius sententia §. *si sint inferiores*, eos qui ab alijs accusantur, nec se antè accusationem prodiderunt, esse privandos beneficio possesso, & iure ad nova adquirēda; idque censeo de quovis officio publico: sic accipio cap. *Quicumque*. Qui verò se detulerunt, nec alios infecerunt hæresi; sunt benignè accipiendi: quia in hoc sensu vt minimum accipiendum est cap. *statutum* 2. ratio est: quia horum pœnitentia est minimè suspecta; secùs illorum qui antè accusationem obmutuerunt: in Prouincijs, vbi hæretici grassantur impunes; mitiùs est agē dum cum conversis; ne asperitate pœnarum occludatur conversioni via: vt colligitur ex Bulla Clemens VII. in directorio.

SECTIO III.

De privatione ordinis.

§. 25. PRIMVM statuo ordinem susceptum non amitti per hæresim, alioquin Sacerdos hæreticus acta pœnitentia, indigeret nova consecratione; sine qua maneret laicus: cùm verò antiquitùs admittebantur conversi ad antiquum Episcopatum, non reordinabantur: item character baptismi hæresi non deletur: ergo nec Sacerdotalis: quia vterque est indelebilis: eadem ratione non est in hæretico iteranda confirmatio propter characterem quem imprimit: hæreticus item si ordinetur, aut ordinet, factum tenet; vt tenet factum baptismus ritè præstitus ab hæretico: quia valor eorum Sacramentorum non pendet ex fide aliorum; sed ex subiecto apto, ex ministro, & ex vtriusq; voluntate servādi substantiam à Christo institutam.

De valore Sacramenti Eucharistiæ est eadem ratio: si enim hæreticus ritè consecret panem, effecit corpus Christi: idem est de valore confirmationis. Diversa ratiò est de valore pœnitentiæ: quia iurisdictio pendet à voluntate Pontificis: ante Martinum Quintum nullus hæreticus validè poterat absolvere: quia erat excommunicatus. At Martinus Quintus iurisdictionem ademit publico Clerici percussori, non tamen non denuntiato nominatim; item & excommunicato publico, & nominatim denuntiato: vndè hæreticus ita non denuntiatus potest validè absolvere à peccatis, si habeat aliundè commissam iurisdictionem: quæ non amittitur ob hæresim, nisi publicè denuntietur nominatim, de quo egi disputatione 76. sectione 1. §. 26.

Hæreticum etiam occultum, dùm non reconciliatur Ecclesiæ, non posse in ordine suscepto licitè ministrare, nec ad aliū promoveri tàm certum est, quàm id minimè licere excommunicato: si tamen fuit hæreticus occultus, & est ab excommuncatione absolutus, potest licitè & servire in ordine suscepto, & ad alium promoveri: quia nec est excommunicatus, nec irregularis, vt ostendi §. 10. si verò hæresis fuit notoria nō potest promoveri ad ordinem superiorem absque Papæ dispensatione; nec in ordine suscepto ministrare absque dispensatione. Quam posse ab Episcopo dari docet Pater Suarez tom. 5. disputat. 43. sect. 1. num. 6. quamvis oppositum, dicere videtur disput. 21. de fide sect. 5. num. 2. hanc eamdem sententiam docet. P. Thom. lib. 2. cap. 25. num. 14. & quidem nisi Clericus sit Sacerdos, res est clara: si verò Sacerdos sit, non potest absque dispensatione Papæ ministrare in altari: quia Pius Quintus præcepit Quæsitori Generali Hispaniæ, ne cum aliquo ea in parte dispensaret. Quod tamen sua difficultate non caret: tùm quia non satis constat de ea prohibitione, vt indicat. P. Suar. ea disputat. 43. tùm quia illa prohibitio non extenditur ad Episcopos, quibus nō adimitur facultas, quam habent iure communi, nisi per expressam derogationem. Tertiò: quia in Hispania, & alijs Provincijs Catholicis, id videtur similius verò, & magis rationi consentaneum; vt nullus hæreticus notorius accedat ad altare in Provincia, vbi raò hæresis auditur: at in Provincijs hæreticis mitiùs agendum videtur; ne difficilis conversio reddatur. Quapropter iure Pontifex egit cum Hispanis, vbi hæretici comburuntur, & vbi ingenti esset scandalo, non modo Sacerdotem

§. 27. *Suar.* *Sanchez.*

cerdotem in altari conspicere, verum nec subdiaconum. Vnde Episcopus non potest licitè cum illo clerico dispensare propter scandalum.

SECTIO IIII.

De infamia hæreticorum.

§. 27. HÆRETICOS non admitti ad testimonia ferenda docet S. Augustinus Epist. 50. ad Bonifaciũ comitem: quia nulla debet authoritas deferri eorum testimonijs, qui eam auferunt testimonijs Dei. At vero in odium hæresis testes hæretici admittuntur adversus alios in crimine hæresis probando, in famia facti est dedecus ortum ex iure ob aliquod turpe factum. Ex quo dedecore sequitur inhabilitas ad officia publica.

§. 28. Hac de re breviter hic agendum. Dico ergo primò, hæreticus occultus si est reconciliatus Ecclesiæ; vel egit pœnitentiam nõ est infamis nec inhabilis ad beneficia ob hunc titulum. Hæc conclusio clarissimè docetur ab authoribus allegatis §. 29. Probatur, quia hæc infamia nõ cõtrahitur vrgẽtius quàm excommunicatio, & amissio iuris ad bona; sed post reconciliationem non contrahitur excommunicatio; nec amittitur ius ad acquirenda de novo bona; vt ostendi disput. 85. num. 21. ergo nec amittitur ius ad novum beneficium. Confirmatur: non amittitur ius ad sacros ordines ob hæresim occultam iam deletam pœnitentia & reconciliatione; vt ostendi: ergo nec contrahitur infamia. Denique quotquot censent hæresi occulta non contrahi irregularitatem, censent idem de infamia; quia infames sunt irregulares: hos autem adduxi §. 10.

§. 29. Dico secundò: hæreticus occultus non est infamis ante criminis publicitatem. Sententia est multorum, quos sequuntur Pater Thomas lib. 2. cap. 26. num. 1. & Petrus Lorca disp. 47. num. 3. immò existimo infamiam non contrahi ante sententiam iudicis declerantem crimen. Non est opus vt iudex damnet aliquem infamia; sed vt declaret hominem comisisse crimen, ob quod infamia contrahitur. Ita P. Thomas, Pater Suarez nobis est in tota hac doctrina adversarius disp. 21. de fide sect. 5. num. 3. & tom. 5. disp. 48. sect. 1. à num. 16. Item & Lorca in vltima parte doctrinæ. Vtriusque tamen fundamenta non probant nisi non esse necessariam sententiam condemnatoriam: at est quidem necessaria sententia declaratoria criminis ob quod tunc ipso iure contrahitur infamia sine sentẽtia condemnatoria.

DISPVT. LXXXVIII.

De pœnis personarum aliquo pacto ad hæreticos pertinentium.

SECTIO I.

De filijs hæreticorum.

SVBSECTIO I.

An licitè filij puniantur ob delicta parentum?

FILIOS sæpè vexari ob delicta parentum; quorum ipsi sunt insontes sæpè cernitur in scripturis; Iosue 7. & 2. Reg. 3. Item & iure canonico atque civili. Id autem qua ratione contingat paucis expedio. §. 1.

Dico primò, Deus potest ob delicta parentum filios, & nepotes insontes vexare, & occidere. Est de fide; asserit enim scriptura Deum vindicaturum scelera alicuius vsque in eius tertiam, & quartam generationem. Item Iosue 7. omnes filij & filiæ Cham lapidati sunt Iosuetico præcepto, eos omnes lapidatos rectè Abulensis ostendit in illud caput quæst. 72. idque ex præcepto Dei. Clarum testimonium est 2. Reg. 12. 14. *Verum tamen quia blasfemare fecisti inimicos Domini propter verbum hoc filius qui natus est tibi morte morietur.* Itaque infans recens natus necatus est à Deo propter peccata parẽntis. Ratio est manifesta; quia Deus est absolutus Dominus vitæ creatæ, quã pro suo arbitratu potest donare & auferre. Potest igitur ex alieno peccato occasionẽ sumere ad necẽ alicuius, vt indè suæ iustitiæ severas leges ostendat; & quàm sit peccatis infensus: item quia occisorum immatura mors multis de caussis illis est vtilis: quibus Deus adiecit ostensionem suæ iustitiæ. §. 2. 2. Reg. 12. 14.

Dico secundò, nullus homo potest capite plectere filium propter delictum patris, à quo ipse est innocens. Videtur propositio certa de fide Ezechiel 18. 17. *Hic non morietur in iniquitate patris sui, sed vita vivet. Anima quæ peccaverit ipsa morietur. Filius non*

porta-

S.Tho.q. 11. art. 3. *portabit iniquitatem filij*: & quidē nullâ æqua lege potest decerni. Vt clarè constabit §. 5. ex Deuteronomio, & ratione. P. Suarez disput. 24. de fide sect. 3. num. 2. rectè docet hoc excedere humanam potestatem.

§. 4. 1. Obiectio. Obijcis primùm exemplum Chan Iosue 7. & duorum filiorum Saulis, & quinque nepotum: quos Iosue occidendos voluit, item & David ob delicta patris & avi. Respondeo aliquos asseruisse filios & filias Chā non fuisse peremptos; alios eos fuisse criminis participes. Nihil horum est probandum; sed id effectum speciali Dei præcepto, in cuius potestate est hominum vita. Duos filios Saulis interfuisse Sacerdotum internetioni cum Doeg; testatur Lyra cum Rabbi Salomone, eius item nepotes reos fuisse multi sanguinis iniustè fusi rectè colligit Abulens. in 2. Reg. cap. 3. quæst. 10. idque satis textus insinuat compellans Saulis domum, domum sanguinum. Deinde id factum præcepto Dei satis colligitur ex textu docentque permulti.

§. 5. 2. Obiectio. Obijcis secundùm, filium esse aliquid Patris; vndè in filio potest pater iustè puniri, quam ob rem P. Suarez disputat. 22. de fide sect. 1. num. 3. probat licitam esse bonorum confiscationem, licet vergat in damnum filiorum: gravius autem testimonium est ex Innocentio Tertio, cap. *vergentis* de hæreticis, vbi asserit non esse mirum si filij in inopia relinquantur confiscat à bonis paternis, cum ob crimen læsæ maiestatis illis auferantur omnia bona, relicta vita dumtaxat ex misericordia: itaque ex iustitia vindicativa poterant filij licitè obtruncari ob paternum crimen læsæ maiestatis. Respondeo filium propriè nihil esse naturaliter: vndè pro crimine patris, qui est moraliter tātum caput, non est puniendus filius: id enim expressè prohibuit Deus Deuter. 24. *Non occidentur filij pro patribus: nec pater pro filijs*. S. August. quæst. 8. lib. 63 quæstionem veteris testamenti asserit id præceptū à Deo omnibus iudicibus, & quidem vxor magis est aliquid viri quam filius patris: *erunt enim duo in carne vna*. At nulla æquitate vxor puniri potest ob viri delicta: ergo nec filius. Ratio à priori: quia iudex non est Dominus vitæ, quā privare non potest, nisi ea indignum: scelus autem alienum nullum reddit malū, nec indignum vita. Ad Innocentiū respondeo primū Imperatores iactasse se ex misericordia parcere vitæ filiorū rei læsæ maiestatis; hāc refert Innocentius non laudat, vt ait Lorca disput. 57. de peccatis. Laudat quidem filios esse privandos fortunis; non verò vitam ex misericordia conservari: primū illi erat vtilè id exemplū pœnæ ab ipso hæreticis inflictæ: secundū nihil eius interest. Secundò

Deut. 24. 16.

Gen. 2. 24

respondeo vitam dumtaxat illis esse relictā ex misericordia, non tamen ex misericordia dumtaxat; sed etiam ex iustitia: itaque vox *dumtaxat*, non est appingenda voci *misericordia*; sed voci *vita*, ait autem Pontifex *vita dumtaxat ex misericordia conservata*: dictio autem illa congruentius postponitur quam præponitur dictioni quam afficit: ita ex bonis paternis nihil præter vitam relinquitur ex misericordia simul & iustitia.

§. 6. Dico tertiò nulla lege humana potest filius directè puniri ob delictum patris. Quā doctrinam comperies ex doctis apud Lorcam disput. 57. de peccatis, & quidem satis constat ex Ezechiele adducto §. 3. conquesti enim Israelitici suos obstupuisse dentes ob acerbitatem vuarum, quas eorum patres comederant; respondet Deus, eos propter scelera propria torqueri, nec filium portaturum patris iniquitatem. Secundò ratione: nullus homo potest alium punire, nisi quia dignus est pœna ob delictum; sed filius non est dignus pœna ob delictum patris: ergo nec potest directè puniri. Minor est certa: quia delictum patris non est delictum filij: qui sæpè est iustus, & amicus Dei: in quem in sensu composito gratiæ non cadit grave peccatum. Deus est prima norma iustitiæ vindicativæ: qui suo iudicio non irascitur in filium ob patris delicta: si quando verò filios occidit, non est quod illi sint digni supplicio ob aliorum delicta; sed quia est ipse perfectè Dominus vitæ; quā potest quempiam pro suo arbitratu privare: quod non potest homo: idem confirmat vxoris exemplum. Difficile argumentum proponam §. 11. ex cap. *filius* de pœnis in 6. cui respondebo §. 12.

Lorca.

Probat.

§. 7. Hinc colliges: cur non possint confiscari bona filiorum hæretici, quando die criminis externè commissi non erant in dominio patris; sed filiorum, vel ob hæreditatem maternam, vel ob legatum, vel quia erant castrensia, aut quasi castrensia: vel quia filius emancipatus, ea sibi acquisiverat. Quia filius erat illorum dominus: quo dominio privari non potest ob parentis delicta. Hinc oritur quæstio: vtrùm eādem ratione si filius hæretici est in sacris, possit privari ordinis vsu? aut beneficio? dignitate, aut officio publico, si ea obtinuerat antè delictum patris: item si est, aut quæsitor, aut in ordine militari; vtrùm possit illis privari honoribus? de quo agendum §. 11.

§. 8. Secundò deduces: cur ex delicto parentis possit licitè vexari filius confiscatione bonorum paternorum; privatione officij, beneficij, & alijs id genus ærumnis. Quia bona parentum non sunt filij; sed patrum: qui

qui directè eorum dominio privantur, in quo nulla filio irrogatur iniuria: quia in ea bona nullum habet ius: consequenter autem filius patitur damnum: quod est per accidens iustæ sententiæ, vt vxor, & filij damna patiuntur, ex vltimo homicidæ supplicio: quod tamen est iustum: quia directè fertur in bona homicidæ; cuius necem per accidens sequitur filiorum, & vxoris ærumna: ad officia item & beneficia, & honores, nullus habet ius antequam ea possideat; sed ea administrantur ex Principis arbitratu prudenti, ad quæ potest quem incapacem reddere absque eius crimine: vt Ecclesia homines mõstruosa temperatura corporis, arcet à suscipiendis ordinibus: iudices item, qui etiam iustè alios occiderunt. Ad inquisitionem, militiam sacram, & collegia, & Ecclesiam Toletanam, sunt inepti, qui sanguinem trahunt ex Moriscis, aut Iudæis: item & ad ordines equitum militariũ, sunt inepti qui sunt ignobiles: item & filij sutorum, & sartorum, & cuiusvis artificis mæchanici, scribarum, mercatorum; idque genus alij, quia hi ordines, instituuntur à Principibus ad nonnulla munera quæ haud benè exercentur ab illis, qui excluduntur; vt Morisci inepti sunt Quæsitorum Tribunali, instituto contra Moriscos: nobilitas militaris non cadit in villanum, in sutorem, aut sartorem: eâdem ratione possunt arceri ab ijs muneribus hæreticorum filij, non ob delictum ipsorum; sed quia origo ex infecta radice, est gravi incommodo ad ea exercenda. Quod est indirectè puniri ob delicta parentum: quia ea delicta sunt in caussa ne ad indebitos admittantur honores.

SVBSECTIO II.

Quæ damna patiantur hæreticorum filij.

§. 9. IN fortunis quarum sunt Domini, nec in honoribus, in quibus sunt re ipsa, nullum patiuntur damnum, in bonis paternis illud patiuntur indirectè: quia paternorum confiscatio bonorum, est in caussa, vt ipsi egestate premantur: ea bona confiscari iam ostendi disput. 85. sect. 1. & clarè constat ex Innocentio Tertio cap. *vergentis* de hæret.

§. 10. Deinde illis interdicitur ne adscribantur in ordinem Ecclesiasticum: non enim possunt ad tonsuram Clericalem admitti. Vt constat ex cap. *Quicumque* de hæret. in sexto, vbi excluduntur ab officio publico: at officium publicum est quicumque ordo Sacer, etiam prima tonsura: singuli enim gradus sunt ad aliquod officium publicè exercendum in Ecclesia: quæ est omnium communis sententia, asserentium hæreticorum filios esse irregulares, illis interdicitur præterea, ne beneficium acquirant de novo: vt constat ex eodem capite *Quicumque* cuius fructus in conscientia non faciunt suos; item nec possunt esse iudices in aliquo foro, nec scribæ, aut tabelliones, qui faciunt fidem publicam: omnes illorum actus rescinduntur, nec possunt facere fructus, suos; sed eos tenentur restituere.

De officijs & beneficijs, quæ re ipsa possident antè commissum crimen, est quæstio. An illis priventur? an verò ea possint licitè retinere? Posse Ecclesiam eos privare ob delicta paterna constare videtur ex Bonifacio Octavo cap. *Filius* de pœnis in sexto §. *quod si quis*: vbi privat beneficiatos suis beneficijs, etiam Episcopatu: quod filij sint percutientis Cardinalem, his verbis: *Quòd si quis prædictorum filium, vel filios habeat, nepotem, vel nepotes per rectam lineam descendentes, beneficiatum, seu beneficiatos, quovis beneficio, etiam si Pontificalem nepti(?)s, vel adepti fuerint dignitatem, sint eis ipso iure privati; spe promotionis omninò sublata.* Non est ergò dubium sermonem esse de filijs jam re ipsa obtinentibus beneficia. At si illicitum esset ob alienum crimen privari beneficio iam possesso, non est credibile Pontificem cum Cardinalium Cõsilio eam decrevisse pœnam: ergo. In hæreticorum filijs idem esse decretum docent multi §. 15. referendi. §. 11.

Bonif. 8.

Ex quo textu apertè impugnari videtur doctrina proposita §. 6. qua asserui, nulla humana lege posse directè filium puniri pro delicto paterno: quia directa punitio est qua ego privor bonis quorum sum dominus, etiam ex consequenti quod alius suis bonis privetur: vndè ego incommodum patior. Respondeo hac ratione, percutiens Cardinalem à die commissi criminis est subiectus bonorum confiscationi: quibus tamen non spoliatur ante sententiam, eius filij possunt considerari cum beneficio Ecclesiastico possesso post crimen paternum; sed ante sententiam iudicis: itaque non habuerunt beneficium ante crimen patris, nec post sententiam; sed inter crimen & sententiam, hoc modo possunt licitè privari beneficio: quia ad illud sunt inepti ipso iure ob patris delictum, quod fuit priusquam beneficij possessio. Quæ non est pœna directa in filios; sed indirecta, vt §. 12.

dixi

S.Tho. q. 11. Art. 3. dixi §. octavo. Potest præthereà considerari percutiens Cardinalem antequam crimen admitteret, & tunc ante crimen eius filij possidebant beneficia: ijs non possunt licitè privari filij: quia habebant ius in re, quo privari non possunt absque delicto proprio: de ijs non loquitur Papa in eo textu, & quemadmodum hæreticus non privatur bonis acquisitis post pœnitentiam, quamvis textus id non exprimunt; id tamen intelligitur quia æquitas id postulat, ne videlicet, in hominem iam Catholicum leges deſęviant: ita est explicandus hic textus: quia æquitas postulat ne quis absque crimine privetur rebus, quas licitè & iustè acquisivit, maximè cum rigores non sint protrahendi, sed contrahendi, & quidem hanc interpretationem admittent necessariò Lorca & alij adducti §. sexto: quia censent nullum posse directè puniri pro alieno delicto. Pater Thomas libro secundo, capite vigesimo octavo, numero decimo, hæc ait: *si tamen filij ad ordines promoti sint ante parentis delictum, non privantur vsu ordinum: tùm quòd ius iam acquisitum habeant, quo nemo absque sua culpa privari potest.* Ergo quando Bonifacius præcipit filios percutientis Cardinalem spoliari beneficio, loquitur non de beneficio: cuius illi acquisiverunt ius; sed cuius non acquisiverunt: id est, quod illi sunt adepti post commissum paternum crimen: hac ratione intelligendus est idem P. Thom. eodem cap. 28. nu. 20. cum dicit ob crimen læsæ maiestatis Pōtificiæ, aut Cardinalitiæ amitti beneficia filiorum. Non enim ait ea amitti, si fuerunt acquisita ante crimen: iam enim dixerat numero decimo, nullum posse privari re, in quam habet ius ob delictum alienum; sed probat inhabilitatem eorum ad nova beneficia: cuius oppositum numero decimo nono docuerat de crimine læsæ maiestatis sæcularis, vt dicam §. decimo octavo.

Lorca. Sanchez.

Obiectio. Quod si adhùc vrgeas percutientis Cardinalem filium privandum beneficio obtento ante crimen ob id caput *fœlicis.* Respondeo, id contingere in beneficijs: quia prudenter timetur periculum ne fortunis Ecclesiæ iuventur rei læsæ maiestatis Ecclesiasticæ: ob quod possunt privari filij fortunis, vt de maiestate laica dicam §. 18. At verò nisi id timeatur, & ob solum paternum delictum, nullus potest licitè privari re, in quam habet ius. Quā doctrinam clarissimè docuit S. Greg. libro 10. epist. 8. adductus cap. *satis perversum* 36. dist. his verbis: *satis perversum, & contra Ecclesiasticam probatur esse censuram, vt frustra pro quorumdam voluntatibus quis privetur, quem sua culpa, vel facinus ab officij, quo fungitur, gradu non deijcit:* vbi damnat quorumdam opinionem, vt contrariam Ecclesiasticę censurę, deijcientium ab ordine suscepto filios hæreticorum. Quod clarè confirmat glossa: igitur pœna iuris est accipienda, quando beneficium obtentum est post parentis crimen, & S. Gregorius est exponendus, quando beneficium fuit obtentum ante delicta parentum; alioquin ij duo textus ægrè componentur. Vide §. 18.

Resp.

S.Greg.

§. 13. Hinc rectè concluditur filios hæreticorū non posse privari vsu ordinum, nec beneficijs, quæ possederunt ante delicta Patrum. Quod prætereà P. Suar. tom. 5. disp. 43. sect. 3. nu. 2. satis probabile censet: & præter autores allegatos §. 6. & 12. id docet Peña in directorio 3. p. Com. 163. à versu *ego verò*, retractata opposita sententiâ, quam olim se docuisse testatur: huius sententiæ sunt Covarruv. Montalvus, repertorium Inquisitorū, & alij apud ipsum Peñam versu *sententiā superiori*, & Marolus apud P. Thom. cap. 28. num. 19. ratio prætereà est manifesta: quia nullo textu decernitur hæc pœna: caput enim *Quicumque* de hæret. in 6. vers. *hæretici*; non præcipit filios hæreticorum deponi, sed ne admittantur: quod sonat prohibitionem de futuro: & quāvis de ipsis hæreticis eodē modo loquitur illud caput: at ex alijs testibus constat omnia hæreticorum bona ipso iure cōfiscari, & amitti beneficia. Cum verò cap. *statum* 2. eodem titulo deroget in parte cap. *Quicumque*, vt filij reconciliatorū admittantur; multo magis concedere censetur, ne priventur suis bonis, qui ea comparaverunt, cùm eorum patres erant Catholici. Quid si fortunæ comparatæ ante crimen paternum, nulla lege amittuntur: cur amittentur beneficia?

P. Suarez. Peña. Covaruv. Montal.

Marol. Sanchez.

§. 14. P. Suar. tom. 5. disp. 43. sect. 3. num. 2. fine, censet cum Gregorio Lopez & alijs, non esse amittenda beneficia, quæ filij comparaverunt post crimen paternum, dummodò ea comparaverint ante sententiam declarantem crimen. Pater Thomas cap. 28. num. 10. id limitat, quando aliàs crimen non est notorium: quod etiam explicuit ipse P. Suarez disputatione 24. de fide, sectione tertia, numero quinto. Nec suo fundamento caret ea opinio P. Suar. quia ante sententiam potest hæreticus ipse sua bona retinere, & alia comparare cum conditione confiscationis, si probetur crimen; ita & beneficium retinere potest: ergo & filius illud potest comparare cum conditione illud amittendi, si probetur paternum crimen; censeo tamen quavis notorietate criminis contrahi irregularitatem filiorum, & incapacitatem ad beneficia.

Suar. Greg. Lop. Sanchez.

Amitti

§. 15. Obiect. Amitti beneficia obtenta ante crimen censuerunt nonnulli apud Peñam in director. 3. part. comment. 163. versu *in hac quæstione*: moventur capite *fœlicis* de pœnis in 6. vbi præcipitur vt filius percutientis Cardinalē, spolietur beneficio obtento. Resp. Respondeo, nec illo capite filium percutientis Cardinalem spoliari beneficio obtento ante crimen patris. Secundo respondeo cum Peña in pœnis non esse consequentiam ab vno delicto ad aliud: de illa pœna in filios percutientiū Cardinalem constat in illo cap. de hac in nullo constat; immò ibi asserit Pontifex se agere pœnis exquisitis.

§. 16. Sanch. Obiect. Respond. In hac irregularitate nec Quæsitores, nec Episcopum dispensare posse rectè monet Pater Thomas cap. 28. numer. 8. & 9. Quia non est ex delicto occulto. Dices posse Episcopum dispensare in irregularitate hæretici occulti: cur idem non erit in hæretici filio? Respondeo, filium hæretici occulti nec esse irregularem, nec dispensatione indigere; quando autem est irregularis, est ob crimen notorium, in quod Episcopus nihil potest.

§. 17. Nulla alia pœnâ plectuntur hæreticorum filij, præter has irregularitatis, incapacitatis ad beneficia, & pensiones: & ad officia publica. At nec nobilitatem amittunt; nec fiunt villani, seu tributarij, nec redduntur infames, nec sunt incapaces hereditatis ab intestato, nec ex institutione, nec sunt incapaces acquirendi, &c. in cap. *filius* de hæreticis in 6. multę ex ijs pœnis infliguntur filijs percutientis Cardinalem; sed iam dixi §. 15. nullā esse conseqentiam. Vide P. Thom. c. 28. nu. 4. & P. Suar. disp. 24. fine.

§. 18. Ex dictis colligitur filios reorum læsæ Maiestatis humanæ non posse ob delicta paterna privari fortunis, honoribus, alijsve bonis, quæ re ipsa comparaverant ante delictū parētū. Quia directè nullus puniri potest ob delictum alienū; si vero ex illis prudenter immineret aliquod in Rempublicā, aut Principem periculum; posset Princeps illis detrahere ea omnia, quæ tale crearent periculum: quod iam non est ob delicta parentum; sed ob imminens damnum. Hos non posse privari Ecclesiastico beneficio iam obtento docuit glossa capitis *satis perversum* 56. distinct. Dubium. Est tamen dubium, vtrùm qui est clericus ante crimen paternum, reddatur inhabilis ad nova beneficia obtinēda? Respōdeo cū distinctione: Solut. si crimen patris sit in maiestatem sæcularem, filium proditoris iam clericum ante crimen, deinceps posse ad altiorem gradum, & beneficia promoveri: quia leges illæ laicæ non possunt præiudicare immunitati Ecclesiasticæ, qua clericus gaudet. Vnde si ante crimen erat clericus, & postea beneficiū acquirit; licitè retinere potest. Si vero crimen fuit contra maiestatem Papalem, aut Cardinalitiam, vt in cap. *fœlicis* de pœnis in 6. tunc qui ante crimen clericus erat & beneficiatus, non deijcitur suo gradu, nisi ob delictum proprium, vt dixit Sanct. Gregor. cap. *satis perversum* 56. dist. Quo capite non modò damnatur quòd quis deijciatur suo ordine quorumdam voluntate: id enim in omni pœna etiam ob delictum proprium est satis perversum; sed quod damnatur, est quorumdam factum deijcientium filios criminosorum ordine suo sine suo crimine; si vero ante crimen contra Papam, aut Cardinalem sit clericus, & post crimen obtinet beneficium, illo privatur ipso iure: cap. *fœlicis* de pœnis in 6. nec promoveri potest. Et hoc discrimen reddit Pater Thomas lib. 2. cap. 28. num. 20. non enim docet posse clericum privari beneficio obtento ante crimen contra Papam, aut Cardinalem. Iam enim dixerat eodem cap. 28. num. 18. nullum absque proprio crimine posse privari re, quam possidet; sed constituit hoc discrimen num. 19. & 20. quod clericatus obtentus antequam crimen committatur contra Papam, non liberat filium ab incapacitate obtinendi de novo beneficium; liberat tamen idem clericatus obtentus ante crimen contra maiestatem laicam. Vide §. 12. Sanchez.

SVBSECTIO III.

Alia de filijs hæreticorum.

§. 19. DELICTVM, ob quod hereticorum filij privantur honoribus, debet esse notorium vel notorietate facti, vel iuris per sententiam declarantem crimen. Communis sententia est necessariam esse notorietatem aliquam; non tamen exigi sententiam iudicis: quia cap. *statutum* 2. de hæret. in 6. asserit: *Qui tales esse, vel tales decessisse probantur*. At satis probatum est, crimē de quo publicè cōstat. Vide Patrē Suarez tom. 5. disputatione 43. sectione 3. & disputatione 24. de fide, sectione vlt. & Patrē Thomā lib. 2. cap. 27. num. 28. & Patrem Azorem tom. 1. lib. 8. cap. 13. post quæst. 8. in 8. pœna hæret. Si vero sit ipsis solis filijs hæresis nota, non videntur filij hac pœna plectendi: quia illa non est absolutè notorietas; sed necessaria est ea publicitas, quæ in iure facit crimen notorium: tum etiam, quia Pater Thomas eo numer. 28. cum alijs authoribus rectè probat has pœnas non infligi filio hæretici notorij notorietate facti non infami, vt siquis habet patrem hæreticum in hæretica Provincia, factum illud ibi non est

Suar. Sanch. Azor. Sanch.

S. Tho. q. 11. art. 3. est infame, ac propterea non affert ea incõmoda filio; sed nec delictum solis filijs notum est infame: quia non adimit publicam famam parentis, nec illam inficit: ergo opus est maiori publicitate: esset præterea grave onus, vt filij perpetuò abstinerent ab officio publico, & beneficio ob crimen alienum ipsis solis notum; cum autem pater ante sententiam non teneatur se abdicare beneficio; durum videtur, vt filij se perpetuò censeant inhabiles: cui parti satis favet P. Thom. Sanchez cap. 27. numero 28. asserens satis esse, vt constet publicè de delicto patris in oppido, vbi vivit: non dixit satis esse quamlibet filiorum scientiam. Non enim est notorium, quod pauci sciunt: item delictum dicitur probari quando scitur ab alijs, ad quos non pertinet eius pœna: nam alij adhibentur testes. Propterea Lorca disput. 47. num. 3. censet has pœnas non deberi nisi hæretico notorio. Quæ clarè conspicies ex P. Thom. lib. 2. capit. 11. num. 19. vbi declarat crimen occultum. Vnde mihi non admodum displicet eorum opinio, qui asserunt has pœnas non contrahi ante sententiam declarantem crimen: quos refert Pater Azor nunc adductus: lata verò sententiâ, privati sunt ipso iure beneficijs obtentis post crimen, & illis nova interdicuntur: cur enim ipsi alieno delicto sunt deteriores ipso delinquente? Quod autem afferunt ex capite *statutum* 2. de hæret. in sexto, potius est ab hac sentẽtiã: quia *probatio* idem est in iure ac *comprobatio* iuridica per testes. At hæc sententia minus est communis: licèt enim eam Pater Suarez tomo quinto disput. 13. sectione 3. num. secũdo, asseruerit cum Gregorio Lopez & alijs; eam tamen deseruit disput. 24. de fide sect. vltim. numero quinto. Hac autem in parte magnum argumentum est communis authoritas; à qua non est discedendum: vt etiam dicam §. 24.

(Margin: Sanchez. Lorca. Suarez. Luisius. Azor. Suar. Greg. Lop.)

§. 20. Dubium. Si Pater ante obitum privatim reconcilietur Ecclesiæ, non est dubium, filium esse pœnis immunem: est autem quæstio vtrum illis plectatur filius sciens parentem egisse pœnitentiam; non fuisse tamen reconciliatum ab excommunicatione? Pater Azor tomo secundo lib. 6. cap. 4. quæst. 3. versu *aliàs verò* censet id non sufficere ad effugiendas pœnas: quia capit. *statutum* secundo de hæretiç. in sexto, vult, vt parentes discedant Ecclesiæ reincorporati. Respondeo hæresi deplorata hominem reincorporari Ecclesiæ per eius retractationem: quia tunc est Christianus nomine & re: vnde est membrum Ecclesiæ, quamvis nondum admissum ad sacramentorum vsum, quod non tollit corporationem in Ecclesiam, vt patet in cæteris excommunicatis: vnde vel hoc ipso fundamento placet eos evadere eas pœnas: quia parentes sunt emendati, & catholici decedunt: & re ipsa sunt de corpore Ecclesiæ per characterem & fidem. Quam sententiam docet P. Thom. lib. 2. capit. 27. nume. 28. Quod si patre accusato, & mortuo ante sententiam reconciliationis, filius testibus comprobasset patris pœnitentiam, & conversionem ad fidem; iudex declaret eum esse filium hæretici, qui pœnitens excessit è vivis: quia paratus fuit exequi pœnitentiam ab Ecclesia imponendam.

(Margin: Azor. Solutio. Sanch.)

§. 21. Non sunt irregulares cuiuslibet hæretici filij; sed illius dumtaxat qui decessit impœnitens extra corpus Ecclesiæ. Etenim Alexander Quartus, cap. *quicunque* de hæret. in 6. cuiusvis hæretici filios damnaverat privatione ordinum, officij publici, ac beneficij. Deinde hoc statutum in parte est abrogatum à Bonifacio Octavo cap. *statutum* de hæreticis in 6. præcipiente ne ea afficiantur pœnâ filij eorum, quos emendatos esse constiterit, &c. Vnde filij reconciliatorum nullã ex ijs contrahunt pœnis: quia illi vt pœnitẽtes admittuntur ad communicandũ cum catholicis in sacramentorum vsibus.

§. 22. De filijs relaxatorum, qui extremo afficiuntur supplicio, licèt signa dant pœnitentiæ, & admittuntur ad sacramenta pœnitentiæ, & Eucharistiæ, est maior difficultas, vtrum his afficiantur pœnis? Peña in direct. 3. p. comment. 164. censet esse probabilius horum filios ijs maculari iuris notis: cui sententiæ vt communi subscribit P. Suarez disp. 24. de fide sect. 3. num. 3. idem asserẽs de omnibus, qui igni traduntur, & P. Thom. lib. 2. cap. 27. num. 25. pro qua plures authores adducit: fundamentum est: quia Bonifacius Octavus, cap. *statutum* 2. de hæret. in 6. excipit ab ijs pœnis filios eorum, qui reincorporantur in Ecclesiam: oppositam sententiam meritò num. 22. dicit esse probabilem cum multis alijs viris doctissimis eam docentibus: quia illi hæretici verè sunt pœnitentes, & reincorporati in Ecclesiam per fidem, & facultatem ad suscipienda sacramẽta: quibus, si essent impœnitẽtes, & extra corpus Ecclesiæ, non fieret facultas vtendi sacramentis: cum autem Põtifex non petat nisi reincorporationẽ, satis est illa, quæ est per fidem, & potestatem ad sacramentorum publicum vsum; vt de filijs pœnitentium antequam solenniter reincorporentur asserit ipse P. Thom. Atq; hæc sentẽtia mihi videtur verior: itaque illorum dumtaxat filij, qui sine publico sacramentorum vsu comburuntur, afficiuntur hac nota, quales sunt contumaces vivi exurendi, & negativi: quia ij in foro censentur esse contumaces.

(Margin: Peña. P. Suarez. Sanchez.)

Filios

§. 23. *Azor.* *Sanch.* Filios suspectorum de hæresi ijsdem pœnis teneri censuit Pater Azor tom. 2. lib. 6. cap. 4. quæstion. 3. versu *si roges*: verius tamen censeo, eos non teneri, cum Patre Thoma lib. 2. cap. 28. numer. 29. quia textus non agit nisi de solis hæreticis. Quod si pater accusatus, & citatus à iudice, non respondet, & in absentia damnatur vt hæreticus: si verè potuit respondere, & non comparuit; eius filij tenentur ijs legibus: quia pater iure censetur hæreticus; & ob timorem, & contumaciam in hæresi non comparuisse: si autem vel non scivit, vel re ipsa non potuit se purgare crimine falsò obiecto: filius in foro conscientiæ non afficitur ijs pœnis: secus in foro externo, donec re probata, pater renuncietur aut innocens, aut non potuisse comparere: idem est si contumacia non sit probata. Filij denuntiantes patrem nulla ex his pœnis afficiuntur: hæc docet Peña tertia parte commentario 164. *Peña.* Nec videtur alienum ab æquitate, vt non confiscentur bona paterna: saltem omnia; sed vt filijs relinquantur vnde honestè degant vitam: alioquin redderetur moraliter impossibilis filijs accusatio parentum: si ob id sint in egestate victuri.

§. 24. Tenentur hac lege omnes filij legitimi & illegitimi quorum certus est pater: qui autem non sunt certi filij hæreticorum non tenentur hac lege. *Sanch.* Vide Patrē Thomam lib. 2. capit. 27. numer. 1. est tamen controversia, vtrùm teneantur ij, qui post crimen geniti fuerunt; an vero etiam, qui ante crimen. Quæstio quidem gravis: in qua divisi sunt authores Albericus, Salycetus, Palacius, & alij quos refert & sequitur Peña tertia parte director. cōmentar. 163. versu *ommissis tamen* asserunt omnes filios hac lege teneri etiam susceptos ante crimen. *Alberic.* *Salycet.* *Palacius.* *Peña.* *Sanch.* Pater Thomas lib. 2. capit. 27. numer. 9. complurimos gravissimos authores affert pro ea sententia; argumenta vero nec pauca, neque imbellia. Ipse vero numer. 10. & 14. censet filios conceptos ante delictum paternum ijs legibus minimè teneri; sed illos esse immunes à pœnis, solosque præstringi, qui post commissum crimen concepti fuere. Quam sententiam censeo probabiliorem: quam ipse apertè probat ex Sanct. Augustino asserente peccatum patris nocere filio post illud concepto; non verò ante crimen: quia iam non est aliquid patris. Plures adducit authores vbi observa, non ideò hanc pœnam evadere, quod non possit iustè infligi. Censeo enim cap. *fœlicis* de pœnis in 6. pœnis eius capitis præstringi filios percutientis Cardinalem natos ante crimen: illis enim detrahitur dignitas etiam Episcopalis; at quis credat sermonem esse de filio concepto post crimen, qui deinceps ad Episcopatum ascendit? item ibi plectuntur fratres & sobrini percutientis Cardinalem: vnde non laudo sententiam Archidiaconi adducti à Patrem Thoma eo cap. 27. *Archid.* numer. 14. post medium, qua censet sic esse accipiendas omnes decretales: ita eas accipio excepto cap. *fœlicis*; vbi Pontifex affirmat se agere legibus extraordinarijs in percutientes Cardinalem: & quidem ego vidi principē virum, filium hæretici combusti, & (vt arbitror) pertinacis: qui comitatum paternū fuit Madridij consequutus, sententiâ Consilij Castellæ; nec fuit vllo nobilitatis genere privatus; sed potius electus ad Capitaneatum Generalem: cuius vnicum fuit fundamentum; quod natus erat ante delictum paternum.

§. 25. Rogas; cur tantopere laboretur in quæstione vtrùm filij hæreticorum privandi sint beneficio obtento ante delictum? cum in hac sententia non sit habenda ratio, nisi de tempore quo filius genitus est? Respondebit Pater Thomas lib. 2. cap. 28. numer. 24. obtenta *Sanch.* beneficia retineri iustè, dùm hæresi; non declaratur sententiâ iudicis. At non est locus huic doctrinæ: ipse enim eodem cap. 28. numer. 10. & cap. 27. numer. 28. asserit, non exigi eam sententiam ad inhabilitatem filiorum ad beneficia obtinenda. Respondeo, filios hæreticorum non esse incapaces acquirendi beneficia dùm paternum crimen non est notorium: vt asserit Lorca de ipsis hæreticis *Lorca.* disputatione 47. numer. 3. de quo egi §. 19. si ergo beneficia acquisiverunt dùm hæresis paterna non fuit notoria; sunt ipso iure eis privati, quando feratur à iudice sententia declarans hæresim; vt docet Pater Thomas cap. 28. num. 24. & 31. cum alijs authoribus; non vero ante sententiam. At vero postquam delictum est notorium, sunt iam inhabiles ad alia obtinenda ante sententiam iudicis: ipsa enim notorietate criminis paterni redduntur irregulares: vt asserit Pater Thomas cap. 27. numer. 28. & ego asserui §. *Sanch.* 19. cum communi sententia, à qua dixi non esse discedendum: item respondeo eam quæstionem esse vtilem: quia commenissima sententia est, filios genitos ante crimen, præstringi etiam hac lege, in qua sententia asserendum est, eos non amittere ea, quæ sibi comparaverunt ante crimen paternum: etiam si inhabiles sint ad nova comparanda.

§. 26. Idem iudiciū est de filio rei læse Maiestatis laicæ; qui si genitus fuit antequam parentes crimen susciperent; non præstringitur infamiâ, nec inhabilitate ad omnia munera. Qui vero censent etiam genitos ante crimen præstringi, censebunt eos non posse privari bonis obtentis ante crimen:

S.Tho. q. 13. art. 3. nec obtentis, dum crimen non fuit notorium nisi per sententiam. Quia ante hanc criminis notorietatem nō erant clerici, sunt inhabiles ad clericatum: quia sunt infames à suis principibus: omnis autem legitima infamia non abrogata per Ecclesiam, trahit irregularitatem. Adverte; crimen per se occultum ante generationem filij, non esse caussam pœnarum filij: debet ergo esse externum, & notorium: quia pœnæ ab homine non sunt nisi ob externa delicta, vt monet P. Thom. c. 27. num. 15.

§. 27. Alex. Bonif. 8. Hæreticorum filios vsque ad quartā generationem Alexand. Quartus hac lege voluit esse præstrictos cap. *quicumq;* de hæret. in 6. sed Bonifacius Octavus cap. *statutum* 2. ibidem moderatus est hanc legem: volens filios & nepotes viros hac lege teneri: itaque linea virili tres personæ afficiuntur ijs pœnis: Pater ipse hæreticus, filius huius, & nepos: tametsi Catholici sint. At lineā fœminea non porrigitur pœna ad nepotes; sed ad solos filios: ergo pater hæreticus, & eius filius, tenentur legibus: si vero filius suscipiat filiam neptem hæretici; hæc non tenetur hac lege: item si pater gignit filiam, pater & filia no tantur legibus, nepos autem ex filia nequaquam notatur: item ex matre hæretica notantur filij & filiæ; non tamen nepotes, aut neptes. Recognosce Patrē Thom. cap. 27. numer. 2.

Sanch.

SECTIO II.

De credentibus, recipientibus, & faventibus hæreticis.

§. 28. CREDENTES hæreticorum non sunt nisi hæretici. Qui enim cōfidunt hęreticis in negotio aliquo, quāvis se illis credunt ea in parte; at non sunt credentes hæreticis formaliter. Leges enim agunt hac in parte in ordine ad religionem: omnis ergo credens hæreticis, hæreticus est formaliter: quia cum pertinacia in Ecclesiam sequitur aliquod dogma. Distinguuntur autem ab hæreticis, non solum maioris explicationis gratia; sed vt ostendatur legibus agendū non solum in magistros errorum; sed etiam in discipulos. De ijs ergo credentibus eadem est ratio ac de hæreticis in commune. Recognosce Patrē Thom. lib. 2. cap. 10. num. 1. & 2. & Petrum Lorcam disputatione 49. numer. 3.

Sanch. Lorca.

§. 29. Hæreticorum receptor, aut receptator est, qui in domum suam excipit eum, quem scit esse hæreticum; tametsi semel duntaxat eum recipiat. Hæc intellige quando hæreticus confugit in alicuius domum vel vt se tueatur à ministris Ecclesiæ, aut regijs, ne comprehendatur ob hæresim puniendus, aut quando contra edicta publica Quæsitorum, vel cuiusvis legitimi iudicis in domo occultatur. At vero in provincijs hæreticis, vbi hæretici liberè grassantur; si quis Catholicus hæreticum excipiat hospitio ob affinitatem, aut civilem amicitiam, aut etiam in diversorio; non est hæreticorum receptor: quia hæreticus inde nullum damnum infert religioni, nec tunc favetur hæresi, nec quid agitur de religione; ob excommunicationem, autem non debemus hæreticum vitare, nisi sit nominatim & publicè denuntiatus: item quando Principe permittente nec reclamante Ecclesia, hæretici ex alijs regnis adventant, non sunt receptores hæreticorum, qui eos excipiunt hospitio: vt nunc in Curia Regis Catholici versatur hæreticus legatus Regis Angliæ: hæc enim officia nulla in parte religionem attingunt.

Quando vero quis fugiens legitimos iudices excipitur hospitio, est dubium quid requiratur ad crimen recipiendi hæreticos, ob quod pœna decernitur iure canonico. §. 30. Ac primum statuo necessarium esse, vt hæreticum quis recipiat favens aliqua ex parte hæresi; ita vt vel maneat impunita, vel eam propagandi sit occasio, vt ex communi sententia proponit Pater Thomas lib. 2. cap. 10. Sanch. numer. 4. ipse numer. 5. cum alijs multis, censet exigi expressam intentionem hæresi favendi: si autem hospitium præstetur ob amicitiam, vel necessitudinem, vel aliam rationem alienam ab hæresi: censet non admitti receptationis hoc crimen. Quia istæ leges feruntur in odium hæresis, & in hæreticum formaliter: ergo qui cum eo communicant in crimine, puniuntur quia in eo formaliter communicāt. Cardin. Toletus & alij Tolet. plures censent, non esse necessariam eam intentionem; sed satis esse si inde sequatur damnum in fidem.

Hæc possunt componi: si quis concitet §. 31. spem melioris frugis; potest excipi hospitio, & occultari quin contrahantur hæ pœnæ: quia nullum damnum positivū patitur fides: item si ex hospitio nullū damnum sit sequendum in aliorū fidem; sed præcisè vitatur carceratio fugiētis hæretici, vel quid simile, aut gravius supplicium, non cōmittitur hoc crimen: quia non excipitur hęreticus: quia hęreticus est; sed quia amicus: nec positivè lęditur fides; sed præcisè vitatur suppliciū: quod per se non est favere delicto, ob quod illud quis mere-

mereretur: quia qui est in caussa ne iudices offendant latronem, illique opem ferunt vt fugiat, non sunt latrones; nec homicidæ, qui tegunt homicidam: ergo nec favet heresi, qui tegit hæreticum: hęc accipe, nisi edicto publico minante censuram, aut simili præcepto iudicis, iubeantur omnes hæreticum prodere: tūc enim tenentur omnes obedire, qui commodè possunt. Si autē ex hospitio periclitetur alicuius fides ob prædicationem hæretici excepti domi; censeo loquendū cū distinctione, si hospiti ex carceratione hæretici, aut ex eo non excipiendo, immineat grave damnum proportionatum damno aliorum imminēti ex hospitio hæretici, non contrahitur hoc crimen, nec eius pœna. Quod necesse est vt

Sanch. fateatur Pater Thomas & alij; estque communissima sententia nullum teneri cum damno sibi proportionato ad vitanda aliorum damna. Actio illa est per se honesta: quia est beneficentia in proximum; alius autem damna non teneor ego vitare cum meo damno illis proportionato: vt de remigibus dixi disputatione 76. §. 105. ergo non admittitur crimen hoc.

§. 32. Si vero ego sine gravi meo damno & proportionato, possum hæreticum aut ejcere, aut non admittere, teneor id præstare: alioquin committo crimen receptationis hære-

Tolet. ticorum: sic accipio Toletum, & alios; nec arbitror Patrem Thomam adversum. Quia tunc formaliter favemus hæresi, quando culpatè committimus aliquid, ex quo videmus hæresim propagandam; sed tunc id contingit: est enim gravissima culpa permittere hæresis propagationem, quando sine damno proportionato id possumus vitare: ergo. Probo maiorem: quia hæresis formaliter crescit ob commissum omne crimen in fidem: item vix vmquam esset aliquis hæreticorum receptor, nisi esset & hæreticus: quis enim Catholicus vmquam aliquid efficit habens pro motivo & fine hæresis propagationem? efficere igitur aliquid, ob quod fides sit minuenda est excipere hæreticum formaliter, aut iuvare. Ad argumentum ex §. 29. dico has leges ferri in odium hæretici formaliter. Vnde omnia, ex quibus hæresis augetur, sunt favor hæresis: debet ergo excusari gravi aliquo damno.

§. 33. Obiect. Obijcis, hæreticus externus tantùm, non contrahit has pœnas in foro conscien-

Resp. tiæ: ergo nec qui hæretico favet. Distinguo consequens: qui hæretico favet ore tenus, concedo consequentiam: qui enim dicit se hæreticos receptasse, non contrahit hoc crimen; si eos non receptavit: si vero eos receptavit, id admittit, vt hæreticus qui animo credit. Et quamvis hæreticus purè exter-

nus non contrahat censuras; at si fidem corrumpit aliorum, eas contrahit: quia hæresi favet, eamque prædicat: ad quod non est opus animo hæretico; immò qui censeret hæreticum non recessurum ab hæresi nisi in iudices incidat, tenetur illum non excipere, si id potest absque gravi proportionato damno: quia iam tunc hæresi favetur.

Nec vero solus ille est receptor hæretici, qui eum excipit in domum; sed etiam Princeps, aut iudex qui illum patitur in vrbe, aut regno. Fautor hæreticorum est, qui eis præstat auxilium: est tamen advertendum, nos faciliùs excusari à culpa in receptione, quàm in favore: quia receptio non tam dicit positivam in omnibus actionem in rem de se malam, quàm favor: si enim hæreticus oppugnet iniustè Catholicos; non potest vlla ratione illi auxilium præberi: quia est cooperatio iniusta: considerandа tamen sunt, quæ latè dixi de remigibus & alijs disp. 76. maximè à §. 105. §. 34.

Pater Thomas eo cap. 10. num. 8. deducit ex sua doctrina, in foro conscientiæ ijs pœnis non affici receptorem, quando recipit parentem, filium, coniugem, aut consanguineum solius amicitiæ caussâ: quia ad has pœnas est necessarius animus hæretico vt hæretico favendi. Ego consequenter deduco eos non teneri ijs legibus, quando si..e incommodo proportionato non possunt absque gravi damno, & superest spes vlla de eius resipiscentia. Est autem per se satis grave dānum ærumna coniugis, filij, parentis, fratris, & consobrini: si vero multo maius sit damnum reipublicæ imminens ab hæretico; tenemur quemlibet eijcere, etiam parentem. §. 35. Sanchez.

Inter personas publicas & privatas est hoc discrimen, quod publicæ favent hæreticis omisione pura; secus privatæ, nisi paucis in occasionibus. Episcopus enim, Quæsitor, eorumque ministri; si connivent hæretico, quamvis nec illum excipiant, neque eijciant ex imperio; tenētur his legibus: quia ad ipsos pertinet ratione muneris invigilare gregi, arcereque lupos: quorū omissio est favor hæreticorum. Idem dixerim de iudicibus laicis, qui imploratam opem ab Ecclesiasticis tenētur ferre, quam si negligant, contrahunt has censuras: immò si adsit periculum, vt fugiat hæreticus; maximè autē quandò cum gravi damno in fidem fugiet; tenentur illum capere deferendum ad curiam Ecclesiasticam: quia civilis principatus famulatur Ecclesiastico in ijs à quibus pendet reipublicæ fides. Privatæ vero personæ non cōtrahunt has censuras ex omissione sola. Excipe cum tenemur edicto publico Quæsitorū, aut iuramēto legitimis iudicibus §. 36.

S. Thom q. 12. art. 1. præstito, aut cum privati non ferunt opem imploratam à magistratibus. Recognosce P. Thom.

SECTIO III.

Pœna in hos decreta.

§. 37. PRIMVM excommunicãtur credentes, fautores, receptatores hæreticorum, & eorum libros vendentes, transcribentes, &c. vt constat ex bullæ processu num. 1. alijsque locis infinitis. Quæ excommunicatio est Papæ reservata: si crimen sit occultum, potest Episcopus eam dimittere in foro conscientiæ: non modo per se, vt hæresis excommunicationem; sed etiam per vicarium: quia in solo crimine hæresis interdicitur Episcopo vti vicario. Cùm enim Cõcil. Trident. sessio. 24. decreto de reformat. cap. 6. permiserit Episcopis per se, & per vicarios dispensare in irregularitate, & censura ob crimen occultum; addit idem in crimine hæresis per se tantùm, & non per vicarium: cùm ergo hoc crimen non sit hæresis, non excluditur vicarij vsus: dico non esse hæresim, non quidem de credentibus hæretico, quos dixi ijs, quibus hæretici, legibus vrgeri. Virtute bullæ Cruciatæ posse hos criminosos absolvi semel in vita, & semel in morte, rectè docet P. Thom. lib. 2. cap. 12. num. 2. Quia bulla affert facultatem absolvendi ab omni crimine Papæ reservato etiam in bulla Cœnæ: excipitur autem solum crimen hæresis; sed alia crimina non sunt hæresis: ergo non excipiuntur. Vnde qui legit libros prohibitos, si iam sunt traditi Quæsitoribus, vel iam non est in eius potestate eos tradere, potest absolvi virtute bullæ. At cæteris privilegijs non potest absolvi; nisi exprimantur casus reservati in bulla Cœnæ: quia licèt dicatur in privilegijs dari facultatem ad casus Papæ reservatos, non datur ad casus bullæ Cœnæ, nisi exprimãtur: est ergò opus vt bullæ Cœnæ expressè derogetur; non tamen propterea datur facultas in hæresim, vt explicui disputatione 84.

Trident. *Sanchez.*

§. 38. Afficiuntur hæreticorum fautores, eorumque filij irregularitate, alijsque pœnis, quibus hæretici, & eorum filij, vt constat cap. *quicunque*, & capite *statutum* 2. de hæreti. in sexto.

DISPVT. LXXXIX.

De Apostasia.



§. 1. APOSTATA est idẽ, quod *desertor*: miles fugitivus appellatur *desertor*, & *apostata*; apostatare autem est *deserere*. Vnde mali Angeli vocãtur *desertores*, & *apostatæ*: quia principatum suum, ac domicilium deseruere. Peccator item dicitur *Apostata*. *Vinum & mulieres apostatare fecerunt sapientes*. Hæc autem tàm laxa significatio est quàm maximè propria.

Tamen iure Ecclesiastico non quodvis peccatum appellatur *apostasia*; sed triplex: primum desertio ordinis religiosi, quam quis professus est: vt cùm fugit absque facultate prælati nunquam reversurus, sivè id faciat animo alium ordinem adeundi, sivè nullum: etenim quicunque absque facultate communi iuris, aut privata legitimi superioris, alium ordinem suscepit, est apostata: quia deseruit suum ordinem, & in alio non est verè religiosus: item qui fugit animo non redeundi, licèt habitum retineat, est apostata: *quia habitus non facit monachum*; si autem fugit animo redeundi citò, non est apostata, quamvis habitum mutet. Qui autem fugiunt animo diù non revertendi, apostatæ sunt, quamvis peccatum est minus grave.

§. 2. Secundum peccatum est desertio ordinis sacri, aut clericalis. Quod non accipio de ordinibus minoribus: potest enim quis ab illorum statu, & vsu absque peccato mortali discedere; si autem quis beneficio retento deserat ordinum minorum statum; est apostata ab ordine: quia deserit statum Ecclesiasticum, quem tenetur profiteri dum retinet beneficium. Vnde beneficiatus vxorem ducens absque animo renuntiandi beneficio, est apostata: item & qui militat, quia hæc pugnant cum statu clericali, quem profitetur: omnis item subdiaconus, & alij superiores clerici sunt apostatæ, si militent, aut vxores ducere videantur in foro externo: si absque habitu clericali scorta circumducant, & alia id genus efficiant.

§. 3. Tertium peccatum est desertio fidei catholicæ. Vnde omnis hæreticus est apostata: quia est desertor fidei semel iam susceptæ: dixi disputans de hæresi, non esse hæreticũ, qui dissentitur mysterijs fidei nondũ susceptæ; sed illius peccatũ esse infidelitatẽ paganismi,

mi, aut Iudaismi: Cathecumenum autem dixi esse hæreticum coram Deo; non tamen in foro externo: quod rectè dici potest de apostasia: quia in foro cōscientiæ apostata est qui deserit fidem susceptam; non tamen in foro externo: est autem apostasia more iuridico *desertio fidei in baptismo suscepta.*

§. 5. At vero distinguimus apostatas à cōmunibus hæreticis, quòd hi deserunt fidē Christi, non tamen appellationē Christianitatis: appellantur enim *Christiani*: dùm ergo non abnegāt Christum venisse; illumq; fuisse magistrum veritatis, & dùm non abnegant se esse Christicolas, & eius legem servare; sunt hæretici, nō apostatæ. Vnde Valens & alij Principes desertores fidei appellati sunt *hæretici*, non *apostatæ*. Qui vero negant venisse Messiā, & Christum non fuisse magistrum veritatis; nec se eius discipulos profitentur; non dicuntur *hæretici*; sed *apostatæ*, licet nobiscum multa credant. Ratio est; quia non solùm deserunt fidem Christi, sed & nomen.

§. 6. S. Thom. Apostasiam non esse speciem infidelitatis, sed circumstantiam, rectè dixit S. Thom. hac quæst. 12. art. 1. Quia apostasia addit fidē negari, quæ fuerat in baptismo professa. Iudæus & Mahumetanus qui numquam crediderunt in Christum; habent infidelitatē eiusdem speciei cum ea quam profitetur ille qui fuerat baptizatus: credunt enim errores eosdem; primi tamē nō sunt *apostatæ*; secùs aliùs. Dividitur apostasia in hoc sensu, in Iudaismum & Paganismū. Recognosce Patrē Suarez disputat. 16. sect. 5. & Patrē Thom. lib. 2. cap. 7. num. 15. & Petrum Lorcam disputat. 50. & 51.

Suarez. Sanchez. Lorca.

DIPVT. XC.

DISPVT. XCI.

De blasphemia.

§. 1. S. Thom. SANCTVS Thom. hac quæstione 13. non egit vniversim de peccato blasphemiæ vt sic; sed de blasphemia hæreticali, quæ directè opponitur confessioni externæ fidei. Hic autem ego disputo de blasphemia vt sic; deinde eam dividam in suas species; de blasphemia autem in Spiritum Sanctum disseram disputatione sequenti. Quia vero blasphemia multipliciter accipitur, prius significatum vocis exponam; ne eius ambiguitas sit nobis occasioni obscuritatis.

SECTIO I.

Significatio blasphemiæ.

BLASPHEMIA nomen est Græcum compositum ex verbo *Phimo*; quod est *loquor*, & *blapto*, quod est *noceo*. Est ergo blasphemia *loquutio nocens*: seu *loquutio contra famam*. Ambrosius Calepinus ex Budæo hæc ait: *Blasphemia execratio, maledictio, vituperatio, vel obtrectatio nefaria*. Vnde *blasphemo* est derogare alicuius famæ, execrari, maledicere, & verbis calumniam inferre. §. 2. Amb. Cal.

Hinc conijcio non quamlibet maledicentiam esse blasphemiam, etiam inter homines; sed illam præcisè quæ fundamentū non habet in eo, cui probra dicuntur: si enim quis sit fur, non est blasphemia, eum appellare dignum patibulo: quia eius famæ non derogatur absque fundamento. At vero iustum appellare latronem dignū supplicio est blasphemia: quia malum patitur in fama ab alterius dictis absque fundamento. Quapropter S. Aug. tom. 1, lib. 2. de moribus Manicheorū cap. 11. ait: *Est autem blasphemia cum aliqua mala dicuntur de bonis*. In quo sensu accipio Patrē Maldonatum in Matth. 12. 8. sub initium asserentem *peccatum blasphemiæ consistere in contumeliosis verbis*: licet enim homo homini verba dicat contumeliosa, si in ipso est fundamentum non sunt blasphemia. §. 3. August. Maldon.

§. 4. At vero antiquā iam consuetudine non accipitur blasphemia pro quacumque maledicentia de bono; sed pro maledicentia de Deo. Quisquis igitur malum dicit de Deo est blasphemus: consuetudinem, & eius rationem meminit Sanct. Augustinus adductus §. 3. ijs verbis. *Itaq; iam vulgò blasphemia non accipitur nisi mala verba de Deo dicere: de hominibus namq; dubitari potest; Deus vero sine cōtroversia bonus est.* Quia igitur hominum bonitas non est tàm certa, quin posit in dubiū revocari, nullus est in eos blasphemus: secùs in Deum. Hoc non officit quominus in homines, quos Ecclesia colit vt beatos, possit esse blasphemia: quia illi sunt absque controversia boni. August.

§. 5. Est item blasphemia execratio: Calepinus

S.Tho. q. 11. art. 3. pinus reddit Hispanè *mal agorar*: non tamen benè: malè enim augurari; non est maledicere, nec imprecari; sed per auguria inania mala futura prædicere; seu malè ominari: est ergò execratio impreccatio, seu maledictio; cum aliquid mali alicui precamur: idque verbis exprimimus, vel saltem cum verba sunt imprecantia, quamvis ex animo oriatur non imprecante. Adverte autem blasphemiam esse peccatum in loquendo: loquutio autem non accipitur pro solo linguæ motu; sed pro quovis signo ad placitum significante, sive sit linguæ sonus, sive scriptura, sive quodvis aliud: vt late dixi disp. 13. agens de loquutione.

SECTIO II.

Definitio blasphemiæ.

§. 6. Sanchez. Arag. Bañez. Valent. Caiet. S.Thom. PATER Thomas lib. 2. cap. 32. num. 1. sic blasphemiam definit, *peccatum quo aliquid de divina bonitatis excellentia detrahitur, dicendo aliquid Deo inesse, quod nō inest; vel negando inesse, quod inest*: cui definitioni Theologi nonnulli subscribunt, Arag. notab. 3. quamvis notabili 4. censeat blasphemiam non oriri ab assensu falso, sed à pravo affectu. De quo agendum §. 19. Bañez in commentario. Pater Valentia tom. 3. disputat. 1. quæst. 13. punct. 1. quibus præivit Caietanus hac quæst. 13. art. 1. quod collegisse sibi videtur ex S. Thom. & quidem S. Thomas non egit nisi de blasphemia hæreticali, vt rectè exponunt authores allegandi §. 21. estque manifestum: quia egit de blasphemia, vt opponitur confessioni fidei, quæ blasphemia continet hæresim, & errorem speculativum in significatu ipso verborum, vt hæc propositio: *Deus erat ebrius cùm hoc fecit*.

§. 7. August. S. Augustinus adductus §. 3. vno verbo definijt blasphemiam, *loquutionem mali de Deo*. Quo nihil brevius nec accommodatius instituto potuit afferri. Etenim *loquutio* est genus, in quo hoc vitium convenit cum alijs vitijs, & multis virtutibus, versantibus circa linguā, & differt ab alijs hāc nō attingentibus; sed actiones alias & obiecta: *mali*, est discrimen à virtutibus, quæ non loquuntur malum: & ab alijs vitijs, vt arrogantia: quæ non loquitur male: convenit autem cum detractione; quæ est maledicentia: *de Deo*, est vltima differentia blasphemiæ. Quæ omnia decursu patebunt.

(?)

SECTIO III.

Quæ loquutio sit blasphemia?

PATER Suar. tom. 1. de relig. tract. 3. lib. 1. cap. 4. num. 1. definiens blasphemiam, asserit esse *verbum maledictionis, convitij, seu contumeliæ in Deum*. Prima vox *verbum* respondet Augustinianæ voci *loquutio*: sunt autem in creatis synonima: omnis enim loquutio est verbum: quia est producta significatio; & omne verbū est loquutio, etiā scriptura, & alia signa: est ergo blasphemia *voluntas faciendi verbū mali de Deo*: eius obiectum est *verbum* ipsum *mali*, vt homicidium est voluntas de homine necando, cuius immediatum obiectum est nex: quia vero vitia significant obiecta, circa quæ versantur; blasphemia est *verbum in Deum*: vbi subintelligitur *ortum ex prava voluntate*, vt homicidiū est nex hominis à voluntate iniusta. §. 8. Suar.

Duo sunt verborum genera: alterum mentale; alterum externum, sive sensibile. Vtrūque amplectitur blasphemia: mentale quidem, vt siquis tacitus loquatur intra se cum Deo his apprehensionibus. *O crudelis! O tyranne!* reperitur hic blasphemia consummata: quia apprehenditur probrum in Deum, & est voluntas illud significandi illis actibus. Qui dicunt blasphemum non sentire malum, quod de Deo dicit; asserent circa solas apprehensiones simplices versari blasphemiam mentalem: quas volens & cum inclinatione in illas, blasphemus efformat iratus Deo, vel ob alium affectum. Qui vero censent posse etiam blasphemiam esse cum assensu interno; dicent hæresim posse esse blasphemiam: quia asseritur non solùm contra fidem; sed etiam ex pravo in Deum affectu. Hæc autem est blasphemia mentalis, quæ habet pro obiecto mentale verbum mali de Deo. §. 9.

Deinde non est dubium verbum vocale mali de Deo, esse blasphemiam: quia hæ voces sunt absolutè verba. Nec est dubium scripturam significantem aliquod malū Dei esse blasphemam: quia tàm propriè sunt verba, quàm vox. Est enim verbum externum signum ad placitum rei, vt à nobis concipitur. Vnde dixi disputat. 13. nos loqui linguâ, calamo, nutibus, accensis ignibus, tubis & mille alijs modis: frequentiora signa sunt voces & scripturæ. Vnde omne signum ad placitum externum significans aliquod malum Dei est blasphemia. Ratio à priori: quia signum vocale ea ratione est blasphemia: quia significat malū Dei, & terminat pravū, affectum §. 10.

affectum illud faciendi; sed etiam cætera signa significant malum Dei, & terminant pravum affectum illud faciendi: ergo sunt blasphemia. Vnde si quis verbo quærat *sit ne Deus crudelis?* si quis capite annuat, est blasphemus: quia loquitur malum de Deo; item si tubâ, vel quovis alio signo ad id instituto. *Suar.* Quæ doctrina est P. Suarez tomo 1. de relig. tract. 3. lib. 1. cap. 1. num. 4. hæc autem est blasphemia exterior.

§. 11. Vnde deduces facta externa irreligiosa non esse propriè; sed impropriè blasphemiā, *Suar.* vt exponit idem P. Suarez num. 5. quia illa non sunt loquutio, aut malum verbum de Deo: illa enim non sunt instituta ad significandum malum Dei: sunt enim ipsa malum Dei: quia sunt actiones contra eius cultum, vt si quis proculcet Eucharistiam, aut sacras feriat imagines, non significat aliquod malum Dei; sed facit illud: blasphemia autem est voluntas significandi, seu loquendi malum de Deo: cùm autem illæ actiones non sint loquutio, non sunt blasphemię propriè; sed impropriè: quo pacto Sanctus Augusti- *August.* nus tom. 9. tract. 27. in Ioan. prope finem ait. *Non inter illos malos dico, qui blasphemāt Christum: rarò enim iam inveniūtur, qui linguâ blasphemant; sed multi qui vitâ.* Vbi malos non dixit absolutè blasphemos; sed potiùs dixit non esse necessariò vivendum inter blasphemos, redditque rationem: quia rarò inveniūtur, qui linguâ blasphemant: id est, rarò inveniuntur blasphemi absolutè & propriè; impropriè autem multi. Quod patet à contrario: quia qui genuflectit non dicitur laudem Deo dicere; sed Deum colere: facta ergo cōtra cultum sunt irreligio in cultu; non tamen in verbis.

SECTIO IIII.

Quæ voluntas inveniatur in blasphemia?

§. 12. QVADRVPLEX genus volūtatis potest inveniri à qua imperetur actio externa prava, aut proba. Prima qua amatur actio propter ipsam: id est, cum amatur actio honesta, vt obiectum formale, seu ratione suæ honestatis; vel amatur actio turpis propter bonitatē delectabilem, quæ in ipsa reperitur: exempli gratia, potus intemperatus propter gustum. Hi actus constituunt speciem virtutis, & vitij: sic qui profert verba mala in Deum propter delectationem, quam sentit in convitijs, aut maledicentia in Deum, non solùm admittit pessimum peccatum blasphemiæ in genere moris; sed etiam exercet actus, quibus comparatur vitium, seu habitus blasphemiæ, de quo nulli potest esse dubium.

Secunda volūtas est directa in verba blasphemiæ, non tamen propter delectationem §. 13. in maledicentia in Deum; sed ob timorem, vel ob adulationem, vel quid simile: ita vt blasphema verba eligantur non propter ipsa; sed vt medium ad consequendum alium finem accidentarium blasphemiæ. Hunc autem esse moraliter in vitio blasphemiæ, nullus potest dubitare. Primò ab exemplo, qui enim ob intemperantiam furatur, est mœchus & fur: & qui ob ludum vult sacrū omittere, est irreligiosus: & qui ob adulationem necat hominem, est homicida. Secundò: quia bonum ex integra caussa, malum verò ex defectu cuiusque: ad virtutē laudis Dei exigitur voluntas de verbis significantibus laudē, & vt sit propter illorum honestatem: ad peccatum autem sufficit agere contra obiectum materiale laudis: ratio apriori: quia præceptum de laude Dei prohibet verba convitiosa. Nunc nō disputo vtrùm hi actus sint physicè in specie vitij blasphemiæ: de quo disputatur in quæstionibus de vitijs & peccatis.

Tertia voluntas est interpretativa, quam §. 14. vocant voluntariū indirectum, quādo actionem aliquam pravam nec amamus, vt finem per se primò; nec per se secundò, vt medium; ita vt affectus illam nequaquam attingat: at verò volumus aliquid, ex quo conijcimus sequendam actionem pravam: exempli gratia, ego nolo occidere hominem, at volo sagittare cervum, ex cuius sagittis video hominem periturum; si cervum sagitto, sum homicida propter voluntarium indirectè homicidium.

Hanc voluntatem sufficere ad peccatum §. 15. blasphemiæ docent P. Luisius disp. 58. dub. *P. Luisius.* 1. P. Valentia disp. 1. quæst. 13. p. 1. & alij: è *P. Valent.* contra censent alij exigi expressam intētionem minuendi gloriam Dei. Vtrosque ego compono: P. Valentia agit de intētione proferendi verba blasphema, vt Deo detrahatur in sensu explicato §. 12. & quidem constat ex §. 13. eam intentionem non esse necessariam. Alij agunt de intentione expressa, non minuendi gloriam Dei; sed faciendi verba contumeliosa. Quorum sententia est vera: itaque si quis potet plùs iusto non ex animo faciendi in temulētia verbum blasphemum; videt tamen illud à se faciendum: hic non se obstringit blasphemiâ: quia illa verba in eo statu non sunt blasphema, nec convitia, nec contra Dei laudem: ergò nō est blasphemia, illa indirectè & in caussa velle. Vt docet P. Luisius disp. 58. dub. 2. versu *solum remanet*, quo differt ab homicidio, quod tàm in somno,

S.Tho. q. 13. art. 3. no, quàm in vigilia est malum hominis, quod tenemur vitare & in se, & in caussâ, cum possumus; si autem quis vellet expresè ea verba facere in temulentia; esset blasphemus cum potat.

§.16. Quarta voluntas est iocosa, quando proferuntur verba significantia malum Dei; non tamen animo id significandi; sed iocandi: quod clarè perspicitur ab audientibus: & quidem qui in fabula suscepit personam blasphemi, minimè peccat contra laudem Dei: quia id refert ex alio: itē nec qui repetit verba alterius, nec qui ea profert ad experiendam facilitatem linguæ; vel ad eam movendam ad omnes sonorum species. Dico esse peccatum blasphemiæ ijs verbis iocari: quod cum Navarro & alijs docent Pater Thomas cap. 32. num. 41. & Petrus Lorca in commentarijs num. 9. quia res tanti momenti aliena est à ioco: addit Lorca nisi in ioco non accipiantur in significatione propria, sed in hyperbolica; vt cum amasius pellicem appellat Deam, idolumque suum: item Pater Thomas addit nisi iocus omninò tollat irreverentiam, item irrisionem: exemp. gratia, si iuraret quis per Mahumetū: certè numquam à peccato mortali excusarē eum, qui per iocum asserit Deum esse ebrium, hoc enim severius est quam iocus exigit: idem censeo de quavis alia blasphemia atroci. At nonnulla verba, vt *per Dei vitam*, non atrocia excusari posse à peccato blasphemiæ ostendam §. 47. P. Valentia & P. Suarez ibi adducendi censent à ioco excusari blasphemiam. Quod si quis dicat licere iurare in ioco; respondeo si iuramentum sit falsum, esse peccatum mortale; vt mendacium iocosum est veniale: nec enim per iocum Deus potest esse testis falsus: si tamen constat inter audientes non esse animum iurandi, nec asserendi falsum; res est alterius disputationis: & quamvis disputandi gratia permittamus iuramentum illud non esse peccatum mortale; non est eadem consideratio de blasphemia: quia verba iuramenti secundum se non dedecent Deum; sed potiùs sunt argumentum honoris; si autem constat non esse animum iurandi, cessat occasio vnde iuramentum est malum: blasphemia autem est verbum Deum dedecens: quod in ioco non amittit significatum indignum Deo; ac propterea numquam est aptum ad iocandum.

Navar. *Suar.* *Lorca.* *Valent.* *Suar.*

(·.·)

SECTIO V.

Qualis cognitio reperiatur in blasphemia?

PRIMUM statuo peccatum blasphemiæ nullibi esse, nisi verba cognoscantur esse contra Deum; id est, esse mala Deo, & contumeliosa. Ita S. Thom. quæst. 13. art. 2. ad 3. asserit hominem excusari à peccato mortali blasphemiæ, quando ob motum subitum non apprehēdit id quod dicit esse blasphemiam: quia non considerat eius significationem. Quod si ignorantia hæc sit invincibilis, excusabit omninò à peccato blasphemiæ. Ratio à priori: quia peccatū est voluntarium, quod pendet à cognitione singulorum: si igitur aut vocis ignoratur significatio; aut eâ cognita ignoratur obiectum esse Deo indecorū, nō esset blasphemia. Exemp. grat. si quis inculpatè iudicet, carentiā trium personarum non dedecere Deum, si cum hac ignorantia neget Trinitatem, non erit blasphemus; vt esset qui censeret dedecentem esse ignorantiam, & eam Deo adscriberet. §.17. *S.Thom.*

Huic doctrinæ obesse videtur Sanct. Augustinus tom. 1. lib. 2. de moribus Manichæorum cap. 11. vbi asserit à Manichæis plures, ac detestabiliores blasphemias in Deo effutiri, qàum ab alio vmquam blasphemo; sed Manichæi non arbitrabantur illas dedecere Deum: ergo. Nego minorem: quis enim tàm insanus non censeat esse indecorum indigere multis rebus? Equidem Sanct. Augustinus tam multa indecora refert eo cap. 11. à Manichæis asserta de Deo; vt animus & oculi inhorrescant eorum lectione. Deinde illa ignorarunt culpatè: culpata autem ignorantia non excusat à peccato; sed perinde est malum scienter agere, ac cum ignorantia culpata, ait autem Augustinus: *Sed cum fabulas vestras narrare caperitis, & corruptibilem, & commutabilem, & violabilem, & indigentiæ obnoxium, & imbecillitatem admittentem, & à miseria non tutum Deum mira cæcitate possessi suadetis, & mira cæcitate possessis etiam persuadetis.* §.18. *August.* *Obiect.* *Resp.*

Hanc autem cognitionem de significatu, & significato verborum, non posse esse falsam docet Aragon in hunc primum articulum, notabili 4. distinguit enim infidelem à blasphemo; quòd hic ex pravo affectu in Deum, & non ex pravo intellectu loquitur malè de Deo; ille vero non ex affectu pravo, sed ex pravo intellectu: nec dissentire videtur Pater Azor tom. 1. lib. 9. cap. 28. quæst. 2. Hæc opinio est contra omnes ferè Theologos §.19. *Arag.* *Azor.*

gos asserentes posse esse blasphemiam cum hæresi: quod clare docuit S. Thomas art. 1. *S.Thom.* *Caiet.* constituens blasphemiam cordis in intellectu falso circa bona Dei. Caietanus censuit nullā esse blasphemiā sine falsitate speculativa, aut practica: quod non solū intelligit de blasphemia externa; sed etiam de interna: estque contra S. Augustinum *August.* adductum §. 18. statuta enim definitione blasphemiæ, ait contra illos. *Ad oris enim signaculum dicitis pertinere ab omni continere blasphemia; est autem blasphemia cum aliqua mala dicuntur de bonis:* Deinde subijcit. *Si ergo ratio convicerit neminem de Deo peiora, quàm vos dicere; vbi erit memorabile oris signaculum?* Quasi dicat qui loquuntur mala de Deo sunt blasphemi: vos loquimini de Deo peiora, quam alij hæretici: ergo estis magis blasphemi. Hæresis ergo tantum abest ad excusanda blasphemia; vt potius illam graviorem reddat: quia facit vt re ipsa sentiamus de Deo ea obiecta, quæ mala esse cognoscimus: infidelitas vt sic abstrahit à blasphemia; at voluntas loquendi mentali & affirmativo verbo mala de Deo, est quædam species infidelitatis simul, & blasphemiæ. Hæc vt sic abstrahit ab hæresi; in aliqua tamen specie est simul blasphemia, & infidelitas: infidelitas quidem qua parte non creditur revelationi sufficienter propositæ; blasphemia vero qua parte assensus de obiecto materiali infidelitatis, est verbum malum de Deo. Hæc dico nunc cōtra Aragonē; *Arag.* infrà verò §. 44. disquiram exactè discrimen blasphemiæ à cęteris peccatis.

§.20. E contra vero censent alij omnem cognitionem, à qua oritur blasphemia, esse falsam. Distinguunt autem duas falsitates: alteram speculativam, qua affirmamus de Deo malum, quod non habet; vt *Deus est crudelis*, vel negamus bonum, quod habet: vt *Deus non est omnipotens*, vel creaturis adscribimus quod est proprium Dei; vt *Angelus est immortalis per ordinem ad potentiam Dei absolutam*. Omnes hæ propositiones sunt falsæ speculativè; & sunt blasphemæ. Altera falsitas est practica, sivè in modo asserendi malum de Deo: licet enim intellectus assentiatur Deum non esse crudelem; at cum quis loquens Deo asserit: *O crudelis!* se gerit practicè, ac si id sentiret: item qui ait, *pereat Deus, male sit Deo*: ita se gerit, ac si id sentiret esse possibile. Quæ doctrina est Caietani, & aliorum, *Caiet.* *Suar.* *Arag.* quos adduxi §. 6. quam sustineri posse fatetur Pater Suarez tom. 1. de relig. tract. 3. lib. 1. cap. 4. num. 9. immò Aragon adductus §. 19. asserit verba blasphema significare aliqua ratione falsum. Quæ videtur esse doctrina Sancti Augustini *August.* tom. 4. lib. contra mendacium cap. 19 asserentis nullum esse posse periurum per veritatem; sicut nec blasphemum. At vero Augustinus non agit de blasphemia vt sic; sed de hæreticali continente falsitatem speculativam: censet enim blasphemiam esse peiorē periurio; quia periurio Deus adducitur testis de re falsa; blasphemiâ vero dicuntur falsa de Deo. Vide verba §. 50.

§.21. Nullam falsitatem esse necessariam ad peccatum blasphemiæ, nec speculativam, nec practicam, iure docent Pater Suarez *Suar.* *Lorca.* *P.Luisius.* proximè adductus num. 10. Petrus Lorca in cōmentario num. 16. Pater Luisius disputat. 58. dub. 1. §. *verum hæc*, & alij. Probatur primùm à priori: quia blasphemia est verbum malum de Deo; sed sine vllâ falsitate possumus effutire verbum malum de Deo: ergo & esse blasphemi. Probo minorem: quia iracundus in Deum, sciens nullum in illum malum cadere; potest illi imprecari: item sola voluptatis causâ sciens Christum, & eius Matrem non esse dignos vituperatione ob membra genitalia humanæ speciei communia; potest in confabulatione ea proprijs nominibus, (quibus nisi obscæni, nō vtūtur) cōpellare: in quo nulla est falsitas: etenim siquis verba faciens cū fæmina nobili & honesta, eius pudēda vocabulo pudēdo cōpellet; id ea accipit pro cōtumelia; nō quòd ob id existimet se in loquētis opinione, esse vituperatione dignā; sed quòd ipsa vocis inhonestæ vsurpatio est contumelia. Itaq; non ex falsitate, sed ob solam vocis obscænitatem committitur blasphemia: immò cum sæpe sint verba facienda de partibus ipsis; non irrogatur iniuria, si circuitione aliqua significentur; at est in Vrbano obscænitas, eas propria compellare voce: ergo in sola vocis mutatione; non verò in diversa falsitate est ratio blasphemiæ ijs in rebus. Secundò probatur: qui imprecans Deo malum non habet aliam falsitatem practicā, quam qui Deum odio habet: non enim est opus ad odium, vt apprehendatur Deus capax mali; sed vt simplici apprehensione apprehendatur carentia Dei, & in illam habeamus affectum simplicem; sivè vt displiceamus in Deo: hic si diceret: *mihi displicet Deus*; esset blasphemus: quia facit verbum malum de Deo: ergo eâdem ratione si diceret, *male sit Deo*: non diceret falsum, nec speculativè, nec practicè: quia modo optativo exprimit odiū Dei: item ostendam §. 38. hoc verbum, *per vitam Dei*, esse blasphemum ex iure, cum non contineat aliam falsitatem, quam hoc, *per Deum*, quod non est blasphemum.

(?)

S. Tho. q. 11. art. 3.

SECTIO VI.

Utrùm convitia in Sanctos sint blasphemia?

§. 22. August. 1. Concl. CONSTAT ex Sanct. Augustino §. 4. adducto, blasphemiam vulgò vsurpari pro malo verbo de Deo. Nunc expendamus vtrùm blasphemare quis possit in Sanctos. Ac primùm dico omne malum verbum in Sanctos esse blasphemiam in Deum in eo, qui ius canonicum animadvertit. In quam conclusionem facile cōveniunt authores. Probatur: quia ius canonicum ob laudem Dei prohibet Sanctis maledici: ergo qui sciens violat hanc legem, facit contra laudem Dei: quod est blasphemare. Antecedens constat ex Gregorio IX. cap. *statuimus* de maledicis: cum enim ibi maledicentiam in Sanctos Dei blasphemiam appellet, ideò est: quia Ecclesia ob laudem Dei vult coerceri linguas à maledicentia in Sanctos: idque iustè: cum enim regnent cum Deo, in illis vult ipse laudari; & vt in ipso illi quoque laudentur. Consequentia vero probatur: quia quando aliqua actio præcipitur, aut prohibetur in cultum, aut laudem Dei: qui legem violat, peccat contra religionem, aut laudem Dei: vt qui operi vacat die festo, est irreligiosus: quia vacatio ab operibus præcipitur in cultū Dei. Sic interpretor Patrē Suarez cap. 5. numer. 5. vbi asserit sufficere ad blasphemiā in Deū, maledicere Sanctis cognitis cum aliqua habitudine ad Deum: nempe cognita etiam Ecclesiæ lege. Vide §. 38. de hoc verbo *per vitam Dei*.

Greg. 9.

Suar.

§. 23. 2. Concl. Dico secundò, si quis considerans maledicentiam in Sanctos aliquo pacto cedere in derisum contemptumq; Dei, aut convitium, denique qui censet malum verbum de Sancto esse malum etiam verbum de Deo, illudque facit, est blasphemus: sive id directè intendat, sive ex alio fine: dùm tamen advertat verba esse contra Deum. Hæc conclusio à nullo negatur: estque ex terminis nota: quia blasphemia est verbum malum de Deo; sed illa mala verba de Sanctis sunt mala verba de Deo: ergo sunt blasphema: quemadmodum est irreligiosus qui videns irreverentiam in Sanctos esse contra cultum Dei, Sanctis infert irreverentiam.

§. 24. 3. Concl. Dico tertiò: qui nihil cogitat de laude Dei, nec de eius excellentia; sed præcisè de laude Sanctorum: nec animadvertit, cedatne id in vituperationem Dei; non est blasphemus, quamvis mala verba faciat de Sanctis. Vt si quis diceret: *male sit Sancto Petro: abnego S. Ioannem*. Probatur, quia omne peccatū est voluntarium; sed tunc malum verbū de Sanctis non est voluntariè in Deū; ergo nec blasphemia. Probo minorem, quia voluntarium est à cognitione circumstantiæ voluntariæ; sed tunc non cognoscitur circumstantia maledicentiæ in Deum: ergo non est voluntaria.

Dico quartò, si consideretur Sanctus secūdum se, & coniunctio, quam habet cum Deo; si tamen quis consideret nec laudem Sancti propter suam duntaxat sanctitatem esse laudem Dei; nec vituperationem, aut imprecationem Sancti esse imprecationem Dei aut vituperationem: si quis mala verba faciat de Sanctis hac ratione, non est blasphemus, nec agit contra latriam; sed est irreverens & contra duliam, seu observantiam in Sanctos. Hęc cōclusio est Patris Vazq. lib. 1. de adoratione cap. 4. vbi asserit iniuriam irrogatam Sanctis, & sacerdotibus, non opponi latriæ, sed duliæ: est autem hic eadem omninò res mutato nomine *blasphemia*, in nomen *iniuria*: idem asserit Pater Luisius disputat. 58. dub. 2. fine. Pater Valentia tom. 3. disput. 1. quæst. 13. punct. 2. versu *sed dicis*. Pater Thom. lib. 2. cap. 32. num. 27. & alij. §. 25. 4. Concl.

Vazq. P. Luisius. Valent. Sanchez.

Probatur primum ab exemplo: est speciale peccatum contra duliam, quod non habet malitiam irreligionis contra latriam: ergo & speciale peccatum contra honorē Sanctorum, quod non sit blasphemia cōtra Deū. Antecedens negari nequit: quia est specialis virtus duliæ deferens honorem Sanctis, quæ distinguitur à latria; at virtuti vni potest opponi aliquod peccatum, quin opponatur virtuti alij. Consequentiam probo, quia blasphemia est quædam species irreverentiæ. Secundò probatur: quia Sancti possunt terminare iniuriam, & convitium: quia habent propriā bonitatem, de qua possunt fieri verba mala, vt possunt terminare odium oppositum charitati morali: immò possum ego imprecari Sancto Petro, & benè precari Deo, & Christo, propter distinctas bonitates & excellentias: & potest quis honestissimè appellare omnes Christi partes propter cultum & laudem Christi: & simul potest impudenter nominare partes B. Petri. Hæc dico de ijs virtutibus & vitijs secundum se; nunc autem ob legem Ecclesiæ in omni irreverentia in Sanctos reperitur distincta malitia in religionē, vt dixi §. 22. omnis autem iniuria in rem sacram inanimatam est contra Deum: quia non habet propriam bonitatem, contra quam fiat iniuria. §. 26.

(∴)

SE-

SECTIO VII.

Quid sit, & ad quod tribunal spectet blasphemia hæreticalis?

§. 27. BLASPHEMIA dividitur in hæreticalem, & simplicem: illa est *verbum assertivum alicuius hæresis*. Cum ergo aliquis indignabūdus ait; *Deus heri fuit crudelis: Deus est ebrius*, committit blasphemiæ peccatum: quia malè loquitur de Deo, est & illa propositio hæretica: quia asserit aliquid contra fidem: ob quod est blasphemia hæreticalis. Non dicitur *hæretica*, opinor: quia non oritur frequenter ab hæretico animo: *hæreticalis* autem dicitur: quia verè includit aliquid contra fidem. Hæc est doctrina communis, quam recognosce in Patre Suar. tomó 1. de relig. tract. 3. lib. 1. capit. 5. num. 7. P. Thom. lib. 2. cap. 32. nume. 36. & P. Luisio disp. 58. dub. 3. sub initium: blasphemia simplex est, quæ nullum errorem affirmat. Sunt autem hæreticales omnes, quę verbo affirmant hæresim, vt *non credo Deo, venego Deum, vel abnego*.

Suarez. Sanchez. Luisius.

1. Conclu. Eymeric. Peña. Albertin. Simanc. Bruno. Alfons. Castro. Sanch.

Dico primò blasphemus simplex nō pertinet ad tribunal Quæsitorum: est doctrina Eymerici 2. p. direct. q. 41. nu. 1. Peñæ ibidē comment. 46. vers. *hæc distinctio*, cum Albertino, Simanca, Bruno, Alfonso, Castro & alijs: quos sequitur P. Thom. lib. 2. cap. 32. n. 37. estq; vsu confirmata doctrina.

§. 28. *2. Concl.* Dico secundò, blasphemus hæreticalis spectat ad solū, tribunal Quæsitorū: ita censent authores adducti §. 28: est ergò consuetudo pro hac sentētia, & aperta ratio: quia blasphemia hæreticalis est propositio hæretica formaliter: quia est integra, vt *Deus est crudelis*, vel virtualiter: quia est vnū, aut plura verba significantia integrè hæresim, vt *abnego Deū. O Deus iniuste!* sed propositio hæretica spectat ad tribunal Quæsitorū dūtaxat: ergò & blasphemia hæreticalis: cum igitur delictum sensibile sit hæresis; de occultis autē animis nō possit Ecclesia iudicare nisi per sensibilia signa, cū præcipuū signū sit hæresis vocalis; totum crimen spectat ad hoc tribunal

§. 29. Ratio autē agendi in blasphemos hæreticales præcipuè est permittēda prudentiæ, & cōsuetudini Quæsitorū: plurimū enim pēdet ex circūstātijs cuiusq; blasphemi. Eymeric. 2. p. q. 41. nervos cōtendit ad probandū agēdū esse cum illis more hæreticorū: Peña cōment. 66. §. *sed hæc*, moderatur Eymericū. Dicam breviter quod sentio. Primū habēda est ratio generis, & natalium blasphemi: si enim est nobilis (quos Hispani *Hidalgos* appellāt) sine gutta sanguinis Iudaici, aut Morisci: itē si nullus ex eius maioribus in hæresim est lapsus; mitiùs cū illo videtur agendū, quàm cum Morisco, aut Iudæo, aut filio nepoteve hæretici. Quia cùm verba externa sint hæretica, sit fundamentū coniecturæ de animo Catholico, hoc fundamentū nititur generi: veteres enim Christiani, & ab hæresum infamia alieni, *habent pro se* (vt aiunt) *præsumptionem*, secùs Morisci, Iudæi, & filij, aut nepotes hæreticorum: *sapiunt* enim *picem*, & petram, ex qua sunt excisi.

Eymeric.

Peña.

Secundò considerādi sunt omnes blasphemi, si quis fuit suspectus de hæresi vlla, aut si inter hæreticos fuit educatus moribus corruptus; graviùs eū premit suspicio, quā si nunquam fuisset suspectus, aut inter Catholicos semper fuisset educatus, aut inter hæreticos moribus nō corruptus. Ego quidē censeo cū Eymerico blasphemū, qui aliàs fuisset de hæresi suspectus puniendū esse hæreticorū supplicio: hęreticalis enim blasphemia cōfirmat suspicionē hæresis: idē dico quādo blasphemus levi occasione, & freq̄ēter evomit hæreticalē blasphemiā. Nisi adeò sit animo iracundo, vt facilè exalbescat: tunc enim ex alijs occasionibus furescendi absque blasphemia; conijcimus caussam blasphemiæ esse bilem, non hæresim: cum ijs verò, qui facilè, & frequenter blasphemant, durissimè est agendum, paulò minus severa disciplinâ, quā cum hæretico. §. 30.

Si verè constiterit blasphemū multo epoto vino, aut vrgenti occasione excitante bilim, semel effutivisse blasphemiā, nō est pro hęretico censendus: tùm quia est occasio cui adscribantur ea verba præter hæresim, nēpe vinū, aut accensio furoris: in quo sensu accipio moderationē Peñæ. Quod consuetudine video esse receptum: puniuntur enim blasphemi aliter ac hæretici. Multa obijcit Eymericus, acutè quidem & graviter: nempe nō esse maiorē occasionem turbationis periculum mortis, quàm ludum; cum tamen puniātur, vt hæretici qui metu mortis fidem abnegant exteriùs. Respodet Peña: etiā cum illis, qui fidem negāt exterius, mitius agendū, quando nōnullæ circūstantiæ eos excusant. Respondeo mortē imminentē non esse caussam excitandæ bilis; sed timoris: bilis autem est caussa furoris, non timor: furor verò emittit iracunda verba, non timor: homo autem iratus minus habet mentis, quàm timens: eaque propter minus est in fide suspectus; si tamen tanto quis timore corriperetur, vt fieret stupidus, excusaretur ab hæresi interna ob exter na signa: item cum interrogamur de fide, magis cum lædimus eius negatione coram tyranno, quàm cum verbis furiosis contra eam agitur: quia fit specialis contumelia Christo, §. 31.

Obiect.

Resp.

S.Tho. q. 11. art. 3. Christo, quando eum ita negamus: contendunt enim Christus atque tyrannus: hic autem victoria potiri videtur. At bilis & occasio furoris ijs carent circumstantijs.

§.33. Peña. Peña eo commentario 66. versu *caeterum* refert ex Rojas & Simancas pœnas in blasphemos hæreticales. Homines ignobiles, qui enormes blasphemias effutiverunt: producuntur galero papyraceo, seu mitra infami; apud nosotros (*coroza*) collum ligati fune; lingua ligata palo: sine pallio, nudis pedibus; flagellati tandem mittuntur in exilium. Quod supplicium non infligitur hæreticis: qui reconciliati cum Sanct. Andræ cruce rubra, & pallida totam vitam degunt; bonis omnibus privati in domo Pœnitentiæ. Si vero blasphemus sit nobilis, licet blasphemia sit atrox: nec vapulat, nec mitratus producitur, nec exulat; sed certo tempore concluditur in monasterium, interdum compulsus abiurare hæresim; ob minus graves blasphemias solẽt homines produci die festo ad sacrum audiendum stantes, sine pallio, sine calceis, & tibialibus, fune succincti tenent manu cereum ardentem; deinde audita sententia mulctantur pecunia. Pater Azor tom. 1. lib. 9. c. 28. late agit de hoc argumento. Azor.

SECTIO VIII.

Blasphemiarum recensio.

§.34. PRIMVM omnia verba hæreticalia, quæ apprehenduntur esse mala Deo, sive contumeliosa, sunt blasphemiæ, non vero quævis hæretica propositio: si enim quis dicat: *numquam Matthatias fuit*, nullum verbum est contra Deum; solumq; peccat contra fidem & eius confessionem, non tamen contra religionẽ. Secus qui dicit *Deus est impotens*, peccat enim & contra fidem eiusque confessionem, insuper & contra religionem, quâ parte imperat laudem Dei: item qui adscribit creaturæ aliquid divinum, vt qui dicunt se esse Christum: cum enim Christus expostularet cum Iudæis eum volentibus lapidare; responderunt: *De bono opere non te lapidamus; sed de blasphemia. Quia tu homo cum sis facis te ipsum Deum.* Veritatem Christianam censuerunt esse blasphemiam: quia arrogare sibi divinitatem est blasphemia: cum autem rationem redderent Pilato, ob quam Christus esset perimendus; asseruerunt: *secundum legem debet mori: quia filium Dei se fecit* At nullibi est ea lex nisi Levit. 24. *Qui blasphemaverit nomen Domini, morte moriatur.* Itaque illa lege censebant agendum in Christum, vt in blasphemũ: quia falsò censebant ab ipso falsò arrogari divinitatem. Ratio est: quia multitudo Deorum minuit laudem Dei, & excellẽtiam: *tu enim solus altissimus: ego sum Deus & non alius praeter me.* Vnde omnia seria iuramẽta per Deos falsos, sunt blasphemiæ hæreticales: quia significant esse alium Deum. Fingere autem sanctitatem, nec est blasphemia, nec contra Sanctos: quos non dedecet pluralitas; si tamen quis fingeret honorem, quem constat vni tantum delatum à Deo; ageret cõtra duliam: item si qua fœmina fingeret se peperisse conservata virginitate; ageret contra hyperdulliam, quia colitur Mater Dei: cuius privilegium fuit illa ratio pariendi. *Nec primam similem visa est nec habere sequentem.* Ioan. 19. 7. Le. 24. 26.

§.35. Blasphemię non hæreticales: sunt imprecationes mali Deo. Exemp. grat. *Male sit Deo. Doleat Deus*: & similes, etenim verba explicata modo optativo verè sunt verba, & dicuntur verè: item sunt mala Deo, vt constat: ergo sunt blasphema: quia omne verbum verè & propriè, cui absolutè & propriè convenit dici, & quod significat malũ Dei; est loquutio mala de Deo, ac propterea est blasphemia.

§.36. At sunt nõnullę phrases verè blasphemæ si propriè sumantur: *vt corpus Dei tecum* Hispanè: *cuerpo de Dios con el*, etenim significant imprecationem corporis Christi alicui vt mali. At in vulgari vsu, non ita accipitur; sed tantũ vsurpatur ad significandum animum iratum alicui, nec vulgo propterea concipitur Christi corpus, vt malum alicui, nec id significari. Quapropter ea verba non sunt blasphemia: quia id pẽdet ex vsu. Quod observant Pater Thom. lib. 2. capit. 32. numer. 30. & Lorca in commentario numer. 7. eadem ratione non sunt blasphemiæ alià verba, vt cum quis iratus dicit *Apage te, ne te commendem gratiæ Dei*: item *illum cõmendavit Deo. Diole à Dios*: quia hęc verba potius traxerunt originem ab animi modestia, ne enim nominarentur diabolus: illæ phrases irrepsere; vt Iob c. 1. *benedicere Deo* sumitur pro *maledicere.* Non ergo significatur gratia Dei vt mala; sed significatur alicuius iracundia; quam nolumus significare ijs verbis: *eum commendavit diabolo*, vt in *corpore Dei* observat Lorca. Sanchez. Lorca.

§.37. Hoc verbum *per vitam Dei*, quæritur an sit blasphemum? Dico primo; secundum se non esse blasphemum magis, quàm *per Deum*, non enim significat imprecationem. Quod enim ait Pater Suarez cap. 5. num. 8. & Pater Thomas cap. 32. num. 25. & alij hoc verbum esse execrans vitam Dei, nec adduci eam in testem, non laudo: cur enim *per vitam Dei* sit execratio magis quàm *per Deum*? aut cur alterum sit iuramentum & non alterum? Maximè cum Pater Thomas numer. 32. censeat non esse blasphemiam; sed solum iuramentum

ramentum *per virginitatem Mariæ*: & non fit blasphemia *per sanctum Eucharistiæ Sacramentum*, & fit blasphemia *per vitam Christi*: quæ est eadē anima & corpus vnita, quæ sunt in Eucharistia: video, posse dici *per vitam Dei*, respondere huic imprecationi *per meam vitam*, quæ est idem ac *me vita deficiat*. At non video cur ita sit: quia & per meam vitam, & per meam animam possum iurare sine imprecatione.

§. 38. 2. Concl. Dico secundo *per vitam Dei*, esse blasphemiam, *& per vitam Christi, & per vitam Sancti Petri, & per vitam Cœli*. Probatur: quia in laudem Dei interdicta sunt iure illa verba: ergo sunt blasphema. Consequentiā probavi §. 22. Antecedēs patet: quia homines ea verba vsurpantes puniuntur pœnâ iure Hispano decreta blasphemis, nempe, vt in carcere teneantur triginta diebus vincti catenâ ferreâ; vel certe in vsu vulgari ea verba sunt accepta, vt contumeliosa, & irreverentia: satis autē est vsus communis, à quo maximè pendet significatio verborum: vt enim alia verba secūdum se sonantia blasphemiam, vt *corpus Dei tecum*, propter communem vsum non sunt blasphema; ita è contra *per vitam Dei* licèt in se non sonet blasphemiam, est blasphemū propter communem vsum, qui occasionē accipit ex humanis: cum enim dicitur: *hoc feci per vitam meam*, aut *per vitam mei patris*, est execratio, ac si dicat: *ita ego vivam vt hoc feci*. Vnde confirmari poterit ratio P. Suarez (Suar.) censentis eam esse imprecationem; at non reddit discrimen cur *per Deum* non sit imprecatio, vt est *per meum patrem*.

§. 39. Vsurpatio partium corporis Christi, si fit per verba invsitata inter viros pudicos, est blasphemia: quia illarum partium nomen proprium censetur communiter pro irreverenti; & puniuntur pro contumeliosis, qui coram pudicis illud vsurpant: immò si quis puer, aut insanus, aut quis incautus per cacophoniam, illo vtatur verbo; omnes audientes rubore suffunduntur; maximè autem fœminæ honestæ: est enim stylus ille proprius Ganeonum & scortorum in lupanaribus. Hæc autem est ratio à priori, cur ea verba sint blasphema: non quod videantur vsurpari quasi indecora; sed quia sunt in vsu communi habita pro impudicis: item si excrementa propriâ compellantur voce, quę apud pudicos censetur immunda.

§. 40. Siquis autem dicat *per corpus Dei Patris*, aut *per eius barbam*, aut *per alas spiritus Sancti*, est blasphemus hæreticalis: quia verba sunt contumeliosa, & significant hæresim; si vero sumantur pro corpore imaginis earum personarum, sunt blasphemia simplex, de cuius gravitate dicam §. 47. Alia complura comperies apud Patrē Thomam eo cap. 32. (Sanch.) si quis dicat *tam verum est hoc, quàm esse Deum*. Sotus censet parum à blasphemia distare. (Sot.) Pater Suarez eo cap. 6. numer. 12. eam phrasim damnat blasphemiæ: (Suar.) quod fecerunt Covarruvias (Covar.) & alij. Pater Thomas capit. 32. (Sanchez) numer. 31. cum alijs bene distinguit: si animus sit (vt frequenter est) efferre similitudinem quamdam & comparationem, non est blasphemia, maximè cum omnes propositiones veræ sint æqualiter veræ. Si autem significetur certitudo æqualis, est blasphemia.

SECTIO IX.

Quibus virtutibus opponatur blasphemia?

§. 14. 1. Concl. DICO primò: blasphemia hæreticalis opponitur confessioni fidei. S. Th. (S. Thom.) id docuit expresè quæst. 13. ob quod ibi egit de blasphemia. Probatur (Prob.) apertè: quia virtus cōfessionis fidei est volūtas faciendi verba ad sonantia mysterijs fidei, quibus significetur assensus internus; sed blasphemia opponitur illi virtuti in obiecto materiali; ergo illi opponitur absolutè: consequentia patet: quia ad contrahendam malitiam alicuius vitij, satis est opponi virtuti in obiecto materiali, vt dixi §. 13. Minor vero probatur: quia blasphemia hæreticalis profert verba absonantia revelatis obiectis. Non dico propter hæc blasphemiam esse idem vitiū habituale cōtra fidei cōfessionē: est enim alius loci quæstio; sed solum habere blasphemiam malitiam peccati contra fidei confessionem, vt voluntas occidendi propter mæchiam habet malitiam homicidij.

§. 42. 2. Concl. Dico secundò: blasphemia vt sic opponitur religioni, qua parte religio præcipit laudem Dei. Hæc conclusio est omnium ferè doctorum. Vide Patrē Suarez (Suar.) tom. 1. de relig. tractat. 3. lib. 1. capit. 6. à numer. 5. Patrē Valentiam (Valent.) tom. 3. disputat. 1. quæst. 13. pūct. 2. versu *sed dices*. Patrē Azor. (Azor.) tom. 1. lib. 9. cap. 28. initio. Patrē Thom. (Sanchez.) lib. 2. capit. 32. numer. 7. Patrē Luisium (P. Luisius.) disputat. 58. dub. 1. versu *de vide*, & Magist. Lorcam (Lorca.) in commentario num. 6. Probatur (Prob.) apertè: ad religionem spectat laudare Deū; sed blasphemia est contra laudem Dei: ergo contra religionem. Minor probatur: quia contumelia opponitur laudi; blasphemia autem est contumelia in Deum: ergo opponitur laudi Dei; immò vitium blasphemiæ ex obiecto formali, opponitur directè laudi Dei: quia illam odio habet, & amore eius oppositum, vt vitium intem-

D. Tho. q. art. 3. temperantiæ opponitur castitati in obiecto formali.

§. 43. 3. Concl. Dico tertio: magis directè & formaliter blasphemia opponitur religioni quam confessioni fidei: quia magis directa & formalis, & maior oppositio est in obiecto formali & materiali, quam in solo materiali; sed blasphemia opponitur directè laudi Dei in obiecto materiali: quia laus dicit honesta verba; blasphemia turpia, & in obiecto formali: quia laus ea dicit, quia sunt Deo honesta; blasphemia autem quia sunt turpia: ergo oppositio directa & vndique perfecta est cum religione. At vero confessio fidei habet pro obiecto verba significantia obiecta revelata propter honestatem dicendi externè, quæ mente creduntur à Deo revelata; blasphemia autem non habet odio eam honestatē; nec vult dicere contra fidem propter bonitatem delectabilem exprimendi verba contra obiecta revelata; sed vult dicere verba contumeliosa Deo: quia vero nonnullæ contumeliæ sunt etiam contra fidem; ideo opponitur ea in parte fidei confessioni.

§. 44. 4. Concl. Dico quarto: blasphemia est peccatum omnino distinctum ab infidelitate. Ita authores adducti §. 42. Probatur: quia infidelitas consummatur in assensu interno contra revelationem Dei propositam sufficienter; nec per se tendit ad eum explicandum; sed blasphemia per se tendit ad dicenda verba, quibus alijs manifestetur vituperatio Dei: ergo blasphemia non est infidelitas, & quamvis §. 19. ostendi contra Aragonem, posse blasphemiæ aliquam speciem esse speciem infidelitatis; id fuit vt ostenderem eius argumento non probari blasphemiam non posse esse cum assensu falso, quę non distingueretur ab assensu hæretico: id enim non esset multum incommodi. At *dicere*, & *loqui* non vsurpatur in præsenti à Doctoribus pro verbo mentis, quo nobismet dicimus obiecta; sed pro verbo, quo loquimur cum alijs: propterea blasphemia dicitur peccatum linguæ, qua loquimur cum alijs. Voluntas ergo loquendi cum aliquo malè de Deo est peccatum blasphemiæ: contingit interdum voluntatem illam blasphemam esse cum infidelitate: quia blasphemus est simul hæreticus: quia sentit apud se de Deo contra fidē; & videns id quod sentit esse contumeliam Dei, vult illud cum alijs loqui, vbi sunt duo peccata vel tria: alterum in dissensu voluntario contra fidem, & in voluntate manifestandi errorem; sive hæc sint vnū, sive duo peccata; aliud vero est voluntas dicendi contumeliam Deo. Hæ omnes malitiæ reperiuntur in hæretico blasphemo.

§. 45. 5. Concl. Dico quinto: blasphemia non opponitur specialiter charitati; id est, non est odiū Dei. Probatur, tùm quia blasphemia hæreticalis potest esse absq; odio Dei; sive cum iracundus asserit: *Deus nihil providet*, vel *diabolus est Deus*: item cùm Deo vt Deo adscribimus corpus: & cùm obscena voce compellantur nōnullæ partes corporis Christi & sanctissimæ eius Matris. Blasphemia itē imprecans potest esse absq; odio Dei, vt *pæniteat Deum*: tunc enim possunt fieri ea verba ex iracundia, & non ex odio. Sępe enim patri irascitur filius, & filiò pater absq; odio: interdū blasphemia oritur ex odio; tunc autem sunt duo peccata: primū est odium; secundum est velle conviciari Deo. Quādo blasphemiâ ita dicitur aliquid falsò de bonitate Dei, vt lędatur eius honor, tunc est iniustitia stricta in Deum, estq; obligatio ex iustitia ad satisfaciendū, vt dico vol. 3. disp. 12. §. 111. & autē 139. ostēdo blasphemiam esse etiam iniustitiam, & esse plures habitus.

SECTIO X.

De gravitate blasphemiæ.

§. 46. 1. Conclu. GRAVITAS alicuius peccati consideratur vel absolutè in se, vel cōparatè cum alijs. Dico primò: blasphemia in se est peccatum mortale, & ex suo genere. De qua doctrina dubitari non potest; nec eget probatione. Peccatū mortale ex genere suo est quod ad illum gradū malitiæ nō eget circumstantia spectante ad aliud vitiū. Exemp. grat. mendacium est peccatum mortale, nō vt præcisè opponitur virtuti veracitatis; sed virtuti religionis, cū falsò iuratur; vel alicui alij: si enim quis nec peieret, nec iniustitiā inferat; nec grave aliud dānū faciat; nisi mentiri, nō est peccatum mortale. At verò tametsi quis non opponatur alij virtuti, intra solam speciem blasphemiæ committitur peccatum mortale.

§. 47. 2. Concl. Dico secundò: blasphemia potest per accidens esse peccatum veniale: primùm, cū quis ira tantùm furescit, vt parum consideret verba, quæ facit: tunc enim est peccatum veniale ex subreptione. Quod clarè docent Theologi cum S. Th. q. 13. art. 2. Secūdò censebit aliquis cum quis verba illa facit nō iratus Deo; sed alicui homini, v. g. cū offēditur Antoniꝰ à Petro, & illi succensus ait, *per vitā Dei*, hoc nō esse peccatū mortale blasphemiæ; sed veniale. Quia nō loquitur in Deū, nec illi cōvitiatur; sed illis vocibus est vsus materialiter, & aliud agēs quā ipsæ petūt. Quod ex Caiet. docuit P. Valent. to. 3. disp. 1. q. 13. punct. 1. versu *sed tamē*. Consequenter quidem ad id quod dixerat versu *vt autem*: nempe verba blasphemiæ non esse, nisi quæ seriò dicuntur; non verò quæ ioco, quod expressè dixit Pater

S. Thom.

Caiet. Valent.

P.Suar. tom. 1. de relig. tract. 3. lib. 1. c. 6. n. 1. Quod accipio de verbis, quæ eis non exprimitur obiectum aliquod turpe: si enim quis id advertat, peccat graviter: quia iocus non excusat à peccato mortali, in his verbis attrocibus, vt dixi §. 16. multo minus ira in alium. Cùm verò verba, nec sunt obscæna, nec de obiecto indecoro, sed quæ magis significant animũ iratũ, excusantur à peccato mortali: quia tandem proferuntur sine perfecta consideratione, de illorum malitia in Deum, vel iam ex consuetudine & circumstantijs non accipiuntur, vt convitium Dei, multum enim valet vsus & circumstantiæ. Tertiò est peccatum veniale cum de aliquo Sancto dicitur defectus corporis non in contemptum sanctitatis, vt si quis dicat. *S. Petrus Calvaster; vel S. Cryspinus Sutor.* Quod docuit P. Thomas cap. 32. num. 42. Huc referri videtur, si quis diceret, *ita est per barbam huius imaginis Dei Patris*: quæ verba non videntur præseferre malitiam gravem: quia blasphemia non est hęreticalis, nec de obiecto obsceno, nec vox dedecens; solum videtur afferre iocantem levitatem.

Sanchez.

§. 48. *2. Concl.*

Dico secundò: ex parvitate materiæ non est peccatum veniale blasphemiæ, in convitio seriò dicto in Deum: in quem omne cõvitium est grave in homine perfectè sui cõpote: itaque in verbis attrocibus, & in animo in Deum, non est parvitas materiæ: vt dixit P. Thomas cap. 32. num 40. & Pater Suarez lib. 1. cap. 6. num. 2. ex Caietano & alij: illa autem verba de quibus egi §. 47. non sunt venialia ob parvitatem materiæ; sed quia nihil atrox significant, vel non diriguntur in Deum.

Sanchez. P.Suar. Caiet.

§. 46. *3. Conclus.*

Dico tertiò: blasphemia est minus peccatum ex genere suo, odio Dei, desperatione, & infidelitate: quia opponitur virtuti minùs nobili. Religio enim, quia est virtus moralis, est minùs nobilis charitate, fide, & spe: quia sunt Theologicæ: est autem blasphemia secundùm se peior omni alio vitio opposito cæteris virtutibus moralibus: quia religio tenet primum locum inter illas; irreligio autem est gravissimum peccatum propter eamdem rationem. Quæ doctrina est omnium Theologorum, sic explicantiũ. S.Thomam quæst. 13. art. 3. Recognosce P. Suarez tract. 3. lib. 1. cap. 6. à num. 3.

S. Thom. Suar.

§. 50.

Inter peccata irreligionis potest fieri collatio vtrùm blasphemia sit pessimum? Dico quartò: blasphemia est peior periurio. Quæ doctrina est S. Augustini tom. 4. lib. contra mendacium cap. 19. his verbis: *nec aliquam caussam prorsùs oportet obtendi, cur debeat peierari, vel quod est execrabilius, cur Deus debeat blasphemari.* Deinde subijcit inferiùs: *ideò autem peius est blasphemare, quam peierare, quonia peierando falsa rei adhibetur testis Deus: blasphemando autem de ipso falsa dicuntur Deo:* iniuria irrogaretur Augustino, si alia probatio conclusionis aliundè peteretur. Non disputo nunc, vtrùm omnis blasphemia sit peior omni periurio? cùm enim agerem de peccatis ostendi intra speciem obiectivam minùs malam, posse esse actus in specie intrinseca peiori quam alios de specie obiectiva peiori. At verò supremum peccatum de obiecto peiori, esse peius supremo peccato de obiecto minùs malo: est autem alienum ab hoc instituto singula minutatim exquirere.

August.

§. 51. *Suar.*

P.Suarez tom. 1. de relig. tract. 3. lib. 1. cap. 6. num. 3. censet blasphemiam ex suo conceptu esse maximum peccatum contra religionem: quod mirè probat ex S. Hieronymo, & ratione: quia blasphemus aperto Marte cum Deo pugnat. Huic opinioni in parte acquiesco: gravius enim est dicere *Deum esse ebrium*, quam imagines conculcare: quia horrenda illa blasphemia immediatè lędit divinitatem, qua ratione potest: item verba sunt signum expressus animi irreverentis, quam actiones. De peccato contra sacrificium aliqua est difficultas: quia sacrificium est excellentissimus actus religionis: significans, & re ipsa efficiens subiectionem creaturæ ad Deum: cui damus vitam creaturarum insignum dominij ipsius in vitam & mortem: ergo peccatum contra sacrificium erit gravius, quam blasphemia: quia læderetur sacrificium Dei, & actu ipso exercito ageretur contra eius supremum dominium. Tandem quia illa proculcatio esset in ipsum corpus Dei, & divinitatem, cui est vnitum; si quis autem conculcaret Christum peccaret gravius quovis blasphemo. Hæc videntur doctrinam P. Suar. labefactare, non possunt nunc commodè exponi: quia nondum expendi possunt honestas actionum religiosarum, & irreligiosarum turpitudo.

SECTIO XI.

Vtrùm omnes blasphemiæ sint eiusdem speciei?

MULTI graves authores cẽsent omnes blasphemias esse moraliter eiusdem speciei, nec illarum diversitatem debere in confessione exponi: in opinione affirmante, non debere exponi §. 52.

 cir-

S.Tho. q. 13. Art. 3. circumstantias etiam notabiliter agravantes intra eamdem speciem: quia omne discrimen blasphemiarum est intra eamdem speciem moralem. Quod clarè docet Pater Thomas lib. 2. cap. 32. numero 38. Pater Azor, tomo 1. lib. 9. cap. 28. quæstione 10. Caietanus, & alij apud ipsos, nec dissentitur P. Suarez, eo lib. 1. cap. 6. num. 18. dum asserit omnes blasphemias hæreticales esse eiusdem speciei: item & non hæreticales interse; alteras autem ab alteris specie differre, non negant ij authores; sed affirmant.

Sanchez, Azor. Caiet, Suar.

§. 53. Debet ergo in eorum sententia considerari malitia blasphemiæ intra propriam speciem, & non vt extrahitur ad speciem alius peccati: exempli gratia; asserit quis blasphemiam hæreticalem, & alius imprecativam: hæ differunt specie: quia hæreticalis habet duas malitias specie distinctas, alteram blasphemiæ: alteram contra fidei confessionem; imprecativa autem si est coniuncta cum odio Dei habet alias duas malitias; alteram contra laudem Dei; alteram contra charitatem in Deum: malitia contra charitatem specie differt à malitia contra fidei confessionem, ac propterea illæ duæ blasphemiæ differunt specie. At verò ratio blasphemiæ hæreticalis, vt præcisè est contra laudem Dei, non differt specie à malitia blasphemiæ imprecativę, vt etiam est contra laudem Dei. Hæc est horum authorum opinio: cuius fundamenta mox expendam.

§. 54. Cui nequaquam acquiesco; opinatus intra ipsam speciem blasphemiæ esse peccata diversarum specierum: quæ necessariò in omni opinione sint in confessione explicanda. Quod tradit P. Luisius disputatione 58. dub. 3. §. *Placet*. Probatur primùm: quia si quis verè iuret per aliquam partem corporis Christi obscæno verbo, est blasphemus: item si quis dicat *Deus est sodomiticus*; sed intra conceptum contumeliæ hæc peccata differunt specie: ergo. Probo minorem: quia maior iniuria & contumelia est imponere Deo peccatum tàm infandũ, quam obscænè nominare Christi partes, quas verè habet. Quod videtur per se notum: sin ponamus Christo nunc objici ab hæretico eum fuisse masculorum concubitorem, & alium hæreticum iurare per Christi partes genitales: vter Christi humanitati esset contumeliosior? an hæc egent probatione? si quis objiceret ijs authoribus sodomiam, & alius eorum partes nominaret obscænè, in vtrùm plus excandescerent? si quis diceret Beatã Virginem fuisse concubinariam: alius verò eam habuisse sexum fœmineum, illum obscænè compellans, vter in ratione contumeliæ, eam maiorem inferret? horrent aures, & oculi, vel scripturam, aut voces aliquarum blasphemiarum, non ob solius vocis turpitudinem; sed ob iniuriam significatam.

Luis.

Secundò, ipsi verè fatentur: ad peccatum blasphemiæ satis esse voluntatem de verbis blasphemis, quamvis non sit directa voluntas convitiandi Deo; vt dixi à §. decimotertio; sed intentio expressa & directa convitiandi, specie differt à voluntate dicendi verba ex timore: ergo in ratione blasphemiæ est diversitas specifica peccatorum. Minor probatur: quia prima voluntas habet pro obiecto formali bonitatem delectabilem, quam iracundus sentit in convitijs Dei; timidus autem habet pro obiecto formali bonum temporarium ob quod blasphemat. §. 55.

Tertiò: quia blasphemia est peccatum propter contumeliam in Deum; sed contumeliæ differunt specie: ergo & voluntas de illis. Minor probatur: quia mala, quæ possumus Deo plasphemè adscribere, sunt diversa specie. Vt enim apud homines diversa iniuria est, aliquem appellare latronem, ac appellare incæstuosum, & sodomiticum, & ebrium: ita apud Deum: quia ea omnia mala, vt inter homines sunt contumeliæ distinctæ, propter diversam peccatorum turpitudinem, sic & cum cõijciuntur in Deum. Quapropter Sanctus Augustinus adductus §. 18. asserit Manichæos in Deum iactasse horribiliores blasphemias, quam hæreticos vllos. Quæ discrimina non sunt materialiter tantùm; sed formaliter: quia est à convitijs formaliter vt convitia sunt: quæ est ratio à priori & evidens huius sententiæ. §. 56.

Quartò: cum vrget præceptum de laudando Deo; eius violatio est blasphemia, vt violatio præcepti religionis, est irreligio; sed tacere laudem Dei vrgente præcepto specie differt à maledicentia in Deum: ergo intra peccata blasphemiæ, est diversitas. Minor probatur: quia taciturnus nullum malum dicit de Deo, vt dicit blasphemis positivus, nec habet animum convitiandi; sed præcisè carentiam laudandi: & quamvis in nonnullis materijs peccatum omissionis, & commissionis non differant moraliter, vt furari quatuor aureos & eos non restituere: est quia tantùm mali affert omissio, quantùm commissio: at in alijs vitijs, graviora sunt peccata commissionis: vt gravius est odio habere Deum, quam eum non amare, vrgente præcepto, & desperare, quam non sperare, & dissentiri authoritàti Ecclesiæ, quam assensum cohibere, §. 57.

re, & conculcare Christi corpus, & imagines sacras, quàm non adorare. Quia commissio est gravius damnum, quam omissio, propter affectum: peius enim est convitium, & percussio Christi, quam carentia cultus: quia præter carentiam cultus addit convitium rationem positivam contumeliæ. Quod ab humanis est per se notum: discrimen enim est plusquam specificum inter non assurgere Regi, & eum compellare tyrannum.

§. 58. Vndè deduco in confessione explanandas esse hæreticales blasphemias præ imprecativis: non solum ob oppositionem cum fidei confessione; sed quod intra blasphemiæ limites est diversum convitium assertio rei turpis, ac imprecatio: & inter hæreticales exponendæ sunt species contumeliarum, quæ actæ sunt in Deum: & inter imprecativas, quæ graviora mala significant: item & quæ sunt in Deum simul & Sanctos: quia habent duas malitias specie distinctas, irreligionis, & irreverentiæ in Sanctos: quia violatur religio, & dulia: & inter Sanctos exponenda est circumstantia in Virginem Matrem Dei: quia est contra Hyperduliam: quia hæc virtus, aut specie differt à Dulia, aut habet gravitatem exponendam in confessione: contumelia in res inanimatas non est necessariò exponenda: quia solus Deus patitur contumeliam; interest autem parum si ei convitieris in se, vel in creatura; immò nisi convitium in creaturam sit ex animo conviciandi Deo, minor est blasphemia Dei in creatura irrationali, quàm in se ipso. Ratio est: quia creatura irrationalis non est capax laudis eiusmodi, nec convitij: quo differt à Sanctis. Recognosce P. Thom. cap. 32. num. 36. (Sanchez.)

§. 59. 1. Obiectio. Obijciunt autem authores adducti S. Sanctum Thomam quæstione decima tertia, articulo primo ad tertium, asserentem eodem habitu errari in attribuendo Deo, quod non habet, & negando quod habet. Respondeo à Sancto Thoma non negari doctrinam hanc; sed in ijs obiectis, in quibus æqualis iniuria irrogatur Deo, parum interesse id fieri affirmatione, aut negatione: iam ostendi disputatione decima sexta de anima, omnes errores actuales specie diversos oriri ex diversis habitibus. At Sanctus Thomas eo articulo non agit de specie formali & intrinseca peccati; sed de obiectiva, vt constat ex argumento tertio, ad quod respondet. Vndè ego cum Sancto Thoma nego etiam tres species blasphemiæ obiectivæ. (Resp.)

§. 60. 2. Obiectio. Secundo arguunt: quia omnia iuramenta sunt eiusdem speciei: ergo & omnes blasphemiæ. Nego consequentiam: quia iuramento nullum malum significamus de Deo, nec volumus eum esse testem rei falsæ testimonium falsum affirmantium; sed speramus ab eo, non esse falsitatem detegendam, vt asserit S. Thom. quæst. 13. art. 3. ad 2. hoc autem nihil refert in hac materia esse, vel in illa: blasphemia autem est contumelia, quæ gravior est pro gravitate obiecti. Adverte maius peccatum esse iurare falsò, quam abstinere à iuramento vrgente præcepto. Nec disputo nunc vtrùm qui iurat per Deum, & Sanctos, opponatur duabus virtutibus, vt qui convitiatur Deo & Sanctis: si enim specialis virtus obligat ad non iurandum per Sanctos, sicut ad non inferendam iniuriam; iuramentum per Deum & Sanctos habet duas malitias: sicut convitiari, & iniuriam inferre Deo & Sanctis. Si verò non sint duæ virtutes: quia manifestatio miraculosa, aut manifestatio falsitatis iuratæ à solo Deo potest fieri, non est nisi vnum peccatum. Alia argumenta leviora omitto. (S. Thom.)

SECTIO XII.

Difficultates nonnullæ.

§. 61. 1. Conclus. PRIMVM assero eum qui frequenter blasphemat, non esse arcendum ab absolutione, si diligentiam aliquam adhibet ad coercendam linguam; sed interdum differendam aliquandiu absolutionem, & seriò monendum: vt docent Pater Azor tomo primo lib. nono, cap. 28. quæstione 18. & P. Thom. cap. 32. num. 45. eius autem absolutio nulli est reservata: vt docet P. Azor, eo cap. 28. quæstione 12. Ago de iure communi: quid enim hac in parte agatur in ordinibus religiosis, non est huius loci: & quamvis Concilium Lateranense præcipit, ne absolvatur vllus blasphemus, nisi imposita pœnitentiâ gravissimâ: non est obligatio id efficiendi invalescente iam consuetudine contra præceptum illud: vt asserunt idem P. Azor eo cap. 28. quæst. 9. & P. Thom. eo cap. 32. num. 44. & 46. (Azor. Sanchez. Azor. Sanch.)

§. 62. 2. Concl. Assero secundò, eum qui audit blasphemum non teneri ad eum acriter obiurgandum: quamvis enim id præcepit Concilium Lateranense, ferens novã legem distinctam à divina de correctione fraterna; (hęc enim non est acris obiurgatio) ea tamen lex antiqua consuetudine est abrogata: vt ostendit P. Thom. cap. 32. nu. 46. & P. Azor eo cap. 28. quæst. 7. obligat autem charitas fraterna cum circumstantijs explicandis cum de ea disputetur. Quod si blasphemus re ipsa (Azor. Sanchez.)

S. Tho. q 13 art. 3. blasphemias suadeat, aut Dei honor maximè lædatur; tenemur lege charitatis in proximos & religiosos in Deum, Dei caussam agere, nisi magnum immineat periculum: vt docet P. Thom. lib. 2. cap. 35. num. 9. ad medium.

§. 63. Azor. Sanchez. Pius 1. De obligatione accusandi blasphemum superest quæstio, & quidem Pater Azor lib. 9. cap. 28. quæst. 8. P. Thom. cap. 32. num. 47. ex Concilio Lateranensi, ex Pio Primo adducto cap. *si quis per capillum* 22. quæstione 1. & ex Iulio Tertio, rectè probant publicè blasphemantem esse accusandum apud legitimum iudicem, ab auditoribus omnibus intra triduum, nisi vnus pro omnibus constituatur accusator: quia id nō præcipitur in blasphemi solam emendationem; sed in pœnam honoris publicè detracti Deo: si verò accusatio omittatur culpatè, audientes fiunt rei pœnarum in blasphemum: quia tacere contra legem est quidam in crimen consensus: cùm Episcopi præcipiunt, vt apud ipsos accusentur blasphemi, non obligant ad eorum tribunal in singulari: quia eius edictum non adimit iurisdictionem laico tribunali; obligant autem ad deferendum crimen ad tribunal legitimum: idem dico de Prætore, cum obligat vt apud ipsum exponatur blasphemus: vide Patrem Thomam eo numero 47.

§. 64. De blasphemo hæreticali publico dico omnes teneri ad illum deferendum apud Quæsitores, quos solos esse eius criminis iudices ostendi §. vigesimo nono: quia præter leges Concilij Lateransis, Pij Primi, & Iulij Tertij, ipsi Quæsitores de concione præcipiunt severè: idem dico de hæreticali blasphemo, quem vehementer suspicor esse hæreticum ex circumstantijs generis Iudaici, aut Morisci; ex levi occasione, & hominis animo minimè furibundo: quia non habeo spem de illius emendatione: quia etiam non tàm agitur de blasphemia, quàm de hæresi: idem dico, si nulla mihi subsit probabilis spes de eius emendatione: quamtumvis blasphemia sit secreta: teneor enim eam deferre, si possum absque gravi proportionato damno. Quod si blasphemia sit secreta; & ego possum emendare blasphemum, non teneor eum deferre: quia leges, & edicta, agunt de blasphemis in eorum punitionem. Vnde delictum debet esse, aut publicum, aut emendatio desperata: de occulto autem delicto non agunt, nisi servatis servandis ex Evangelicis Consilijs. Hæreticus quantumvis secretus, est denuntiandus in iudicio ob specialem desperationem de eius emendatione per vnum hominem; cum hæreticus totam spernat Ecclesiam: blasphemus autem irâ potius delinquit, quàm pertinacia: quam doctrinam tradit P. Thom. lib. 2. cap. 32. num. 47. ex Medina, Emmanuele Rodriguez, Ludovico Lopez, & alijs. Sanchez. Medina. Rodrig. Lud. Lop.

DISPVT. XCII.

De blasphemia in Spiritum Sanctum.

SECTIO I.

Quid sit blasphemia in Spiritum Sanctum?

§. 1. BLASPHEMIA in Spiritum Sanctum, si propriè accipiatur, est omnis blasphemia in Deum: omnes enim contumeliæ in Deum sunt communes toti Trinitati, cui communis est intellectus percipiens iniuriam, voluntas eam detestans, & natura intellectualis Dei, in quam fiunt. Posset item specialis esse blasphemia in Spiritum Sanctum, & iniuria; non quidem formaliter ex parte tertiæ personæ: quia hæc non patitur iniuriam specialiter, nec offenditur; sed communiter cum alijs duabus: obiectivè autem potest esse specialis in tertiam personam blasphemia, quæ de eius sola persona maledicat, inter quas blasphemias præcipua est hæreticalis, qua ei negatur divinitas. Deinde aliæ, quæ aliquid indecorum de ea persona effutiant, vel ei in singulari convitiatur. At nunc disquirimus peccatum quoddam speciale in Spiritum Sanctum, quod Christus apud tres Evangelistas tantopere docuit esse timendum: quia non remittitur, nec in hoc sæculo, nec in futuro. Matth. 12. 31. *Ideò dico vobis: omne peccatum blasphemia remittitur hominibus; Spiritus autem blasphemia non remittitur, & quicumq; dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, nec in hoc sæculo, nec in futuro*: idem repetit Marc. 3. 28. & Lucæ 12. 10. Matthæi 2 31.

§ 2. August. Sanctus Augustinus tomo 10. serm. 11. de verbis Domini cap. 3. hoc testimonium Christi mirè perpendit, multis remissa esse in baptismo, aut pœnitentia multa peccata in Spiritum Sanctum, cap. autem 4. confutat errorem Originis omnes Catholicos

eos peccare in Spiritum Sanctum; quando abluti baptismo admittunt peccatum mortale: quo ab anima discedit Spiritus Sanctus adductus ipso baptismo. Hic autem fuit error Novati negantis pœnitentiam fornicarijs, & discedentibus à fide. Facto autem longissimo sermone per multa capita, concludit non esse sermonem de omni blasphemia in Spiritum Sanctum; sed de vna: quam c. 12. dicit esse impœnitentiam finalē, quæ non remittitur, nec in hoc sæculo, nec in futuro: hæc autem impœnitentia est contra iustificationem, quę adscribitur Spiritui Sancto.

§. 3. August. Augustinus eâ ratione hanc asseruit sententiam: quia vocem illam, *non remittitur* accipit in sensu tàm rigoroso, vt significet veram realemque carentiam remissionis. Fateor illud peccatum esse in Spiritum Sanctum, quod nullibi remittitur: estque voluntas expressa de non agenda pœnitentia, & coniungitur cum fine vitæ: quæ coniunctio est accidentalis illi actui secundùm se: at ex illa suppositione accidentaria, nec remittitur in hac vita, nec remitti potest: quia est realiter in vltimo in stanti intrinseco vitæ: & nihil remitti potest in instanti, in quo est: vt quando ego pecco, non sum capax remissionis componendæ eodem instanti: in qua suppositione est consummatè contra Spiritum Sanctum: estque liquida doctrina Augustini secundùm se: vide §. 15. verumtamen quia difficilè verba Christi quadrant in finalem impœnitentiam, ideò vocē *non remittetur* aliter cogimur exponere: Christum non egisse de impœnitentia finali constat: tùm quia illa non est necessariò blasphemia, multi enim moriuntur impœnitentes expresè absque blasphemia: Christus autem eorum blasphemias reprehendit. Secundò: quia Christus illius severitate sententiæ voluit illos compescere à maledicentia, qua facta Christi in Spiritu Sancto, adscribebant dęmoniorum Principi Beelzebub: quod expresit Marcus 3. 30. *Quoniam dicebant: spiritum immundum habet.* Hoc ergo est peccatum in Spiritum Sanctum, quod Christus asseruit non remittendum. Mar. 3. 30.

§. 4. Hieron. Hilar. Ambros. Chrysost. Vnde quamvis S. Hieronymus, Hilarius, Ambrosius, & Chrysostomus cēseant hanc blasphemiam esse, qua negatur Spiritui Sancto divinitas; tamen de eo non agit Christus; tùm quia Pharisæi tunc nihil agebant de divinitate Spiritus Sancti tertiæ personæ, vel ipsius Deitatis, quæ appellari potest Spiritus Sanctus, non notionaliter; sed absolutè: tantùm autem asseruerunt Christum eiecisse dœmonia: quia Beelzebub erat in illo, vt retuli ex Sancto Marco §. 3. Deinde negare divinitatem tertiæ personæ, non est specialis gravitas pecati, quæ non sit in neganda divinitate filij: cùm tamen blasphemiam in filium dicat ipse remitti; secùs in Spiritum Sanctum.

§. 5. Magist. S. Thom. P. Valent. Magister in 2. d. 43. Sanctus Thomas, quæstione 14. art. 1. Pater Valentia tomo 3. disput. 1. quæst. 14. punct. 1. versu *cum verò*, cum plurimis Theologis asserunt hoc peccatum esse ex certa malitia; quando videlicet homines peccant ob delectationem ipsam peccati: cum enim peccant ex infirmitate, peccant contra Patrem; cui adscribitur potentia; cum verò ex ignorantia, contra filium, sapientiam: propterea hæc duo genera peccatorum sunt facilia remissu, vt ex ipso Christo retuli §. primo, de peccatis contra filium. At verò peccare ex certa malitia est peccare contra Spiritum Sanctum, cui bonitas adscribitur. Quo peccato arcentur dona Spiritus, quibus abluenda erant peccata: quæ doctrina propiùs accedit ad testimonium Christi, est tamen difficilis. Primum: quia non omne peccatum ex malitia est in Specie blasphemiæ vt sic; ne dicam in Spiritum Sanctum: si quis enim alicui detrahat, aut calces impungat ob solam delectationem earum actionum, non est convitiosus in Deum, nec in Spiritum Sanctum. Secundò: quia Christus non egit, nisi de illo peccato, quod commiserant Iudæi adscribentes dœmoni opera Christi. Huic enim peccato cætera contulit; horum remissionem & illius irremissionem affirmans: vniversim autem existimo peccatum in Spiritum Sanctum, vt sic, esse quod asserit S. Thomas: quod est ex certa malitia: at Christus de eo ibi non egit.

§. 6. Luc. 10. 17. Dico: blasphemiam hanc in Spiritum Sanctum esse illam, quam Marcus exponit 3. 30. qua censebant Beelzebub habitasse in Christo, & eius virtute abigi dœmonia: constat blasphemum esse qui opera Dei adscribit creaturæ: eiectio illa dœmoniorum potestate & imperio Christi erat opus Divinitatis ipsius Christi: quam tantopere discipuli commendarunt: *Domine, in nomine tuo etiam dœmonia subijciuntur nobis*: hoc ergo opus blasphemi Iudæi adscripserunt Beelzebub: ideò autem hoc peccatum est difficile remissu; quia sine vlla excusationis ratione illud opus Iudæi adscripserūt dœmoni. Non ex ignorantia: nullo enim fundamento scire, aut conijcere poterant, illud esse opus diaboli, vt manifestissimis argumentationibus Christus ostendit: non ex infirmitate: quia nulla gravi tentatione pulsati id effecere. Qua in parte cōsentio

ea revelasse Christum remissionem re ipsa futuram peccatorum contra filium hominis: item revelasse Christum damnationem omnium blasphemantium tunc in Spiritum Sanctum; cum nullo argumento ea revelatio probetur.

§. 11. Dico ibi significari difficultatem ingentem ea peccata remittendi: nam ex parte peccantis, & parte Dei est specialis difficultas. Ex parte peccantis: quia peccantes ex certâ malitiâ sunt difficiliores emendatu: quia peccant ob ingenium malum pravumque: qui enim peccant ex infirmitate, resipiscunt sedato passionis æstu; qui vero ex ignorantia labuntur, se erigunt accepta scientiâ; qui vero ex certa malitiâ, semper retinent inclinationem peccandi. Ex parte Dei est specialis difficultas: quia Deus sæpè flectitur ad conferendam vocationem congruam ijs, qui cum excusatione peccat; non quod ipsi digni sint veniâ; sed quia ignorantiâ, aut passione removent prohibēs, id est, removent certam malitiam, quæ gravitate sua prohibet auxilia efficacia: sic dixit Apostolus se fuisse blasphemum; misericordiam autem consequutum, quia ignorans fecerat: & Christus oravit ignoscendum suis crucifixoribus: quia nesciebant, quid faciebant. Vndè S. Thomas quæst. 14. art. 3. rectè dixit, remissionem horum peccatorum ex certa malitia esse quasi miraculosam. Recognosce S. Thomam, P. Maldon. Matth. 12. 30. & P. Benedictum Iustinianum in 1. Ioann. 5. 16. numero suo 40. Ioannes autē nō præcipit non esse orandum pro ijs; sed ea phrasi explicuit difficultatem impetrandi veniam peccati in Spiritum Sanctum: asserit idem P. Iustinianus num. 58. Quod autem ipse ait, de remissione pœnæ accipienda hæc testimonia à num. 53. non probo. Apostolus enim nō dixit nisi non donandam vitam peccantis ad mortem; at non omnis peccans in Spiritum Sāctum plectitur vitæ temparalis supplicio. Alia mitto, in quibus non expedit mora.

S. Thom.

Iustinian.

SECTIO III.

Quotuplex sit peccatum in Spiritum Sanctum?

§. 12. BLASPHEMIA in Spiritū Sanctum dividi potest in tot species, quot sunt vel mala, quæ dicuntur de Spiritu Sancto; vel quot sunt imprecationes; vel agendum de attributione operum Dei Dœmoni; quot sunt facta Dei attributa Dœmoni sine excusatione. Hic autem ago de peccato in Spiritum Sanctum vt sic, ad explicandam communem phrasim authorum.

Sanctus Thomas quæst. 14. art. 6. connumerat sex species peccati huius: quia sex modis impedit peccator gratiam Dei & Sanctificationem, quæ adscribuntur Spiritui Sancto. Prima ergò species est desperatio, per quam pellitur spes, quæ oritur ex consideratione divinæ misericordiæ; desperatio autem ex consideratione iustitiæ Dei absque consideratione misericordiæ. Secūda est præsumptio opposita timori, qui oritur ex consideratione iniustitiæ Dei; præsumptio autem ex consideratione misericordiæ non consideratâ iustitiâ. Hæ duæ species opponuntur ex parte iudicij: quia altera oritur ex consideratione iustitiæ; altera ex misericordiæ. §. 13.

Tertia species est impugnatio veritatis agnitæ, qua impugnatur fides ad peccandum licentiosiùs. Quarta est invidentia fraternæ gratiæ, qua dolemus non solùm de bono fratris; sed etiam de incremento gratiæ Dei. Quinta est impęnitentia; non quidem finalis; hæc enim est circumstantia cuiusvis peccati mortalis, in quo moritur homo; sed vt impęnitentia significat propositum non pęnitendi, quod est consummatè contra Spiritum Sanctum, quando habet circumstantiam finalis: & est in ea circumstantia irremissibile toto rigore, nec est pro eo orandum; at secundùm se est physicè remissibile, & orari pro eo potest. Sexta est obstinatio, qua quis firmat voluntatem ad longam in peccato inhærentiam. §. 14.

Hæ sex species vocantur peccata in Spiritum Sanctum, non quod necessariò sint ex certa malitiâ, & sine excusatione levante crimen: possunt enim esse ex ignorantia, & infirmitate; sed ita dicuntur phrasi minus propria. Vndè nisi fiant ex certa malitiâ, nihil habent in difficultate remissionis commune cum blasphemia: vt benè observat Pater Iustinianus 1. Ioannis 5. 16. numero suo 23. Si vero sint finalia, non possunt in eâ circumstantia remitti, & sunt consummatè in Spiritum Sanctum, nec potest pro illis orari. Vndè vt me cum Augustino componam, dico omne peccatum contra Spiritum Sanctum consummatè, esse impęnitentiam finalem in aliqua ex ijs speciebus: quod in rigore in hac vita remitti non potest; quamvis secundum se potest: cæteri autem loquuntur de peccato in Spiritum Sanctum non consummatè. §. 15.

Iustinian.

DISPVT. XCIII.

De praeceptis Fidei.

§. 1. DISPVTATIONE 40. 41. 42. 43. & 44. egi de necessitate fidei tàm ratione medij, quam præcepti. Nunc disquirenda sunt tempora, quibus exercenda sit fides: cuius præceptum est affirmativum obligans semper, non tamen pro semper: non enim tenemur singulis momentis exercere fidem, cui annectitur præceptum aliud negativum de numquam neganda fide, quo tenemur semper & pro semper: quia nullo momento, nec occasione vllâ possumus absque gravi peccato negare fidem propositam satis sufficienter.

§. 2. Fidem tenemur exercere bifariam: primum ratione sui, quando præceptum credendi obligat ob solam fidem, independenter ab alio præcepto aliarum virtutum: secundò, ratione alterius virtutis: exempli gratia, quando obligat præceptum de diligendo Deo, de expiandis peccatis, & similia: tunc tenemur exercere fidem, non ex lege fidei; sed ex lege charitatis, aut pœnitentiæ: est autem magnum vtrobique discrimen: quod in primo casu peccatur directè contra legem fidei, & ipsam fidem, nisi exerceatur: quia lex credendi obligat tunc: at in secundo casu non peccatur, nisi contra virtutem illam, ad quam necessaria erat fides actualis. Quapropter in confessione non est opus exponere omissionem fidei; sicut si quis omittat sacrum non est opus exponere omissionē itineris, & aliarum diligentiarum: quia sola lex audiendi sacrum obligat ad adhibendas eas diligentias. Ratio est: quia omissio medij necessarij ad parendum alicui legi, si non est aliunde mala, non habet aliam malitiam, nisi quam accipit à fine omisso: carentia autem fidei actualis non est tunc aliunde mala: ergo non habet aliam malitiam, quàm á fine omisso. Quæ recognosce in P. Thom. lib. 2. cap. 3. num. 3. ad medium, & num. 4. ex P. Valentia, & alijs. Sanchez. Valent.

§. 3. Tempus igitur, quo quis tenetur exercere fidem actualem, primum est, quando infideli proponitur fides cū evidenti credibilitate: ita vt dissensus tunc sit peccatū mortale infidelitatis. Quod docuit P. Thom. eo cap. 1. num. 2. quia homo tenetur exercere fidem divinam aliquo tempore; sed non est cur hoc prætereatur: quia tunc est occasio depellendi infidelitatem, & reverendi Dei testimonia. Nec verò id intelligas pro eodem momento: sunt enim hæc moralia, quæ non fiunt in ictu oculi; sed est considerandum ne longa texatur mora; ita vt prudentis arbitrio censeatur moraliter cùm primum audita sunt mysteria, fuisse credita: idem dico de hæretico: cum primum enim cognoscit evidentem credibilitatem, tenetur exercere fidem: censeo idem de fideli baptizato, & nutrito absque fidei cognitione: illam enim exercere tenetur. Sanchez.

§. 4. Item cum vrget æstuans occasio omittendæ fidei, tunc tenemur per se ad illam exercendam: quia lex fidei præcipit eius actus, quando necessarij sunt ad non succumbendum infidelitati: tandem quando puer inter Christianos edoctus animadvertit se numquam exercuisse fidem, tenetur illam exercere. Hic tamen casus vix est possibilis: quia frequenter exercetur fides etiam publicè, vt cum discitur symbolum, aut fidei articuli. Quì autem inter infideles educatus, cognoscit iam eorum errores, tenetur cum primum exercere fidem.

§. 5. Præter hæc tempora nullam aliam occasionem obligandi per se ad fidem recognoscit P. Thomas: ego existimo alia duo tempora per se obligare: alterum est cum mors imminet, cum enim actibus fidei iaciamus fundamentum ad ædificium cœlestis Hierusalem; cum iam simus ad eius conspectum adducti, lex fidei per se obligat. Quia nulla potest esse gravior occasio, quam momentum illud, à quo pendet æternitas, ob quod ex Ecclesiæ consuetudine moribundi, cum viatico donantur, excitantur à Sacerdote ad actus fidei: & cum aliquis vltimo & publico afficitur supplicio, animatur ad symbolum recitandum à circumfuso etiam populo: aliud tempus est intra singulos annos. Qui enim toto anno fidem non exercet, in gravi periculo est eam amittēdi: quia dissuetudine senescere videntur habitus: primum ex ijs temporibus admittit P. Valentia d. 1. quæst. 2. par. 3. quæst. 2. secundum verò Petrus Ledesma tom. 1. summæ tract. 1. cap. 8. conclus. 4. alij addunt aliud tempus, cum definitur aliquid ab Ecclesia. Valent. Ledes.

§. 6. S.Thom. S. Thomas opinatur quæst. 16. art. 1. lege Moysis nullum fuisse præceptum credendi in Deum: quia hoc est præambulum ante legem: nullus enim præscribit leges, nisi subiectis; at fide ipsa subijcitur quis legislatori Moysi: quod quidem est verum de lege ipsa quoad primum actum credendi: qui enim numquam crediderant in Deū, non erant ei legi subiecti. At potuit lex præcipere ne quis fidem abijceret, & præceptum à Moyse fuit in primo decalogi præcepto: vt Ecclesia non præcepit fidem in baptizatis: quia non sunt ei subiecti; at eis iam baptizatis præcipit, ne deserant fidem: vndè Iudæi abnegantes legem peccabant

contra

contra ius divinum credendi omnia, quæ sufficienter proponuntur: & contra legem Mosaicam: idem dico de baptizato deserente fidem, qui violat Ecclesiæ leges. Vtrùm autem duo admittantur peccata quādo violantur duæ leges de eodem obiecto, explicui disputans de peccatis.

DISPVT. XCIIII.

De præcepto confessionis fidei.

DE confessione fidei secundum se, quæ virtus sit, & qua ratione obliget, egi satis disp. 48. huc reijciens quæ Concilium Tridentinum præcipit de fidei confessione nonnullis personis, certis in occasionibus. De quo eruditè, vt assolet, disputat P. Thomas Sanchez lib. 2 summæ cap. 5. Omnes Episcopi, & superiores dignitates, item & Abbates, & alij habentes iurisdictionem quasi Episcopalem tenentur ad externam professionem fidei. Quod cōstat primùm ex cæremoniali Romano præcipiente eam actionem cùm consecrantur. Secundò: quia inferiores personæ legibus adstringuntur ad eam professionem. Tertiò: quia Tridenti sess. 25. cap. 2. de reformatione præcipitur, vt Episcopi in primo Concilio provinciali profiteantur externè Catholicam fidem; & execrentur omnes hæreses in Ecclesia dānatas; maximè autem in Concilio Tridentino. Quod si Episcopi id non effecerint, sunt excommunicati; quia præcipit Concilium, vt vitentur ab alijs Episcopis.

§. 2. Omnes Canonici, & dignitates Ecclesiæ Cathredalis tenentur ad externam professionem fidei bis faciēdam: primùm coram Episcopo, eo autem impedito, tenentur ad id coram Vicario generali. Secundò tenentur ad eamdem professionem in ipso Capitulo. Quæ præcipiuntur apertè in Concilio Tridentino sess. 24. cap. 12. de reformatione: tempus autem professionem hanc emittendi est bimestre à die possessionis: idem præcipitur omnibus provisis de beneficio habente curam animarum; vt constat ex cap. eodem.

§. 3. Omisio voluntaria eius professionis est peccatum mortale: quia est in materia gravi, quam Concilium censuit congruentem adversus ingruentes hæreses; vt dixit sess. 25. 1. 2. de reformatione: tum etiam quia gravitas pœnæ est argumentum præcepti.

§. 4. Portionarij Ecclesiæ Cathedralis non tenentur ad hanc professionem; nec Canonici, aut portionarij Ecclesiæ collegiatæ, nec provisi de beneficio non parochiali; qualia solent esse nonnulla, quæ à solo Episcopo providentur, quin adeatur Papa. Ita docet P. Thomas cap. 5. num. 1. ratio est; quia iure divino nullus tenetur ad eam professionem, vt præcipitur in Concilio: Concilium autem, nec alius Princeps, non meminit horum hominum: ergo non tenentur ea lege.

Concilium idem sess. 25. cap. 2. de reformatione præcepit, in Synodo provinciali, quæ primo quoque tempore cogatur, fieri eamdem fidei professionem ab omnibus beneficiarijs, & qui Synodo intersint. Vbi duo occurrunt dubia; primum, vtrùm qui tenentur ad hanc professionem debeant simul esse beneficiarij, & interesse Synodo? an vero satis sit vel Synodo interesse, vel beneficium obtinere? Secundum dubium est, vtrùm in singulis Synodis; an in vna sit facienda professio? Ad primum respōdeo teneri ad professionem hanc omnes Synodicos; si quis autem legitimè abest Synodo, non tenetur: quia Concilium voluit vt totus clerus, quem repræsentat Synodus, id præstet: cuius parùm interest vnum aut alterum abesse. Ad secundum respondeo non teneri in secūda Synodo emittere professionem, qui eam emisit in prima. Tùm quia nec Episcopis repetitio præcipitur: tùm quia Concilium non dixit *in omni Synodo*, sed *in ea Synodo quæ primo quoque tempore celebrabitur*: vbi *in primo* refert ad tempus Concilij, post quod in prima Synodo est emendata confessio. Item refertur ad Synodos futuras, vt in prima quaque fiat professio: id est, in vnaquaque prima, cui quis interfit; non vero in omnibus. Vnde secunda Synodus, cui ego intersum, non est mihi prima.

§. 6. Concilium hoc nulli præter hos præcepit fidei professionem. At Pius Quartus in motu proprio *iniunctum*, præcipit eamdem professionem omnibus Prælatis religiosorum etiam Militarium. Huius præcepti meminit P. Thomas cap. 5. num. 3. eo autem prius P. Azor tom. 2. lib. 7. cap. 2. quæst. 1. Quod præceptum non obligat propter dissuetudinem. Quod accipe in ijs, in quibus ea consuetudo non viget: si enim in aliqua religione hæc professio est in vsu, obligat; secus in quibus non est: vt asserit P. Thomas num. 3. idem dico de alio decreto Pij Quinti in motu proprio *in Sacrosancta*: vbi præcipit omnibus professoribus publicis alicuius facultatis, Regentibus, Magistris, atque Doctoribus sæcularibus, & Religiosis, vt emittant professionem eādem. Hæc lex non obligat, vbi recepta nō est

Digitized by Google